
Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

KW 33
D3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

T. 102

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3



Johannes Maccovius SS. Th: D. & Professor per años 28 in Acad: Franeq. Natus Lobzenicæ A: 1588 Denatq Franeq: A: 1644.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

IOANNES MACCOVIUS

REDIVIVUS:

SEU

MANUSCRIPTA

Ejus, tertium jam typis exſcripta:

Operâ

NICOLAI ARNOLDI,
SS. Theologiæ Doctoris & Profeſſoris
in Academia Franekerana.

Quibus hæc Editio prioribus & locupletior & correctior prodeat, Præfatio ad Lectorem edocebit.



AMSTELODAMI,
Apud Ludovicum & Danielem Elzevirios,
CIↃ IↃC LIX.
Cum Privilegio.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Copia uyt den Octroy Origineel.

DE Staten Generael der Vereenichde Nederlanden hebben geconſenteert, geaccordeert ende geoctroyeert, conſenteeren, accordeeren ende octroyeeren mits deſen Johannes Arcerius ende Ids Albertſz., beyde Boeckvercoopers tot Franeker in Vrieſlandt, dat ſy voor den tijdt van vijftien naeſtcomende Iaren alleen in deſe Vereenigde Nederlanden, geaſſocieerde Landtſchappen, Steden ende Leden van dien, ſullen mogen doen Drucken, uytgeven en verkoopen alle de Philoſophiſche ende Theologiſche Wercken van Doctor JOANNES MACCOVIUS zal^r., in ſijn leven Profeſſor in de heylige Theologiſche faculteyt tot Franeker voornoemt; Verbiedende alle ende een yegelijck ingeſeten van de voorſz. Vereenichde Nederlanden, Landtſchappen, Steden ende Leden van dien, binnen den voorſz. tijdt van vijftien naeſtkomende Iaren, de voorſz. Philoſophiſche ende Theologiſche Wercken, in 't geheel ofte deel nae te drucken, doen nae drucken, uytgeven ende verkoopen, ofte elders naegedruckt binnen de opgemelte Landen te brengen, op de verbeurte van alle de naegedruckte exemplaren, ende daer en boven van een ſomme van drie hondert Carolus guldens, t' appliceren daer van een derdendeel ten behoeve van den Officier die de Calangie doen ſal; het tweede derdendeel ten behoeve van den Armen; ende het reſterende derdendeel ten behoeve van de voorſz. Johannes Arcerius ende Ids Albertſz.

Gedaen ter vergaderinge vande Hoochgemelte Staten Generael,
in den Hage, den 13 Octobris, 1645.

C. ROORDA vt.

Ter Ordonnantie van de Hoochgemelte Heeren Staten Generael,

Gheteeckent
CORNELIS MUSCH.

Dit boven-geſtelde Octroy, met alle Actien en gerechtigheden, is met vrywillich conſent en goed benoegh over gedragen aen LOUYS ELZEVIER, *Boeckverkooper tot Amſterdam; volgens Schriftelijcke Acte, wederzijds daer van gemaeckt.* Den 18 Junii, Anno 1652.

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

DEDICATIO,

AD

Nobiliſs. & Ampliſs. Dominum,

D. CAROLVM à ROORDA,

Prætorem Idaerdera-deelenſem, Ordinum, Friſiæ Deputatum, Novemvirum graviſſimum.

Nobiliſſime & Ampliſſime Domine,

P*Vlcrum eſſe exiſtimo*, inquit Clemens Alexandrin. Stromatum primo, *iis etiam, qui poſtea futuri ſunt, bonos filios relinquere. Iſti quidem filii corporum; animæ vero liberi ſunt libri.* ὁ μακαρίτης MACCOVIUS ex terno ſucceſſive conjugio ἄτεκνος equidem deceſſit; at in-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ingenii ſui fœtu non uno, poſt fata, famæ conſultum ivit, ne in ſe quadraret, quod exprobratum cælibi Romano:

Naſcitur indigne, per quem non naſcitur alter.

Quanto præclariores ſunt ingenii fœtus, tanto magis laudandi, qui per eos apud poſteritatem clarent. Hi Noſtri Auctoris eo tantum infeliciores, quod plerique, ceu *Ichabod*, à morte demum glorioſi Parentis, lucem viderint. Et hic ipſe priuſquam typo, ceu veſte, exornaretur, *foras*, uti infans Ezechielis, *projectus fuit*, non ſine faſtidio & deſpectu *Sacerdotum* quorundam & *Levitarum*. Quare eum ita amictum, ut expoſititiis ejuſmodi fœtibus fieri voluit memoratus *Clemens Alexandrinus*, ſemel atque iterum tutelæ τῷ τημελούρῳ ἀγγέλῳ commiſi. Hinc bene habitus à pleriſque fuit, paucis tantum quibuſdam illi infeſtis, quibus ſcilicet cum ſimia nil niſi ſuum pulcrum. Jam quia tertium

qua-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

quaſi renaſcitur, de *Angelo tutore* ipſi Orphano, an forte par illi immunitas obtingere queat, denuo proſpiciendum fuit.

Te autem, Nobiliſſime & Ampliſſime Domine, ex multis ſelegi, à cujus Auctoritate magnum ſibi hic pupillus pollicetur patrocinium; cum vel ipſe Auctor frequenti meritorum Tuorum erga Rempubl. utramque prædicatione, Te ſuorum aliquando ingenii liberorum videtur Tutorem deſignaſſe. Accedit, quod ego quoque me Tui debitorem, pro dignatione favoris, quem multis argumentis erga me teſtatum feciſti, profitear, cujus hoc volui extare ſymbolum perenne.

Ne vero Tibi ſerioribus Reipublicæ negotiis diſtento, è Schola obſtrepam, cum Auguſtino, ad Valerium de nupt. & concupiſcent. ſcribente, finio: *Mihi nunquam placuit, cuiquam illuſtri Viro, & tanta, quanta es, ſublimitate conſpicuo, aliquid meorum laborum legendum, non tam diligenter, quam impu-*

denter, impingere. Si quid ergo tale nunc feci, propter eas, quas commemoravi, cauſas, dignanter ignoſce, ac diu Eccleſiæ & Reipublicæ glorioſe ſuperſtes vive. Ita ex animo vovet,

Nobiliſſimæ & Ampliſſimæ

DOMINATIONIS TUÆ

Officioſiſſimus Cultor,

N. ARNOLDUS, SS. Theol. D. & Prof. Acad. Franek. Eccleſ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Lectori Optimo S.

P*Rodiit ante annos duodecim*, *meâ operâ*, Joannes Maccovius Redivivus, *continens* Theologiam *ejus* Polemicam; Pontificiorum, Socinianorum, Lutheranorum, Arminianorum, Anabaptiſtarum Πρῶτα ψεύδη· Caſus conſcientiæ ad normam Doctrinæ Socinianæ, Anti-Socinum, cum Appendice de Atheis. *Illam operam bonis non ingratam fuiſſe eventus docuit. Exemplaria illius quaquaverſum ſunt diſtracta, ut eorum in officinis poſſint haberi nulla. Vrſit Bibliopola, ut opus adeo gratum recuderetur. Quare priorem illam editionem, præter limam multis locis adhibitam, altera fere parte auxeram; ut cum fœnore eam acceperit Lector. A fronte enim ſeſe offerebant* Diſtinctiones Theologicæ, *breves, ſuccinctæ, perſpicuæ, ſolidæ, feliciter in diſputationibus ad captum juventutis adhibitæ.* Theologia Polemica *multis quæſtionibus ditata, ut Lectori ex collatione patuit. Hanc ſequebantur* Fragmenta Prælectionum *Auctoris* pro Perkinſo contra Arminium, *quibus caput Arminianiſmi petitur, conteritur. Succedebat* Theologia Quæſtionum *ejuſdem, captui Novitiorum in Theologia accommodata; ad cujus normam commode collegia examinatoria inſtitui poſſunt, olimque ad quæſtionum iſtarum methodum feliciter ab Auctore habita. Addideram denique* Fragmenta *quædam*, contra Catecheſin Socini, *quæ alia eſt à* Racoviana majore, *quam ego publicis Diſputationibus refutavi. Adeo ut opus, ob limam adhibitam, & argumentum quod ei acceſſit, pro novo fere haberi quiverit. Defecerunt jam & ſecundæ editionis exemplaria; quare tertiam adornare coactus ſum, ut votis multorum ſatisfieret. Prodit autem & hæc cum fœnore; quippe opus hoc tertia ſui parte auctius.* Theologia Polemica *centum & quadraginta præter propter, ex manuſcripto, quod nomine* Anti-Bellarmini *ad manus erat, quæſtionibus aucta eſt. Præter ea quæ ſecundæ editioni acceſſerunt, hac tertia continentur, antea nunquam excuſa,* Theologia per Conſectaria; *Adverſaria ad* Faſciculum Controverſiarum Henrici Eckhardi, Lutherani acerrimi, *quem contra noſtrates adornavit. Denique etiam notæ* ad Goſlavium, *Nobilem Polonum, Socinianorum hyperaſpiſtem,*

ſtem, quocum olim MACCOVIUS *& oretenus contulit, atque eam laudem ab Adverſario reportavit, ſe, ſi Socinianus eſſet, egregie defenſurum cauſam illam. Atque hæc demum omnia ſunt Opuſcula Theologica, quæ ad manus meas pervenere. Verſatus ſum in eorum editione ea fide, qua per lituras manuſcriptorum fieri potuit, atque per conſcientiam debuit. Non cenſorem egi in horum publicatione, ſed editorem. Arrodant operam iſtam Zoïli, bonis ſcio profuturam. Quorum precibus ſtudia mea commendo.*

NICOLAUS ARNOLDUS.

JO-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

IOANNIS COCCEII,
S. S. Theol. Doctoris, ejuſque Facultatis
& Hebraïcæ Linguæ Profeſſoris,

ORATIO,
Habita in funere

Nobilis, Reverendi & Clariſſimi viri,

IOANNIS MACCOVII,
SS. Theologiæ Doctoris & Profeſſoris,
p. m., die 2 Iulii, A. C. 1644.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

INDEX OPUSCULORUM.

Hocce Volumine contentorum.

I. Distinctiones Theologicæ ---------- pag. 1.
II. Theologia Polemica ---------- pag. 61.
III. Prælectiones contra Arminium ---------- pag. 299.
IV. Theologia Quæstionum ---------- pag. 339.
V. Theologia per Consectaria. ---------- pag. 451.
VI. Prima Falsa Pontificiorum ---------- pag. 505.
VII. " ——— Socinianorum ---------- pag. 549.
VIII. " ——— Lutheranorum ---------- pag. 577.
IX. " ——— Arminianorum. ---------- pag. 595.
X. " ——— Anabaptistarum ---------- pag. 615.
XI. Anti Eckhardus ---------- pag. 633.
XII. Anti Socinus ---------- pag. 697.
XIII. Anti Goslavius ---------- pag. 846.
XIV. Casus Conscientiæ Socin: & ---------- pag. 891.
XV. Contra Catechesin Socini ---------- pag. 913.
XVI. De Atheis. ---------- pag. 930 —.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Magnifice Rector, Profeſſores clariſſimi, Collegæ honorandi, Conſules graviſſimi, Paſtores venerandi, Doctores conſultiſſimi, experientiſſimi, Voſque nobiliſſimi ac lectiſſimi omnigenæ ſcientiæ & virtutis Studioſi cariſſimi.

PRænobile membrum Academiæ hujus, & Collegii Profeſſorum, amiſimus. Lugubre officium ex parte peregimus. Terrenum illud λείψανον, in quo melior ſubſtantia, Artificis ſui imaginem & ſimilitudinem gerens, dum à Domino peregrinabatur, ſub *ſervitute vanitatis* hæſit *invita*, terræ, cui ob peccatum debebatur, judici omnium, quando is è cælo, *cum celeuſmate* vivos ad tribunal ſiſtente, *cum voce Angelorum principis* & ſervos & hoſtes ſuos Angelos ad judicium cogente, *cum tuba Dei* mundo huic diſſolutionem indicente, pulveri bellum clarigante, ſitoſque in eo excitante, veniet, redditturæ, triſtes commendavimus. Pars illa officii neceſſaria fuit, quam veſpillonis propemodum totam adminiſtravit manus. Tegendæ ſunt humani corporis parietinæ, cum hoſpes animus domum ex hoc mundo receſſerit, ne quid niſi integrum ac venuſtum in hoc ſplendidiſſimo divinorum operum theatro, in hoc vitæ proſcenio delicatæ ſenſuum imbecillitati objiciatur. Et vero, ſi rem putamus, ita ſupremum Numen hanc viventium regionem à regione mortis diſcrevit, ut, dum in hoc inferiore mundo ludit ipſius ſapientia, aliam regionem lucis & gaudii, vitæque & incorruptionis in penetralibus ſuis, in ſupercæleſtibus, exſtare teſtificetur. Quem in locum primogenitus ex mortuis Chriſtus, intuentibus diſcipulis, tranſlatus eſt, ut fidem faceret noſtræ quoque ad illius æternum conſortium aſſumtioni. Quod ut doceret, atque ita ſe Deum viventium & non mortuorum eſſe,

Rom. 8.

1 *Theſſ.* 4.

1 *Cor.* 15.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

mortuoſque in Domino ſibi vivere teſtaretur, etiam ante adventum Servatoris, mortui cadaveris attactu aut ſocietate pollutos, & tanquam unius corporis membra putrefacti abſciſſione membri vulneratos, perque triſtitiam & luctum in mortis dictionem pertractos, ablui, ſacriſque cœtibus & feſtis pompis reſtitui voluit. Ita oſtendit, Regnum Filii ſui, Regnum vitæ eſſe, in quod mors poteſtatem non habet, & per depoſitionem exuviarum corporis hujus ad vitam veram aditum, eidemque, poſt exantla-
Rom. 8. tum creaturæ vanitatis ſervitium, ad immortalem vitam reditum eſſe paratum. Nam, quæſo, qui, nobis fructus lætitiæ eſſe integer ac ſincerus poteſt, qui, ipſi in momenta leti ſpiculis expoſiti, cariſſimorum quotidianis laceramur jacturis? quomodo poſſumus vel metum excutere vel carnis affectum exſurdare, niſi hinc ad meliores ſedes diſceſſio eſt, niſi corpuſculo huic certa reparatio eſt? Atqui volebat Deus, quos vel momentanea triſtitia tyrannidi mortis ſubjeciſſet, quam primum ablutos mœſtitiam exuere, & ad ſpem, conſolationem gaudiumque, & amœnitatum domus Dei, per quas Deus, velut in ſpeculo, gloriam ſuam & vitam immarceſcibilem, ad obſignandam beatæ viſionis Dei ſpem, repræſentabat, ſpectaculum poſtliminio revocari.

Nos igitur altero quidem officio, quod lex carnis noſtræ corruptibilis impoſuit, functi ſumus: Spolia mortis, non tam deſtruenda, quam in ſpem regenerationis conſervanda, utero
Iob. 2. Matris noſtræ credidimus. Reſtat alterum, ut ad hunc reverſi locum, qui ſacris commentationibus deſtinatus eſt, ea, quæ vitæ ſunt & ſalutis, quæque ad gratiam Dei in Collega hoc noſtro μακαρίτῃ operoſam, cujus & fructus & memoria perpetuabitur, tum quæ ad utilitatem noſtram pertinent, conſideremus. Brevibus agam & ſine phaleris, obſequens veteri inſtituto non tantum hujus Academiæ, ſed ipſorum Athenienſium & Romanorum, quibus decorum & utile in Rempublicam viſum eſt, poſt fata laudari, ſive bello ſive pace egregios. Et ſacra pagina tum Davidis in Saülem atque Jonathanem functos affectuoſum exhibet elogium: tum Jephtæ filiam poſt exſolutum patris votum anniverſaria celebratione ab Iſraëlitarum virginibus memorat honoratam: & barbararum quoque gentium, inter quas olim Germania noſtra, fuit, majores honeſtis ſtudiis claros carminibus ad poſteros vivacibus celebrare. Neque aliunde eſt πο-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

λυθεῖα pleraque. Caros ob beneficia, quos vita immortali dignos judicabant, quorum ſpiritus vivere & beatitudine affluere credebant, ut juvare propenſos & poteſtate quadam diviniore in meliori habitaculo pollentes adorabant. Quippe animis omnium erat inſitum, ut mentes ſapientia & virtute præditas non intermori, ita laudem benefactorum memoria conſervandam & ab interitu vindicandam eſſe. Nihil enim majus maximis laboribus & beneficiis incomparabilibus rependi poteſt grata memoria. Quam mercedem non exſolvere præſtantiſſimis viris, brutalitatis eſt. Et vero pertinet ad ipſos quoque hæc merces. Licet enim ipſi non ſentiant eas laudes, quas poſteritas retribuit; tamen, dum vivunt, animi ad virtutem & laudem connitentes antecedentium honeſta recordatione paſcuntur & exſtimulantur, & dum ſua decora æſtimationi aliorum & memoriæ commendant, honeſtiſſimam voluptatem, ut ex præſumtione bonæ famæ, ita ex præſenſione gratæ memoriæ, percipiunt. Quo præmio ſublato, parum abeſt, quin actum ſit de ſapientiæ ac prudentiæ omniumque virtutum ſtudio: proximumque, ut dum vel laudari putamus ineptum, vel meritos ingrati laudare negligimus, rarus reperiatur, qui nulla mercede velit facere laudanda. Maxime tamen intereſt, ne, quæ Deus in proximis anteceſſoribuſque noſtris benigne operatus eſt, oblivione ſepeliantur. Qualia in hoc noſtro μακαρίτῃ inſignia non pauca exſtiterunt.

Virum hunc præſtantiſſimum Polonia edidit, gentis fortiſſimæ prudentiſſimæque nutrix, quæ jampridem Muſulmanicæ ſævitiæ oppoſita jugum à vicinorum cervicibus avertit. Oſtendit eadem toti Eccleſiæ Evangelicæ, poſſe, ſalvo fundamento, fraternam pacem coli ab iis, qui ſtipulas quaſdam opinionum ac phraſium ita fundamento inædificant, ut eas pro Idolo in Eccleſia non collocent; illiſque non obſtantibus fieri poſſe, ut eodem canone fratres incedant. Cujus rei conſenſus Sendomirienſis teſtis eſt, aliis Eccleſiis implacabile odium & rupturam fraternæ conglutinationis exprobrans. Largita eſt eadem præter alios excellentes viros Nobiliſſimum Virum Joannem à Laſco, vicinæ Emdenſis Eccleſiæ (unde & noſtra hæc Friſia Eccleſia crevit) inſtauratorem ex præcipuis: quem falſi nominis clerus *carnificem ſuum* vocitabat. Ita placet ſæpe Deo, neglectos domi, foris extollere, & veluti herbam, ſabuloſo ſcrupoſoque tardius provenientem ſolo, fœcundiori gremio inſertam lætiori germinatione edu- *Iob. 8.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

care. Porro & contemperanda ſunt gentium ingenia, & inter populorum neceſſitudinem cognitione veritatis fermentanda, donec tandem uno humero à proximis remotiſſimiſque unus colatur in Chriſto Deus.

Ortus eſt Lobzenica urbe majoris Poloniæ haud ignobili, non longe Poſnania, parentibus nobilibus, SAMUELE MAKOWSKI, & MARGARETA SEKLEWSKA. Sororem habuit natu majorem, Admodum Reverendo Viro MARTINO ORMINIO, Eccleſiarum Confeſſioni Helveticæ addictarum per majorem Poloniam quondam Superattendenti vigilantiſſimo, nuptam: Fratres JACOBUM & SAMUELEM, hunc Medicum, felicis & celebratæ per urbes Boruſſiæ praxeos, multis primariis viris cariſſimum; illum urbis Thorunienſis Syndicum clariſſimum. Magnum ad virtutem, ut adjumentum, ita calcar habent, quibus parentum nobilitas & exemplar exhibet, & gradum ad majora ſtruit. Utinam vero non pleriſque Nobilitatis nomen occaſio eſſet vanitatis ſtudiorum atque affectuum, quæ ipſos humi proſternit, ſi non in barathrum præcipitat. Noſtro certe, ut & aliis præcellentiſſimis Eccleſiæ Reformatæ luminibus, Junio, Polano, Sadeëli, aliiſque tum mortuis tum vivis, quæ Dei ſingularis directio eſt, impedimento non fuit, quominus ad divina ſtudia amplectenda totum ſe transferret. Non ſane multos nobiles & coram mundo excellentes ita vocat Deus, ut eos pauperibus præferat. Attamen nullus ordo eſt; quem Deus aſpernatur: nullus, qui ſe Deo non debeat conſecrare, & ad emolumentum proximi atque Eccleſiæ ædificationem impendere. Et habent nobiles atque honorati talentum præcipuum ingens, quo ſaluti aliorum fenerato Deum glorificare poſſunt; ni faciant, gravem Deo redditurí rationem.

Natus, ut ſæpius narravit, ὁ μακαρίτης, anno ſuperioris ſeculi LXXXVIII, paulo ſerius ad ſtudia acceſſit. Ita primæ & florentiſſimæ ætatis, quæ omnium ſcientiarum ſeminibus excipiendis, imprimiſque linguis, quæ ἐπιστημῶν θύραι non immerito appellantur, perdiſcendis molle præbet ingenium, jacturam paſſus eſt. Quod etiam mihi familiariter conqueſtum memini.

Quam tamen ille jacturam tum ingenii acumine, tum diligentia, quantum ejus potuit fieri, penſavit. Nam à parentibus Dantiſcum miſſus, vix literaturæ initiatus, parvo tempore & in Linguæ Latinæ ſtudio, & in Philoſophiæ curriculo, ſub Bartholomæo

Kec-

Keckermanno, clariſſimo Philoſopho, cujus opera ea ſtudia plurimum ſunt illuſtrata, ita profecit, ut & inter æquales eruditione, & imprimis diſputandi ſolertia, quod & ab iis, qui eo tempore cum ipſo in eadem verſati ſunt diſciplina, accepiſſe memini, celebris fuerit, & in Poloniam reverſus, dignus habitus ſit, qui Generoſis Sieninſciis gubernandis præficeretur. Cum quibus Pragam profectus, Jeſuitas, qui inter ſuos admodum ſubtiles habentur, & vero callidiſſimi haberi merentur, in diſputationis certamine adoriri non detrectavit. Rurſus in Poloniam regreſſus, Lublini imprimis, ſæpe cum Socinianis, hæreſi veteri-nova, qua nulla peſtilentior reperiri poteſt, tum maxime pullulante, & Socini ſcriptis recens publicatis innoteſcente, non infeliciter diſceptavit: Factus ad hoc natura, ut, quod judicaſſet, firmiter amplecteretur, non ambigue explicaret, acriter defenderet, & ab oppoſitionibus acute & ſtudioſe, ſubſerviente Philoſophiæ peritia, & facili eloquio, vindicaret. Poſt illa Heidelbergam venit, & quum Jeſuitæ Spirenſes Barthol. Coppenium ad colloquium provocaſſent, neque is à Principe veniam eundi impetraret, pro illo Spiram ad Jeſuitas profectus eſt veritatis defendendæ cauſa. Marpurgi quoque Clariſſimo Theologo & Philoſopho Joanni Combachio ſeſe applicuit. Lipſienſis, Wittenbergenſis, Jenenſis Academiarum lumina, imprimis Balthaſarem Meiſnerum, & Jacobum Martini, viros magnæ eruditionis & famæ, cognovit. Qua in peregrinatione magnum cumulum eruditionis collegit, plurimiſque exercitiis atque colloquiis animum acuit, doctrinamque ſolidavit; longe aliter animatus atque illi νοήμονες αὐτοδίδακτοι, quos Gregorius Nazianzenus ἡμιφαεῖς καὶ φθονεροὺς, πηγὴν κεκρυμμένην, λύχνον σκοτίοις ἐνὶ κόλποις, hoc eſt, *Semilucidos, invidos, fontem abſconditum, lucernam tenebricoſam* appellat, qui ſibi ipſis, malis magiſtris, ſeſe in diſciplinam tradunt, nullos audiunt, nullos interrogant, nihil magis verentes, quam ne, quod nunquam didicere, videantur neſcire. Denique noſter anno hujus ſeculi decimo tertio, d. 21 Octobris, in hanc Academiam, portum ſtudiorum & palæſtram ingenii, venit, adducens una ſecum Generoſos Joannem Demetrium & Chriſtinum à Gorai Goraiskios fratres, quorum ſtudiis præfectus erat. Ibi cum ſe probaſſet Clariſſimis Profeſſoribus poſt accuratum Examen & Diſputationem de Eccleſia publice propoſitam, Doctoris in Theologia titulum, promulgante Clariſſimo Viro Sibran-

brando Luberto p. m., cum luculentiſſimo teſtimonio facile impetravit, die 8 Martii anni decimi quarti. Ita ingens præmium diligentiæ tulit, ut non multis annis ex tirone Doctor Theologiæ, & mox Profeſſor ejuſdem Facultatis factus ſit. Nam quum ipſius acumen & eruditio & induſtria Magnificis Dominis Curatoribus innotuiſſent, in ſpem ordinariæ Profeſſionis, extraordinarius Sacro-Sanctæ Theologiæ Profeſſor, Anno Chriſti 1615, die 1 Februarii, deſignatus, in ordinarii Profeſſoris axiomate, proximo anno 1616, tanquam Clariſſimi viri D. Henrici Antonidæ vander Linden, Anno 1614, eoque triceſimo poſtquam hanc Academiam dedicaverat, pie denati ſucceſſor, adjecta Profeſſione Phyſica, confirmatus eſt.

Hoc nobile ſedulitatis & diligentiæ felicis exemplum Vobis
Proverb. 10. propono imitandum, Optimi Juvenes. *Pauper erit, qui facit manu doloſa: ſed manus induſtriorum ditat: Colligit æſtate filius prudens: dormitat in meſſe filius degener.* Spectate, quid valeat diligentia paucorum annorum; quid ingenium, ubi intenditur, poſſit aſſequi; quid memoria exercitata comprehendere; quid conſulendi, audiendique ſolertia adjiciat; quid legendi aſſiduitas conferat. Ego quidem certe ſcio, ſciunt Collegæ mei honorandi, ſciunt, qui ipſum tanto tempore audiverunt, & ſcripta demonſtrant, eum omnis propemodum Philoſophiæ peritum fuiſſe, maximam auctorum varietatem cognoviſſe, hiſtoriam exacte tenuiſſe, in lingua Latina expeditum, in Græca ac Hebræa verſatum, & quanquam, quod ſæpe, ut dixi, deplorabat, eas linguas Sanctas (ſic eas appello, non quod ullam linguam alia ſanctiorem exiſtimem, ſed quod in eis Verbum Dei Eccleſiæ traditum eſt; Neque eis hoc elogium extra Scripturæ uſum tribuo, qui omnino linguam nullam propter ſe diſcendam arbitror; Turpiſſimum enim eſt, rebus relictis, conſeneſcere in verbis) quanquam, inquam, eas, quas ſupra plurimos aſſequebatur, ita, ut optabat, penitius noſſe per ætatem non poſſet, eum tamen magna animi contentione in lectione Auctorum optimæ notæ animadvertiſſe, annotaſſe & retinuiſſe ea, quæ ad veram interpretationem Scripturæ pertinebant, ut multos in ſtuporem dederit. Sed quo ille ſe imperfectum hac in parte (quod eruditorum eſt, qui nunquam ſatis ſe putant didiciſſe, quæ tenenda & in omnem rem utilia ſunt) agnoſceret, eo diſcipulos ad majorem diligentiam hiſce ſtudiis impendendam acuebat & impellebat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

dictitans, eos, qui ſolis interpretibus nituntur, in alieno cerebro habitare.

In profeſſione ſtetit annos viginti novem & menſes fere quinque. Collegas ex duodecim Profeſſoribus Theologiæ habuit novem, duobus præmortuis, videlicet D. Martino Lydio, Anno Chriſti 1601; D. Antonide, Anno Chriſti 1614. duobus ſuperſtitibus, qui ut in hoc ſtadio cum bona conſcientia ad coronam aſpirare poſſint, & ipſi Deum ſerio orant, & veſtris votis ac precibus adjuvari contendunt.

Recturam geſſit bis; Anno Chriſti 1617, & 1633.

Inter Doctores, quos ſex ſeptem (quantum ex matricula conſtat) appellavit, primus eſt Nobiliſſimus & Clariſſimus Vir, D. Conſtantinus l'Empereur ab Oppyck, creatus Anno Chriſti 1617, die 24 Martii, Profeſſor Theologiæ primum in Gymnaſio Harderviceno, deinde Hebraïcæ & Chaldaïcæ Linguæ & Controverſiarum Judaïcarum in celeberrima Academia Lugdunenſi, amicus ſummus & popularis meus, quem ultimo Doctorem ex voluntate Collegarum appellavit, quum pridie profeſſionis ſuæ natalem tranſegiſſet. Uxores tres lectiſſimas in matrimonio habuit, primam, Nobiliſſimi Viri D. Romberti Ulenburgii, Senatoris: Alteram, Clariſſimi Viri Raphaëlis Clingbylii in hac Academia Medicinæ Profeſſoris; Tertiam, Viri Ampliſſimi Frederici à Bonnama, Ex-Novem-Viri & Ex-Conſulis Harlingani, filiam, quæ maritum cariſſimum vidua luget. Cum uxoribus concorditer & amanter vixit, eaſque honeſtiſſime habuit.

Toto curſu profeſſionis ad extremam uſque lineam diligentia inſtitutionis publice privatimque m inuit; humilis, &, ſi converſationis rationem ſpectares, ſui contemtor, comis, apertus & obvius Studioſis, qui ipſi ſe applicabant, ideoque ipſis cariſſimus. In ſententia explicanda candidus & minime tergiverſator fuit, in exponenda ac defendenda eloquens, promtus, acutus, acer.

Incidit ipſius curſus in tempus durum atque difficile, aſperum non modo bellis ex cauſa politica inter paucos geſtis, ſed propemodum generali orbis Anti-chriſtiani contra Eccleſiam motu: calamitoſum everſione regnorum, diſſipatione Eccleſiarum, deſtructione Academiarum & Scholarum: abominabile morum improbitate, religionis penuria, caritatis frigore, odiorum implacabilitate, defectione plurimorum à cognita veritate, alio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

rum cum cœtu Impiorum in factis aut dogmatis fornicatione. Inventi ſunt intra Eccleſiæ Reformatæ parietes, qui primum occulte, deinde aperte Libertiniſmum parturirent, hoc eſt, Eccleſiam novam ex omni hominum genere Chriſtum ore appellantium conflatam, ſubditam non capiti ſuo, ſed tyrannis, in qua præter veritatem gratiæ Dei, omnia ſentire, credere ac docere liceret, quæ quis ulla vel literæ ſcripturarum vel traditionis ſpecie novaturienti ingenio approbare poſſet: liceret abnegare ac labefactare, quodcunque ulla ratiuncula vel cavillatione Scripturæ eludere ſibi poſſe videretur. Quod inſtitutum conciliationem & pacem Eccleſiæ vocitarunt; prætexentes ſuis inventis primo prophetandi libertatem, ad omnis doctrinæ admiſſionem; deinde libertatem arbitrii, ad evertendam gratiæ liberationem. De quibus vere dixit Apoſtolus Petrus, quaſi digito illos deſignans:
2 Petr. 2. 17, 18, 19. *Hi ſunt fontes carentes aqua, nubes procella agitatæ, quibus caligo tenebrarum in ſeculum ſervatur. Nam prætumida vanitatis loquentes illiciunt, in cupiditatibus carnis, in laſciviis, hos qui vere effugerant eos, qui in errore verſantur: Libertatem illis pollicentes, ipſi ſervi corruptionis.* Quid enim eſt, quæſo, hominibus recens quidem ex regno ſeductionis, erroris ac impietatis, & communione hominum, ſeductione ſuperſtitionis & idololatriæ faſcinatorum, egreſſis, ſed adhuc non ſatis ad Chriſtianam pietatem reformatis, non hoc inculcare, quod Moſes Iſraëlitis recens ex Ægypto eductis inculcavit; *Nondum dedit vobis Dominus mentem ad cognoſcendum, & oculos ad videndum, & aures ad audiendum, uſque in diem hunc*: ne ſcilicet, quia errores aliquos agnoviſſent & miſeros idololatras ac ſuperſtitioſos irridere cœpiſſent, ideo ſe plane liberos Satanæ nexibus putarent, ſi non cupiditatibus & laſciviis nuntium miſiſſent, eamque Gratiam ſupra veritatis manifeſtatæ & agnitæ beneficium ſeriis precibus à Deo impetraſſent: ſed illis tantum non pleno ore prædicare; Primo, Omnium expiatis peccatis, omnes liberatos eſſe, Habere illos vires reſipiſcendi & credendi, quandocunque velint, atque adeo liberos eſſe ad ſtandum æque ac cadendum; ſi aſſenſerint veritati & cum gaudio & voluptate eam receperint (quod & horariis adſtipulatoribus tribuit Scriptura), vere juſtos eſſe; Nihil eſſe fidem radicatam in Deo aliud, quam quod & illi habent: Non quærendam eſſe fidem, quæ deficere non poſſit, quæque certum faciat hereditatis: Sic modo permaneant; Quod quin futurum ſit, ſi ipſi velint meliori vitæ aſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

aſſueſcere, dubitandum non eſſe; Excutiendum eſſe jugum illud grave doctrinæ de Liberatione Gratioſa per Filium Dei & Spiritum Sanctum, ſine quo nihil poſſunt facere; Ea doctrina homines in concupiſcentiis viventes terreri & ad deſperationem adigi: contra maxime conſolationis pleniſſimum verbum eſſe, quo ſciant homines nihil ſibi nociturum, niſi ipſi nolint ſalvi eſſe, ut omni momento confidant, ſe poſſe ad Deum accedere, & ex peccatis reſurgere. Deinde, Liberas debere eſſe prophetias. Quaſi nulla ſanorum verborum hypotheſis, non una fides, non certus canon, non certa forma doctrinæ ſecundum pietatem eſſent; Quid, inquam, hoc, quæſo, aliud eſt, quam homines in ſuis cupiditatibus & laſciviis PROMISSIONE LIBERTATIS INESCARE? In tali igitur Eccleſiæ exagitatione Noſter ὁ μακαρίτης minime fuit canis, qui latrare neſciret, ſed pro Gratiæ veritate ſtrenue pugnavit. Quemadmodum autem ex talibus contentionibus propter humanam infirmitatem malæ ſuſpiciones, odia, diſſidia, oriri ſolent; ita noſtrum quoque μακαρίτην propter infirmitatem carnis multas amaritudines expertum eſſe, minime mirandum eſt. Habent hoc etiam acria ingenia, ut, quantumvis bonæ cauſæ patrocinentur, immoderatius tamen nonnunquam agere videantur. A qua labe Reformatores primi, ut Lutherus, Calvinus, Beza, ſe immunes non fuiſſe ſerio deplorarunt. Quibus hoc ſæpe accidit, quod generoſis canibus ſolet (liceat enim hanc ſimilitudinem ex Sacris literis eo uſque extendere), qui, dum altorum domicilia cuſtodiunt, nullos ignotos, licet amiciſſimi fuerint, non allatrant: Ita & hyperaſpiſtæ veritatis (à quibus latratum exigit propheta Eſaias, tanquam cani- *Eſai. 56.* bus gregis cuſtodibus) dum ab hoſtibus altercatione agitantur, dum in conflictu toti ſunt, ſæpe ad ſe ipſos non ſatis attendunt, & adverſus innoxios quandoque incaſſum aſperitate atque acrimonia utuntur. Vel ut in æſtuoſo pelago, ſi navis in ſyrtes inciderit, dum in prora, in puppi, in omni parte contos, remos, vela, rudentes moliuntur navales ſocii, ubi plerumque ſalus navis ἐπὶ ξυροῦ ἀκμῆς, *in acie novaculæ*, quod dici ſolet, conſiſtit, unus alteri inclamare, imperare, iraſci, mutuo ſe increpare, non alio animo, quàm ut ſalvi omnes ſint: ita, dum Eccleſia periclitatur, ſocios ejus defendendæ, dum unus alteri non ſatisfacit, ſibi invicem iraſci, plane mirandum non eſt. Qualia, ut diſſimulanda non ſunt, ita condonanda infirmitatem ſuam agnoſcentibus:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

bus: quum ſciamus, neminem noſtrum eſſe, quem non ſua quoque infirmitas aliqua labe polluat.

Sic igitur τῷ μακαρίτῃ curſus in hac vanitatis orcheſtra exactus eſt, donec illum Imperator omnium Deus à ſtatione hac ſua revocavit domum, à labore ad quietem, ab amaritudine ad plenum gaudium & gloriam.

Ultimis annis ipſum primo podagra, deinde tuſſis & aſthma, vexavit. Hinc languor. Acceſſit his malis ab hepate indurato aqua intercus. Acuta febris decimo, poſtquam invaſerat, die, nimirum hora ſecunda poſt mediam noctem, die Lunæ ante octiduum, telam vitæ abrupit.

Inter hæc beatam ἀνάλυσιν & quietem cæleſtem meditatus eſt. Sentiebat enim, ſe ad buſtum approximaſſe. Ipſa verba ejus reddo. Denique ad mortem, reſignata hujus vitæ dulcedine, ſe compoſuit: ſenſibus animi plerumque utens integris, frequentes orationes expetens, ſuoque voto excipiens; placidus, abſque omni impatientiæ ſigno, confeſſus amicis inviſentibus infirmitates ſuas, eaſque deplorans.

Sic finivit Collega noſter μακαρίτης prope triginta annorum in Profeſſione labores ac certamina, quinquaginta ſex annorum miſeriam, ſuperſtitibuſque luctum ſimul ac monelam reliquit.

Pſalm. 90. Omnibus quidem, ut mature oremus Deum, qui nos ſic erudiat, ut numerantes dies noſtros timeamus ipſum, & cor ſapiens afferamus. Meditari mortem, vera Philoſophia eſt: Non ut illi, *Eſaï.* 22. qui dicunt, *Comedamus, bibamus, quia cras moriemur.* Quod peccatum, donec moriantur, hoc eſt, nunquam, expiatum iri aſſeverat Deus apud Prophetam: Neque ut illi, qui mœrent & cruciantur, tanquam ſpem non habentes: ſed ut timeamus Deum, ut integro animo ſerviamus ipſi, ut deliciemur in ipſo, ut ſuccincti lumbos exſpectemus ipſum, ut adventum ejus votis & deſideriis cæleſtis vitæ acceleremus: eoque fine ad preces ſobrii ſimus: Interim opus Domini faciamus ſine dolo & ignavia; noſque mutuo ad id faciendum animemus, adjuvemus; labores, moleſtias, tædia, offenſas, leviter feramus, mutuo condonemus. *Pſalm.* 39. *Ah! quis eſt finis noſter? quæ menſura dierum noſtrorum? quam nihil ſumus? Ecce palmares dediſti dies noſtros, & luculentiſſimum ævum noſtrum ut nihil eſt coram te? Certe vanitas eſt omnis homo ſtans! Qualis eſt vita noſtra? Vapor, qui parvo tempore apparet, & ſtatim diſparet.* Quid imus perditum tam breve tempus noſtrum, quod divi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

divinæ gloriæ & ſaluti, tum noſtræ tum Eccleſiæ, fœnerandum eſt? S. Paulus non habebat, cur vivere mallet, quam mori, niſi Eccleſiæ utilitatem? Ah! quid poterit lucrari hypocrita, etiamſi totum mundum lucretur? Quid ſpei habebit, quum Deus è lacunis corporis animam mundanis concupiſcentiis impuratam, & vitiis juvenilibus ad ſenectam permanentibus imbutam, extrudet? Numquid poterit dicere cum Pſalte:

At me benignus de baratri cavo
Specu redemtum *ſuſcipiet Deus?*

Si quid moleſtum ſit carni noſtræ, ſi quis injuriæ perculerit turbo, vel obtrectationis ſuſurrus ſtrinxerit, quid recalcitramus, quid ſupera infera movemus, cur animus Oceano magis æſtuat ac tumultuatur? Solvetur brevi hæc ſcena, mox liber eris à populi ſanna, mox inter Angelorum choros, inter myriades beatorum ſpirituum ſincero frueris gaudio. Videbunt enim regem in pulcritudine ſua oculi tui, quem intra te habitantem mundus odit & ſubſannat. Totum hoc miſeriæ theatrum quamdiu erit? Quoties quàm parvo intervallo populus integer fatiſcit & tranſit! Specta iſtas Profeſſorum ſedes. Non integro octennio, quo Deus mihi hunc dedit peregrinationis meæ locum, octo Profeſſores hinc ad meliores tranſlati ſunt. Ruit hora. Et me & te, quiſquis pateris, brevi excipiet Deus, vel quem pateris, expellet.

Vobis, Optimi Juvenes, imprimis qui vos ſacris ſtudiis conſecraſtis, præter exemplum diligentiæ, quod antea propoſuimus, reliquit ὁ μακαρίτης monelam, uti, conſiderantes hujus vitæ brevitatem, vos ſtudioſe excitetis præparetiſque ad frugem agri Dominici verbo & vita augendam: divinum illud depoſitum voti Deo in Eccleſia ipſius miniſtrandi, quod vobis parentum voluntate, procerumque judicio, præceptorum allaboratione, omnium exſpectatione commendatum eſt, tueamini, foveatis, & cum Timotheo quaſi in vivam & lucidam flammam eventiletis: cogitantes, fore aliquando tempus, quum Eccleſia pro optima diſcendi occaſione & pro maximis adjumentis fructum à vobis repoſcet; quum vobis in ſtationem eorum, quos vel labor quotidianus vel tædium ingratitudinis multorum fregerit, enervaverit atque enecaverit, ſuccedendum erit, ut poſſitis Spartam eam cum honore exornare, ne habeat mundus ſuper vobis conqueri, quod eſt apud Prophetam: *Non parturivi, & non peperi, & non educavi juvenes, extuli virgines,* hoc eſt, Ne mundus, imo Eccleſia,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ſe ſterilem aliquando miretur, quæ nec juvenes in Domino, neque virgines caſtitate ſpiritus ornatas extulerit. Præ omnibus autem vobis commendamus ſtudium illius ſcientiæ, quæ conſcientiam ædificat, cujus non tam admiratio in hoc mundo eſt, quam fructus & laus in cælo perennat: cujus ſcientiæ fons unicus eſt *Os*
Proverb. 2. *Dei*; theſaurus, *timor Dei*. Licet enim in omni Ægyptiorum aut
Eſai. 33. Babyloniorum ſapientia excellueritis, quid hoc vos juvabit, quum paulo poſt Ægyptiacæ ac Babylonicæ ſapientiæ nullus fructus erit, nulla admiratio, nulla recordatio? Brevibus enim ſpatiis humana includuntur, at *Verbum Domini Manet In Aeternum*.

Cum his moneſis vos dimitto, Præſtantiſſimi Auditores, vobis ingeminans illud Apocalypſeos, Et ſpiritus & ſponſa dicunt: Veni: & qui audit, dicat, Veni. Dicit Dominus; Næ venio cito. Amen. Næ veni, Domine Jeſu.

IN

Tumulum & Scripta poſtuma

Nobiliſſimi ac Clari Viri,

D. JOANNIS MACCOVII,

Theologi incomparabilis.

Eruditione, nobilitate, ſanctitateque
Vitæ, avara ſi moveri Parca poſſet, obrutus
Hac humo MACCOVIUS *haud jaceret: Ille ſed, patens*
Lucidas præferret uſque dum Polus nocti faces
Lucis almæ, veſceretur lætus aura heic ætheris.
Eruditione, nobilitate, ſanctitateque
Vitæ, avara ſed moveri Parca neſcit; noſter hac
Ergo humo MACCOVIUS *obrutus jacet; totus tamen*
Haud jacet: quod ortum humo eſt, tantum heic jacet; ſublimia
Aſtra Spiritus tenet beatus; ac tanti Viri
Fama, Lucubrationibus ſtupendis ipſius
Comparata, vocis haud eget meæ præconio, aſt
Orbe toto ſat celebrabitur in horas ſingulas.

αὐτοσχεδίαστ

FRANCISCUS MANTÆUS, Junior.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Ad Reverendum & Clariſſimum Virum,

D. NICOLAVM ARNOLDVM,

Opera Poſtuma Nobiliſſimi Theologi,

D. JOANNIS MACCOVII,

Profeſſoris olim Franekerani celeberrimi, Edentem.

QUi genus & dotes claro cum pectore junxit,
  Et fama tetigit laudis utrumque polum,
MACCOVIUS, merito vivit, cum vivere ceſſat.
  Nam nihil à tumulo quod vereatur habet;
Ingenii cujus monumenta loquuntur aperte;
  Præmia doctrinæ non moritura ſuæ:
Nec moritura unquam. En qua cura adjutus, & arte,
  Non ſinit ARNOLDUS præmia tanta mori.
Dum clare præclara ſui monumenta Magiſtri
  Edit, & hoc dictum comprobat egregie:
Imbelles, aquilæ nunquam genuere, columbas.
  Quid valet effectus; jam didiciſſe licet.
Scilicet ex illo cauſæ ſua gloria pendet,
  Ut bene fœcundo qui bona gignit agro.
Perge dare inſignes, in publica commoda, fructus,
  Quos quicunque capit, talia vota dabit.
Crede mihi, multum de poſteritate mereris,
  MACCOVII dederis quod monumenta foras.
Illius eſt etenim ſeges; ut ſic dicere fas ſit.
  Meſſis at hæc merito eſt, ô NICOLAE, tua.

JOANNES AUDZIEIEWICIUS, Lithuanus,
in Eccleſia Vilnenſi Miniſter.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

JOANNIS MACCOVII

DISTINCTIONES THEOLOGICÆ.

CAPUT I.

De Sacra Scriptura.

I. *V*Erbum Dei accipitur vel pro Scriptura, & dicitur verbum Propheticum, vel pro Filio Dei, quatenus eſt, & dicitur verbum ἔμφυτον, internum, ut Joann. 1. 2, 3, 4. Illud verbum eſt verbum* accidentale, *hoc* eſſentiale.

II. *Verbum Dei dicitur prima veritas, non* eſſentialis; *nam ita Deus eſt prima veritas, ſed* normalis; *hoc eſt, eſt regula prima omnium credendorum & faciendorum.*

III. *Verbum Dei dicitur immediate à Deo profectum,* ratione ortus, *quia ſcilicet Deum immediate auctorem habet: non autem* ratione promulgationis; *nam Deus verbum ſuum per Prophetas & Apoſtolos promulgavit.*

IV. *Verbum Dei ex accidente jam majorem, jam minorem auctoritatem habet.*

Nam, ſi ex verbo Dei commoneſiat aliquis ab aliquo privato, qui hoc facit ex officio, peccat quidem ille quod non obtemperat: At magis peccat, ſi commoneſiat ab aliquo, cui auctoritas ad hoc data eſt: verbi gratia, ſi non obtemperet Miniſtro verbi divini. Maxime autem peccat, ſi ipſe Deus ſit, qui immediate moneat. Atque hinc intelligitur illud Hebr. 2. 2, 3, 4. *Etenim ſi per angelos dictus ſermo fuit firmus, omniſque tranſgreſſio & contumacia juſtam mercedis retributionem retulit; quomodo nos effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem?* quæ quum *primum enarrari cœpit per ipſum Dominum, ab iis qui ipſum audierant, fuit nobis confirmata: Teſtimonium illis præbente Deo, & ſignis & prodigiis variiſque virtutibus & Sp. S. diſtributionibus pro ſua voluntate.*

V. *Eccleſia dicitur columna veritatis* Politica, *non* Architectonica.

Hoc eſt, non dicitur columna quod innitatur ei tanquam fundamento veritas verbi divini; ſed quod verbum Dei ipſi traditum ſit, & in ipſa reperiatur, quemadmodum ſcilicet Principum edicta columnis affigi ſolent.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

VI. *Nemo tenetur credere Eccleſiæ, niſi cum verbo Dei conſentiat.*

VII. *Scripturæ Auctoritas innoteſcit nobis* teſtimonio externo, *Spiritus Sancti*; *&* interno, *ſcilicet notis & criteriis verbo inſitis.*

Eſt autem teſtimonium Spiritus S. non ecſtaſis vel enthuſiaſmus; ſed lux quædam ita mentem perfundens, ut eam leniter afficiat, oſtendatque rationes ipſi rei inſitas, ſed antea occultas.

Obj. 1. Si ex teſtimonio Spiritus Sancti conſtat, verbum Dei eſſe verbum Dei, cur ergo non omnes Evangelici in omnibus dogmatibus conſentiunt? *Reſp.* Quia non omnibus eadem Spiritus menſura admenſa eſt.

*Obj.*2. Circulum committi. Quærenti enim quomodo verbum Dei agnoſci poſſit? reſp. Ex teſtimonio Spiritus S. Dum vero interrogamur, unde teſtimonium Spiritus Sancti agnoſcamus verum eſſe; ad Scripturam recurrimus. *Reſp.* Non utimur teſtimonio Spiritus Sancti *ut argumento*, ſed id tantum proferimus, ut profiteamur cæcitatem noſtram, & cui debeamus acceptum ferre, quod veritatem verbi agnoſcamus. Sicut ſi quis quærat ex ſapiente Viro conſilii aut aſſenſus ſui rationem, non proferet is tanquam argumentum, animi ſui motum, ſed inſita veritatis, rei quam aſſerit, argumenta, quorum inventionem profitebitur profectam eſſe à mentis luce, cujus, niſi plane impius ſit, Deum auctorem agnoſcet.

VIII. *Probat ergo ſe ipſam Scriptura, non argumento* interno, *ſed* externo, *hoc eſt, non* auctoritative, *ſed* ratiocinative; *quia ſcilicet ipſi verbo inſunt talia, ex quibus certo auctoritatis divinæ eſſe agnoſcitur. Sic gemma nobilis probat ſe ſuis effectis.*

Argumenta inſita iſta ſunt: Cæleſtis doctrinæ Majeſtas, orationis ſimplicitas, divinitas, puritas; partium omnium inter ſe conſenſus, antiquitas, admiratio in quam nos rapit, tot & tam inſignia miracula ad confirmationem Verbi facta; vindicatio librorum ſacrorum divina, à rabie hoſtium & Satanæ; mirabile prophetiarum complementum, conſenſus Eccleſiæ; ſanguis Martyrum; ipſorum denique ſcriptorum vilis conditio.

Obj. Evangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ moveret auctoritas. Auguſtinus. *Reſp.* Auctoritas vel *imperii* eſt, vel *dignitatis*. Auctoritas Eccleſiæ, qua motus fuit Auguſtinus ad credendum Evangelio, non fuit imperium & jus quoddam; ſed Eccleſiæ dignitas, magnis & illuſtribus divinæ providentiæ argumentis, in Eccleſia conſervanda comprobata, ita ut in eo digitum Dei agnoſceret.

IX. *Auctoritas Sacræ Scripturæ cognoſcitur ex iis, quas diximus notis; verum non ſemper ex una aliqua, ſed ex pluribus, aliquando etiam ex omnibus.*

Adverſarii, Pontif. ſcil. dum agimus de notis ex quibus cognoſcitur Scriptura, eſſe verbum Dei, dilacerant iſtas notas, & ſigillatim proponunt, & ita ad illas reſpondere volunt; ſed hoc valde inepte: Nam dum nos dicimus, notas iſtas eſſe verbi divini, videl. miracula, prædictiones futurorum &c. Illa ita accipi debent, ut non ſeorſim accipiantur, ſed conjunctim, & ita ex illis judicium fiat de auctoritate verbi Dei.

X. *Quicquid in verbo Dei eſt, habet auctoritatem divinam, vel quia Deum auctorem habet, vel quia divinitus ad uſum adhibetur.*

Ita, verbi gratia, doctrina Evangelii eſt à Deo, quia Deus auctor ejus eſt: Ita Relatio quæ fit de ſceleribus hominum, de dictis & factis, habet auctoritatem divinam, quia à Deo refertur. Ita Ethnicorum poëtarum dicta, quia Deus ipſis utitur tanquam veris, ob uſum iſtum, habent auctoritatem divinam.

XI. *Aliud eſt noſſe, hunc vel illum librum eſſe canonicum; aliud, ab hoc vel illo auctore eſſe conſcriptum.*

Pontif. ſolent ex nobis quærere, Quomodo novimus, Evangelium Matthæi eſſe Evangelium Matthæi,

Matthæi, aut Lucæ, Lucæ? *Reſp.* Si quæratur de eo, quomodo ſciamus, hos libros eſſe canonicos; tum dicimus ex argumentis inſitis, quæ nim. iſtis inſunt. Atque ita diſtinguere nos fidem, qua credimus, Librum eſſe canonicum; & qua credimus, ab hoc vel illo auctore ſcriptum. Nam hoc tantum eſt fidei hiſtoricæ; proinde nemo periclitatur de ſalute, ſi non credat à Matthæo ſcriptum, modo credat eſſe canonicum, à Sp. Sancto profectum.

XII. *Verbum Dei canonicum ſive authenticum eſt, & quoad* verba, *& quoad* res; *quoad* verba *in lingua Hebræa & Græca, quoad* res *in tranſlationibus.*

Eſt ergo authentia vel *verborum* vel *ſenſus. Illa* linguis, *hæc* tranſlationibus reſpondet. Aliqui diſputant, an verbum Dei, quod in tranſlationibus eſt, ſit vere divinum? *Reſp.* Certe eſt quoad *res*, niſi forte alibi male verſum; attamen quoad *verba* non eſt, Deus enim Hebraïce & Græce dictavit. Hinc Sp. S. omnes homines in Iudæos & Græcos diſpeſcit. Cauſa hujus rei nulla dari poteſt, quam quod omnibus extra Iudæos verbum Dei ſit Græce ſcriptum.

XIII. *Scriptura differt à verbo Dei in ſe conſiderato, ut* accidens *à ſuo ſubjecto. Fuit enim verbum Dei antequam Scriptura eſſet; & erat, cum Scripturæ uſus nullus foret.* Matth. 5.18.

XIV. *Scriptura neceſſaria eſt, non* abſolute, *ſed ex* hypotheſi *mandati divini.*

XV. *Scriptura perfecta eſt, tum quoad* materiam, *tum quoad* formam.

Forma dicitur methodus, materia autem res ipſa. Sciendum eſt, duplicem eſſe methodum S. Scripturæ, nim. *totius* Scripturæ, & *partium* quarumdam. Totius Scripturæ eſt methodus *hiſtorica*; Partium autem methodus *diſciplinaria* ſive arbitraria. Solet enim Spiritus Sanctus ita res tractare, ut ea afferat, quæ ſcit conducere rei iſti explicandæ, & probandæ, aut etiam improbandæ, item eo ordine quo ipſi placet, ut videre eſt in Epiſtolis Paulinis.

XVI. *Perfecta eſt Scriptura, non quod res omnes perfecte, de quibus agit, quoad literam tradat; ſed quod eas in tantum exprimat, in quantum ad ſalutem nobis ſcitu neceſſaria ſunt.*

Dici poteſt perfecta, non *adæquate ad objectum*, ſed *adæquate ad finem*; nam ſunt quædam de quibus Scriptura agit, quæ non poſſunt exprimi ad captum creaturæ adæquate, qualis eſt, Deus, incarnatio Filii Dei, & quæ talia quæ nobis refert Spiritus Sanctus, non ut ſunt in ſe, ſed ut à nobis capi poſſunt.

XVII. *Perfectio Scripturæ alia eſt* eſſentialis, *alia* accidentalis.

Quærunt ex nobis Pontific. Si aliqui libri Scripturæ continent omnia dogmata fidei, & præcepta morum, quænam cauſa ſit, quod tot libri ſint propoſiti? *Reſp.* Quia non tantum neceſſe erat contineri iſta, quæ eſt *perfectio eſſentialis*, ſed etiam oportebat iſta contineri, ut diverſimode à diverſis ita tractarentur, ut eo modo intelligi melius poſſent; tum etiam, ut conſonantia tot diverſorum hominum, quibus Deus uſus eſt tanquam amanuenſibus in conſignando verbo ſuo, divinitatem verbi patefaceret; & hæc eſt illa *accidentalis perfectio.*

XVIII. *Dum Scripturam dicimus perfectam, non intelligimus, ac ſi ad literam omnia illa, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, continerentur, ſed quod quædam per certam conſequentiam, ex illis quæ clare dicta ſunt, deduci debeant.*

Notum hoc ex Chriſto & Apoſtolis, qui ex illis quæ clare dicta erant, multa per conſequentiam deducebant: & quæ per conſequentiam ex Moſe, Davide deduxerant, ea Moſen dixiſſe ſtatuebant, *Matth.* 22.29. *Dices*: Conſequentias ab idiotis non poſſe intelligi. Sed duplices ſunt conſequentiæ. Remotæ, proximæ: de *illis* hoc verum eſt, quoad minus exercitatos, non de *his*. Oculus quæ remota ſunt vel confuſe tantum, vel omnino plane non videt; proxima videt accurate. Neceſſaria ad ſalutem proxima conſe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

quentia è Scriptura deducuntur, adeoque intelliguntur facillime.

XIX. *Perfectio Canonis non æſtimatur ex multitudine librorum, ſed ex ſufficientia dogmatum fidei & præceptorum morum.*

Vrgent aliqui, hunc canonem perfectum non eſſe, quia nonnulli libri perierunt. His autem hac diſtinctione occurrere ſolemus.

XX. *Traditiones aliquando accipiuntur pro ritibus eccleſiaſticis adiaphoris, aliquando vero pro illis quæ in Scriptura tradita ſunt.*

Quod ad poſterius membrum, vid. 1 *Cor.* 11. 23. Et quod ad primum, vide regulam traditam nobis à Spiritu Sancto, 1 *Cor.* 14. 40, *Omnia decenter & ordine fiant.* Vnde etiamſi in particulari non præcipiantur in Scriptura, præcipiuntur tamen in genere.

XXI. *Traditio alia eſt genuina, alia commentitia.*

Genuinæ ſunt iſtæ de quibus egimus. Commentitiæ dicuntur iſtæ quæ à Pontificiis obtrudi ſolent Eccleſiæ, quales ſunt Miſſa, Purgatorium, & id genus aliæ nugæ. Notandum hic eſt, ipſos in iſtis traditionibus ſibi ipſis contradicere; nam aſſerunt illas non eſſe ſcriptas, & tamen ex Scriptura probare volunt.

XXII. *Aliud eſt, commemorare beneficium Dei; & aliud, tempus, quod Eccleſia inſtituit, ut illud commemoretur.*

Solent Pontif. ut imperfectionem Scripturæ arguant, dicere: Vbi præcipitur in Scriptura, Hoc die celebrabis nativitatem Chriſti, illo paſcha, illo pentecoſten? *Atqui* dicunt, iſta omnia ſunt articuli fidei. Ergo aliqui articuli fidei in Scriptura non exſtant. *Reſp.* Ex diſtinctione data, Chriſtum natum, reſurrexiſſe, in cælum aſcendiſſe, eſſe quidem articulos fidei; ſed diem, quo iſta celebrari debent, non eſſe articulum talem, ſed tantum ordinationem eccleſiaſticam, ita ut, ſi placuiſſet Eccleſiæ, potuiſſet alios dies ad hanc commemorationem ordinaſſe.

XXIII. *Perſpicuitas Scripturæ alia eſt ſubjectiva, alia objectiva.*

Egimus de iſta diſtinctione in Locis Communibus; *Subjectivam* perſpicuitatem ſummam eſſe Scripturæ, hoc eſt, quatenus in ſe & per ſe perſpicua eſt. *Objectiva* non item, idque non vitio Scripturæ, ſed vitio hominum & naturæ noſtræ depravatæ. Quemadmodum homines, quorum oculi caligant, non poſſunt videre lucem Solis, hoc non fit vitio Solis, qui per ſe clariſſimus eſt, ſed vitio oculorum caligantium.

XXIV. *Diſtinguunt Theologi inter* Scripturam, *&* rem Scripturæ.

Omne enim quod dicit Spiritus S. de rebus abſtruſis in Scriptura, hoc eſt perſpicuum; ſed non omnia dicit de rebus obſcuris, verum ea tantum, quorum nos capaces ſumus, & quæ nos ſcire expedit. Verbi gratia: Trinitas res eſt Scripturæ, de qua tametſi Spiritus S. in Scriptura perſpicue loquitur & ad captum noſtrum: non tamen omnia loquitur de Trinitate, quia omnium capaces non ſumus. Res ergo Scripturæ obſcura eſſe poteſt, ſed Scriptura de illa re perſpicua.

XXV. *Aliud eſt loqui de perſpicuitate dogmatum fidei & præceptorum morum, aliud de Prophetiis quæ ſunt de eventibus incertis quoad nos.*

Priora ſunt perſpicua in Scriptura, at poſterius non item, antequam fuerit impletum. Secundum regulam illam Theologorum: Prophetiæ non intelliguntur ante complementum.

XXVI. *Scriptura aliter atque aliter perſpicua eſt, magis ſcilicet* adultis, *quam* infantibus.

Diſtinguit Scriptura adultos & infantes, 1 *Cor.* 3. 1. *Heb.* 5. 13, 14. Diſtinctio iſta ex eo eſt, quod alii aliis magis proficiant in cognitione veritatis divinæ. Ceterum hic duo ſunt notanda circa diſtinctionem; quod, utut alii aliis magis proficiant in cognitione veritatis, & alii aliis magis diſtincte percipiant; omnes tamen in tantum percipiunt, in quantum illis ſufficit ad ſalutem. Alterum quod hic notandum, ſunt diſtinctiones quædam, quæ emergunt ex diſtinctione

hac.

hac. Vt, quod articuli fidei alii ſint *Catholici*, alii *Theologici*. *Catholici* ſunt illi, qui omnibus ad ſalutem ſcitu ſunt neceſſarii, & ſine quibus nemo ſalvatur; quales ſunt iſti qui in Catecheſi proponuntur; nimirum Decalogus, Symbolum Apoſtolorum, &c. *Theologici* ſunt illi, qui non omnibus ſcitu ſunt neceſſarii, ſed illis ſaltem, qui aliis docendis, ſive in Eccleſiis, ſive in ſcholis præſunt; quales ſunt illi articuli qui per conſequentiam ex aliis deducuntur. Secunda diſtinctio emergit hinc ex præcedenti, in *fidem* nim. *implicitam* & *explicitam*. Accipimus autem hic hæc vocabula alio ſenſu quam Pontificii. Nam illi fidem implicitam vocant Fidem Carbonariam, eamque definiunt per ignorantiam. At nobis fides explicita, eſt ea fides quæ cadit in adultos, qui plura capiunt & magis diſtincte, quam infantes. Fides autem implicita eſt, quæ etiam in infantes cadit, quæ non tot capit quot adultorum, nec tam diſtincte.

XXVII. *Scriptura perſpicua eſt nobis non* natura noſtra, *ſed* gratia Dei illuminantis.

Non natura nobis nota eſt, ſed *ex gratia* quæ nos illuminat. Hic quædam diſtinctiones quæ ex hac emergunt, nobis explicandæ ſunt. Prima eſt, inter *cognitionem Legis & Evangelii*. Et dicitur à Theologis, legem cognoſci etiam ab hominibus irregenitis ratione *materialis*, h. e. ratione præceptorum; non autem ratione *formalis*, h. e. ratione *finis*; nam irregeniti non norunt finem legis, ſcil. ut ex ea peccata & miſeriam agnoſcant, & ex ea liberationem deſiderent. Secundo ratione *materialis* etiam non norunt perfecte; non enim omnia præcepta natura nota ſunt, ut liquet vel ex Phariſæis, qui nec omnia intelligebant, nec perfecte. Secunda diſtinctio eſt cognitionis in *Apprehenſivam* & *Dijudicativam*. In eam quæ eſt cum *Perſuaſione*, & eam quæ eſt cum *Convictione* tantum. In *Diſciplinarem* & *Experimentalem*. In eam quæ eſt *ſub propria ſpecie*, & quæ *ſub aliena*. Ceterum diſtinctiones iſtæ coïncidunt. Eſt enim quædam ſcientia quæ perſuadet homini; qualis ſcientia eſt in fidelibus: & ſcientia quæ convincit hominem de rei veritate; qualis cadebat in Phariſæos, & cadit in quoſdam irregenitos. *Diſciplinaris* ſcientia eſt, quando aliquid per præcepta docetur. *Experimentalis*, quam per experientiam acquirimus. Experimentalis ſcientia rerum divinarum ac cæleſtium, cadit in fideles. Diſciplinaris autem aliquando etiam in reprobos. Scientia vero *ſub aliena ſpecie eſt*, cum novi aliquid, ſed tanti non æſtimo, quanti æſtimandum eſt, aut aliud eſſe arbitror, quam eſt. Vt, verbi gratia, ſi quis verbum Dei tanti non æſtimet, quanti in ſe eſt. Non abſimilis illi qui aurum orichalcum eſſe judicaret. Talis ſcientia rerum divinarum cadit in reprobos. At ſcientia ſub propria ſpecie, cadit in ſolos fideles. Hinc Scriptura irregenitos, quia ſub aliena ſpecie res divinas capiunt, nobiliſſimas ſub ſpecie viliſſimarum, vocat ſtultos & inſipientes.

XXVIII. *Alia eſt cognitio in* Theſi, *alia in* Hypotheſi.

Quæritur: Quomodo homo ſive fidelis, ſive infidelis, ſciens peccare poſſit, cum nemo velit malum ſub ratione mali. *Reſp.* Scientia illa dicitur in *theſi*, non in *hypotheſi*. Hoc eſt, ſcit talis in genere malum hoc eſſe, ſcortari, furari; at ſibi illud putat eſſe bonum: unde illud Poëtæ ita explicandum erit. *Video meliora proboque, Deteriora ſequor.* Video ſcilicet meliora quoad *theſin*, quoad *hypotheſin* non video, & ita ſequor mala.

XXIX. *Ratione cognitionis dicuntur homines* perfecti, *&* infantes.

Eſt non nemo, qui putat hæc non poſſe conſiſtere, perfectum eſſe ratione cognitionis Dei, & tamen inchoative nos regenerari. Sed nulla inter hæc eſt pugna: nam perfectus dicitur ratione *infantium*, & tamen inchoative dicitur ratione *complementi*: itaque non magis hæc pugnant, quam iſta, quod Scriptura adultos quoſdam eſſe aſſerit, & interim tamen dicat, nos *ex parte ſcire, & ex parte prophetare.* 1 Cor. 13.

XXX. *Interpretatio alia eſt* verbalis, *alia* realis; *vel alia eſt* verborum, *alia* ſenſus. *Interpretatio non debet eſſe propriæ explicationis.* 2 Petr. 1. 20.

Quæritur: Quomodo iſta conſiſtere poſſint, quod quilibet dicatur debere ſcrutari Scriptu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ras, & quod interpretatio non debeat eſſe propriæ explicationis.

Reſp. Sciendum eſſe, propriam explicationem non opponi hic explicationi, quæ à quolibet fit legitime, per Scripturas; ſed illi quæ à Scriptura alieniſſima eſt, & tamen Scripturæ obtruditur.

XXXI. *Interpretatio alia eſt analoga* contextui, *alia analoga* fidei.

Diſtinctionis iſtius uſus magnus eſt. Adferunt ſæpe Theologi varias locorum Scripturæ interpretationes. Patres quoque ſæpe non conveniunt in explicatione loci hujus vel illius, & afferunt illi quidem interpretationes *fidei analogas*, ſed non ſemper *analogas contextui*; nam analogum contextui non poteſt eſſe niſi unum; quia plus uno verum eſſe nequit.

XXXII. *Medium interpretationis Scripturæ primum eſt analogia fidei, hoc eſt, conſtans & aperta ac perpetua Scripturæ ſententia, in apertis & minime obſcuris Scripturæ locis.*

Vt ſunt articuli fidei in Symbolo, Oratione Dominica, Decalogo, & toto Catechiſmo, cujus ſingulæ partes expreſſa Scriptura confirmari poſſunt. Non tamen ſola fidei analogia ſufficiens eſt; quia interpretatio aliqua poteſt eſſe fidei analoga, quæ tamen textui analoga non eſt. Reliqua media interpretationis ſunt: Frequens oratio; linguarum cognitio; fontium inſpectio; argumenti atque ſcopi conſideratio; vocum propriarum & impropriarum diſtinctio; cauſarum, circumſtantiarum, antecedentium, conſequentium notatio; Logica analyſis; obſcuriorum cum illuſtrioribus, ſimilium cum ſimilibus, diſſimilium cum diſſimilibus comparatio. Vide Exeg. Piſc. deſcrip. Aphoriſ. 16.

XXXIII. *Media interpretandi Scripturam, aliquando omnia adhibenda ſunt ad locum aliquem explicandum, aliquando quædam.*

Bene hoc obſervandum fuerit contra Pont. Sophiſtas, qui ut eluderent media illa interpretandi Scripturam, quæ à noſtris adhiberi ſolent, ſigillatim illa examinant; Atqui noſtra mens non eſt ſingula eſſe ſufficientia; ſed aut omnia, aut pleraque adhiberi debere. Imo notandum, non omnem Scripturæ partem egere interpretatione. Cum enim Scriptura per Scripturam ſit explicanda, oportet aliquam ita eſſe claram, ut nulla interpretatione indigeat; alioqui proceſſus in infinitum daretur.

XXXIV. *Etſi Eccleſia non det auctoritatem verbo Dei, & etiamſi omnia ipſi examinanda ſint ad verbum Dei, tamen major eſt ejus auctoritas, quam privati cujuſvis.*

Solent nobis objectare Pontificii, Si, inquiunt, Scripturæ explicationes debemus accipere cum hac conditione, ſi conſentiant cum verbo Dei, tum omnibus privatis eamdem reverentiam debemus, quam Eccleſiæ; quia ſi privatus cum Scriptura loquatur, etiam illum recipere debemus. *Reſp.* Magis peccare eum qui non audit Eccleſiam, quam qui non audit privatum. Et ratio eſt, quia privatus, quod facit, facit ex officio; At vero quod facit Eccleſia, id facit ex auctoritate: Gravius autem peccat iſte qui non audit eum qui cum auctoritate loquitur, quam qui ex officio loquitur.

XXXV. *Aliud eſt eſſe alicujus quoad* inſcriptionem, *aliud quoad* uſum communem.

Sic Epiſtola ad Romanos, Romanorum eſt, quoad inſcriptionem; Eccleſiæ vero univerſæ, quoad uſum communem. Dicitur enim Paulus omnibus fidelibus ſcripſiſſe quod ſcripſit Romanis. 2 *Pet.* 3. 15.

XXXVI. *Modus operandi Scripturæ non eſt* realis *ſive* phyſicus, *ſed* moralis.

Obj. Per Scripturam regignimur, 1 *Pet.* 1. 23. Ergo agit realiter. *Reſp.* Regeneratio eſt opus ſolius Dei, non minus ac creatio. Dum autem regeneratio verbo Dei tribuitur, perinde tribuitur, ac Apoſtolis miracula, qui nihil ad patrationem miraculorum contribuebant, nam Dei opus fuerunt; & tamen tribuuntur illis, quia ſine interventu eorum non fiebant: ita ergo & regeneratio verbo Dei tribuitur, quia non fit ſine interventu verbi Dei.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

XXXVII. *Verbum Dei translatum in alias linguas non habet quidem eamdem auctoritatem* originariam, *habet tamen auctoritatem* derivatam.

XXXVIII. *Objectum Theologiæ & Philoſophiæ ſunt diverſa & diſtincta.*

Non tamen pugnant Theologia & Philoſophia. Sicut ars ſutoria & ſartoria, etſi diverſa habeant objecta, tamen non pugnant inter ſe.

XXXIX. *Verum cum vero non pugnat.*

Sed tamen poteſt eſſe diſtinctum; itaque veritas Theologiæ non pugnat cum veritate Philoſophiæ, & tamen ſunt diſtinctæ: v. g. Philoſophia docet, virginem parere non poſſe; *naturaliter* hoc verum eſt. Theologia docet, virginem parere poſſe; *ſupernaturaliter* & hoc verum. Hæ veritates non ſunt eædem, & tamen ſunt veritates non pugnantes.

XL. *Ratio ſana non pugnat cum Theologia.*

Sana, dicimus, nam corrupta pugnat.

Obj. Atque intellectus regenitus non capit divina perfecte. *Reſp.* Aliud eſt *pugnare* cum re, aliud *non capere*.

XLI. *Ratio requiritur ad Theologiam non ut* argumentum, *ſed ut* inſtrumentum.

Hoc eſt, non ut probemus ratione aliquid; ſed ut capiamus & intelligamus divina, oportet ut rationem habeamus; neque enim vel infantes vel mente capti Theologiam diſcere poſſunt.

XLII. *A teſtimonio divino in rebus ad ſalutem neceſſariis procedit argumentum & affirmatum & negatum.*

Dicimus in rebus ad ſalutem ſcitu neceſſariis. Fluit autem ex eo, quia Scriptura continet omnia dogmata fidei, & præcepta morum perfectiſſime. Cæterum in illis quæ ad ſalutem ſcitu neceſſaria non ſunt, non obtinet hoc; tractat enim Scriptura de reliquis rebus extra Theologiam, ſed non perfecte, ſed obiter & incidenter.

XLIII. *Quicquid per bonam conſequentiam ex Scriptura deducitur, illud ipſum eſt Scriptura.*

Sæpe homines dicunt talia, ex quibus quædam deducuntur, quæ admittere nolunt, unde eſt deductio ad impoſſibile; Et ratio eſt, quia homines ſæpe referunt talia pro veris, ex quibus poſtmodum eliciuntur alia quæ manifeſte oſtendunt non eſſe vera, atque adeo adigunt homines ad retractationem. At Deus ſapientiſſimus, nihil dixit, quin omnia intellexerit, quæ ex his elici debuerant; unde etiam illud quod elicitur ex Scriptura, dicitur Scriptura: & quod elicitur ex Moſe & Davide, dicuntur Moſes & David dixiſſe. Vide *Matth.* 22. *Luc.* 20. *Act.* 2.

XLIV. *In diſputationibus accuratis impropria permutanda ſunt propriis.*

Nobiliſſima eſt hæc regula. nam in diſputationibus ſæpe fit abuſus Scripturæ; ſi illam impropriis verbis aliquis efferat. Qui autem accurate diſputat, ille debet opponentem adigere ad hoc, ut impropria verba permutet propriis: ſi non poſſit, dicendum nos in gratiam ipſius id præſtare velle. Si vero opponens noluerit, repellendus eſt à diſputationibus. Ratio regulæ hæc eſt, quia impropria obſcura ſunt, obſcura non convincunt; Ergo nec impropria. Obſcura non convincere certum eſt, nam quomodo quod non intelligitur, convincere poteſt aliquem ut hoc vel illud credat?

XLV. *Argumenta ex parabolis deducta nihil probant niſi ratione ſcopi.*

Utiliſſima eſt hæc regula. Itaque ſemper videndum eſt, quis ſit ſcopus parabolæ, qui ſcopus etiam vocari ſolebat *Formale* parabolæ; unde etiam videre licet, quam inepte argumentantur Sociniani ex *Matth.* 18, Deum nulla ſatisfactione accepta condonare nobis peccata, quia dominus iſte, qui ſervo dimiſit debita, nulla ſatisfactione accepta hoc præſtat. Nam argumentum hoc non eſt à ſcopo, ſcopus enim eſt, Deum illis remittere peccata qui aliis remittunt; non autem ſcopus eſt, quemadmodum iſte re-

m iſt:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

miſit, Deum remittere. Ita etiam male argumentantur Arminiani, qui docent, Deum beneficium juſtificationis renovare, quia hic Deus renovavit beneficium; hoc enim non eſt ex ſcopo parabolæ. Si autem liceret ex materiali argumentari, tum æque poſſemus dicere, aliquem poſſe condonare alteri, Deo invito, quia hic dicitur conjeciſſe in carcerem conſervum ſuum. Sed de utraque hac regula obſervandum eſt Axioma Scholaſt. *Theologia Symbolica non eſt Argumentativa.*

CAP. II.

De Lege.

I. LEx *divina alia eſt* generalis, *alia* ſpecialis.

Generalis eſt, quæ omnes & ſingulos obligat; Specialis eſt, quæ certum ſtatum hominum. Ita Generalis eſt; Non occides; Non furaberis. Specialis, Honora parentes; Nolito provocare liberos ad iram; Omnibus benefaciendum, ſed maxime domeſticis fidei.

II. *Præcepta Legis alia ſunt* affirmativa, *alia* negativa.

Hæc diſtinctio ſumme neceſſaria eſt: nam negativa obligant ſemper & quoſvis: ut, Non occides; Non mœchaberis. Affirmativa, non item. Verbi gratia, Præceptum de Eleëmoſynis dandis: neque enim quivis poteſt, neque ſemper, neque omnes.

III. *Præcepta alia ſunt* imperii, *alia* indulgentiæ.

Et hæc utiliſſima. Nam videtur Deus multa mandare in Scriptura, quæ tamen ſi non faciamus, non peccamus: & videtur quædam mandare, quæ ſi non faciamus, peccamus. Illa præcepta, quæ ſi non faciamus, peccamus, dicuntur *Imperii.* Illa autem, quæ facere poſſemus, & poſſumus omittere abſque peccato, vocantur *Indulgentiæ* præcepta. Qualia in Vet. Teſt. erant, de non danda in uſuram pecunia proximo; de vocando proximo in jus; de dimittenda uxore in adulterio comperta. Hæc talia & fieri poterant & non poterant, utrumque abſque peccato, quia præcepta erant, non *imperii* præcepta, ſed *indulgentiæ.*

IV. *Quædam præcepta ſunt quaſi naturalia, adeo, quorum contrarium nunquam jubet: quædam ſunt quaſi poſitiva, quorum aliquando contrarium juſſit.*

Verbi gratia, nunquam contrarium juſſit præcepto 1, 2, 3, 7, 9. At contrarium juſſit 4, 5, 6, 8, 10. hoc eſt, nunquam præcepit Deos alienos habere, nomen Dei in vanum uſurpare. At juſſit parentibus debitum officium ſubtrahere, ut Abrahamum relinquere patriam, & ire in alias terras, occidere filium; voluit ut Iſraëlitæ acciperent mutuo & non redderent.

V. *Mandata alia ſunt* obedientiæ, *alia* explorationis, *alia* convictionis.

Utiliſſima Diſtinctio in multis controverſiis Theologicis. *Quæritur* de vocatione externa; Anne quos Deus externe vocat, eos velit ſalvari. Scriptura negat Matth. 22, *Multi vocati* &c. Et vocatione jubentur homines obedire Deo, & tamen Deus non vult ut obediant omnes, alioqui hoc facturi fuiſſent. Ergo Deus hoc proponit, eo fine, ut *convincat*, vel *explorentur.*

Secundus uſus diſtinctionis eſt in multis Scripturæ locis explicandis. Exempli gratia; *Quæritur*: An Deus id voluerit, dum præciperet Pharaoni, ut dimitteret populum Iſraëliticum. *Reſp.* Præcepit Deus præcepto *convictionis* non *obedientiæ.* Item, Anne dum juberet Abrahamum immolare filium ſuum, illud etiam voluerit. *Reſp.* Voluit præcepto *explorationis.* *Quæritur*; Quare Deus explorat, cum omnia noverit ab æterno? *Reſp.* Deus non explorat propter ſe, ſed propter nos, ut ſciamus quid nos ſimus; ut Job. 33. Hoc eſt, vult nos nobiſmet ipſis reddere notos. Ita Petrum, cum ſe ipſum non noſſet, permiſit Deus labi, ut infirmitatis ſuæ convinceretur, & ſibi ipſi innoteſceret, quam vera fuerit illa de conſtantia ſua perſuaſio.

VI. *Ad quæ lege obligamur, duplicis generis ſunt, quædam quæ præcipit & docet, quædam quæ tantummodo præcipit.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Utiliſſima diſtinctio, & quidem contra Socinianos & Arminianos. Putant illi, quædam opera eſſe *Evangelii*, cum nos urgemus, ex *operibus Legis* non juſtificari aliquem. Regerunt, ita quidem eſſe, ſed tamen ex *operibus Evangelii* juſtificari poſſe, & alia eſſe *opera Legis*, alia *Evangelii.* Opera Evangelii, eſſe pœnitentiam agere, credere, &c. Nam illa non eſſe opera Legis patet, quia Lex nihil aliud præcipit quam hoc, Fac hæc, & vives: & Maledictus qui non manſerit &c: De pœnitentia & fide in Lege altum ſilentium. *Reſp.* Duplicia ſunt quæ Lex præcipit. Quædam quæ docet & præcipit: qualia ſunt, Non occides: Non mœchaberis. Quædam quæ non docet, ſed præcipit: ut, credere Evangelio. nam quod credendum ſit Evangelio, ad hoc Lex obligat, quæ vult ut obediamus Deo, quicquid nobis præceperit.

Finis Legis moralis, alius eſt in ſtatu lapſus & reparationis, alius in ſtatu integritatis. In integritatis ſtatu hunc finem habuit, ut homo per eam juſtificaretur: in ſtatu lapſus finis eſt agnitio peccati. *Dices,* Nullum jam eſſe finem Legis moralis in ſtatu reparationis; quia juſto non eſt Lex poſita. *Reſp.* Non eſt illi Lex poſita in *pœnam & condemnationem*; ſed in *directionem.*

VII. *Lex Ceremonialis quoad ritus Eccleſiaſticos, facit ſpeciem diverſam à Lege Morali & Forenſi. Quatenus vero continet doctrinam de ſacrificiis, Chriſti adventum adumbrantibus, eatenus eſt doctrina Evangelii.*

Graviſſima eſt controverſia inter Theologos, utrumne Lex Ceremonialis faciat contradiſtinctam ſpeciem à Lege Morali & Iudiciali, an vero ad doctrinam Evangelii pertineat. Aliqui, ut Pareus, ſimpliciter ad doctrinam Evangelii pertinere volunt: Aliqui contra, ut Ameſius; ſed diſtinctio allata rem tollit, ac componit.

VIII. *Ceremoniæ, quæ in V. T. obſervabantur, erant umbræ rerum futurarum, ſi nim. umbram pro typo accipias: non vero umbræ erant, ſi ſumas pro re vana & nihili.* Hebr. 10. 1.

Multi offenduntur, quod vocemus ſacrificia umbras; & dicunt, umbram accipi pro re vana: ut, homo, umbra, pulvis: at illi male faciunt; nam ipſa Scriptura vocat umbram, *Hebr.* 10. 1. Sed umbra accipitur pro typo.

IX. *Sacrificium triplex eſt,* ἱλαστικὸν, εὐχαριστικὸν, λύτρον.

Eſt diſtinctio Theologorum. quæ tamen non eſt ſatis accurata; nam potius ita debebat diſtingui. Sacrificium, vel eſt ἱλαστικὸν, vel εὐχαριστικὸν· & ἱλαστικὸν, typicum, vel reale quod λύτρον vocatur.

X. *Sacrificia typica, expiabant peccata* typice, *non* realiter.

XI. *Sacrificia non placebant Deo ex opere operato, ſed quatenus typi erant Chriſti.*

Eſt diſtinctio notoria, quæ defendi debet contra Judæos, qui putant placuiſſe illa Deo ex opere operato; quod ſi verum eſt, etiam Meſſia exhibito placerent: at hoc falſum; *Eſai. 66. 3.*

XII. *Abſque ſanguinis effuſione non fit remiſſio. Spectando ſacrificia collective ſive ſimul ſumpta, non autem ſeparatim.*

Multi ineptiunt ex epiſt. *ad Hebr.* 9. & dicunt, omne ſacrificium debere eſſe cruentum. Sed vide contrarium *Levit.* 5. 11, 12, 13. unde liquet, dari ſacrificium aliquod incruentum. Adeoque non ſatis accurate eos ratiocinari contra Miſſam; Contradictionem eſſe, Miſſam eſſe ſacrificium, & eſſe incruentum. Hinc etiam diſtinctio ſacrificiorum apud Hebr. in ea quæ vocabantur זבח *Zevach* victima, mactatio, זבח mactavit: & ea quæ dicebantur מנחה *Mincha* munus, donum, oblatio, ſub quibus quoque ſacrificia incruenta comprehendebantur. Dicendum ergo eſt: Nullum ſacrificium, quod eſt victima, eſt vel poteſt eſſe incruentum. Atqui Miſſa Pontificia eſt ſacrificium tale, quod victimam eſſe dicunt pro vivis & mortuis. Ergo non poteſt eſſe incruentum. Dicere a. ſimpliciter, ſacrificium eſſe, & incruentum eſſe, contradictionem eſſe in adjecto,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

jecto, ineptum eſt, ut liquet ex dictis. Fuerunt quippe ſacrificia quædam, dapalia ſacrificia, de quibus *Levit.* 5. *verſ.* 11, 12, 13. quæ ad *Mincha* referuntur; unde ſunt, quæ nequaquam cruenta fuerunt. Non itaque eſt abſurdum, ſacrificium eſſe incruentum, etiamſi alia ex cauſa neceſſario ſequatur, Chriſti ſacrificium eſſe cruentum; quia omnia ſacrificia collective ſumpta, Chriſtum unicum & ſolum referunt.

XIII. *Sacrificia ſingula ſunt typi Chriſti inadæquati, non adæquati.*

Ita mactatio pecudis erat typus inadæquatus Chriſti, non enim omnia, quæ in Chriſto futura erant, adumbrabat; ita combuſtio erat typus inadæquatus Chriſti, quia mortem tantum gehennalem ſignificabat, quia in Chriſto multa alia eveniebant.

XIV. *Alii ſunt typi abſolute dicti, alii typi ſacrificia.*

Non omnis typus eſt ſacrificium, licet omne ſacrificium ſit typus: verbi gratia, Æneus ſerpens, *Ioan.* 3. 14, fuit typus Chriſti: ſic Jonas, *Matth.* 12. non tamen ſacrificium.

XV. *Alia ſunt ſacrificia ordinaria, alia extraordinaria.*

Hæc diſtinctio partim pendet à circumſtantiis loci, partim à cauſis; quod ſcil. aliqua non peracta ſint in templo; aliqua, quod peracta ſint non à ſacerdotibus, ſed à prophetis, aut aliis, ut à Gideon, *Iud.* 6. à Manoach, *Iud.* 13.

XVI. *Sacrificandi vox dupliciter accipitur: 1, pro ſimpliciter mactare: 2, pro mactare in ſacrificium.* Gen. 31.

Propterea hæc diſtinctio annotatur, ut oſtendatur, Agnum iſtum Paſchalem, non fuiſſe ſacrificium, etſi dicitur quod ſit immolatus: nam immolatio accipitur hic in prima ſignificatione.

XVII. *Sacerdos dicitur ſummus, non quod imperium habeat in alios, ſed quod ſumma obiret munia.*

Hæc diſtinctio propter Pontif. adhibetur, qui putant, in Vet. Teſt. fuiſſe unum caput viſibile viſibilis Eccleſiæ, cui omnia ſubjacerent; at contrarium exſtat *Hebr.* 9. & liquet cur dictus fuerit ſummus Sacerdos, nempe non quod fuerit caput Eccleſiæ imperans, ſed tantum, quod ſumma obiret munia.

XVIII. *Sacerdos alius eſt* Aaronicus, *alius* Melchiſedecianus.

Chriſtus Melchiſedecianus, reliqui erant Aaronici. Dicant Pontificii, cujus ſint ordinis: Non prioris, quia Judæi eſſent. Non poſterioris, quia iſtius poſt Melchiſedechum non niſi unicus Chriſtus fuit.

XIX. *Lex forenſis, quoad ea quæ communia ſunt omnibus, abolita non eſt; quoad ea quæ genti Iudaicæ peculiaria, omnino.*

Vide de hoc Locos Communes noſtros.

CAP. III.

De Evangelio.

I. *Evangel. dupliciter accipitur in Scriptura: vel* late *pro doctrina Evangelii, prout opponitur Legi; vel* ſtricte *pro Evangelii doctrina de Chriſto jam exhibito: & hoc modo* ad Rom. 1. 16.

II. *Evangelium eſt miniſterium ſpiritus, lex miniſterium mortis.*

Diſtinctio habetur 2 *Cor.* 2. quare vero Spiritus miniſterium vocatur? *Reſp.* propterea, quia in doctrina Evangelii Sp. Sanctus omnes peccatores pœnitentes conſolatur. Et Lex propterea dicitur miniſterium mortis, quia omnes pronuntiat maledictos. *Deut.* 27. *v.* 26.

III. *Evangelium docet pœnitentiam, non Lex.*

Lex nihil habet de pœnitentia: ſed hæc eſt doctrina Evangelii, quod peccatorem docet, ut reſipiſcat, ſi vivere velit. Lex tamen ad pœnitentiam obligat, etſi eam non docet.

IV. Evan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

IV. *Evangelium non docet de peccato, ſed Lex.*

Eſt nobis controverſia cum Lutheranis de hac diſtinctione: illi enim putant, quod Evangelium doceat de peccato. At vero hoc Legis eſt, quia ex Lege eſt agnitio peccati, *Rom.* 3. Interim tamen Evangelium accipit hoc principium à Lege, & illo utitur in miſero peccatore informando. Quandoquidem Lex te convincit peccati, nec ulla ſpes emergendi, quam per Chriſtum. Ergo tibi ad Chriſtum accedendum, ſi ſalvari cupis.

V. *Evangelii uſus & finis eſt alius per ſe, alius ex intentione auctoris ipſius.*

Evangelii finis ex ſe nihil aliud eſt, quam illuminatio. At ratione ejus qui eſt auctor Evangelii, poteſt eſſe, ratione quorumdam, potius excæcatio: ideo enim Chriſtus vult ſæpe prædicari Evangelii doctrinam, ut cæci magis fiant, *Ioan.* 12. Solet alias diſtingui in finem *operis*, & *operantis.*

VI. *Nulla ſunt opera Evangelii, ſed omnia ſunt opera Legis.*

Arminiani, qui putant, nos juſtificari ex operibus, dum proferimus loca Scripturæ quæ hoc negant, dicunt, Scripturam loqui de operibus Legis non Evangelii: dicunt, opera Evangelii eſſe fidem & uſum Sacramentorum. Sed ſciendum, opera legis eſſe diſtinguenda. Quædam enim Lex docet & jubet, ut ea quæ ſunt in Decalogo: quædam jubet, non autem docet, ut quæ ſunt in doctrina Evangelii, Fides & Pœnitentia.

VII. *Mandatum de credendo Evangelio univerſale eſt, at promiſſiones ſunt particulares.*

Maxima eſt diſceptatio inter nos, & Lutheranos; illi enim docent, Ad quos mandatum, ad illos & promiſſio pertinet. Sed falſum. Nam mandatum pertinebat ad omnes Iſraëlitas, at promiſſio non item. ut *Rom.* 9. 8, aliqui dicuntur eſſe filii promiſſionis.

VIII. *Evangelii doctrina eſt propter Legis doctrinam,*

Et Lex eſt propter Evangelium, & Evangelium propter Legem. Lex propter Evangelium, quia ducit ad Chriſtum: Evangelium propter Legem, quia juſtificatio noſtri eſt propter ſanctitatem Chriſti, quam Lex exigebat à nobis.

IX. *Aliter ſe habuit doctrina Evangelii in Veteri Teſtamento atque ſe habet in Novo.*

1. Nam in V. Teſt. adjunctas habuit ceremonias multiplices, ſacrificia; à quibus in Novo liberi ſumus. 2, In Vet. Teſt. obſcurius ſonabat, in Novo clarius: quippe ibi de exhibendo, hic de exhibito Chriſto. 3, Doctrina Evangelii, in V. Teſt. communiter & ordinarie pertinebat ad ſolos Iudæos, *Pſal.* 147. 19, 20. In Novo ad omnes gentes. Dicitur autem communiter & ordinarie ad ſolos Iudæos pertinuiſſe; quia extra Iudæos erant etiam Proſelyti; quod extraordinarium fuit.

X. *Evangelium etſi pertineat ad omnes gentes, non tamen ad omnes ſingulos.*

Promiſſiones Evangeli univerſales ſunt quoad *promulgationem* ſive *prædicationem*, Matth. 28. Non vero quoad *applicationem*, quæ ſolis electis obtingit.

XI. *Fœdus aliud eſt commune, aliud ſpeciale.*

Fœdus commune eſt, quod vocari ſolet à Theologis mediatum; quia mediante homine contractum erat cum omnibus. *Gen.* 9. 11. de Iride.

XII. *Speciale*, *eſt vel* Legale, *vel* Evangelicum.

XIII. Legale, *pro duplici ſtatu hominum, duplex eſt, vel in ſtatu* integritatis, *vel* lapſus.

In ſtatu integritatis erat fœdus ſancitum inter Deum & homines, ut homo legi pareret: Deus homini parenti promiſerat vitam æternam, & hoc ſtabiliverat ſigno arboris vitæ. Poſt lapſum fœdus legale erat, in quo Deus poſtulat obedientiam, & promittit vitam æternam: ſed hoc fœdus ſigno nullo ſtabilitum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

XIV. *Evangelicum fœdus, eſt vel* vetus, *vel* novum.

Vetus quod Deus pepigit cum Abrahamo & ex ipſo ortis. Novum, cum omnibus gentibus.

XV. *Evangelicum fœdus non pertinet ad omnes, ſed ad quoſdam ex omnibus gentibus.*

Probatur ex epiſt. *ad Rom.* 9. ubi diſtinguuntur filii promiſſionis, ſeu fœderis, à reliquis; quod utique non fieret, ſi omnes & ſinguli pertinerent ad fœdus.

XVI. *Soli fœderati ſunt legitimi poſſeſſores mundi, reliqui vero uſurpatores.*

Probatur *Rom.* 4. 13. & hinc jam intelligitur illud, 1 *Cor.* 3. *verſ.* 21. quod ſcilicet omnia ſunt fidelium, quia jus habent in rem omnem.

XVII. *A proprietate verborum non eſt diſcedendum abſque neceſſitate.*

Hæc regula eſt propter iſtos, qui omnia improprie accipi volunt; quales ſunt Sociniani: ſed dum hæc agunt, ratio ab ipſis petenda eſt, quare diſcedant.

XVIII. *Vox magis uſitata præferenda eſt minus uſitatæ, niſi certa ratio ſubſit.*

Neceſſitas hujus regulæ eadem eſt quæ prioris.

XIX. *Scriptura flagitium jubens aut prohibens virtutem, figurate eſt intelligenda.*

Ita dum jubet, ſibi eruere oculum, pedem abſcecare, &c.

CAP. IV.

De Deo.

I. C*Ognitio Dei, eſt vel naturalis, vel revelata.*

Cognitio Dei naturalis eſt, quæ ſe in adultis ſana mente præditis ſponte exerit; ita ut nemine docente perſuaſi ſint, eſſe Numen aliquod ſapientiſſimum, potentiſſimum, quod mundum & quæ in eo ſunt, condidit, gubernat, & quod id Numen religioſe colendum ſit. Primum membrum diſtinctionis habetur *Rom.* 1. 20. Secundum in Evangelio *Ioan.* 1. *verſ.* 18. Ceterum, ſciendum eſt, naturalem cognitionem dici, non quod, ut Vorſtius nugatur, fit à natura, quemadmodum, verbi gratia, viſus, auditus; ſed quod nullo docente, ubi ad rationis uſum devenitur, ex principiis innatis proficiſcatur hæc ipſa cognitio.

II. *Cognitio naturalis non ſalvat, ſed inexcuſabiles reddit homines.*

Vide *Rom.* 1. *verſ.* 20.

III. *Cognitio Dei non eſt comprehenſiva, ſed apprehenſiva.*

Comprehendi dicitur quod perfecte capitur. Deus perfecte capi non poteſt, quoniam infinitus non poteſt capi à finito.

IV. *Deus apprehenditur cognitione analogica, non rei, ſed conceptus.*

Analogia duplex eſt; rei, & conceptus, quæ analoga ſunt ratione rei, illa habent idem genus: Deus autem cum creaturis non habet idem genus; E. hic intelligitur analogia conceptus. Quod ſcilicet Deum, qui infinitus, capiamus ad ſimilitudinem conceptus eorum quæ finita ſunt.

V. Dei *vox ambigua eſt.*

Sumitur enim proprie de ſolo Deo. Improprie, tum Metaphorice pro Angelis & magiſtratu: tum Catachreſtice pro idolis, Diabolo, & ventre.

VI. *Vox* Dei *non notat poteſtatem, ut Sociniani volunt, ſeu officium; ſed naturam.*

Alias enim identificarentur hæ propoſitiones: *Deus eſt Rex*: &, *Rex eſt Rex.*

VII. *Vox* Dei *de vero* Deo *accepta, dupliciter capitur,* ὀυσιωδῶς, & ὑποστατικῶς, *ſive Eſſentialiter, vel Perſonaliter. Eſſentialiter pro ipſa Dei eſſentia: Perſonaliter pro perſonis.*

Duo ſunt hic notanda ad iſtam diſtinctionem,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

nem: 1, Quomodo non ſequatur tres eſſe Deos, ſi vox *Dei* perſonaliter accipiatur. 2, Anne etiam vox *Patris* eodem modo diſtinguenda ſit, ut ſcilicet accipiatur tum eſſentialiter, tum perſonaliter. Quod ad primum membrum attinet, ſciendum eſt, perſonam ſumi *Abſtractive*, & *Concretive*: dum dicimus vocem *Dei* accipi perſonaliter, non intelligimus abſtractive perſonalitatem; ſed concretive perſonalitatem cum eſſentia: ac proinde cum una eſſentia tantum ſit, quæ ſumpta cum hoc vel illo modo ſubſiſtendi, conſtituit perſonam, hinc fit ut non poſſint dici tres Dei, quia modi iſti ſubſiſtendi tres unicam tantum habent eſſentiam. Quod ad vocem *Patris* attinet eodem modo accipitur, vel οὐσιωδῶς, vel ὑποστατικῶς· & οὐσιωδῶς accipi certum eſt, in Oratione Dominica; ὑποστατικῶς, in Symbolo Apoſtolico.

VIII. *Vox* Dei *accipitur vel extra complexionem, vel cum complexione.*

Diſtinctio iſta diligenter obſervanda eſt contra Socinianos. Dicitur autem Jehova in complexione, quando conjungitur cum re aliqua: ut, cum Jeruſalem dicitur Jehovah, non abſolute id fit, ſed ac ſi diceretur, Civitas in qua Jehova habitat: item, Vexillum Jehovæ Dei mei. Sed extra complexionem, non niſi ſoli Deo, iſta vox tribuitur.

IX. *Iehova dicitur in caſu recto, non obliquo.*

In caſu recto non dicitur niſi de Deo: in caſu obliquo dicitur etiam de creaturis, ut cum dicitur Mons Jehovæ.

X. *Attributa Dei non differunt in Deo, niſi ratione modi noſtri concipiendi.*

Quærunt Scholaſtici anxie, quomodo differant attributa Dei in Deo, an *realiter*, an *formaliter*, an *modaliter*, an *ratione* ſive diſtinctione rationis. Dicimus *ratione*, & propterea ſolemus etiam hoc efferre iſtis terminis, differunt modo noſtro concipiendi.

Obj. Attributa Dei definitione differunt. Ergo differunt inter ſe. *Reſp.* Attributa Dei tum definiri in ratione ad creaturas & effecta, quæ edit circum creaturam; non in ratione ad Deum, qui abſolute unus eſt. Verbi gratia, aliter definitur miſericordia, aliter juſtitia, propter ſcil. diverſa, in objectis diverſis, effecta, etſi in Deo abſolute unum ſint. In Deo enim, etſi ſit *aliud* & *aliud*, non tamen eſt *alius* & *alius*.

XI. *Cauſa, quare diſtinguimus in Deo attributa ab eſſentia, eſt inadæquatus noſter conceptus.*

Ruſticus aliquis craſſus, non capit valorem numiſmatis aurei vel argentei, niſi ipſi per nummulos fuerit diviſus. Tales & nos in hac cognitione de Deo ſumus: Deus enim infinitus eſt, & unum omnia; ſed nos iſta omnia quæ unum ſunt, non capimus, niſi partiamur quaſi: & hinc omnia iſta quæ Deo tribuuntur, & in Deo non niſi unum ſunt, tanquam diſtincta percipimus.

XII. *Sunt attributa Dei, alia abſoluta, alia relata.*

Obvia eſt hæc diſtinctio apud Theologos: ſed quæ non ita explicatur, & quæ difficultatem habet aliquam quoad membrum poſterius. Nam Vorſtiani ſemper ex hoc argumentantur, Hæc attributa non eſſe Deum, quia poterant non eſſe. Verbi gratia, dum de decretis diſputant, dicunt, Poterat decretum non eſſe, quia Deus poterat non decreviſſe, & tamen Deus non poterat non eſſe. At vero in his, talia argumenta proficiſcuntur ex ignorantia attributorum Dei relatorum. Nam duo ſignificant; *eſſentiam* Dei, & *denominationem* aliquam à re externa ſive nomenclaturam. Denominatio Dei poterat non eſſe, hoc eſt, poterat voluntas Dei non vocari decretum, & tamen ipſa non poterat non eſſe. Sic Deus poterat non eſſe Creator, & non habere hoc nomen: at non poterat non eſſe Deus.

XIII. *Attributa Dei, alia* communicabilia, *alia* incommunicabilia *ſunt.*

Incommunicabilia dicuntur, quorum nihil ſimile reperitur in creaturis: ut, eſſe infinitum, æternum, immenſum. Communicabilia ſunt, quorum aliquid analogi reperitur in creaturis: ut, ſapientia, voluntas, juſtitia, miſericordia, eſſentia. Ceterum, hoc analogum quod eſt in creaturis, vel *veſtigium* Dei, vel *imago Dei eſt.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Veſtigium Dei, vocatur τὸ eſſe ſive eſſentia, item vita, quod veſtigium etiam eſt in rebus viventibus extra homines & Angelos conſtitutis. Imago autem Dei illa dicitur ſimilitudo cum Deo, ratione intellectus, voluntatis, integritatis, juſtitiæ, dominii in creaturas, quæ in ſolos homines & Angelos cadit.

XIV. *Deus eſt immutabilis, ratione* eſſentiæ, loci, voluntatis,

Eſſentia enim ſi mutari debeat, à potentiori deberet mutari, quem Deus nullum habet. Nec ratione *loci*; quia ubique eſt. Blaſpheme hic ab Atheis objicitur, Qui ubique eſt, nuſpiam eſt. Quia hoc non de Deo, ſed de hominibus, variis locis atque occupationibus diſtractis, verificatur. Non etiam ratione *voluntatis*, quia ille eam non mutat. Nomina vero quæ Deo in tempore acceſſerunt, ut Creator, non mutationem in Deo, ſed in creatura denotant.

XV. Æternum *dicitur dupliciter*, proprie *&* improprie. *Proprie illud, quod principio & fine, omni denique ſucceſſione caret. Improprie æternum eſt, initium & ſucceſſionem habens, ſed quod finem nullum habiturum: eſt quale cadit in homines, & Angelos.*

Apud Philoſophos diſtinguuntur tempus, ævum, & æternitas. *Tempus* eſt, quod habet principium, finem, & ſucceſſionem. *Ævum*, quod quidem non caret principio, & ſucceſſione, ſed fine caret, quæ dicitur æternitas *à parte poſt*. *Æternitas* vero eſt, quæ caret principio, fine, & ſucceſſione; & dicitur æternitas *à parte ante* & *à parte poſt*.

XVI. *Æternitati res coëxiſtunt, non* adæquate, *ſed* inadæquate.

Hoc eſt, in Deo nulla datur ſucceſſio, præſentis, præteriti, & futuri, ſed omnia illi præſentia.

XVII. *Infinitum dicitur dupliciter, vel ut opponitur determinato, & Græcis vocatur* ἀόριστον, *quaſi dicas non definitum. Verbi gratia: Quantitas diſcreta, potentia non definita. Vel ut opponitur illi quod eſt limitatum, & dicitur* τὸ ἄπειρον. *Et hoc modo Deus eſt infinitus, quia non habet terminos eſſentiæ ſuæ.*

XVIII. *Deus eſt ubique ut cauſa conſervans in effectis.*

Non certe ut locatum in loco; alioqui caperetur à re aliqua. Proinde approbanda non eſt iſta diſtinctio Scholaſticorum quoad primum membrum, qua dicunt: Deus eſt in loco *repletive*, ſpiritus *definitive*, corpus *circumſcriptive*.

XIX. *Deus, ubicumque eſt, totus eſt.*

Obj. At partes non habet; &, ſi totus in una re, non eſt totus in altera. *Reſp.* Totum, vel pro perfecto ſumitur abſolute, vel relate quoad partes. Priori modo, non poſteriori, Deus dicitur totus. Deinde aliud eſt, *totum eſſe:* aliud, *totaliter eſſe.* Nam totaliter eſſe, ſignificat ita eſſe alicubi, ut alibi extra eum locum non ſit. Deus ergo dicitur ubicumque eſt, totus eſſe, non totaliter. Quia totaliter non niſi in ſe ipſo eſt.

XX. *Deus eſt immortalis, inviſibilis, negative, non privative.*

Etiam Angeli, negative ſunt inviſibiles: nos autem negative immortales, ſed privative.

Obj. Atqui in Angelos mors cadere non poteſt; ergo poſſunt dici negative immortales, hoc eſt, ſua natura immortales. *Reſp.* Immortale non tantum opponi *mortali*, ſed etiam *annihilationi*, ita, utut Angeli prima ſignificatione non ſint mortales, poſteriori tamen ſint annihilabiles.

XXI. *Dei viſio quintuplex eſt.* 1, *In ſomniis.* 2, *In ſignis.* 3, *In carne.* 4, *Per fidem.* 5, *Ex creatione & effectis.* Rom. 1. v. 19, 20.

Vorſtius contendit, Deum videri oculis corporeis. Sed abſurde. Nam Deus eſt ſpiritus; oculis corporeis videri non poteſt.

XXII. *Potentia Dei non proprie, ſed improprie de Deo dicitur.*

Deus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Deus eſt actus puriſſimus; cum E. dicitur poſſe aliquid, non potentiam in ipſo deſignat, ſed potentiam paſſivam in ſubjecto, qua actum divinæ actionis ſubire poteſt, quæ nihil aliud eſt quam non repugnantia, ut res fiat potentia Dei.

XXIII. *Potentia Dei diſtinguitur in ordinariam & abſolutam.*

Ordinaria eſt, quæ eſt ex conſilio definito Dei. Abſoluta quæ in ſe conſideratur abſolute. De hac quæritur: An ſit in Deo. Calvinus videtur negare, ſed male; nam loca iſta Scripturæ explicari non poterunt commode; *Poteſt Deus ex lapidibus filios Abrahæ excitare.* & *An non poſſem rogare Patrem meum, & dabit mihi 12 legiones Angelorum.*

XXIV. *Potentia & poteſtas diſtinguuntur in Chriſto.*

Poteſtas *officium*, potentia *naturam* notat.

XXV. *Scientia in Deo duplex eſt; viſionis, & ſimplicis intelligentiæ.*

Viſionis, dicitur ſcientia futurorum, quæ nititur decreto Dei. Ideo enim Deus ſcit futura, quia decrevit. *Simplicis intelligentiæ* dicitur ſcientia poſſibilium, ut quando Deus ſcit quid ſibi poſſibile eſt, etiamſi hoc non ſit facturus, & innititur potentiæ abſolutæ. Ceterum ſciendum eſt, Arminianos confinxiſſe tertiam ſpeciem ſcientiæ divinæ, & vocare illam, *ſcientiam mediam*, ſive conditionatam, quando ſcil. Deus novit, aliquid eventurum quod nunquam decrevit. Sed abſurda illa eſt. Nam nihil evenit quod Deus non decrevit. *Thren.* 3. *v.* 37.

XXVI. *Contingentia* [um] *non eſt determinata veritas.*

Scilicet reſpectu *intellectus creati*, non *increati*. Hinc Philoſophi dicunt, quod intellectus divinus ſit menſura, norma & regula intellectus creati.

XXVII. *Res ſunt, quia Deus ſcit, ſcientia nimirum practica & viſionis (quæ decreto Dei nititur) non vero ſcit quia ſunt.*

Alias enim conformaretur intellectus Dei ad rem, & ita haberet potentiam paſſivam, ad perfectionem acquirendam à re; & perficeretur à re: quod eſt abſurdiſſimum.

XXVIII. *Voluntas Dei, alia eſt permiſſiva, alia effectiva.*

XXIX. *Permiſſio duplex; Phyſica, vel Ethica.*

Phyſica eſt τὸ non impedire. *Act.* 14. *v.* 16. *Matth.* 19. 8. Non impedita Deus permittit peccata dupliciter, vel *ſubtrahendo* gratiam, non inhærentem ſed aſſiſtentem, 2 *Chron.* 32. 31. quod fit in peccato omiſſionis; vel *promovendo* creaturam malam ad operandum, quod fit in peccato commiſſionis.

XXX. *Diſtinctio voluntatis, in ſigni & beneplaciti, non eſt diſtinctio, ſed tantum vocis ambiguæ explicatio.*

Voluntas enim ſigni nihil aliud eſt quam verbum Dei: verbum autem Dei eſt effectum voluntatis Dei, non ipſa voluntas.

XXXI. *Voluntas beneplaciti & voluntas ſigni non pugnat, ſi voluntas ſigni ex fine judicatur.*

Adverſarii dicunt, nos, pugnantes in Deo voluntates ſtatuere, quia dicimus, Deum non omnes velle ſervare quos vocat; nam quoſdam vocat, non ut ſalvet, ſed ut reddat inexcuſabiles.

XXXII. *Voluntas beneplaciti non dicitur talis ratione objecti circa quod occupatur, ſed ratione cauſæ impulſivæ ſive ex modo volendi, quod ſcil. agat ita, ex eo quod ipſi placet.*

Cum dicimus, voluntate beneplaciti omnia evenire, non dicimus, Deo placere omnia quæ eveniunt, atque adeo etiam peccatum; quod falſum eſt.

XXXIII. *Diſtinctio voluntatis Dei, in abſolutam, & conditionatam, vaniſſima eſt.*

Quia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Quia ſicut Deus non poteſt diſtingui, ita nec voluntas. Voluntas enim Dei, Deus eſt.

XXXIV. *Item, in antecedentem, & conſequentem, vana eſt.*

Quia in Deo ponit mutabilitatem; ponit enim, Deum voluiſſe omnes ſalvos fieri; poſtmodum, cum vidiſſet, non omnes credituros, mutaſſe ſententiam, & nullos voluiſſe ſervari, niſi credentes. qualis mutatio in Deum non cadit, *Iacob.* 1. 17.

XXXV. *Voluntatis divinæ diſtinctio, in approbantem tantum, vel approbantem & efficientem ſimul, nulla eſt.*

Solent quidam ex noſtratibus uti iſta diſtinctione: Deus, inquiunt, vult approbative omnes ſalvos fieri, ſed non effective, ſed inepte. Nam quod Deus approbat, illud vult. *Pſal.* 115. 3, Omnia, quæ voluit Deus, ſive quibus delectatus eſt, fecit.

XXXVI. *Sic voluntatis efficacis & inefficacis diſtinctio, vana eſt.*

Quia omnis voluntas Dei impletur, nec Deus mutat voluntatem ſuam, ut liquet *Eſai.* 46. 10. nec quiſquam irritam reddere poteſt voluntatem Dei, *Eſai.* 49.

Obj. At Deus non omnia quæ vult efficit. *Reſp.* Efficax non dicitur ab efficiente, nec ſignificat efficiens, ſed idem quod non irritum; ut ſenſus ſit, Nulla voluntas Dei eſt irrita.

XXXVII. *Conſilium non tribuitur Deo proprie, ſed improprie.*

Conſilium in illo locum habet qui conſultat; qui conſultat, ille ignorat: in Deo autem nulla ignorantia eſt. E. nulla conſultatio. Tribuitur E. Deo κατ' ἀνθρωποπάθειαν, deſumptam ab homine ſapiente, qui nihil ſine conſilio agit.

CAP. V.

De Deo Patre.

I. *Pater eſt principium Perſonarum in SS. Trinitate originis, non naturæ vel temporis.*

Dicitur Pater principium, ſed nec Filius nec Spiritus Sanctus principiata.

Obj. Socin. Poſito uno relatorum, ponitur alterum. *Reſp.* Iſta proprie non ſunt relata prædicamentalia, de quibus hoc enuntiatur, ſed ſunt tranſcendentalia. Non autem, relatorum quorumvis uno poſito, ponitur alterum; ut fit in relatis ſecundum dici: non enim ibi, ſi unum eſt, ſtatim etiam alterum eſt.

II. *Filius eſt à Patre ratione modi ſubſiſtendi in eſſentia, non ratione eſſentiæ.*

Eſt egregia diſtinctio apud Theol. ubi dicitur, Filius non eſt αὐτόγονος, ſed αὐτόθεος. Sciendum, magnam diſputationem ortam inter Arminianos, Vorſtium, & noſtras Eccleſias: quia Arminiani & Vorſtius dicebant, Filium eſſe à Patre quoad eſſentiam, atque ita non αὐτόθεον à ſe Deum: quod ſi ſic, E. eſt dependens Deus, creatura ergo.

III. *Generatio quæ eſt in Deo, eſt æterna, & tamen perfecta.*

Diſputant aliqui, An Filius deſinat generari, nec ne. Dicunt enim, ſi deſiit, E. eſt mutatio: ſi non, E. imperfecta. At nos ex Adverſariis viciſſim poſſumus quærere, An Spir. Sanctus procedat adhuc à Patre, nec ne. Si deſiit, E. mutatus: ſi adhuc, E. imperfectus. Vanitas ergo iſtius argumenti liquet ex eo, quod etiam in natura ſint aliqui actus permanentes, qui tamen, ſimulac ſunt, perfecti ſunt. Verbi gratia, Lux manat è Sole perpetuo, eſt tamen perfecta ſimulac emanat. Sic viſio noſtra ſimulac fit, perfecta eſt, tamen non ceſſat.

IV. *Generatio quæ in Deo eſt, non eſt* phyſica, *ſed* hyperphyſica.

Hinc liquet quam inepte argumententur Sociniani, qui, ut tollant generationem quæ eſt in Deo, argumenta ſua proferre ſolent ex generatione phyſica; at hæc nihil præter nomen cum hyperphyſica commune habet, ergo argumentatio illorum non procedit. Quod autem ſit hyperphyſica, liquet; quia Deus natura non eſt, ſed aliquid ſupra naturam.

V. *Generatio quæ in Deo eſt, etſi ſit hyper-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

perphyſica, tamen non eſt metaphorica, ſed proprie dicta.

Adverſarii dicunt, eam non proprie dictam eſſe generationem, quia non eſt generatio Phyſica. At quam inepte: nam hic etiam dici poſſet, Deus non habet eſſe phyſicum, E. Deus non habet eſſe proprie dictum.

VI. *Invocatio Dei duplex eſt*: abſoluta, *vel* relativa.

Subjicimus hanc diſtinctionem, quia pendet ab iſtis quæ modo diximus. Socinus ridet hanc diſtinctionem, & dicit, omnem invocationem eſſe relativam. *Reſp.* Adorationem ſumi vel *natura ſua*, vel *ratione objectorum*. Natura ſua omnis invocatio eſt relativa; at ratione objectorum, eſt vel *abſoluta*, vel *relata*. Abſoluta illa vocatur, qua tota SS. Trinitas invocatur: Relativa, qua Pater per Filium invocatur.

VII. *Deus gignit Filium voluntate & intellectu.*

Ratio eſt, quia unum idemque ſunt in Deo.

Obj. At, quæ Deus vult, poterat non velle; unde illa quæ vult, quodam modo contingentia ſunt. *Reſp.* Duplicia ſunt quæ Deus vult: quædam ad intra, & illa non poteſt non velle, & non poſſunt non fieri: quædam ad extra, & illa potuiſſet non velle, atque adeo potuiſſent non fieri.

VIII. *Communicatio Dei, alia eſt neceſſaria abſolute, alia neceſſaria ex hypotheſi voluntatis ſuæ.*

Quæritur: Quomodo illud axioma intelligendum eſt; *Bonum eſt communicativum* ſui, & an etiam ad Deum referri debeat? *Reſp.* aff. Sed de Deo etiam dici iſtam communicationem vel ad intra; ita communicat Filio modum ſubſiſtendi in eſſentia; ita Pater & Filius communicant Sp. Sancto modum ſubſiſtendi in eſſentia divina. At vero illa communicatio quæ ad extra eſt, & ſecundum quam ſe communicat creaturis, eſt communicatio quæ poterat non eſſe; poterat enim nihil iſtorum feciſſe quæ fecit, atque adeo creaturis ſe communicaſſe. Communicationem ad intra vocant Scholaſtici *formalem*; eam vero, quæ ad extra eſt, *effectivam*.

IX. *Activa & paſſiva generatio non inferunt in Deo compoſitionem.*

Sociniani hoc urgent, cum illi interim ſuſque deque ferant, an in Deo compoſitio detur, nec ne. Ceterum non dari in Deo compoſitionem, ſive hanc diſtinctionem non efficere compoſitionem in Deo, probatur. Neque enim quatenus ad ſe referuntur, (ſic enim inter ſe ſunt oppoſita): neq; quatenus ad eſſentiam pertinent, (ſic enim ſunt idem cum eſſentia): ita ut in priori conſideratione oppoſitio compoſitionem impediat; in poſteriori autem identitas cum eſſentia eam non admittat.

X. *Filius Dei dicitur quaſi unigenitus: ubi particula* quaſi *non eſt aſſimulativa veri, ſed expreſſiva veri.*

Accipitur enim vel ut *ſimilitudinem*, vel ut *veritatem* notat: cum autem dicitur, Filius *quaſi* unigenitus, veritatem rei notat: ſic & cum dicitur *Luc.* 22, *Et ſudor ejus erat* quaſi *grumi ſanguinis.*

XI. *Proprium dicitur multis modis.*

Proprium dicitur 1. quod opponitur *alieno*: ita dicitur proprius Dei populus, h. e. qui non eſt alterius. 2. Proprium accipitur prout opponitur illi quod non eſt alicui naturale: ita proprius ſanguis. 3. Proprium accipitur prout opponitur accidenti communi: ita divinæ naturæ proprium eſt, eſſe ubique. 4. Prout opponitur adoptivo: & ita Chriſtus Filius proprius dicitur, *Rom. cap.* 8.

XII. *Filius Dei multipliciter dicitur: vel Filius qui eſt ex eſſentia Patris genitus, vel jure creationis, quales Angeli,* Iob. 1. *vel jure adoptionis, & ita omnes fideles ſunt Filii Dei.*

Quæritur: An etiam humana Chriſti natura dici poſſit Dei Filius? *Commentarii* in catecheſin hoc volunt, eſſe Filium ratione unionis hypoſtaticæ: ſed in Scriptura, nihil tale, imo contrarium; nam ſemper diſtinguitur Filius Dei à

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Chriſto quatenus homo; ut *Rom.* 1. *de Filio ſuo qui ex ſemine Davidis ſecundum carnem*; & paſſim.

XIII. *Filius Dei non poteſt operari à ſe ipſo, niſi quod Patrem viderit operantem.*

Socinus putat, hunc locum demonſtrare, Chriſtum non eſſe Deum: at inepte: Nam hoc ibi non dicitur ex *defectu potentiæ*, ſed *ob inſeparabilitatem naturæ*, quoniam unius eſſentiæ eſt Filius cum Patre: quare etiam ibidem *Ioan.* 5, dicitur, quod pariter operetur ac Pater: quod non poſſet eſſe, niſi eſſet ejuſdem naturæ cum Patre.

XIV. *Primogenitus dicitur duobus modis.* 1, *Proprie ſumitur pro eo qui ante alios omnes ſui ſimiles natus eſt.* 2, *Improprie, Metonymia antecedentis pro conſequente, ille dicitur primogenitus, qui eſt dominus & hæres omnium paternorum bonorum. Dum Chriſtus dicitur primogenitus creaturarum, poſteriori ſignificatione accipitur. Sic David dicitur primogenitus Regum*, Pſal. 89. verſ. 27. *quia præcipuus & primarius inter Reges fuit.*

XV. *Filius eſt minor Patre*, Joan. 14. v. 18.

1. Ratione humanæ naturæ. 2. Ratione officii mediatorii. Hinc Regula Theologorum: *Inæqualitas officii, non facit inæqualitatem naturæ.*

XVI. *Sp. Sanctus accipitur vel pro donis, vel pro auctore donorum.* 1 Cor. 12.

XVII. *Sp. Sanctus procedit tam à Patre, quam à Filio.*

Græci negant hoc; & dicunt, eum à Patre tantum procedere. Verum procedit quidem à Patre, aſt non ita ut Filius excludatur.

XVIII. *Dum Sp. Sanctus dari alicui dicitur, non notat præſentiam ejus localem, ſed certam operationem.*

Quia Sp. Sanctus eſt ubique. Dum igitur dicitur venire & dari, intelligitur per hoc operatio quam ibi edit.

XIX. *Proceſſio Sp. Sancti duplex eſt: Æterna, & Temporaria.*

Æterna, ſignificat modum ſubſiſtendi in eſſentia divina. Temporaria autem, nihil aliud quam operationem.

XX. *Sp. Sanctus dicitur interpellare pro nobis, non proprie, ſed improprie*; Rom. 8.

Non interpellat, ſed facit nos interpellantes & Deum rogantes. Interpellat pro nobis, non *formaliter*, ſed *efficaciter*, ut Scholæ loquuntur.

XXI. *Spiritus Sanct. ita in Deo Patre & Filio eſt, ut Pater & Filius ſint in Sp. Sancto.*

Vocant hoc Theologi per ἐμπεριχώρησιν, quod eſt, ſi Latine vertas, immeatio. Ceterum Sociniani contendunt, Spiritum Sanctum non eſſe Deum & perſonam, quia eſt in perſona: at hoc pacto negent, Patrem & Filium eſſe perſonas. Pater enim eſt in Filio, Filius autem etiam in Patre; ut *Ioan.* 14. *verſ.* 10, 11.

XXII. *Deus & creatura nihil habent commune præter nomen.*

Si enim habent aliquid commune, illud aut foret finitum, aut infinitum: ſi finitum, Ergo Deus finitus; ſi infinitum, Ergo creatura infinita.

XXIII. *De Deo magis verificantur abſtracta, quam concreta.*

Hoc eſt, Deus potius eſſentia eſt, quam ens, ſapientia quam ſapiens, immenſitas quam immenſus. Sed ſciendum eſt, verum hoc eſſe in attributis *abſolutis*: nam in *relatis* quæ actionem notant, concreta magis verificantur; melius enim quadrat, dicere Deum Creatorem, quam creationem.

XXIV. *Infinitum plus uno eſſe non poteſt.*

Hoc etiam Ethnici agnoverunt; non enim poſſunt eſſe plura entia independentia quam unum. Probatur: quia ſi hoc; aut infinita illa

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ſe invicem caperent, & tum non eſſent infinita: aut non; & ſic etiam definitos terminos haberent eſſentiæ, quia unum ab altero diſtaret.

XXV. *Ab omnipotentia non eſt argumentandum ad id, cujus contrarium extat in Scriptura.*

Verbi gratia, ſi quis ita vellet: Deus poteſt condemnare fideles; Ergo condemnabit. Contrarium enim extat.

XXVI. *Ab omnipotentia Dei non eſt argumentandum, niſi etiam conſtat de voluntate.*

Ineptum enim eſſet, ſi dicerem, Deus poteſt me facere regem, Ergo faciet.

XXVII. *Voluntas Dei eſt regula omnis boni.*

Dupliciter hoc capi poteſt: vel quod ſit cauſa omnis boni, vel quicquid Deus vult, eſſe bonum. Sciendum autem hic, quædam juſta eſſe, quia Deus vult; quædam vero eum velle, quia juſta ſunt.

XXVIII. *Affectus in Deo non eſt niſi effectus & voluntas Dei.*

Ita ira, odium, ſignificant voluntatem Dei puniendi.

CAP. VI.

De Creatione.

I. C*Reatio duplex eſt: mediata, & immediata. Mediata eſt, quæ ſit ex re inhabili. Immediata, quæ ſit ex nihilo.*

Deum ex nihilo omnia feciſſe, liquet *Rom.* 4. *v.* 17. *Qui vocat ea quæ non ſunt, tanquam ſint.* & ad *Hebr.* 11. 3. *Per fidem intelligimus, mundum non ex apparentibus factum.*

II. *Particula iſta*, per, *qua utitur Sp. Sanctus in opere creationis, aliquando abſolute notat cauſam efficientem, aliquando ordinem in agendo.*

Cauſam notare, *Rom.* 11. 36, patet: *Ex quo, per quem & ad quem ſunt omnia.* Ordinem, dum Filio tribuitur, *Ioann.* 1: *Per quem facta ſunt omnia, & ſine quo factum eſt nihil.*

III. *Dicitur Deus finis omnium, non indigentiæ, ſed perfectionis & aſſimilationis.*

Dicitur *Prov.* 41, Deum omnia condidiſſe propter ſe. Hoc quomodo intelligendum, *quæritur. Reſp.* De fine perfectionis, quia Deus creaturis opus non habuit, neque earum indigus fuit. Ergo creavit omnia propter ſe tanquam finem *aſſimilationis*, ut ſe communicaret creaturis. *Iob.* 33.

IV. *Deus quæcumque fecit, non fecit tractu temporis, ſed in momento.*

Pſal. 33. *Dixit*, inquit, *& facta ſunt.* Interim hic conciliatio eſt adhibenda: nam dicitur, Deum ſex diebus operatum eſſe; quod ita accipiendum, ſex momentis condidiſſe, ita ut quæ ſingulo die dicuntur facta, momento iſtius diei facta eſſe cenſenda ſint.

V. *Deus quievit ab operibus, & tamen operatur.*

Prius habetur in libro Geneſeos. Poſterius, *Ioan.* 5. Conciliantur iſta ſic, quievit à ſpeciebus novis creandis, ſed non quievit à ſpeciebus creatis conſervandis & propagandis. Conſervatio enim, eſt quaſi creationis continuatio.

VI. *Deus fecit omnia valde bona, & tamen mutabilia.*

Quæritur, Quomodo hoc verum eſſe poſſit. *Reſp.* Bonitas duplex eſt: entis independentis, & dependentis. Illa eſt ſimplex, immutabilis. hæc autem mutabilis, imo ita creaturam ſequitur, ut ſit proprium ejus quarti modi; nec eſt defectus privativus hæc mutabilitas in creaturis, ſed eſt defectus negativus, qui in creatura rationali non eſt peccatum. *Quæritur* deinde, Quomodo hinc Theologi noſtri deducant bonitatem hominis moralem, cum hic agatur de bonitate rerum communi, quæ certe moralis eſſe non poteſt, niſi elicere velimus, morale bonum cadere in omne quod eſt. *Reſp.* Agitur hic

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

non de bonitate aliqua generali, ſed de ea, qua unicuique ſpeciei eſt propria: cum ergo bonitas moralis homini propria ſit, hoc loco quoque intelligenda eſt.

VII. *Noxium, eſt vel ab ipſa prima creatione, vel à lapſu.*

Quæritur: An beſtiæ etiam noxiæ creatæ ſint; item herbæ venenatæ? *Reſp.* neg. Nam quæ hominibus nocere ſolent, in ſtatu integritatis non erant nocitura: ſed quod in nos ſæviant, hoc ex culpa acceſſit, ut ſit nobis pœna.

VIII. *Confuſum quicquid eſt, vel eſt tale ratione cauſæ ſecundæ, vel primæ.*

Dicuntur omnia à Deo in certo numero, pondere & menſura facta eſſe; poſſet jam inferri, nullam fore confuſionem in rebus, quod falſum eſſe experientia docet. *Reſp.* Confuſa videntur ratione noſtri, quæ ratione Dei ordinatiſſima ſunt. 1. Omnia n. ad certos fines diriguntur. 2. Per certa media. Utrumque hoc liquet ex doctrina de providentia.

IX. *Peccatum Angelorum, eſt vel objecto primum, vel motu primum.*

Valde diſputant Theologi noſtri de eo, quodnam fuerit primum peccatum. Et quidem, ſi de *motu primo* quæramus, hoc facile ſcitur; nam omne peccatum actuale habet iſtos gradus. 1. Dubitatio cum deliberatione conjuncta. 2. Propoſitum faciendi. 4. Factum ipſum. Diabolorum ergo peccatum *motu primum* erat, dubitatio, infidelitas. *Objecto* vero primum quod ſit, non facile cognoſcitur; probabile tamen eſt, fuiſſe ſuperbiam.

X. *Inter Angelos datur ordo, non ratione naturæ, ſed ratione officiorum.*

Hoc eſt, quod aliis majora, aliis minora demandata ſint.

XI. *Angelus, alius eſt creatus, alius increatus.*

Nam Angelus dicitur Filius Dei, qui eſt Deus æternus, *Exod.* 3. nam ille qui hic dicitur Angelus Jehovæ, dicitur Deus Abrahami, Iſaaci, Jacobi, & dicitur Jehova, *Gen.* 22. Item, Angelus faciei Dei. An vero hic idem Angelus vocetur Michaël, de eo controvertitur ex Scriptura. Nos negamus. Michaël enim ille non auſus eſt Satanæ impingere notam maledictionis; ſed dixit: *increpet te Dominus*. Chriſtus autem Satanæ maledictionis notam impingere auſus eſt, *Marc.* 1. 25.

XII. *Hominis tantum duæ ſunt partes eſſentiales: corpus ſcilicet, & anima.*

Liquet hoc *Matth.* 10. ubi Chriſtus dicit: *Ne timete eos qui trucidant corpus* &c. Eccl. 12. *Corpus redit ad terram, ſpiritus ad Deum.*

Obj. ex Paul. *ad Heb.* 4. 12. ubi tres nominantur, corpus, anima, & ſpiritus. *Reſp.* Dum anima & ſpiritus corpori contradiſtinguuntur, non intelliguntur duo diverſa, ſed una eademque res per diverſas facultates expreſſa. Nam per animam intelligitur anima ſenſitiva, per ſpiritum facultas rationalis; ut hoc prolixe probatur à Theod. Beza in Annotat. Maj. N. T.

XIII. *Homo in integritatis ſtatu potuit non mori. In ſtatu lapſus non poteſt non mori. In ſtatu glorificationis non poterit mori.*

In ſtatu integritatis potuit non mori, quia potuit non peccaſſe. In ſtatu lapſus omnibus ſemel conſtitutum eſt mori, *Hebr.* 9. quia *ſtipendium peccati eſt mors*. In ſtatu gloriæ erunt ſimiles Angelis, *Luc.* 20. 36, immortales.

XIV. *Homo in ſtatu integritatis erat corruptibilis natura. Non vero corrumpendus gratia & beneficio Dei.*

Corruptibilem fuiſſe natura, liquet. 1. Erat ex quatuor elementis compoſitus. 2. Edebat, bibebat; nec tamen moriturus erat; quia mors eſt propter peccatum.

Obj. Quodcunque propter peccatum eſt, pœna eſt; at mortalitas propter peccatum eſt; Ergo per conſequens, homo non fuit mortalis. *Reſp.* Non dicimus, hominem fuiſſe mortalem proxima potentia; ſed dum dicimus potuiſſe mori, intelligimus potentiam remotam, ſive poſſibilitatem moriendi, quam alii vocant non repugnantiam.

XV. *In ſtatu integritatis intellectus hominis*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

minis erat bonus mutabiliter, voluntas bona mutabiliter.

Quæritur: Cum homo fuerit bonus in ſtatu integritatis, anne ergo arbor bona poteſt malos fructus ferre? *Reſp.* Bona arbor, quæ immutabiliter bona eſt, non poteſt malos fructus ferre; at quæ mutabiliter, poteſt; mutari enim poteſt, & ex bona, mala fieri.

XVI. *Ignorantia earum rerum quas ſcire non debemus, non eſt peccatum; at earum quas ſcire debemus, eſt peccatum.*

Quæritur: An hoc peccatum fuerit, quod Eva ignoraverit ſerpentem loqui poſſe?

Reſp. Non; erat enim ex iſtis quæ non tenebatur ſcire, ſed experientia demum fuerat aſſecutura; ſed hoc peccatum erat, quod putabat iſti arbori vetitæ vim ineſſe ſcientiæ boni & mali, cum fuerit tantum Sacramentum.

XVII. *Aliter ſe habuit liberum arbitrium in ſtatu integritatis, aliter in ſtatu lapſus, aliter in ſtatu reparationis, aliter in ſtatu glorificationis.*

In ſtatu integritatis potuit velle & non velle; erat enim natura ſua ad utrumque habile, ac proinde liberum erat à miſeria & coactione. In ſtatu lapſus ita ſe habet, ut non poſſit bonum ſpirituale velle, nec morale, bene: poteſt tamen bonum ſpirituale rejicere, & morale non facere; itaque liberum eſt à coactione, non autem à miſeria. In ſtatu reparationis habet ſe homo ad utrumque quidem, ſed ex parte, liberum à miſeria & coactione. In ſtatu glorificationis non poteſt niſi bonum. Liberum itaque erit omni modo à miſeria & coactione.

XVIII. *Imago Dei conſiſtit in natura, rectitudine & dominio.*

In natura, *Gen. 9. 6.* qui effundit ſanguinem, &c. In rectitudine, *Eph.* 4. 20, 21, 22, 23. *Col.* 3. 8, 9, 10. In dominio, *Gen.* 1. 26.

XIX. *Omnis creatio novitatem ſapit, atque adeo non poterat eſſe ab æterno.*

Sunt aliqui abſurdi Philoſophi, qui docent, Deum ab æterno potuiſſe condere omnia. Quod ita urgent: *Quær.* An non Deus ſemper potuiſſet facere mundum? Si ita, ergo etiam ab æterno. *Reſp.* Potuit ſemper in tempore cum tempore, non tamen abſque tempore; contradictio enim eſt.

XX. *Creatio activa ipſe Deus eſt.*

Alii Scholaſticorum negant, alii affirmant: ſed aliqui diſtinguunt inter creationem activam & paſſivam. Nota autem illa regula eſt, quod verbalia in *io* ab activis deſcendentia, & actionem & paſſionem ſignificent. *Active* ergo voce *creationis* ſumpta, damus eſſe Deum ipſum, non *paſſive*: & hoc ita eſſe, oſtenditur: Iſta creatio activa aut creatione creata eſt, aut non: ſi creatione creata, iterum pergam quærere, quid ſit, an creatura, an Deus? ſi creatura, creatione creata, & ſic proceſſus in infinitum.

XXI. *Omnium rerum creatarum idem eſt finis & cauſa efficiens.*

Cauſa efficiens agit propter finem: Cum E. rerum creatarum fuerit efficiens, ut extra creaturas nulla dari poſſit præter Deum; etiam Deus ipſe erit finis omnium.

XXII. *Deus nunquam fruſtratur ſuo fine.*

Cauſa ſecunda fine ſuo fruſtrari poteſt; at non cauſa prima: quia quod fruſtratur ſuo fine, eſt ignorans; at Deus nullius rei eſt ignorans. 2. Quia qui fruſtratur ſuo fine, hoc non eſt in ejus poteſtate, ut fiat; at omnia ſunt in Dei poteſtate.

XXIII. *Ex intellectu humano res divinæ non ſunt judicandæ.*

Utiliſſima eſt hæc regula. Habetur *Eſai.* 59. *Non ſunt viæ meæ ſicut viæ veſtræ*, &c. Affertur autem hæc regula eo, quod multi putant cum Deus condiderit omnia in menſura, pondere & ordine, quod hoc non conſiſtere poſſit quod hæc regula dicit, quia ſunt confuſa multa. *Reſp.* ex hac regula, quod confuſa non ſint æſtimanda, ex intellectu humano, ſed divino.

XXIV. *Aliquid quod eſt abſolute dignius, poteſt certo reſpectu eſſe indignius.*

Dignitas, eſt vel abſoluta, vel relata. Sic Angeli relate conſiderati quatenus miſſi ſunt ad miniſte-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

miniſterium electorum, indigniores ſunt electis. At abſolute in natura ſua conſiderati, electis digniores ſunt. Sic Chriſtus quatenus medium ſalutis, indignior eſt Eccleſia. At abſolute natura ſua conſideratus, infinities Eccleſiam dignitate ſua excedit.

XXV. *Inter bonos Angelos eſt ordo, non naturæ præſtantia, ſed officiorum eminentia.*

Diſputatur inter Theol. qua re nitatur iſte ordo? *Dicimus* nos, niti non præſtantia naturæ, ſed officiorum eminentia.

XXVI. *Imago Dei non dicitur univoce de Chriſto & nobis.*

Nam Chriſtus, *eſſentialis* imago eſt: nos vero, *accidentalis*: & quidem accidentalis analogica, ut dici ſolet.

CAP. VII.

De Prædeſtinatione.

I. *PRædeſtinatio, eſt vel hominum, vel Angelorum.*

Hominum, *Rom.* 8. 30. *Quos prædeſtinavit.* Angelorum, 1 *Tim.* 5. 21. *Et electorum Angelorum.*

II. *Prædeſtinatio, eſt vel electio, vel reprobatio.*

Graviter de eo diſputatur, an prædeſtinatio poſſit tribui utrique. Nos aff. quod vel unico argumento oſtendimus. Si peccata dicuntur in Scriptura prædeſtinata, ergo & homines ad illa patranda: Ergo pertinet ad reprobationem prædeſtinatio. At verum prius, *Act.* 2. 23. & 4. 27, 28. Si ergo peccata dicuntur prædeſtinata, & homines ad illa, cur non reprobationi quoque tribui poſſit vox *prædeſtinationis*? & quidem ratione longe potiori; quia Reprobatio eſt deſtinatio ad pœnam, quæ bona eſt moraliter, quia fit ſecundum leges juſtitiæ Dei: peccata vero mala ſunt, & tamen iis vox *prædeſtinationis* accommodatur: quidni ergo & reprobationi, quæ bona eſt? quippe actus juſtitiæ Dei.

III. *Prædeſtinatio eſt abſoluta à cauſa impulſiva quæ extra Deum eſt.*

Si enim eſſet cauſa impulſiva, quæ moveret Deum ad hoc vel illud agendum, Deus eſſet cauſa dependens. Non autem abſoluta eſt à mediis: verbi gratia, decrevit ſalvare fideles, ſed per & propter Chriſtum; ſic decrevit reprobos damnare propter peccata.

IV. *Objectum prædeſtinationis, eſt aliud ratione finis, prout eſt in intentione; aliud prout eſt in executione.*

Ratione finis, prout eſt in intentione, eſt homo creabilis: Ratione finis, qui eſt in executione, eſt homo condendus, conditus, permittendus in lapſum, lapſus: & ratio prioris eſt, quia finis non eſt de nihilo, ſed de aliquo; jam ille de quo eſt finis, conſideratur ut qui fieri poſſit, & hoc reſpectu Dei non poteſt conſiderari ut quod futurum ſit, nam decreviſſet Deus aliquid futurum incerto fine.

Poſterioris probatio hæc eſt: quia Deus finem hunc, quem ſibi præſtituit in oſtenſione juſtitiæ vindicativæ & miſericordiæ, non poteſt aſſequi (non defectu *potentiæ*, ſed *objecti*) niſi hominem decreviſſet condere, condidiſſet, permiſiſſet in lapſum. Ergo hoc erit etiam objectum ratione finis, prout eſt in executione.

V. *Electio alia eſt ad gratiam, alia ad gloriam.*

Alii ita: Electio alia eſt ad finem, alia ad media: interim ſciendum, non diſtingui ita niſi objectis: Deus enim unico actu omnia vult ita, ut elegit omnia: &, quod dicitur electio ad gratiam, poſterior eſſe electione ad gloriam, id ita intelligendum eſt, quod nim. ſit poſterior *natura*, non *tempore* & ratione; quia, utut Deus unico actu ſimpliciſſimo elegerit nos ad utrumque, tamen elegit nos, ad unum propter aliud, hoc eſt, elegit nos ad gratiam, propterea quia elegerat ad gloriam.

VI. *Electi ſumus, ut ſimus in Chriſto, non quod eramus.*

Torquet locus iſte aliquos, *Eph.* 1, *Elegit nos in ipſo.* Sed nulla hic difficultas eſt. nam elegit nos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

nos eſſe. ita ut ſenſus ſit, elegit nos, non quod eramus, ſed ut eſſemus. Vid. locum parallelum, *Iac.* 2. *verſ.* 5. *Nonne elegit Deus pauperes hujus mundi divites fide?* certe non qui erant, ſed qui eſſent, quemadmodum ex ſequenti themate liquet, nam eodem modo elegit divites, quo hæredes; at hæredes non qui erant, ſed qui eſſent.

VII. *Voluit nobis Deus ſalutem, non in reſpectu ad Chriſtum ratione intentionis; at voluit in reſpectu ad Chriſtum ratione finis in executione.*

Obj. Adverſarii: Si Deus Chriſtum nobis miſit propter ſalutem, Ergo ſalutem prius voluit quam Chriſtum, Ergo non voluit in reſpectu ad Chriſtum; Nam certe propter Chriſtum in nobis ſalus confertur, nec eſt in alio quoquam ſalus, *Act.* 4. *Reſp.* Si iſtud, *voluit*, ratione intentionis accipiatur, verum eſt quod non in reſpectu ad Chriſtum; ſi non, ſed in executione ad Chriſtum, tum certe propter Chriſtum, ἀφαιρετικῶς hoc dicimus: Deus ſalutem nobis dat & conſtituit, ut propter Chriſtum nobis ſalutem eam conferret.

VIII. *Reprobatio, eſt vel negativa, vel poſitiva.*

Negativam dicimus, non eſſe electum; quod Scriptura iſtis verbis effert, *non eſſe ſcriptum in libro vitæ; non eſſe datum Chriſto.* Poſitiva, eſt ordinatio ad pœnas, & ad ea, propter quæ pœna infligitur.

IX. *Reprobatio poſitiva, eſt vel abſoluta, vel comparata.*

Abſoluta, eſt ordinatio ad interitum: efferri ſolet his phraſibus, *præſcriptum eſſe ad æternam damnationem; vaſa compacta eſſe ad interitum. Rom.* 9. Comparata autem, eſt ordinatio non ad pœnam tantum, ſed ad majorem pœnam: verbi gratia, illi qui graviores pœnas ſubituri ſunt, reprobati ſunt comparate ad majores pœnas.

X. *Vocabulum* Electionis *ſumitur vel pro decreto, vel pro temporali electione.*

Pro decreto, *Eph.* 1, *Elegit nos in Chriſto*; pro temporali electione, 1 *Cor.* 1, *Deus enim, quæ ſunt infirma, elegit.*

XI. *Reprobatio itidem accipitur vel pro decreto; ut cum dicimus compacta eſſe ad interitum: vel pro temporali rejectione; ut liquet in Iudæis,* Rom. 10. 11.

XII. *Odium duplex eſt: negativum, vel privativum.*

Negativum dicitur, quando Deus non amat aliquos: & hoc odio dicitur odiſſe Eſavum antequam quicquam mali feciſſet. Odium poſitivum eſt, quo perſequitur peccatores; *Pſal.* 5. 6. poſterius odium eſt propter peccatum: non prius.

XIII. *Amor duplex eſt: benevolentiæ, & complacentiæ.*

Amor benevolentiæ, vocatur à Scholaſticis amor *ordinativus*: & hoc amore etiam amat peccatores, quibus vult benefacere. *Ioann.* 3. *v.* 16. *Sic Deus dilexit mundum* &c. Et *Rom.* 5, oſtendit Deus caritatem ſuam. Amor complacentiæ eſt, quo grati ipſi ſumus: de quo ad *Eph.* 1, *Gratos nos facit in ſuo dilecto.* Vocatur à Scholaſticis *amor collativus*.

XIV. *Prædeſtinatio nihil ponit in prædeſtinato.*

XV. *Deus ita prædeſtinavit ad finem, ut etiam prædeſtinet ad media.*

Inepte ergo ratiocinantur qui dicunt: Si Deus me prædeſtinat ad vitam, ergo ſive credam, ſive non credam, ſalvabor tamen. Nam Deus qui prædeſtinat, non tantum ad vitam prædeſtinat, ſed etiam ad media, per quæ ad vitam pervenitur: verbi gratia, Deus Hiskiæ Regi prolongavit vitam ad annos 15. hic interim monetur Hiskias ab Eſaia, ut ulceri, ex quo decumbebat, palatham ficuum applicet. 2 *Reg.* 20. Sic Paulus acceperat promiſſionem, quod nullus ipſorum cum quibus vehebatur, in mari eſſet periturus: attamen, cum videret fugituros nautas, dicit; *Si hi abierint, non poterimus ſervari*; ſciebat enim, ut ad finem, ita ad media eſſe deſtinatos à Deo.

XVI. *Malum pœnæ, eſt bonum moraliter, malum phyſice patienti.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Eſt uſitata hæc regula in Scholis, & ex ea refellitur Keckermannus, qui arbitrabatur, prædeſtinationem de reprobatione non poſſe recte dici, eo quod prædeſtinatio ratione finis dicitur, damnatio autem finis eſſe non poteſt, quia mala eſt. *Reſp.* Non eſt mala, quatenus conſideratur ut pœna, fit enim ſecundum leges juſtitiæ Dei.

XVII. *Deus unico actu volendi omnia vult, ita tamen ut unum velit propter aliud.*

Quærit. Quid ſit electio, quid reprobatio? *Reſp.* Quod ſit definita Dei voluntas. Ergo, *inquies*, diverſæ ſunt voluntates in Deo. *Reſp.* Vnus tamen actus ſimpliciſſimus, dicitur jam reprobatio, jam electio, ob relationem ad objecta certa & effecta circa hæc objecta. Verbi gratia, dum dico, Creator, Redemptor, Conſervator, unum dico eſſe Deum, ſed varia ſortitur nomina, quia diverſa effecta edit.

XVIII. *Electio immutabilis eſt.*

Regula certiſſima Theologiæ; Cum enim Deus nullo modo mutabilis ſit, etiam voluntatis ratione immutabilis erit, quia voluntas Dei eſt ipſe Deus.

XIX. *Electio abſoluta eſt.*

Obj. Armin. Si abſoluta eſt, ergo abſque mediis. *Reſp.* Abſoluta eſt non à mediis, nec à fine; ſed à cauſa impulſiva extra Deum: nulla enim cauſa impulſiva eſt extra Deum, qua movetur Deus; daretur enim in Deo potentia paſſiva: & ſic mutabilis & imperfectus eſſet.

XX. *Deus vult hoc eſſe propter hoc, non autem propter hoc vult hoc.*

Utiliſſima hæc Scholaſticorum regula eſt in doctrina de prædeſtinatione, modo intelligatur. Hoc autem vult, non eſſe aſſignandam cauſam divinæ voluntatis ex parte actus volendi, quamvis poſſit aſſignari ratio ex parte volitorum, in quantum ſcil. Deus vult eſſe aliquid propter aliquid.

XXI. *Reprobatio eſt antecedens neceſſarium condemnationis & peccatorum.*

Piſcator, qui alias quidem ſolide diſputat de doctrina prædeſtinationis, errorem non parvum erravit, quod ſcilicet ſtatuerit, peccata eſſe effecta reprobationis. Quod falſum eſt; eſſent enim effecta voluntatis divinæ; eſſet hoc pacto Deus auctor peccati. Non eſt ergo reprobatio cauſa, ſed antecedens peccati. Deus elegit fideles non terminative qui erant, ſed objective qui futuri eſſent.

CAP. VIII.

De Dei Providentia.

I. PRovidentia Dei occupatur in efficiendo, conſervando, agendo, promovendo ad agendum, & cum agente concurrendo.

Hi ſunt actus providentiæ divinæ circa bonum; nam facit, conſervat, promovet ad agendum & concurrit in agendo: quod Sp. Sanctus expreſſit his verbis, *Rom.* 11. ult. *Ex quo, per quem, & in quem ſunt omnia.* Ceterum notanda hic venit diſtinctio Scholaſtica, quæ fit ratione motionis. Dicunt: Deus præcurrit, concurrit, & ſuccurrit cum creatura; & ſic Deus eſt præcurſor, concurſor, & ſuccurſor in bonis.

II. *Omnia ſunt neceſſaria in ſenſu compoſito, non in ſenſu diviſo.*

Quæritur: An quæ eveniant, neceſſario eveniant? *Reſpondent* aliqui, ratione cauſæ primæ, non ſecundæ. Sed reſponſio iſta nulla eſt; Nam quod ratione cauſæ primæ neceſſarium eſt, illud etiam ratione ſecundæ. Quia cauſa ſecunda ſubordinatur primæ, nec agit niſi mota à prima. Ergo melius & accuratius reſpondent Scholaſtici, in ſenſu compoſito eſſe omnia neceſſaria; in ſenſu diviſo, contingentia. Senſus compoſitus eſt, quando conſidero rem in ordine ad decretum, & providentiam Dei, cujus reſpectu omnia fiunt neceſſario. In ſenſu diviſo dicuntur res abſolute in ſe conſideratæ ratione habilitatis, ſecundum quam ad hoc vel illud à Deo ordinari poterant. Ita, verbigratia, in oſſibus Chriſti habilitas erat, ſecundum quam poterant divini-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

tus ordinari ut frangerentur vel non. Et hoc pacto omnia extra Deum ſunt contingentia.

III. *Alia eſt neceſſitas immutabilitatis, alia coactionis.*

Fluit diſtinctio hæc ex priori: utimur autem ea potiſſimum contra eos, qui negant, aut contingentiam aut libertatem conſiſtere poſſe cum neceſſitate.

IV. *Neceſſitas, alia eſt abſoluta, alia ex hypotheſi voluntatis divinæ.*

Abſoluta eſt ratione operum Dei ad intra. Ex hypotheſi eſt ratione operum Dei ad extra. Diſtinctio hæc occurrit apud omnes fere Scholaſticos. Ceterum hic facile poteſt corrigi error eorum, qui putant, libertatem non poſſe conſiſtere cum neceſſitate; quoniam Deus omnia quæ ad extra facit, facit neceſſario ex hypotheſi decreti ſui, & tamen libere.

V. *Dicuntur quædam curæ non eſſe Deo, non quod omnino non ſint, ſed quod ita curæ non ſint ut alia, adeoque id dicitur non abſolute, ſed comparate.*

Deus curat omnia, ſed tamen unum magis quam aliud, quia unum curat propter aliud; & in comparatione dicitur non curare ea, quæ minus curat; ut liquet 1 *Cor.* 9. *Num boves curæ ſunt Deo*? quaſi diceret non ſunt curæ Deo; quod autem res ita ſe habet, liquet ex paſſerculis & capillis capitis noſtri. Nam ſi hos & illos curat, quidni etiam boves?

VI. *Dicitur Deus neſcire aliquos, non quod ignoret aut non curet illos, ſed quod non approbet illos.*

Aliqui ἄθεοι inde volunt extruere, Deum non omnia curare, quia dicitur Deus ſuos tantum noſſe, 2 *Tim.* 2. *Novit Deus qui ſint ſui.* Item improbos non noſſe, quia Chriſtus *Matth.* 7. dicit, *Non novi eos.* Jam, dicunt, ſi non novit, quomodo poteſt eos curare? *Reſp.* ex diſtinctione data, Cognitionem Dei aliam eſſe nudam, aliam approbantem. Novit illos Deus cognitione *nuda*, erit enim illorum judex; at non novit approbatione, de qua *Pſal.* 1. *v. ult. Novit Deus viam juſtorum.*

VII. *Circa mala culpæ, Dei Providentia occupatur diverſimode.* 1, *Illa decernit.* 2, *Permittit.* 3, *Ad finem certum efficaciſſime dirigit, adeo ut ex malis bonum eliciat. Denique, terminos malis ponit, ne ultra vadant quam Deus vult. Vltimo, punit.*

Hi ſunt actus providentiæ divinæ circa mala: decernit illa, quæ enim eveniunt decrevit: & permittit illa, ſi enim non permitteret, non evenirent: & dirigit illa ad finem, ut liquet ex peccatis, Joſephi nimirum venditione, Chriſti crucifixione: & finem ponit, ne ulterius pergant peccatores, quam ille permittit; Ioſephum enim vendere, non trucidare, poterant; Judæi Chriſtum quidem trucidare poterant, non autem frangere oſſa ejus.

VIII. *Permiſſio duplex eſt; Phyſica, & Ethica: Ethica, eſt conceſſio: Phyſica,* τὸ *non impedire; quæ ſpectatur circa peccatum.*

IX. *Phyſica, conſiſtit vel in ſubtractione gratiæ Dei, vel in promotione ad agendum.*

Aliqui anguſte definiunt, permiſſionem eſſe ſubtractionem gratiæ; Sed latius patet, ut jam audiemus. Ceterum ſubtractio gratiæ vocatur etiam derelictio à Deo, 2 *Chron.* 32. *verſ.* 31. *Dereliquit ipſum Iehova*. Promotio vero ſpectatur in peccato commiſſionis; niſi enim Deus commoveret creaturam peccatricem, non moveretur, atque adeo non peccaret, quemadmodum niſi quis claudum equum impellat ad curſum, ut non ambulabit, ita non claudicabit. Interim tamen ſciendum eſt, duo eſſe in peccato, ipſum motum, & ἀταξίαν ſive irregularitatem; motûs Deus auctor eſt, ſed non ἀταξίας.

X. *Deus eſt cauſa cur peccatum exiſtat, ſed non cur ſit.*

Quemadmodum, qui agit equum claudum, cauſa eſt cur exiſtat claudicatio, ſed non cur ſit; nam pes claudi equi eſt cauſa cur ſit, ac proinde

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

pes equi eſt cauſa claudicationis; non vero ille qui impellit equum ad curſum. Ita etiam creatura eſt nutrix peccati; non Deus, quia creatura ipſa deficit in operando.

XI. *Bonis nunquam male, & malis nunquam bene ſit in hac vita.* Pſal. 37. & 73.

Super hac re elegantem Hiſtoriam ad hoc probandum adfert *Bradvvardinus, de Cauſa Dei*: quæ ſive vera, ſive ficta, clare tamen rem ob oculos ponit. Erat, inquit, aliquis *Eremita*, qui cum crederet, malis bene & bonis male fieri, fluctuare cœpit cum animo ſuo, an Deus eſſet; &, ſi eſſet, an juſtus eſſet, cum res humanæ perverſo plane ordine procederent. Ac proinde deſerta vita Eremitica, cœpit vagari per orbem terrarum. Dum ita agit, adjungit ſe ei Angelus, in ſpecie viri, qui una cum ipſo peragrare provincias cœpit. Venerunt itaque uterque ad quemdam qui ipſos humaniter & accepit & tractavit: huic media nocte ſurgens Angelus, aufert ſcyphum aureum, & ita cum Eremita diſcedit. Venerunt poſtea ad quemdam, qui illos etiam humaniter excepit, & humaniter habuit: Angelus media nocte ſurgens cum Eremita, accedit ad cunas, & infantulum in iis ſuffocavit. Venerunt tertio ad quemdam qui illos ſub tectum recipere noluit, ſed ſub dio pernoctare ſivit: mane ergo facto, pulſat Angelus fores, & poculum illud aureum, quod abſtulerat viro illi bono, malo tradit, addens, Hoc tibi do pro hoſpitio, quo nos excepiſti commodo. Vltimo pervenerunt ad quemdam qui eos humaniſſime habuit: Angelus jam abiturus petit ab eodem, ut ſecum ſervum mittat, qui viam ipſis oſtenderet. Hoc facto, cum ad pontem deveniſſent qui ſtratus erat ſuper fluvium rapidum; Angelus accepto ſervo præcipitem eum egit in fluvium. Eremita his viſis atque perpenſis, Iam, inquit, divortium à te faciam, quia ſceleratus homo es: at vero Angelus illi, Expecta, inquit, dicam tibi quis ſim, & iſta quæ facta ſunt, juſſu Dei juſte facta eſſe, te edocebo.

Sum, inquit, Angelus Dei, miſſus ad te docendum, multa, quæ videntur homini injuſta, juſtiſſima eſſe & optima. Acceſſimus ad primum iſtum, cui abſtuli poculum aureum: iſti viro in hoc profui; nam vir iſte timebat Deum antequam poculum hoc habuiſſet: poſtquam acceपiſſet, inebriabatur in ſingulos dies; ergo miſit me Deus, ut auferrem iſtud incitamentum ad ebrietatem, ne vir bonus periclitaretur de ſalute æterna. Iſti alteri inhumano, cui dedi poculum, non profui hoc poculo, ſed nocui multum; nam poculo hoc invitatur ad vitium id, quod antea vir bonus exercebat, hoc eſt, ad potandum: propterea voluit ei Deus dare aliquid in hac vita, cum poſt hanc vitam nihil habiturus ſit. Cujus infantem interfeci, fuit vir liberalis in pauperes, antequam prole iſta beatus eſſet. At poſtquam natus illi eſſet infans, retraxit manus à pauperibus: Ergo, ne & iſte in diſcrimine ſalutis propterea verſaretur, verum ad priſtinam rediret liberalitatem, juſſu Dei infantem percuſſi. Quod famulum iſtum attinet, quem miſerat nobiſcum dominus ad viam nobis monſtrandam, inſtituerat ſceleratus iſte hac nocte trucidare dominum & dominam cum liberis; quia autem Deus amat familiam iſtam, miſit me ut hoc malum præcaverem. Abi, inquit, & noli de Providentia divina, quia bonis male, & malis bene fit, perverſe judicare.

XII. *In providentia divina fines nobis ſæpe ſunt occulti.*

Certe multi occulti: & inde fit, quod nos providentiam divinam potius adorare debemus, quam ſcrutari.

XIII. *Cum Providentia Dei efficaci conſiſtit contingentia & libertas.*

Quia lapſus paſſeris contingens eſt, & tamen non fit ſine Dei providentia. Ita quod Rehabeam reſponſum dedit Senioribus minus gratum, contingens fuit, & tamen ratione Dei proviſum. 1 *Reg.* 12. 15.

CAP. IX.

De Libero Arbitrio.

I. *Liberum arbitrium aliter ſe habet in ſtatu integritatis, aliter in ſtatu lapſus,*

pſus, aliter in ſtatu reparationis, aliter in ſtatu glorificationis.

In integritate, potuit homo ſtare & non ſtare; in ſtatu lapſus, non poterat non peccare, liberrime tamen peccabat; in ſtatu reparationis, pronus eſt partim ad bonum, partim ad malum, pro modulo ſcil. regenerationis; in ſtatu glorificationis, non poterit peccare. Explicatius hoc ipſum jam ſupra deductum eſt.

II. *Homo in ſtatu integritatis, non poterat non labi, in ſenſu compoſito; poterat non labi, in ſenſu diviſo.*

Diſputant de hoc Theologi, an homo poterat non labi in ſtatu integritatis: ſed diſtinctione tollitur difficultas. Nam, ſi decretum Dei ſpectes, non poterat non labi homo, id eſt, neceſſario lapſus eſt; & hoc eſt hominem conſiderare *in ſenſu compoſito.* Si vero in ſe ipſo, id eſt, in ſenſu diviſo, ſpectes hominem, prout aptus erat ad ſtandum vel cadendum; poterat vel labi vel non labi.

III. *Libertas, eſt vel contradictionis, vel contrarietatis.*

Contrarietatis eſt, quæ ſe habet ad bonum vel malum: Contradictionis eſt, quæ ſe habet ad unum idemque objectum vel acceptandum vel rejiciendum.

IV. *Libertas, alia eſt à jure, alia à miſeria, alia à coactione.*

A *jure*, in ſolum Deum cadit; & inde dicitur eſſe abſolutæ poteſtatis. Libertas *à miſeria*, cadebat in hominem in ſtatu integritatis, cadit in Angelos bonos, cadet etiam in nos glorificatos. A *coactione*, cadit in omnem creaturam rationalem.

V. *Quædam actiones liberæ ſunt, quædam invitæ.*

Liberæ actiones ſunt, quando quis libenter agit. Invitæ, quando invitus: verbi gratia, ſi quis à latrone cogatur bona ſua tradere, ſi quis in mari ad elevandam navem, cogatur merces ejicere.

VI. *Voluntas cogi non poteſt.*

Si enim cogeretur, vel quod vellet nollet, vel quod nollet vellet. Et ſic voluntas eſſet noluntas.

VII. *Voluntas ſemper fertur in bonum ſub ratione boni.*

Sed bonum duplex eſt, *verum*, vel *apparens*: nam ſæpe videtur bonum intellectui quod malum alias eſt; & in illud fertur voluntas ſub ſpecie veri.

VIII. *Voluntas ſequitur intellectum.*

Nam, ſi non ſequatur ductum intellectus, tum vel fertur in ignotum, quod eſt contra naturam; quia ignoti nulla cupido: vel fertur in malum ſub ratione mali, quod etiam erit contra naturam; nam quodlibet ſeipſum amat inſtinctu naturali.

IX. *Voluntatis actiones multiplices ſunt, & non ejuſdem generis.*

Hæc regula eſt Ethica, ſed quæ uſum magnum habet in Theologia. Dantur enim actiones quædam *elicitæ*, quædam *imperatæ*. Elicitæ ſunt internæ: ut, amare, odiſſe. Imperatæ ſunt, quæ jam extra ſubjectum ſunt; ut, amplecti, rejicere.

CAP. X.

De Peccato.

I. *PEccatum, eſt vel originale, vel actuale.*

Originale eſt, in quo, & cum quo, naſcimur; quod incipit eo ipſo momento, quo incipimus fieri homines.

II. *Originale peccatum, vel imputatum eſt, vel inhærens.*

Imputatum, eſt defectio Adami nobis à Deo imputata, ac ſi à nobiſmet ipſis eſſet commiſſa, ac ea propter æque rei habemur. Inhærens, eſt depravatio naturæ noſtræ atque inclinatio ad omne malum, ex imputato peccato ortum, tanquam ex matrice, trahens, quo peccato in-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

hærente Deus illud prius imputatum in nobis punit. At contra imputationem peccati inferri poteſt, Nos ipſos in Adamo peccaſſe, adeoque imputatione non opus eſſe. *In quo peccavimus*, inquit Apoſtolus, *Rom.* 5. 12. *Reſp.* Iſtud, *in quo*, non *ſubjective*, ſed *cauſaliter*, accipiendum eſſe. Ita nimirum quemadmodum in Adamo dicimur mortui. Atqui hoc ineptum eſſet *ſubjective* explicare; quia mortui fuiſſemus, priuſquam nati. Ergo, Mortui ſumus in Adamo, explicandum eſt, Morimur, quia per Adamum mors ingreſſa eſt in mundum. Sic etiam illud, *In quo omnes peccarunt*. Omnes peccamus, quia nos Adam peccare fecit; ſive, ipſius cauſa peccamus, quia ille peccavit.

III. *Imputatur autem non tantum Adami, ſed & Evæ peccatum.*

Probatur hoc ex pœna mulieri inflicta, *Gen.* 3. *verſ.* 16. quæ omnibus mulieribus infligi non potuiſſet, ſi illis Evæ peccatum non fuiſſet imputatum. Scharpius & alii contrarium probant *ex Rom.* 5. *Vnius offenſa* &c. *Reſp.* Illud eodem modo explicari debere, quo maritus & uxor dicuntur unum corpus, & vir uxoris caput. Proinde Adamus ibi conſideratur ut caput; non tamen excluditur Eva, tanquam altera illius pars.

IV. *Imputatio, non eſt actus phyſicus, ſed moralis.*

Proinde non requiritur, ut objectum ſit præſens; ſed tantum, ut ſit certo futurum. Itaque dicimus, propagatione naturali imputari omnibus ex Adamo naſcituris peccatum; ſicuti, ex pacto Dei, juſtitia Chriſti imputatur omnibus in eum credituris.

V. *Dum dictum eſt, Morte morieris, quadruplicem mortem Deus intellexit.*

Mortem temporariam; mortem ſpiritualem peccati; mortem calamitatum; mortem denique æternam. At dictum, *inquies*, Quo die comederis, morte morieris; unde videtur ſequi, non poſſe hanc comminationem verificari de morte temporaria, atque æterna. (De reliquis quippe duabus mortis ſpeciebus nulla lis eſt; eo ipſo ſiquidem die primus homo mortuus eſt ſpiritualiter morte peccati; morte etiam calamitatum, quandoquidem ab eo ipſo momento morbis, laboribus, &c. fuit ſubjectus.) Non enim Adamus eo die, quo comedit de fructu vetito, vel morte temporaria, vel æterna mortuus eſt. *Reſp.* Phraſis illa, *Quo die comederis, morte morieris*, explicanda eſt per, obnoxius fies morti, reus fies mortis, in mortis temporariæ & æternæ poteſtatem devenies: quæ etſi tibi ad tempus parcent, tamen certo certius te manebunt; different, non auferent juris ſui exercitium, atque poteſtatis.

VI. *Videtur peccatum originale non tantum imputatum, ſed etiam inhærens.*

Tres obſervantur actus in generatione hominis, conceptio, formatio, nativitas. In omnibus his jam peccatum præſto eſt. De prioribus duobus clariſſima ſunt verba Davidis, *Pſal.* 51. 7. De ultimo, *Eph.* 1. 3.

VII. *Peccatum originale inhærens, pœna eſt peccati imputati.*

Nam Deus propter peccatum morte ſpirituali afficit, quæ etiam continetur in comminatione illa, *morte morieris*; quæ mors ſita eſt in privatione imaginis divinæ, & perverſitate naturæ.

VIII. *Peccati hujus duæ ſunt partes: altera poſitiva, altera privativa.*

Theologi dicunt, poſteriorem iſtius peccati partem, privativam ſc., efferri in Scriptura, dum dicitur, quod homo non ſit capax eorum quæ ſunt ſpiritus Dei; quod non ſubjiciatur legi Dei; quod non poſſit benefacere, *Ier.* 13, 23. Poſitivam vero, cum homo dicitur ad malum ferri omni die, *Gen.* 6. Dicitur autem hæc qualitas poſitiva, non *Ethice*, eſſet enim bonum quid, virtus; nec *Phyſice*, quia & ſic boni quid eſſet. Sed *Logice*, quia hoc de homine affirmatur, quod talis ſit.

IX. *Peccatum originale omnium actualium cauſa eſt.*

Cur ergo, inquis, actualia peccata non in omnibus æqualia? hic altero magis ad peccatum pronus, nec pronus tantum, ſed & peccat alter

altero magis? *Reſp.* 1. Ratione regenitorum, quia mortificatio veteris hominis in iis inæqualis. 2. Ratione irregenitorum, unum altero magis gratia Dei, quam Theologi *coërcitionis* vocant, inhiberi, ne præceps in omne ſcelus ruat. Cum ergo unus altero magis à Deo coërceatur, non mirum eſt, dari gradus ſceleratorum.

X. *Peccatum originale, omnium graviſſimum eſt, cum ex illo actualia fluant.*

Maximum eſt *extenſive*, non *intenſive*; Nam peccatum in Spir. Sanct. eſt maximum intenſive.

XI. *Peccatum actuale (quod eſt omnis actus legi Dei repugnans) eſt vel per ſe, vel per accidens.*

Peccatum *per accidens*, eſt omne opus quod lex prohibet, ſi fiat abſque fide. Talia ſunt opera gentilium, quæ alioqui cum materiali legis conveniunt. Peccatum per ſe, eſt omne opus Dei prohibitum.

XII. *Peccatum per ſe, diſtinguitur vel ex objecto, vel ex accidenti, vel ex gradibus.*

Ex objecto, aliud eſt *omiſſionis*, quod committitur contra præcepta affirmativa; aliud, *commiſſionis*, quod contra negativa committitur præcepta. Ex accidenti, aliud *regnans* eſt, cum auſcultamus peccato, *Rom.* 6. aliud *non regnans*, cum carnem crucifigimus cum ejus concupiſcentiis, *Gal.* 5. *Illud* in irregenitos tantum cadit. *Hoc*, etiam in regenitos. Ex gradibus, aliud eſt peccatum *per ignorantiam*, aliud quod *ſcienter* & ultro committitur. Poſterius priore gravius eſt. Prius *à tanto*, non *à toto* excuſat. Ex gradibus etiam peccatum aliud eſt, quod committitur *in legem Dei in genere*; aliud, quod *in doctrinam Evangelii cognitam in ſpecie*. Poſterius priore gravius eſt. Utut enim prius quandoque, imo ſemper, in electis remittatur; poſterius tamen nunquam, & vocatur peccatum in Spiritum Sanctum.

XIII. *Peccatum gradus ſuos habet.*

Vulgo recenſentur quatuor. 1, Deliberatio. 2, Propoſitum peccandi. 3, Factum ipſum. 4, In facto ſibi complacere. Hi gradus ita ſe habent, ut poſterior gravior ſit priore. Addunt aliqui quintum, gloriationem ſcilicet; quod peccatum non humanum, ſed diabolicum eſt.

XIV. *Peccatum non tantum in voluntatem cadit, ſed etiam in intellectum.*

Sunt aliqui ex Theologis, qui putant, non cadere peccatum, niſi in voluntatem. At inepte. Nam error mentis etiam peccatum eſt, at hic eſt in intellectu. 2. Deliberatio, intellectus eſt; at deliberatio de eo quod eſt prohibitum ne facias, eſt primus peccati gradus; accedit, quod homo totus, quantus quantus eſt, regignitur; unde etiam non tantum voluntas, ſed etiam intellectus regignitur, quod utique futurum non eſſet, ſi peccatum in intellectum non caderet.

Obj. Omne peccatum debet eſſe voluntarium; quod autem eſt in intellectu, non eſt, voluntarium, quia intellectus præcedit voluntatem. Ergo. *Reſp.* Majorem falſam eſſe; nam quædam ſunt, quæ etiam per ignorantiam committuntur, *Num.* 6. *Gen.* 26. & hæc non poſſunt dici voluntaria, & tamen ſunt peccata. 2. Dicimus, voluntarium dupliciter dici, vel terminative, vel efficienter; priori modo peccata poſſunt dici voluntaria, ratione voluntatis, à qua determinantur; poſteriori, ratione intellectus, à quo prima dubitatio procedit.

XV. *Peccatum aliud ſit ex ignorantia, aliud quod ſcienter committitur.*

Ex ignorantia dupliciter committitur peccatum, vel quando ignoratur quod ſit peccatum, in *theſi*, vel in *hypotheſi*; hoc eſt, quando ignoratur an liceat furari, an ſcortari, nec ne: vel quando committitur ex ignorantia in hypotheſi, hoc eſt, quando in genere ſcio, non eſſe furandum, ſed puto, mihi conducere ut furer; & hæc ignorantia quæ eſt ex hypotheſi, peccatum eſt, quando à ſciente committitur. Prior excuſat *à tanto*, non *à toto*.

XVI. *In peccato commiſſionis diſtinguendus eſt motus & defectus motus.*

Solent Theologi dicere, diſtinguendum eſſe mate-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

materiale in peccato commiſſionis à formali. Materiale, bonum eſt: eſt enim motus. At formale, ſive defectus & deformitas (nam utroque nomine indigitatur); mala eſt.

XVII. *Peccatum omiſſionis refertur ad peccatum actuale, non quod actu ſit (eſt enim omiſſio actionis debitæ); ſed quod tanquam privatio referatur ad ſuum habitum, & ille ad actionem.*

Bene hoc animadvertendum, nam digladiantur de hoc multi, quomodo hoc peccatum ad actuale referri poſſit, cum ſit potius actionis omiſſio.

XVIII. *Peccatum, aliud eſt in Deum, aliud in proximum.* Matth. 18. 15.

Verum quidem eſt, omne peccatum in Deum committi, atque adeo nullum peccatum poteſt dici, quod non in Deum committatur; verum hæc diſtinctio non fundatur in eo, quod omne peccatum non ſit contra Deum, ſed in hoc, quod non omne contra Deum immediate committatur; quædam enim, mediante proximo. Hinc etiam, quia omne peccatum in Deum committitur, ſive illud immediatum ſit, ſive mediatum, nemo etiam peccata auctoritative remittere poteſt; eſt enim id jus ſolius Dei, in quod nemo involare nec poteſt, nec debet. Quod vero nos dicimur remittere proximo: id non de *culpa* intelligendum eſt, ſed de *noxa* tantum, ſive de injuria quæ in nos per peccatum proximi commiſſa eſt.

XIX. *Peccatum, aliud eſt regnans, aliud non regnans.* Rom. 6.

Poſterius cadit etiam in regenitos; prius autem non, ſed in ſolos irregenitos.

Obj. Rom. 7. *Mente ſervio legi peccati:* quod Paulus dicit de regenitis. *Reſp.* Aliud eſt, ſervire *coacte*; aliud *ultro*: peccatum non in iis regnat, qui ſerviunt coacti, ſed qui ſerviunt ultro.

XX. *Aliud eſt, peccatum in ſe; aliud, in alium.*

Peccatum in ſe, graviſſimum eſt, ut liquet 1 *Cor.* 5. & 6. Et ratio eſt, quia nobis ipſis debemus gradum maximum amoris; ſi ergo in nos ipſos peccemus, maxime peccamus.

XXI. *Peccatum, aliud eſt, quod committitur ex infirmitate; aliud, quod ex pleno appetitu.*

Diſtinctionem hanc rident Arminiani, & dicunt; An non ſceleratus etiam peccat ex infirmitate, cum peccat, quia natura ipſius non poteſt bonum? *Reſp.* Non. Nam dicimus, eos ex infirmitate peccare, qui viribus quidem reſiſtunt peccatis, ſed viribus imperfectis; unde fit, ut labantur: tamen, quia ſciunt, quid ipſorum ſit officium, quia à Sp. Sancto regenerantur, dolent ob admiſſa peccata. Illi vero non poſſunt dici infirmi, qui plane mortui ſunt in peccatis, ſed illi qui vivunt vita ſpirituali; quod in ſceleratos non quadrat.

XXII. *Gravius peccant fideles, quam infideles.*

1. Quia cognitionem majorem habent. 2. Quia habent vires reſiſtendi, etiamſi imperfectas; hi vero nullas. Viciſſim gravius peccant infideles. 1, Quia illi pleno appetitu feruntur in peccata, fideles autem fracta voluntate. 2. Fideles dolent ob admiſſa peccata, hi vero ſibi placent ob commiſſa peccata.

XXIII. *Illuminatio duplex eſt: Convincens in tantum, ut quis convincatur; & talis cadit in irregenitos: & Perſuadens, qua quis ita afficitur, ut ipſi perſuadeatur; & hæc ſola eſt fidelium. De prima agitur* Heb. 6.

XXIV. *Peccatum in hac vita tollitur infidelibus.* 1, *ut ex parte non ſit.* 2, *ut plane non imputetur.*

Sunt ergo peccata in fidelibus, ſed non imputantur.

XXV. *Peccatum nullum datur veniale, ſed omne ſua natura mortale eſt.*

Ex eventu quædam ſunt venialia, quæ remittuntur propter gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti.

XXVI. *In*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

XXVI. *In peccato, eſt averſio à bono, & converſio ad malum.*

Nam in omni peccato avertit ſe homo à Deo ad creaturam, ſive ad uſum creaturæ illicitum.

XXVII. *Peccatum Adæ non ineſt nobis inhærenter.*

Quia eſt actus tranſiens: nobis autem imputatur.

XXVIII. *Qui peccat in uno, omnium eſt reus.*

Regula Scripturæ; cujus intellectus paulo obſcurior. Sciendum ergo eſt, reum teneri omnium, non quod pœnam eam laturus ſit, quæ ſit adæquata omnibus iſtis, ſed pœnam laturus ſit talem, quam ferunt ob ſingula iſta peccatores, videlicet mortem æternam. Clarius, Meretur talis maledictus pœnam æternam, ſed non eo gradu, quo is, qui contra multa deliquit.

XXIX. *Peccati locus eſt in hac vita.*

Quærunt aliqui; An poſt hanc vitam in inferno improbi peccent. Aliqui affirmant. Sed Scholaſtici negant. 1, Quia lex nulla in inferno erit: ubi autem nulla lex, ibi nulla tranſgreſſio. 2, Etiamſi lex eſſet, non tamen futurum eſſet peccatum, quia omnes facultates hominum ita erunt defixæ ad pœnas, quas perferent, ut non ſit occaſio aut locus peccandi ipſis.

XXX. *Peccatum afficit hominem morte æterna, non efficienter, ſed meritorie.*

Hoc eſt, peccatum eſt cauſa meritoria, ſed ipſum non infligit, ſed Deus propter hoc: itaque Deus inflicturus eſt pœnam peccatoribus propter peccata, & merita ipſorum.

XXXI. *Deus peccata non poteſt non odiſſe.*

Pugnat enim cum natura Dei, nim. ſanctitate, ut *Ioſua* 24, Deus fortis ſanctus eſt, non fecit defectionem veſtram. *Habac.* 1, Purior eſt oculus ejus, quam ut videat malum.

XXXII. *Peccatum, meretur ex eo, quia eſt in debitum: infinitam autem pœnam, quia in infinitum Deum committitur.* Scholaſtici ſolent vocare in malo demeritum, ita ut dicant demeritum eſſe, quia quo quid bonum magis eſt, eo magis meretur amari; majus ergo peccatum committitur, quanto melius eſt ſubjectum in quod committitur. At cum bonum infinitum; reatus quoque infinitus inde emergit.

XXXIII. *Conſequens peccati, eſt vel* reatus, *vel* pœna, *vel* macula.

Reatus eſt meritum, ut perſona quæ peccavit puniatur, *Deut.* 27. *Maledictus*, &c. qui reatus in fidelibus tollitur, *Rom.* 8.1. At, *inquis*, ubi peccatum, ibi reatus. In fidelibus eſt peccatum. Ergo reatus. *Reſp.* Vbi eſt peccatum, quod imputatur, ibi reatus. Atque ſic negatur Minor. quia utut ſit in fidelibus peccatum, tamen iis non imputatur; quia Chriſtus pro iis eſt peccatum factus, 2 *Cor.* 5.

XXXIV. *Aliud eſt pœna, aliud eſt caſtigatio.*

Caſtigatio enim ſemper à Deo tanquam patre amante proficiſcitur, & in bonum ejus, qui caſtigatur, vergit. Pœna vero ab irato Deo & judice, in malum ejus, qui punitur. *Illa*, eſt virga in manibus Dei Patris, filios ſuos quos diligit, bono eorum, caſtigantis. *Hæc*, eſt ſceptrum ferreum, malo eorum, tanquam ollam fictilem, conterentis.

XXXV. *Malum culpæ, majus eſt malo pœnæ.*

Ideo homini quidvis potius agendum eſſet, priuſquam peccato ſeſe coinquinaret, priuſquam minimam culpam admitteret.

XXXVI. *Miniſtri remittunt peccata* miniſterialiter, *&* declarative, *non* auctoritative.

Quia habent tantum clavem miniſterialem, non herilem, quæ ſolius Chriſti eſt.

ADDITVM.

Quæritur: Cum Deus homini, qui peccavit, mortem minatus ſit, annon mutaverit ſententiam, dum Chriſtum vice ejus punivit, qui vice Adami & fidelium mortem ſuſtinuit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Reſp. Deus ſententiam nunquam mutat, etſi videatur contrarium facere rei, quam prædixerat ſe facturum; quia quod tali caſu prædixit, conditionatum erat, etſi conditionem reticuerit. Exemplum in Ninivitis. Alii dicunt, Deum non omnia dixiſſe illa comminatione, *morte morieris*, ſed quædam, quæ facturus erat, reticuiſſe eum; quod ex eventu patuit. Verbi gratia, in hunc ſenſum; *quo die comederis, morieris*; hoc prolatum fuit; tacitum vero; *aut in propria perſona, aut in perſona Redemptoris*. Huic reſponſioni Martyris adſtipulamur.

CAP. XI.

De Perſona Chriſti, ejuſque officio.

I. ALiud *eſt*, totus Chriſtus: *aliud*, totum Chriſti.

Uſus hujus eſt in hoc. 1, Quod totus Chriſtus dicitur eſſe ubique, non autem totum Chriſti. 2, Quia totus Chriſtus à nobis adorari dicitur, non totum Chriſti, hoc eſt, humana natura.

II. *Aliud eſt in Chriſto* humana, *aliud* divina *natura*.

III. *Chriſtus Mediator eſt ratione divinæ naturæ*, efficienter; *ratione humanæ*, meritorie.

Uſus hujus maximus eſt. dicitur Chriſtus vivificare, reſſuſcitare, Sp. Sanct. mittere; at hic ſemper diſtinguendum eſt inter efficienter Mediatorem, & meritorie.

IV. *Aliud eſt, objectum* adorationis; *aliud*, conſiderationis *in adoratione*.

Quæritur: Quodnam ſit objectum cultus religioſi. Dicimus, *Formale objectum* eſſe Deum: at vero objectum *conſiderationis* in hoc ipſo cultu, eſt humana Chriſti natura & officium mediatorium; hoc eſt, Deum quidem adorari & invocari à nobis, ſed cauſam meritoriam iſtius, cur adoremus eum, aut adorare poſſimus, eſſe penes Chriſtum Mediatorem, & humanam naturam, juxta illud *Dan. 9. Domine, exaudi nos propter Dominum.*

V. *Aliud eſt*, concretum; *aliud*, abſtractum, *in doctrina de perſona Chriſti.*

Hic aliter ſumitur abſtractum, & concretum, ac in Logicis. Nam per *concretum* hic intelligitur *perſona*; per *abſtractum, natura.* Tenendæ autem ſunt quædam regulæ ad hanc diſtinctionem, ex quibus bene intelligitur. 1, Perſona denominatur ab alterutra natura in concreto: ut, Homo Chriſtus, non ſignificat humanitatem tantum, ſed totam perſonam, humanam ſcilicet & divinam naturam. Chriſtus Deus non ſignificat deitatem tantum, ſed Chriſtum Deum & hominem. 2, Abſtracta efferuntur vel *abſolute*, ut, humanitas Chriſti, divinitas Chriſti; vel *limitate*; verbi gratia, Chriſtus homo, quatenus homo; Chriſtus Deus, quatenus Deus.

VI. *Communicatio proprietatum, alia eſt* verbalis, *alia* realis.

Realis, eſt in *concreto*; verbalis, in *abſtracto*: hoc eſt, quod tribuitur naturæ alterutri, hoc tribuitur toti perſonæ in concreto *realiter*: at vero ratione naturæ, à qua denominatur concretum, tantummodo *verbaliter*. Verbi gratia: Cum Deus dicitur proprio ſanguine redemiſſe Eccleſiam, de perſona Chriſti hoc dicitur in concreto realiter. At vero verbaliter, de natura à qua perſona denominatur. Ita *Ioann. 3. Nemo aſcendit in cælum*, &c. Dicitur realiter de Perſona hac, quæ eſt Filius hominis, quod ſit in cælo & in terra. At vero verbaliter tantum de humana natura, quæ ubique non eſt.

VII. *Alia eſt communicatio* tranſitiva, *alia* intranſitiva.

Lutherani perpetuo objiciunt, eodem modo divinam naturam communicaſſe proprietates ſuas humanæ, quomodo ſe ipſam communicavit. *Reſp.* Divinam naturam intranſitive ſe communicaſſe naturæ humanæ, hoc eſt, ut divina natura maneat divina, humana humana, per iſtam enim communicationem humana Chriſti natura non eſt deificata.

VIII. *Aliud*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

VIII. *Aliud eſt* potentia, *aliud* poteſtas *in Chriſto.*

Lutherani itidem argumentantur: Chriſto data eſt *omnis poteſtas*, ergo & *omnipotentia*. Sed inepte: Nam *poteſtas* aliud eſt quam *potentia*: poteſtas enim eſt ἐξουσία Græcis. At vero potentia Græcis eſt δύναμις· prius notat *officium*; poſterius, *vim, robur*: ita ut in diverſis etiam ſint prædicamentis. Nam poteſtas eſt in relatione, potentia autem in qualitate, nimirum in ſecunda ſpecie, potentia naturali. At *objicit*. Chriſto data eſt δύναμις, κράτος, ut Apoc. 5. 14. & 7. 12. *Reſpond.* Eſſe Metonymiam Antecedentis & Conſequentis, adeo ut ponatur antecedens, & conſequens intelligitur. Dicitur ergo robur tradi, quia cognoſcitur ipſi traditum, antecedens pro conſequente. Quemadmodum *Ioan.* 17, *Glorifica me ea gloria quam habui*, antecedens ponitur, & conſequens intelligitur: nam hic nihil aliud intelligitur quam manifeſtatio gloriæ.

IX. *Aliud eſt in Chriſto* Perſona, *aliud adjunctum* ἐνυπόστατον.

Perſona eſt ſola divina natura: Non enim ſentiendum eſt, perſonam Chriſti quaſi conflari ex humana & divina natura, ac quaſi ex partibus conſtitui; ſed quod divina natura ſit ſola perſona, quæ in ſuam perſonalitatem aſſumpſit humanam naturam: humana verò natura eſt adjunctum ἐνυπόστατον.

X. *Aliud eſt, Prophetam eſſe Dominum; aliud, ſimpliciter eſſe Prophetam.*

Chriſtus eſt Propheta *Dominus*; nemo reliquorum Prophetarum eſt Propheta *Dominus*, ſed miniſter ac famulus: Prophetæ Domini in obliquo caſu, non Domini in recto, ſunt omnes Prophetæ. *Heb.* 3. 5, 6.

XI. *Aliud eſt* immediate *docere*, *aliud* mediate.

Chriſtus in carne exhibitus docuit immediate externe; ſed mediate docuit ab initio mundi. Hinc 1 *Petr.* Spiritus Chriſti dicitur fuiſſe in prophetis. Et hinc dicitur Chriſtus prædicaſſe temporibus Noë per Spiritum ſuum. 1 *Petr.* 3.

XII. *Aliud eſt* interne *docere*, *aliud* externe.

Chriſtus ſuos fideles interne docuit inde ab initio mundi. Et hoc ſolius Dei eſt. Externe etiam infideles docentur, etiam ab infideli Mercenario.

XIII. *Illuminare omnes homines, dupliciter dicitur: vel illuminare omnes ſingulos; ſic Chriſtus non illuminat ſingulos: vel illuminare eos qui illuminantur.*

Dantur enim tales propoſitiones in Scriptura, quarum ſubjectum limitandum eſt per ſuum prædicatum: verbi gratia, *Pſal.* 145. 14, *Deus ſuffulcit omnes cadentes & erigit omnes incurvatos.* Hic certe non omnes ſinguli cadentes, & incurvati, à Domino dicuntur ſuffulciri & erigi; quot enim ſunt, qui cadentes non ſuffulciuntur? incurvati qui non eriguntur? ſaltem de iis non procedit hoc pronuntiatum, de quibus *Pſal.* 36. 13, *Ceciderunt operarii iniquitatis, & non potuerunt ſurgere.* Senſus ergo eſt, Deum erigere omnes lapſos qui ſcilicet eriguntur: nemo enim erigitur niſi à Deo, ut dicitur *Pſal.* 37. 24. *Cum ceciderit* juſtus, non *proculcabitur*, *quia* Dominus ſuſtentat *manum ejus.* Sic etiam Chriſtus illuminat omnem hominem venientem in mundum. Id ſi de omnibus ſingulis accipias, etiam *naturaliter* non procedit, quia dantur cæci nati, *Ioan.* 9, qui nunquam illuminati fuere. Multo minus *ſpiritualiter*, cum ne externa quidem media illuminationis omnibus ſingulis à Deo concedantur. Ergo illuminat omnes, *qui illuminantur*; quia nemo qui illuminatus eſt, cuipiam illuminationem acceptam ferre poteſt, præterquam ſoli Deo.

XIV. *Aliud eſt in Chriſto* ſatisfactio; *aliud*, meritum.

Satisfactio reſpondet debito pœnæ: unde per ſatisfactionem liberamur à pœna; per meritum, reſpondens officio debiti, acquirimus jus vitæ æternæ. Satisfactio facta eſt morte; meritum autem ſancta vita ejus.

XV. *Dicitur Chriſtus liberare ſeu redimere, vel* proprie, *vel* improprie.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Improprie, dum ſimpliciter liberat ſine interventu pretii: 2 *Petr.* 2, Abnegantes Dominum qui ipſos *mercatus* eſt aliquando. Vel proprie, interventu pretii; ita Chriſtus redemit oves ſuas, *Ioan.* 10, pro quibus dicit ſe ponere vitam ſuam.

XVI. *Aliter nos morimur pro fratribus, aliter Chriſtus pro ovibus.*

Phraſis iſta eſt 1 *Ioan.* 3. Aliter autem nos mori quoad finem principalem, liquet; nos enim non morimur pro fratribus in remiſſionem peccatorum, ſicut Chriſtus pro nobis mortuus eſt; ſed in talem finem, ut 2 *Cor.* 1. 6, 7.

XVII. *Aliud eſt, adimplere paſſionibus Chriſti quod illis deeſt pro* eccleſia ædificanda: *aliud, pro* redimenda.

Locus habetur *Col.* 1. 24. Solent autem hoc loco abuti Pontificii: ſed ſi quæramus, quomodo Paulus dicat, ſe adimplere paſſiones Chriſti, an pro ædificanda, an vero pro redimenda Eccleſia; tum hærent.

XVIII. *Diſtinctio, qua Chriſtus dicitur mortuus* ſufficienter, *non* efficaciter, *vaniſſima eſt.*

Nam, ſi dicitur propterea ſufficienter mori, quia mors ſuffeciſſet omnibus redimendis, ſi Deo viſum fuiſſet eam pro iis fieri, tum certe pari ratione poſſet dici, Chriſtum juſtificaſſe ſufficienter omnes & ſingulos, ſed non efficaciter: item, glorificaſſe omnes & ſingulos, ſed non efficaciter.

XIX. *Interceſſio, qua Chriſtus pro nobis intercedit, non eſt* formalis, *ſed* objectiva.

Hoc eſt, non erat amplius pro nobis Chriſtus, ut *Ioan.* 17. provolutus quaſi ad pedes Patris; adeo ut nihil aliud ſit ipſius interceſſio, quam ſui ipſius coram facie Dei præſentatio.

XX. *Aliud eſt debitum* officii; *aliud,* pœnæ.

Debitum pœnæ tollitur per mortem Chriſti; debitum officii, impletione legis.

XXI. *Satisfactio Chriſti non eſt juſtitia, etiamſi imputatur ad juſtificationem.*

Juſtitia non eſt, quia eſt ſatisfactio; imputatur tamen ad juſtificationem, quia propter eam homo à peccatis abſolvitur.

XXII. *Aliud eſt, luere pœnam; aliud, implere legem.*

Adverſarii *obj.* Quia Chriſtus expiavit peccata noſtra, tam commiſſionis, quam omiſſionis, quod propterea debemus cenſeri pro iis, ac ſi legem ipſimet impleviſſemus. Sed falſum hoc. Nam, ſi quis propterea, quod ſcortatus eſt, virgis cæſus ſit, non tamen proinde habetur ac ille qui à ſcortatione abſtinuit; Nam, ſi res ita habeat, tum non eſſet amplius infamis ille qui virgis cæſus eſt, ſed haberetur eodem loco, quo ille qui nunquam eſt ſcortatus.

XXIII. *Homo poſt lapſum tenetur ad pœnam & ad obedientiam.*

Catech. noſtra tractat hanc quæſtionem, & dicit, quod homo obligetur vel ad pœnam, vel ad obedientiam: quod quidem ut intelligatur, ſciendum eſt, non poſſe reſponderi commode ad quæſtionem hanc, niſi diſtinguendo ſtatum hominum: Eſt enim alius ſtatus *ante lapſum*; & in hoc tenebatur tantum ad obedientiam: *In ſtatu vero lapſus* ante regenerationem homo tenebatur ad utrumque; ad pœnam, propter præcedens peccatum; ad obedientiam, ut non peccaret. Quod ſi autem non obligaretur amplius ad obedientiam, etiam non amplius peccaret: atqui homines peccatores dicuntur peccata peccatis cumulare. *Implete*, inquit Chriſtus, *menſuram patrum.* Matth. 23. Tertius ſtatus eſt *poſt regenerationem*, & in hoc ſtatu tenetur homo ad obedientiam, non ad pœnam; quia *nulla condemnatio iis eſt qui ſunt in Chriſto Ieſu.* Rom. 8. 1.

XXIV. *Sola obedientia activa, eſt noſtra juſtitia.*

Dupliciter obedientia diſtinguitur à Theol. in activam, & paſſivam. *Paſſiva* eſt, qua Chriſtus ſatisfecit comminationibus Legis pro nobis, hoc eſt, factus eſt execratio pro nobis: quæ & *ſatisfactio* vocatur. *Activa* eſt, qua perfecte Legem implevit, & vocatur *meritum*; & hæc dicitur juſtitia noſtra.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

XXV. *Conſummat Chriſtus, ſuos paßione ſua* à peccatis abſolvendo, *non vero juſtos conſtituendo.*

Heb. 10, legitur, quod Chriſtus unica oblatione conſummaverit eos qui conſummantur. Hinc adverſarii inferunt, Ergo ſunt perfecti. *Reſp.* Certe quoad abſolutionem à reatu; non vero quoad hoc quod juſtitiam perfectam habeant: nam juſtitia perfecta eſt juſtitia imputata Chriſti, quam ille præſtitit Legi, ſancte vivendo.

XXVI. *Chriſtus eſt Rex jure* creationis *&* redemptionis.

Alii ita: Regnum Chriſti duplex eſt; aliud *eſſentiale*, aliud *mediatorium*.

XXVII. *Chriſtus eſt* naturale *caput Eccleſiæ*, politicum *vero Angelorum bonorum, malorum & reproborum.*

Diſtinctio hæc bene obſervanda. Præpoſuit enim eum Deus omnibus, ſed alio atque alio modo. Eccleſiæ tanquam caput naturale, ex quo per commiſſuras certas defluit vis in membra, *Eph.* 4. Dicitur naturale, non quod proprie naturale ſit, ſed quod ſimilitudinem gerat cum corpore naturali. Et politicum, non quod ſit, ſed quod ſimilitudinem gerat cum politico.

XXVIII. *Regnum Chriſti, aliud eſt* gratiæ, *aliud* gloriæ.

Gratiæ dicitur Eccleſiæ in hac vita: Gloriæ dicitur Eccleſiæ in cælis.

XXIX. *Regnum Chriſti eſt æternum, & tamen ceſſabit.*

Videtur contradictio quædam inter Lucam & Paulum: Lucas enim dicit *cap.* 1, Regni ejus non erit finis. Paulus 1 *Cor.* 15, quod regnum tandem traditurus ſit patri; atque adeo finem futurum. *Reſp.* Lucam loqui de regno *eſſentiali*; quod Chriſti eſt jure creationis: Paulum de *regno mediatorio*, ſive de modo adminiſtrandi hoc regnum; qui modus adminiſtrandi conſiſtit in externo miniſterio.

XXX. *Iudicabit Chriſtus aliter ſecundum divinam, aliter ſecundum humanam naturam.*

Secundum divinam naturam, cognoſcendo peccata; ſecundum humanam, ſententiam pronuntiando & judicia Dei approbando.

XXXI. Chriſtus Rex *adoratur cultu religioſo, ſed non* quatenus Rex *& Mediator.*

Hoc eſt, non quatenus Mediator eſt; alioqui humana Chriſti natura etiam eſſet adoranda. *Obj.* ex *Apoc.* 4. Dignus es ut accipias gloriam, quia mactatus es. *Reſp. Quia* & *quatenus* in Theologia non reciprocantur. Nam mittitur Spiritus Sanctus nobis, non *quatenus* eſt mortuus Chriſtus, ſed quia mortuus eſt; non enim poteſt mitti à creatura. Remittuntur nobis peccata, quia Chriſtus mortuus eſt, non vero quatenus mortuus eſt. Diſtinguimus hic inter *objectum formale*, ut ſupra. Objectum conſiderationis cultus eſt natura humana & officium mediatorium, objectum formale eſt ipſa natura divina.

XXXII. *Inæqualitas officii non tollit æqualitatem naturæ.*

Hæc regula etiam certa in humanis. Nam Petrus, qui reliquis Apoſtolis par erat, aut etiam ſuperior (ſi credere fas ſit ſuperior) ille à reliquis Apoſtolis miſſus fuit in Samariam. *Act.* 8. 14.

XXXIII. *Chriſtus eſt Mediator hominum tantum.*

1 *Tim.* 2. 5. Ibi dicitur, quod Chriſtus ſit Mediator Dei & hominum: hoc facit contra eos, qui ſtatuunt, Chriſtum etiam Angelorum Mediatorem eſſe: ſed inepte. Angeli enim non peccarunt ut reconciliatione opus haberent, ſed homines dumtaxat. Unde etiam Spir. Sanctus Chriſtum dicit Mediatorem eorum, quorum naturam aſſumpſit.

XXXIV. *Chriſtus in ſtatu exinanitionis ſe ipſum exinanivit.*

Sunt gradus ſtatus Chriſti exinanitionis & exaltationis. *Quæritur*, In quo conſtiterit iſta exinanitio. *Reſp.* In duobus: 1. In aſſumptione formæ ſervi, de quo *Phil.* 2. 2. In occultatione

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

naturæ divinæ; occultatione dico, quia natura divina non ita in Chriſti carne manifeſta erat ut poſtmodum.

XXXV. *Quæcumque Chriſto dicuntur data in tempore, dantur ratione utriuſque naturæ.*

Lutherani hoc negant, & dicunt, Data ſunt humanæ naturæ, quia divinæ nihil dari poteſt. *Reſp.* Falſum hoc, ſi ſimpliciter ſumatur. annon *Matth.* 22, dicitur, Date Cæſari quæ ſunt Cæſaris, & Deo Dei? & *Apoc.* 14. Date Deo gloriam, qui fecit cælum & terram? At *dices*, Habet omnia, ergo nulla re eget. *Reſp.* Ita eſt; nec hæc ipſi dantur, quin prius ab ipſo iſta obtineamus; & non dantur quin iterum in noſtri commodum referantur ab ipſo.

XXXVI. *In Chriſto habitat omnis plenitudo divinitatis.* Coloſ. 2. 9.

Ceterum, *quæritur*, quomodo habitet in illo? *Reſp.* Per unionem Hypoſtaticam, qua ſcil. humana Chriſti natura aſſumpta eſt in unionem τ͂ λόγȣ. 2. Non *typice*, ſed *vere* & *realiter*. confer verſum 17.

XXXVIII. *Divina Chriſti natura ubique eſt.*

Hoc probe tenendum contra Lutheranos. ſciendum eſt, triplicem eſſe præſentiam: 1. *Generalem*, qua eadem omnibus creaturis, eas conſervando, regendo, adeſt. 2. *Specialem*, qua adeſt electis, illos conſervando, & illis dona ſpiritualia ſuppeditando. 3. *Specialiſſimam* præſentiam, ſcilicet, *per unionem*; & ita adeſt Chriſto homini. Diſtingui ita ſolet à Theol. Adeſt *omnibus rebus*, generali aſſiſtentia; *electis*, per gratiam; *humanæ Chriſti naturæ*, per unionem.

XXXIX. *Nomen, dum Chriſto datum dicitur, intelligitur auctoritas.*

Nomen non ſignificat nomen, ut Pontificii & Lutherani volunt: unde etiam videas, dum nominatur nomen *Ieſus*, eos pileis depoſitis genua flectere: in quo tanto major abſurditas liquet, quod, dum Chriſtus aut Chriſtus aut Deus appellatur, nemo illorum pileum attingat, quaſi Ieſus quid majus eſſet, quam Chriſtus aut Deus. At per nomen, ut diximus, intelligitur auctoritas. Hinc *Act.* 4. quærunt ſacerdotes, *qua poteſtate aut quo* nomine *vos hoc feciſtis*?

XL. *Cum Chriſtus dicitur dari in Sacris Literis, ſæpe per* dari *notatur manifeſtari.*

Dicitur res dari, cum manifeſtatur; ita Chriſtus, *Ioan.* 16, dicit, *Glorifica me, pater, ea gloria quam habui apud te, antequam mundus eſſet.* Non petit ſibi dari, ſed manifeſtari talem, qualis, fuerat, gloriam.

XLI. *Chriſtus, qua Deus, miracula edebat.*

Qua Deus dicimus, in quo ipſos Pontificios habemus aſſentientes: Becanus certe ita in ſua Theologia Scholaſtica ſentit. *Dices*: Quid ergo humana Chriſti natura faciebat? *Reſp.* Declarabat quid divina faceret; unde etiam humana Chriſti natura dicitur à Theologis inſtrumentum miraculorum patrandorum; & inſtrumentum non *phyſicum*, ſed *morale*. Alii dicunt eſſe ſignum interveniens, ad cujus præſentiam Deus, ſive divina natura, miracula edebat.

XLII. *Vbicumque redemptionis fit mentio, & additur pretium quo redempti ſumus, ibi redemptio proprie dicta intelligitur.*

Contrariæ ſententiæ eſt Socinus, dicens, non eſſe proprie dictam redemptionem, ſed metaphoricam. At nos proprie dictam dicimus, quia ubi quis dicitur eſſe liberatus, & illud, quo interveniente liberatus eſt, pretium dicitur, ibi intelligi oportet proprie dictam redemptionem.

XLIII. *Sacrificia Vet. Teſt. non offerebantur pro delictis capitalibus privatim; offerebantur tamen in anniverſario ſacrificio.*

Socinus putat, non pro omnibus peccatis fuiſſe ſacrificia inſtituta, quia non inſtituta fuerunt pro capitalibus delictis, quæ quis clam inſciis plane omnibus commiſerat: At dicimus, privatim non fuiſſe inſtituta, quia Deus, qui miſericors

cors eſt, & clementiſſimus, noluit imponere neceſſitatem cuiquam (nam in ſacrificio privato quiſque confitebatur ſuam culpam) ſeipſum accuſandi, ac propterea in vitæ periculum præcipitandi. Attamen omnia peccata condonabantur in ſacrificio anniverſario: nam ibi confeſſio privata non requirebatur, ſed generalis omnium peccatorum quorumcumque.

XLIV. *Chriſtus nobis per omnia ſimilis eſt ſecundum* naturam, *non ſecundum* omnes naturæ infirmitates.

Infirmitates enim ſunt vel *culpabiles*, ut peccata; in his non eſt nobis ſimilis: vel *inculpabiles*, quales ſunt affectus triſtitiæ, doloris, lacrymarum, famis, laſſitudinis; in his nobis ſimilis eſt. Deinde infirmitates, ſunt vel communis pœna peccati; ut, potuiſſe mori: vel particularis; ut, morbi: *illas* non *has*; prioris, non poſterioris generis infirmitates aſſumpſit.

XLV. *Perſonalitas divinæ Chriſti naturæ eſt* per ſe, *humanæ vero* per aſſumptionem.

Quia divina & humana Chriſti natura non æque faciunt ad conſtitutionem perſonæ. Quia hoc repugnat æternitati & immutabilitati naturæ divinæ. Nam quod ab æterno ſubſiſtit, ad ejus ſubſiſtentiæ conſtitutionem nihil poteſt facere id quod in tempore demum factum eſt.

XLVI. *Per aſſumptionem naturæ humanæ in* ὑπόστασιν *divinæ, nulla facta eſt mutatio in divina, ſed tantum in humana natura.*

Omnis enim mutatio, eſt, vel generatio, vel corruptio, vel augmentatio, vel diminutio, vel alteratio, vel motus localis; horum autem nihil in divinam naturam cadit.

XLVII. *Vnio naturarum Chriſti nobis eſt incomprehenſibilis.*

Quia unio eſt rei finitæ cum infinita. Et ſi unio inter Chriſtum & Eccleſiam nobis eſt incomprehenſibilis, multo magis hoc myſterium.

XLVIII. *Sacerdos, vel eſt proprie dictus, vel metaphorice talis.*

Proprie dictus, vel typicus eſt, vel realis. Typici, vel Aaronici vel Melchiſedechiani. Realis eſt ſolus Chriſtus. Adeoque ſi Pontificiorum Sacrificuli jactitent ſe pro Sacerdotibus proprie dictis, dicant oportet, cujus ſint ordinis: an Aaronici, & ſic Iudæi erunt: an vero Melchiſedechiani: at hujus ordinis non niſi unicus Chriſtus fuit. Improprie dicti Sacerdotes ſunt omnes fideles. *Apoc.* 16. & 5. 10. 1 *Pet.* 2. 5.

CAP. XII.

De Fœdere.

I. F*Oedus inter Deum & creaturas non eſt proprie dictum fœdus, ſed analogice tantum.*

Eſtque pactum, quo Deus promittit aliquid homini, & viciſſim aliquid ab ipſo ſtipulatur.

II. *Promiſſio, ex parte Dei eſt; Stipulatio vero, ex parte noſtra.*

III. *Fœdus, vel* ſpirituale *eſt, vel* corporale.

Illo cæleſtia bona promittit, vitam æternam, & quæ ad eam tum obtinendam, tum poſſidendam pertinent: *Hoc*, corporalia. *Deut.* 27. & 28.

IV. *Spirituale fœdus, duplex eſt: vel* Legale, *vel* Evangelicum.

Legale, quo Deus vitam æternam promittit præſtantibus Legem. *Levit.* 18. 5: *Qui fecerit ea, vivet in eis.* Quod iniit Deus in paradiſo cum homine integro. Quod primi parentes noſtri violarunt, adeoque rei facti ſunt mortis æternæ. Deinde poſt lapſum repetiit Deus idem fœdus, *Deut.* 5. 1 *Reg.* 8. 21. 1. Vt oſtenderet quid noſtri ſit officii. 2. Vt nos obedientiæ noſtræ commonefaceret. 3. Vt omne os obſtruatur, & totus mundus condemnationi obnoxius fieret. *Rom.* 3. 19. 4. Vt ex lege eſſet cognitio peccati. *Rom.* 3. 10. *Evangelicum* fœdus eſt, quo Deus promittit, ſe fore Deum noſtrum in Chriſto, id eſt, benedicturum omni benedictione ſpiri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

tuali, & viciſſim à nobis poſtulat, ut ambulemus integre coram ipſo.

V. *Fœdus Dei Evangelicum cum hominibus non eſt* univerſale, *ſed* particulare.

Quia Chriſtus non eſt omnium Mediator, nec omnes ſunt fœderati ejus. In Vet. Teſt. non fuit univerſale. Quia ibi diſtinctio inter ſemen mulieris & ſerpentis; quod ſane poſterius non fuit in fœdere. Et Deus cum Abrahamo & familia ejus pepigit *Gen.* 17. nec cum omnibus illis qui ex Abrahami familia ſunt quoad carnem, ſed fide Abrahami præditis, *Rom.* 2. *&* 9. Non fecit ſic ulli genti, *Pſal*, 147. Hinc ſanguis Chriſti dicitur ſanguis fœderis, quod eo expiata ſint peccata fœderatorum. Tum etiam quia convertuntur electi cum fœderatis, & hi cum illis, *Rom.* 11. *per totum.* Vt vero non omnes electi; ita non omnes fœderati. Hinc etiam illa diſtinctio inter filios *carnis* & *promiſſionis. Rom.* 8. 9.

VI. *Fœdus Evangelicum, vel* Vetus *eſt, vel* Novum.

Hoc eſt, vel Veteris, vel Novi Teſtamenti. Quod tamen utrumque idem eſt quoad *ſubſtantiam*, etſi *circumſtantiis* variet. Quia utriuſque Teſtamenti objectum Chriſtus eſt, etſi in Veteri *exhibendus*, in Novo *exhibitus*; etſi Vetus obſcurius, Novum clarius; etſi Vetus ſigna habuerit magis moleſta, quam Novum. Paſcha enim non ſine ſumptibus, Circumciſio non ſine dolore celebrari potuit. Baptiſmus & Cœna Domini (quæ ſigna ſunt Novi Fœderis, ut Paſcha & Circumciſio, Veteris,) abſque utroque.

VII. *Fœdus, vel* operum *eſt, vel* fidei.

Coincidit diſtinctio cum illa, qua Fœdus aliud *Legale*; aliud, *Evangelicum* dicebatur. *Illud* fuit cum ſtipulatione *operum*: *Hoc fac & vives. Hoc* cum ſtipulatione *fidei*: *Crede & ſalvaberis.* Requiruntur equidem & in hoc opera, verum non primario, ut ſcilicet ex iis homo juſtificaretur; ſed *conſequenter*, ut ſignum ſint gratitudinis, experimentum fidei non fictæ, atque adeo ædificatio proximi.

CAP. XIII.

De Iuſtificatione.

I. I*Vſtificatio, alia eſt* activa, *alia* paſſiva.

Verbalia in *io*, plerumque ita accipiuntur: juſtificat enim Deus, & nos juſtificamur.

II. *Iuſtificatio paſſiva, poſterior eſt fide.*

Poſterior eſt fide paſſiva; quia per fidem accipimus remiſſionem peccatorum. *Act.* 26. 18.

III. *Aliter nos juſtificat Deus, aliter Chriſtus Mediator, aliter Sp. Sanctus, aliter fides, aliter bona opera.*

Deus juſtificat nos, *imputando* nullo modo peccata, & imputando juſtitiam Chriſti; Chriſtus, *merendo*; Sp. Sanctus, *applicando*; bona opera, *declarando.* Illa poſteriora duo à Th. ita efferri ſolent. Fides juſtificat *effective*, bona opera *declarative*.

IV. *Iuſtificatio, eſt actus Dei* moralis, *non* realis.

Duplex eſt actio Dei in peccatore: una *moralis*, quæ eſt juſtificatio; altera *realis*, quæ eſt regeneratio. *Moralis*, ut diximus, conſiſtit in eo, ut nobis non imputet peccata, ſed imputet juſtitiam Chriſti. *Realis*, in ſublatione reali peccati.

V. *Iuſtificatio noſtri non fit gradatim.*

Quia ſimul & ſemel omnium noſtrorum peccata conjecta ſunt in Chriſtum. Ceterum, hoc intelligendum eſt de juſtificatione *activa*; nam *paſſiva* juſtificatio toties fit, quoties homo pœnitentiam agens, per fidem apprehendit remiſſionem peccatorum.

VI. *In Oratione Dominica, dum petimus remiſſionem peccatorum, non petimus* actum *ejus, ſed* applicationem *& ſenſum.*

Diſceptant Theologi: Si, *inquiunt*, remittuntur nobis peccata unico actu; cur ergo petimus

mus remiſſionem fieri in oratione Dominica? *Reſp.* Petimus quoad *applicationem* & ſenſum, non quoad *actum*.

VII. *Per juſtificationem noſtri tollitur* reatus, *at non tollitur* peccatum *de facto*.

Pontificii *diſputant*, anne poſſit tolli reatus & non peccatum? *Reſp. Affirmatur*, quia poteſt eſſe peccatum in homine, & tamen reatus ipſi non imputatur.

VIII. *Fides* ſola *juſtificat*, *non* ſolitaria.

Diſtinctio eſt in ſolum & ſolitarium: ita *ſolus* oculus videt, ſed non eſt *ſolitarius* cum videt, hoc eſt, non eſt ſejunctus ab aliis partibus & membris. Ita *ſolus* pes ambulat, ſed non *ſolitarius*.

IX. *Fides* actualis *juſtificat*, *non* habitualis.

Teſtatur hoc Sp. Sanctus *Act.* 26. Per fidem, inquit, accipimus remiſſionem peccatorum, & ſortem inter ſanctos. *Obj.* Atqui fides ceſſat in dormiente: Ergo ceſſabit etiam juſtificatio. *Reſp.* negando. nam fides eſt actus moralis in juſtificatione, & actus moralis non neceſſe eſt ut perpetuò ſit, ſed ſufficit fuiſſe, vel aliquando fieri.

X. *Iuſtificatio nunquam tollitur in fidelibus*, *ſed* ſenſus *ipſis tollitur aliquando*, *ut fit in tentationibus*.

Legitur ſæpe in S. Literis, fideles ita conſternari, ut putent ſe abjectos à facie Dei; hoc eſt, deſtituuntur ſenſu gratiæ juſtificationis: quæ tandem redit; non enim ſinit Deus ſuos tentari ultra hoc, quod ferre poſſunt. 1 *Cor.* 10. *v.* 13.

XI. *Alia eſt juſtificatio* imputata, *alia* imputativa.

Pontificii dum audiunt à nobis, juſtitiam noſtram non eſſe niſi imputatam; calumniantur nos, juſtitiam noſtram eſſe putativam: ſed iſta diſtinctiſſima ſunt, ut quilibet videre poteſt.

XII. *Iuſtitia nobis imputata eſt* moraliter, *non* phyſice.

Quæritur, An juſtitia ſit in nobis? *Reſp.* Non *phyſice*, hoc eſt, *inhærenter*; ſed *moraliter*, hoc eſt, per imputationem.

XIII. *Iuſtitia*, *alia eſt* perſonæ, *alia* cauſæ.

Juſtitia perſonæ eſt, qua ſtamus coram facie Dei. Juſtitia cauſæ eſt, quæ etiam cadit in reprobos; poteſt enim quis habere bonam cauſam, qui etiam alienus eſt ab Eccleſia. Et de hac juſtitia loquitur David: *Domine, judica me ſecundum juſtitiam meam, & ſecundum integritatem meam pronuntia de me.*

XIV. *Iuſtificatio, eſt actus forenſis Dei.*

Diſceptant nobiſcum Pontificii, quid ſit juſtificare; & illi inquiunt, juſtum facere per infuſionem juſtitiæ. Nos negamus; & dicimus, nihil aliud eſſe & ſignificare, quam abſolvere à peccato; ut *ad Rom.* 4. & 5.

XV. *Iuſtificatio, talis eſt actus Dei, qui nunquam revocatur.*

Hoc eſt, qui ſemel eſt juſtificatus, ſemper manet. *Obj.* ex *Matth.* 18. ubi dicitur, gratiam retraxiſſe, cui condonaverat. *Reſp.* Ex parabolis non deducendum argumentum niſi ratione ſcopi.

XVI. *Bona opera non præcedunt juſtificandum, ſed ſequuntur juſtificatum.*

Eſt regula Auguſtini; quæ nititur Scripturа: nam qui non eſt juſtificatus, eſt mala arbor; illa autem non poteſt bonos fructus ferre, *Matth.* 7.

CAP. XIV.

De Regeneratione.

I. REgeneratio *aliter ſe habet ratione* primi momenti, *aliter ratione* progreſſus.

Ratione primi momenti homo ſe habet *mere*

re paſſive, ratione progreſſus cooperatur cum Deo.

II. *Regeneratio eſt perfecta* partibus, *non* gradibus.

Diſtinctio hæc maximi uſus eſt: nam ſæpe occurrunt voces iſtæ, *perfecti*, *integri*; at hæ non notant perfectionem *graduum*, ſed *partium*.

III. *Perfectum, vel integrum, aliquando accipitur prout opponitur hypocritico, aliquando prout opponitur imperfecto. Dum pii dicuntur perfecti, intelligendi ſunt perfecti prima ſignificatione, non poſteriori.*

IV. *Regeneratio non datur perfecta in hac vita, ſed obtingit demum in ſolutione animæ à corpore.*

Liquet hoc ex iſtis quos dies Domini repertura eſt in vivis; nam hi antequam rapientur in occurſum, à Chriſto mutabuntur: pari ratione anima fidelis dum à corpore diſſolvitur, regeneratur, & ita ad Deum transfertur.

V. *Dum in Decalogo jubemur diligere Deum ex toto corde, non intelliguntur vires iſtæ* quæ ſunt *in regenito imperfectæ, ſed* quales eſſe debebant.

Pontificii hinc inferre volunt, quod homo Deum perfecte colere poſſit: quia, inquiunt, habet vires. *Reſp.* Non poſtulat Deus id tantum ab homine quod habet, ſed etiam quod habere debet. Adeo ut Decalogus non oſtendat quid homo poſſit, ſed quid debeat, & ad quid divinitus obligetur.

VI. *Renati, ſive regeniti, non peccant voluntate* plena, *ſed voluntate reluctante & fracta.*

Hinc in Scriptura dicuntur *non dare operam peccato*; item, *non peccare*. At vero ratio irregenitorum alia eſt; nam illi ſiſtunt membra ſua arma injuſtitiæ, & operam dant peccato.

VII. *Fideles regeniti peccant non* ex malitia, *ſed ex* infirmitate.

Sunt qui hoc rident. Et *quæritur*, An infirmitas, cujus quis ſibi cauſa exiſtit, excuſari poſſit. *Reſp.* Certe non. Id vero dum dicimus, non intelligimus accerſitam illam infirmitatem, ſed cui homo fidelis repugnat, quantum poteſt, & repugnando aliquando ſuccumbit.

VIII. *In regenitis* manet *peccatum, dum in hac vita ſunt; ſed non* regnat.

Habitat, non regnat. Nam, *Rom.* 7, dicitur habitare; *Rom.* 6, dicitur non regnare in regenitis.

IX. *In regenitis potior eſt caro quam ſpiritus*, malo; *& ſpiritus*, virtute.

Comparant Theologi, carnem Goliatho; ſpiritum Davidi.

X. *Spiritus ſuperior eſt carne, non quod* ſemper vincat, *ſed quod ſemper* pugnam redintegret, *& tandem in fine vincat.*

Vincit aliquando caro ſpiritum, ſed ita vincit, ut ſpiritus continuo pugnam redintegret, & tandem vincat, non quidem viribus propriis, ſed in Chriſto Jeſu, in quo plus quam victores ſumus, ut *Rom.* 8. Dici ſolet à Theologis, Vincit ſæpe caro *prælio*; ſed ſpiritus, *bello*.

XI. *Homo unus idemque, quoad eaſdem facultates, eſt* regenitus *&* caro.

Qua parte regenitus eſt, dicitur *homo novus*; qua parte irregenitus, dicitur *vetus homo*.

XII. *Homo regenitus perfectus eſt in hac vita* deſiderio & voto, *non autem* re ipſa.

Hoc eſt, homo quidem deſiderat & optat perfectam regenerationem, at reipſa non conſequitur.

XIII. *Regenerationis gradus dantur in hac vita, non tantum in ſe, verum etiam in ſubjectis.*

Magis regignitur unus quam alter; hinc, magis adulti quam infantes.

XIV. *Lucta adverſus peccatum duplex eſt: vel carnis adverſus ſpiritum, vel contra.*

Arminiani, dum nos proferimus luctam ex epiſt. *Rom.* 7, *Spiritus adverſus carnem*; dicunt, eamdem luctam reperiri in hominibus irregenitis. Sed inepte. Nam in illis caro horret peccare, non *virtutis amore*, ſed *formidine pœnæ*. At vero ubi luctatur caro cum ſpiritu, tam formidine pœnæ, quam amore boni & amore Dei, id fieri, certum eſt.

XV. *Aliud eſt*, captivare *aliquem*; *aliud*, captivum habere.

Caro captivat ſpiritum, ſed non tenet captivum, quia perpetuo pugnam reſtaurat.

XVI. *Aliud eſt*, eſſe ſubjectum peccato; *aliud*, eſſe ſervum peccati.

Subjectum eſſe, nihil aliud eſt, quam obnoxium eſſe; quod etiam in regenitos cadit. At vero ſervum eſſe peccati, non tantum eſt obnoxium eſſe peccato, ſed etiam ultro ſe offerre ad peccandum, & carnis concupiſcentias tanquam Imperatoris leges adimplere; quod irregenitorum eſt.

XVII. *Fides, alia eſt* habitualis; *alia*, actualis.

Habitualis, eſt pars regenerationis; actualis, eſt effectus habitualis.

XVIII. *Regeneratio, eſt actus Dei realis.*

Dicitur realis, ut ſit contradiſtincta juſtificationi, quæ eſt actus moralis.

XIX. *Regeneratio, eſt opus ſolius Dei.*

Quia non minorem potentiam requirit regeneratio, quam creatio. At creatio ſolius Dei eſt. Ergo.

XX. *Regeneratio nunquam ceſſat in regenito.*

Qui enim geniti ſunt non ex carne neque ex ſanguine, illis dedit poteſtatem filios Dei vocari. *Ioann.* 1.

XXI. *Regenerati, in hac vita carnales ex parte ſunt.*

Habetur hæc regula 1 *Cor.* 3. Unde diſtinctio iſta: quod alii ſint carnales ex toto, quales ſunt homines irregeniti; alii ex parte.

XXII. *Regeneratio, quoad primum momentum, fit in inſtanti.*

Solent Theologi regenerationem à juſtificatione in eo diſtinguere, quod ſcilicet regeneratio non ſit ſimul & ſemel tota, juſtificatio ſit ſimul & ſemel tota.

CAP. XV.

De Bonis Operibus.

I. B*ona opera, in hac vita ſunt imperfecta.*

Qualis enim fons, tales rivuli.

II. *Homines irregeniti faciunt aliquando bona opera* quoad ſubſtantiam, *ſed non* quoad circumſtantias *operis.*

Subſtantia operis dicitur, quando faciunt illud quod lex præcipit. Circumſtantiæ operis tres à Theologis nominantur: 1. ut fiat ad mandatum Dei. 2. ut fiat ex fide. 3. ut fiat tendatque ad gloriam Dei.

III. *Bona opera neceſſaria ſunt ut* antecedens *ad* conſequens, *non ut* cauſa *ad* effectum.

Docet hoc paſſim Sp. Sanctus, cum negat, propter opera noſtra vitam æternam contingere. Et interim etiam docet, ſine ſanctimonia non poſſe videri Deum. *Heb.* 12. 14.

IV. Bene operantibus *dabitur vita æterna*, *ſed non* propter bona *opera*.

Liquet *Matth.* 25. ubi dicitur, *Eſurivi*, &c.

V. *Bona opera*, *ſunt* moralia, *&* ſpiritualia.

Diſtinctio iſta obſervanda eſt, eo quod homo irregenitus, adjutus Dei gratia, quæ eſt *gratia coërcitionis* & *directionis*, bona opera moralia facere quoad ſubſtantiam, at nullo modo ſpiritualia præſtare, poteſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

VI. *Bona opera, ſunt interna vel externa, ut peccatum, eſt internum vel externum.*

VII. *Bonis operibus datur merces improprie dicta.*

Datur enim ex *gratia*, non ex *debito. Rom.* 4. Meritum ut aliquid ſit, oportet ut habeat quatuor requiſita: 1. ut ſit indebitum. 2. ut proficiſcatur ex viribus ejus qui meretur. 3. ut vergat in ejus commodum de quo quis mereri ſe putat. 4. ut non ſit merces major quam meritum.

VIII. *Bona opera quæ præſtant Gentiles, placent Deo in tantum, ut propterea juſtificaturus ſit ex parte, & in* tantùm, *ſed non in* totum, *in extremo judicio: ſecundo, quia illa remuneratur bonis temporaneis.*

Propterea pœnas leviores toleraturi ſunt in inferno, & remunerantur bonis temporalibus, ut liquet in obſtetricibus, *Exod.* 1.

IX. *Bona opera Gentium, dicuntur peccata* per accidens, *non* per ſe.

X. *Non nomina, ſed adverbia, faciunt bona opera.*

Hoc eſt, quod non tantum bonum eſt, ſed quod bene quoque fit: bene autem illud fit, quod fit ex fide ad gloriam Dei, ex mandato Dei.

XI. *Non perſona propter opera, ſed opera propter perſonam Deo placent.*

Probatur *Gen.* 4. Reſpexit Deus Abelum & ſacrificium ejus.

CAP. XVI.

De Eccleſia.

I. E*Cceleſia*, *eſt* viſibilis *&* inviſibilis.

Non hæc diſtinctio eſt generis in ſpecies, ſed vocis. Eccleſia enim, quatenus notas habet ex quibus cognoſcitur, eatenus dicitur viſibilis: quatenus vero in iſta Eccleſia ſunt electi inviſibiles & ſoli Deo noti, eatenus inviſibilis eſt.

II. *Eccleſia, alia eſt* triumphans, *alia* militans.

Diſtinctio hæc fundamentum habet in Scriptura: ſunt enim jam aliqui ſalvati, & hi dicuntur Eccleſia triumphans; aliqui vero adhuc in terris militant contra diabolum, carnem & mundum, & hi dicuntur Eccleſia militans.

III. *Eccleſia, alia eſt* univerſalis, *alia* particularis.

Univerſalis, quæ eſt per totum orbem terrarum diſperſa. Particularis, quæ eſt in uno aliquo loco.

IV. *Regimen Eccleſiæ internum, eſt* Monarchicum; *externum*, Democratico-Ariſtocraticum.

Internum, ſolum caput Chriſtum agnoſcit; externa vero poteſtas pertinet ad Eccleſiam; exercitium pertinet ad Doctores.

V. *Excommunicatio, alia major eſt, alia minor.*

Major eſt quæ proprie excommunicatio vocatur. Minor, eſt ſuſpenſio ab uſu cœnæ ad tempus, propter culpam aliquam commiſſam.

VI. *Regimen Eccleſiaſticum differt à Politico.*

Differt, 1. objecto, Quia poteſt eſſe membrum Politicum bonum, qui non eſt membrum Eccleſiæ. 2. Quia magiſtratus punit reos ſive pœnitentiam agant, ſive non: at magiſtratus Eccleſiaſticus non punit eos qui agunt pœnitentiam.

VII. *Eccleſia particularis, tota deficere poteſt, ſed catholica non.*

Liquet hoc ex Eccleſiis iſtis apocalypticis: deficit autem dupliciter, tum quia fideles evocantur ad mortem, tum quia alio migrant.

VIII. *Eccleſia deficere poteſt, tum ratione fidei, tum ratione morum.*

De

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

De moribus nihil dubii eſt: de fide certum eſt. Errarunt enim Apoſtoli in doctrina de reſurrectione Chriſti, de regno Chriſti, quæ ſunt articuli fidei.

IX. *Eccleſia etiam errare poteſt in fundamento, ſed non pertinaciter neque finaliter.*

Liquet hoc in Apoſtolis, qui errarunt in fundamentali capite doctrinæ de reſurrectione.

X. *Eccleſia, eſt columna veritatis* politica, *non* architectonica.

XI. *Eccleſia agit ex auctoritate; privatus, ex* officio.

Gravius igitur peccat qui non audit Eccleſiam, quam privatum aliquem: privatus enim agit tantum ex officio.

XII. *Eccleſiæ non credendum, niſi ex Scriptura loquatur.*

Liquet *Gen.* 17. *Si ex præſtituto legis loquutus fuerit.* Matth. 28. *Ite & docete*, &c. *quæ præcepi vobis.*

XIII. *Non eſt ipſi in cælis Pater, cui non eſt in terris Eccleſia Mater.*

Non eſt hic ſenſus regulæ, quod oporteat cum neceſſitate ſalutis eſſe in Eccleſia particulari, nam poſſunt aliqui eſſe captivi ſoli, quibus non datur facultas ſeſe aggregandi Eccleſiæ; ſed hic ſenſus eſt, quod oporteat eſſe membrum Eccleſiæ *catholicæ* qui ſalvari velit: & ratio eſt, quia debet eſſe membrum Chriſti; quod eſt Eccleſia.

XIV. *Eccleſia, eſt viſibilis, vel inviſibilis.*

Inviſibilis, ratione formæ, hoc eſt, fidei; viſibilis, ratione materiæ, hoc eſt, hominum.

XV. *Propter Eccleſiam Deus mundum tolerat.*

Liquet *Eſai.* 1. niſi reliquiſſet nobis Deus ſemen benedictum, omnes facti fuiſſemus ſicut Sodoma & Gomorrha.

CAP. XVII.

De Sacramentis.

I. *Sacramenta Novi Teſt. dicuntur* antitypa *veterum, non quod vetera fuerint typi, ſed quod nova ſucceſſerunt in locum veterum.*

De eo nobiſcum contendunt Pontificii, an vetera fuerint typi noſtrorum. Illi affirmant: ſed refelluntur, quia corporea res non poteſt eſſe antitypus rei corporeæ.

II. *In Sacramento diſtinguendum eſt* materiale *&* formale.

Materiale, ſunt Symbola; formale, ſignificatio Symbolorum.

III. *In Sacramento diſtinguendum* ſignum *à re* ſignata.

IV. *Baptiſmus & Circumciſio ſunt Sacramenta* initiationis *& aſſumptionis in Eccleſia. Agnus Paſchalis & Cœna Dominica ſunt* nutritionis *& continuationis in Eccleſia.*

V. *Baptiſmus, eſt alius* flaminis, *alius* fluminis, *alius* ſanguinis.

Ita diſtinguere ſolent antiqui Scholaſtici & Patres: & quidem ipſa Scriptura diſtinguit in Baptiſmum aquæ & ſpiritûs. *Ioann.* 3. Quod vero dicant de ſanguine, eſt alluſio quædam: ſanguinem vero Baptiſmi, vocant martyrium.

VI. *In Cœna Domini nulla eſt tranſmutatio ſignorum in res ſignatas, aut exiſtentia rerum ſignatarum in ſigno; ſed ſigna vocantur res ſignatæ, metaphorice, non proprie.*

Contra Pontificios & Lutheranos: illi enim panem tranſmutari in corpus, hi vero corpus eſſe in pane ſtatuunt, ut qui non expendunt locutionem ſacramentalem, qualem etiam habemus *Gen.* 17. ubi Circumciſio vocatur Fœdus; Agnus Paſchalis, Tranſitus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

VII. *Mutatio elementorum in cœna, non eſt* naturæ, *ſed* uſus.

Verbi gratia: Eſt quidem panis, ſed adhibetur in alium uſum: ſic etiam de vino.

VIII. *In Cœna Domini tropus eſt nec in ſubjecto, nec in prædicato, ſed in copula.*

Diſceptant valde inter ſe Theologi ubinam tropus ſit in verbis iſtis, *Hoc eſt corpus meum.* Nos *dicimus*, in copula, quemadmodum in iſtis: ſeptem vaccæ *ſunt* ſeptem anni; item, ſemen *eſt* verbum Dei: ibi enim copula *eſt* accipitur pro ſignificare: ſic etiam in illo.

Obj. Copula copulat res, ergo non eſt tropus. *Reſp.* Copulat res vel proprie, vel improprie.

IX. *Aliquando de maſculino pronomen neutrius generis prædicatur.*

Ut,

Triſte lupus ſtabulis, maturis frugibus imbres.

X. *Non* privatio *Sacramentorum, ſed* contemptus *damnat.*

XI. *Nihil habet rationem Sacramenti, niſi extra uſum legitimum.*

XII. *Nullum ſignum eſt ſacramentale, niſi habeat analogiam cum re ſignata.*

Hoc Auguſtini eſt, fundatum in natura ſacramentorum: nam dicitur analogia eſſe in effectis. verbi gratia: Sicut panis paſcit corpora noſtra ad vitam hanc temporariam; ita etiam corpus Chriſti, per fidem acceptum, paſcit animas noſtras ad vitam æternam. 2. Sicut panis tranſit in naturam noſtram, ut unum ſit nobiſcum; ita corpus Chriſti, per fidem acceptum, unitur nobiſcum, ita ut unum quodammodo ſimus.

CAP. XVIII.

De ſtatu Animarum ante Reſurrectionem.

I. *Duo dumtaxat loca ſunt quo deferuntur animæ poſt mortem, Infernus, & Cælum.*

Ut paſſim Scriptura hoc teſtatur, ſic etiam *Matth.* 7, de lata & anguſta via. *Ioan.* 5, docetur, quod is, qui credit, habet vitam æternam; qui vero non credit, jam condemnatus eſt. Limbus igitur patrum, infantum, & purgatorium damnantur, tanquam traditiones hominum præter Scripturam loquentium.

II. *Animæ quæ in cælis ſunt, nondum fruuntur perfecta felicitate; prout nec animæ quæ in inferno ſunt, debito cruciatu torquentur perfecto.*

De animabus fidelium certum eſt: 1. Quia cum corporibus nondum ſunt conjunctæ, atque adeo quod non omnes hoſtes ita devinctos videant, ut amplius nihil poſſint in ipſas: & hoc eſt, quod Sp. Sanctus, 1 *Cor.* 15, vult, dum agit de perfecta felicitate: dicit inter alia, quod hoſtis ultimus ſit abolendus. 2. Quia nondum vident fratres ſuos & omnia membra corporis Chriſti ſecum. Quod ad animas damnatorum, illæ etiam nondum cruciatibus debitis excruciantur: liquet hoc ex ipſis diabolis, qui nondum perfecte cruciantur. *Marc.* 5, clamant ad Chriſtum, dicentes, quare veniſti nos ante tempus cruciare? 1 *Petr.* 3. *Iud.* 6.

III. *Animæ piorum ſeparatæ à corporibus, orant in communi pro Eccleſia militante, ſed non in particulari aut ſingulari.*

1. Quia Angeli qui ſunt fratres noſtri, orant pro nobis. 2. Quia jam major eſt gradus caritatis in fidelibus defunctis, quam fuerat cum eſſent in vivis, utpote perfecte regeneratis.

IV. *Fidelium animæ ſeparatæ à corporibus, non norunt quæ in his terris geruntur, nedum perfecte norunt.*

Poſterius volunt Pontificii, & dicunt, quod in eſſentia Dei, tanquam in ſpeculo, videant omnia. At abſurdum: Dei enim ſolius eſt ſcire omnia. 2. Si res ita eſſet, ut Becanus Jeſuita obſervavit, quæ cauſa eſſet, quod ignorarent diem judicii? nam de hoc dicitur, quod nec filius hominis noverit. Et contra, multa in Sacris Literis habemus, eos nihil ſcire eorum quæ in terris geruntur. ut, 2 *Reg.* 22. 20. *Eſai.* 63. 16.

V. Nul-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

V. *Nullus eorum, qui excluduntur à regno cælorum, ſentiet tantum* pœnam damni, *ſed etiam* ſenſus.

Contra Pontificii, qui dicunt, infantes, non baptizatos, quidem ſentire pœnam damni, ſed non ſenſus. Sed falſum: nam Sp. Sanctus dicit, quod omnibus erit fletus & ſtridor dentium. *Luc.* 13. 18.

VI. *Animæ hominum corruptis corporibus non pereunt.*

Philoſophi Ethnici hoc animadverterunt, idcirco etiam docent, quod cum anima rationalis inorganica ſit, ut & independens in agendo à corpore; ita etiam in eſſendo. Scriptura hoc clariſſime teſtatur. *Matth.* 10. *Nolite metuere eos*, &c.

VII. *Anima rationalis eſt immortalis.*

Fluit hoc ex priori. quomodo immortalis? *Reſp.* 1. Immortalem eſſe *privative*, non *negative*. 2. Dicimus, non poſſe interire ut moriatur, eſt eorum qui animam habent; ſed ita poteſt interire ut annihiletur: ille enim qui animam ex nihilo fecit, eamdem etiam in nihilum redigere poteſt.

CAP. XIX.

De Reſurrectione.

I. R*Eſurrectio dupliciter accipitur.*

1. Vt opponitur ei, qui non ſupereſt à morte; & hoc modo accipitur cum de Sadducæis refert Scriptura, quod dicant, non eſſe reſurrectionem, id eſt, negant, quemquam ſupereſſe à morte: aliquando vero accipitur pro reſurrectione carnis; ut in Symbolo Apoſtolico, *credo reſurrectionem carnis*.

II. *Eadem caro reſurget quoad ſubſtantiam, non quoad qualitates.*

Obj. Socin. *Caro & ſanguis non poſſidebunt regnum Dei*, 1 *Cor.* 15. *Reſp.* Notum eſt, carnem accipi, vel pro parte eſſentiali hominis, & ita reſurget; *Iob.* 19. *In carne mea videbo Dominum*: vel accipitur pro depravatione naturæ, ut *Rom.* 8. 6, 7, 8, 9. Et certe talis non hæreditabit regnum Dei.

III. *Reſurrectio fidelium & reproborum habet diverſas cauſas.*

Fidelium reſurrectio, præter decretum Dei, cauſam habet Chriſti reſurrectionem, ut hoc prolixe probatur 1 *Cor.* 15. At vero reprobi reſurrectionis ſuæ cauſam habent decretum Dei potentia ſuffultum: & hinc etiam ratione propriæ reſurrectionis Chriſtus dicitur *primogenitus mortuorum*, *Col.* 1. Quod ſcilicet ſit caput omnium in beata reſurrectione.

IV. *Reſurrectio futura eſt in corporibus habilibus, non inhabilibus.*

Diſceptant aliqui, in qualibus corporibus reſurrecturi ſimus; an corpora futura ſint æqualia: quæ quidem quæſtio hactenus curioſa eſt. At vero utut corpora ſint inæqualia, erunt tamen habilia, *Apoc.* 20. 12. hoc eſt, quod non ſint infantilia futura: nam certe embryo reſurget; & tamen ineptum eſſet in tali corpuſculo, quod vix apiculæ corpus adæquat, reſurrecturum. Idem de infantibus cogitandum, qui ſæpe parvi naſcuntur. Verbi gratia: Illi quorum trecenti nati una vice dicuntur, quorum ſinguli vix muris juſti quantitatem habebant.

V. *Homines omnes reſurrecturi ſunt omnibus membris, non mutilati.*

Inter alia, etiam hæc nobis Socinus *objicit*, quod multorum membrorum uſus nullus eſſe poterit in cælis. Vt membrum nutritionis, generationis, & ſimilia. *Reſp.* Fines eſſe duplices; nobis ignotos, & notos: fatemur, multorum fines nos ignorare; propterea non ſequitur, res non futuras. At quod omnibus membris ſimus reſurrecturi, liquet ex Chriſto Salvatore: quemadmodum enim ille reſurrexit, ita & nos reſurgemus. Sed hoc liquet præterea ex iis, quos dies Domini inventura eſt: nam illi cum omnibus membris immutilati reſurrecturi ſunt.

VI. *Reſurrectio, futura eſt omnium, non eodem momento, ſed ſucceſſive.*

Docet hoc Spiritus Sanctus 1 *Cor.* 15. 23. Interim ſciendum eſt, eodem tempore omnium reſurrectionem fore; ut hoc arcte teneamus contra illos, qui ſtatuunt, martyres mille annos an-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

te omnium reſurrectionem reſurrecturos, & cum Chriſto in terra regnaturos: Nam Sp. S. non niſi duos adventus Chriſti viſibiles ponit; unum in carne, dum factus eſt homo; alterum in carne, dum venturus eſt judicare vivos & mortuos: & cum adventu hoc conjungit ſtatim reſurrectionem mortuorum. *Matth.* 24. *verſ.* 30, 31.

CAP. XX.

De Innovatione Mundi.

I. M*Vndus interibit, non ſecundum* ſubſtantiam, *ſed ſecundum* accidentia.

Quemadmodum mundus aqua perpurgatus eſt in diluvio, ita etiam igne perpurgabitur in extremo judicio. 2 *Petr.* 3. *verſ.* 11, 12, 13.

II. *Ignis iſte non futurus eſt* ordinarius, *ſed* extraordinarius.

Habemus duas ſpecies ignis in S. Literis: extraordinarium, qualis fuit iſte ignis, quo ardebat dumus; aut iſte, qui etiam lapides combuſſit in ſacrificio Eliæ: alterum ordinarium, quo utimur in uſu quotidiano. Hic autem ignis, quo omnia ſolventur, erit extraordinarius: nam aget in elementa.

III. *Perire dicitur aliquid, non tantum tum, cum ſubſtantia perit, ſed etiam quando accidentia pereunt.*

Liquet hoc tum ex aliis, tum ex verſu iſto:
Vino forma perit, vino corrumpitur ætas.

IV. *Creari aliquid dicitur, non ſecundum* ſubſtantiam *tantum, ſed etiam ſecundum* accidentia.

Ita *Pſal.* 51. Cor mundum crea in me, Domine. & hinc etiam eſt, quod regeniti, dicuntur nova creatura.

V. *Iudicium Dei, eſt vel* condemnationis, *vel* abſolutionis.

Quando dicitur de fidelibus, quod non venient in judicium, tum intelligitur judicium condemnationis: hoc modo etiam illud *Pſ.* 143, intelligendum: Domine, ne ingrediaris in judicium cum ſervo tuo.

VI. *Iudicium, aliud eſt univerſale, aliud particulare.*

Univerſale erit extremum; Particulare fit quotidie in diſceſſu animæ à corpore.

VII. *Redeunt animæ quæcumque ad Deum, vel ad Iudicem, vel ad Patrem.*

Eccl. 12. 9. Socinus inde concludere voluit quod impiorum animæ non ſint reſurrecturæ, quia omnes animæ rediturae ſunt ad Deum. At conſequentia nulla eſt: *illæ* rediturae ſunt tanquam ad judicem, *hæ* ut ad patrem.

VIII. *Iudicabit Chriſtus non excluſo Patre aut Sp. Sancto.*

Etiam hoc urgent Sociniani, quod Pater non ſit judicaturus. *Ioan.* 5. Pater non judicat quemquam. *Reſp.* Male hoc accipiunt, ſi abſolute intelligant: Nam non judicat Pater quemquam abſque Filio: alioquin, ipſum judicare, liquet *Rom.* 2. 16: *In die illo quo judicabit Deus de rebus occultis hominum ex Evangelio meo per Ieſum Chriſtum.*

IX. *Chriſtus judicabit ſecundum utramque naturam, divinam & humanam.*

Secundum divinam, *cognoſcendo* peccata, pœnas *infligendo*, & vitam *conferendo*: ſecundum humanam, *ſententiam pronuntiando* & divinæ ſententiæ judicia *approbando*; qualiter etiam nos dicimur judicaturi, 1 *Cor.* 6. *verſ.* 8.

X. *Non peragetur judicium hoc in particula terræ tantum, ſed etiam in tota terra & aëre.*

Pontificii volunt, in valle Ioſaphat, idque ex *Ioël.* 3. 2. Sed inepte: nam ibi agitur de judicio particulari in hac terra, de gentibus, quæ adduci debebant eo ad puniendum. Quod ad poſterius, illud ſatis à nobis in Locis Communibus probatum.

XI. *Iudicium hoc celerrime peragetur.*

Sunt qui duraturum putant per ſex annorum millia.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

millia. ſed inepte: nam in momento peragetur, ut liquet ex iſtis, quos dies Domini vivos reperiet; nam in momento mutabuntur & rapientur in occurſum.

XII. *Dicuntur judicandi vivi & mortui.*

Ejus ſenſus hic eſt, non quod mortui judicabuntur, ſed quod illi qui mortui fuerant, poſtquam reſurrexerint, judicabuntur; ita ut vivi hic dicantur illi qui non ſunt mortui. Socinus ait, judicare mortuos, eſſe facere ut mortui in morte maneant, ita ut non ſint reſurrecturi; adeoque hanc pœnam ipſorum futuram, quod nim. ipſis in morte manendum ſit. Sed inepte. Contrarium exſtat *Ioan.* 5. 38.

XIII. *Iudicium, futurum eſt ex Lege, non ſecundum Evangelium.*

Quia ex Lege peccatum cognoſcitur. Ceterum aliqui ſunt, qui putant, ex Evangelio & ſecundum Evangelium judicatum iri, ex loco *Rom.* 2. Vbi dicitur, judicaturum Deum ſecundum Evangelium. *Reſp.* Evangelium ibi nihil aliud ſignificare, quam annuntiationem Pauli & præconium ejus. Paulus autem non tantum Evangelii, ſed & Legis doctrinam prædicavit.

XIV. *Iuſtificabuntur reprobi aliqui ex parte.*

Hoc eſt, abſolventur à pœna, non quidem abſolute, nam omnes reprobi condemnandi ſunt; ſed quoad gradum: proinde etiam dicitur, conditionem Sodomitarum tolerabiliorem fore, quam illorum, in die judicii. *Matth.* 11.

CAP. XXI.

De Glorificatione.

I. G*Lorificatio erit eadem* natura, *non* gradu.

Liquet *Dan.* 10. ubi illi, qui reſurgent, comparantur partim firmamentis, partim ſtellis.

II. *Deum videbimus non abſolute* ſicut eſt, *ſed ſicut erga nos* eſt comparatus.

1 *Ioan.* 3, Videbimus Deum ſicuti eſt, dicitur. Sed hoc non abſolute intelligendum: ſed ita. Videbimus eum perfectiſſime, quatenus ſe erga nos declaravit Pater. Hoc eſt, cognituri ſumus perfecte quæ & quanta in nos contulit beneficia.

III. *In vita futura, erit notitia inter homines, ſive beatos, tum eos qui una convixerunt, tum omnes alios.*

Teſtatur *Ioan.* 19. ubi dicitur, Et videbunt eum quem transfixerunt. quod etiam alios agnituri ſimus quos non noverimus, id liquet *Matth.* 17. ubi conſpecti ſunt Moſes & Elias cum Chriſto colloquentes: dicitur enim de Petro, quod ipſos noverit, & quod dixerit Chriſto, Faciamus tria tabernacula, &c.

IV. *Salus conſiſtit tum in liberatione à malo, tum in vita æterna.*

Salus eſt ens aggregatum: duo enim notat; tum liberationem à malo, & dationem boni: & quidem prioris cauſa eſt mors; poſterioris cauſa, ſancta vita cujuſvis eſt.

V. *Diſtinguitur vita à ſalute.*

Vita æterna competit Angelis abſolute: nobis vero non competit abſolute, ſed ut ſalus.

CAP. XXII.

De Condemnatione.

I. C*Ondemnatio eſt ens aggregatum, non ſimplex.*

Conſtat enim ex pœna damni & ſenſus.

II. *Pœna ſenſus, eſt etiam ens aggregatum.*

Conſtat enim ex morſu conſcientiæ, & angoribus & horroribus, quod Spir. Sanct. explicat per ſtridorem dentium, ex moleſtia quam percipient tum ex loco, tum ex ſocietate cum diabolis & aliis reprobis, ſicut etiam ex clamoribus reproborum.

III. *Ignis qui dicitur fore in inferno, non erit materialis, ſed dicitur ita figurative.*

Quia

Quia aget in Diabolos: corporeus autem ignis id præſtare nequit.

IV. *In inferno non erit deſperatio.*

Quia nullæ promiſſiones: deſperatio opponitur promiſſionis privationi. Vbi ergo non erunt promiſſiones, ibi nec oppoſitum, deſperatio.

V. *In inferno peccaturi ſunt homines.*

Sunt enim blaſphematuri Deum.

VI. *Infernus erit certo loco.*

Non ergo inter orbes cæleſtes. Nos probabiliorem ſententiam aſſerimus, fore in terris, quia inter judicandum reprobi in terra manebunt. Sed parum in eo ſitum eſt. Nobis danda eſt opera, ut ita vitam inſtituamus, ne eo demur præcipites.

CENTVRIA DISTINCTIONVM GENERALISSIMARVM.

PRÆCOGNITA.

Diſtinctio, eſt determinatio Subjecti & Prædicati: alias limitatio, modificatio, conciliatio: cujus examen & lydius lapis continetur ſequentibus Theorematibus.

I. *Diſtinctio, eſt vel* generalis, *vel* ſpecialis.

Generalis, fit terminis communiſſimis, quorum uſus eſt in omni facultatum genere; ut, *Actu primo* & *ſecundo*, *abſolute* & *reſpective*, *per ſe* & *per accidens*: Specialis, fit in ſpecialibus ad ſpecialem aliquam & reſtrictam Diſciplinam pertinentibus; ut Ethicus inter *vulgarem* & *heroïcam virtutem*, Politicus inter *telum offenſivum* & *defenſivum* diſtinguit.

II. *Vtraque diſtinctio fit per diverſos reſpectus, quorum oportet conſiderare* Conditiones *&* Species.

III. *Conditiones diverſorum reſpectuum ſunt tres*: 1. Convenientia. 2. Diverſitas. 3. Perſpicuitas.

IV. *Convenientia eſt, qua diſtinctio petita eſt ex viſceribus rei & ex ipſa natura Subjecti & Prædicati.*

Sophiſma ergo eſt, quando diverſi reſpectus pugnant cum re ipſa. Quare quæ vera ſunt contradictoria: *explicite*; ut, Deus eſt ligneus: vel *implicite*; ut, homo eſt leo: hæc, inquam, nullo modo conciliari poſſunt. Ad veram autem contradictionem requiruntur iſta quatuor: 1. Idem Subjectum & Prædicatum. 2. Vt dicatur *ſecundum idem*, hoc eſt, ſecundum eamdem partem. 3. Vt fiat *ad idem*, hoc eſt *ad eumdem reſpectum* & eodem plane modo. 4. Vt ſit *eodem tempore*.

V. *Diverſitas eſt, quando diſtinctio non eſt eadem cum re, quam diſtinguit, ſed illius quædam circumſtantia.*

Inanis ergo eſt ταυτολογία, ſi quis dicat, *corpus eſt ſenſili modo inſenſile.*

VI. *Perſpicuitas eſt, quando diſtinctio eſt clara adeoque facile explicabilis, non autem chimærica vel vitrea.*

Mala enim communis eſt diſtinctio illa quorumdam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

rumdam Scholaſticorum inter veritatem *Theologicam* & *Philoſophicam*. Vitium 1. contra hanc committitur, quia diſtinctio eſt inexplicabilis. 2. Chimærica dicuntur, quæ ſunt ſalebroſa. 3. Diſtinctio vitrea eſt, quæ habet fucum ſeu colorem. 4. Cum Scholaſtici deberent explicare hoc Sophiſma, Mus habet pedem, &c. dicebant, murem habere pedem *irrationalem*; *rationale* enim pertinet ad totum hominem.

VII. *Species diverſorum reſpectuum ſunt, quorum alii ſunt* diverſarum rerum; *alii*, diverſorum modorum.

Modi, ſunt veluti *nodi*: ut nodus facit ad rei firmitatem; ita modus rei: qui modum rei tenet, ipſam rem tenet.

Omnis diſtinctio profluere debet ex *diverſis*, non *adverſis*.

VIII. *Reſpectus diverſarum rerum petuntur ex ipſis formis.*

Vt, Si quis diſtinguat inter artem & artificem; inter *Philoſophiam* & *Philoſophum*; *rem* & rei *formam, ſubſtantiam & accidens; nomen* & *factum*. Hujuſmodi diſtinctiones ſunt circa diverſas materias, hoc eſt, circa diverſa ſubjecta.

NB. 1. Qui confundit artem cum artifice, male agit. 2. A perſona ad rem non valet conſequentia; ut, Nero & Caligula fuerunt mali Principes, ergo magiſtratus eſt malus. 3. Ab accidente ad ſubjectum non valet conſequentia, hoc eſt, ab *abuſu* ad *uſum*. 4. Vetus Teſtamentum fuit abrogatum quoad *circumſtantiam*, non quoad *ſubſtantiam*.

IX. *Reſpectus diverſorum modorum petuntur ex unius ejuſdemque rei multiplici determinatione.*

Modus enim rei, nihil aliud eſt, quam reſtrictio rei & determinatio. Sunt autem quatuor claſſes modorum: 1. Modus eſſendi. 2. Prædicandi. 3. Cognoſcendi & conſiderandi & incipiendi. 4. Modus habendi ſe aliter atque aliter.

Huc pertinent diſtinctiones: *mediate & immediate*; *primario* & *ſecundario*; *à priori* & *poſteriori*; *naturaliter* & *ſacramentaliter*. Primario ac mediate agit Princeps per Officiales. Deus cognoſcitur *à poſteriori per effectum*, non *à priori per cauſam*. Panis conſecratus, dicitur corpus Chriſti *ſacramentaliter*.

X. *Duæ ſunt Diſciplinæ modorum magiſtræ*: Phyſica & Logica: illa *modum* eſſendi, cognoſcendi; hæc *modos* prædicandi *exponit*, *proponit*.

1. Non omnis Diſciplina modos explicat. 2. Prima eſt Phyſica & Metaphyſica. 3. Qualis eſt Eſſentia, talis Prædicatio. 4. Modus prædicandi neceſſario ſequitur modum eſſendi: ut, non poſſumus dicere, ſtellam eſſe animatam; quia eſſentia talis non eſt. Item, panem eſſe corpus Chriſti. Nam panis, eſt verus panis: corpus autem dicitur *ſacramentaliter*.

XI. *Accurate oportet diſtinguere inter axiomata* limitata & illimitata, *inter propoſitionem* limitatam & illimitatam.

Quo obſervato, facile erit reſpondere ad Syllogiſmum illum etiam à Magiſtris noſtris frequentatum: Qui dicit veſtras theſes eſſe theſes, verum dicit. Qui dicit veſtras theſes eſſe falſas theſes, dicit veſtras theſes eſſe theſes. Ergo, qui dicit veſtras theſes eſſe falſas theſes, verum dicit. Argumentum hoc puerile eſt, & Sophiſma viris doctis indignum, reſolvendum ex hoc Axiomate: A propoſitione illimitata, ad limitatam non valet conſequentia. Major enim illimitata eſt: qui dicit veſtras theſes eſſe theſes. Minor limitata: qui dicit veſtras theſes eſſe falſas theſes. Dicere theſes, illimitatum eſt; &, dicere falſas theſes, limitatum. Ergo non valet conſequentia. Eſt animal; Ergo canis. Sunt theſes; Ergo falſæ. Secundum quid autem aliquid dicitur quinque modis: 1. *Reduplicative*, quod fit per eſſentiam; ut, homo, quatenus eſt homo, eſt rationale animal. 2. *Generice*, hoc eſt, prædicamentaliter, quod fit per genus; ut, homo, qua homo, corpus habet trinæ dimenſionis. 3. *Partialiter*, quod fit ſecundum partem, vel quamdam partem; ut, homo eſt mortalis, quantum ad corpus; Chriſtus eſt ubique, qua Deus. 4. *Accidentalis externa*, quod fit per accidens externum; ut, Evangelium movet ſeditiones, non per ſe, ſed per accidens. Iacob eſt pater & filius, diverſa comparatione. *Accidentalis interna* dicitur, quæ fit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

per accidens internum ; ut , bona opera renatorum ſunt perfecta , *perfectione partium* , non *graduum*.

XII. *Fallacia à non limitato ad limitatum , eſt , cum quis accipit ſimpliciter quod cum reſtrictione accipi debuit.*

Frequens eſt hæc fallacia Arrianis de perſona Chriſti diſſerentibus. Chriſtus enim minor Patre eſt, non ratione *eſſentiæ*, ſed *officii* vel œconomiæ , per reſpectum humanæ naturæ & officii mediatorii.

XIII. *Neque Plato neque Ariſtoteles poſſunt hic diſtinguere , ut habet proverbium, in iis quæ vera ſunt ſecundum tres gradus ,* κατὰ παντὸς , καθ' αὑτὸ , καθ' ὅλȣ πρῶτον. *nullam admittunt diſtinctionem. Qui volunt contra principia diſputare, produnt ſuam inſcitiam.*

XIV. *Vocabula quædam notant privationem , quædam negationem.*

In Deo ſemper notant negationem vocabula ; in creaturis & negationem & privationem notant.

CENTVRIÆ
Diſtinctionum Generaliſſimarum
DECURIA I.

I. D*Iſtinctiones illæ ferme æquipollent : inter* eſſentiam *&* exiſtentiam , *inter* rem in abſtracto *&* concreto *conſideratam* , *in* idea *&* ſubjecto , *in* forma *&* formato : *Item* , *in* momentum primum *&* ſecundum , *eſſe* generale *&* ſpeciale , ſubſtantiam *denique &* circumſtantiam.

Sic , verbi gratia , Theologia itemque aliæ facultates & virtutes , in ſua *eſſentia* conſideratæ , non variant ; ſed in *exiſtentia* ſeu ſubjecto variant. Artes quoque & definitiones ſunt ex idea , quæ eſt rerum perpetuarum. Momentum primum , eſt materia generalis : Momentum ſecundum , eſt proprietas characteriſtica (perſonalis) quæ variat ſubjecta. 1. Decuria eſt manipulus militum : & ſicut milites dividuntur in certos ordines , ita & hic ſub uno ſigno interdum diſtinguuntur aliquot. 2. Eſſentia notat univerſalitatem : plura requiruntur ad exiſtentiam , quam ad eſſentiam : exiſtentia notat circumſtantiam rei. 3. *Idea* nihil aliud eſt quam forma ſive eſſentia rei. Idea eſt duplex : rerum *univerſalium* , & hæc eodem ſe modo habet ut natura humana ab initio mundi : *ſingularium* rerum , eſt mutabilium.

II. *Per* ſe *&* per accidens , ſua natura *&* determinatione , eſſentialiter *&* accidentaliter , interna ratione *&* externa acceſſione , formaliter *&* abuſive , *ratione* uſus *&* abuſus , *ratione* naturæ *&* eventus , denominatione intrinſeca *&* extrinſeca , *æquipollent.*

Ita vinum per ſe exhilarat , per accidens inebriat. Sic divitiæ denominative intrinſece ſunt dona Dei ; extrinſece ſunt incitamentum malorum. Evangelium ſua natura eſt odor vitæ ad vitam ; odor mortis ad mortem præter naturam. Huc pertinent & iſta : Abuſus non tollit uſum : tollatur abuſus , maneat uſus : Ab eo quod eſt per accidens ad ſubſtantiam rei non valet conſequentia : à perſona ad rem non valet conſequentia.

III. Æquivoce *&* univoce , vere *&* apparenter , *ſecundum* eſſentiam *&* apparentiam, ſynonymice *&* homonymice : vere *& quæ ſunt* opinione *hominum* , proprie *&* improprie , *ſecundum rei* veritatem *& nominis* ſimilitudinem , revera *&* nomine tenus , *idem ſunt.*

Verbi gratia , Theologia vera eſt univoce , falſa æquivoce : Malum eſt bonum apparenter , opinione peccatoris : Homo vivus, vere eſt homo; mortuus,eſt nomine tenus. Ceterum, varie Phyſici diſtinguunt hæc tria : *univoce*, *analogice*,

gice, & *æquivoce.* Univoce eſt idem quod perfecte: ut, homo eſt animal. Iſtud eſt idem quod eſt ſecundum convenientiam & ſimilitudinem rei: Angelus eſt Spiritus *analogice*, Deus *univoce* & *primo*. Hoc vero idem eſt quod ſecundum homonymiam: ut, Sophiſta eſt Phyſicus *æquivoce* & *falſo*. *Illud*, remotiſſimum; *iſtud*, medium; *hoc*, proximum denotat.

(Univoca, dicuntur perfecta; æquivoca, multis modis imperfecta. Alii ita: *excluſive*, & *nuncupative*. Primo modo diabolus dicitur Deus. 2. Dicitur nomine tenus, μιμηλικῶς.) Analoga, ad rem; æquivoca, ad nomen extenduntur.

IV. Late & ſtricte, laxe & preſſe, generaliter & ſpecialiter, exoterice & acroamatice, populariter & philoſophice, *coincidunt*.

Ut, Omnis Diſciplina eſt Ars, late ſumpto vocabulo *artis*; ſtricte, non niſi illæ, quæ ſunt directivæ & organicæ. Phyſica ſumitur laxe; & ita complectitur Medicinam, Theologiam: vel preſſe; & ita contradiſtinguitur reliquis Facultatibus. Sic aër aqua appellatur in ſuis terminis populariter. Directivæ Diſciplinæ ſunt, quæ dirigunt nos in rerum & verborum cognitione. Organicæ dicuntur, quæ ſuppeditant inſtrumenta ad eas. Artes dicuntur, quæ redeunt ad hominem artificem.

Quatuor dicuntur Facultates; & dicuntur Quadriga generis humani: ut, Theologia, Phyſica, Medicina, Juriſprudentia. Stylus Sacrarum Literarum eſt popularis; Scriptura enim non philoſophatur.

V. Abſolute & reſpective, *conſideratione* abſoluta & relata, in ſe & in alio, ſimpliciter & relate, ſecundum eſſentiam abſolutam & relatam *ſive reſpectivam*, *ſecundum* naturæ conſequentiam & muneris gratiam, *ſunt unum*.

Ita Paulus perſecutus eſt Eccleſiam *abſoluta*, Chriſtum *relata* conſideratione. Panis Cœnæ Domini non conſiderandus ſecundum naturæ conſequentiam, ſed muneris gratiam. Eccleſia in ſe patitur; Chriſtus relate: Adamus erat mortalis conditione naturæ; immortalis largitione gratiæ. Anima hominis non moritur ſecundum eſſentiam abſolutam, ſed moritur in relatione ad Deum, hoc eſt, quæ non fruitur viſione Dei. Reſpectus vero, ſive relationes, poſſunt eſſe intimæ, quarum ſumma capita ſunt loca inventionis Logicæ, ita ut non abs re Logica dici queat Volumen Relationum.

VI. *Ignorantia* ſimplex & malitioſa, puræ negationis & pravæ diſpoſitionis, negativa & affectata *ſeu ſophiſtica*, *æquipollent*.

Ignorantia ſimplex, excuſat peccatum; quia ſcilicet eſt juris particularis & facti: affectata non item, ſed auget peccatum; qualis eſt ignorantia juris univerſalis. De illa loquitur Paulus: *Ignovit mihi Deus; quia ignorans feci.* De hac dicitur: Eccleſia ignorans, ignorabitur ſcilicet in judicio.

[Dolus bonus ſunt ſtratagemata ſophiſtica, bellica, & militaria: in bello non licet ſophiſticari. Jus particulare, eſt jus nationale, quod in certo aliquo loco viget.]

VII. Formaliter & eminenter, ſubjective & effective, eſſentialiter & virtualiter, reipſa & eximie, *idem notant*.

Ut, Vinum eſt calidum, non *ſubjective*, ſed *effective*. Stella dicitur & calida eodem modo. Deus erit omnia in omnibus *eminenter*, non *formaliter*. Sol eſt calidus *in ſe* & *effective*.

VIII. Actu primo & ſecundo, actu ſignato & exercito, *ſcilicet potentia activa*; forma & operatione, *eſſentia* & emanatione, proprietate eſſentiali & virtute actuali, *æquipollent*.

Sic ratio eſt in infante actu primo, non ſecundo: Fides non perit in electis quoad formam, quamvis pereat quoad operationem. Sol, ignis, & ſimilia, nunquam amittunt actum primum, licet per omnipotentiam Dei poſſit in ipſis inhiberi actus ſecundus.

IX. *Cognitio à* priori *&* poſteriori, intellectualis *&* ſenſualis, diſtincta *&* confuſa, perfectiva *&* imperfectiva, comprehenſiva *&* apprehenſiva, adæquata *&* inadæquata, *ſunt idem.*

Verbi gratia, Deum non cognoſcimus à priori, quia non vult aliquem ſui cauſam; ſed à poſteriori, non comprehendendo, ſed apprehendendo. Ceterum à priori & poſteriori ſæpe eſt idem, quaſi ex parte ante & poſt. Ut, Solus Deus eſt æternus à priori, ſed & Angeli & homines pii à poſteriori, quia habent initium, ſed non habebunt finem.

X. Eſſentia *&* eminentia, forma *&* gradus, perfectio partium (*ſcilicet eſſentialium*) *&* graduum, *perfectio* prima *&* ſecunda, perfectio eſſentialis (*vel eſſentiæ*) *&* quantitativa, *æquipollent.*

Vt, Religio non facit ad *eſſentiam* reipſa, ſed ad *eminentiam*. Omne ens eſt perfectum perfectione prima, non vero ultima. Bona opera renatorum perfecta ſunt perfectione partium, non graduum. Epiſtola ad Romanos perfecta eſt perfectione eſſentiali, etiamſi non ſit perfecta perfectione quantitativa, quæ eſt totius canonis. A poſitivo ad ſuperlativum non valet conſequentia. Poſitivus eſt eſſentia; ſuperlativus eminentia. A negatione modi ad negationem rei non valet conſequentia.

DECURIA II.

I. Actus *&* habitus *differunt ut* minus *&* majus.

Hinc vitia actualia non ſunt tam enormia quam habitualia. Verbi gratia, Ebrietas in Noa actualis, veniam meretur; in Cambyſe habitualis, non item. [Actus eſt ipſa operatio. Habitus eſt rei poſſeſſio & actio, ſæpe iterata & confirmata. Habitus eſt difficulter mobilis.] Actus in vitiis magis laudatur, quam habitus: in virtutibus autem habitus magis laudatur quam actus. Vna enim hirundo non facit ver.

II. *Per* naturam *&* gratiam, *idem eſt, quod* à ſe *&* gratioſa communicatione.

Verbi gratia: Deus eſt æternus per naturam, Angeli boni per gratiam (ſcilicet juſtitiam remunerantem, cui opponitur juſtitia puniens).

III. Cumulative *&* privative, *ac* collative *&* ablative, *coincidunt.*

Sic populus poteſtatem dicitur reſignaſſe Principi, ſcilicet cumulative: item voluit cumulum poteſtatis Principi dare, hoc eſt, plenam poteſtatem; nec ſpoliavit ſe illa poteſtate. Deus Pater omnem poteſtatem dediſſe Filio dicitur, ſcilicet collative, vel cumulative, ut per eam regat Eccleſiam.

IV. *Aliud dicitur in ſenſu* formali; *aliud, in* cauſali.

Vt, Vinum dicitur calidum, Saturnus frigidus, non in ſenſu formali, ſed cauſali, per Metonymiam effecti.

V. *Aliquid dicitur in* ſenſu abſoluto, *vel* comparato.

Vt, Angeli boni dicuntur impuri in collatione cum Deo. Lux nonnunquam dicitur obſcura in comparatione cum majori; quo ſenſu Aſtronomi quaſdam ſtellas vocant nebuloſas.

VI. Ex parte rei *&* ex parte conceptus, ex merito rerum *&* ex merito intellectus, juxta rationem *&* naturarum conſiderationem, *æquipollent.*

Vt, multæ ſunt proprietates Dei eſſentiales, non ex parte Dei, ſed ex parte conceptus noſtri. Sic Deus eſt in prædicamento ſubſtantiæ propter noſtrum conceptum.

VII. *Aliquid punitur* privative, *vel* poſitive.

Privative, cum aliquid ipſi denegatur, ſicut poſteri Protoplaſtorum ſunt puniti in lumbis ipſorum. Sic filii proditorum perfidorum puniuntur poſitive, cum pœna irrogatur facinoribus.

VIII. De-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

VIII. *Defectus eſt vel* negativus, *vel* privativus: *& qualibet imperfectio eſt vel privativa, vel negativa. Hæc non eſt mala, ſed illa.*

Sic in humana Chriſti natura locum habuit ignorantia negativa (aliis defectus miſerabiles); ſed non ignorantia privativa (aliis affectus culpabiles). Porro, imperfectio negationis, ſolet & dici *comparata*; ut, Adam imperfectus erat in ſtatu innocentiæ in ordine ad Deum. Huc pertinet, quod vocula IN ſumatur & privative & negative. Homo dicitur injuſtus privative; Deus, immortalis, inviſibilis, negative. Negativa pertinent ad contradicentia; privativa, ad privantia.

IX. Intenſive, *&* Extenſive, *non accipiuntur eodem modo, imo non idem ſunt quoad virtutem & molem.*

Vt, Deo tribuitur quantitas virtutis ſeu intenſiva, non materialis ſeu extenſiva. Intenſio reſpicit gradum excellentiorem; extenſio, objecta: quo ſenſu fides & reliquæ virtutes Theologicæ dicuntur imperfectæ intenſive, non extenſive.

X. Deſertio, *eſt vel* probationis, *vel* punitionis.

Illo modo aliquis deſeritur, ut virtutes ipſius manifeſtæ fiant & roborentur: ſic Deus deſeruit Adamum labentem, & Præceptor deſerit Diſcipulum in arena Diſputationis. Poſteriori modo aliquis deſeritur ob vitium ſuum, ſicut Deus deſeruit Pharaonem & Apoſtatas: Parens filium ſic exhæredat.

DECURIA III.

I. MAteriale, *&* Formale, *accipiuntur duobus modis.*

Materiale eſt res conſiderata; formale eſt modus conſiderandi: ut, in Ethicis res conſiderata, eſt virtus; modus conſiderandi, eſt formalis. 2. Materiale idem eſt quod ſubjectum relationis; formale eſt ipſa relatio: ut in limite & pane Euchariſtico videre eſt: ſic in familia & politia eſt aliquid materiale, ſed non quoad formale, hoc eſt, unionem virtutis. Formale relationis non incurrit in ſenſus, ſed percipitur vel intelligitur fide.

II. Materiale, *&* formale, *opponuntur.*

Vt, Deus eſt in loco *materialiter*, id eſt, in omni re, cujus materia quædam dicitur locus reſpectu creaturæ; ſed non formaliter ratione ſui: ſic Deus facit impium materialiter, hoc eſt, ſubjectum illud facit, in quo eſt impietas; ſed non formaliter, hoc eſt, non infundit impietatem. Impietas enim non eſt ex creatione, ſed accidit.

III. *Ignorantia, eſt vel* formalis, *vel* interpretativa.

Formalis, eſt defectus ſcientiæ; ut, ſi quis neſciat rationem officii ſui. Interpretativa, eſt defectus elocutionis illius rei, quam alioqui intelligimus: ita in rebus divinis, & aliis ſublimioribus, perſæpe nobis hæret lingua, in dextra & commoda interpretatione & pronuntiatione.

IV. Eſſe reale *&* eſſe cognitionis (*ſive eſſe cognitum*), *idem eſt quod eſſe rei & objectum.*

Vt, Omnes res fuerunt in Deo quantum ad eſſe cognitum, ſed eſſe reale acceperunt in tempore.

V. Formaliter, *& per* concomitantiam, *opponuntur.*

Vt, Generatio unius, eſt corruptio alterius; ſcilicet propter neceſſariam ſequelam & per neceſſariam connexionem.

VI. Reſpectus *&* deſpectus *opponuntur.*

Vt, Omnis creatura dicitur imperfecta reſpective, hoc eſt, contemplative, non deſpective.

VII. Simpliciter, *&* reſpective, *opponuntur duobus modis, hoc eſt, idem ſunt quod* proprie *&* improprie.

Quo ſenſu tutores dicuntur patres reſpective: Julius Cæſar dicitur pater Auguſti reſpective. 2. Reſpective idem eſt, quod cum diſtinctione:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ut, ſi quis ſimul nominet ſex vel plures, ex quibus duo vel tres ſunt ipſius cognati, utitur hac vocula *reſpective.*

VIII. Auctoritative & nunciative, *idem eſt quod* principaliter & miniſterialiter.

Vt, Deus ſolus remittit peccata auctoritative; Miniſtri, nunciative. Princeps init fœdus cum hoſte principaliter & auctoritative; Legatus, miniſterialiter.

IX. *De* jure & facto, *ac quæſtio* juris & facti, *idem ſunt.*

Vt, Papa ſibi vendicat Italiam de facto, non de jure. Turcicus Imperator vendicat ſibi Conſtantinopolin de facto. Quæſtio facti, eſt Tyrannorum per fas & nefas.

X. *Amor eſt* communicationis & complacentiæ.

Vt, Deus ab æterno nos amavit amore communicationis, ut eſſemus ſancti: ſed amore complacentiæ non amat, niſi credentes. Amor antecedens eſt, communicationis. Conſequens, ſive dilectio, eſt complacentiæ.

DECURIA IV.

I. GRadus *rerum, eſt vel* excellens, *vel* remiſſus: *ille dicitur gradus* intenſus *vel* excellentiæ; *hic,* poſitus *infra mediocritatem.*

Vt, Ignis eſt calidus in gradu excellenti, aër in remiſſo. Virtutes cadunt in imbecillitatem humanam remiſſe, non excellenter: ita nullus regenitus in hac vita eſt in gradu excellenti, ſed remiſſo. Ex parte, idem eſt quod remiſſe.

II. Ordo, *eſt vel* numeri, *vel* virtutis: *hic, non ille, ſpectari debet in œconomica ſocietate, &c.*

Et hic ordo nihil aliud eſt quam unio in virtute morali, civili, ſpirituali. In Eccleſia eſt ordo numeri & virtutis, non vero numeri tantum. Papa vetat ordinem numeri, ſed non virtutis.

III. Ordo doctrinæ, *eſt vel* ſapientiæ, *vel* potentiæ.

Ille eſt accuratus, tanquam libra Critolai & regula Polycleti; iſte eſt popularis & veluti regula Leſbia.

IV. Notitia, *eſt* theoretica, & practica, *hoc eſt*, nuda & effectiva.

Illa eſt, qua quis intelligit, & dicitur ſimplicis intelligentiæ; hæc eſt, qua quis rem cognitam, ſolido affectu complectitur: illo modo Deus novit impios; iſto, non niſi pios.

V. Præſtantius, & eligibilius, *differunt.*

Illud eſt quod ſua natura eſt dignius; hoc, quod propter certas circumſtantias præferendum aliis: ut, Aurum eſt præſtantius ferro, ſed ferrum eſt fabro ferrario eligibilius quam aurum: & vinum licet ſit generoſius aqua, tamen hæc Venetis & Belgis eſt eligibilior.

VI. Bonitas *eſt vel* naturalis, *vel* moralis, *vel* ſupernaturalis.

Illa eſt omnis entis; quo pacto & Diabolus eſt bonus: *iſta* eſt virtus ethica; qualis fuit & in gentibus: *hac* Chriſtianorum, quatenus credunt.

VII. Bonum, eſt tale *vel* ſimpliciter, *vel in* relatione ad bonum; *& hoc dicitur bonum neutrum, ſive indifferens.*

Vt, Divitiæ ſunt bonæ, quatenus ſunt inſtrumenta virtutis. Idem judicium eſto de omnibus bonis corporis & fortunæ, quæ menſuram ſuam à bonis animi & amabilitatem habent, ita pulcritudo potius dedecus dicitur, ſi nulla virtus adſit.

VIII. Cognitio, *eſt vel* intuitiva, *vel* abſtractiva.

Illa eſt perfectior, quam hæc: hinc Deus omne cognoſcit intuendo, non abſtrahendo; in altera vita videbunt Deum electi intuitive. Illa videtur ipſa res; *hac* ſpecies ſive imagines rerum.

IX. Appetitus, *eſt vel* innatus, *vel* elicitus;

citus: *ille inditus eſt creaturæ, hic excitatus ab objecto.*

Sic omnes animæ rationales feruntur ad gloriam Dei, appetitu innato: appetitus autem ille eſt abſque prævia cognitione; & hoc modo appetit homo ſcire, ſcilicet appetitu ordinato. Eſt enim duplex *appetitus*, ratione objecti ſui; *ordinatus* & *inordinatus*: Ille vult finem & media, hic finem tantum. Dum homo magis magiſque cognoſcit alicujus rei præſtantiam, appetit illam appetitu elicito.

X. Tranſcendentale, *&* Prædicamentale, *plurimum differunt.*

Tranſcendentale eſt, quod ſuperius eſt omni Prædicamento: Eſtque vel ſingulariſſimum, ut Ens. Prædicamentale eſt, quod ad certam Entis Categoriam pertinet; ut ſunt decem ſumma genera rerum. Vbi teneatur regula: Deus, & quicquid de Deo dicitur, habet rationem tranſcendentis. Hinc actiones & relationes divinæ non ſunt accidentia, ſed tranſcendentia.

DECURIA V.

I. ASſertive, *&* narrative, *opponuntur.*

Ita dicimus, nos aliquid commemorare *narrando*, non *aſſerendo*: quo pertinet diſcrimen inter *mentiri*, & *mendacium dicere*: multi enim minime mentiuntur cum mendacium dicunt. Mentiri enim eſt contra mentem ire, cum non conſentit os & conſcientia.

II. Hiſtorice *&* oratorie, *ſunt idem quod* nude *&* ſymbolice.

Hinc dicimus aliquem laudare Oratorie, hoc eſt, cum ſchemate Rhetorico ad cælum uſque tollere.

III. Abſtracte, *&* applicate, *opponuntur.*

Abſtracte, idem eſt quod in ſe ipſo; applicacate, idem quod in legitimo uſu. Verbi gratia, Hypocritæ accipiunt Sacramentum abſtracte, non applicate. Idem eſt judicium de inſtrumentis & mediis quibuſvis. Omne inſtrumentum habet ſuam perfectionem à fine & legitimo uſu.

IV. Δύναμις *&* ἐξουσία *differunt.*

Illa eſt actualis poſſeſſio, hæc facultas. Sic *omnipotentia* & *omnis poteſtas* differunt: illa enim eſt attributum Deitatis, hæc Mediatoris: & data eſt ei omnis poteſtas ratione officii & œconomiæ. Imperator Romanus habet poteſtatem recuperandi Orientem, tametſi deſtituatur potentia.

V. *Poteſtas, eſt vel* pura *&* abſoluta, *vel* limitata *&* mixta.

Ita populus univerſus habet poteſtatem abſolutam; Princeps limitatam, quippe à legibus fundamentalibus & populo pendentem. Princeps pendet à lege *Naturæ*, *Divina*, & *fundamentali*. Quatenus ergo *homo* eſt, dicitur obſervare *legem Naturæ*; quatenus *Chriſtianus*, legem *Divinam*; quatenus *Princeps*, legem *fundamentalem*.

VI. Secundum potentiam, *&* ſecundum propoſitum, *differunt.*

Ita Logicus & Sophiſta idem ſunt ſecundum potentiam, ſed non idem ſecundum propoſitum. Logicus enim non habet principium fallendi. Sic bonum opus ſæpe male fit, quia non fuit ibi bonum propoſitum. Hypocritæ, & boni viri, eſt quidem una potentia, ſed non una intentio. Nam ambo frequentant templum, ſed diverſo fine & modo.

VII. Secundum proprietatem, *&* ſimilitudinem, *plurimum differunt.*

Verbi gratia, Solus Deus eſt bonus ſecundum proprietatem; creatura autem, ſecundum ſimilitudinem. Vnde patet, proprietatem rei non omnem cauſari; ſed ſimilem effectum poſſe producere, ut, cum Sol illuſtrat aërem.

VIII. Par *&* ſimile, *differunt tanquam* magis *&* minus.

Vt, homo non eſt Deo *par*, ſed *ſimilis*. Hujus loci eſt diſtinctio illa inter *proportionem paritatis*, & *ſimilitudinis*: ut, inter finitum & infinitum non datur proportio paritatis: ſed eſt *ſimilitudo* aut *univoca*; ut, Alexander Magnus eſt ſimilis

milis Philippo patri : aut *æquivoca*, ut homo dicitur ſimilis Deo.

IX. Ordo, *eſt vel* naturalis conditionis, *vel* potentiæ Dei *abſolutæ*.

Juxta conditionem rei naturalem, fieri non poteſt, ut Sol ſuum curſum ſiſtat; ſed ſecundum potentiam Dei abſolutam. Quia omnes creaturæ ſunt præditæ *potentia obedientiali*. Hoc tamen ita accipiendum eſt, ne potentia Dei abſoluta extendatur ad contradictoria; ut, Deus non poteſt mentiri.

X. Immediate, & Mediate, *opponuntur*.

Sic Deus quædam agit mediate; quædam, immediate. Hæc diſtinctio in vita humana habet uſum, ubi ſuperioribus actio adſcribitur inferiorum. Ita quod Legatus agit nomine Principis, id ipſe Princeps dicitur agere.

DECURIA VI.

I. TRanſitive, & Diſtributive, *opponuntur*.

Illud notat *migrationem*; hoc, *communicationem*: ſic lux Solis eſt in aëre, non tranſitive, ſed communicative. Hæc diſtinctio utilis eſt in conſideratione de communicatione propriorum; quæ non datur. (Proprietas non communicatur, ſed effectum proprietatis.)

II. Eſſe & ſubſiſtere, *differunt ut* commune & proprium.

Sic una eademque eſſentia communis eſt tribus perſonis S.S. Trinitatis. Subſiſtentia eſt cuique propria. Anima hominis non pendet à corpore quoad eſſentiam, licet pendeat quoad exiſtentiam.

III. *Sæpe diſtinguimus inter* ſimpliciter & huic.

Sic pœna juſta, eſt bona ſecundum ſe & ſimpliciter; ſed eſt mala *huic*. Sic ſerpentes, ſunt boni ſecundum ſe; mali vero ſunt *huic* vel *illi*.

IV. *In diſtinctione inter* eſſendum, & agendum, *multiplex petitur conciliatio*.

Nam accidens excellit in agendo; ſubjectum, in eſſendo, in agendo. Ita calor in igne calefacit & ea quæ ſunt extra ignem.

V. Natura & œconomia, eſſentia & diſpoſitio, forma & diſpenſatio, materia & officium, *non ſunt ſynonyma*.

Ita Chriſto aliud tribuitur ratione naturæ, aliud ratione œconomiæ: ſic in politicis inſtrumenta non ſunt conſideranda ratione formæ, ſed officii.

VI. *Alia intelligenda ſunt* ſecundum eſſentiam; *alia*, ſecundum prædicationis modum.

Vt, cum Herodes dicitur vulpes, non verba, ſed prædicatio ſpectanda eſt. Idem judicium eſt de omnibus Tropis & Figuris; & diligenter tenenda eſt Regula: *Verba ſunt intelligenda ſecundum ſubjectam materiam.*

VII. Directe, & Indirecte, *opponuntur*.

Sic aliquid poteſt eſſe in certo prædicamento indirecte, quod non eſt directe in ullo. Sic pars eſt indirecte in prædicamento, in eo ſcilicet in quo totum. Ita Princeps in alios habet imperium directe; in alios, indirecte.

VIII. Ratio agentis & inſtrumenti *opponuntur*.

Vt, Deus confert aliquid tanquam auctor, homo tanquam miniſter. Omne autem inſtrumentum agit diſpoſitive.

IX. Effective, & Permiſſive, *opponuntur*.

Sic bona opera prodeunt à providentia Dei effective; mala & peccata, permiſſive.

X. Sufficientia, & Efficientia, *differunt*.

Ita præceptor adhibet diligentiam humanam, hoc eſt, quæ poſſet ſufficere ad omnes diſcipulos ſolide informandos, licet illa non ſit efficax in omnibus & ſingulis: ita Deus dedit protoplaſtis gratiam ſufficientem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

DECURIA VII.

I. **Eſſentialiter, & characteriſtice,** *opponuntur.*

Et eſſentia quidem eſt natura communis, character eſt natura ſingularis: ſic riſibilitas eſt proprium totius ſpeciei humanæ; competit autem huic vel illi. Ita tres perſonæ SS. Trinitatis ex æquo habent proprietates eſſentiales, perſonas non item.

II. **Proportio,** *eſt vel* **Arithmetica,** *vel* **Geometrica.**

Illa conſiſtit in æqualitate differentiarum; hæc, in æqualitate rationum. Ibi eſt æqualitas commutativa: hic, diſtributiva. Porro D.O.M. proportionem Arithmeticam in regimine mundi ſervat.

III. **Inter rem ipſam & rationem dicendi** *oportet diſtinguere.*

Multa enim ſæpius in modo locutionis magis quam in re ipſa differunt. Notari autem debet, quod de verbis minus laborandum ſit, ſi res ipſa intelligatur.

IV. **Dialectice & analytice, declaratorie & Logice, Oratorie & Metaphyſice,** *ſunt idem quod* **populariter & ad amuſſim.**

Ita Paſtores Eccleſiaſtici ſæpe rhetoricantur, ubi non iniquum fuerit, imo æquiſſimum, ad ſtateram artificii omnia examinare. Idem judicium eſto de ſcriptis Claſſicorum, quorumdamque Theologorum, Politicorum, &c.

V. **Supra naturam, & contra naturam,** *differunt.*

Nam quod eſt ſupra naturam, naturæ limites tranſcendit; quod eſt contra naturam, perimit naturam. Verbi gratia: Articuli fidei non ſunt contra naturam, ſed ſupra naturam; quia gratia accedit ad naturam, eamque excedit, non abolet.

Obſervandum eſt, nihil dari poſſe, quod ſit contra *naturam univerſalem*, tametſi multa dantur, quæ ſunt contra *naturam particularem*: talia ſunt, mala tam culpæ, quam pœnæ. *contra* notat excellentiam; *ſupra*, repugnantiam. Peccare, eſt contra naturam; quia deſtruit eam: ut, homo, cum peccat, eſt brutum; nam illius imaginem deſtruit peccando. Natura univerſalis reſpicit ſpeciem, hanc Diabolus conatur deſtruere, ſed Deus nunquam permittit, ſed particularem permittit deſtrui.

VI. **Eſſe & habere, eſſentialiter & habitualiter,** *coincidunt.*

Vt, Deus eſt bonus eſſentialiter, homo habitualiter. Tot autem ſunt modi eſſendi, quot modi prædicandi. Pro tempore enim aliquid habet veram quantitatem, qualitatem, figuram. Huc pertinet diſtinctio inter *quod* & *quale*: ut, Deus eſt ſapiens, ſapientia de eo prædicatur in *quod*; ſed homo eſt ſapiens, ſapientia de eo prædicatur in *quale*. Sæpe τὸ habere eſt idem quod poſſidere, quo ſenſu ſolus Deus dicitur habere immortalitatem. [*Quod* notat Subſtantiam; *Quale*, Accidens omne quod ſupervenit.]

VII. **Medium** *eſt vel* **participationis,** *vel* **negationis.**

Illud nihil habet commune cum extremis: ut, virtus eſt medium bonarum actionum. Nihil enim eſt vitiorum. Hoc habet aliquid commune cum extremis: ut; omnes colores ſunt medii inter album & nigrum: quidquid congregat viſum, communicat cum nigredine; quod diſgregat, cum albedine.

VIII. **Totaliter, & partialiter,** *opponuntur.*

Vt, Electi amittunt fidem non totaliter, ſed partialiter. Et homo dicitur interire *partialiter*; nam anima non interit, ſed corpus reſolvitur in ſua principia, ſcilicet elementa.

IX. **Explicite & implicite, totidem verbis & bona conſequentia, expreſſe & analogice,** *ſunt ſynonyma.*

Sic multa continentur in Scriptura, ut & in jure Iuſtinianæo, non ad literam, ſed ad ſenſum; ſic *Trinitatis* vox non habetur in Scriptura, ſed habetur analogia: Nam dicitur quod Deus ſit trinus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

X. Pugnantia in re ipſa, & pugnantia in ſpeciem, *non ſibi contradicunt.*

Ita in Scriptura, ſicut & in Iure & alibi, multæ ſunt contradictiones apparentes. (Cum duo loci pugnantes occurrunt, debent per bonam diſtinctionem conciliari.)

DECURIA VIII.

I. THeſis & hypotheſis *differunt ut* generaliter & ſpecialiter.

Huc pertinet illa regula: Transferre theſin ad hypotheſin: ſæpe enim hypotheſin dicimus fundamentum alicujus rei; ut, cum dicitur, diſputationem niti falſa hypotheſi, hoc eſt, falſo fundamento.

II. Medium rei & perſonæ, Arithmeticum & Geometricum, æqualitatis & rationis, *æquipollent.*

Illud, æqualiter differt à ſuis extremis, ut eſt centrum circuli: hoc, inæqualiter diſtat, ut in regula proportionis videre eſt. Illud in proportione Arithmetica, hoc in Geometrica cernitur: Illud ſemper idem manet, hoc accommodari poteſt circumſtantiis.

III. Perfectivum & deſtructivum, ſalvativum & corruptivum, perficiens & deficiens, *opponuntur.*

Hinc paſſio, privatio, abolitio, negatio, dividuntur in perfectivam & deſtructivam: ut, reformari ad imaginem Dei, eſt paſſio perfectiva; deformari ad imaginem Diaboli, eſt deſtructiva.

IV. Senſibile & intelligibile, materiale & immateriale, Phyſicum & Logicum, craſſum & analogum, *ſunt homonyma.*

Vt, Angeli dicuntur habere materiam intelligibilem, non ſenſibilem: Cognitio item dividitur in ſenſitivam & intellectivam. [Phyſica ſunt ſenſibilia; Logica vero ſunt intelligibilia.]

V. *Status* quantitatis & qualitatis *opponuntur: ille conſiſtit in* amplitudine, *hic in* unione virtutis.

Sic in qualibet ſocietate oportet ſpectare potius ſtatum qualitatis, quam quantitatis. Sunt etiam qui quantitatem diſtinguunt, ita ut quantitas ſit vel amplitudinis, vel excellentiæ: quo ſenſu Turcicum imperium dicitur majus Romano. Huc quoque pertinet diſtinctio in *quantum* & *quale*, ſive inter *gradum* & *rem ipſam*, inter *modum* & *eſſentiam*: ut, Electi non amittunt fidem quoad *quale*, ſed quoad *quantum.*

VI. Tota res, & totum rei, *differunt.*

Vt tota res dicatur de ſubjecto ratione alterius partis, totum rei de utraque parte ſubjecti: ut, totus homo intelligit & moritur, ſed non totum hominis. Totus Chriſtus eſt ubique, ſed non totum Chriſti. [*Tota res* notat perſonam: *Totum rei* notat naturam alterutram vel partem eſſentialem.]

VII. Finaliter, & ad tempus, *opponuntur.*

Vt, Electi excidunt ex gratia Dei, non finaliter, ſed ad tempus, quo pacto Sol patitur Eclipſin.

VIII. Philoſophicum & ſophiſticum *opponuntur.*

Sic ignorantia Philoſophica eſt, qua quis paratus eſt; ignorantia Sophiſtica eſt, qua quis non cupit diſcere.

IX. Propoſitum & infirmitas, malitia & imbecillitas, data opera & ex infirmitate, *opponuntur.*

Vt, Vir bonus peccat non ex propoſito, ſed ex infirmitate.

X. Gymnaſtice & dogmatice, interrogative & definitive, exercitii gratia & ſerio, *ſunt idem.*

Sic multi diſputant contra articulos fidei, ut tum ſe, tum alios exerceant, non ut animi ſenſa prodant. Cum hac diſtinctione coincidit, quod aliquid fiat tentative & aſſentative: ut, cum præceptor Diſcipulo proponit Sophiſma.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

DECURIA IX.

I. PRincipium quod, & quo, *opponuntur*.

Illud eſt cauſa efficiens princeps, ipſumque ſuppoſitum quod agit; hoc, nihil aliud eſt quam inſtrumentum totale. Homo eſt principium *quod* loquitur, lingua autem eſt principium *quo* loquimur: ſic tota perſona Chriſti eſt principium *quod*, altera natura eſt principium *quo*. Hinc facile reſpondetur ad illud Sophiſma: Quicquid videt, habet oculos. Tui oculi vident: Ergo tui oculi habent oculos. Item: Quicquid loquitur, habet linguam. Tua lingua loquitur: Ergo tua lingua habet linguam. Limitanda eſt major ex fundamento diſtinctionis ſuppeditato inter principium *quod* & *quo*, hoc modo: Quicquid videt, ſcilicet ut *principium quod*, illud habet oculos. Atqui oculi mei non non vident, ut *principium quod*, ſed tantum ut *principium quo*: Ergo non neceſſe eſt ut habeant oculos.

II. Magis & majus, *differunt: illud notat* intenſionem; *hoc*, extenſionem.

Verbi gratia, Subſtantia quidem admittit majus & minus, ſed non magis & minus. Ceterum magis & minus non variant ſpeciem, ſed gradum: ut, infirma fides non differt ſpecie, ſed gradu; ſic virtus heroïca gradu tantum differt à virtute communi.

III. Eſſentialiter & virtualiter, ſubjective & objective, in ſe & in effectu, *idem ſonant*.

Vt, juſtitia & miſericordia ſunt æquales in eſſentia Dei; ſed miſericordia eſt major ratione effectorum ſive objectorum.

IV. Indifferens & externum *opponuntur*.

Ita quidem, ut hoc ſit ſimpliciter bonum vel malum; ut virtus & vitium: illud, tametſi ſua natura bonum eſt, per accidens tamen ſit malum; ut ſunt divitiæ & plurimæ ceremoniæ, quæ neque præceptæ, neque interdictæ ſunt: ut, aperire caput ad nomen Ieſu. Sunt & neceſſariæ ceremoniæ, quæ nituntur aliquo præcepto.

V. Neceſſitas coactionis & immutabilitatis, violentiæ & naturæ, impulſionis & definitionis, *coincidunt*.

Neceſſitas coactionis reſpicit loco motivam hominis, quæ ſola cogi poteſt; non voluntatem, quæ duci, flecti, perſuaderi poteſt, cogi non poteſt. Neceſſitas vero immutabilitatis reſpicit formam & proprietatem rei: quo ſenſu dicimus, Deum neceſſario bonum, ignem neceſſario eſſe calidum.

VI. Prius natura, *eſt tale vel* intentione *vel* generatione, *ſive* ordine naturæ intendentis & generantis.

Illo modo prius dicitur quod eſt perfectius; ut, finis eſt prior mediis: hoc modo prius dicitur quod prius fit; quo ſenſu imperfecta ſunt priora perfectis.

VII. Diverſa, & adverſa, *opponuntur*.

Diverſa ſunt quæ ita diſtinguuntur, ut poſſint convenire eidem, ut pietas & divitiæ: *Adverſa* ſunt quæ ita diſtinguuntur, ut non poſſint convenire eidem, niſi reducantur ad *diverſa*, ut ſunt, calor & frigus, virtus & vitium. Ex omnibus autem locis inventionis Logicæ poteſt necti conſequentia, exceptis *diverſis*: Nam quicquid ſequitur, vel vi conſenſionis, vel vi diſſenſionis ſequitur: In *diverſis* autem neque conſenſio, neque diſſenſio eſt neceſſaria.

VIII. Neceſſitas, *eſt vel* materiæ, & *cernitur in* axiomate; *vel* formæ, *quæ cernitur in* ſyllogiſmo.

Illa cernitur in immutabili nexu ſubjecti & prædicati; ut, Deus eſt omnipotens. Hæc cernitur in concluſionis illatione ex præmiſſis, & poteſt habere locum in materia contingenti, imo & in falſa: ut, Aſinus habet pennas, ergo volat: hoc neceſſarium eſt neceſſitate illationis, non formæ.

IX. Alius & aliud *differunt*.

Vt *aliud* notet rem, *alius* perſonam. ſic in homine non eſt alius atque alius, ſed aliud atque aliud: ut & in Chriſto: ſed in SS. Trini-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

tate non eſt aliud atque aliud, ſed alius atque alius.

X. Solus *accipitur* categorematice, *&* ſyncategorematice.

Illo modo idem eſt ac *ſeparatus*; hoc modo idem eſt ac *ſolum*, ſive *duntaxat*: ut, Oculus videt ſolus, hoc eſt, tantum; ſed non ſolus, hoc eſt, ſeparatus à corpore: ſic ſola fides juſtificat, ut excludantur opera, ſcilicet ſyncategorematice; ſed non ſola, hoc eſt, ſeparata ab operibus.

DECURIA V.

I. QValitas, *ſive conditio, eſt* interna, *vel* externa.

Interna pertinet ad naturam cauſæ; ut, diligentia diſcipuli. Externa nihil attinet ad rem, de qua agitur: ut, in foro non eſt ſpectandum an aliquis ſit dives, vel pauper: non igitur eſt προσωποληψία, ſi quis pium & diligentem præferat impio & negligenti.

II. Emanatio *&* tranſmutatio *differunt.*

Illa eſt in actibus immanentibus (hoc eſt, internis, quæ reſident in agente); ut, cum Deus Pater gignit Filium: Hæc in tranſeuntibus, ut eſt Creatio.

Vbi eſt generatio, ibi eſt mutatio, Hoc non ſemper valet. Generatio enim, eſt vel *emanativa*, vel *tranſmutativa*, ex qua ſequitur mutatio, non ex priore illa. Creatio, eſt mutatio tranſmutativa, qua Deus mutat ſuum opus, non vero ipſe mutatur.

III. Totum, *eſt vel* perfectionis, *ut Deus; vel* compoſitionis, *ut Creatura: illud eſt* totaliter totum, *hoc per* partes.

IV. Vniverſale, *eſt vel in* eſſendo, *vel in* prædicando, *vel in* cauſando: *ut, Deus eſt* univerſalis *non priori, ſed poſteriori modo.*

V. Vniverſale *in eſſendo, eſt vel* genus, *vel* ſpecies.

Deus, non eſt vel genus, vel ſpecies, ſed ſummum individuum: Eſt vero univerſale in cauſando, quod eſt omnium rerum cauſa.

VI. Bonitas, *&* perfectio, *eſt vel* eſſentialis, *vel* accidentalis.

Si ſpectetur prior, illa Deus non potuit meliorem mundum facere; ſed potuit ratione poſterioris.

VII. Bonum agere *&* bene agere *differunt ut* majus *&* minus.

Sic impii multa *bona* agunt, dant eleemoſynas, &c. Sed ſoli pii *bene* agunt.

[*Bonum agere* notat *actum*, *Bene agere* notat *habitum.*]

VIII. Latum, leve, leviſſimum, *notant tres gradus vitiorum.*

IX. Integrum *&* corruptum, ordinatum *&* inordinatum, conſtitutum *&* deſtitutum, bene affectum *&* turbatum, *opponuntur.*

Vt, Natura, Regnum, Societas, quodlibet duobus hiſce modis conſideratur.

X. Vulgare *&* heroïcum, commune *&* excellens, populare *&* ſupra ſortem vulgi, *opponuntur.*

Vt, cum virtus diſtinguitur in vulgarem & heroïcam.

Regnum Naturæ, Gratiæ, & *Gloriæ:* Horum limites diligenter ſunt diſcernendi. *Regnum Gratiæ*, eſt potentiæ, & providentiæ. *Regnum Naturæ*, eſt fidei, prædeſtinationis, & Eccleſiæ militantis. *Regnum Gloriæ*, eſt Viſionis, Gratiæ, & Eccleſiæ triumphantis.

Qua Diſtinctione tanquam Cynoſura obſignamus hanc Diſtinctionum Centuriam.

FINIS.

JOAN-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

JOANNIS MACCOVII THEOLOGIA POLEMICA.

CAPUT I.

De Sacra Scriptura.

QUÆSTIO I.

Vnde conſtet, Scripturam eſſe Verbum Dei?

R*Eſp*. Ex criteriis, quæ illi inſunt, certo conſtare poteſt.

I. Quia gentes ex illis potuerunt cognoſcere, *Deut*. 4. 6. Ergo multo magis Chriſtiani, qui ſunt illuminati; cum illi non eſſent.

II. Quod idiota, id multo magis capiet aliqua ſcientia præditus. At 1 *Cor*. 14. 24, 25. Ergo. Ratio conſeq. Quia adultus habet ſenſus magis exercitatos, quam idiota. *Hebr*. 5. 14.

Obj. I. Nullum teſtimonium in re propria validum. Ergo nec Scriptura illud ſibi dare poteſt. *Ioan*. 8. 13. *Reſp*. Non dat *auctoritative*, ſed *ratiocinative*; ut Chriſtus apud plebem, *Ioan*. 5. 36.

Inſtant. Nec *ratiocinative*. Quia obſcuratur teſtimonium ejus, cum de ſe profert. *Reſp*. Non obſcuratur apud eos, quibus Deus dedit aures ad audiendum. 2 *Cor*. 3. 14, 15. 2 *Cor*. 4. 3.

Obj. II. Ejus auctoritas pendet ab Eccleſia, quæ eſt columna & firmamentum veritatis. 1 *Tim*. 3. 15. *Reſp*. Neg. Conſeq. Eccleſia enim dicitur fundamentum veritatis, quia veritatem Evangelii, quantum in ſe eſt, ſuffulcit & confirmat. Fundamentum autem Apoſtolorum & Prophetarum eſt Dei Verbum. *Epheſ*. 2. Et eſt Eccleſia columna, non *architectonica*, cui aliquid tanquam fundamento ſuperædificatur; ſed *politica*, ad quam aliquid affigitur, ſuſpenditur, promulgatur.

Obj. contra auctoritatem Verbi Dei, tum ex lege Dei, tum ex natura Dei. Ex lege Dei: multa enim ſunt in Scriptura, quæ, prohibita à lege, jubentur; &, juſſa à lege, prohibentur: item, quæ, juſſa à lege, ſi fiant, vituperantur; & quæ, prohibita à lege, commendantur; cum lex ſit immota Dei regula, ut axioma Theologorum vult. Ex natura Dei, oppugnari poteſt, tum ex veracitate ejus, tum ex efficacia. Ex veracitate iterum dupliciter; vel ratione dictorum ſive ſermonis, vel ratione intellectus divini. Ratione dictorum, in Scriptura multa ſunt contradictoria. Ergo Scriptura

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

non eſt Verbum Dei; quia contradictoriorum alterum verum, alterum falſum: & proinde contradictio omnis mendacium involvit; & mendacium abeſt longiſſime à Deo. Ratione intellectus, in relatione ad veritatem ſermonis, quod quædam jubeat, quæ non vult, quod tamen Scriptura docet; quædam vult, quæ prohibet: at hæc hypocriſis eſt, quæ à Deo quam longiſſime removenda, & ita ex attributo de virtute oppugnari poteſt auctoritas.

Jam ex efficacia, altero attributo, ita oppugnari poteſt: Si Scripturæ divina eſt auctoritas: Ergo ubique obtinet. Non autem obtinet. Nec eſt quod quis dicat, Apud regenitos, non irregenitos, eſt efficax. Nam apud irregenitos auctoritatem obtinet; quod oſtendo ex Scriptura. Nam *Ioan.* 7, redeunt ſervi ad Phariſæos, qui miſſi erant ad capiendum Chriſtum, & tale reſponſum retulerunt: *Nunquam ita homo locutus eſt, ut hic:* & *Luc.* 16, dicitur de fratribus Epulonis, quod Moſen habeant & Prophetas, & quod hi efficaciores ſint ad movendos ipſos, quam ſi à mortuis reſſuſcitaretur Lazarus, id eſt, quam ipſa miracula. At miracula efficaciam habent apud irregenitos. Ergo multo magis Scriptura debet habere efficaciam. At non habet. Ergo hæc Scriptura non eſt Sacra Scriptura.

Ad 1. fundamentum *reſponſio* generalis eſt, Quædam juſta eſſe, quia vult; & hæc illa ſunt, quæ jam jubet, jam prohibet: quædam vero vult, quia juſta ſunt; & hæc ſemper jubet, & contraria prohibet.

Quod ad ſecundi fundamenti membrum primum attinet; *Reſp.* Si requiſita contradictionis expendantur, quæ quatuor ſunt, ut idem ſit ſubjectum, idem prædicatum, idem reſpectus, eædem circumſtantiæ loci & temporis, deprehendetur aliquod iſtorum requiſitorum deeſſe, ac proinde non eſſe contradictionem.

Quoad membrum ſecundum ſecundi fundamenti, illud tollitur diſtinctione mandati, quæ alias à nobis data; item hypotheſeos iſtius productione, quod, quæ mandat ſemper velit eo fine quo mandat, quem tamen non ubique, ubi mandat, revelat.

Ad tertium membri ſecundi fundamentum *Reſp.* Aut quod moti fuerint modo agendi, quem Chriſtus adhibebat in dicendo, qui etiam à reprobis videri poteſt; & ſic argumentum nihil concludit: aut quod fuerint regeniti; & ſic etiam nihil concludit: potuiſſe enim regenerari vel ad unam concionem, docet *Lucas, cap.* 11. 27, de muliere iſta, quæ audita concione Chriſti è media turba clamat: *Beatus venter, qui te portavit:* & idem, *Act.* 16, de Lydia.

Ad alterum argumentum quod attinet, quod promebatur ex *Luc.* 16. *Reſp.* Moſen & Prophetas majorem efficaciam habere, apud reprobos, non eo quatenus nudum Verbum, ſed quatenus miraculis conjunctum, utpote miraculis confirmatum: debet, inquam, majorem efficaciam habere, quam ipſa miracula; quia aliquid conjunctum cum aliquo, plus debet agere, quam ſolum. Irregenitos autem ne miraculis quidem maximis moveri ad hoc, ut credant fide ſalvifica, docet Spiritus Sanctus *Deut.* 29. *verſ.* 3, 4.

QUÆSTIO II.

Anne quis ex interno Spiritus Sancti teſtimonio ſibi perſuadere & probare poßit Verbum Dei eſſe Verbum Dei.

Reſp. Pontificios negare. Arg. Bellarm. 1. *Quod diſcerni non poteſt, unde & à quo ſit, ex illo ſibi nemo poteſt probare Verbum Dei eſſe Verbum Dei: ſed internum Spiritus S. teſtimonium non poteſt diſcerni, unde, & à quo ſit. Ergo.* *Reſp.* 1. Minor negatur. Ratio negationis petitur ex 1 *Cor.* 2. 16. *An neſcitis, Spiritum Dei habitare in vobis?* 2. Sciendum, quod Spiritus S. teſtimonium dupliciter accipiatur; vel enim ſumitur pro *enthuſiaſmo*, vel ſumitur pro *revelatione.* Dum dicimus ex teſtimonio Spiritus Sanct. conſtare, Verbum Dei eſſe Verbum Dei, non ſumimus pro enthuſiaſmo, qui fuit in Prophetis, ſed pro revelatione Spiritus Sancti, hoc eſt, quod nobis Spiritus Sanct. det oculos, eoſque aperiat, ut videamus ea quæ antea videre non potuimus, veluti *Gen.* 21. *v.* 19. Deus dicitur oculos aperuiſſe Hagaræ, ut videret puteum aquæ, quem ſcilicet antea non viderat. *Dicas*: Unde autem ſcies oculos tuos à Spiritu Sanct.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Sanct. apertos atque illuminatos? *Reſp.* Hoc tam abſurde quæritur, ac ſi quis quæreret, habueritne Hagar oculos, dum videret puteum.

Minorem ſuam probat Bellarminus; *Affectio in mentibus excitata diſcerni non poteſt, unde ſit. At internum Spiritus Sanct. teſtimonium eſt interna affectio. Ergo. Reſp.* Major ut aperte falſa negatur. Ratio negationis eſt *Rom.* 8. 16. *Spiritus teſtatur una cum ſpiritu noſtro, nos eſſe filios Dei.* Spiritus autem teſtimonium ut firmiſſimum eſt, ita quoque diſcerni poteſt. Probat ille *Majorem* proſyllogiſmi. *Si duo ſint in nobis principia agentia, caro nempe, & ſpiritus, tum non poteſt diſcerni affectio interna in nobis unde ſit. Atqui* &c. *Ergo. Reſp.* Præſupponi falſam hypotheſin, quaſi vero iſta affectio interna proveniret ab alterutro horum principio. cum *caro & ſanguis iſta non revelarint*, Matt. 16, 17. 2. Negatur quoque conſequentia, quod non poſſint diſcerni affectus unde ſint; & ratio negationis petitur *Rom.* 7. 5, 14, 18. Spiritus Sanct. nobis quoque opera carnis & ſpiritus tam clare & ad vivum deſcripſit *Gal.* 5. 19, 20, 21, 22. ut dignoſci queant manifeſtiſſime.

Arg. II. Bellarm. *Omne teſtimonium, ex quo aliquid probare volumus, debet eſſe publicum. At internum Spiritus Sanct. Teſtimonium non eſt publicum. Ergo. Reſp.* Falſa Major. Ratio, quia Conſcientia cujusque tale eſt teſtimonium, quo aliquis certo ſibi aliquid probat. Hinc etiam conſcientia dicitur nos accuſare vel excuſare. *Rom.* 2. 15. Probat *Majorem* Bellarm. 1 *Cor.* 3. 1. At probatio hæc nihil ad rem facit. Nam quæritur, unde ſibi aliquis poſſit probare, Verbum Dei eſſe Verbum Dei; non vero quærebatur, unde alter hoc probare poſſit. At de hoc agit Apoſtolus, non de priori.

Arg. Bellarm. III. *Quod commune eſt fidelibus cum infidelibus, ex eo non poterit ſibi aliquis probare, Scripturam eſſe Verbum Dei. At internum Spiritus Sanct. teſtimonium eſt his & illis commune. Ergo.* Minorem probat, *Matth.* 27. 19. *Si uxor Pilati, ex interno affectu bono, voluit virum abſterrere à cæde Chriſti; ſequitur, Spiritus Sanct. teſtimonium eſſe commune. At verum eſt prius; Ergo & poſterius. Reſp.* Variæ ſunt ſententiæ de illa uxoris Pilati notitia. Quidam volunt, eam ab ipſo Pilato, imo diabolo fuiſſe ſubornatam, quo ita ſalus humana impediretur, ſi Chriſtus non occideretur. Alii ſentiunt, ab Angelo monitam fuiſſe, ut innocentiæ Chriſti teſtimonium perhiberet, adeoque Pilatus tanto magis convinceretur rei inique geſtæ. 2. Objecta diſtinguuntur. Nam Spiritus Sanctus interne ſæpe etiam impiis multa annuntiat: ſed aliud eſt, cum aliquid annuntiat Spiritus Sanctus, quod ad ſalutem pertinet; aliud eſt, quod eſt extra ſalutem: ſic Bileamo multa à Spiritu annuntiata & communicata, qui tamen impius fuit.

Inſt. Contra primum: *Si etiam à Deo moventur affectus, tum dubitare adhuc oportebit, Unde & quales ſint affectus noſtri. Prius ſtatuiſtis. Ergo. Reſp.* 1. Non ſtatuimus ſimpliciter, ſed dicimus quod aliqui ſentiant. 2. Dato, non conceſſo, conſequentia falſa eſt. Nam affectus & effectus arguunt cauſam.

Minorem probat Bellarm. *Si etiam multi improbi credunt, & ſibi perſuaſum habent, Scripturam eſſe Verbum Dei; ſequitur, eos etiam habere internum teſtimonium Spiritus Sanct. At hoc abſurdum eſt. Ergo. Reſp.* Abſurdi nihil. Quia dona Spiritus Sancti communia quædam ſunt electis cum reprobis, quale hoc eſt donum convictionis, de certitudine Scripturarum, adeo quidem, ut & ipſe diabolus non ſine teſtimonio Spiritus Sancti id credere poſſe credatur, quæ fides non ſalvifica eſt, ſed hiſtorica tantum.

QUÆSTIO III.

An ergo aliquis ex Scriptura ſibi ipſi probare poteſt, Verbum Dei eſſe Verbum Dei?

Reſp. Bellarminus negat, his argumentis motus. I. *Si ex Scriptura quis ſibi non poſſit probare, libros Moſis eſſe libros Moſis, ſequitur, ex Scriptura probari non poſſe, Verbum Dei eſſe Verbum Dei. Verum prius; Ergo. Reſp.* Negatur conſequentia. Quia non hoc quæritur, utrum liber Moſis ſit liber Moſis, ſed an ſit divinus. Et ratio eſt; quia, ut quis credat librum Moſis eſſe librum Moſis, requiritur fides hiſtorica,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ſed quod ſit divinus, requiritur ſalvifica fides. Vide Pareum in Præfat. Comment. Hoſeæ.

Arg. II. Bellarm. *In omni probatione circulus eſt vitioſus: ſed probare, Scripturam eſſe Verbum Dei, ex Scriptura; eſt circulus. Ergo.* Major videtur veriſſima. Eſt enim petitio principii idem per idem probare, adeoque vitioſa probatio. Minor: Quia idem probari nequit. *Reſp.* 1. Diſtinguendo: Probatur Scriptura per Scripturam, eſſe Verbum Dei, ſed *ratiocinative*, non *auctoritative*; hoc eſt, non quia Scriptura hoc dicit, ſed, quia ei res tales inſunt, ex quibus colligi poteſt, eam eſſe Verbum Dei. Confirmatur hoc *Deut.* 4. 6. ubi Lex ſe ſanctam eſſe probat, non quia hoc dicit; ſed quia talia effecta producit, quæ divina ſunt. 2. Præterea, aliquando etiam Scriptura Scripturam probat, ſed *ex hypotheſi*, ſi prior Scriptura ſit admiſſa. v. g. ſi mihi cum Judæo ſit diſputandum, ille vero admittat V. Teſt. contra eum facile probaverim veritatem Novi Teſtamenti.

Inſt. Si unus idemque homo non poteſt eſſe judex, auctor, & reus, tum nec Scriptura ex Scriptura probari poterit. Atqui &c. Ergo. Reſp. Falſum Antecedens. Et non melius apparet ejus falſitas, quam in nobis ipſis ratione Conſcientiæ noſtræ; ſumus enim noſmet ipſi rerum noſtrarum, & rei, & accuſatores, & judices. Conſcientia noſtra, & rea eſt, & actor, & judex. *Rom.* 2. 15.

QUÆSTIO IV.

An ex teſtimonio Eccleſiæ probetur, Verbum Dei eſſe Verbum Dei?

Reſp. Nos negamus. Bellarminus affirmat. Arg. ejus I. *Qui habet judicium determinativum, ex illo poteſt probari Scripturam eſſe Verbum Dei. At Eccleſia habet tale judicium. Ergo. Reſp.* Negatur Minor, de Eccleſia ſcilicet illa, quam putat Bellarminus de Pontificia, quæ in Papam reſolvitur.

Inſtant. Si id, quod antè erat abolitum, revocarunt Apoſtoli, tum Eccleſia habet determinativum judicium. Atqui hoc fecerunt Apoſtoli, Act. 15. 28. *Ergo. Reſp.* ad Antecedens diſtinguendo: Quod abolitum revocatur, ſcilicet non *quoad factum*, ſed *quoad jus* illud; ſed Apoſtoli abolitum exhibito Chriſto tolerarunt, & revocarunt tantum quoad tempus, ut liquet *Act.* 21. 20, 22. propter ſcandala ſcilicet.

Arg. Bellarm. II. *Quod eſt columna & ſtabilimentum veritatis, ex eo poteſt quis ſibi probare, Scripturam eſſe Verbum Dei. Atqui Eccleſia eſt talis,* 1 *Tim.* 3. 15. *Ergo. Reſp.* Quidam illa verba exponunt ita, quod Eccleſia dicatur columna, non *active*, ſed *paſſive*: vel ut alii, non *architectonice*, ſed *politice*; quæ ſolutio Calvini eſt. Alii iſta verba, Columna & ſtabilimentum veritatis, non ad antecedentia, ſed ad conſequentia referenda cenſent, ita quidem, ut ab illis novus paragraphus incipiat, quod particula & oſtendit.

Inſt. Atqui in toto hoc capite agitur de Eccleſia; Ergo & hac verba de Eccleſia ſunt accipienda. Reſp. Non ſequitur. Quia ubi dixerat Apoſtolus de Eccleſia Dei vivi, jam explicat, quis & qualis ſit ille Deus vivus. Zuinglius & Camero, pro ſtabilienda hac expoſitione, adferunt hoc, quod Judæi ſolebant libros ſuos inſcribere & inchoare ab his vocibus: *Columna & ſtabilimentum veritatis.*

QUÆSTIO V.

An libri Apocryphi ſint Canonici?

Reſp. Nos Negamus. Bellarminus affirmat, *Tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 3. *Arg.* I. *Qui libri à Patribus antiquis, & Conciliis, pro vere divinis agnoſcuntur, illi libri ſunt Canonici. At libri Apocryphi &c. Ergo. Reſp.* Præſupponitur falſa hypotheſis, quod Scripturæ auctoritas pendeat ab Eccleſiæ teſtimonio.

Arg. II. *Ex quibus libris Patres teſtimonia allegarunt, illi ſunt Canonici. Atqui ex Apocryphis &c. Ergo. Reſp.* Majoris conſequentia negatur. Quia perinde eſt, ac ſi quis argumentaretur; Apoſtoli ex ſcriptis Ethnicorum allegarunt dicta, ut *Act.* 17. 28. 1 *Cor.* 15. 33. *Ergo* Ethnicorum ſcripta ſunt Canonica.

Inſt. Si Apoſtolis licuit ex libris Ethnicis citare, multo magis licebit ex libris Apocryphis. Reſp. I. Quod Apoſtoli ex Ethnicis citarunt, fecerunt ideo, ut ſtatuerent argumenta, quæ dici ſolent ad hominem; hoc eſt, quia contra Ethni-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Ethnicos diſputabant, ex eorum principiis & ſcriptis eos refellebant. 2. Ea ipſa citatione Apoſtoli particulas iſtas, quas ſubinde Theologia naturalis ſuggeſſit Ethnicis, in Canonem inſtinctu Spiritus Sancti adoptarunt, quod jus non licet prætendere Romanæ Eccleſiæ; maxime cum hac Apoſtolorum praxi, non integri Ethnicorum libri, reliquo Canoni difformia continentes, jure civitatis in Eccleſia fuerint donati. 3. Non concluditur quod in quæſtione eſt. Aliud eſt citare aliquid; aliud, citare ut Canonicum & divinum. Citat Eccleſia libros Apocryphos, ſed eo ipſo eos non canonizat.

Arg. III. *Apoſtoli ex Apocryphis adducunt teſtimonia: Ergo ſunt Canonici.* Antecedens probat ex *Rom.* 11. 34. quod deſumptum eſt ex *Sap.* 9. 13. Et quod *Heb.* 1. 3 habetur, *Sap.* 7. 26 extat. *Reſp.* Negatur, Apoſtolos aliquid citaſſe ex libris Apocryphis. Quia illud, quod *Rom.* 11. 34 eſt, non ex libro Sapientiæ, ſed ex *Eſa.* 9. 6, depromptum eſt. Neque illud *Heb.* 1. 3, idem eſt cum eo, quod habetur *Sap.* 7. 26. 2. Negatur Conſequentia. Hoc vel illud habetur in libris Apocryphis, ergo illud quod ſimile vel quaſi parallelon extat in N. T. illinc deſumptum eſt. Hoc enim perinde eſt, ac ſi dicerem: Mercurius Triſmegiſtus dicit, Deus habet ſermonem, Ergo illud *Ioan.* 1. 2, ex eo deſumptum eſt, & ex Triſmegiſto citatum.

Arg. Bellarm. IV. *Si libri Apocryphi acceptati ſunt ab Eccleſia & uſurpantur in lectione, ſequitur, eſſe Canonicos: Atqui, &c. Ergo. Reſp.* Hoc argumentum eadem falſa hypotheſi laborare, quo primum.

Inſtant: Omnes libri qui in Eccleſia tractantur, ſunt Canonici. Apocryphi tractantur. Ergo ſunt Canonici. Reſp. Limitand. Qui libri in Eccleſia tractantur *de jure*, non *de facto*, illi ſunt Canonici. Jam vero, multa tractari poſſunt de facto, quæ Canonica non ſunt.

Inſtant: Si Apocryphi mores informant: Ergo de jure. Reſp. Poſſet quidem dari, ſi non haberemus meliora & in immenſum præſtantiora. Jam vero, præſtantioribus relictis, velle ex minus præſtantioribus quidpiam haurire, abſurdum eſt, & perinde eſt, ac ſi quis triticum habens, lolium comedat.

QUÆSTIO VI.

An Scriptura ſit neceſſaria ad ſalutem?

Reſp. Non *abſolute*, ſed *hypothetice*, reſpectu ſc. mandati divini. Pontificii negant. Rationes noſtræ ſunt:

I. 2 *Tim.* 3. *verſ.* 16, 17.

II. *Rom.* 15. *verſ.* 4.

III. Deus voluit ſcribi Verbum ſuum.

Obj. I. Non fuit uſque ad Moſen: Ergo non eſt neceſſaria. *Reſp.* Eſt ignoratio elenchi. Quia & nos tantum ex hypotheſi cauſæ efficientis dicimus eſſe neceſſariam.

Obj. II. Spiritus Sanct. docet interne. *Reſp.* Subordinata non pugnant. *Inſt.* Poſita Spiritus Sanct. inſtitutione, omnes reliquæ tolluntur. *Reſp.* Minime; quia Spiritui Sancto jam ordinarie per Verbum docere iubet: ideoque iterum ſubordinata non pugnant.

QUÆSTIO VII.

Qua lingua Scriptura ſit authentica?

Reſp. Hebræa in V. Græca in N. T. Ratio.

I. Quia Deus in V. T. inter Judæos Eccleſiam tantum habuit, *Pſal.* 147. 19, 20. *Act.* 14. 16. *Inſt.* At Proſelytæ multi erant. *Reſp.* Illi ſingulis annis Hieroſolymis tenebantur comparere, & linguam Hebræam diſcere, *Deut.* 16. confer, *Act.* 2. 8.

II. Quia Judæis ſunt concredita eloquia Dei, *Rom.* 3. 2.

Obj. I. Deus rejecit populum iſtum; Ergo & linguam. Ratio conſeq. Quia ſi illis quos rejecit, dedit Verbum ſuum lingua propria; multo magis, quos recepit. *Reſp.* Conſequentia nulla. *Inſt.* Si Deus iis, quos rejecit, dedit Verbum immediate, in ipſorum linguis, & non dedit Gentilibus; tum illos magis, quam hos dilexit. *Reſp.* Poteſt Deus alterum præ altero magis amare, adeoque huic beneficia quædam, quæ alteri non confert, conferre.

Obj. II. Biblia Hebræa ſunt corrupta. *Pſ.* 22. pro voce *caru, foderunt*, legitur *carri, ſicut leo. Reſp.* Utrovis modo legatur, eodem res recidit, & in Chriſtum quadrat. Deinde, Iſaacus Levites,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

tes, qui ſcripſit contra Lindanum Academiæ Colonienſis Profeſſorem, dicit in antiquis haberi כרו *Caru*. Ut ut ergo in aliquibus codicibus ſit corruptus textus iſte, non tamen in omnibus. Nam & ille idem Iſaac teſtatur, ſe habere exemplar, in quo כרו *Caru* legitur, dicitque incuria typographorum ſphalma illud in quoſdam codices irrepſiſſe. *Inſt.* Judæi fuerunt hoſtes Chriſti infenſiſſimi; Ergo impoſſibile quin non corruperint, ſaltem illa, quæ de Chriſto agunt. *Reſp.* 1. Commendat eos Spiritus Sanctus, quod iis concredita eloquia Dei. 2. Major eſt Dei in conſervandis integre Scripturis providentia, quam infenſiſſimorum etiam hoſtium in iis corrumpendis protervia. *Inſt.* Illi plane traditi ſunt in reprobum ſenſum, *Act.* 28. 26, 27. Talibus autem quodvis ſcelus perpetrabile. *Reſp.* Ita quidem, niſi à Deo inhibeantur. *Inſt.* *Pſal.* 19. 3, eſt vox קום *Kavam*, i.e. linea, cum tamen Apoſtolus Paulus *Rom.* 10. 18, citet ſonum. *Reſp.* Sæpe in Sacris Literis, quæ dicta ſunt ab aliis proprie, accommodantur ad alia: ut, verbi gratia, quæ in epiſtola ad *Galat.* 4. de monte Sinaï, de Hagara, de Sara, Iſmaële, dicta ſunt, allegorice ad alia accommodantur. Id hoc loco quoque fieri cenſendum eſt.

Objectiones contra Græcum textum: I. Eſt corruptus, *Ioan.* 8, de muliere adultera. *Reſp.* Falſum. *Inſt.* In Syriaco non habetur. *Reſp.* Non Græcus ex Syriaco æſtimandus, ſed contra. *Inſt.* Imo minor ſuſpicio corruptionis eſt, quia Chriſtus & Apoſtoli Syriacè ſunt loquuti, *Matth.* 16. *Cephas.* *Reſp.* Etſi Syriacè loquutus, Græce tamen ſcribi voluit.

Obj. II. In Græco omittuntur fundamentalia, 1 *Ioan.* 5. 7, 8. hi duo verſus in antiquis codicibus non habentur. *Reſp.* Quibuſdam. *Inſt.* Si in quibuſdam habiti fuiſſent, citarentur à Patribus Græcis. At non. Ergo. *Reſp.* Etſi ab Auguſtino, Chryſoſtomo, Nazianzeno, non citentur, citantur tamen ab Athanaſio, contra Arrium.

Obj. III. Græca lingua eſt mendaciſſima omnium gentium, ut liquet ex hiſtoriis. *Reſp.* Non malitia hominum, ſed providentia Dei conſideranda eſt, circa Libros Sacros conſervandos. *Inſt.* *Matth.* 27. 9, citatur Jeremias pro Zacharia. *Reſp.* 1. Dato, non conceſſo, manet tamen, Prophetæ eſſe dictum. 2. Vox Zacharias idem ſignificat quod Jeremias.

QUÆSTIO VIII.

An Latina vulgata verſio ſit authentica?

Reſp. Bellarm. affirmat. I. Quæ editio tot ſeculorum uſu eſt approbata in Eccleſia, ea eſt authentica. Atqui illa jam per mille annos à temporibus Gregorii Magni &c. *Reſp.* 1. Præſupponitur falſa hypotheſis, quaſi Eccleſia daret authentiam Scripturæ. 2. Negatur, ſola vulgata in uſu fuiſſe Biblia. Nam teſtantur ſcriptores, tot fuiſſe Biblia, ut etiam ignoraretur, cujus verſio ſit ſectanda. 3. Dato, in uſu fuiſſe, ſed non conceſſo, dico, vulgatam verſionem nequaquam pro authentica originaliter eſſe accipiendam, eo quod infinitis ſcateat Barbariſmis.

Arg. Bellarm. II. Si vulgata verſio non eſt authentica, tum Eccleſia totis nongentis annis caruit authentica verſione. At hoc dicere, eſt abſurdum. Ergo. *Reſp.* Præſupponitur falſa hypotheſis, ac ſi aliqua verſio nobis deberet eſſe authentica præter Hebræam.

Inſt. Si nulla verſio eſt authentica, tum lectorem aſſidue oportebit dubitare an vera legat. *Reſp.* Tum demum obtinebit hæc inſtantia, ſi divinitas alicujus verſionis tantum cognoſceretur ex lingua & verbo, non autem ex ipſius rei natura.

Arg. Bellarm. III. Si vulgata verſio non eſt authentica, ſequitur, Eccleſiam errores alicujus interpretis pro verbo divino coluiſſe. Hoc abſurdum. Ergo. *Reſp.* Præſupponitur falſa hypotheſis, & nobis affingitur, ac ſi diceremus vulgatam verſionem, quoad fundamentalia dogmata non eſſe veram. Quod non dicimus. Nec ullus error dari poteſt, qui non ex ipſa vulgata verſione refelli poſſit. Ut, cum legitur in vulgata verſione: *adoravit Iacob baculum ſuum*, hic error eſt vulgatæ verſionis; & tamen ex ea aliunde refellitur, ubi habetur: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.*

Arg. Bellarm. IV. Si Hebræi in Hebraïca, & Græci in Græca, habent verſionem authenticam, æquum eſt, ut & Latina habeat Eccleſia.

Reſp.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Reſp. Negatur conſequentia. 1. Quia Hebraïca Eccleſia & Græca, non *verſiones*, ſed *editiones* habuerunt. 2. Non ex eo quod nobis æquum videtur, judicandum eſt; ſed ex Dei voluntate.

Arg. Bellarm. V. Si vulgata verſio non eſſet authentica, tum male proſpectum eſſet Eccleſiæ Dei; quia ſæpe multi interſunt Conciliis, qui Hebræa & Græca ignorant. *Reſp.* 1. Tanto pejus eſt. 2. Antea jam dictum, Latinam vulgatam verſionem quoad rei fundamentum retinendam eſſe.

QUÆSTIO IX.

An Scriptura debeat transferri in alias linguas?

Reſp. Affirm. I. Jubet Deus omnes legere Scripturas: qui autem vult finem, vult & media, *Ioan.* 5. 39. *Excip.* Ad Judæos hoc tantum pertinet, cum quibus Chriſtus eſt loquutus. *Reſp.* Ad quos ratio præcepti pertinet, ad illos & præceptum. Atqui ratio præcepti ad omnes pertinet. Ergo & præceptum. Major certa: ratio enim facit, cur præcipiatur hoc vel illud. Minor. Ad omnes pertinet, ut ſerventur: *Dico vobis, ut ſervemini* &c.

II. Sermo Dei in omnibus debet habitare copioſe, *Col.* 3. *Excip.* Ad Coloſſenſes hoc tantum pertinet. *Reſp.* *Rom.* 15. *verſ.* 4. 2 *Tim.* 3. 16.

III. 1 *Cor.* 14. 9. & 15. 16.

Obj. I. Nehemias explicavit populo Legem, *Nehem.* 8. 9. *Reſp.* Quoad *ſenſum*, non quoad *verba* & *voces*. *Inſt.* Si Apoſtoli ex Hebræo explicabant cuique, tum & nos debemus explicare. Quia Apoſtoli ad noſtram doctrinam & imitationem hoc fecerunt, nec tamen illi verterunt in linguas vernaculas. *Reſp.* Nulla eſt conſeq. quia illi debebant peragrare totum orbem.

Obj. II. Poſſent ita judicare Laïci de Miniſtris, quod eſt contra 1 *Cor.* 14. 32. ubi dicitur, quod *Prophetæ Prophetis ſubjiciendi*. *Reſp.* Aliud eſt, de donis Prophetiæ judicare; aliud, de donis Dei: prius refertur ad Prophetas; poſterius ad omnes, 1 *Theſſ.* 5. 21. *Inſt.* Ovis non poteſt judicare de paſtore. *Reſp.* Judicio ſcilicet *auctoritatis*; ſed *diſcretionis* poteſt, *Ioan.* 10. 45. *Inſt.* Multa turpia facta commemorantur in Scriptura. *Reſp.* 1. Ad *evitandum*, non ad *imitandum*. 2. Turpiora multo continentur in Speculo Exemplorum, quod vocant Pontificii, quod tamen in diverſis linguis legitur. *Inſt.* Nitimur in vetitum &c. ex lectione nihilominus incitabuntur ad imitandum. *Reſp.* Illi quibus Chriſtus eſt odor mortis ad mortem, 2 *Cor.* 2. 16. *Inſt.* Idiotæ ex non intellectis hæreſes excitant. Non autem eſt occaſio præbenda. *Reſp.* 1. Per accidens id fit: nec propter abuſum tollendus rei uſus. 2. Diſtinguitur inter doctos & inſtabiles, & doctos à Sp. Sancto ac veritati adhærentes, 2 *Pet.* 3. 16.

Obj. III. Si Scriptura non fuit lecta in V. T. à tempore Ezdræ lingua vernacula, ſed Syriaca & Chaldaïca; ſequitur, quod nec nunc linguis vernaculis ſit legenda, vel in eas transferenda. Verum prius ex *Nehem.* 8. 9. ubi oſtenditur, Iudæis eam non fuiſſe vernaculam, eo quod Eſdras eam Iudæis explicaret. *Reſp.* diſtinguendo: Alia eſt explicatio *quoad verba*, alia *quoad ſenſum*. Quod vero Eſra eis legem explicuerit, non quoad verba, ſed quoad ſenſum, patet, quia dicitur ex Scripturis expoſuiſſe legem.

Inſtant: Etiam quoad verba, ut *verſ.* 14, patet. *Reſp.* Illa verba, *in verbis legis* idem ſunt, quod lex. Nam hæc Synonyma ſunt, verba legis, & lex. Sic David, *Pſal.* 119, petit, Verba legis tuæ non recedant ab ore meo; id eſt, lex tua.

Inſtant: Si Chaldaïca lingua tum fuit uſitata; ſequitur, populum Hebraïcam non intellexiſſe. Verum prius. Quia per ſeptuaginta annos in captivitate Hebraïcæ oblitus fuit. *Reſp.* 1. Negatur conſequentia. 2. Falſo etiam ſupponitur, quod lingua Chaldæa toto genere ſit diverſa ab Hebræa. 3. Neque in totum tum deſierat lingua Hebraïca. Quia quoad uſum quotidianum potuit deſiiſſe, non quoad ſacra.

Obj. IV. Si Apoſtoli Græca lingua prædicarunt; ſequitur, quod non opus ſit Scripturam in linguam vernaculam vertere. Verum prius &c. Ergo. *Reſp.* Negatur, Græce eos tantum prædicaſſe. Nam 1 *Cor.* 14, contrarium extat, ut & *Act.* 2 capite. Ideo enim donis linguarum divinitus inſtructi erant, ut cuivis vernacula lingua Verbum prædicare poſſent.

Obj. V. Si populus Scripturam non intelligit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

git, tum nec vertenda eſt in linguas vernaculas. Atqui. Ergo. Minor probatur. Si Scriptura obſcura eſt, tum quoad res, tum quoad verba, tum quoad modum loquendi; Ergo obſcura. Atqui. Ergo. *Reſp.* 1. Obſcura eſt quoad *quadam*, non quoad *omnia*. 2. Nos etiam dupliciter conſideramur. Nam ſumus vel regeniti, vel irregeniti. Regeniti quibus Deus jam dedit oculos, & quos jam illuminavit, iis Scriptura eſt perſpicua, in tantum, in quantum ſufficit ad ſalutem: quanquam uni magis, quam alteri, omnibus tamen in tantum, in quantum ad ſalutem ſufficit. Nec enim dicimus, omnibus & ex omni parte perſpicuam eſſe; cum ex parte tantum cognoſcamus. 1 *Cor.* 13. *ſub fin.*

Obj. VI. Ex quo ſcandalum ſuboriri poteſt in plebe, id nequaquam tolerandum. Atqui ex verſionibus & lectionibus Scripturæ vernaculis &c. Ergo. Minor probatur. Si enim plebs legat hiſtoriam adulterii Davidis, inceſtus Ammonis cum Tamar; colliget, ſibi iſta licere. *Reſp.* Nullo modo. Is enim non uſus, ſed abuſus Scripturæ foret, cum ea exempla ſcriptis conſignata ſint, non ad noſtri imitationem, ſed potius averſationem. Oſtenditur ſc. quam graviter Deus talia peccata puniat. Et perinde eſt, ac ſi quis argumentaretur: Adulterium non eſt publice plectendum, quia alii videntes adulteros, putabunt ſibi idem indulgeri. Stultum ſane. Nam vident adulteros, ſed & gladium ac pœnam vident, quibus abſterrentur.

Obj. VII. Scriptura efficit, ut Deus videatur auctor peccati. Nam *Matth.* 6, dicitur: *Ne nos inducas in tentationem.* Ergo non vertenda. *Reſp.* Tentatio duplex eſt, alia *divina*, alia *diabolica.* Illa dicitur exploratio, & tantum fit ad bonum. Diabolica autem, ſemper eſt ad malum. Verbis allegatis agitur de divina. Et ſic nemo dicet, Deum eſſe auctorem peccati. Hinc Iacobus: *Nemo tentatur*, id eſt, ſolicitatur ad peccandum à Deo, ſed à ſe ipſo.

QUÆSTIO X.

An Scriptura ſit perſpicua? à quibus & quomodo poſſit ſalutariter percipi?

Reſp. I. Verbum Dei non niſi edoctus à Deo poteſt cognoſcere ſalutariter. *Excip.* Verbum Dei dupliciter dici; vel per *internam illuminationem*, vel per *externam informationem*, quæ fit per *naturam*, Rom. 1. 19. & 20. & per *ſcripturam.* At contra, ſi qui externe vocantur, interne non vocantur; Ergo externa informatio nihil prodeſt, abſque illuminatione interna. Quia tales non percipiunt Verbum Dei; alias crederent.

II. Chriſtus tantum externæ vocationis eſt offendiculum, 1 *Cor.* 1. 23, 24. Conſequentia, quia ſi ſalutariter Chriſtus ab ipſis cognoſceretur, non eſſet ipſis ſtultitia & ſcandalum. *Excip.* Per vocatos, ibi intelligi contumaces & rebelles. *Reſp.* Si omnis homo eſt rebellis, ubi Deus non mutat cor; tum certe omnis vocatus externe tantum, & non interne, fit rebellis Deo. Verum prius: Ergo & poſterius. Ratio Majoris eſt, quia infidelibus opertum eſt Evangelium, 2 *Cor.* 4. 3, 4. *Inſtant:* Duplices ſunt homines infideles, vel qui prædicatum Evangelium contemnunt, vel qui primum id audire, tanquam antea non auditum, incipiunt: De primis loquitur Apoſtolus, non vero de poſtremis. *Reſp.* Vanum. Quia non poſſunt ſpiritualiter dijudicare, 1 *Cor.* 2. 14.

Obj. I. Verbum Dei illuminat oculos, *Pſal.* 19. 9. *Reſp.* Infideles, non habent oculos, *Deut.* 29. *Inſt.* *Ezech.* 12. 2, & 4. *Reſp.* De externis oculis dicitur, non de ſpiritualibus.

Obj. II. Poſſunt noſſe & docere Verbum Dei. *Reſp.* *Theoretice* norunt, non *practice*; quæ non eſt vera ſcientia, *Matth.* 7. 22. & à poſſe docere, ad ſalutarem ejus cognitionem, non valet conſequentia. *Inſtant:* Imo & *practice* norunt. *Matth.* 19. 20, Iuvenis obſervavit omnia præcepta, qui tamen infidelis erat. *Reſp.* Obſervavit *perſuaſione*, non *re.* *Inſt.* Re obſervavit. Quia non eſt à Chriſto redargutus. *Reſp.* Licet non *directe*, tamen *indirecte*: Vende omnia, &c.

Obj. III. Norunt viam juſtitiæ & Chriſtum, 1 *Pet.* 2. 20, 21. *Reſp.* Sub *aliena ſpecie*, non ſub *propria*; *ſcientia* non *dijudicativa*, ſed *apprehenſiva.* *Inſtant:* Non *ſub aliena ſpecie.* Quia non omnes ſunt cæci; *Ioan.* 8. 41. *Reſp.* Ad *convictionem* ſcilicet, non ad *perſuaſionem ſalutarem.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Præterea perſpicuitas Scripturæ oppugnari poteſt, 1. ex natura irregenitorum, quibus perſpicua non eſt. Quod ſi dicas, Perſpicua iis, qui oculos habent: contra objici poteſt, quod per Verbum Dei oculi aperiantur; quia per Dei Verbum regignimur. Fides autem eſt oculus iſte, qui radix eſt regenerationis. 2. Impugnari poteſt hoc ex mandato, quod ipſis datur reſipiſcendi, & mandata Dei præſtandi; ſi enim hæc non poſſent, quorſum juberentur? Nec eſt quod dicas, poſſibilia ipſis iſta fuerunt. Sit enim hoc ita. Ergo mandata iſta nihil plus afferunt mali, quam in quo jam homo erat: & homo cui mandatum datur, & non obtemperat, non magis peccat, quam ille cui non datur: & qui non obtemperat, ipſe graviorem incurrit pœnam. Si dicas, quia inexcuſabilis redditur, tum perinde hoc erit, ac ſi mortuum aliquem jubeam defendere ſe contra latronem, aut cæcum, alterum cæcum ducere per rectam viam, ne impingeret. Nam ſi iſti non poſſunt dici inexcuſabiles reddi, quia mandatum datur ipſis, ad quod exequendum nulla facultas in ipſis ſupereſt. Ergo & de hoc altero erit par ratio. 3. Duci poteſt argumentum concatenatum ſatis ex eo, quod expreſſe in Scripturis irregeniti dicuntur poſſe credere: ita Tyrus & Sidon credere poterant. 2. Credere, ut Ninivitæ crediderunt; nec quacumque tantum ratione credere, ſed credere fide ſalvifica, ut patet 1 *Tim.* 1. 19. Et ne dubium ſuboriatur alicui, de fide ſalvifica ibi agi, oſtenditur manifeſte *Ioan.* 12. 42: *Ex primoribus multi crediderunt in eum*; ſed propter Phariſæos hoc non profitebantur, ne Synagoga moverentur. Vt & hic locus ſtabiliatur, oſtenditur manifeſte in irregenitos cadere fidem ſalvificam, *Matth.* 13. 21. ubi iſti qui tempore perſecutionis deficiunt, hiſtorica fide dicuntur præditi: ergo qui non deſiſtunt, ex oppoſitis concludendo, non ſunt fide hiſtorica præditi. Atqui multi in V. T. patiebantur ſe trucidari pro religione Iudaïca, tempore Titi & Veſpaſiani, quos tamen nemo negaverit fuiſſe homines maxime irregenitos.

Et tantum de irregenito; ſequitur regenitus, cui Scripturam eſſe obſcuram, ita deduci poteſt: 1. Ex difficultate. Eſt difficilis intellectu: Ergo obſcura. Si reſpondeas, Difficilis, *quoad partes* quaſdam, non *quoad totum*. Tum contra: Atqui pars una ſine alterâ intelligi nequit in contextu orationis; ut patet ex oratione quavis. Si dicas, non omnia, ſed quædam tantum, & in dogmatibus fidei ſummè neceſſariis ad ſalutem nihil obſcuri eſſe, ſed in quibuſdam tantum appendicibus. Tum quæritur: Cur ergo diſſenſio maxima de locis pluribus S. Scripturæ circa maximos articulos fidei inter eos, qui ſe pro fratribus volunt agnoſcere, ut inter Calviniſtas & Lutheranos, & inter ipſos Calviniſtas? Si dicas, vitia perſonæ non tribuenda doctrinæ. Tum contrà: Atqui perſpicuum dicitur relatione ad aliud; debet ergò perſpicuum eſſe alicui: & cui perſpicuum erit, ſi Calviniſtis & Lutheranis non ſit perſpicuum, qui pro Eccleſia volunt haberi? *Reſp.* Quibuſdam ex ipſis, non omnibus. *Obj.* Ergo omnes qui diſſentiunt in his, non ſunt Eccleſia. Atqui hoc falſum; quia Luth. ſunt Eccleſia, & eos pro Eccleſia agnoſcitis. *Reſp.* Alius eſt error fundamentalis, alius non. Non ſunt iſti errores fundamentales, etiamſi ſint circa articulum fidei. Hic commodiſſime afferri poteſt illud, quod à nobis de Apoſtolis dictum, de errore ipſorum circa mortem Chriſti, itemq; de errore circa regnum ejus. Quod ſi reſpondeas, Sciviſſe diſcipulos, Chriſtum fore Redemptorem, ſed neſciviſſe an morte. Tum contrà: Si ſciverunt, redimendum fuiſſe genus humanum paſſione aliquâ, cur ergo ne capere quidem iſta potuit Petrus? & ita errare poſſunt in fundamento aliqui; quod tamen negatum antea. *Reſp.* Petrum ſciviſſe quidem, Chriſtum fore Redemptorem & paſſione redempturum: nam ſcivit vim ſacrificiorum: ſed aut putaſſe, iſtis paſſionibus, quas perpeſſus erat à Phariſæis, dum opprobria ferret, peccata noſtra expianda, aut ſi expectabat aliquam paſſionem, non futuram fuiſſe mortem putabat, quam tamen ex captivitate non poterat non colligere.

Verùm *Reſp.* ad ſingula Argumenta. Ad 1. dum dicimus, perſpicuam Scripturam, dicimus quoad Evangelium eſſe perſpicuam tantum regenitis, non autem irregenitis. Irregenitis verò Legem eſſe notam ex *parte*. Quod dicitur, Per Verbum Dei aperiuntur oculi; Ad hoc *Reſp.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Non per Verbum tantùm, tanquam externum inſtrumentum, ſed per vim Dei, tanquam internum & principale agens, & ſine quo Verbum nihil eſt, ut patet *Deut.* 29. 3.

Ad 2. *Reſp.* In graviorem pœnam incurrere, non propterea quòd non poſſint præſtare, ſed propterea quòd contemnant; atque ex hac parte augetur pœna. Ita mortuus non poteſt defendere vivum, ſed nec occidit: cæcus non poteſt ducere per recta, ſed non abducit: verùm hic non tantùm non facit, quia non poteſt; ſed etiam hoſtiliter proſequitur, ut patet 1 *Cor.* 2. 14. *Animalis homo non eſt capax* &c. *Rom.* 8. 7. *Quod ſapit caro, inimicitia eſt adverſus Deum.* Quod ad Tyrum & Sidonem attinet, ad illud ſæpiùs à nobis reſponſum. Ad teſt. Pauli *ad Timoth.* optimè hoc eſt obſervandum, quòd alibi inculcatur à noſtris, loqui ſæpè ſanctos homines non ex judicio *veritatis*, ſed *caritatis*: verum eſt hoc loco, quod Paulus dicat de vera fide, quam putabat ipſos habuiſſe. Nec eſt quod quis urgeat particulam iſtam *expulſa*: Nam hæc non ad *fidem*, ſed *conſcientiam* refertur, cui etiam proximè adjecta: & præter hoc, quòd dicantur, expulsâ conſcientiâ, fidei naufragium feciſſe; quod minus commodè dici poſſet, ſi *expulſa* referretur ad fidem etiam. Non enim omnis qui naufragium facit, perit. Ad locum *Ioan.* 12. 42, quod attinet, aut agitur de fidelibus infirmis adhuc, qualis fuit Nicodemus; & ſic falſum eſt, irregenitos eos eſſe: vel agitur de irregenitis & infidelibus, & ſic de fide hiſtoricâ hoc accipiendum eſt. Nec eſt quod quiſquam dicat, particulam iſtam *in*, eſſe notam fidei ſalvificæ. Sæpe enim phraſis iſta, Credere in aliquem, non notat fiduciam, ſed notitiam, ut nihil aliud intelligatur per hoc, quam iſtud, Credebant ipſi.

Ad Arg. ult. *Reſp.* diſting. Patiuntur ſe trucidari: E. ſunt fideles. Trucidari, inquam, propter bonam cauſam. Ad antecedens. 1. Si cauſam intelligant. 2. Si ex amore cauſæ, & non potius alicujus commodi comitantis cauſa ſuſtineant.

QUÆSTIO XI.

An Scriptura ſit tam aperta per ſe, ut ſine explicatione ſufficiat ad controverſias fidei determinandas?

Bellarm. negat, lib. 3. de Verbo Dei cap. 1. Arg. ejus I. Si multi loci Scripturæ propter ambiguitatem vocum varium ſenſum pariunt, ſequitur eam non eſſe perſpicuam. At verum prius. Ergo. *Reſp.* Eſt fallacia plurium interrogationum. Quia ſupponitur falſa hypotheſis, Vocem quæ extra contextum eſt ambigua, in contextu quoque eſſe ambiguam: quod falſum eſt. V. g. Vox *Dei* ambigua eſt, Sed ſi quis legat *Pſal.* 82, *Deus ſtetit, in medio Deorum*: mox ex contextu ipſo liquido apparebit, quo ſenſu ſumenda ſit vox *Dei*.

Inſt. Minorem probat locus ille *Ioan.* 10. 10. *Ego & Pater unum ſumus.* Vox *unum* variis modis accipi poteſt, & ambigua manet in ipſo contextu. *Reſp.* Negatur minor. Et ratio eſt, quia Chriſtus ibi loquitur de unitate potentiæ; dicit enim, nemo oves meas poteſt rapere è manu mea: Quare? quia Pater potentior me eſt. Ego autem & Pater unum ſumus. Veriſſima eſt illa regula: *Voces ambiguæ extra contextum, in contextu reſtringuntur.*

Arg. Bellarm. II. Scriptura habens aut tradens myſteria obſcura, ſenſum noſtrum excedentia, non eſt perſpicua. Atqui Sacra Scriptura, &c. Ergo. *Reſp.* Negatur major. Aliud enim eſt res obſcura, aliud verba obſcura; potuit eſſe res obſcura, interim verba rem explicantia, clariſſima. Adeoque tradit quidem Scriptura myſteria ſenſum noſtrum excedentia, interim de iis myſteriis uſurpat verba clariſſima. Diſtinguendum ergo inter *rem ipſam* & *modum tradendi*. Illa, ſublimis eſt, obſcura; ſed modus tradendi facilis, perſpicuus, capacitati noſtræ adæquatus. Myſterium Trinitatis, quoad rem captum noſtrum excedit; ea tamen quæ paſſim in hoc myſterio tradit Scriptura, planiſſima ſunt.

Arg. Bellarm. III. Si Metaphyſica ideo obſcura præ aliis artibus, quia res tradit altiſſimas & ſubtiliſſimas: etiam Theologia, quæ tradit res altiſſimas, obſcura erit. Verum prius. Ergo. *Reſp.* Diſtinguendum eſſe inter Theologiam & Scripturam: Si de Theologia concluditur, datur totum. Si verò de Scriptura Sacra, tum non

valet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

valet. Neque Metaphyſica, quoad verba obſcura eſſe debet: quamvis quoad res ſubtiliſſima ſit.

Arg. Bellarm. IV. Quodcumque perſpicuum eſt, illud demonſtratione niti debet. At Scriptura non nititur ratione. Ergo. *Reſp.* Major falſa. Nam multa ſunt obſcura, quæ demonſtratione ~~non~~ nituntur. Hinc etiam Ariſtoteles à diſciplinis practicis vult eſſe alienas demonſtrationes; cùm tamen diſciplinæ practicæ ſint magis perſpicuæ quàm theoreticæ. 2. Sunt quædam diſciplinæ, quæ non ratione, ſed auctoritate nituntur, qualis eſt Theologia, quæ ſolius Dei auctoritate nititur.

Arg. Bellarm. V. Si Scriptura eſt perſpicua, ergo Deus nos inaniter ablegat ad Sacerdotes. *Malach.* 2. 6, 7. Sed verum poſterius; Ergo falſum prius. *Reſp.* diſtinguendo. Si Scriptura eſſet abſolutè perſpicua, media excludens ſenſum inquirendi; tum ſequeretur quod vult adverſarius. At hoc nos non dicimus. Nam dicimus, Scripturam ita eſſe perſpicuam, ut, ſi media adhibeas, percipere queas, & quidem in tantum, in quantum ſufficit ad ſalutem. Ut v. g. Hæc res dicitur maximè viſibilis: non ideo hoc dicitur, ut eam videas, ſive oculos ad eam convertas ſive non; ſed ſi aſpicias, maximè viſibilis erit. Sic, ſi media ad Scripturam Sacram adhibeas, perſpicua erit. Perſpicua ergo eſt cum, non ſine, mediis.

Arg. VI. Bellarm. *Ioan.* 5. 39. Si ſedulò nos Chriſtus velit ſcrutari Scripturas, Scripturæ perſpicuæ & claræ non erunt. Atqui &c. Ergo. *Reſp.* Nihil hinc infertur, niſi hoc, quod Scriptura ita ſit obſcura, ut, ſi ſcruteris & media adhibeas, tum potſſit olli hæc difficultas & obſcuritas. Et hoc eſt quod docemus.

Arg. VII. Bellarm. *Dan.* 12. 4. *Tu verò, Daniel, occlude hæc verba, & obſigna hunc librum*, &c. Hinc: Si verba iſta obſignari jubentur, ſequitur, eſſe obſcura. *Reſp.* Totum damus. Nam dicimus, Prophetiæ illius verba fuiſſe obſcura, uſque dum complementum eorum ſequutum eſt. Regula enim Theologorum certiſſima eſt: Prophetiæ non prius intelliguntur perfectè, antequam implentur.

Arg. Bellarm. VIII. Si in Scriptura multæ ſint præpoſteræ ſententiæ, ſequitur; Scripturam non eſſe perſpicuam. Atqui, confer *Gen.* 10. 31. & 11. 1. Ergo. *Reſp.* Negatur conſequentia. Notoria enim eſt Regula: Quod multa in Scriptura per anticipationem tradantur, cum ſæpè locus aliquis nominatur longe ante; cùm tamen longe poſt demum nomen acceperit.

QUÆSTIO XII.

Quis ſit Iudex Controverſiarum?

Pontificii Eccleſiam ſtatuunt. Nos Spiritum Sanct. in Scriptura loquentem. Prob. I. Jubemur accipere illam Scripturæ interpretationem, quæ fit per Scripturam. Ergo Spiritus Sanct., in Scriptura loquens, eſt judex. Minor, *Eſai.* 20. 8. *Excip.* Scripturæ interpretatio fit per Scripturam, accedente Miniſtro, *Malach.* 2. 7. *Reſp.* Non ſimpliciter, *Deut.* 17. 9, 10, 11. *Eſai.* 8. v. 20, reſtringuntur ad Scripturam. *Inſt.* Ergo nec Prophetis, nec Apoſtolis credendum: Quia & ipſi fuerunt homines. *Reſp.* Conſeq. negatur; quia illi non erant auctores eorum, quæ proferebant, 2 *Pet.* 1. 21.

II. Spiritus S. eſt auctor ſupremus verbi Dei; Ergo & optimus ipſe eſt verborum ſuorum interpres. *Inſtant*: Ergo nullo modo Eccleſia eſt interpres. *Reſp.* *Inſtrumentaliter*, non *principaliter*; ſive, cum examine, non ſine examine abſolutè.

III. Precamur Deum, ut nos illuminet, & ſenſum Verbi ſui det. Ergo Spiritus S. eſt ſummus interpres Verbi ſui. Conſeq. quia ab illo pendet interpretatio, à quo mentis noſtræ illuminatio, *Pſal.* 119. 34. *Inſt.* Si illuminatio efficit, ut res capiatur, tum nulla interpretatio ibi intervenit. *Reſp.* Illuminat Deus, ſed non abſque Scripturarum collatione, & mediis ad illuminationem à ſe ordinatis.

Obj. I. Eccleſia & Concilia decidunt controverſias de religione: Ergo ſunt ſummi interpretes. *Reſp.* Non *propria*, ſed *verbi Dei* auctoritate. *Inſtant*: Imo propriâ, quia eadem auctoritas Sponſi & Sponſæ. *Reſp.* Non eadem. Quia ille eſt caput hujus; non contrà. *Inſtant*: Eccleſiæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

cleſiæ interpretatione ſtandum eſt abſolutè, *Matth.* 18. 17. *Reſp.* Eccleſiæ judicio ſtandum non abſolutè, ſed ſi ex præſcripto Scripturæ loquatur, *Deut.* 17. *verſ.* 10, 11. *Inſtant:* Ergo Eccleſia præ privato nihil habebit peculiare. *Reſp.* Multum. Quia Eccleſia interpretatur ex *auctoritate*; privatus, ex *officio*.

Obj. II. *Malach.* 2. *v.* 7. *Ex ore Sacerdotum*, &c. *Reſp.* Ita ſcilicet, ut præſcripto legis id fiat. *Inſt.* Ergo Laïcorum erit judicare de Paſtoribus, cum tamen illi his plerumque ſint indoctiores. *Reſp.* 1. Falſum eſt, quod de doctioribus non poſſint judicare indoctiores, *Act.* 17. 11. 2. Non poſſunt judicio *auctoritatis*, ſed ex præſcripto Verbi poſſunt *judicio diſcretionis*. 1 *Theſſ.* 5. *Omnia probate.*

QUÆSTIO XIII.

An ex Scriptura poſſint decidi Controverſiæ ſine Iudice corporaliter præſente?

Reſp. Affirmatur, ob rationes & argumenta, præcedente proximè quæſtione allegata.

Obj. Bellarm. I. Si quæſtio nulla decidi poſſit, niſi Judex ſit corporaliter præſens, ſequitur quod nec controverſiæ Theologicæ decidi poſſint abſque Judice corporaliter præſente. Atqui &c. Ergo. *Reſp.* Minor falſa. Falſitas ejus liquet ex *Ioan.* 5. 45. *Ne putate me vos accuſaturum; eſt, qui accuſat vos, Moſes.* Et Chriſto cum Sadducæis diſputante, *Matth.* 22. Moſes controverſiam dirimit, etſi præſens non eſſet. Ita cum Herodianis de cenſu Cæſari dando diſputat Chriſtus: Moſes, etſi non præſens, controverſiam determinat. Ibidem de Chriſto an Davidis Filius ſit, diſputatur: David corpore abſens controverſiam decidit. Idem patet ab exemplo Beroënſium, ſermonem Pauli examinantium: Moſes & Prophetæ corporaliter non aderant, & tamen ex illis controverſia deciditur, *Act.* 17. *Inſtant:* Si in quæſtionum deciſione Judex debeat audiri & videri, debet etiam corporaliter eſſe præſens. Verum prius. Ergo. Prius probatur teſtimonio Auguſtini: *Non credidiſſem, niſi Eccleſia dixiſſet.* *Reſp.* I. Nos Auguſtini auctoritate non teneri. 2. Poſſumus dare totum, ſc. *inſtrumentaliter.* *Wittakerus* hoc, egregio ſimili oſtendit contra *Stapletonum*. Niſi, *Ioan.* 4, mulier Samaritanos excitaſſet atque ex urbe provocaſſet, non credidiſſent; & tamen, excitati, non propter mulierem, ſed quia audiverunt, crediderunt. Sic etiam Eccleſia ad audiendum nos excitat. 3. Debet audiri judex, ſed non videri. Quod ita eſſe oſtenditur *Heb.* 4. 12. *Vivus eſt ſermo Dei & dijudicat*, &c. Ubi quidem debet audiri ſermo, ſed non opus eſt, ut ille, qui in ſermone loquitur, præſens ſit.

Obj. II. Si in V. T. omnis deciſio ab Eccleſia pendebat, etiam in N. T. pendebit. Verum prius: Ergo. *Reſp.* Minor negatur; Quod ſc. deciſio *abſolutè* dependerit ab Eccleſiæ teſtimonio. *Minor* probatur *Exod.* 18. 26. Unde argumentum: Quod Moſes fuit in Eccleſia Iſraëlitica, id Pontifex eſt in Eccleſia N. T. At ille ſupremus Judex fuit. Ergo. *Reſp.* Multis modis laborare hoc argumentum. Nam 1, loco citato agitur de controverſiarum *civilium*, non *Theologicarum* deciſione. 2. Moſes quidem erat Judex; ſed tamen ita, ut nihil fecerit propriâ auctoritate, ſed, vel ex præſtituto & præſcripto, *Deut.* 17. 10, legis. Vel ubi lex non erat, conſulebat Deum, & Deus ipſi immediate reſpondebat. Exemplum hujus habemus in eo, qui die Sabbati ligna colligebat. at nunc Deus cum Pontifice Romano non loquitur immediatè. Ergo omnia in Sacris Literis jam ſunt conſignata. Non ergo ille erit Judex ſupremus.

Inſtant: Deut. 17. 8. Si in Eccleſia Iſraëlitica ſummus & infallibilis controverſiarum Judex, fuit ſummus Sacerdos, ſequitur, etiam in N. T. Pontificem Romanum, ſummum eſſe Judicem. Atqui. Ergo. *Reſp.* 1. Non conſtat ipſis Pontificiis de vi hujus argumenti. Nam dum dicimus: quomodo erat infallibilis judex, cùm Urias, Annas, Caiaphas graviter errarint, ſceleratiſſimè religionem corruperint, & ſceleratiſſimis manibus Chriſtum cruci affixerint? Tum dicunt, aliam rationem eſſe N. aliam V. Teſtam. Quomodo ergo vel ex propria hypotheſi, ſuccedet Argumentum? 2. Præſupponitur falſa hypotheſis, ac ſi in N. T. adhuc Sacerdotio propriè dicto locus eſſet. 3. Dato, non conceſſo, retorquetur argumentum. Ut enim in V. T. ſummo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ſummo Pontifici non licuit quicquam decidere vel ſtatuere niſi ex Lege, ut *v.* 10 patet, ita nec Papæ.

Obj. III. *Rom.* 10. 14, 15. Si non poſſumus credere ſine prædicante; ſequitur, ſenſum Scripturæ,& controverſiarum determinationes, ab Eccleſiâ pendere. Verum prius. Ergo. *Reſp.* 1, Inter ipſos Pontificios non conſtare, an ſolus Papa, an Papa cum Conciliis, ſit ille ſummus Judex. At Apoſtolus hic de quovis prædicante loquitur. 2, Negatur etiam Conſequentia: quia ſine prædicatione non creditur, non ſequitur tamen, prædicationem eſſe cauſam, cur tu credas; ut ſupra in Samaritanis oſtendimus.

Obj. IV. *Matth.* 16. 19. Cui à Chriſto datæ ſunt claves, ille eſt Judex ſupremus. Sed Petro & ejus ſucceſſoribus. Ergo. *Reſp.* Metaphoricâ argumentatione, niſi ad propriam reducatur, non tenemur. 2. Dato, verba hæc vel maximè propria eſſe, diſtinguo. 1. Si Petro datæ claves, in *propria*, non verò *Eccleſia*, perſona; & ſic cadit Minor. 2. Si Petro datæ claves, *heriles*, non *miniſteriales*;& ſic cadit Major. Quod enim ei non ſint datæ claves heriles, probatur *Apoc.* 3. 7. ubi de Chriſto ſolo dicitur, quod eam clavem herilem ſibi reſervaverit: *Qui habet clavem Davidis, qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit.* Confer *Eſa.* 22. 22. Miniſteriales autem claves, non ſoli Petro, ſed omnibus Apoſtolis datæ, *Ioan.* 20. 23. Et ne hæ quidem datæ, ut ex propria *auctoritate* & *illimitate*, ſed ut ex *præſcripto* agerent.

Inſtant: Si claves iſtæ non tantum ad abſolutionem peccatorum pertineant, ſed & ad dubiorum deciſionem; ſequitur, Petrum, Pontificem Romanum, habere ſummam decidendi poteſtatem. *Reſp.* 1. Negatur Minor. Quia Chriſtus de abſolutione peccatorum tantum loquitur, non de dubiorum deciſione, ut è verbis ex *Ioan.* 20 allegatis liquet. 2. Dato, non conceſſo, iterum obtinebit diſtinctio clavium *herilium*,& *miniſterialium*.

Obj. V. *Act.* 15, 7. *& ſeq.* Petrus fuit ſummus Judex in controverſiâ de fide, Petrus fuit Pontifex Romanus. Ergo. *Reſp.* 1. Falſa Minor, quòd Petrus fuerit Pontifex Romanus. Nam ne Romæ quidem fuiſſe è Sacris conſtat; aut ſaltem nullo modo ex Scriptura liquet, illum viginti quinque annis Romæ Eccleſiæ præfuiſſe. 2. Dato, non conceſſo, tum ſequitur, quod Papa debeat ita judicare controverſias, ut Petrus. At Petrus ex præſcripto Legis & Verbo Dei judicavit, ut liquet è textu. 3. Magna etiam differentia inter Petrum & Pontificem. Petrus à Spiritu Sancto actus fuit. Pontifices quales ut plurimum ſint, nemo eſt, qui ignoret.

Inſtant: Qui primus dicit ſententiam, ille eſt præſes. At Petrus. Ergo. *Reſp.* Falſa Major. Quia inter pares audiuntur ſententiæ; nec tamen ille qui prior dicit, Præſes eſt vel Judex. Sic Roboam conſultat priùs cum ſenioribus, poſtea cum junioribus: nec tamen ſeniores erant Præſides, nec audiebantur, 1 *Reg.* 12. 8. Ita Abſolon prius cum Achitophele conſultat, poſtea cum Chuſaï; & tamen in hujus ſententia acquievit, illius verò dictamen ſprevit. 2 *Sam.* 17.

Inſtant: Sed tamen Sententia Petri fuit approbata. Ergo & Succeſſorum ejus approbari debet. *Reſp.* 1. Falſa hypotheſis præſupponitur, quod Apoſtoli ſucceſſores habeant; cum Apoſtolatus nullam ſucceſſionem admittat. 2. Non ſequitur niſi hoc: Ergo ſicuti Apoſtoli non erant abſoluti Judices, ſed ex Verbo Dei; ſic etiamnum Miniſtri debent ex Verbo Dei controverſias decidere.

Inſtant: Atqui non datur omnibus fidelibus donum Spiritus Sancti interpretandi ſenſum Sacræ Scripturæ. Ergo ſola Eccleſia debet. *Reſp.* Diſtinguitur inter donum Spiritus S. interpretationis, vel ut doceas, vel ut ipſe in ſenſum, tuo uſui, inquiras. Priori non datur omnibus: Poſteriori verò, in tantum, in quantum ſufficit ad ſalutem.

QUÆSTIO XIV.

An tanquam medium, ad perſpicuitatem Scripturæ obtinendam, debeat adhiberi interpretatio?

Contra interpretationem infertur hoc primùm: Si interpretatio Scripturæ eſt, oportet certum auctorem eſſe iſtius. Si certus eſt, Ergo præter Eccleſiam nullus dari poteſt: Atqui hoc Pontificii volunt. *Reſp.* Eccleſia, *mini-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ſterialis; Spiritus Sanctus in Scriptura loquens, *principalis*,

Contra. At talis debet eſſe, qui non erret: Eccleſia autem poteſt errare. *Reſp*. Talis debet eſſe, principalis, non miniſterialis. Nam miniſterialem Spiritus Sanctus examinare jubet, 1 *Ioan*. 4. 1.

Contra. Si debeat examinari, Ergo fruſtranea interpretatio. Nam non credo interpretationi, niſi propterea, quia video convenire cum Verbo Dei; debeo ergò noſſe Verbum Dei: &, ſi debeo noſſe, quorſum mihi opus interpretatione? *Reſp*. Diſting. inter intelligere Verbum Dei, *in genere*, & *in ſpecie*, in hoc vel illo caſu. Debent omnes intelligere in genere, ſed non omnes ſemper in ſpecie intelligunt. 2. Poſſumus intelligere Verbum an conveniat cum Scriptura, quod citatur, etiamſi neſciverimus antehac, quomodo deduci potuerit: ut, *Matth*. 22. 31, reſurrectionem Chriſtus probat ex eo, quia Scriptura dicit: *Deus eſt Deus Abraham, Iſaac*, &c. & vid. *Act*. 17, de Beroënſibus.

Obj. Si interpretatio debet examinari ab omnibus, requiritur ut omnes ſint intelligentes Scripturam. At omnes non ſunt: quia ſunt pueri, 1 *Cor*. 3. 1. *Heb*. 5. 13. *Reſp*. Tantum intelligunt, ut de elementis judicare poſſint, quæ ipſis proponuntur.

Obj. Si poſſunt de his judicare; Ergo non debent errare; At nemo eſt, qui non erret. Ergo. *Reſp*. Si naturam ſpectes, omnes errare poſſunt; ſi promiſſionem Dei, multi non poſſunt. Non poſſunt *totaliter*, *Matth*. 24. 24. *Finaliter* poſſunt, *Luc*. 15.

Obj. Poſſunt & *totaliter*, & *finaliter*. Quod probo, 1. Quia aliqui excommunicantur ex Eccleſiâ, qui nunquam ad Eccleſiam redeunt. Ergo totaliter, & finaliter, præſertim cum ob hæreſes excommunicantur. *Reſp*. Hypotheſis falſa, qui excommunicantur & nunquam redeunt, fuiſſe unquam regenitos. Nam fuerunt tantùm in Eccleſiâ *particulari*, non autem *catholicâ*.

Obj. Imò verò etiam in Eccleſiâ *catholicâ*, quales ſunt electi: &, ſi Deus poteſt delere de libro vitæ aliquem, poteſt efficere, ut qui fuit electus, non ſit electus; ac proinde poteſt aliquis ex Eccleſiâ catholicâ excommunicari, ſi præſertim hos tales etiam excommunicet. *Reſp*. Deleri de libro vitæ nemo poteſt; alioqui ſi poſſet, non eſſet firmum fundamentum Dei: quod tamen falſum, 2 *Tim*. 2. 19. Non maneret firmum propoſitum, *Rom*. 9. 11. Non ſtaret conſilium ſemper, *Eſai*. 14. 24. Quando ergo dicuntur deleri de libro vitæ, aut intelligendus eſt liber vitæ temporariæ, ita ut Deus tollat ex hac vita; aut ſi de vita æterna intelligitur, accipiendum eſt, non pro ipſo *delere*, ſed efficere, ut qui videbantur electi, detecti, fiant hypocritæ, & appareant non eſſe.

Obj. Imo vero omnes iſti, qui excommunicantur ex Eccleſia particulari, etiam excommunicantur ex Eccleſia catholica, quia expreſſe Chriſtus dicit, *Matth*. 16. 19: *Quicquid ſolveritis in terra* &c. *Reſp*. Verum hoc eſſe, & ſenſum eſſe hunc verborum: A quibus beneficiis juſte repellitur aliquis in Eccleſia particulari, ab iiſdem Deum velle expellere ipſum: Sed inde jam non ſequitur, Ergo ejiciuntur ex catholica Eccleſia: Nam Eccleſia particularis non ejicit eos ex catholica Eccleſia, ſed ex particulari; & pronuntiat eos indignos communione Cœnæ Dominicæ.

Obj. At *inquies*, Si tamen tales permanebunt, æternum ipſis pereundum, per conſequens ex catholica Eccleſia repelluntur. *Reſp*. Si ſint regeniti, tales non permanebunt, ſed redibunt ad ſe, & peccatorum admiſſorum à Domino veniam petent; quos enim Chriſto Pater dedit, nemo rapiet è manu ejus, *Ioan*. 10. 28. illi ad ipſum venient, *Ioan*. 6. 37. non ejiciet ipſos foras, *Ioan*. 6. 37. quæ alias vere dici non poſſent, ſi regenitus lapſus non reſurgeret: quod ſi vero ſunt irregeniti, illi ante nunquam erant in Eccleſia catholica: de quo ſuperius.

QUÆSTIO XV.

An Scriptura ſit perfecta?

Affir. I. Quia ita vocatur, *Pſal*. 19. *verſ*. 8. *Excipiunt*: Etiam homo regenitus dicitur perfectus, & tamen perfecte regenitus non eſt. *Reſp*.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Diſpar ratio. Quia Scriptura ita dicitur perfecta, ut poſſit reſtituere animam, & hominem reddere perfectum.

II. Paulus prædicavit omne conſilium Dei, *Act.* 20. *verſ.* 22. at illa quæ prædicavit, erant ex Scripturis. Nihil enim dixerat extra Moſen & Prophetas, *Act.* 26. 22. *Excipit.* Docuit & plura, 1 *Cor.* 7. 12. *Reſp.* Paulus tamen ea quæ dixit & docuit extra Scripturam, docuit & dixit ut is cui Dominus per miſericordiam dederat fidum eſſe, *verſ.* 25. & qui ſpiritum Dei habebat, *verſ.* 40. adeoque ut immediate à Deo inſpiratus.

III. Per Scripturam homo perficitur, 1 *Tim.* 3. 16, 17. *Inſt.* Imo nihil efficit ſine Spiritu Sanct. *Reſp.* Efficientia *reali*, non *morali*.

Obj. I. Si Scriptura eſt perfecta & ſufficiens in ſe, tum aut totus Canon erit ſufficiens, aut ſinguli libri, aut plures libri ſimul ſumpti. At nec ſinguli libri, ut vos conceditis, nec totus Canon. Ergo. *Reſp.* 1. Eſt inſufficiens enumeratio partium. Nam perinde eſt ac ſi dicas: Aut totus exercitus aut ſinguli milites debellant hoſtem. Dico eſſe inſufficientem enumerationem, quia poterant multi & plurimi debellare hoſtem. ſic etiam hic. ſed ad Canonem conſtituendum non tantum pertinet *ſubſtantiale*, ſed etiam *accidentale*. Sic v. g. Pentateuchus Moſis fuit perfectus Canon, quoad *ſubſtantiale*, ſed non quoad *accidentale*, hoc eſt, continet quidem omnia, ſed major iis perſpicuitas accedit, quando ſumitur ſimul cum aliis libris. 2. Et totus Canon perfectus eſt, perfectione *totali*; ſinguli libri, perfectione *partiali*.

Inſtant: Si omnes articuli fidei in Pentateucho Moſis non contineantur, Ergo non perfectus ſed inſufficiens fuit Canon. Atqui. Ergo. Minor probatur. Si de electione & reprobatione non agatur in Pentateucho, quæ deſcribuntur *Rom.* 9, non erit ſufficiens. Atqui. Ergo. *Reſp.* Minor negatur. 1. Quia *eodem cap.* 9. *ad Rom.* citat Paulus Rebeccam, Iacobum, Eſavum, & adjicit illis, *miſerebor cujus miſerebor*. 2. Et reprobationem Paulus expreſſe deducit ab exemplo Pharaonis, *Rom.* 9. 12, 13, 16. 3. Præterea vel hoc unum ſufficit, ad oſtendendum, in Moſis libris contentam fuiſſe eam doctrinam, quando Deus iraſcitur Iſraëlitis *Exod.* 32, & vult omnes delere, Moſes orat, dicens, *dele me de libro vitæ*. Quid autem liber vitæ eſt, quam liber electionis? Habetur ergo in Moſe illa doctrina quoad ſubſtantiam, etſi clarius in N. T. ſplendeat.

Inſtant: Si Apoſtoli multa tradiderunt, quæ in V. T. non ſunt; ſequitur, quod Pentateuchus Moſis non ſit ſufficiens. Atqui. Ergo. *Reſp.* 1. Medius terminus non concludit quod vult, ſed hoc tantum evincit, quod Vetus T. non ſit ſufficiens abſque Novo. 2. Minor quoque negatur. Quia Paulus, *Act.* 20, 23, dicit, *ſe expoſuiſſe regnum Dei, de Ieſu Chriſto, ex lege Moſis & Prophetis*: nec *quicquam dixiſſe extra Moſen & Prophetas*, Act. 26. 22. & tamen fatetur, ſe Epheſiis *omne conſilium Dei annuntiaſſe*, & docuiſſe omnia *quæ ipſis conducerent*, Act. 20. 20, 27.

Minorem probat: *Iudæ* v. 4. citatur Enochi prophetia, quæ tamen nullibi extat. *Reſp.* 1. Quæritur, an illud quod Enoch dixit, extiterit ſcriptum, an vero tantum propoſitum ore. Si dicas, ſcriptum; Falſum. Nam Scriptura à Moſe demum cœpit. Si dicas, ore propoſitum; tum nihil ad rem. 2. Vtut daretur, tamen doctrina ipſa de extremo judicio habetur in V. Teſt. Nam *Matth.* 22, Chriſtus cum Sadducæis de reſurrectione diſputans, ex Moſe eam probat, ne dicam jam de Prophetis, ut *Daniel.* 12. & paſſim, *Pſal.* 50.

Inſtant: Si excommunicatio in V. T. non fuit; Ergo defuit morum & fidei aliquod dogma. Atqui. Ergo. *Reſp.* Negatur antecedens. Quia Deus excommunicavit Adamum & Evam ex horto, ob arborem vitæ, quæ arbor ſacramentum fuit. Iam vero excommunicatio nihil aliud eſt quam excluſio ab Eccleſia & ſacramentis. Sic immundi arcebantur à feſto Paſchatos. Clariſſime autem omnium patet, ex *Gen.* 17. 14, ubi exſcindi jubentur è medio populi, omnes qui omiſſione circumciſionis fœdus Dei irritum reddiderant. At *exſcendi*, ibi ſignificat excommunicationem.

Inſtant: Atqui *Pareus* τὸ *exſcindi* explicat de termino vitæ; idque probat ex *Exod.* 31. 14. *Reſp.* Eadem vocula ſæpe diverſa ſignificat. Quod autem *Geneſ.* 17, pro excommunicatione acci-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

piatur, patet ex 1 *Cor.* 5.2. ubi Spiritus S. ſimillima phraſi utitur de excommunicatione.

Obj. II. Si veriſſimum eſt, mulieres in V. T. habuiſſe ſacramentum aliquod contra peccatum originale, quod tamen non extat, tum Scriptura eſt inſufficiens. At habuerunt. Nam alias ſalvatæ non eſſent. *Reſp.* Præſupponitur falſa hypotheſis, quod putent, ſalutem à ſacramentis *ut inſtrumento phyſico* pendere. Si enim hoc eſſet, tum omnes ante Abrahamum, periiſſent: quod falſum. Nam Paulus ad *Heb.* 11, prolixum recenſet catalogum eorum qui ante Abrahamum vixerunt & ſalvati ſunt. Et vero non privatio, ſed contemptus ſacramenti damnat. 2. Deinde, utut in corpore mulieres, prout viri propter inhabilitatem non circumciderentur, tamen ad eas quoque circumciſio pertinebat, & reputatæ ſunt pro circumciſis; in patribus, ſi innuptæ; in viris, ſi maritatæ eſſent: ut ab illa oppoſitione, quæ eſt inter mulierem præputiatam, & virum circumciſum, & contra, liquet, *Geneſ.* 34.14. & *Iudicum*, 14.4.

Obj. III. Multi libri perierunt, 1 *Reg.* 4.32, 33. *Reſp.* Perfectio Scripturæ, non ex *multitudine librorum*, ſed ex *ſufficientia dogmatum*, æſtimanda. *Inſtant*: Ad quid vero tot libri N. T. cum in V. T. libris omnia contineantur neceſſaria? *Reſp.* Continetur quidem in illis Chriſtus, ſed tantummodo *venturus*; in his vero, *manifeſtatus*.

Obj. IV. 2 *Chron.* 9.29, mentio fit librorum *Nathanis*, *Gadis*, *Iiddonis*, Illi erant Canonici. Ergo quidam Canonici libri perierunt. *Reſp.* Theologi varie reſpondent. Alii concedunt periiſſe & intercidiſſe libros aliquos, negant tamen conſequentiam argumenti; eo quod perfectio Canonis, non ex *multitudine librorum*, ſed ex *ſufficientia dogmatum* fidei & præceptorum moralium, ſit æſtimanda. Nullum autem dogma vel præceptum morum, producere poſſunt, ad ſalutem ſcitu aut factu neceſſarium; quod libris ſuperſtitibus non contineatur. Alii negant periiſſe. Eo quod hæc ſententia & Eccleſiam incuriæ accuſet, & Providentiam Dei culpet, & finem Scripturæ tollat. Tertii diſtinguunt ſcripta Veterum, dicuntque, non omnia ea quæ ſcripta ſunt à Viris Dei, fuiſſe Eccleſiaſtica & dogmatica, ſed quædam Hiſtorica, Oeconomica, Phyſica; Ex prioribus ſcriptis nullum interiiſſe putant. Si perierint poſterioris ordinis, nihil decedere Canoni autumant. Qualia fuerunt Phyſica illa Salomonis, de quibus 1 *Reg.* 4. Libros vero Nathanis & Gadis quod attinet, tenendum eſt, per eos intelligi debere continuationem primi Samuelis libri. Quippe ejus mors deſcribitur capite 25 illius libri, adeoque & ſecundus liber Samuelis illis deferendus eſt. Confer 1 *Chron.* 29.29. *Res autem Davidis regis priores & poſteriores ecce ſunt ſcripta in verbis Samuelis videntis, & in verbis Nathanis Prophetæ, & in verbis Gadis videntis.*

Obj. V. Ex Scriptura non conſtat, quo die, Paſcha, Nativitas, &c. celebranda. *Reſp.* In Paſchate, Nativitate, &c. duo ſunt; *doctrina ipſa*, & *dies*, quo illa proponuntur, celebrantur: prius eſt neceſſarium ad ſalutem, & traditur in Scripturis; non poſterius. *Inſt.* Si ceſſatio ab opere ad diem Solis eſt reſtricta, tum nulla ratio datur, cur doctrina de Paſchate, & Nativitate Chriſti, non ſit ad certum diem reſtringenda. At verum prius. Ergo & poſterius. Ratio conſeq. quia non eſt minus beneficium in Chriſto dando, & reſſuſcitando, quam in creatione; imo & majus bonum. *Reſp.* Ratio eſt diverſiſſima.

Obj. VI. Multa deſunt in V. T. quæ citantur in N. ut *Matth.* 5.43. *Odio habebis* &c. hoc nullibi eſt. *Reſp.* Citatur hoc non ut *Verbum Dei*, ſed ut *falſum* Phariſæorum *interpretamentum*. *Inſt.* Imo citantur quædam, de quibus nullum poteſt eſſe dubium, quin ſint Verbum Dei, *Act.* 20. 35. *Reſp.* Per conſequentiam talia deduci ex Scriptura.

Obj. VII. Contra Perfectionem Scripturæ ferri poſſunt argumenta, tum ex *forma*, tum ex *materia*. Ex forma argumentum longe maximum, Quod nulla videatur eſſe methodus, ſed jam hoc, jam illud tractetur. Ex materia, quæ iterum conſideratur vel *ratione modi*, vel *ratione rei*. Ratione modi iterum dupliciter: vel enim eo quod non contineatur expreſſe, vel quod quidem contineatur expreſſe, ſed non perfecte. Ratione primi modi, argumenta afferri poſſunt omnia iſta, quæ Sociniani afferunt pro eo probando,

bando, quod omnia, quæ neceſſaria, per expreſſum contineantur in Scriptura; Si enim hoc verum; Ergo ſequitur S. S. Trinitatem, & id genus graviſſima, non eſſe ad ſalutem neceſſaria: quod abſurdum. Res in argumentum ita cogi poteſt: Rei ſumme neceſſariæ reſpondere debet modus neceſſarius. At hi articuli fidei ſunt res neceſſariæ. Ergo debet ipſis modus neceſſarius reſpondere: At modus neceſſarius non habetur in Scriptura. Ergo ſumme aliquod neceſſarium non eſt in Scriptura. Ex modo altero, ubi per expreſſum quid habetur, & imperfecte, argumenta peti poſſunt, ubi recenſetur factum alicujus, & non vituperatur, nec laudatur; facile enim poſſit fieri, ut quis quæ mala ſunt, aſſumat pro bonis. tale exemplum eſt *Gen.* 19, in Lothi inceſtu, qui nunquam vituperatur. De judicio Davidis, 1 *Sam.* 16, contra Mephiboſeth. Et ita impugnata Scripturæ perfectio ex modo. Relinquitur ut impugnetur ex materia. Ex materia autem impugnari poteſt ex eo, quod libri aliqui Canonici perierunt, ut apparet 1 *Reg.* 4.

Tantum ex terminis internis oppugnata perfectio: ſequitur ex externo, quod nempe Script. non ſit perfecta effectu & operatione. Si Scriptura perfecta eſt, reddit hominem perfectum. At non reddit hominem perfectum. Ergo. Major clariſſima eſt. Minor patet ex eo, quia ex parte ſcimus, ex parte prophetamus, 1 *Cor.* 13.

Reſp. ad *primum* Fundamentum: Præcepta conſiderari vel *extra uſum*, vel *in uſu*. Præcepta in uſu, non opus habent ut methodicè tradantur, ſed pro prudentia agentis, qui ſe accommodans ad captum & ad naturam audientium, methodo alia atque alia utitur. Tale eſt Verbum Dei extra Decalogum & extra Hiſtorias, quod ubique accuratiſſimam methodum obtinet. Breviter ergo, diſtinguendum erit inter methodum *Syſtematicam* ſive Præceptorum, prout ſimpliciter traduntur; & inter methodum *Præceptorum*, prout in uſu ſervari debent. Illa Prior non ubique ſervatur in Scriptura: Poſterior, in omnibus concionibus Prophetarum, Chriſti & Apoſtolorum, maxima & plane divina illuceſcit.

Quod ad *ſecundum* Fundamentum, de iis quæ per conſequentiam deducuntur, *Reſp.* Spiritui Sanct. non poſſe præſcribi modum loquendi, & habere ipſum, tanquam ſapientiſſimum, cauſas ſuas, quare non quodvis per expreſſum proferatur. 2, Hypotheſis iſta falſa: quod oſtendi poteſt ex *Matth.* 22. ubi duos ſummè neceſſarios articulos Chriſtus probat, & tamen non per expreſſum, Reſurrectionem ſcilicet, & Perſonam Meſſiæ, ex utraque natura conſtantem. Quod ad ſecundum membrum iſtius Fundamenti attinet, in Scriptura multa reperiri, &c. *Reſp.* Quædam non vituperantur in *ſpecie*, ſed tamen reperiuntur leges generales, ex quibus facile quilibet aliquantulum exercitatus in S. Literis poteſt videre hæc vituperari.

De *tertio* Fundamento actum eſt antea.

Ad *quartum Reſp.* Verbum Dei efficere hominem perfectum in duplici ſtatu, *in via*, & *in patria*, ut Scholaſtici loquuntur; in via, *perfectione partium*; in patria, *perfectione graduum*: manet ergo perfecta Scriptura, etiamſi omnem gradum perfectionis, qui homini ineſſe debet, non producat.

QUÆSTIO XVI.

An quædam ſcitu neceſſaria ad ſalutem, deducantur & deduci poſſint per bonam conſequentiam?

Affirm. I. Chriſtus ita probat reſurrectionem mortuorum, *Matth.* 22. 32, articulum ad ſalutem neceſſarium, 1 *Cor.* 15. 13. *Inſtant:* Poterat per expreſſum probari, *Dan.* 12. *Reſp.* Sadducæi tantum quinque libros Moſis recipiebant.

II. Diſcrimen de juſtificatione ex fide & operibus, eſt neceſſarium ad ſalutem. At hoc deducitur à Paulo per conſequentiam, *Rom.* 5. 6, 7, 8. *Inſtant:* Si doctrina de juſtificatione ex fide & operibus, eſt neceſſaria ad ſalutem; Ergò etiam fuit neceſſaria in ſtatu integritatis At hoc falſum. Ergo & illud. *Reſp.* Negat. Conſeq. Quia in ſtatu integritatis non erat locus fidei juſtificanti, Chriſto Mediatori, qui non propter juſtos venit, ſed propter injuſtos.

III. Reſurrectio Chriſti eſt neceſſaria ad ſalutem,

lutem, & tamen deducitur per conſequentiam, *Act.* 2. 27, 28, 29, 30. 1 *Cor.* 16. 17. *Inſtant*: Non eſt neceſſaria, quia neceſſaria noverant Apoſtoli: Sed hanc non noverant. *Reſp.* Noverant *confuſè*, non *diſtinctè*.

Obj. I. Argumenta talia idiotæ non intelligunt, & ſic non ſalvarentur. *Reſp.* Concedo de conſequentiis *remotis*, non *proximis*. *Inſtant*: Atqui ſunt Logices ignari. *Reſp. Artificialis*, non *naturalis*, quæ nihil eſt aliud, quam facultas ratiocinandi.

Obj. II. Ratione non eſt utendum in Scriptura; Ergo nec conſequentiâ. *Col.* 2. 8. Item, ſi ratione utendum eſſet in Scriptura, de genere in genus tranſſcendere neceſſe eſſet. *Reſp.* Ratione in Scriptura non utendum ut *argumento*, ſed ut *inſtrumento*. Neque enim infantes, vel phrenetici, ſunt Scripturæ capaces. *Inſtant*: Si ratione tanquam *inſtrumento* utendum eſſet in Scriptura; tum Deus ſapientiores elegiſſet ad eam annuntiandam: ſed non elegit, 1 *Cor.* 1. 26, 27. *Reſp.* Non ſequitur. Quia abolebit Deus ſapientiam ſapientum, 1 *Cor.* 1. 19, ut qui gloriatur, glorietur in Domino, 1 *Cor.* 1. 31. *Secundo*, Quia ratio eſt quidem inſtrumentum percipiendorum dogmatum, ſed *illuminata*, 1 *Cor.* 2, *verſ.* 14, 15.

Obj. III. Expreſſa melius inſtituunt, quàm per conſequentiam deducta, ideo Deus omnia neceſſaria ad ſalutem expreſſe tradidit, ut ſe accommodaret hominum captui. *Reſp.* Non ſequitur. Tradidit quidem Deus omnia ad captum hominis ad ſalutem neceſſaria, ſed tamen voluit Scripturas ſcrutari, *Ioan.* 5. 39, & meditari. *Inſtant*: Si Deus per Verbum ſuum hoc vult efficere in nobis, ut omnes in hac vita proxime accedamus ad Angelos Dei; tum vult omnia per expreſſum proponi. Verum prius. Ergo & poſterius. Ratio conſeq. Quia Angeli nihil per conſequentiam deducunt. Omnia enim ſunt illis aperta, *Luc.* 20. 36. *Reſp.* Licet intellectus Angelorum perſpicaciſſimus ſit, tamen ratiocinantur, & cupiunt aliquid ſcire, 1 *Pet.* 1. 12.

QUÆSTIO XVII.

Qua ratione Scriptura dicatur eſſe prima veritatis, cum prima veritas ſit ipſe Deus?

Reſp. Duplex eſt prima veritas, *eſſentialis*, & hæc Deus eſt: *normalis*, & hæc Scriptura eſt. Primum diſtinctionis membrum probatur *Ioan.* 14. 6. 1 *Ioan.* 5. 6. Poſterius membrum oſtenditur hinc, quod ad Scripturam omnia, quæ ad dogmata & mores pertinent, tanquam ad primam veritatem probari debeant, *Eſai.* 8. 20.

QUÆSTIO XVIII.

Qua ratione dicatur tantum Verbum Dei immediatè profectum à Spiritu Sancto?

Ratio dubitandi prima eſt hæc, quia per Prophetas Deus locutus. 2. Quia Chriſtus & Apoſtoli in Novo Teſtamento quæ afferunt, omnia ex Vetere Teſtamento afferunt, ut patet ex citatione locorum à Chriſto & Apoſtolis facta. Nec eſt quod dicas, hæc ipſa ex Prophetis non attuliſſe, ſed immediatè ut Prophetis, ita Apoſtolis inſpirata eſſe; contrarium enim citationes iſtæ oſtendunt. Namque aliud eſt dicere quod dicit Propheta, aliud eſt dicere ſic, ex Propheta iſtud afferre; quod Chriſti & Apoſtoli faciunt. Secundò patet contrarium ex Paulo, qui & Sacris Literis ſtudium impendebat, de quo 2 *Tim* 4. *verſ.* 13; & nihil ſe extra Moſen & Prophetas dixiſſe affirmat, ut *Act.* 26 patet.

Quod ad primum attinet, Deus non utitur in conſtituenda Scriptura ullius creaturæ miniſterio, ſed tantum in ea conſtituta promulganda. Membrum prius diſtinctionis patet, tum ex aliis locis Scripturæ, tum imprimis *Iacob.* 4. 12. 2 *Pet.* 1. 21. Secundum, 1 *Cor.* 4. & aliis locis.

Quod ad ſecundum attinet, diſtinguendum fuerit, *ratione materiæ*, & *ratione formæ*, ſive ſenſus Script. Ratione materiæ non erat Verbum Dei immediatum, quod Apoſtoli proferebant in N. Teſt. ſed ratione formæ immediatum ſive ratione ſenſus quem ipſe Deus immediatè docuerat. Membrum prius patet ex cauſa dubitandi ſuperius allata. Poſterius patet *Ioan.* 16. *verſ.* 13.

Obj.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Obj. Atqui videtur non omnium ſaltem, quæ in Verbo Dei, ſenſum ſanctos Dei homines immediate à Deo habuiſſe, & tamen illa quæ proferunt, & quorum verba & ſenſum aliunde quam à Deo habent, pro Canonicis cenſentur. ut, *Daniel. 9*. Angelus Gabriel ipſe explicat dicta quædam, & *in Apoc*. Ioannes ſæpius docetur de his & illis eventibus ab Angelo.

Reſp. Duplex eſt docere, *Internum* quod à ſolo Deo proficiſcitur: & *Externum*, quod à creatura proficiſci poteſt. In explicandis iſtis, uſus eſt Deus miniſterio creaturæ quoad externum docere, ſed non quoad internum. Primum diſtinctionis membrum clarum eſt in Scriptura. Poſterius habetur *Ioan. 16. 13*.

Obj. Atqui & nos interne docemur à Deo, ut patet *Ioan. 6. 45*. Ergo & noſtrum dicere erit Canonicum. *Reſp*. Docet nos Deus interne, & aperit ſenſum Scripturæ, ſed ita, ut eodem gradu nobis non aperiat, ſicut Apoſtolis. Nam Apoſtolis ita aperiebat ſenſum immediate, ut omnia ipſis aperuerit ita, ut errare non potuerint; at nobis ita aperit, ut nec omnia aperiat, nec facultatem concedat explicandi loca Scripturæ talem, ut non erremus, vel errare non poſſimus. Prius membrum patet *Ioan*. 16.13. Poſt. 1 *Cor*. 3. 12.

QUÆSTIO XIX.

Si omnes libri Canonici ſunt ejuſdem auctoritatis, quare auctor Epiſt. ad Hebræos dicit: Sermonem per Chriſtum firmiorem fuiſſe, quam qui allatus fuit per Angelos. Dum autem dixit per Angelum allatum, reſpexit ad Legem, quæ per manus Angelorum ordinata, Gal. 3. 19.

Reſp. Firmior ſermo eſt non *ratione doctrinæ*, ſed *ratione perſonæ promulgantis*, ſive doctrinam afferentis. Nam etiamſi eadem doctrina per ſervum afferatur, quæ per Dominum; majori auctoritate profertur per Dominum, quam per ſervum. Nam ſervo creditur propter Dominum, Domino autem propter ſe creditur.

QUÆSTIO XX.

An Scriptores ſacrorum librorum errare potuerint in doctrina; &, ſi hoc, quomodo illa, quæ proponunt, ſint certæ auctoritatis?

Reſp. Erraſſe in doctrina Apoſtolos certum eſt, uti patet ex eo quod neſciverint, Chriſtum moriturum fuiſſe; quod arbitrarentur, Chriſti regnum futurum fuiſſe de hoc mundo; quod non intellexerint doctrinam de vocandis gentibus ad veritatem Evangelii ſub N. T. Diſtinguimus inter Apoſtolos ante effuſionem Sp. S. conſideratos, & inter Apoſtolos poſt effuſionem Spirit. S. conſideratos. Ante errare potuerant, ſed non poſt, ut oſtenditur *Ioan*. 16. 14.

Obj. At poſt effuſionem Spiritus Sanct. videntur erraſſe, ut patet in Petro non procedente recto pede ad Evangelium, *Gal*. 2. *Reſp*. Etiam poſt aliquando errarunt, interim tamen, dubiæ auctoritatis Scriptura propter hos non eſt, quia ſicubi errarunt, illud Spiritus S. clariſſime in apertum producit, ut ibi factum in Petro.

QUÆSTIO XXI.

Quomodo, ſi Scriptores N. Teſt. afflati à Spiritu Sancto docuerunt, quæ docuerunt; qua ratione, inquam, potuerit examen de doctrina ipſorum fieri, ſine contumelia in Spiritum Sanct. Nam hoc erat ſubjicere regulæ alicui opera Spiritus Sancti? Debuiſſe autem examinari quæ docebant, certum eſt, quia obligamur ad hæc, ut omnia probemus, & quæ bona ſunt, teneamus; tum quod factum hoc à Beroënſibus commendatur ab ipſo Spiritu S. Actor. 17. 11.

Reſp. Regula duplex eſt; *dirigens*, & *manifeſtans*. Cum ea quæ in Novo Teſtamento inſtinctu Spiritus Sancti proferebantur, ſubjicerentur Veteri Teſtamento; ſubjiciebantur non ut regulæ *dirigenti*, ſed ut *manifeſtanti*.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

QUÆSTIO XXII.

Quomodo Script. dici poteſt perfecta, tum ratione materiæ, tum ratione formæ, 1, cum multi libri Canonici perierint, ut videre eſt 1 Reg. 23. 33. 2, cum videantur Ethica ſcripta magis methodice conſcripta quam hæc, ubi plane videtur nulla methodus?

Ad primum *Reſp.* Perfectionem Scripturæ non ex multitudine librorum, ſed ex ſufficientia dogmatum eſſe æſtimandam.

Obj. I. At eo pacto Evangelium Matthæi, aut Epiſt. Pauli ad Romanos, ſufficeret ad omnia dogmata, &c. *Reſp.* Aliud eſt eſſe ſufficiens *quoad eſſe*; aliud, *quoad bene eſſe*; Non ſufficerent hæc quoad bene eſſe, etiamſi ſufficerent quoad eſſe: & ratio ipſius hæc eſt, quia reliqui libri clarius ſæpe dicunt in quibuſdam, hoc quod Matthæus vel Paulus ad Rom. dixit. 2. Idem proponendo, firmant, veriſſima eſſe, quæ Matthæus vel Paulus dixit.

Obj. II. An ergo iſti libri qui perierunt, non faciebant ad bene eſſe? *Reſp.* Quod ſic: ſed diſtinguo; Ad bene eſſe quædam ſunt, quæ ſemper requiruntur; qualia hæc quæ remanſerunt. Quædam vero non ſemper, ſed certo tempore, quæ tempore hoc neceſſaria non ſunt; tales ſunt libri, qui perierunt. & talia erant miracula Chriſti iſta, quæ conſignata non ſunt ab Apoſtolis, quæ pro illo tempore quo ſciebant, neceſſaria erant, & non pro quovis tempore; alioquin hæc ipſa conſignata fuiſſent à ſcriptoribus N. Teſt.

Quod ad methodum, ſciendum, in triplici differentia eſſe ſcripta S. Scripturar. Quædam enim ſunt *hiſtorica*, & in illis methodus exquiſitiſſima. Nam in ipſis res eo ordine referuntur, quo geſtæ; & modo, quo geſtæ. Secundum genus Scripturarum eſt *præcepta nuda*, & in illis ſumma & exquiſita methodus, ut videre eſt in Decalogo. Tertium genus Scripturarum ſunt *res*, quæ explicantur, in quibus maxima methodus; nam etiam res iſtæ explicantur aliis locis aliter atque aliter, & hoc loco per hos terminos Logicos, alibi per alios: tamen ubique exquiſita methodus; quia in talibus tractationibus, prudentia ſuadet, non omnia argumenta adhibenda, ſed adhibenda hæc, quæ hæc vel illa circumſtantia requirit.

QUÆSTIO XXIII.

Qua ratione homini irregenito Scriptura dicitur obſcura, cum & Lex innata ipſi ſit, & ſi quid ex Evangelio dicatur, intelligat?

Reſp. Lex difficilis ipſi eſt quoad perfectam cognitionem, item quoad ea quæ ipſi ſunt per accidens, ut quod Lex ducat in cognitionem peccati ad Chriſtum: quoad illa vero quæ Evangelii ſunt, illa intelligit, ut vocant, ſcientia ſine affectu, non cum affectu; ſive, ut aliis verbis utar, intelligunt cognitione *apprehenſiva*, non *dijudicativa*, aut *perſuaſiva*.

QUÆSTIO XXIV.

Quid de Punctis Vocalibus in Scriptura Hebræa ſtatuendum?

Quæ movent quidam de punctis, an ſint à Sp. S. nec ne, videntur mihi primum ortum duxiſſe ex inepta & prava opinione, qua putant aliqui, tempore captivitatis Babylonicæ Biblia unà cum templo conflagraſſe & nulla reliqua fuiſſe, donec ab Eſdra iterum, dictante quaſi per os ejus Spiritu Dei, fuerunt reſtituta. Opinio autem hæc eſt fatua. Quis enim credet, unicum librum tantum in populo Dei fuiſſe, eumque in templo adhuc cuſtoditum; præſertim cum Spiritus Sanct. non prohibuerit ipſum deſcribere. Et non eſt veriſimile, gentem iſtam fuiſſe ita ſocordem (cum multi in ea pii fuerint, etiam iſtis temporibus, quæ profligatiſſima fuerant, qualia Eliæ) ut illa, cum licuerit, deſcribere in ſuum uſum neglexerint. Sed eſto; detur hoc iſtis hominibus, fuiſſe tantum unica Biblia; anne credibile eſt, Deum omnipotentem illa permiſſurum fuiſſe, ut interirent? Nam quid in cauſa eſſet, quominus illa non conſervaret? an quia non poſſet? at hoc blaſphemum eſt. an quia nollet? & hoc contrarium ipſius inſtituto. Nam, ſi voluit Eccleſiam aliquam eſſe in diſſipato iſto populo, voluit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

luit utique veram doctrinam & puram extare, ſine qua Eccleſia, utpote quæ ſupra hanc ædificata, ut *Eph.* 2 docetur, eſſe nequit. Sed demus unica Biblia fuiſſe, etiam demus, periiſſe & conflagraſſe una cum Templo; at quid cauſæ dicturi ſunt iſti homines, cur Eſdras aliis characteribus, quam antea conſignata fuerant, illa conſignarit? anne hi meliores prioribus? Neutiquam. Namque ipſius Dei digito exaratæ ſunt literæ. Quis illis meliores dixerit aliquas? an vero, quod quædam non meliores fuerint, ſed tamen quod Deus illas mutari voluerit? At quis finis hujus rei? cum ſemper quoties Deus aliquid mutat, inſignem ejus rationem det. Ex his ſic diſputatis apparet, etiamſi Biblia incendio abſumta, fuiſſent per Eſdram reſtituta, nullam cauſam fuiſſe, cur aliis literis conſignarentur. Sed etiam præter hoc cauſa cur conſignari non debuerint. Multi procul dubio erant ſenes in Iſraël, qui veterem lectionem (ex opinione horum loquimur) tenuerant; his, ſi diis placet, inventis novis literis, repueraſcendum erat, & denuo elementa diſcenda nova. Et hic eſt primus ingreſſus totus fabuloſus & ineptus. Iam videamus progreſſum. Eſdras dicitur tantum conſonantes inveniſſe, & conſonantibus conſignaſſe Biblia, ſucceſſerunt Maſorethæ, circa annum Chriſti 400. qui, quod dicitur Eſdræ conceſſum divinitus, ut literas immutaret, id ſuapte impulſi voluntate fecere; nempe, ut illa quæ Eſdras protulit, emendarent, notiſque additis vocalibus augerent: jam vero, quis non videt hæc ita dici, ut aut Eſdras non à Sp. S. conſonantes accepiſſe dicendus ſit, aut Maſorethæ, qui hoc quod à Sp. S. profectum fuit, auſi fuerint corrigere, ſacrilegi dicendi ſint? Sed ponamus nihil peccaſſe in eo, quod vocales invenerint, jam vero hoc qua ratione excuſari poterit, per ipſos ſacrorum codicum auctoritatem plane non eſſe enervatam? Nam quis me certiorem reddet, illos puncta ea, quæ debuerant adjici, adjeciſſe, non aliena, atque ſenſum non immutaſſe? Scio quid regerant aliqui ad hoc. Dicunt, non potuiſſe hoc fieri: ſed dicunt tantum; nec rationem dicti ſui afferunt. Nos vero, ab iis qui iſtius opinionis ſunt, puncta eſſe à Maſorethis addita, dicimus expreſſe accuſari Maſorethas, quod plurima corruperint, ut patet ex Calv. in Comment. in Proph. Jeremiam, & ex Zwinglio in Comment. in Eſaiam. Et quidem iſti magni Viri inducti in hunc errorem fuerunt, ut putarint, aliter punctanda verba fuiſſe, quam punctata, eo ſaltem quod puncta putarint à Maſorethis addita; cum tamen non eſſet opus ulla correctione, ut oſtendunt alii Viri doctiſſimi. In compendium ut verba conferam, qui Maſorethis attribuunt puncta, illi dimidia ex parte ſenſum Scripturæ ab ipſis ſuſpendunt, quandoquidem nemo ignorat, vocalibus dimidium ſenſum ſermonis deberi, & hoc eſt grave argumentum ad enervandam opinionem hanc. Sed & hoc non minus, quod ab accentibus diſtinguentibus petitur. Accentus debentur iis, quibus puncta; at vero quis ignorat, ſæpe accentu diſtinguente non poſito loco ſuo, ſenſum mutari? patet hoc vel in ſolis Socinianis, qui hac fraude niſi, etiam clariſſima S. Scripturæ loca, quæ pro divinitate Filii Dei afferuntur, obſcurant, & in ſenſum alium detorquent.

QUÆSTIO XXV.

Vox Iehova, *cum ſcripta ſit, quæritur an illa legenda, nec ne?*

Eſt primo fundamentum iſtius, quod legenda hæc vox non ſit, longe fabuloſiſſimum; ut licet videre ex iis qui hac de re ſcribunt, qualis inter alios eſt Buxtorſius in ſua Synag. Iudaica: dicunt autem, lectionem iſtius vocis facere ad patranda multa miracula, & inde factum fuiſſe, ut, cum lectio iſtius exſculpta fuiſſet in templo Salomonis, ne quis ipſam efferret, duos leones, inuſitatæ magnitudinis & ferocitatis, fuiſſe ad fores templi appoſitos, qui egredientes inſolito rugitu adeo perterrefaciebant, ut lectionis obliviſcerentur. Fabula profecto non minus inepta, quam illa, quam Poëtæ finxerunt de Draconibus & Aureo Vellere per ipſos cuſtodito. Hoc ergo fundamentum cum ſit, cur putant abſtinuiſſe à lectionibus iſtius vocis Veteres Judæos, & ſolis Sacerdotibus ſummis, qui eam ad filios ſibi ſucceſſores tranſmittebant, notam fuiſſe? hoc, inquam, cum ſit fundamentum, quis non videt, vanum eſſe, quod dicunt aliqui de voce iſta non legenda? Accedit & hoc, quod ſi Deus noluiſſet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

vocis iſtius lectionem notam eſſe hoc tempore, quare permitteret ſignificationem ejus periphraſtice in aliam linguam transferri? quod factum manifeſte in Apocalypſi, ubi vox iſta vocibus iſtis explicatur, qui erat, qui eſt, & qui futurus eſt. Quod objectant de punctis ſuis, ad illa puto reſponderi poſſe, vocem hanc plane à natura abire omnium vocum, ut quæ & præſens, & præteritum,& futurum,ſimul denotet;ac proinde,quid mirum, ſi etiam à regula iſta, ſecundum quam punctari ſolent voces ordinarie & conſueto modo ſe habentes, diſcedat?

QUÆSTIO XXVI.

An ſenſus Scripturæ ſit unicus?

Reſp. Imo vero. 1. Quia Scriptura, ſi multiplex eſſet ſenſus, ambigua eſſet; ſi ambigua, nihil ſignificaret. 2. Quia unius rei unica eſt forma: At ſenſus, Scripturæ forma eſt. Ergo non niſi unicus eſſe poteſt.

Obj. I. Si Scripturæ ſenſus ſit multiplex: Ergo non eſt unus. Atqui. Ergo. Antecedens probatur: Si ſenſus myſticus non eſt idem cum literali ſenſu, ſequitur quod non ſit unus Scripturæ ſenſus. Atqui. Ergo. *Reſp.* Senſum myſticum & literalem non diverſas eſſe ſenſus ſpecies, ſed unius ſenſus partes; ſenſus enim literalis aliquando ſimplex eſt, aliquando compoſitus ex typo & antitypo. Adeoque, myſticus nihil aliud eſt, quam pars vel conſectarium ex literali, ut quando *Exod.* 12, de agno dicitur, os non confringetis ei. Quia vero agnus typus erat Chriſti, hoc loco etiam inerit illud. Ergo Chriſti oſſa confringi non debent.

Obj. II. Si Scriptura patiatur explicationem literalem, anagogicam, allegoricam, tropologicam; ſequitur tot eſſe ſenſus. Atqui. Ergo. *Reſp.* Iſtas interpretationes Scripturæ diverſas, non varios parere ſenſus; ſed unius ſenſus literalis alias atque alias eſſe accommodationes & applicationes, adeoque conſectaria ex literali ſenſu deducta.

Inſtant: Quod *Deut.* 15, de bove dicitur: *Non obturabis os bovi trituranti*, id myſtice explicatur de miniſtris Eccleſiæ. 1 *Cor.* 9. *Reſp.* Eſt ſaltem conſectarium, vel potius argumentum à minori ad majus. Sic enim vult Apoſtolus argumentari: Si bovi trituranti pabulum eſt dandum, quanto magis miniſtris Eccleſiæ!

Obj. III. Si non eſt abſurdum, hominem conſiderari diverſo reſpectu, ſub duplici formali conſideratione, & abſolute ut homo, & relate ut pater, conſul, &c. tum neque abſurdum erit, Scripturam duplici ſenſu conſiderari: Atqui. Ergo. *Reſp.* Limitando Majorem: Si homo dupliciter conſideretur, ſcilicet ita ut ſignificatu non maneat ſimplex ſub unoquoque reſpectu, tum ſequeretur. At non conſideratur ita. Nam ſinguli diverſo reſpectu unam ſimpliciſſimam ſignificationem inferunt.

CAPUT II.

De Lege.

Et quidem primo,

DE LEGE MORALI.

QUÆSTIO I.

An Lex Moralis nunc ſit perfectior, quam olim fuit per Moſen tradita? Negatur.

RAtio I. Si Scriptura, agens de juſtificatione noſtri, nullam aliam legem proponit, quam Moſis; tum ſequitur, nunc legem moralem non eſſe perfectiorem, quam antea fuit per Moſen tradita. Verum prius. Ergo & poſterius. Ratio conſequentiæ. Quia ſi fuiſſet aliqua lex perfectior, illa fuiſſet allegata *Rom.* 10.

II. Si lex perfectior aliqua eſſet data per Chriſtum, non redemiſſet nos Chriſtus ab execratione legis Moſaïcæ: Sed ab ea redemit, *Gal.* 3. *verſ.* 13. Ergo. *Inſtant*: Chriſtus nos redemit ab execratione legis Moſaïcæ, eo quod non ſumus jam ſub lege ceremoniali. *Reſp.* Ab execratione legis liberare, non eſt à lege liberare, ſed à tranſgreſſione legis, ſcilicet peccato. Nam peccato & peccatori expreſſe lex denuntiat execrationem, *Deut.* 27.

III. Si Chriſtus perfectiorem legem attulit, tum peccati cognitio non ex lege Moſis, ſed Chriſti petenda eſt. At contrarium facit Scriptura,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ptura, *Rom.* 7.7. Conſequentiæ ratio. Quia ex lege imperfecta, non poteſt peccatum cognoſci perfectè. *Inſtant*: Citatur lex Moſis, quia gentes convertebantur ad fidem propter Iudæos, qui nullam legem admittebant, niſi Moſis. *Reſp.* Repugnat hoc ſimpliciter ſcopo Apoſtoli, qui doctrinam de peccato tradit, prout eſt, non prout quis de ſe ipſo perſuaſu eſt perſuaſione falſa.

Obj. Socin. I. Quia Chriſtus expreſſe dicit: *Ego vero dico vobis*, Matth. 5. Ergo correxit legem Moſis. *Reſp.* Non dicit, *ſcriptum eſt*; ſed, *dictum eſt*. Ergo non loquitur de *lege* Moſis, ſed de *explicatione* Phariſæorum. *Inſt.* Non dicitur in textu, *dictum à veteribus*; ſed, *dictum veteribus*. Ergo nec Chriſtus de traditionibus veterum loquitur. *Reſp.* 1. Eſt modus Scripturæ uſitatus, ut omittatur præpoſitio *à* vel *ab*. Vide ſimile, *Luc.* 24. 34. Viſus eſt Simoni, pro à Simone, 2. Aliud eſt, verba eadem citare cum eodem ſenſu; & aliud, citare verba cum ſenſu alieno. Chriſtus hic citat verba Moſis cum ſenſu alieno. *Inſtant*: Verſ. 31, ipſiſſima verba citantur: nec ſub ſenſu alieno. *Reſp.* Citantur quidem verba, prout à Moſe propoſita, ſed ut propter duritiem cordis. Ergo non ſunt verba *præcepti*, ſed *permiſſionis* tantum. Solet enim Deus ſæpe permittere quod ipſi diſplicet, in pœnam ſc. importunè flagitantis.

Obj. II. Chriſtus ipſemet dicit: *Novum præceptum trado vobis*, Ioan. 13. 34. *Reſp.* Novum illud eſt præceptum, non *eſſentia* (quia & in V. T. dictum erat, *Diliges proximum tuum ſicut te ipſum*; imo hæc eſt ſumma legis Moſaïcæ, *Matth.* 22.), ſed, *iteratione*, *repetitione*, & *exemplo*. Quia Chriſtus novum amoris proximi exemplar ipſis præbuerat. Vetus ergo eſt & novum hoc præceptum: Vetus, quia à Moſe propoſitum; Novum, quia corruptum à Phariſæis, integritati ſuæ reſtituitur. *Inſtant:* Atqui nunquam eſt in V. T. dictum, ut alter pro altero vitam exponat, quod mandatur, 1 *Ioan.* 3. 16. *Reſp.* Antecedens negatur. Quia dictum: Diliges proximum tuum ſicut te ipſum. & expreſſum exemplum habetur in Moſe, *Exod.* 32. 32, ubi ſemet ipſum pro Iſraëlitis devovet.

Obj. Pontificiorum. Quorum ſententia in anteceſſum notanda eſt. Docent, Conſilia quædam eſſe, quæ præcepta non ſunt: quæ ſi quis omittat, non condemnatur; ſive vero ea quis præſtet, plus facit, quam ipſa lex requirit, adeoque edit opera ſupererogationis. Contra hanc ſententiam argumenta noſtra ſunt hæc.

I. Si conſilia Dei diverſa ſunt à præceptis Dei, tum illud conſilium, de quo *Act.* 20. 27, non eſt præceptum Dei. At hoc abſurdum. Ergo & illud. Quia, conſilio Dei non obſervato, poteſt quis ſervari; ſed abſque hoc, non poteſt. *Excip.* Apoſtolum ibi alloqui Epiſcopos, qui, ut debent excubare pro animabus aliorum, ut loquitur Spiritus Sanctus, *Heb.* 13. 17, ita debent eſſe perfectiores aliis. *Reſp.* Vanum eſt effugium. Quia, ſi conſilia poſſumus facere, & non facere, ſine ſalutis diſpendio; ergo & Epiſcopi poſſunt idem.

II. *Luc.* 7. 30. Si conſilium diverſum eſt à præceptis, tum illud conſilium, quod Phariſæi & legis interpretes aſpernati ſunt, non erit præceptum. Falſum poſterius. Ergo & prius. *Excip.* Aliud eſt *probare* conſilium; aliud, *præſtare*. Quia poteſt quis non facere conſilium, & tamen non improbare; ita poteſt quis non ducere uxorem, & tamen non improbare matrimonium. *Reſp.* In textu habetur expreſſe, *aſpernati ſunt adverſus ſemet ipſos*.

III. *Apoc.* 3. 18. Si conſilia aliud ſunt quam præcepta; ſequitur, conſilium hoc, de quo dicto loco, non eſſe præceptum. At falſum poſterius. Ergo & prius. Minor. Non præſtatio hujus conſilii adfert mortem æternam, *v.* 16. *Excip.* Illos fuiſſe præteritos, de quibus loquitur; proinde conſilium fuit ipſis neceſſarium propter opera ſupererogationis, ut debita contracta exſolverent. *Reſp.* Si nemo poteſt pro præteritis delictis præſentibus pœnis ſatisfacere, tum hæc reſponſio vana eſt. Verum prius: Ergo & poſterius. Minor. Quia quilibet pro præſenti debet præſtare quod facit.

Obj. I. *Eſai.* 56. 4, 5, 6, 7. Eunuchis cuſtodientibus ſabbata ſua, promittit bona. *Reſp.* Propheta agit de vere Eunuchis, non de continentibus per votum ſuperſtitioſum, quale eſt Monachorum. *Inſtant*: Imo & de Eunuchis, qui ex

voto tales ſunt, *Matth.* 19. 12. Nam ibi dicit eſſe Eunuchos, qui ſe caſtrarunt propter regnum cælorum; & hortatur, ut qui poſſint capere, capiant. Hinc diverſitas conſiliorum & præceptorum. *Reſp.* Chriſtus non omnes, ſed eos qui poſſunt capere, ad continentiam hortatur.

Obj. II. *Matth.* 19. Chriſtus conſulit juveni, ut vendat omnia: Ergo dedit conſilium diverſum à præceptis. *Reſp.* Non conſulit, ſed jubet. *Inſtant*: Cur omnes Chriſtianos non jubet omnia vendere? *Reſp.* Imo vero jubet, etſi non omnia, tamen omnes, *Luc.* 12. 33. Juvenem vero ita jubet vendere, ut ſe ipſum ſibi reddat cognitum.

Obj. III. Bonum eſt, mulierem non tangere, 1 *Cor.* 7. Eſt conſilium à Domini præcepto diverſum, *verſ.* 25. *Reſp.* Opponitur illic conſilium præcepto non immediate. Quia conſilium hoc dicit à Deo proficiſci; ſed mediate, quod nihil in Moſe & Prophetis de hoc præcepto repererit. Ceterum, ſi Paulus præceptum ſuum, præcepto Domini, *verſ.* 10, & 12, contradiſtinguat, non tamen hæc diſtinctio minoritatem præcepti Paulini importat. Quia Pauli præceptum conſiderandum eſt, non ut nudi hominis, ſed ut ex inſpiratione divina loquentis; quare Paulus gloriatur *verſ.* 25, ſibi per miſericordiam Dei datum, ut eſſet fidelis: & *verſ.* 40, *Videor autem mihi & ego Spiritum Dei habere. Inſt.* Atqui vere conſilium hoc eſſe apparet. Nam ſive ſequaris, ſive non, non peccas. At, ſi præceptum non ſequaris, peccas. *Reſp.* Præcepta Dei duplicia ſunt; *imperii* ſcilicet, & *indulgentiæ*: præceptum *imperii* ſi negligatur, peccamus: *indulgentiæ* poſſumus facere & non facere, abſque peccato, 1 *Cor.* 7. De viduis & virginibus.

De Lege Ceremoniali.

QUÆSTIO.

An Lex Ceremonialis ſit doctrina Evangelii, an vero peculiarem legis ſpeciem conſtituat?

Diſtinguitur. Lex ceremonialis dupliciter conſideratur: Vel quæ eſt de ritibus Eccleſiaſticis, ad ordinem Eccleſiaſticum pertinentibus; & hoc modo lex ceremonialis accepta conſtituit ſpeciem peculiarem Legis: Vel accipitur lex ceremonialis de typis Chriſti quibuſlibet, qui obtinebant in V. T. & hac ſignificatione, lex ceremonialis eſt doctrina Evangelii.

Prob. I. Quia manifeſte vocatur umbra & exemplar Chriſti; unde conſequitur de Chriſto docuiſſe, & de beneficiis per ipſum præſtandis. Si de Chriſto; Ergo de doctrina Evangelii. Minor, *Heb.* 10. *verſ.* 1. *Reſpondet Socinus:* Fuerunt typi, non omnia ſacrificia; ſed tantummodo ſacrificium anniverſarium, cum cujus ſanguine Sacerdos ingrediebatur Sanctum Sanctorum. *Reſp.* Quomodo ergo reliqua ſacrificia expiabant? non *realiter*, *Heb.* 10. 1, 2, 3, 4. Ergo *ſignificative*, quia ſignificabant Chriſtum & ipſius expiationem.

II. Quia, ſi lex ceremonialis permutat vocabula ſacrificiorum à Chriſto, tum lex ceremonialis docebit de Chriſto, & per conſequens, erit doctrina Evangelii. Verum prius. Ergo & poſterius. Conſeq. clara. Quia nulla ratio dari poteſt, cur ſacrificiorum nomina tribuantur Chriſto, niſi lex ceremonialis doceret de Chriſto. Minor. Chriſtus vocatur *Agnus*, *execratio*, &c. *Reſp. Socinus*, Tribui Chriſto iſta non quatenus reipſa conſideratur ſub hoc formali ut ſacrificium; ſed quatenus conſideratur, ut his vel talibus præditus. vide *Eſai.* 53. 7. *Reſp.* Contrarium docet Scriptura, 1 *Cor.* 5. *Paſcha noſtrum, pro nobis immolatum eſt, Chriſtus.* Ergo conſiderantur ſacrificia ut ſacrificia; quamvis non negemus, requiſitas fuiſſe quodammodo certas qualitates in Chriſto, quibus ille præſtiturus erat ſacrificium. vide *Exod.* 12.

III. *Heb.* 11. Abel per fidem dicitur obtuliſſe ſacrificium. Ergo fuit hæc doctrina de ſacrificio, doctrina Evangelii. *Excip.* Eorum bona opera ex fide ſunt, & tamen ea lex præcipit; Ergo, inquiunt, iſta conſequentia debilis: Eſt ex fide, Ergo eſt doctrina Evangelii. *Reſp.* Valet hoc modo: Eſt ex fide, ita ut de ea nihil doceat lex moralis. Ergo eſt doctrina Evangelii. Nam, vel pertinebit ad Legem, vel

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

vel ad Evangelium: non ad Legem, quia Lex de ea non docet; Ergo ad Evangelium.

Obj. Socinianorum. I. Doctrina Evangelii non fuit in V. T. Ergo lex ceremonialis non eſt doctrina Evangelii. Antecedens probant, *Ierem.* 31. 44. Quia remiſſio peccatorum demum promittitur in N. T. *Reſp.* Promittitur remiſſio peccatorum in N. T. majori claritate non quoad rem. Nam peccata etiam in V. T. remittebantur, *Rom.* 4. *Pſal.* 32. *Inſtant:* Si peccata tum remittebantur; Ergo Chriſtus tum mortuus fuit in V. T. *Reſp.* Cauſæ meritoriæ ea ratio eſt, ut effectum habeat, antequam exiſtat, modo certum eſſe cognitum habeat.

Obj. II. Si lex ceremonialis eſt doctrina Evangelii; conſequitur, eam non debuiſſe abrogari. Atqui abrogata eſt. Ergo. Conſequentiæ ratio, quia doctrina Evangelii debet eſſe perpetua. *Reſp.* Docendi ratio, qua nos Deus docet, duplex eſt; *typis* ſc. & *per Verbum*: ceſſavit ergo quoad modum docendi, qui fuit *per typos*; ſed non, qui fuit *per Verbum.* Nam typi docent de re futura, antequam exhibeatur; re vero exhibita ceſſant. *Inſtant:* Etiam typi docent de doctrina Evangelii, quæ fuit per Verbum, ut Sacramenta. *Reſp.* Ita quidem; ſed iſti typi nos docent de re præterita, non futura.

Obj. III. Si lex ceremonialis fuit Evangelium, cur ergo Chriſtus, *Matth.* 12. 7, dicit, *Miſericordiam volo, non ſacrificium? Reſp.* Id non *ſimpliciter* & *abſolute* accipiendum, ſed *comparate*; non *tam* volo ſacrificium, *quam* miſericordiam. Præcepta equidem primæ tabulæ, præferenda præceptis ſecundæ, quoad cultum ſcilicet *internum.* At quoad *externum,* minimè; quia Deus ipſum cor reſpicit, proximus vero auxilium. Hinc Chriſtus vult potius Sabbatum violari, quam non juvare proximum in bove aut aſino extrahendo. *Inſtant:* Si odit Deus ſacrificia, quomodo poterunt cultus Dei eſſe? At odit, *Eſai.* 66. 3. *Reſp.* Non ſacrificia, ſed ſceleratos ſacrificia offerentes odit, *Eſai.* 1. 11.

De Lege Forenſi.

QUÆSTIO I.

An apud Chriſtianos in judiciis Politicis nullæ aliæ leges obſervari debeant, quàm hæ ipſæ leges Moſäicæ?

Affirmando.

Reſp. ~~Negando.~~ I. Si leges iſtæ ſapientiſſimæ ſunt & appoſitiſſimæ ad rempublicam regendam, tum illæ recipi debent. Atqui prius verum. Ergo & poſterius. Conſequentiæ ratio. Quia leges propterea ſervari debent, quia ſapientiſſimæ, juſtiſſimæ, & rebus accommodatiſſimæ. *Inſt.* Eſto, ſed tamen non cuivis reipublicæ ſunt accommodatiſſimæ. *Reſp.* Hoc perinde eſt dicere, ac ſi quis dicat, leges morales Moſaïcas, non eſſe omnibus rebuspublicis accommodatas, cum leges morales ſint fundamenta legum forenſium Moſis.

II. Deus ipſe in Vetere Teſtamento Magiſtratum ad iſtas leges obligavit. Ergo iſtæ leges ſolæ obſervari debent. Conſeq. ratio. Quia ſi omnes controverſæ cauſæ decidi ex his legibus potuerunt olim; tum alio quoque tempore id fieri debet, niſi ratio diverſitatis detur. *Inſtant*: Deteriora jam ſunt tempora, nec iſtæ leges omnibus controverſiis dirimendis ſufficiunt. *Reſp.* Imo vero & tunc peſſima fuerunt tempora, quæ noſtris in malitia non cedunt; hinc pœnæ extraordinariæ, quales fuerunt diluvii, inflictæ.

III. Si leges iſtæ non ſufficiunt regendis omnibus rebuspublicis, & decidendis omnibus controverſiis politicis; tum Scriptura S. non eſt perfecta quoad præcepta morum. Sed falſum poſterius. Ergo & prius. Ratio conſeq. Quia Scriptura ita dicitur perfecta, ut omnibus ſtatibus præcepta det, præſentibus ſc. & futuris, quomodo ſe quiſque in ſuo ſtatu, quovis tempore, gerere debeat. *Inſt.* Si ita res habeat, Ergo Scriptura præſcribit lanionibus, ſutoribus, &c. mores: quod abſurdum. *Reſp.* Præſcribit certe, etſi non quoad mores ipſorum, tamen quoad vitam piam, *Luc.* 3. 10, 11, 12.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Inſurgunt Iuriſconſulti & Lutherani.

I. Lex forenſis abrogata eſt; Ergo jam ſecundum eam controverſiæ determinari non poſſunt. *Reſp.* Lex forenſis vel *communis* eſt, vel *ſpecialis*. Lex forenſis abrogata eſt, non *communis*, ſed *ſpecialis*, quæ ex certa circumſtantia & ſtatu peculiari populi Iſraëlitici ortum habebat; qualis erat lex *de anno Iubilæo*, de *ſuperinducenda fratris uxore*. *Inſtant*: Imo vero nullæ manent, præpter legem moralem, quæ ſolâ lata eſt in perpetuum, quæ etiam propterea ſola in N. T. citatur. *Reſp.* Non tantum. vide *Matth.* 15. *verſ.* 4. 2. Si conſcientia & lex naturalis ex parte oſtendit legum iſtarum æquitatem; tum ſequitur, eas non eſſe abrogatas. Atqui oſtendit. Ergo. Ratio conſequentiæ, quia lex naturæ eſt perpetua. Minor. Quia ut homicidium, ita adulterium, apud pleraſque gentes & nationes cultiores, morte punitur. *Inſtant*: Imo vel exinde apparet eſſe abrogatas. Nam ſi res ita haberet, tum omnes in legibus naturæ convenirent. At non conveniunt. Quia multis in locis adulteria capite non plectuntur, alibi fures ſuſpenduntur, quod eſt contra leges forenſes divinitus latas. (Non enim hic moramur ineptam illam *Brochmanni* Haffnienſis Profeſſ. ratiocinationem, *Stipendium peccati eſt mors*: Ergo fures ſunt ſuſpendendi.) *Reſp.* Vt imago Dei in homine lapſo tantum quoad reliquias relicta, ita & lex naturæ; adeo ut non mirum ſit, hos vel illos homines, abſque verbo Dei, in legum naturalium ad particulares hominum actiones applicatione, non uſquequaque convenire.

QUÆSTIO hinc oritur II.

An Magiſtratus Chriſtianus debeat ſupplicio afficere ſontes?

Affirmant Noſtri. *Negant* Sociniani & Anabaptiſtæ.

Pro affirmante ſententia argum. I. Si Chriſtus in N. Teſt. ſancit leges forenſes Moſis circa capitalia, tum certe Magiſtratus debet ſupplicio afficere facinoroſos. Verum prius. Ergo & poſterius. Conſequentiæ ratio. Quia ſancit leges iſtas: ergo, ut ibi licebat, ita & hic. Minor. *Matth.* 15, 4. *Reſpondent*: Vnius tantum legis fit mentio, non omnium. *Reſp.* Si leges iſtæ eſſent abrogatæ in univerſum, quomodo aliqua extare poſſet? hoc enim eſſet imponere hominibus. Si vero aliqua citata eſt, quomodo reliquæ non obtinent ſuum vigorem, & quomodo non futuræ ſunt (ut Scholæ loquuntur) in viridi obſervantia & vigore?

II. *Rom.* 13. 4. Si Dei miniſter eſt Magiſtratus; E. quoque ſupplicio debet afficere. Verum prius: Ergo. Conſeq. ratio. Quia miniſter agit ex voluntate Dei, adeoque Dei ut ſuperioris eſt inſtrumentum. *Reſpondent*: Multi ſunt miniſtri, qui tamen non recte faciunt: ſic Diabolus eſt miniſter Dei, 1 *Reg.* 22. 21, 23. Sic Rex Aſſyriæ virga iræ Domini, *Eſai.* 10. 5, 6. & tamen non faciebant juſtum. *Reſp.* Diſpar ratio. Nulli enim illorum divinitus injunctum fuit hoc officium, quemadmodum Magiſtratui. 2. Dato, non conceſſo, nondum ſequitur. Quia illi non gloriam Dei ab *ignominia* vindicare; ſed propriam, tum malitiam, tum ſuperbiam, oſtendere, ſtuduerunt.

III. *Apoc.* 13. *verſ.* 10. ex voce *Oportet* ita argumentamur: *Oportet*, aut ſignificat *eventum*, aut *officium*. Officium, ut 1 *Tim.* 3. 2. Eventum, ut 1 *Cor.* 11. 19: *Oportet hæreſes eſſe*. Sed hic non ſignificat eventum: quia non minus homicida interficitur, quam alterius facinoris reus homo. Ergo vi conſequentiæ, Magiſtratus peccatores capitales ſupplicio afficere debet. *Reſpondent*: Quin imo ſignificat eventum. Nam David, homicida & adulter, non fuit ſupplicio affectus. *Reſp.* Princeps non quoad *coërcitionem*, ſed quoad *directionem* tantum, legibus eſt ſubjectus.

Obj. I. Vetus T. eſt abrogatum; Ergo & id quod fuit in eo. Minor, *Heb.* 8. 9, 10. *Reſp.* Abrogatum eſt V. Teſt. quoad *rigoroſam legis impletionem*, & *non impletæ legis execrationem*; non vero quoad *gratitudinis* Deo præſtandæ *obligationem*. 2. Abrogatum eſt quoad *ceremonias*, non quoad *legem* & *Evangelium*, quia Paulus doctrinam ſuam, imo omne Dei conſilium, *Act.* 20. 27, ex Moſe & Prophetis, *Act.* 26. 22, hauſerat. *Inſtant*: Novum T. eſt perfectius, 1 *Cor.* 13. 10. Ergo Vetus abrogatum eſt. *Reſp.* Imperfectius eſt, non quoad *ſubſtantiam*; ſed, 1, quoad *modum objecti*, continebat

enim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

enim doctrinam de Chriſto, non *exhibito*, ſed *exhibendo*. 2, quoad *accidens*, quia obſcurius fuit.

Obj. II. Chriſtus neminem condemnavit ad ſupplicium; Ergo Magiſtratus quoque non poteſt jure afficere ſupplicio facinoroſos. Ratio conſequent. Quia, *Omnis Chriſti actio, eſt noſtra inſtitutio.* Reſp. *Omnis Chriſti actio, eſt noſtra inſtitutio*, non qua ſc. *Mediator* eſt Chriſtus, ſed qua *ſanctæ integerrimæque vitæ homo* eſt. 2. Ad Minorem. Chriſtus non fuit judex Politicus, *Luc.* 12. 14. *Inſtant*: Chriſtus erat Rex, quomodo non judex? Nam regem ſupremum, judicem eſſe oportet. *Reſp.* Ita quidem, ſed regnum ejus non fuit de hoc mundo, *Ioan.* 18.36.

Obj. III. Non licet vindictam petere, *Matth.* 5. 38, 39. Omne autem ſupplicium capitale, eſt vindicta. *Reſp.* Non licet ſcilicet *privatam*, ſed licet *publicam*, Rom. 13. 4. *Inſtant*: Nec publicam licet, 1 *Cor.* 6. 1, 2. *Reſp.* Non ſequitur. Quia non ſimpliciter improbat Apoſtolus omne judicium; ſed non vult, Chriſtianos temere & levi de cauſa altercari coram Magiſtratu Ethnico. Hunc eſſe citati loci ſenſum, liquet ipſius Pauli exemplo, qui ad Cæſarem appellavit, *Act.* 25. 10, 11.

QUÆSTIO III.

Quæritur, An Deus ſit cauſa Decalogi?

Reſp. Affirm. *Exod.* 20. 1.

Obj. I. Ille eſt auctor, à quo accepit Moſes. *Excip.* Moſes non accepit à Deo. *Reſp.* Accepit à Deo *principaliter*, & ſic ab Angelo *minus principaliter*. *Inſt.* Ex cujus ore accepit eloquium Moſes, ab illo *immediate & principaliter*: At ex ore Angeli. *Reſp.* Major falſa. Quia immediate à Prophetis accipimus Verbum Dei, & tamen non ſunt auctores ejuſdem. *Inſt.* Qui eloquutus Moſi in monte Sinaï, ille eſt principalis cauſa: At Angelus. Ergo, *Act.* 7. 38. *Reſp.* Major ob eamdem rationem laborat.

Obj. II. Si Deus eſt auctor legis; Ergo immutabilis. Sed non eſt immutabilis: Ergo. *Reſp.* Eſſet immutabilis, ſi Deo ita placuiſſet. *Inſt.* Si omne judicium Dei, eſt in ſeculum; Ergo etiam lex, *Pſal.* 119. 52. *Reſp.* עולם non ſemper ſignificat perpetuitatem & æternitatem. *Inſt.* *Matth.* 5. 18. *Reſp.* Vel ratione noſtri, vel ratione Chriſti, non agitur de complemento legis, ſed hoc de Chriſto dicitur.

Obj. III. Si Deus eſt auctor legis; Ergo ad omnes pertinet. *Reſp.* Major falſa. Nam quædam ſunt *generalia*, quædam *ſpecialia* præcepta. *Inſt.* Ergo ad illos tantum pertinet, quos eduxit ex Ægypto. *Reſp.* Neg. Nam quæ antea ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam & conſolationem ſunt, *Rom.* 15. 4. item 2 *Tim.* 3. 16: *Tota Scriptura divinitus inſpirata*, &c.

QUÆSTIO IV.

An Decalogus poſſit dici Lex Moralis?

Reſp. Affirm. Quia verum ſanctitatis morem & vivendi normam monſtrat.

Obj. Quod non perfecte tractat de moribus, illud non poteſt dici lex moralis. Atqui Decalogus non perfecte tractat de moribus. Ergo non poteſt dici lex moralis. *Reſp.* Neg. Minor. *Inſt.* Si Decalogus perfecte tractat de moribus; Ergo Chriſtus leges non auxiſſet. Falſum poſterius: Ergo & prius. Minor, *Matth.* 5. *Reſp.* Negatur Minor. Nam Chriſtus non *auxit*: ſed illas leges à corruptelis Phariſæorum *vindicavit*. *Inſt*: Si plura docuit, Ergo non tantum vindicavit, ſed auxit. Atqui plura docuit: Ergo. *Reſp.* Neg. Minor. *Inſt.* Probo autem ſic: Si nuſquam in lege Moſis habeatur, *Qui concupiſcit uxorem, adulteratus eſt eam*, & habetur à Chriſto propoſitum; tum plura docuit. Verum prius. Ergo & poſter. *Reſp.* Imo qui prohibet defectus, prohibet etiam cauſas. *Inſt.* Si ita ſe res haberet, Ergo etiam, cum Deus prohibet homicidium, etiam prohibet iram: Sed non prohibet iram, quia quædam ira eſt licita. *Reſp.* Eſt quidem ſic, non prohibet iram *legitimam*, prohibet tamen *illegitimam*.

QUÆSTIO V.

An Lex Moſis ſit perfecta?

Reſp. Affirm. *Pſal.* 19.

Obj. I. Si Deus jubet, quæ antea non juſſit; Ergo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Ergo non eſt perfecta. Quia, cui aliquid addi aut detrahi poteſt, non eſt perfectum. Probo: Si Deus juſſit ex Ægypto egredi, & antea non juſſerat; Ergo. *Reſp.* Conſeq. nulla. Quia iſta materialiter non pertinent ad Legem. *Inſt.* Si in ſtatu integritatis juſſerat quædam, quæ jam non juſſit; Ergo non eſt perfecta. quia ibi de arbore vitæ, ſcientiæ boni & mali, præcepit. *Reſp.* Iſtæ fuerunt leges *poſitivæ*, non *naturales*. *Inſt.* Si iſtæ leges poſitivæ fuerunt; Ergo Adam commiſit in leges poſitivas, non naturales. Sed hoc abſurdum. Probo *Deut.* 27. 26: Si maledictio incumbebat homini; tum commiſit in legem moralem. *Reſp.* Obligatur ad poſitivam, vi moralis. Nam *materialiter* in moralem, *formaliter* in poſitivam peccavit. *Inſt.* At datur lex fidei contradiſtincta operum: Ergo. *Rom.* 3. 27. *Reſp.* *Alluſive* hoc dici, non *proprie*; quia volebant aliqui per legem operum juſtificari.

Obj. II. Si Chriſtus eſt perfectior Moſe; Ergo etiam perfectiorem legem tradidit. *Reſp.* Præſupponitur hypotheſis falſa, ac ſi Moſes Legis auctor fuiſſet, & non Deus.

Obj. III. Si Deus ſit nov. fœdus traditurus. Ergo novam legem. Sed *Ier.* 31. 31. Ergo. *Reſp.* Conſeq. nulla. Nam fœdus non eſt lex. 2. Novum ratione *modi claritatis*, non ratione *objecti*: Deinde dicitur novum, non quod antea non fuerit, ſed quod non tam clarum. *Inſt.* Si antea fuerat præceptum; Ergo non opus erat novo. *Reſp.* Dicitur novum non *præceptione*, ſed *reparatione & executione*.

QUÆSTIO VI.

An Lex Moſis Moralis fuerit abrogata?

Reſp. Neg. Quia Chriſtus eam, *Matth.* 5. non *abrogavit*, ſed *correxit*.

Obj. I. *Ier.* 31. 31, *& ſequent.* Si tempus conſtitutum, quo lex Moſis fuerit abroganda & nova conſtituenda; Ergo lex Moſaïca penitus abrogata. *Reſp.* Locus iſte intelligendus eſt de Evangelio, quod in Scriptura frequenter appellatur Lex Nova, diciturque conſtituendum, hoc eſt, clarius manifeſtandum.

Obj. II. Si Sacerdotium abrogatum. Ergo Lex ipſa. Sed &c. Ergo. *Pſal.* 110. *Heb.* 7. *Reſp.* Sacerdotium ad legem ceremonialem pertinebat. At nos de morali agimus.

Obj. III. Partes Legis ſunt abrogatæ. Ergo Lex ipſa. De Ceremoniis patet, quia Sacerdotium eſt abrogatum: de Iudiciali, quia tantum pertinebat ad remp. Iudaïcam. De Morali probatur hoc pacto: Si jam alia eſt juſtificationis via, quam fuit ſub Lege; Ergo lex moralis eſt abrogata. Minor prob. 2 *Cor.* 3. *verſ.* 6, 7, 8, 9. *Reſp.* *Act.* 15. 11.

QUÆSTIO VII.

An Legem Moralem ſervare poſſimus?

Reſp. Neg. Quia non eſt homo, qui non peccet. 1 *Reg.* 8.

Obj. I. Qui poſſunt Deum diligere, illi poſſunt Legem ſervare. *Reſp.* Qui ex præſcripto Legis poſſunt Deum perfecte diligere. *Inſt.* Si perfecte Legem Dei ſervare poterunt; Ergo ex præſcripto Legis, *Pſal.* 119, 10. *Reſp.* Perfectum hic opponitur *hypocritico*, non *imperfecto*. *Inſt.* *ex verſ.* 102, *ejuſdem Pſalmi*: *A judiciis tuis non recedo.* *Reſp.* Eo modo dicitur non recedere, quo modo non peccare, ſc. pro modulo & gradu regenerationis.

Obj. II. Si Lex non poteſt perfecte impleri; Ergo juſtificatio in nobis non impletur, *Rom.* 8. 4. *Reſp.* Iuſtitia impletur quoad *effectum*, non quoad *cauſam*; ſive quoad *commodum noſtrum*, non quoad *efficientiam*.

Obj. III. Opera ſunt perfecte conformia Legi; Ergo poſſumus implere. Probo: Opera Sp. Sancti ſunt perfectiſſima: Ergo. *Reſp.* Perfecta ſunt, quoad *cauſam efficientem*, etiamſi non ſint perfecta quoad *gradum*. Eum enim Spiritus Sanctus operatur pro lubitu ſuo, 2 *Cor.* 12. 19.

QUÆSTIO VIII.

An omne quod præcipit Lex, ſit bonum?

Reſp. Affirm. Quia Deus, cum bonus ſit, non niſi bonum præcipere poteſt.

Obj. I. Si Deus præcipiat maledictionem, ergo quod præcipit, non eſt bonum. Sed. Ergo. Minor, 2 *Sam.* 16, *verſ.* 10. *Reſp.* Præceptum illud

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

illud per ſe non erat malum, ſed ex accidenti, *Rom.* 7.12, 13. *Inſt.* Qui præcipit, non excuſatur ab omni peccato. *Reſp.* Præceptum ſumitur, vel pro efficaciſſima motione Dei, ubi dicit & monet; vel pro ipſo præcepto: priori modo hic ſumitur. *Inſt.* 1 *Reg.*22. *verſ.*22: Si Deus præcipit Diabolo, ut decipiat; Ergo non fuit bonum; Ergo non omne bonum eſt quod præcipit. *Reſp. Fac*, notat præceptum, vel permiſſionem, non *phyſicam*, ſed *ethicam. Num.* 22, Bileam vult proficiſci ut maledicat; dicit ei Iehova, *ito* &c. *Inſt.* Actio cauſæ inſtrumentalis reſolvitur in principalem; Ergo Diaboli actio cum mala ſit, etiam Dei mala. *Reſp.* Si eodem fine agat inſtrumentalis, quo principalis: nec Diabolus eſt cauſa *efficiens*, ſed *deficiens. Inſt.* Deus hoc agit, ut ſeducat & Diabolus; Ergo idem finis. Minor prob. *Ier.* 20. 7. *Reſp.* Deus permittendo ſeducit, Satanas autem reipſa ſeducit. 2. In ſeductione duo ſunt: *motus*, cujus cauſa eſt Deus; & ἀταξία, cujus cauſa eſt Diabolus.

Obj. II. *Ezech.* 20. 25. Si dederit præcepta non bona; Ergo non omne quod præcipit, eſt bonum. *Reſp.* Non bonum eſt aliquid, vel *natura ſua*, vel *ex accidenti*; poſteriori modo hic capitur, quia datur tali, in cujus nocumentum cedit; ſic Paulus, *Rom.* 7.12. 17. *Inſt.* Si expreſſe jubet quæ injuſta ſunt, Ergo præcepta per ſe non ſunt bona. Min. Si Deus mandat auferre vaſa Ægyptiorum, Ergo præcipit injuſta. *Reſp.* Neg. Conſequent. quia Deus non vult res, quia juſtæ ſunt; ſed res juſtæ ſunt, quia Deus vult. Hinc Canon: *Nihil eſt ad voluntatem Dei antecedenter bonum. Inſt.* Si omne quod præcipit, bonum; Ergo qui exſequitur mandatum, non poteſt puniri. *Reſp.* Spirit. S. cum voce, *facito*, non ſemper notat præceptum, ſed maledictionem cum exprobratione conjunctam, ut *Apoc.* 22. *verſ.* 11.

QUÆSTIO IX.

An omne quod Lex prohibet, ſit malum?

Reſp. Affirm. Inductione omnium, quæ prohibita ſunt, probari poteſt.

Obj. Si quædam Deus facit, quæ prohibet, Ergo non omnia mala, quæ prohibet. Sed. Ergo. Minor, *Deut.* 24. 16. *Reſp.* Hypotheſis falſa, acſi Deus iiſdem legibus teneretur, quibus nos; imo, ac ſi legibus teneretur. Nam Lex ſancta eſt, quia Deus & ejus voluntas ſancta eſt. *Inſtant*: At Deus jubet, ut ſimus ſancti, ſicut ipſe ſanctus eſt. *Reſp.* Particula, *ſicut*, non notat *æqualitatem*, ſed *ſimilitudinem*, eamque non *univocam*, ſed *æquivocam*.

QUÆSTIO X.

An Lex irregenitis nota ſit ſalutariter?

Reſp. Neg. *Rom.* 1.28.

Obj. I. Quæ cognitio ducit ad Chriſtum, illa eſt ſalutaris. Atqui Legis cognitio ducit ad Chriſtum. Ergo Legis cognitio eſt ſalutaris. Major certa. Minorem probo. *Reſp.* 1, Agitur ibi de lege *ceremoniali*. 2, Etiamſi ageretur de lege morali, tamen hoc locum haberet in regenitis tantum. *Inſt.* Quod jubet credere in Chriſtum, hoc etiam ducit ad Chriſtum. Atqui lex moralis jubet credere in Chriſtum: Ergo etiam ducit ad Chriſtum. Minor prob. Quod ad credendum obligat, illud etiam jubet credere in Chriſtum. Atqui Lex ad credendum obligat. Ergo. *Reſp.* Iubet quidem Lex credere in Chriſtum, ſed non docet de Chriſto; quia docere de Chriſto, non Legis eſt, ſed Evangelii. *Inſt.* Si à lege morali dependet tota Lex & Prophetæ; Ergo etiam Lex docet de Chriſto. Sed verum prius, *Matth.* 22. 40. Ergo & poſt. Ratio conſeq. quia Prophetæ docent de Chriſto. *Reſpond.* Loci citati ſenſus non eſt, ab hac lege Prophetas auctoritatem habere; ſed Prophetas eam legem ſtabilire. *Inſtant*: Quod docet de fine, illud etiam de mediis. At Lex docet de fine, ſcilicet de ſanctificatione noſtra: Ergo etiam de mediis, Chriſto ſc. & fide. *Reſp.* Lex docet de ſanctificatione *Legali*, non *Evangelica*. *Inſt.* contra ſecundam reſponſionem primi ſyllogiſmi: Qui ſunt juncti Chriſto, illis non opus eſt ductore ad Chriſtum. Atqui regeniti jam juncti ſunt Chriſto. Ergo non opus habent ductore ad Chriſtum. *Reſp.* Sed antequam conjungantur Chriſto, adduci eos oportet ad Chriſtum. 2. Opus eſt ut indies magis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

magiſque uniantur. *Inſt.* contra reſponſionem: Si regeniti perfectè ſunt uniti Chriſto, Ergo non indies magis ac magis uniuntur. Verum prius: Ergo & poſt. *Reſp.* Neg. Minor; quia unio iſta non quoad omnes gradus perfecta eſt. *Inſt.* Si Chriſtus perfectè unitur ipſis, tum & illi viciſſim Chriſto. Verum prius: Ergo & poſterius. Ratio conſeq. hæc eſt: Quia Chriſtus eſt cauſa & fundamentum unionis noſtræ cum ipſo. *Reſp.* Unit quidem Chriſtus, ſed non perfectè in hac vita. *Inſt.* Si Chriſtus ſic ſe nobis unit, ut vitis cum palmitibus; tum perfectè ſe nobis unit. Verum prius: Ergo & poſterius. *Reſp.* Neg. conſeq. ob ſimilitudinem, quæ currit quatuor pedibus. *Inſt.* Si perfectam vitam ſpiritualem in hac terra vivamus, tum perfectè Chriſto unimur in hac terra. Verum prius. Ergo & poſt. Ratio conſequentiæ eſt, quia non ſumus partim vivi, partim mortui: nec iſta medium admittunt. *Reſp.* Minor eſt falſa, ex 1 *Cor.* 13. 9.

Obj. II. Si cognitio iſta efficiat, ut non peccent, aut ſaltem, non ita peccent; tum Lex illis ſalutariter nota erit. Verum prius. Ergo & poſt. Major probatur. Quia à peccatis abſtinere ſalutare eſt. Minor probatur *Rom.* 2. 14, 15. *Reſp.* Faciunt hoc non *virtutis amore*, ſed *formidine pœnæ*. *Inſt.* Si per hoc excuſabuntur in extremo judicio; Ergo hoc non faciunt tantum formidine pœnæ. Quia tum non excuſarentur. Verum prius: Ergo & poſterius. Minor probatur *Matth.* 11. 22, 23, 24. *Reſp.* Efficitur quidem per hoc, ut minus puniantur, ſed non, ut planè pœnis eximantur. *Inſt.* Per quod uſque ad Chriſtum deducuntur quidam, per illud quidam pœnis eximuntur. Atqui per talem cognitionem quidam uſque ad Chriſtum deducuntur. E. per talem cognitionem quidam pœnis eximuntur. Major certa. Minor probatur *Act.* 2. 37. *Reſp.* Agitur ibi de hominibus regenitis. *Inſt.* Agitur ibi de talibus hominibus, quibus injungitur pœnitentia & remiſſio peccatorum. Atqui tales, regeniti non ſunt. Ergo agitur ibi de hominibus irregenitis. *Reſp.* Pœnitentia actus perpetuus eſt, & remiſſio peccatorum perpetua eſt. *Inſt.* Si remiſſio peccatorum eſt actus individuus, Ergo non eſt perpetuus. Prius eſt verum ex ſententia Theol. Ergo & poſterius. *Reſp.* Eſt, ſed ex parte Dei.

QUÆSTIO XI.

An Lex Gentilibus nota ſit ad hoc, ut ſint inexcuſabiles?

Reſp. Affirm. *Rom*, 1. 20. & 2. 14, 15.

Obj. Si Lex Gentibus non eſt perfecte revelata, neque factu poſſibilis; Ergo per illud ſunt excuſabiles. Verum prius; Ergo & poſt. Minor bimembris eſt. Prius probatur *Pſal.* 147. *verſ. ult.* *Reſp.* Si non ſit revelata, nec in ſe, nec in alio; tum inexcuſabiles eſſent: Sed ipſis fuit revelata in Adamo, qui hoc ſibi & poſteris amiſit. *Inſt.* Si quod Adam amiſit, pertineat ad omnes; Ergo etiam quod accepit, rurſum poſt lapſum, pertinebit ad omnes, ſc. reſtitutio in gratiam. Sed falſum poſterius: Ergo & prius. *Reſp.* Eſt plane diverſa iſtorum ratio, quia Dei voluntas fuit, Adami peccatum omnibus poſteris imputare, ſed voluntas ipſius non fuit omnibus fidem donare. *Inſt.* Ad quod vires non habent, illud ipſis eſt impoſſibile. Atqui ad Legem implendam vires non habent. Ergo Lex eſt ipſis impoſſibilis præſtitu. *Reſp.* Impoſſibilis jam quidem eſt Lex, ſed ita, ut fuerit poſſibilis in Adamo. *Inſt.* Ad impoſſibile nemo obligatur. Lex eſt impoſſibilis. Ergo ad Legem nemo obligatur. *Reſp.* Major eſt falſa; quia etiam ad ſimpliciter impoſſibile aliquis à Deo obligatur. *Inſtant:* Si Lex ita eſt impoſſibilis, ut fuerit poſſibilis in Adamo; Ergo illud, quod homines vires non habent ad ſatisfaciendum Legi, erit in ipſis negativè. Atqui quod aliquis vires non habet ad ſatisfaciendum Legi negativè, illud non eſt peccatum. Conſequentia certa. Quia in quo non fuit habitus, in illum privatio non cadit. *Reſp.* At fuit in Adamo habitus, non quidem crebris actionibus *acquiſitus*, ſed *infuſus*. Ergo quod jam non poſſimus ſatisfacere Legi, *privativum* eſt, non *negativum*, ac proinde peccatum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

CAPVT III.

De Evangelio.

QUÆSTIO I.

An Evangelium repugnet Legi?

RESP. Diſtinguendo: Lex quatenus *fœdus eſt*, & ab hominibus ſtipulatur, *Hoc fac & vives*; repugnat omnino: & hoc ſenſu miniſterium mortis dicitur, 2 *Cor.* 3. 7. quatenus vero *regula* eſt *vivendi*, Evangelio (quod Spiritus eſt) ſubordinatur.

Obj. quoad primum diſtinctionis membrum: Imo vero, quia Lex eſt miniſterium condemnationis; ducit ad Chriſtum, ac proinde Evangelio, qua tali, non repugnat. Nam ubi miſer peccator videt, ſe ex Lege non poſſe juſtificari, ad Chriſtum confugit. *Reſp.* Si ſcilicet Deus illi dederit oculos ad videndum, aures ad audiendum, cor ad intelligendum; alioqui ille nihil cogitabit de Chriſto vel Evangelio: utrumque enim ipſi eſt ſtultitia, 1 *Cor.* 2. 14.

Probatur, Legem, priori modo acceptam, pugnare cum Evangelio.

I. Si Lex data eſt, ut omne os obturetur, & totus mundus obnoxius fiat peccato; contra, Evangelium datum eſt, ut peccatores invitentur ad pœnitentiam & fiduciam in Chriſto; tum Lex & Evangelium pugnant. Verum prius. Ergo & poſterius. Conſequentia certa. Quia effecta contraria contrarietatem cauſarum inducunt. Minor, *Rom.* 3. 19. *Matth.* 11. 28, 29. *Excip.* Si ratione contrariorum effectuum Lex & Evangelium pugnant; tum ſequitur, miſericordiam & juſtitiam in Deo pugnare. Quia juſtitiæ & miſericordiæ Dei contrarii ſunt effectus. Sed hoc falſum eſt. Ergo & illud. *Reſp.* Diſpar eſt ratio. Quia Deus juſtitiam & miſericordiam exercens unus eſt eſſentia; ſed Lex & Evangelium non item.

II. Ex Lege non juſtificamur, ex Evangelio vero juſtificamur; pugnant ergo. *Rom.* 4.

Obj. I. Si Lex non natura, ſed tantum ex accidenti non juſtificat; tum ſequitur, Legem & Evangelium non pugnare. Verum prius: Ergo & poſterius. Conſeq. ratio. Quia, quæ per accidens accidunt rei, ea non debent ipſi imputari; ſunt enim extra eſſentiam. Minor. Propter peccata accidit hoc Legi, quod non juſtificet. *Reſp.* Per accidens eſt Legi non juſtificare, ratione *promiſſionis*, non ratione *comminationis*.

Obj. II. Lex & Evangelium habent eamdem cauſam efficientem; Ergo non pugnant. *Reſp.* Poteſt una cauſa diverſorum & oppoſitorum eſſe; verbi gratia, Deus eſt cauſa promiſſionum & minarum: minæ tamen & promiſſiones ſunt oppoſitæ. *Inſtant:* Cauſæ bonæ effecta quoque ſunt non niſi bona. Deus eſt cauſa Legis & Evangelii. Ergo Lex & Evangelium ſunt non niſi bona. *Reſp.* Lex eſt bona, per ſe; ratione tranſgredientium eſt mala per accidens.

Obj. III. Si Lex pugnet cum Evangelio, tum oportet vel Legem eſſe malam, vel Evangelium eſſe malum. At utrumvis dicas, eſt abſurdum. *Reſp.* Lex mala eſt *moraliter* non *phyſice*, ſicut Judex malus, pœna mala. *Inſtant:* Lex eſt cauſa peccati; Ergo eſt mala moraliter. *Rom.* 7. *Reſp.* Facit hoc Lex non *per ſe*, ſed *ex accidenti*. Perinde ſe enim habet Lex ad peccatorem, quemadmodum aqua ad calcem vivam, cui ſi illam affundas, ardet: Ita etiam, ſi Lege prohibeatur improbus, eo magis fervet & inclinat ad peccandum.

QUÆSTIO II.

An dentur opera Evangelii, quæ Legis non ſunt?

Negat. contra Socinianos. I. Si Lex nulla eſt, ad quam bona opera fiant, quam lex moralis; Ergo nulla dantur opera Evangelii contradiſtincta operibus Legis. Si enim diverſa ſunt opera, diverſas oportet eſſe leges. *Excip.* Imo datur lex Evangelica, quæ *Rom.* 8. 27, vocatur *lex fidei*. *Reſp.* Alluſive id fit & improprie, quemadmodum & *Ioan.* 6, fides vocatur opus; alioqui fides ſemper abſolute operibus opponitur, *Rom.* 4. 2, 3, 4, 5.

II. Si dantur opera Evangelii contradiſtincta operibus Legis; Ergo definitio peccati per *tranſgreſſionem Legis*, 1 *Ioan.* 3, non eſt ſufficiens. Si enim dantur opera Evangelii, tum peccatum non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

tantum erit tranſgreſſio Legis, ſed etiam Evangelii. *Inſtant*: Qui non auſcultat Evangelio, peccat: Ergo quoddam peccatum eſt Evangelii tranſgreſſio. *Reſp.* Minimè. Quia is qui Evang. non credit, non peccat in legem aliquam Evangelii, ſed tranſgreditur illud Legis, *Diliges Dominum Deum tuum*, &c. *Becanus* ita reſpondet: Ad quæ nos Lex obligat, ſunt vel ea, ad quæ nos obligat & quæ docet ſimul; quædam ſunt ad quæ nos obligat tantum, & non docet. Poſterioris generis eſt doctrina Evangelii, quam quidem Lex non docet, ſed obligat nos ad hoc, ut jubenti Deo credere Evangelio, credendo pareamus.

Obj. I. *Marc.* 1. 3. *Parate viam Domini.* Si ergo in Evangelio reperiuntur præcepta; Ergo dantur opera Evangelii, operibus Legis contradiſtincta. Ubi enim præceptum, ibi lex, ibi opus. *Reſp.* Duo hic ſunt: doctrina, & obligatio ad doctrinam: prius eſt Evangelii, poſterius Legis. *Inſt.* Si omnis doctrina habet ſua præcepta: Ergo & doctrina Evangelii. *Reſp.* Omnis doctrina habet præcepta *informationis*, ſed non *obligationis*, quod ſolius Legis eſt.

Obj. II. Dantur bona opera, quæ à Lege non præcipiuntur; Ergo dantur opera contradiſtincta operibus Legis; & hæc ſunt nonniſi Evang. Quia omne verbum Dei, eſt Lex tantum, & Evangelium. Minor: Quia Lex nihil docet de pœnitentia, converſione, fide in Chriſtum, ſacramentis, &c. *Reſp.* Doctrina de his eſt Evangelii, ſed obligatio ad hæc præſtanda, Legis eſt. *Inſt.* Ergo non minus dantur opera Evangelii, quam Legis. *Reſp. Materialiter* quidem pendere ab Evangelio, ſed *formaliter* à Lege. Quia niſi interveniat Lex, nullum eſt bonum opus, nullum peccatum.

Obj. III. Quædam opera non tantum ad Legem, ſed etiam ad fidem exiguntur; Ergo ſunt quædam opera Evangelii. Antecedens probatur *Rom.* 14. 23. *quod enim non eſt ex fide, peccatum eſt.* *Reſp.* Exiguntur quidem, ſed *efficienter*, non *moraliter*. Quia fides efficiens eſt operum. Lex vero norma eorumdem. *Inſt.* Judicabuntur homines, non tantum ex Lege, ſed & ex Evangelio: Ergo fides quoque poteſt eſſe cauſa normalis bonorum operum. *Reſp.* Judicabuntur ex Evangelio tantum quoad *doctrinam*, non quoad *peccatum*. Nam hoc Legis eſt. Πρῶτον ψεῦδος horum omnium eſt, quod adverſarii dicant, fidem nobis proprie imputari, qua opus eſt. Nos dicimus, nos ex operibus non juſtificari, & ita fidem non imputari nobis proprie. Dicunt illi: Ex operibus Legis non juſtificamur, ſed ex operibus Evangelii. Verum, cum nulla ſint opera Evangelii, ut liquet ex dictis, fruſtra fingitur juſtificatio ex operibus Evangelii.

QUÆSTIO III.

An Evangelio locus fuerit in V. Teſtamento?

Affirm. I. Quia doctrina de juſtificatione, in V. T. fuit propoſita. Ergo fuit locus Evangelio. Quia doctrina de juſtificatione ex fide, eſt proprium objectum Evangelii, *Rom.* 10. *Excip.* Nihil tale fuiſſe. Quia Deus, *Ier.* 31. 34, agens de N. T. promittit hoc, tanquam peculiare beneficium, quod ſc. in N. T. remiſſurus ſit peccata. Ergo antea non remittebantur. *Reſp.* Dicitur aliquid fieri in Scriptura, non quod tunc fiat, vel incipiat demum fieri; ſed quod innoteſcat, ac manifeſtetur clarius, *Prov.* 17. 17. *Pſal.* 32. 2.

II. Doctrina de regeneratione fuit in V. T. Ergo & doctrina Evangelii. Major, *Deut.* 30. *verſ.* 6, 7. Minor, Regeneratio eſt nova creatio, *Eph.* 2. 10. *Inſt.* Chriſtus non fuit in V. Teſtam. Ergo nec nova creatio ſive regeneratio. Quia ea nonniſi in Chriſto facta. *Reſp.* Falſum. *Priuſquam Abraham fieret, Ego ſum. Ioan.* 8.

III. Vita æterna nota fuit; Ergo & doctrina Evangelii. Antecedens, *Dan.* 12. 2. *Excip.* Falſum hoc eſſe. Quia per Chriſtum demum eſt manifeſtata, 2 *Tim.* 1. 9, 10. *Reſp.* Non ſequitur. Quia dicitur aliquando fieri aliquid, quod antea quoque fuit, jam vero majori claritate manifeſtatur.

Obj. I. *Ioan.* 1. 17. *Lex per Moſen data eſt; gratia & veritas per Chriſtum.* *Reſp.* Agitur illic de *lege ceremoniali*, & opponuntur iſta Chriſto, tanquam typus antitypo. *Inſt. Gal.* 3. 23. Utut de lege ceremoniali loquatur, tamen, quia non fuit fides, nec doctrina Evangelii fuit. *Reſp.* Fides hic metonymice ſumitur pro Chriſto, tanquam objecto proprio, qui modus loquendi in epiſtola ad Romanos frequens eſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Obj. II. *Matth.* 22.37,38,39,40. Ergo in V. T. nullus locus Evangelio fuit. Ratio conſeq. Quia dicitur, totam Legem & Prophetas ab iſtis pendere; quod nihil eſt aliud, quam Legem & Prophetas nihil aliud docere. *Reſp.* Pendent quidem ab his, ſed etiam ab Evangelio, *Act.* 10. 43. *Inſtant:* In V. T. prophetabantur tantum de futura gratia, 1 *Pet.* 1. 10. Ergo doctrina Evangelii nondum fuit. Quod enim futurum erat, nondum erat. *Reſp.* Gratia ſumitur, vel quoad doctrinam de Chriſto *exhibendo*, & hæc fuit; vel de *exhibito*, & hæc non fuit, ſed demum in N. T. data eſt.

Obj. III. Fuit tantum promiſſum Evangelium in V.T. Ergo nondum erat, *Rom.* 1. 2. *Reſp.* Evangelium quoque vel de Chriſto exhibendo, vel de exhibito capitur; priori modo, non poſteriori erat. *Inſt.* Fuit tacitum, *Rom.* 16.25. Ergo. *Reſp.* Tacitum fuit, non *abſolutè*, ſed *comparatè* ad tempora N.T. ubi clarius promulgatur, *Luc.* 24. 27. 2. Tacitum fuit, non *ratione Eccleſiæ Iudaicæ*, ſed ratione *Eccleſiarum particularium inter Gentes*, *Eph.* 3. *v.* 8, 9, 10.

QUÆSTIO IV.

An reprobi vocentur eo fine, ut reſipiſcant?

Reſp. Neg. Quia ſi eo fine vocarentur, ut reſipiſcerent, & tamen non reſipiſcerent; Deus fine ſuo fruſtraretur: quod abſurdum; Deus enim quicquid vult, facit, *Pſal.* 115.

Obj. I. Chriſtus omnibus mandat, ut reſipiſcant, *Act.* 17. 30. Ergo. *Reſp.* 1. Mandat hoc, ſed non quod velit. 2. Omnes ubique, & in toto orbe, ſunt æquipollentia. *Inſt.* Teſtimonium & res teſtata debent convenire. *Reſp.* Teſtatur, quod mandat, non quod velit. *Inſt.* Illud quod mandat, aut conſentit cum voluntate Dei, aut non: Si conſentit; Ergo valet: Si non; Ergo contrariæ voluntates in Deo. *Reſp.* Neutrum ſequitur; nam partim vult, partim non vult: & mandatum non eſt voluntas. *Inſtant: Matth.* 23. 33. Si Deus voluit congregare filios; Ergo voluit ut ſalvi fierent. *Reſp.* Loquitur de liberis, de quibus *Ioan.* 11. 52, quos congregavit, ſed Jeruſalem, hoc eſt, Phariſæis nolentibus. Aliud eſt *Hieruſalem*, aliud *liberi ejus*: Hieruſalem ſunt Levitæ, Scribæ, Phariſæi, qui maximè obſiſtebant, ne liberi, id eſt, plebs adduceretur ad Chriſtum. *Inſt.* Flevit ſuper Hieruſalem. Ergo etiam voluit eos eo fine vocare, ut reſipiſcerent. *Reſp.* Flevit quatenus homo; neq; poſſumus non dolere propter miſeriam alicujus. 2. Poteſt quis dolere ſuper hoc, quia non placet; interim tamen non quod non velit: ſic flevit ſuper mortem Lazari, non quod non voluerit eam, ſed quod adverſa erat ejus naturæ. *Inſtant:* Chriſtus oſtendit ſe velle, *Ioan.* 5. 34. *Reſp. Dico*, nihil ſignificat, niſi, jubeo, mando; non quod velit. Nam mandata oſtendunt non quid poſſimus, ſed quid debeamus.

QUÆSTIO V.

An Evangelium aliquibus ſit occultum?

Reſp. Affirm. 2 *Cor.* 4. 3, 4.

Obj. Quod repugnat doctrinæ Apoſtolicæ, id falſum eſt. Evangelium aliquibus occultum eſſe, repugnat Doctrinæ Apoſtolicæ. Ergo. Major certa. Minor probatur *Matth.* 28. *v.* 19, 20. *Reſp.* ad locum iſtum, 1. Iubentur quidem omnes gentes doceri, ſed non ſimul & ſemel. 2. Non ſequitur, eos, qui docentur externe, etiam interne doceri. *Inſt.* contra primam reſponſionem: Si juſſit Chriſtus Diſcipulos proficiſci in univerſum mundum; Ergo etiam juſſit, illos ſimul & ſemel omnes docere. Verum prius: Ergo & poſt. Ratio conſeq. hæc eſt; quia non juberet proficiſci in univerſum orbem, niſi ut ſimul & ſemel in illo docerent. *Reſp.* Juſſit, illos quidem proficiſci in orbem univerſum, ſed tamen omnes noluit ſimul & ſemel doceri; ut experientia teſtatur, cum multa ſint regna, quæ ne verbum quidem de Chriſto audiverunt. *Inſt.* Quod repugnat vocationi Gentium, id eſt falſum: Atqui hæc reſponſio repugnat vocationi Gentium; E. hæc reſponſio eſt falſa. *Reſp.* Neg. Min. Probat. *Eph.* 2.11,12,13. ex quibus verſibus tale formatur argumentum: Si de omnibus Gentibus dicitur, quod ſint propinquæ factæ per ſanguinem Chriſti; tum omnes Gentes ſunt vocatæ. Verum prius. Ergo & poſterius. *Reſp.* Neg conſequentia. *Inſt.* ex *Rom.* 1. 8. ſic: Si fides Romanorum annuntiatur in toto mundo, tum omnes Gentes ſunt vocatæ. Verum prius. E. & poſt. *Reſp.* In toto mundo, ſc. Chriſtiano. *Inſt.* contra ſecundam reſponſionem

tionem ſic: (quæ fuit, *Deum aliquos externe docere, quos non docet interne*:) Quicumque vocat aliquos externe, quos non vocat interne, ille eſt hypocrita. Sed Deus non eſt hypocrita. Ergo falſum, Deum aliquos vocare externe, quos non vocat interne. *Reſp*. Neg. Major. Probatur hac *Inſt*. Qui præ ſe fert aliquid externe, quod non vult interne, ille eſt eo reſpectu hypocrita. Atqui qui vocat aliquos externe, quos non vocat interne, ille præ ſe fert &c. Ergo qui vocat aliquos externe, quos non vocat interne, ille eſt hypocrita. *Reſponſ*. Qui præ ſe fert aliquid externe, quod noluit primum in Adamo interne, is eſt hypocrita; & ſic cadit Minor. Nam Deus dederat primum omnibus virtutem accedendi ad Deum, ſed poſtea per lapſum Adami, in cujus lumbis cuncti erant, illa dignitate privati ſunt.

QUÆSTIO VI.

Anne Doctrina Evangelii natura nota ſit?

Reſp. Neg. 2 *Cor*. 4. 3.

Obj. I. Si Gentes norunt Deum miſericordem; Ergo norunt doctrinam Evangelii: Sed norunt Deum miſericordem; Ergo norunt doctrinam Evangelii. *Reſp*. Norunt quidem Deum miſericordem, ſed non in Chriſto. *Inſtant*: Si ita Deum noverint miſericordem, ut eum invocent; Ergo noverunt in Chriſto. Sed ita Deum noverunt: Ergo noverunt in Chriſto. Conſequentia manifeſta eſt: Minor probatur ex precibus & ſacrificiis ab ipſis quotidie inſtitutis. *Reſp*. Preces, quas fuderunt, non fudiſſe ex fide: quicquid vero non eſt ex fide, peccatum eſt, *Rom*. 13. 23. Nam ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, *Heb*. 11. 6. *Inſt*. Si ſine fide impoſſibile eſt placere Deo; Ergo nec mundus, nec omnia irrationalia, quæ in illo continentur, placebunt Deo. Sed falſum poſterius. Nam ſunt valde bona, *Gen*. 1. *verſ*. 31. Ergo & prius. *Reſp*. Agi ibi de operibus *moralibus*, non de quocumque tandem *phyſico*. *Reſp*. Achabi pœnitentia placuit Deo. Achabi pœnitentia fuit abſque fide. Ergo aliquid abſque fide placet Deo. Major probatur 1 *Reg*. 21. *verſ*. 27, 28, 29. *Reſp*. Placuit quidem Deo, ſed non ut remuneraret ipſi vitam æternam.

Obj. II. Si doctrina Evangelii non eſt natura nota irregenitis, tum ad credendam doctrinam Evangelii non poſſunt obligari. Sed falſum poſterius: Ergo & prius. Ratio conſequentiæ eſt: Quod cui datum non eſt, ad illud non poteſt obligari. At doctrina Evangelii irregenitis data non eſt. Ergo ad illam credendam non poſſunt obligari. *Reſp*. Major negatur. *Inſt*. ad Majorem, ex *Luc*. 12. 48: Si, cui multum datum eſt, multum ab ipſo repoſcetur; &, cui minus datum eſt, minus repoſcetur ab ipſo; tum in proportione ſequitur, cui nihil datum eſt, ab eo quoque nihil repoſcetur: Ergo irregeniti, quibus doctrina Evangelii data non eſt, non poſſunt obligari ad credendam doctrinam Evangelii. Verum prius; ut locus hic teſtatur. Ergo & poſterius. *Reſp*. Locus comparative intelligendus. 2. Acceperunt vires credendi in Adamo; & ipſo lapſo, rurſus illas in eo amiſerunt. Nam quicquid Adam acceperat, hoc ſibi & poſteris acceperat; & quicquid perdidit, hoc ſibi & poſteris perdidit. Obligantur ergo ad id, quod acceperant in Adamo. *Inſtant*: Si Adam accepit vires credendi; Ergo eamdem fidem habuit quam nos. Sed non habuit eamdem fidem: Ergo. *Reſpond*. Negatur Minor. *Inſt*. Si fides Adami fuit eadem cum noſtra; Ergo fuit fides juſtificans. Sed falſum poſterius: Ergo prius. *Reſp*. Fuit fides ipſius eadem cum noſtra, non quidem quoad *denominationem*, ſed tamen quoad *eſſentiam*.

QUÆSTIO VII.

An Doctrina Evangelii nota ſit practice?

Reſp. Neg. ex *Rom*. 1, *à verſu* 19, *ad* 24.

Obj. Si doctrina Evangelii non eſt irregenitis nota practice; Ergo non habent fidem veram & ſalvificam. Sed aliqui ipſorum habent fidem veram & ſalvificam. Ergo doctrina Evangelii quoque eſt ipſis nota practice. *Reſp*. Neg. Minor. *Inſt*. Ex 1 *Tim*. 1. *verſ*. 19, 20. *Reſp*. Locus ille agit de fide *qua creditur*, non de fide *qua creditur*. *Inſtant*: Locus hic agit de fide, ex qua oritur conſcientia bona. Atqui conſcientia bona non oritur niſi ex vera fide: Ergo. *Reſp*. Agitur de bona conſcientia proportionaliter ad fidem. *Inſtant*: Agitur hic de tali fide, qualis fuit

in

in Timotheo: Atqui in Timotheo fuit vera fides. Ergo agitur hic de vera fide. *Reſp.* Poſſe fidem dici in *genere*, cum in *ſpecie* non ſit; aut *ſimilitudine quadam*, non *reipſa*. *Inſtant*: Fides per quam effugiunt pollutiones mundi, illa eſt vera & ſalvifica fides. At hæc fides talis fuit, 2 *Pet.* 2. *verſ.* 20. Ergo eſt vera & ſalvifica. *Reſpond.* Quemadmodum vocatio eſt *interna* & *externa*; ſic quoque fuga & *interna* & *externa* eſt. Potuerunt igitur fugere pollutiones mundi *externe*, non *interne*.

CAPVT IV.

De Deo in Genere.

QUÆSTIO I.

Cum dicatur Deus analogice Ens, & analogice hæc & illa ipſi tribuantur, quid ibi per analogiam intelligatur, quæritur? Nam ſi dicas, Ens proprie analogice de Deo dici, tum participabit de Ente, & erit ſpecies analogati: quod abſurdum; ut ex ipſa doctrina de genere analogo patet.

Reſp. Analogiam eſſe duplicem; *rei*, & *conceptus*. Quando dicitur de Deo analogice hoc vel illud, intelligitur analogia *conceptus*, non autem analogia *rei*. Nam certa eſt Regula Theologorum: *Deus & creatura nihil habent commune præter nomen*: & ratio, quia Deus à creatura plus differt, quam creatura à non ente: cujus hoc eſt evidens argumentum, quod Deus infinitæ ſit potentiæ, nempe per quam hoc, quod nihil eſt, fieri poteſt aliquid: at nulla potentia dari poteſt, neque finita, neque infinita, per quam effici poſſit, ut creatura Deus fiat.

QUÆSTIO II.

Cum creatura cum Creatore commune nihil habeat, præter nomen; quomodo ex illis, quæ de creaturis dicuntur communiter & de Deo, à creatura ad Deum argumentari liceat?

Reſp. Hoc unicum eſt, & maximum, ad quod Studioſi Theologiæ reſpicere debent in doctrina de Deo. Infinita vero ſophiſmata à Socinianis ducuntur adverſus divinitatem Filii Dei & Spiritus S. & hæc petuntur ex nomine tantum, quod ipſi commune cum creatura; ut, quia & nomen & res competit creaturæ, idcirco judicatur ex re, quæ competit creaturæ, de Deo; qui tamen non convenit in re cum creatura, ſed nomine: ut, verbi gratia, ſophiſmata ducta à generatione, à principio, ab ordine eſſendi, agendi, & id genus aliis. Caute tamen hic agat Theologiæ Studioſus; & ſi caute egerit, hoc acturus eſt, ut hypotheſin iſtam vanam proferat, & rationem addat, quare vana ſit. Verbi gratia, ſi quis ita diſputet: Quod generatur, non fuit ante. Filius Dei generatur, Ergo non fuit ante. *Reſp.* ad Majorem, hypotheſin iſtam præſupponi, Quod nimirum, ſi nomen hoc habeat commune creatura cum Creatore, habeat etiam naturam communem. quod falſiſſimum eſt; quia præter nomen nihil habet commune cum creaturis.

QUÆSTIO III.

Anne cum tot attributa ſint in Deo, Deus ſit ſimpliciſſimus? Reſp. *Affirmat.*

I. 1 *Ioan.* 4. 8, 9, 10, vocatur Deus caritas. Si eſt caritas, ſimpliciſſimus eſt. Ratio. Quia abſtracta de illo dicuntur. Ioannes enim hoc modo caritatem indicat non eſſe accidens, ſed ipſam Dei eſſentiam. Nam accidentia de ſubjectis ſuis ita affirmare non poſſumus; nunquam enim dico, Homo eſt albedo, ſed albus. At Deus dicitur ipſa caritas. *Reger. Socin.* Deum dici caritatem, quia nobis caritatem in mittendo Filio demonſtravit. Vnde ſic: Si non omnis qui demonſtrat erga aliquem caritatem, dicitur caritas; tum reſponſio eſt vana. *Reſp.* 1. Ioannes docet, non tantum Deum nobis demonſtrare caritatem, ſed eſſe ipſam caritatem: & ſic *eſſentialiter* eum vocat caritatem. 2. Non omnis qui caritatem erga aliquem oſtendit, eſt caritas.

II. *Am.* 4. 2. Si Deus jurat per ſanctitatem ſuam; tum ſanctitas ejus & ipſe unum ſunt, ac proinde Deus ſimpliciſſimus. Conſeq. *Heb.* 6. 13. Minor in textu. *Excip.* Iuravit etiam per excel-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

excellentiam Iacobi, apud eundem Prophetam, *cap.* 8. 7. Et tamen excellentia Iacobi non eſt ipſe Deus. *Reſp.* Excellentia Iacobi eſt Chriſtus; Ergo non eſt falſum, quod excellentia Iacobi ſit Deus ſimpliciſſimus. Quia Chriſtus eſt verus & æternus Deus, *Nahum.* 2. 2.

III. A ratione: Si Deus non eſt ſimpliciſſimus; tum ſequitur, eſſe compoſitum: ſi eſſet compoſitus, darentur & illa, ex quibus componeretur, & ita non eſſet independens à cauſis externis: hæc omnia abſurda: Ergo eſt ſimpliciſſimus. *Excip.* Non eſſe abſurdum, Deum eſſe compoſitum. Quia non componitur ex tertio aliquo à ſe diverſo: & Chriſtus etiam conſtat ex divina & humana natura, ad componendam perſonam Chriſti. *Reſp.* Præſupponitur falſa Hypoth. quaſi ſcilicet ſtatuamus, quod natura humana conſtituat perſonam Chriſti, cum natura humana aſſumpta ſit in hypoſtaſin ꙋ̃ λόγυ, & ſit divinæ naturæ tantum adjunctum in hypoſtaſin. At contrarium verum videtur.

Nam *Obj.* I. Quomodo Deus ſimplex dici poteſt, cum videatur hoc abſurdum? Nam ſunt in ipſo relationes, quas vocamus perſonas divinitatis in abſtracto. Sunt actiones internæ, qualia inter alia ſunt decreta Dei, de quibus illud axioma Theolog. Actio immanens, Deus eſt. Sunt actiones externæ, ut creatio rerum omnium, quæ fuit antequam res eſſent, quia per creationem ſunt facta quæ ſunt facta. Providentia Dei, cujus partes duæ, actualis præſertim: conſervatio rerum omnium & directio. Quod attinet ad relationes, ſciendum, Hæc entia non eſſe, ſed modos entis, ac proinde compoſitionem non facere; quandoquidem compoſitio eſt multorum entium unio; hinc illud apud Theologos: *Relatio non componit, ſed diſtinguit.*

At hic *objicit Vorſtius*, Relationem eſſe ens; quia de omni aut eſt vera affirmatio aut negatio. *Reſp.* Relatio, vel modus, ſeorſum extra eſſentiam conſideratus, nihil eſt; in eſſentia vero conſtitutus, eſſe habet quod eſſentia. Eſſentia tamen non eſt, ut videre licet ex *unitate*, *bonitate*, &c. Quorum modorum eſſe, eſt eſſentiæ eſſe, ſed non abſolutæ.

Quod ad decreta Dei attinet, illa Deus ſunt; quod patet ex eo, quod æterna ſunt; nunquam enim Deus fuit, quin illa quæ decrevit, decreverit: Et decreta in Deo ſunt ipſius voluntatis divinæ definita exiſtentia. At voluntas Dei definita, Deus eſt. *Excip.* Decreta Dei ſunt libera. natura Dei non eſt libera. Ergo decreta Dei non ſunt Deus. *Reſp.* Libera ſunt quoad determinationem circa objecta, propter quam determinationem vocantur decreta Dei: ſi vero abſolute ſumatur hoc quod decretum eſt, id eſt, actio Dei, illa non poteſt non eſſe; in ipſo enim & actio intelligendi & actio volendi datur. Rem ſimili illuſtrabo, ab homine ducto. Homini, videre, eſt naturale; at vero videre hoc vel illud objectum, hoc naturale non eſt, ſed in libertate poſitum; quia poſſum hoc videre & non videre, ſi velim.

Excip. 2. Decretum Dei ceſſare poteſt. At Deus ceſſare non poteſt. Ergo decretum Dei non eſt ipſe Deus. *Reſp.* Decretum ceſſare poteſt ratione *terminationis ad objecta*, at *non ſimpliciter*. Explico rem: verbi gratia, Decretum Dei, de condendo mundo, jam non eſt, quia decretum hoc terminabatur ad rem futuram non præſentem; & mundo jam facto, Deus non vult jam condere mundum, quia jam condidit; eſt tamen hæc Dei voluntas ipſa, quæ fuit, & quæ terminabatur ad hoc objectum, nec mutatio ulla in voluntate Dei facta, ſed in re, ob quam mutationem rei, voluntas divina non jam iſta externa vocatur denominatione.

Excip. 3. Decreta Dei multa ſunt: Deus autem unus eſt. Ergo. *Reſp.* Multa ſunt *non ratione naturæ* ſuæ, ſed *ratione externæ denominationis*, propter varia objecta, circa quæ occupantur: ut, verbi gratia, attributa Dei multa dicuntur ipſe Deus, idque propter diverſa effecta, ut jam dicatur miſericordia, jam juſtitia, &c.

Excip. 4. Decreta Dei facta ſunt: Deus non eſt factus. *Reſp.* Factum aliquid dupliciter dici: vel factum, ut actionem plane contradiſtinctam denotet operi; ut, cum dico, Deus fecit mundum: vel, ut non denotet actionem plane, ſed ſit pars quædam ſermonis, quæ, conjuncta cum ſubſtantivo, actionem notat: ut, *facere*

ſer-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ſermonem, id eſt, loqui: *facere decretum*, id eſt, decernere.

Obj. III. In Deo ſunt omnia creata. Nam in ipſo vivimus, *Act.* 17. 38. Ergo etiam accidentia rerum creatarum, & ipſæ creaturæ; & ſic, ubi hæc ſunt, ibi nulla ſimplicitas. *Reſp.* Pluſquam puerile hoc argumentum. Nam accidentia rerum creatarum, ita ſunt in Deo, ut ipſæ res creatæ. At hæ ſunt in Deo, tanquam *in cauſa conſervante, efficiente*; non tanquam *in ſubjecto accidentia. Inſt.* Imo dicuntur accidentia, quæ ipſi inſunt, ineſſe ut in ſubjecto. Nam qui colitur, invocatur; qui affici dicitur, in illo ſunt accidentia tanquam in ſubjecto. *Reſpond.* Duplex membrum: 1. Qui colitur ita, ut exinde aliquid ipſi commodi ſequatur: vide *Ioan.* 35. 7. 2. Deus non dicitur proprie affici, ſed per ἀνθρωποπάθειαν ſimpliciter, alioquin in ipſum paſſio caderet, & ſic non poſſet dici immutabilis: vide eundem locum.

Obj. IV. Trinus non eſt ſimpliciſſimus: Atqui Deus eſt trinus. Ergo. Major: Quia trinus eſt compoſitus. *Reſp.* Deus dicitur trinus non *ratione eſſentia*, ſed *ratione modi ſubſiſtendi. Inſt.* In Deo eſt aliud & aliud: Ergo compoſitus eſt. Aliud enim eſt eſſe Patris; aliud, eſſe Filii; aliud, Spiritus Sancti. Si non hoc; Ergo Pater, Filius; Filius, Pater. *Reſp.* Si idem eſſet modus ſubſiſtendi, non ſi eadem eſſentia.

Obj. V. In Deo ſunt unum & tria realiter diſtincta: Ergo compoſitus. *Reſp.* In quo ſunt unum & tria, ſcilicet *entia*, non vero *modi* entis. *Inſt.* Eſſentia eſt communicabilis: Perſonæ non ſunt communicabiles: Ergo realiter differunt. *Reſp.* Eſſentia non eſt *communicabilis*, ſed *communis*; alias eſſet communicans una, altera communicata eſſentia.

Obj. VI. Deus eſt compoſitus: Ergo non ſimpliciſſimus. Minor probatur: In Deum cadit compoſitio phyſica: Ergo compoſitus. Probo: In Deum cadit ſubjectum & accidens: Ergo compoſitio phyſica. Probatur: Deo tribuuntur proprietates; Ergo & accidentia. *Reſp.* Proprietates Dei non diſtinguuntur à natura Dei; ſed diſtinguuntur noſtro concipiendi modo. *Inſtant:* Deus habet in ſe vitam. *Reſp.* Dicitur habere in ſe, non diverſam à ſe. Nam ille vita eſt. *Inſt.* Si vita in Chriſto non eſt Chriſtus; Ergo nec vita in Patre. *Reſp.* In Chriſto quatenus Deus eſt, vita in ipſo ab eo non diſtinguitur, ſed qua homo. *Inſt.* Sicut Pater habet immortalitatem, ita vitam. At ſolus habet immortalitatem. Ergo & ſolus habet vitam, 1 *Timoth.* 6. *verſ.* 16. *Reſpond.* Non intelligitur hic Pater tantum, ſed etiam Chriſtus. Nam *excluſiva ſubjecti non excludit concomitantia*: ſic etiam *Matth.* 11. 27.

Obj. VII. Deus dicitur totum: Ergo habet partes. *Reſp.* Totum dupliciter ſumitur; vel pro *perfecto*, vel *relate ad partes*: priori modo Deus totum dicitur. *Inſtant*: Deo tribuuntur partes in Scriptura. Ergo. *Reſp.* Deo tribuuntur partes *impropriè*.

Obj. VIII. Ubi ſunt perſonalitas & eſſentia, ibi eſt compoſitio: At in Deo. Ergo. *Reſp.* Perſonæ diſtinguuntur non *realiter*, ſed *modaliter*. Nam perſonæ ſunt modi eſſentiæ: modus autem non *componit*, ſed *diſtinguit*.

Obj. IX. In quem cadit mutatio, in illum cadit compoſitio: Sed in Deum. Ergo. Minor: Promittit & minatur aliquid, & non exercet: Ergo eſt mutabilis. *Reſp.* Deus promittit *conditionaliter*. *Inſt.* Deus mutat opera: Ergo eſt mutabilis. *Reſpond.* Qui mutat ita, ut non decreverit ab æterno mutare. *Inſt.* Si Deus aliquando iraſcitur; Ergo mutatur. *Reſp.* Non cadit in Deum affectus; ſed hoc tribuitur ipſi per ἀνθρωποπάθειαν.

Obj. X. Compoſitum eſt perfectius ſimplici: Ergo Deus potius compoſitus dicendus, quam ſimplex. *Reſp.* Simplex dupliciter dicitur: vel, quod ordinatum eſt ad compoſitionem, ut elementum; & ſic compoſitum perfectius ſimplici, quia plures formas habet: vel, quod non eſt ordinatum ad compoſitionem, ut Angelus; & ſic ſimplex perfectius compoſito.

QUÆSTIO IV.

Anne, quicquid in Deo eſt, ſit ipſe Deus?

Reſp. Affirmat. Patet ex deciſione quæſtionis præcedentis.

Obj. I. Attributa differunt à Deo. *Reſp.* Ratione modi noſtri concipiendi, non revera. *Inſt.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Datur realis contradictio in attributis. Quia poteſt aliquid per potentiam, quod non poteſt per juſtitiam. Poteſt enim per abſolutam potentiam peccata remittere ſine ſatisfactione, non autem per juſtitiam; alias enim neceſſario puniret; & ſic ſemper eodem modo ageret. *Reſp.* Si ita neceſſario, ut non ſit cauſa voluntaria; & obtinet hoc in neceſſariis naturalibus. *Inſt.* Si neceſſario, Ergo non libere. *Reſp.* Non ſequitur; libertas enim ſtat cum neceſſitate.

Obj. II. Decreta Dei non ſunt ipſe Deus: In Deo nihil eſt prius aut poſterius: In decretis eſt. Ergo. Probatur, quia decretum de fine, eſt prius decreto de mediis. *Reſp.* Non ratione ſui, ſed ratione objectorum, circa quæ occupatur. *Inſt.* Potentia præcedit decretum: Ergo ratione ſui datur prius aut poſterius. *Reſp.* Potentia dicitur ratione objectorum, quæ ſubire poſſunt actum ejus.

QUÆSTIO V.

An Deus ſit infinitus? Affirm.

Argumentum I. Deus eſt extra omnem locum: Ergo eſt infinitus. Nam quemadmodum qui eſt extra omne tempus, æternus eſt; ita qui extra omnem locum, infinitus eſt, 1 *Reg.* 8. 27. *Excip.* Scholaſtici docent, Deum in loco eſſe *repletivè*; apparet hoc ex eorum diſtinctione, qua diſtinguunt, quomodo quid ſit in loco: Dicunt ergo, corpus eſſe in loco *circumſcriptivè*, Spiritum *definitivè*, Deum *repletivè*; & videntur aſſertionis ſuæ rationem habere ex *Ier.* 23. 24. *Reſp.* Dum dicitur Deus cælum & terram implere, non dicitur implere tanquam *adjectum circumſtantiam loci*, ita ut ſit in terra, vel in cælo tanquam in loco; ſed dicitur implere cælum & terram, quod ſit *tanquam cauſa conſervans*, in iſtis, tanquam effectis.

II. Cujus potentia infinita eſt, illius & eſſentia: At Dei *&c.* Conſequentia. Quia in Deo omnia ſunt unum. Minor probatur. Quia ex nihilo fecit omnia: Quare oportet infinitus ſit potentia; cum *ens & nihil in infinitum differant*. *Reger.* Non poteſt hoc probari, quod Deus ex nihilo aliquid creaverit: E. fruſtra hoc aſſeritur. *Reſp.* Si omnia, quæ ſunt extra Deum, per Deum ſunt, & ex Deo; tum ex nihilo facta ſunt omnia. Minor probatur *Rom.* 11. 36.

III. Nulla ratio dari poteſt, cur damnati, in inferno cruciari debeant in æternum, niſi quia in Deum infinitum peccarunt: Ergo Deus eſt infinitus eſſentia. Hic *Socinus regerit.* 1. Negat, tales reſurrecturos, aut pœnas paſſuros. 2. Negat conſequentiam ex hypotheſi noſtra. Inquit enim: Chriſti paſſio eſt infiniti valoris, non in reſpectu ad Deum. Nam ſatisfactio debita erat pro genere humano; debitum autem non eſt infinitum. *Reſp.* ad 1. Manifeſte contrariatur *Matth.* 25. 46. Ad 2. *Reſp.* Debitum, in reſpectu ad Deum, eſt infiniti valoris *objectivè*; Chriſti vero ſatisfactio non tantum *objectivè*, ſed & *ſubjectivè* fuit infiniti valoris, quippe veri æterni Dei.

Obj. I. Deus eſt in cælis, Ergo non infinitus eſſentia. *Reſp.* Deus eſt in cælis, ſed non tantum; quod liquet, *Deut.* 4. 39. *Ier.* 23. 24. 1 *Reg.* 8. 27. *Iob.* 11. 8. *Inſt.* Si inſtinctu naturæ omnes gentes inter orandum ad cælum attollunt manus; tum utique Deus non erit alibi quam in cælo; ſi enim in terris eſſet, demitterent manus & oculos. *Reſp.* Et nos hoc pacto poſſumus premere Vorſt. Jubebantur Iſraëlitæ ita orare, ut verterent faciem ad locum illum, in quo eſſet arca fœderis; indene concluſerit, Deum fuiſſe in arca incluſum, nec alibi fuiſſe? Minimè. Si vero dixerit, Dei arcam peculiaris cujuſdam gratiæ & præſentiæ Dei documentum eſſe, nempe ob ſuam ſingularem patefactionem: Eadem cauſa eſt, cur nos oculos ad cælum attollimus.

Obj. II. Si verſaretur Deus in terra, coinquinaretur, quia in terra multa fœtida, multa ſordida ſunt. *Reſp.* Nulla res poteſt tangi niſi corpus; alias coinquinati eſſent Angeli, verſantes in locis fœtidiſſimis, ut in foſſa, in quam detruſus erat Daniel. *Inſt.* Si Deus dixit, ſe averſurum ſe ab Iſraëlitis, niſi excrementa operirent terra; tum Deus non eſt in fœtidis locis. Verum prius, *Deut.* 23. 13, 14. *Reſp.* 1. Deum offendi hic non *phyſicè*, nec quatenus phyſicum quid ſunt: ſed quatenus *ethicè* arguunt immunditiem hominis. Nam mundi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

tia, ut & aliis virtutibus, Deus delectatur; vitiis contra offenditur. 2. Notandum hic, quod Deus cum relinquere aliquem dicitur, non deſinat ſecundum eſſentiam, ubi fuit, jam non eſſe; ſed non edere documenta, ſeu effecta gratiæ ſuæ, quæ antea ediderat.

Obj. III. Deus oculis corporeis videri poteſt; Ergo non eſt infinitus, 1 *Ioan.* 3. 2. *Reſp.* 1. Ibi non agitur de viſione *oculorum*, ſed *fidei*. 2. Videbimus eum, non ſicuti eſt in ſe, ſed ut à nobis erit perceptibilis, non *immediatè*, ſed *mediantibus effectis*. *Inſtant*: At etiam hic videmus in effectis; Ergo non ibi: Hic in ſpeculo; ibi à facie ad faciem, 1 *Cor.* 13. *Reſp.* Ibi videbimus perfectiori quodam modo præclariora & majora effecta. *Inſtant*: Imo vero oculis corporeis, ut liquet *Iob.* 19. 26,27. *Reſp.* Jobus illic loquitur de Chriſto Redemptore, quem corporeis oculis videbimus; quemadmodum teſtatur Spiritus Sanctus, *Apoc.* 1.7. Videbimus eum oculis corporeis, non quatenus Deus, ſed quatenus homo eſt.

Obj. IV. Dicuntur aliqui abire à facie Dei, & fugere à facie Dei: ita verbi gratia, Caïn dicit: fugiam à facie Dei. Nec eſt quod dicas, profanum iſtum hominem neſciviſſe, Deum eſſe ubique; namque hoc idem dicitur de Jona, quod ingreſſus navem, ut fugeret à conſpectu Dei; quod quidem abſurdum eſt, ſi Deus eſt ubique. Nam quomodo poteſt quis fugere ab eo quod ubique eſt? Ergo videtur ex hoc ſequi, Deum non eſſe ubique, aut Prophetam neſciviſſe, Deum eſſe ubique; quod abſurdum: anne de Propheta eſſet ſuſpicandum, cum pro Atheo habendus ſit qui hoc negat? *Reſp.* A conſpectu Dei fugere, eſſe nihil aliud, quam velle ſe ſubducere imperio Dei, & velle aliud, quam quod Deus velit, agere; & ita de Caïno & Jona explicanda ſunt verba Spiritus S.

Inſtant: Dicis: Oſtendit Pſaltes, *Pſ.* 139, à conſpectu Dei neminem fugere poſſe, quomodo ergo hic dicendus erit fugere à conſpectu Dei? *Reſp.* Aliter hæc phraſis accipitur apud Pſaltem, quam iſto loco; nam apud Pſaltem proprie, ibi impropriè capitur.

Inſtant: Atqui una phraſis non poteſt duos diverſos ſenſus habere. *Reſp.* Sæpe habet pro diverſitate materiæ: verbi gratia, vox *juſtificandi*. Dicit Paulus, Non juſtificabitur ex operibus Legis ulla caro: Jacobus autem dicit, Hominem juſtificari operibus Legis.

QUÆSTIO VI.

An ſolus Deus ſit æternus?

Reſp. Affirm. Argumentum I. *Pſal.* 90. 2. quia ipſi ſoli tribuitur in Scriptura, quod fuerit antequam quicquam eſſet: quæ eſt deſcriptio æternitatis. *Reger.* Fuerunt etiam alia antequam mundus eſſet; ut liquet *Prov.* 8. 22. & 30. 31. ut, ſapientia; quæ tamen non fuit Deus. Quia dicitur, *poſſidebat eam Iehova* &c. *Sum apud eum*. *Reſp.* Diverſa eſt iſta ſapientia à Jehova, non *eſſentialiter*, ſed *perſonaliter*.

II. *Apoc.* 1. 8, 11. Ubi ſoli Deo tribuitur, quod ſit α & ω. *Reſp. ad verſ.* 1, *ex eodém capite*, quod dicatur de Chriſto, quod fuerit primus & ultimus, cum tamen de eo dicatur, quod fuerit mortuus; quod non cadit in Deum. 2. *Heb.* 13. 8, *Ieſus Chriſtus heri & hodie*. *Reſp.* ad primum locum: Ita dicitur Chriſtus mortuus, ſicut fuit Princeps Vitæ interemptus, Dominus Gloriæ crucifixus: hoc eſt, dicitur mortuus, qui fuit Deus; ſed non quatenus Deus. In ſecundo loco dicitur, Servatos fuiſſe unica vi, & beneficio Chriſti, omnes ab initio mundi, qui ſervabantur; & hodie quoque ſic ſervari ad finem mundi.

III. Si nemo eſt bonus, niſi ſolus Deus; non poterit aliter accipi, quam ſolum eſſe bonum *independenter*. Nam etiam alia bona ſunt; ut, dicitur: *Vidit Deus, & erant valde bona*. Ergo ſolus eſt independenter bonus; & conſequenter, ſolus æternus. *Excip.* Tribuitur hoc Deo, quod ſit ſapiens, *Rom.* 16. 27. cum tamen & Angeli & homines ſint ſapientes. *Reſp.* Ut ſolus eſt bonus independenter, ita ſolus eſt ſapiens independenter. Nam in eo, & per ipſum, & ex eo, ſunt omnia, *Rom.* 11. 36.

Obj. I. Tempus aut eſt creatum, aut non creatum: Si creatum eſt; aut in tempore factum, aut ab æterno: ſi in tempore; ergo temporis dabitur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

dabitur tempus, adeoque proceſſus in infinitum. *Reſp.* Tempus concreatum. Nam accidentia non dicuntur creari, ſed concreari. Id quod ex ſpeciebus temporis patet. Nam aut eſt *internum*, ut duratio rei; vel *externum*, cujus menſura motus ſolis. At & duratio incipit cum re, & motus ſolis cum ſole: Ergo omne tempus incipit cum re, & non fit ante rem. *Inſt.* Datur tempus æternum, quia dantur anni ratione Dei. *Reſp.* 1. Deo non tribuitur propriè annus, ſed improprie & ἀνθρωποπαθικῶς· & ratio eſt, quia anni ſucceſſivi ſunt: Æternitas autem ſucceſſionem excludit. 2. Si anni proprie dantur in Deo, neceſſario in eo daretur mutatio. Nam Deus jam eſſet ætate provectior, quam ante; quod abſurdum.

Obj. II. Deus, antequam creaſſet, aut fuit in loco, aut nullibi. At non poterat non eſſe; quia revera erat: quod autem nullibi eſt, non eſt: Ergo in loco fuit; & ſic locus ipſi coæternus. *Reſp.* Nec nullibi, nec in loco. *Nullibi* dupliciter capi poteſt; aut *negativè*, aut *privativè*: ſi *negativè* ſumas, vera enuntiatio eſt de Deo. Nam nullibi eſt. Nec interim eſt, quod quiſquam dicat, eſſe nihil. Nam illud nihil eſt, quod eget loco & non eſt in loco, & quod dicitur *privativè* eſſe nullibi, ſi non ſit in loco. Quæritur tamen, *Ubi ſit Deus?* *Reſp.* Quæſtionem eſſe de iſtis quæ apta ſunt in loco eſſe; non autem de his quæ apta non ſunt. Nam perinde hoc eſt quærere, ubinam ſit Deus, ac ſi quis vellet negare, Gabrielem Angelum eſſe Angelum, quia non eſſet menſurabilis ulnis. *Reſp.* tamen ad hoc, Deum eſſe in ſe ipſo, quemadmodum dicit Chriſtus, *Pater in me, & ego in Patre.* *Inſt.* 1 *Tim.* 6. 16. Deus inhabitat lucem inacceſſam: Ergo lux ibi erat locus. *Reſp.* Inepte hoc confingere Adverſarium. Nam iſta lux non eſt diſtincta à Deo. vide *Apoc.* 21. 23, & *Apoc.* 22. 5. ubi deſcribitur Hieroſolyma cæleſtis; diciturque, nullam ibi lucem conſpici præter Deum & Agnum: Non ergo ibi lux præter Deum & Agnum circumfuſa; alioqui illa lux illuminaret etiam civitatem illam, ſicut illuminat Deus & Agnus.

Obj. III. *Tit.* 1. 2. Deus promiſit ſpem vitæ æternæ ante tempora ſeculorum: unde, ſi promiſſio fuit ante tempora ſecularia; Ergo ab æterno. *Reſp.* Tempora illa anteſecularia non notant *æternitatem*, ſed *antiquitatem*; ſicut & Chriſtus, *Matth.* 19, hac vocula utitur. *Inſt.* Imo æternitatem, 2 *Theſſ.* 2. 13. quia dicitur ibi, nos elegiſſe ab initio ad ſalutem per ſanctitatem Spiritus: Ergo ſanctificatio Spiritus & fides ſunt ab æterno. *Reſp.* Initium ibi non *æternitatem*, ſed Evangelii in Paradiſo inchoati *initium* ſignificat. Nec eſt quod quis electionem hoc loco urgeat, ab initio Evangelii factam non eſſe, ſed ab æterno. Nam ibi non agitur de electione *proprie dicta*, ſed de electionis æternæ *deliberatione*.

QUÆSTIO VII.

An Deus ſciat futura contingentia?

Reſp. Affirm. Argumentum I. *Eſai.* 41. 22, 23, *Annuntiate, quæ evenient in futurum.* Unde clare liquet, Deum omnia videre. *Socinus Reger.* ad hunc locum: *Fatemur*, inquit, *quæ futura ſunt, noſcere Deum: ſed negamus, omnia quæ eveniunt, antequam eveniant, eventura ſeu futura fuiſſe.* *Reſp.* Imo omnia quæcumque eveniunt, futura ſeu ventura erant, idque ex decreto Dei, *Thren.* 3. 27.

II. *Heb.* 4. 13. *Omnia ſunt nuda,* &c. ubi expreſſe dicitur, quod non poſſit ei occultari ulla res. *Reſpondet Socin.* Agi illic de iis, quæ jam ſunt, non quæ ventura ſunt. *Reſp.* *Ier.* 32. 27. ubi clare Deus loquitur de futuris, non præſentibus.

III. Prædicit futura, & quidem maxime contingentia: Prædixit, Joſiam Regem in Bethel altare deſtructurum, longe antequam id factum legimus, 2 *Reg.* 23. Prædixit, Cyrum ædificaturum domum Jehovæ; & factum eſt. Jam vero, ſi unum contingens præſcit, cur non alterum, tertium, cur non omnia? Unius enim eadem ratio eſt, quæ omnium; & omnium, quæ unius. *Reger.* ad loca iſta, Deum humano more loqui; ſolent enim homines affirmare, ſe ſcire aliquid de futuris contingentibus neceſſariæ cauſæ, &c. *Reſp.* Abſurdum. Nam ſi res ita habet; ut homines falluntur, ita

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ita etiam Deus falli poſſet; ut homines mentiuntur, ſic Deus mentiri poſſet: quod auditu horribile.

Obj. I. *Eſa.* 5. 4. Deus exſpectabat fructum vineæ, quem tamen non fuit aſſecutus; unde Deus non prævidit. Nam quorſum exſpectaſſet, ſi prævidiſſet, nullum fructum ex ea ſequuturum fuiſſe? *Reſp.* Loqui illic Sp. Sanctum ἀνθρωποπαθικῶς, quia Deus novit, quid in homine futurum ſit, vel non, *Pſal.* 39. 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10. *Inſtant: verſ. 7. Expectavit officium, & ecce pertinacia; juſtitiam, & ecce clamor.* Hic Deus fallitur plane; quomodo ergo ſcit futura contingentia? *Reſp.* Similiter & hic humanitus. Nam quomodo proprie exſpectare aliquid boni poſſet ab ipſis, cum hoc non ſit facturus in ipſis? In homine enim nihil boni eſt, cujus auctor ipſe non ſit, *Phil.* 2. 13.

Obj. II. *Num.* 14. 23. Iuravit, quod populum iſtum introducturus eſſet in terram Canaan; & propter incredulitatem eorum non factum. *Reſp.* Non ſequitur. Nam in poſteris ipſorum hoc implevit. 2. Indefinita eſt locutio. *Inſt.* Propter peccatum non ſunt ingreſſi: Ergo ipſos, non vero poſteros reſpiciebat juramentum. *Reſp.* Nulla eſt conſequentia: quia proprie peccatum reprobos non admittit ad vitam æternam, & tamen nunquam ipſis decrevit ſalutem.

Obj. III. Contingentium non eſt determinata veritas: Ergo non poſſunt ſciri. *Reſp.* Verum eſt ratione intellectus *creati*, non *increati*. Quia intellectus creatus commenſuratur rebus, non res intellectui: At omnes res ſunt quia ſcit; non vero ſcit quia ſunt. Contrario vero modo ſe habet in intellectu creato. *Inſtant:* Si res ſunt, quia Deus ſcit; Ergo quia ſcit multa poſſibilia, res erunt: ſcit enim, ex lapidibus filios Abrahæ poſſe fieri. *Reſpond.* Scientia Dei, eſt vel *theoretica*, quæ *ſimplicis intelligentiæ* alias dicitur; vel *practica*, vulgo *viſionis ſcientia* dicta: quæ Deus ſcit priori, non omnia facit; ſed quæ poſteriori, ea facit omnia, nec ei quicquam impoſſibile. Quia hæc ſcientia nititur voluntate Dei determinata.

QUÆSTIO VIII.

An voluntatis Dei cauſa externa dari poſſit?

Reſp. Neg. Argumentum I. Si creatum aliquid, veræ & propriæ cauſæ rationem aliquam habet ad actum aliquem divinum; tum aliquid eſſet minus & poſterius in Deo, quam in creato illo. Quia omnis cauſa prior eſt & dignior effectu. *Excip.* Decreta eſſe in Deo; & decreti, ſaltem reprobationis poſitivæ, ſtatui à pleriſque cauſam eſſe, peccatum: vide Pareum, & alios. *Reſp.* Opponimus Calvini, Bezæ, Twiſſi firmiores rationes.

II. Si datur extra Deum cauſa, impellens Deum ad volendum, tum dabitur in Deo potentia paſſiva: quod abſurdum, quia ſic Deus eſſet mutabilis; qui enim movetur, ex non moto movetur. *Vorſt. inquit,* Non eſſe abſurdum, in Deum cadere potentiam paſſivam, quia cognoſcitur à nobis. *Reſpond.* Vorſtium ignorare naturam actionum. Nam *Grammatice* utut cognoſcere ſit actio; *Logice* tamen eſt paſſio. Quia cognoſcere aliquid, eſt ſpeciem rei recipere; & certe actiones à ſenſibus formatæ, paſſiones ſunt; ut, videre, ſtudere, &c.

III. Si datur in Deo cauſa impellens ad hoc vel illud volendum; tum aliquid in Deo eſſet effectum à creatura.

IV. Si eſt aliqua cauſa Deum externe movens; tum illa cauſa aut eſt bona, aut eſt mala: Non bona, Quia quicquid eſt boni in rerum natura, eſt ex eſſentia Dei, *Iac.* 2. Non mala, Quia hæc agit ex voluntate Dei permiſſiva: Ergo jam nulla datur cauſa Deum externe impellens: Ratio, Quia non effectum conſtituit cauſam, ſed contra. Nam omnis cauſa prior eſt cauſato, ordine naturæ, dignitatis & cognitionis: quæ jam ſi evertantur, multa abſurda exſurgunt.

Obj. I. Si Deus propter meritum Chriſti vult nobis vitam æternam dare; tum ſequitur, voluntatis ſeu volitionis divinæ extra Deum dari cauſam impulſivam. *Reſp.* Illud *propter meritum*, jungendum eſt, vel cum verbo *vult*, vel cum *dare ſalutem*: Cum priori non poteſt:

 Ratio,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Ratio, quia meritum, quod ſit meritum, dependet à voluntate divina: Ergo non eſt illius cauſa. Jungendum vero cum verbis *dare ſalutem*, ita ut meritum Chriſti ſtatuatur cauſa ſalutis, non volitionis Dei. *Inſt.* Si meritum Chriſti dicitur in reſpectu ad Deum; tum ſequitur neceſſario moveri Deum ad vitam dandam iſtis, pro quibus Chriſtus ſatisfecit. *Reſp.* Meritum dupliciter dicitur; vel *ex natura*, vel *ex pacto*. Verbi gratia, Deus fidelibus promittit vitam æternam, obligatque ſe ex pacto, non *abſolute*, ſed ex *gratia*; ſcilicet ſe ipſum obligat ita, ut veracitas ejus ſit cauſa impellens, cur hoc præſtet.

Obj. II. Peccatum eſt cauſa impulſiva, cur Deus hunc vel illum velit punire: Ergo datur extra Deum cauſa volitionis Dei. Quia peccatum eſt extra Deum. *Reſpond.* Peccatum eſt cauſa *pœnæ*, ſive *voliti*, non *voluntatis divinæ*. Quia peccatum, eſt voluntatis Dei permiſſum, tanquam conſequens ad antecedens. Si vero pendet à voluntate, non pendebit voluntas Dei ab ipſa. *Inſt.* Vorſtius: *Gen.* 6. 6, refertur, Deum pœnituiſſe, quod feciſſet hominem; quomodo ergo, inquit ille, peccatum non erit cauſa volitionis divinæ, quod hominem punit? *Reſp.* Affectus *voluntatem* ſignificat, non *paſſiones*, quæ non cadunt in Deum, alioqui Deus poſſet dici mutabilis: quod autem hoc ita ſit, etiam de pœnitentia, liquet 1 *Sam.* 15. 29.

Obj. III. Si Deus nullam cauſam habet, cur velit objecta extra ſe, tum omnia facit ex eo, quia ipſi libet: Hoc vero tyrannicum & abſurdum: *Sic volo, ſic jubeo, ſtat pro ratione voluntas.* *Reſp.* Eorum quibus lex data eſt, non eſt facere aliquid extra cauſam à voluntate ſua diverſam, quæ ipſos moveat. At Deo cui nulla lex data, quique à nullo dependet, alia ratio eſt: hinc tribuitur ipſi, quod omnia operetur *ex conſilio voluntatis ſuæ*, *Eph.* 1. 11. *Inſtant:* At vero & Theolog. Calviniani cauſas externas extra Deum dare ſolent. *Reſp.* Sic nobis aliquando de rebus divinis balbutire humano more licet, & neceſſe eſt: ſed cum accurata inſtituitur veritatis indagatio, tum non eſt ferendum, ut libertas hæc loquendi in errorem vertatur.

QUÆSTIO IX.

An voluntas Signi & Beneplaciti pugnent?

Reſp. Neg. Si ſcilicet ex fine & eventu utraque æſtimetur.

Obj. I. Si Deus vult voluntate ſigni aliquid, & non vult voluntate beneplaciti; Ergo pugnant. *Reſp.* Præſupponitur ac ſi voluntas ſigni eſſet proprie voluntas; non vero effectus voluntatis. *Secundo*, quaſi omnia quæ jubet, velit. *Inſtant*: Si jubet, & non vult; Ergo fruſtra jubet. *Reſp.* Neg. Nam jubet reprobos, ut prætextum excuſationis illis adimat. *Inſt.* Si non dat ipſis facultatem, ut impleant legem; Ergo non vult, ut adimat prætextum excuſationis. Probatur conſeq. Nam, quibus non datur facultas, illi merentur excuſationem. *Reſpond.* Si non dediſſet Adamo facultatem perſiſtendi. 2. Si nec in propria perſona, nec in aliena dedit. At in Adamo dedit. *Inſt.* Si gentes ſint inexcuſabiles, quæ acceperunt, Ergo ſunt excuſabiles illi, qui non acceperunt. *Rom.* 1. 20. *Reſp.* 1. Ex oppoſitis valde debilis eſt argumentatio in Theologia. 2. Negatur, quod illi habuerint facultatem præſtandi Legem. *Inſt.* *Gentes fecerunt, quæ Legis ſunt*, *Rom.* 2. 14. Ergo habuerunt facultatem præſtandi Legem. *Reſp.* Habent quidem facultatem *bonum faciendi*, & quidem imperfecte; ſed non *bene faciendi* & præſtandi. *Inſt.* Qui eo fine faciunt, ut Deum colant; illi *benefaciunt*. *Reſp.* Qui eo fine faciunt, ut Deum colant, ſcilicet ex præſcripto verbi ſui.

Obj. II. Si reprobis dat præcepta credendi, & non facultatem; Ergo fruſtra. *Reſp.* Si non acceperunt in Adamo. *Inſt.* Si acceperunt in Adamo, E. potuiſſet credere in ſtatu integritatis in Chriſtum. *Reſp.* Quoad eſſe fidei, non quoad objectum particulare & nomenclaturam; ut nos accipimus habitum caritatis, qui non poterat dici in ſtatu integritatis miſericordia, quia tunc nemo miſer.

QUÆSTIO X.

An Deus ſit omnipotens?

Reſp. Affirm. Argumentum I. Quia ipſi ex-

preſſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

preſſe tribuitur, quod ſit omnipotens, *Apoc.* 4. 8. & 1. *verſ.* 8. *Matth.* 19.26. *Reger.* Dicitur talis non *abſolute*, ſed *limitate*. Quia illa poteſt, quæ ad Eccleſiam ſpectant, non vero quæ extra eam. *Reſp.* Falſum eſt. Nam, ſi omnia in ipſo, per ipſum, & ab ipſo facta ſunt; tum abſolute eſt omnipotens, *Rom.* 11. 36.

II. Nihil eſt apud Deum, quod fieri non poteſt, *Luc.* 1. 37. *Excip.* Non poteſt promiſſa reſcindere; Ergo non omnia poteſt. *Reſp.* Promiſſiones *conditionales* poteſt reſcindere, non vero *abſolutas*. Nam, ſi abſolutas poſſet, non eſſet hoc *virtutis*, ſed *infirmitatis*.

III. Ex nihilo fecit omnia; Ergo omnipotens. *Excip.* Et Natura poteſt in nihilum quid redigere; quod non eſt minoris virtutis, quam ex nihilo quid facere. Nam nihil ab aliquo in infinitum diſtat. Probatur. Quia deſtruendo ſubjectum, quod creatura poteſt, accidentia annihilantur. *Reſp.* Accidentia non annihilari, ſed abire in privationem generalem; quæ privatio ineſt materiæ primæ.

Obj. I. Deus non poteſt facere, ut unum corpus ſit in pluribus locis ſeparatis; Ergo non omnipotens. *Reſp.* Implicat contradictionem; quia ita dicitur unum numero corpus, & negatur unum numero corpus. *Inſt. Iacobus Martini*: At non opponuntur contradictoriè locus & locatum. *Reſpond.* Sed contradictoriè opponitur, unum corpus eſſe numero, & eſſe in diverſis locis ſimul.

Obj. II. Deus non poteſt alterum mundum creare: Ergo. *Reſp.* Non poteſt ſecundum *ordinariam* potentiam, quæ voluntate ipſius eſt determinata; ſed poſſet ſecundum *abſolutam*. *Inſt.* Si nihil facit ex abſoluta potentia, tum fruſtra hoc dicitur. *Reſp.* Etiamſi nihil facit ex abſoluta potentia, tamen neganda hæc in Deo non eſt, cum præſertim Scriptura eam in Deo aſſerat, *Matth.* 3. 9, ex lapidibus filios Abrahæ facere.

Obj. III. Non poteſt impoſſibilia: Ergo. *Reſp.* Dupliciter dicuntur impoſſibilia; vel *impoſſibilia Naturæ*, vel *Naturâ*: Illa Deus poteſt; hæc non. Ratio: Quia contradictionem, & ſic mendacium implicat, dicere, idem eſſe, & non eſſe. *Inſt.* Imo etiam quæ impoſſibilia ſunt Naturæ, edere, ambulare. *Reſp.* Duplices effectus Naturæ; vel *abſoluti* ſeu *efficientes*, vel *formales*, quæ à forma prodeunt. Priores omnes poteſt Deus, non poſteriores, quia contradictionem implicant. Sic Deus non poteſt movere, ſed poteſt facere, ut quis ſe moveat; non poteſt edere, ſed poteſt facere ut quis edat; non poteſt ambulare, ſed poteſt facere ut quis ambulet: poteſt ergo hos effectus Naturæ, non *formaliter*, ſed *efficienter*.

QUÆSTIO XI.

Quomodo Deus dicatur aliquid potuiſſe vel poſſe facere?

Difficilior enodatio eſt iſtius quæſtionis, vel phraſeos potius, qua Deus dicitur potuiſſe hoc creare, poſſe hanc vel illam rem facere; quod non mirum eſt, cum omnia, quæ de Deo dicuntur, difficillima ſint cognitu. Interim proprie hæc de Deo non dici, hinc certo conſtat.

I. Quod daretur in Deo mutatio de minus perfecto ad majus perfectum. Ratio eſt, Quia in bonis melior eſt actus, quam potentia.

II. Quia Deus hoc pacto per naturam eſſet imperfectior, & vellet optaretque eſſe per voluntatem aliquando perfectior; quod abſurdum eſſe, nemo non videt. Imperfectè ergo & impropriè Deo potentia activa tribuitur, & non tantum potentia, ſed & omnipotentia. Conſtat enim apud omnes mentis & rationis compotes, Deum eſſe actum puriſſimum: ſi ergo dicatur poſſe hoc vel illud facere, nihil hic intelligitur, niſi quod illa res, quam Deus dicitur poſſe, actum Dei puriſſimum ſubeat. Scholaſtici, inter quos Bannes, ſimilitudinibus rem illuſtrant: Inquit enim, ſolem, dum meridies eſt, illuſtrare omnia ſibi objecta, & quidem actu; non omnia tamen illuſtrari, quia non omnia actum ſolis ſubeunt. Sicut ergo de ſole illuſtrante dicitur, quod poſſit hoc vel illud illuſtrare, cum tamen omnia non illuſtret actu, ſed quod illuſtraret, ſi ſibi ea objicerentur; Sic Deus dicitur omnia poſſe, non quod actu omnia faciat, ſed quod poſſit, ſi ſibi ſubjiciantur. Thomas Aquin. utitur ſimili de igne: Ignis, inquit, comburit omnia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

omnia ligna, non actu; quia non omnia ipſi objiciuntur: ſed poſſet comburere: & ligna omnia, ſi objicerentur, actum combuſtionis ſubire. Smiglecius ait: Actu vident oculi, & tamen de iis dicitur, quod poſſint hoc vel illud videre, imo quod poſſint omnia, ſi ſc. ipſis objiciantur. Omnes iſti hanc unicam rationem habent, cur modi iſti loquendi admitti debeant, Quia omnis potentia paſſiva præſupponit activam. Si enim aliquid comburi poteſt, neceſſe eſt aliud quid eſſe, quod illud comburat; ſi aliquid poteſt illuminari, neceſſe eſt detur aliud illuminans; ſi videri, videns. Atque hinc liquet, Deo hæc non poſſe accommodari, niſi per *analogiam conceptus*: & hinc etiam iſta, quæ dicuntur de creaturis, poſſe comburi, comburere, mutationem aliquam notant in eo quod immutat: comburi, mutationem in comburente, in Deo vero nihil. Nam Deus cauſa, proprie dicendo, quæ in potentia ſit ad actum, dici non poteſt; cum quicquid dicitur de Deo in tempore, hoc mutationem non in Deo, ſed in creatura inferat & ſignificet.

QUÆSTIO XII.

An Deus ſit mutabilis vel ratione eſſentiæ, vel voluntatis?

Reſp. Neg. Quia ne umbra quidem mutationis in eum cadit, *Iac.* 1. 17. *Mal.* 3. 6. *Eſa.* 14. 22. *Eſa.* 46. 10.

Obj. I. Qui factus eſt Creator, ille eſt mutabilis. Deus factus eſt Creator. Ergo. *Reſp.* Deus dicitur factus, non quod mutatio in ipſo, ſed quod mutatio in creatura. *Inſt.* Si creatura non vocatur creator, tum creatura non eſt mutata. At creatura non vocatur creator: Ergo creatura non eſt mutata. *Reſp.* Etſi non vocetur creator, tamen vox iſta *creatoris*, cum de Deo dicitur, non dicit mutationem in Deo, ſed in creatura.

Obj. II. Si Deus poteſt jam iraſci, jam placari; tum Deus eſt mutabilis. At Deus poteſt jam iraſci, jam placari. Ergo. *Reſp.* Si poteſt iraſci ita, ut ira proprie in ipſum cadat. At ira non dicit in Deo *affectum*, ſed *voluntatem* & *effectum*. *Inſt.* Si in tempore iraſcitur, tum certe non ſignificat voluntatem: At in tempore. Ergo. Ratio conſequentiæ eſt. Quia voluntas æterna, ira non eſt æterna, ſed temporaria. *Reſp.* Dicitur voluntas ira, ob relationem ad extra. Quia voluntas reſpicit pœnam.

Obj. III. Si Chriſtus, qui erat Deus, factus eſt homo; Ergo Deus eſt mutabilis. At verum prius: Ergo & poſterius. Conſequentia certiſſima eſt. Nam qui erat tantum Deus, & poſtea factus eſt homo, ille eſt mutabilis. At Chriſtus erat. *Reſp.* quemadmodum antea: Non dicimus mutationem in Deo factam, ſed in creatura. *Inſt.* Non poteſt hoc ita eſſe. Nam qui accepit naturam in hypoſtaſin ſuam, ille eſt mutatus: At Chriſtus aſſumpſit humanam naturam in hypoſtaſin ſuam. Ergo. Major certa eſt. Nam aliud eſt hypoſtaſis abſolute dicta, aliud eſt hypoſtaſis cum aſſumpta humana natura. *Reſp.* Qui aſſumpſit naturam humanam, ut partem conſtituentem perſonam, ille eſt mutatus; atque ſic cadit Minor.

Obj. IV. Deus manifeſte videtur pati, & videtur duplex genus paſſionis in ipſum cadere: Vnum quod approbat & quo delectatur, quale eſt τὸ laudari: Alterum quod averſatur & odit, quale eſt, peccatis offendi. *Reſp.* ad prius, Laudari eſſe paſſionem immanentem. Paſſio autem immanens revera actio eſt, ut, verbi gratia, patet exemplo parietis qui videtur. Nam agit potius in viſum, quam patitur à viſu. Quod ad ſecundum attinet, Vox iſta *offendendi* poteſt dupliciter capi: vel pro *affectu*; & ſic ſi caderet in Deum, proprie dicta eſſet paſſio: vel pro *voluntate puniendi*; & ſic in Deo eſt, nec tamen paſſio.

QUÆSTIO XIII.

An juſtitia & miſericordia ſint in Deo naturalia?

Reſp. Hæc dupliciter accipi in Scriptura: 1. Pro effectis miſericordiæ & juſtitiæ. 2. Pro voluntate Dei, ex qua hæc effecta pendent.

Dum quæritur, an Deo ſit naturalis, nihil aliud quæritur, quam an Dei voluntas ſit propenſa ad puniendos malos, & an ſit propenſa ad ſuccurrendum miſeris? Quod vero juſtitia & miſe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

miſericordia ſit naturalis Deo, patet hinc, quia infinita eſt utraque. Miſericordia infinita eſt, quia ex hac Deus infinita debita vult condonare. Juſtitia infinita eſt, quia ex hac infinitum pretium exegit pro peccatis noſtris, ac aliter acquieſcere non vult, niſi ipſi ad ultimum uſque ſatisfactum fuerit. Et hinc videre eſt, quid de voce illa *acceptilationis*, quam Vorſtius & alii ad obſcurandam juſtitiam Dei confinxerunt, ſit ſentiendum. *Acceptilationem* vocant illi hoc, quando minus quidem, quam debetur, offertur creditori, ſed ita ut creditor iſtud, quod tamen non adæquat debitum, pro perfecta debiti exſolutione acceptet; ut, verbi gratia, ſi debeam alicui mille florenos, & numerem decem, & creditor hos decem meos acceptet pro integra ſumma. Hæc *acceptilatio* dicitur. Quod autem hæc ſtare non poſſit, patet tum ex juſtitiæ natura, tum ex Servatoris noſtri perfectiſſima Legis impletione, in qua dum confert ipſum Spirit. S. cum Adamo, *Rom.* 5, hoc ipſi attribuit, ut plus per ipſum nacti dicamur, quam per Adamum amiſiſſe; quod alias vere dici non poſſet, ſi Chriſtus minus, quam à nobis debebatur, exſolviſſet.

QUÆSTIO XIV.

An juſtitia puniens ſit Deo eſſentialis?

Reſp. Affirm. Argumentum I. Scriptura cum agit de pœna, quam Deus infligit peccatoribus, juſtitiam ipſius commemorat. Ergo juſtitia puniens ipſi eſt eſſentialis. Conſeq. Nam quæ non ſunt eſſentialia in Deo, illa dicuntur ex voluntate proficiſci. *Reger. Adverſ.* Omnia dicuntur ex voluntate Dei proficiſci, & ſic hoc argumentum deſtruitur. *Reſp.* Dicimus quidem, omnia ex voluntate Dei proficiſci, ſed voluntas illa varie in Scripturis accipitur: vel enim eſt beneplacitum, vel juſtitia, vel benignitas. Quando dicimus opponi voluntati, juſtitiæ, ſanctitati &c. intelligimus voluntatem beneplaciti.

II. Iuſtitia Dei eſt ſanctitas. At ſanctitas eſt Deo eſſentialis. *Reger.* Neg. Puritatem & ſanctitatem Dei eſſe juſtitiam punientem, quia juſtitia puniens poterat non exſtitiſſe: ſanctitas autem non poterat non eſſe. *Reſpond.* Poterat non eſſe quoad *relationem ad extra*, *objecta*, *effecta*, & *quoad nomenclaturam hanc*, quod vocetur decretum. At non poterat non eſſe *quoad abſolutam naturam.*

III. Si miſericordia in Deo eſt naturalis, ſequitur & juſtitiam eſſe naturalem. Ratio Conſeq. Quia circa peccatum utrumque verſatur. Antecedens verum. Quia miſericordia eſt bonitas Dei, *Tit.* 3. 4. Bonitas autem Deo eſſentialis eſt. *Reger.* Ergo neceſſario miſeretur Deus omnium, cum tamen Scriptura dicat, miſeretur quorum vult, *Rom.* 9. 15. *Reſp.* Falſa hypotheſis præſupponitur, ſcilicet, quod attributa naturalia neceſſario operentur ad extra. Nam potentia Dei eſt naturalis; non tamen Deus effecta potentiæ ſuæ ad extra neceſſario edit.

Obj. I. Iuſtitia puniens eſt attributum relatum; Ergo non eſſentiale. Attributa enim relativa non eſſent futura, niſi objecta extra Deum futura eſſent. *Reſp.* Secundum *nomenclaturam*, quam capiunt ex objectis externis, omnino non fuiſſent: interim fuiſſent *ſecundum eſſe abſolutum. Inſt.* Si ſecundum relativum eſſe non eſſent futura, niſi objecta externa futura fuiſſent; tum ſequitur, quod neque eſſe relativum ad intra futurum fuiſſet, niſi objecta externa fuiſſent. Sed abſurdum eſt poſterius. Ergo. Conſeq. Quia relatio Patris, ad Filium eſt relatio, & contra, eſt relativum quoad intra. *Reſp.* Alia eſt relatio *ad extra*, quæ nullam mutationem in Deo infert; Alia *ad intra*, quæ perſonalitatem conſtituit.

Obj. II. Miſericordia eſt in Deo: Ergo non poteſt eſſe juſtitia puniens. Quia oppoſita non poſſunt eſſe in Deo. *Reſp.* Negamus eſſe oppoſita. Nam inter requiſita oppoſitionis debet eſſe idem ſubjectum, idem prædicatum, idem reſpectus, eadem circumſtantia temporis; quod hic non fit. *Inſtant:* Cadunt in Deum ut ſubjectum, ita accidentia, proinde & oppoſita, quia ſubjectum à ſubjecto oppoſitis accidentibus differt. *Reſp.* Cadunt in Deum, tanquam cauſam *conſervantem* & *efficientem*, *efficienter* ſcilicet *virtualiter*, non *eſſentialiter* ſive *formaliter*.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Obj. III. In Deo nihil majus & minus. Atqui juſtitia minor eſt miſericordia. Ergo non eſt in Deo juſtitia. Conſequentia clara. Nam in Deo omnia infinita. Minor, *Exod.* 20. 6. *Reſp.* juſtitia minor dicitur, 1. Eo, quod juſtitia cauſam habeat, miſericordia nullam. Nam nunquam Deus aliquem punit, niſi propter cauſam, id eſt, peccata. Miſeretur autem ſine cauſa propter ſe, cum nullam cauſam invenit in homine. 2. Miſericordiæ major effectus eſt, quam juſtitiæ, quia magis miſeretur ſuorum, quam punit perditos. Hinc propter decem vult parcere millenis Sodomæ, *Gen.* 8. *Inſt.* Deus nulla in re magis commendatur, quam in bonitate & miſericordia, quæ etiam ſe extendit ſupra reprobos; ſolem enim facit oriri ſuper utroſque, cum non puniat niſi injuſtos. *Reſpond.* Deus gratuito facit hoc ex miſericordia: juſtiſſime autem, quæ facit in illis, quos perdit & punit.

QUÆSTIO XV.

An Deus neceſſario puniat peccata?

Reſp. Affirmat. Argumentum I. Deus neceſſario odit peccata: Ergo neceſſario punit. Conſequentia. Quia odium in Deo nihil eſt aliud niſi voluntas puniendi. *Excip.* Deum non neceſſario odiſſe peccatum: Ratio, quia quod peccatum eſt, ſi vellet Deus, poſſet eſſe non peccatum. *Reſp.* Si ita eſſet, poſſet Deus amare peccatum, & odiſſe bonum: quod eſt abſurdum; ita enim virtus poſſet eſſe vitium, & contra.

II. Scriptura teſtatur, Deum non poſſe ferre peccatum. Ergo non poteſt non punire. Conſequentia. Quia non poſſe ferre peccatum, eſt idem, quod non poſſe non punire. Minor, *Eſa.* 1. 13. *Excip.* Non poſſe ferre, quia non vult, & quia decrevit non ferre; alioquin ex abſoluta poteſtate ferre poteſt: nihil enim ei eſt impoſſibile. *Reſp.* Certe nihil impoſſibile quod contradictionem non implicat. At Deum poſſe ferre iniquitatem, cum natura juſtus ſit, contradictionem implicat.

III. Peccatum ratione Dei eſt meritum: Non poteſt ergo illud non punire. Conſequentia, Quia obligatur ad hoc; ad quod autem obligatur, illud neceſſario præſtat, cum juſtus ſit: quod vero peccatum ratione Dei meritum ſit, (vel, ut alii dicunt, demeritum) patet ex eo, quia non debet committi. *Excip.* Adverſarii: Deus nemini obligatur. Ergo nec peccatum neceſſario punit: Alioqui qui obligatur, legem habet, Deo autem lex nulla eſt. *Reſp.* Lex Deo eſt natura ipſius; ita non poteſt mentiri, non *ex lege*, ſed *ex natura*.

Obj. I. Deus quibuſdam remittit peccata: Ergo non neceſſario punit. *Reſp.* Si remitteret nulla ſatisfactione accepta. At *Eph.* 1. 7. *Inſt.* Si remiſſio pugnat cum ſatisfactione: Ergo non remittit Deus ſatisfactione accepta. At pugnat &c. *Reſp.* Scilicet, ſi ab eadem perſona fiat ſatisfactio, cui peccata remittuntur; ſed hic aliter ſe res habet. Nam hic aliis remittuntur peccata, & alius ſatisfacit, nempe Chriſtus.

Obj. II. Deus poteſt hominem annihilare. Ergo non neceſſario punit. Quia minus eſt non eſſe, quam mortem æternam ſuſtinere, ut docetur *Matth.* 26. de Iuda. *Reſp.* Falſum antecedens. Nam Deus non poteſt ex hypotheſi juſtitiæ ſuæ annihilare hominem. *Inſt.* Poteſt tamen aliquem pœnæ gradum condonare, cur ergo non totam pœnam? Nam ſi non repugnat juſtitiæ ejus, gradum aliquem condonare, nec totius remiſſio pugnabit. *Reſp.* Falſum, quod aliquem gradum condonare poſſit, aut etiam condonet; hinc pœnarum inæqualitas in inferno.

Obj. III. Quilibet proximo de ſuo jure poteſt condonare. Ergo Deus multo magis. Ratio conſeq. Quia poteſt aliquis ſervum dimittere, multo magis Deo licebit. *Reſp.* Major falſa: Quia poteſt aliquis ſervum dimittere, nec ullam curam amplius habere, & ſervum tamen ſupereſſe: ſi vero Deus alicujus curam non habeat, non poteſt conſiſtere, vel ad momentum. *Inſtant*: Imo hæc ita eſſe, Scriptura oſtendit, Deo licere nimirum quod hominibus. Imo & Deum hoc facere; ita enim precamur in Oratione Dominica: *Dimitte nobis ſicut & nos* &c. At nos condonamus ſine ſatisfactione. Ergo & Deus. *Reſp.* Particula, *ſicut*, non eſt *æqualitatis*, ſed *ſimilitu-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

militudinis; quæ oſtendit, in eo debere conveni-re noſtram condonationem cum Dei, quod *ſincere* fiat.

QUÆSTIO XVI.

An Deus remittat peccata, nulla ſatisfactione accepta?

Reſp. Neg. Vide probationem in Locis Communibus.

Obj. I. Si Deus remittit nobis peccata non niſi ſatisfactione à Chriſto accepta; Ergo Filius magis eſt miſericors quam Pater, & Pater magis juſtus quam Filius. *Prius*; quia Filio nullum pretium depenſum. *Poſterius*; quia Filius remiſit peccata nullâ ſatisfactione accepta: Pater vero non remiſit ſine ſatisfactione. *Reſp.* Negatur utrumque. Nam Chriſtus eſt æternus Deus, Deus autem non abſolvit ſontem: Ergo Chriſtus non condonat ſine ſatisfactione. *Inſt.* Ergo Chriſtus ſtatuetur ſibi ipſi dependiſſe pretium. At nemo ſibi ipſi pretium ſolvit. *Reſp.* 1. Non eſt abſurdum, Chriſtum ſibi ipſi ſatisfeciſſe. 2. In divinis hæc regula non obtinet. 3. Actus juſtitiæ *proprie* eſt ad alterum; *analogice* vero eſt etiam ad ſe ipſum, cum quis ſuum ſibi tribuit. *Inſt.* Qui nobis non fuit offenſus, ſed placatus; ille ſibi pro nobis ſatisfeciſſe non eſt dicendus: Chriſtus nobis non fuit offenſus. *Reſp.* Neg. Minor. *Inſt.* Si Filius fuit nobis offenſus; Ergo non potuit eſſe Mediator. Verum prius. Ergo & poſterius, Quia pars offenſa non poteſt eſſe mediatrix. *Reſp.* Neg. *Matth.* 5. 23, 24. *Inſtant*: Offenſus non poteſt Mediatorem agere apud ſemet ipſum. *Reſp.* Neg. *Matth.* 5. 23, 24. & 18. 15. *Inſt.* Si Chriſtus pro nobis pretium dependit; Ergo oportet apparere cui hoc dependit. Sed non apparet. Nam Deo non dependit. quod probatur: Cui nos non eramus captivi, illi non poteſt dici depenſum eſſe pretium pro nobis; Deo captivi non fuimus, ſed Satanæ, *Hebr.* 2. 14. 1 *Ioan.* 3. 8. Chriſtus dicitur propterea veniſſe, ut diſſolvat opera Diaboli. *Reſp.* Captivi ſumus Dei tanquam *ſummi Domini*; Diaboli tanquam *famuli*. *Inſt.* Si Deus non poteſt eſſe accipiens: Ergo Chriſtus, qui datus eſt nobis à Deo, non poteſt ei eſſe pretium noſtræ redemptionis. Verum prius. Ergo. *Reſp.* Falſum hoc. Nam Deus dedit arietem Abrahæ, & tamen Abraham illum ei offert, *Gen.* 22. 13. *Inſt.* Si Deus Chriſtum prius dedit, poſtea iterum accepit in redemptionis pretium; Ergo potuit ipſum prius retinuiſſe apud ſe, & nunquam dare. Verum prius. Ergo. *Reſp.* Chriſtus non eſt pretium redemptionis, ut à Deo datus eſt; ſed ut ſe ipſum & ſanguinem ſuum obtulit.

Obj. II. Si Chriſtus pro nobis ſatisfeciſſet: Ergo vice noſtri punitus fuiſſet. Sed non vice noſtri punitus eſt. Ergo. Quia non eſt juſtum, ut innocens pro nocentibus moriatur, *Ezech.* 18. *verſ.* 20. *Reſpondent.* Non eſt juſtum, ut filius pro patre puniatur invitus, qui patris ſponſor non eſt. *Inſt.* Si Chriſtus vice noſtri mortem æternam ſuſtinuit; Ergo ipſi peccata noſtra imputata, peccator ergo factus: quod abſurdum; Quia omnis peccator, filius Diaboli. *Reſp.* Chriſtus factus eſt peccator *per imputationem*, non *actu*. *Inſt.* Omnino ſi ipſi peccata noſtra imputata: Ergo actu peccator fuiſſet dicendus; quod horribile: & ratio eſt; Quia ex eo, quod Deus nobis Adæ peccatum imputavit, in nobis pravitas naturæ oritur, unde actu peccatores conſtituimur. *Reſp.* Imputat Deus dupliciter: vel ita ut imputatum peccatum ſit cauſa peccatorum aliorum in eo, cui imputatur; & ita Adæ peccatum nobis imputatur: vel ut cauſa peccatorum non ſit, ſed tamen cauſa pœnæ; ita Chriſto peccata noſtra imputavit, *Eſa.* 53. *verſ.* 8.

Obj. III. Si Chriſtus mortem æternam ſuſtinuit: Ergo pœnam damni & ſenſus; quod falſum. Quoad prius. Pœna damni conſiſtit in ſeparatione à communione Dei. Si Chriſtus ſeparatus fuit à Deo; Ergo unio, quæ eſt inter divinam & humanam naturam, tunc fuit ſoluta. Sed. Ergo. *Reſp.* Fuit ſeparatio non *quoad rem*, ſed *quoad ſenſum* tantum. *Inſtant*: Si in morte non erat homo; Ergo unio inter divinam & humanam naturam fuit ſoluta. Sed. Ergo. *Reſp.* Fuit homo *naturaliter*, non *formaliter*. *Inſt.* Si principia non permanſere; Ergo nec naturaliter. Quia principia extra to-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

rum, ut & partes, non niſi catachreſtice talia vocantur. *Reſpondent.* Principia vocantur, vel quia ex ipſis poteſt aliquid fieri naturaliter, & hæc principia ſeparata, dicuntur principia ἀκύρως· vel quatenus ab ipſis ſupernaturaliter fieri poteſt aliquid compoſitum, & hoc pacto dicuntur vera principia. *Inſtant*, quoad poſterius: Pœna ſenſus, eſt vermis; quem Chriſtus non habuit. Nam vermis ille edens, eſt mala conſcientia. *Reſp.* Pœna ſenſus non in hoc ſolum conſiſtit, ſed etiam in horrore & metu. *Inſt.* Eo pacto ſtatuetur, Chriſtum metuiſſe: Ergo in illo fuit timor vel *filialis*, vel *ſervilis*. utrumlibet dixeris, Chriſtus peccator erit; quia filialis eſt peccatoris regeniti; ſervilis, peccatoris irregeniti. *Reſp.* Non eſt diſtinctio immediata timoris, fuit enim metus *naturalis*. Quia quod malum erat metuebat. *Inſt.* Qui erat Filius Dei dilectus, & in quo complacebat Patri, ille non poterat quod malum erat metuere: Chriſtus erat talis, *Matth.* 3. *Reſp.* Non erat, quod timeret propter ſe, ſed propter nos, quatenus perſonam noſtram, vas pro nobis factus, in ſe ſuſcepit.

QUÆSTIO XVII.

An Miſericordia Deo ſit eſſentialis?

Reſp. Affirm. Argumentum I. Bonitas eſt Deo eſſentialis; Ergo & miſericordia. Conſequentia. Quia miſericordia & bonitas Dei eſt erga miſeram creaturam. *Reger.* Communicationem Dei duplicem eſſe; vel *ad intra*, vel *ad extra*. Ad intra abſolute neceſſaria, qualis eſt Patris, ratione Filii; Patris & Filii, ratione Spiritus Sancti. Ad extra non eſt abſolute neceſſaria, ac proinde nec eſſentialis Deo. *Reſp.* diſtinguendo communicationem iſtam, *quoad eſſe abſolutum*, & *quoad eſſe relatum*: Priori modo, Deo eſt neceſſaria, non poſteriori.

II. Iuſtitia Deo eſt eſſentialis: Ergo & miſericordia. Conſequentia: Quia miſericordia præ juſtitia in Deo commendatur. *Reger.* Quomodo poteſt hoc fieri, cum objectum juſtitiæ latius pateat? *Reſp.* Æſtimari ex duobus magnitudinem miſericordiæ. 1. Quod magis promptus ad benefaciendum ſuis, quam malefaciendum improbis. 2. Quia nulla eſt cauſa, cur miſericordiam his conferat, ſed peccatum cauſa pœnæ.

III. Miſericordiæ effecta ſunt infinita: Ergo ipſa infinita, & ſic Deo eſſentialis. Conſequentia: Quia infinitum effectum non poteſt proficiſci, niſi ab infinita cauſa; Deus autem ex miſericordia dedit nobis Filium ſuum, quod eſt infinitum bonum. 2. Condonavit peccatum, quod eſt merito infinitum.

Obj. I. Iuſtitia in Deo eſt eſſentialis: Ergo non miſericordia. Quia oppoſita non cadunt in Deum. *Reſp.* Imo in hominibus juſtitia & miſericordia non ſunt oppoſita, nedum in Deo. *Inſt.* Iuſtitia dicitur in Deo, ira, miſericordia, odium, patientia, clementia: Atqui hi actus in hominibus ſunt oppoſiti. Ergo etiam in Deo. *Reſp.* Non ſequitur. Quia quicquid eſt in Deo, eſt ipſe Deus; ſed non quicquid eſt in homine, eſt ipſe homo.

Obj. II. Omnis miſericordia eſt affectus & paſſio. At in Deo hæc non ſunt. Ergo. Alias Deus mutationi eſſet obnoxius. *Reſpond.* In Deo miſericordia non eſt affectus: quia cum affectus dicitur de Deo, eſt voluntas ejus. *Inſt.* At dicitur Deus pœnitere. *Reſpond.* Non proprie ei tribui. Nam pœnitentia oritur ex ignorantia. 2. Ex eo, ſi alicui eveniat inexſpectatum aliquid; quæ de Deo dici non poſſunt.

Obj. III. Miſericordiæ Dei cauſa eſt, ſed eſſentiæ ejus nulla cauſa eſt. Conſequentia; quia Chriſtus cauſa eſt, cur Deus noſtri miſereatur. *Reſp.* Imo vero etiam quod Chriſtum nobis dederit, fecit ex miſericordia, *Rom.* 5. 6, 7, 8. *Ioan.* 3, 16. *Inſt.* Atqui miſericordia Dei eſt effectus Dei: quomodo ergo ab effectu poterat proficiſci, quòd Filius in mundum venerit? Minor, *Exod.* 20. 6. *Reſp.* Vox *miſericordiæ* dupliciter capitur in Scriptura: vel pro *effectu miſericordiæ Dei*, ut citato loco: vel *pro ipſa cauſa* iſtius effectus; & hoc modo accipitur *Tit.* 3. 5.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

QUÆSTIO XVIII.

Quid per affectus, quos Scriptura attribuit Deo, intelligatur?

Reſpond. Denotant vel voluntatem aliquid faciendi, vel effectus. Hinc illa regula Theologica: *In Deo affectus ſunt effectus.*

Quæ tamen regula totum non exprimit quod debet. Nam non tantum affectus effectus ſunt, ut diximus; ſed etiam ipſa voluntas Dei: ut, verbi gratia, Ira, odium, eſt voluntas Dei, ſecundum quam non vult benefacere creaturæ. Hoc tantum ſit notandum, quod quando affectus Deo tribuuntur & effectus intelliguntur, tribuatur hoc Deo per peculiarem quandam metaphoram, quæ ab hominibus tantum petitur, & propter hoc ἀνθρωποπάθεια à Theol. vocari conſuevit. Metaphora autem hæc petitur ex ſimilitudine affectuum, ut quia hæc vel illa Deus efficit, quæ facta in hominibus à tali cauſa facta cenſeantur, in Deo cauſa eadem eſſe ſtatuatur. In diſputationibus autem, qui urget aliquid, quod dicitur ἀνθρωποπαθῶς, hoc urgere debet, ut illi ratio ἀνθρωποπαθείας explicetur.

CAPUT V.

De Deo in Specie.

QUÆSTIO I.

An ſint tres Perſonæ in eſſentia Dei?

RESP. Affirm. Argumentum I. *Eſa.* 48. 16, 17. Ubi Jehova inducitur loquens ſe miſſum à Jehova & Spiritu ejus; Ergo ſunt tres Perſonæ. Miſſus, mittens, & Spiritus ejus. *Reger. Iehova, verſ.* 16, de ſeipſo non loquitur. *Reſp.* Connexio verſuum hoc plane oſtendit, *verſ.* 12, 13, 14, 15. Nam ille hic loquitur *verſ.* 16, qui loquitur *verſ.* 12. & 13. At ibi loquitur Jehova.

II. Ex *Eſa.* 63. *à verſ.* 6 *ad finem*, ubi tres nominantur: Jehova, Angelus faciei ejus, & Spiritus Sanctitatis ejus: Tres ergo perſonæ. *Reger.* Angelum illum non eſſe Deum. *Reſp.* Conferatur locus iſte cum *Exod.* 23. 21, 22, 23, qui plane de eadem re agit; tunc apparebit, hunc Angelum eſſe increatum. Probatur autem, hunc Angelum eſſe increatum. 1. Quia irritatur & tentatur. 2. Quia remittit peccata non *miniſterialiter*, ſed *principaliter*; Miniſterialiter peccata remittere erat penes Aaronem, & tribum Levi.

III. *Hag.* 2. 5. Ubi tres nominantur: Jehova, Verbum ejus, & Spiritus ejus. Ergo tres Perſonæ. Conſequentia: Quia cum Verbo paciſcitur fœdus; *inire* autem fœdus perſonarum eſt: Atqui hic ineunt fœdus, Jehova, Verbum, & Spiritus. Ergo Jehova, Verbum, & Spiritus, ſunt tres Perſonæ. *Excip.* Hic Verbum & Spiritus eo modo accipiuntur, quo *Pſal.* 33. 6. *Reſp.* Ita eſt, & ibi accipiuntur pro Perſonis, quod liquet ex collatione *Ioan.* 1. 1. & *Iob.* 33. *verſ.* 4. *Spiritus Iehovæ fecit me.* Prior locus de Verbo, poſterior de Spiritu expreſſe agit.

IV. *Matth.* 28. 18, 19. *Baptizate,* &c. unde ſic: Si auctoritas eorum eſt eadem, tum & eſſentia eadem erit. Conſeq. Quia auctoritas ſequitur naturam. Minor, *Act.* 4. 7. *Reger.* Auctoritas hæc Chriſto, ut & omnis poteſtas, eſt tantum conceſſa. *Reſp.* Poteſtas Chriſti duplex eſt; *eſſentialis,* & *mediatoria.* Mediatoria eſt conceſſa, eſſentialis non item, *Ioan.* 5. 26.

V. 1 *Cor.* 12. 5, 6. Quibus eadem opera tribuuntur ad extra, illi ſunt ejuſdem eſſentiæ. At Patri, Filio, & Spiritui Sancto. Ergo. *Reger.* Poſſe eſſe communia opera, ſed non æqualiter operari. *Reſp.* 1. Si nullum diſcrimen additur inter hos tres, tum fruſtra ab Adverſariis hoc adjicitur. 2. Si hæc non poſſunt peragi, niſi à vero Deo, quæ hic referuntur, tum hi æqualiter ſunt Deus. Verum prius. Conſeq. Nam miracula patrare, non eſt niſi Dei; multo magis, poteſtatem dare patrandorum miraculorum.

VI. 2 *Cor.* 13. 13. Si Apoſtolus precatur gratiam Dei à Patre, Filio, & Spiritu Sancto; tum tres ſunt Perſonæ eſſentiæ divinæ. Verum prius. Conſeq. Quia invocare non debemus niſi ſolum Deum; Eſt autem invocatio pars cultus divini religioſi. *Reger.* In Novo Teſtamento permittere Deum invocationem religioſam, etiam illis qui non ſunt Deus: *Apocal.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

1. 4. Ubi invocantur ſeptem Spiritus. *Reſp.* 1. Æquè prohiberi cultum deferri illis, qui non ſunt verus Deus, in Novo Teſt. ac in V. T. vide *Matth.* 4. 10. 2. Adverſarius pro conceſſo ſumit, quod iſti Spiritus ſint creati, cum iſti dicantur ſeptem dona Spiritus, quæ in Eccleſiam ſuam effundere ſolet, *Eſa.* 11. 2.

Obj. I. Repugnat hoc Veteri Teſt. ibi enim paſſim unus Deus proponitur. Ergo non ſunt tres. *Reſp.* Unus in eſſentia, Trinus in perſonis. *Inſtant:* Si tres perſonæ; ſequitur, perſonas aut eſſe Deum, aut non: ſi non ſint; nullus Deus. ſi ſint; Ergo tres erunt Dii. *Reſp.* Si ſunt tres quoad eſſentiam, ſed non quoad modum ſubſiſtendi. Deus enim eſt vel Pater, vel Filius, vel Spir. Sanctus.

Obj. II. Si Deus eſt trinus in perſonis, quæ cauſa, quod loquatur in ſingulari numero, cum opera ad extra ſint indiviſa, ac proinde communia Patri, Filio, & Spiritui Sancto? *Reſp.* Non tantum loqui in ſingulari, ſed etiam in plurali. Ita ut hoc argumentum recte torqueri poſſit in Adverſarium. Vide *Gen.* 1. 26. & 3. 22. *Inſt.* Loquitur ibi more magnatum. *Reſp.* 1. Si more magnatum, cur ſemper non eſt ita locutus? 2. Si more magnatum ita loquitur, tum debuiſſet ita loqui, ubi ſuam majeſtatem maxime conſpicuam (quod fiebat in Legis promulgatione) exhibuit; quod factum non eſt, *Exod.* 20.

Obj. III. Si doctrina iſta propoſita fuit in V. T. Judæi eam nôſſent. At non nôrunt. Ergo. Minor patet ex *Rom.* 4. 10. *Reſp.* Judæi hoc ignorant, non quod non fuerit propoſitum in Verbo Dei, ſed quod occæcati ſint, 1 *Cor.* 4. 4. 2. Neque doctrinam de Juſtificatione nôrunt, quæ tamen propoſita eſt, *Rom.* 4. 10. *Inſt.* Si ita res habet, cur ergo commendantur Judæi ex eo, quod concredita ſint eis eloquia Dei? *Rom.* 3. 2. *Reſp.* Dicitur id de Iudæis fidelibus, ut patet *verſ.* 3. *Pſal.* 147. 19, 20.

Obj. IV. Etiam unus Deus dicitur in N. T. *Reſp.* Eſſentia ſcilicet, perſonis trinus. *Inſt.* Imo una eſt perſona, quia Deus ſaltem Pater dicitur. *Reſp.* Non dicitur oppoſite ad Filium & Sp. Sanctum. Nam ſic etiam Pater non eſſet Deus: quemadmodum enim Patri tribuitur, quod ſit unus Deus; ita Filio quod ſit Dominus: & quemadmodum Pater non excluditur à Dominio; ita nec Filius & Spiritus Sanctus à Deitate.

Obj. V. *Ioan.* 17. 3. Si Pater eſt ſolus verus Deus, tum non ſunt tres perſonæ in eſſentia divina. Verum prius. *Reſp.* Imo vero hic à prædicato non excluditur Filius. Nam manifeſte per copulam intelligitur, & oſtenditur æquè ad Filium pertinere, quod ſit verus Deus, quam ad Patrem. Nam hic eſt ſenſus loci: hæc eſt vita æterna, Pater, ut cognoſcant te, quod ſis verus Deus, & etiam Chriſtus ſit verus Deus. *Inſt.* Chriſtus vocat Patrem Deum ſuum. At qui habet ſupra ſe Deum, non eſt verus Deus. Minor, *Matth.* 27. 16. *Reſp.* Vocat Patrem Deum ſuum ratione humanæ naturæ. 2. Ratione officii Mediatorii Chriſtus vocatur ſervus Dei, *Matth.* 12. 11.

Obj. VI. In eſſentia Divina non ſunt perſonæ plures, *Marc.* 12. *verſ.* 32. Nemo novit diem extremi judicii niſi Pater: Ergo ſolus Pater eſt Deus: hic autem nulla occaſio effugii dari poteſt, cum additur, neque Filius ipſe. *Reſp.* Non novit quatenus homo, ſed quatenus Deus. Prob. *Matth.* 11. 27. *Inſt.* Etiam quatenus Deus non novit. Quia fuit factus, *Act.* 2. 36. *Reſp.* Dominium Chriſti, eſt vel *eſſentiale*, vel *mediatorium*: Ratione poſterioris eſt factus, quod ipſi conceſſum eſt, *Matth.* 28. 18. *Data eſt mihi omnis poteſtas*, &c. Non ratione prioris.

Obj. VII. Si ſunt plures Perſonæ in eſſentia divina, oportebat hoc notum eſſe in V. T. Nam quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtram inſtitutionem ſcripta ſunt, *Rom.* 15. 4. At hæc nota non fuerunt. Ergo etiam hæc ſcripta non ſunt. Si nota fuerunt; oſtendatur, quod unquam aliquis invocaverit Patrem, Filium, & Spiritum S. *Reſp.* Patrem fuiſſe invocatum, extra omne dubium eſt; Filium invocatum eſſe, patet ex *Pſ.* [× Dan. 9] 2. 12, *Oſculamini Filium*, &c.× conferatur locus cum *Ierem.* 17. 5, *Maledictus vir ille, qui fiduciam habet in homine.* De Spiritu S. patet 2 *Sam.* 21. 2, 3.

Objicitur contra: Si invocatus eſt Pater, Filius, & Spir. S. tum invocantur ita, ut ab iſtis, qui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

qui Trinitatem profitentur, docetur. At non ita invocantur. Nam Pater debet invocari per Filium; at de hoc nullibi in V. T. Ergo invocatio talis nulla eſt, & per conſequens non invocatur. *Reſp.* In V. T. haberi, etiamſi non per expreſſum, tamen implicite. Implicite autem oſtenditur manifeſtiſſime ſacrificiorum reſpectu, ſine quorum interventu Deus non placabatur: Sacrificia autem Chriſtum denotaſſe, manifeſte patet, *Eſa.* 53. 10. Ubi dicitur, quod ſe ſacrificium ponat pro reatu multorum. Jam autem nulla ratio dari poteſt, cur Chriſtus vocetur ſacrificium, & cur ſacrificia vocentur ſacrificia, niſi quod ſacrificiorum illorum fuerit typus Chriſtus. Fuiſſe autem typum, patet, quia Chriſto paſſo ceſſârunt, *Dan.* 9. 26, 27. Hæc enim natura typorum, ut adveniente iſto, quem præfigurabant, ceſſent.

Contra. At nulla mentio Filii Dei in V. T. aut ſi aliqua eſt, unius Filii non eſt, ſed multorum, ut *Ioan.* 2. & aliis locis. *Reſp.* Filii mentionem fieri, tum aliis locis clariſſimis V. T. tum imprimis *Pſ.* 2. Diſcrimen autem eſſe inter filios iſtos, de quibus *Ioan.* 2, & hunc, patet ex eo, quod in hunc confidere jubeamur, in alios non.

Contra. Verum ſi Filius eſt diverſæ naturæ ab aliis; Ergo non poterit dici in tempore genitus; at in tempore dicitur genitus, *Pſal.* 2. 7. *Reſp.* Particulam iſtam *hodie*, eſſe notam æternitatis; id quod patet 1, ex quibuſdam adjunctis, quæ huic Filio tribuuntur, inter alia cultus. 2. Ex eo quod hic Filius dicatur genitus ante ſolem, *Pſal.* 72. ubi tale verbum reperitur, quod filiari ſignificat. 3. Non tantum ante ſolem, quo Spiritus S. æternitatem ſolet deſcribere, ſed etiam ab æterno, *Mich.* 5. 2.

Contra. Ergo Deus unus non erit. Atqui Deus unus eſt: ut docetur paſſim in Scriptura, *Deut.* 6. 4. *Exod.* 20. *Reſp.* Unus eſſentia, non perſonis. *Contra:* At de hoc ne gry quidem in V. Teſt. *Reſp.* Expreſſe nihil, ſed implicite: quod oſtendo. 1, Eſſe plures perſonas, ex *Gen.* 1. 26, Faciamus hominem ad imaginem noſtram: & 3. 22. Ex his manifeſte patet, eſſe plures perſonas, & tamen eſſe unum Deum. Jam autem hæc conciliari nunquam poterunt, ſi hæc diſtinctio rejiciatur. Nec eſt, quod Judæus dicat, Deum alloqui Angelos. Nam hoc textus refellit. Illos enim alloquitur, ad quorum ſimilitudinem homo eſt factus: at homo factus ad imaginem Dei, ut docetur *Gen.* 6. 26.

Obj. VIII. Videtur hæc doctrina repugnare, tum ipſi *naturæ rei*, tum *Scripturæ*. Naturæ, tum *ratione eſſentiæ*, tum *ratione perſonarum.* Eſſentia Dei enim eſt ſingularis; Omne quod eſt intelligens, volens, ſingulare, eſt Perſona. At eſſentia Dei talis eſt. Ergo eſt Perſona. *Reſpondent* noſtri Theologi: Omne ſingulare quod non eſt communicabile.

Inſt. Quodcumque communicatur diſtinctis perſonis, ita ut de ipſis prædicetur in quid, hoc ipſo ſingulare non eſt. Atqui eſſentia divina, quam dicunt communicari perſonis divinis, ita communicatur. Ergo eſſentia divina non erit ſingularis; at quod ſingulare non eſt, ſpecies vel genus eſt. *Reſp.* Poteſt aliquid commune eſſe alicui, quod tamen univerſale non eſt: verbi gratia, ut eſſentia in Metaphyſicis communis eſt modis & unitati & veritati, & interim tamen eſſentia ex hoc non eſt univerſalis.

Inſtant: Atqui modi iſti nihil ſunt, quomodo ergo iſtis communicari poterit? num nihil nihilo communicatur? Nihil eſſe probo: Nec enim ſunt ſubſtantia, nec accidens. Ergo nihil ſunt. Subſtantia non ſunt, quia tres ſubſtantiæ darentur. Quod accidentia non ſint, patet, quia in Deo accidens nullum: & accidens non conſtituit perſonam. *Reſp.* Eſt modus rei, & eſt eſſentiæ. Ergo aliquid. Eſt igitur inſufficiens enumeratio. Quare ſic eſſet dicendum, vel ſubſtantia, vel accidens, vel ſubſtantiale aliquid.

Inſtant: At modus non conſtituit Perſonam. *Reſp.* Singularitas eſt modus, & tamen hæc in ſubſtantia completa rationali facit, ut ſit perſona.

Inſtant: At Perſona eſt Eſſentia intelligens volens, non communicata aliis. Modus vero tale quid non eſt. *Reſp.* Perſona dupliciter capitur, *abſtracte*, & *concrete*: Dum in concreto definitur, ita definiri ſolet.

Inſtant: At perſona non omnis in abſtracto Deus eſt: quod probo. Quod eſt ab alio, non eſt

eſt Deus. Perſona ſecunda, & tertia,eſt ab alio. Ergo non eſt Deus. Ratio conſequentiæ. Si propterea negaretur Chriſtus eſſe Deus, ſi non habet à ſe ipſo eſſentiam, quod propugnamus contra Arminium, tum eadem ratione ſequitur; ſi non habet modum ſubſiſtendi à ſe, tum non erit etiam Deus, quemadmodum iſta ratio conſequentiæ eſt: quia ubi eadem ratio, ibi eadem illatio. *Reſp.* Quod eſt ab alio, ita ut ſit diverſæ eſſentiæ ſingularis ab eo, à quo habeat originem Perſonæ ſuæ; ſic cadit Minor.

Inſtant: At Filius non tantum habet modum ſubſiſtendi à Patre, ſed etiam ipſam eſſentiam. quod probatur. Si incarnato Filio, non incarnatur Pater, item moriente Filio, non moritur Pater:tum conſequitur,eſſentiam Patris& eſſentiam Filii eſſe diverſam: At verum prius. E. & poſt. Conſeq. ratio. Ubi eadem eſſentia per omnia, ibi eadem ipſius attributa. At in Patre & Filio eadem eſſentia. Ergo etiam eadem attributa. *Reſp.* ad Majorem. Ubi eadem eſſentia & idem modus.

Inſtant: Imo vero negari non poteſt, ſi eadem eſſentia, Ergo incarnatus Pater incarnato Filio. Quod ſic probo. Opera ad extra ſunt indiviſa. At incarnatio eſt opus ad extra. Ergo eſt indiviſa, & per conſequens communis tribus Perſonis Divinitatis. Minor probatur ex theoremate iſto Theolog.quo frequenter utuntur: Opera Dei quæ edit in tempore,ſunt opera ad extra. *Reſp.* Opera ad intra ſunt duplicia: *merè divina*, ut generare Filium, procedere Spiritum Sanctum à Patre & Filio; & *Mediatorium*, quale eſt incarnari. Negatur ergo hoc opus Dei eſſe ad extra. Ad theorema Theologorum *reſp*. Opera quæ edit in tempore, eſſe ad extra; quæ terminantur ſcilicet ad creaturas, non autem quæ terminantur ad Perſonam ȣ λόγȣ.

Inſtant: At Theologi omnes docent,ad humanam naturam creandam concurriſſe omnes tres Perſonas. Ergo eſt opus Trinitatis ad extra. *Reſp.* Eſt ignoratio Elenchi. Nam non de hoc quæſtio eſt, utrum formatio humanæ naturæ Chriſti, ſit opus trium Perſonarum; hoc concedimus libenter: ſed hoc,utrum aſſumptio humanæ naturæ ſit opus trium Perſonarum: hoc negamus.

Inſtant: Si tribus Perſonis Deitatis tribuitur redemptio noſtri, tribuitur ſanctificatio noſtra, juſtificatio, tum ſequitur incarnatas eſſe; quia ſanguine redempti ſumus, ſanguine abluti ſumus à peccatis noſtris. *Reſpond.* Aliter tribuuntur tribus Perſonis, ut abſolute conſiderantur, aliter Perſonæ Mediatoriæ. Tribus Perſonis tribuuntur per modum cauſæ efficientis principalis; Mediatori autem per modum cauſæ meritoriæ. Vulgo ſic Theologi hoc ſolent exprimere: Juſtificat Deus nos efficienter: Mediator meritorie.

QUÆSTIO II.

An Chriſtus genitus ſit à Patre ab æterno? Reſp. *Affirm.*

Argumentum I. *Prov.* 8. 28. ubi Sapientia iſta dicit, ſe fuiſſe editam, cum nulli eſſent fontes graves aquis; imo cum ſtabiliret mundum, &c. *Reger.* Agitur per proſopopœiam de Sapientia Dei. *Reſp. Ioan.* 1. 1,3. *Pſal.* 2. 12, ubi de eadem re agitur.

II. *Pſal.* 2. 8. unde: Si Filius eſt genitus; neceſſario ſequitur,ex eſſentia Patris. *Reger.* Refelli hoc argumentum per hoc, quod additur *hodie*. Nam *hodie* tempus notat. *Reſp. Hodie*, ſcilicet ab æterno. Nam apud Deum nullum eſt tempus vel ſucceſſio. Adhibet Spir. Sanctus hanc vocem potiſſimum ad æternitatem deſignandam, eo quod æternitas ſemper ſit præſens. Hoc loco autem æternitatem notari, ſubjecta materia oſtendit. Nam agitur de eo, in quem fiduciam locare debemus, *verſ.* 12. Atqui in ſolum Deum debemus. *Ier.* 17. 5. Dei vero duratio non eſt tempus, ſed æternitas.

III. *Mich.* 5.2. Si eſt exortus Filius Dei ab initio ſeu principio à diebus ſeculi; tum Filius genitus eſt à Patre ab æterno. Conſequentia: quia exortus ille nullo modo poteſt ſumi, niſi aut de generatione, aut proceſſione. At non de proceſſione. Quia hæc eſt Spiritus. *Reger.* Exortum ipſius à principio eſſe,id eſt,*in prædeſtinatione*. *Reſpond.* Stulte hoc dici. Nam hoc pacto

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

nihil habuiſſet peculiare præ nobis, cum etiam nos ab æterno prædeſtinati ſimus. 2. Non dicitur prædeſtinatus, ſed exortus; quo rei eſſentia clariſſime oſtenditur.

IV. Chriſtus Deum Patrem ſuum vocat, ut intelligatur Pater ipſius eſſe proprius. Si ergo Pater eſt proprius; ſequitur, ex eo genitum eſſe. Conſequentia clara. Quia poteſt quidem aliquis aliquem aſſumere in filium, non tamen ei *proprius* eſſe poteſt, ſed tantum *adoptivus*. Minor, *Ioan.* 5. 18. *Reger.* Proprius dicitur, non quod genitus ſit ex Patre, ſed quod non ſit alienus, ea nempe ſignificatione, qua dicitur proprius Dei populus, id eſt, non alienus. *Reſp.* At hic dicitur proprius, prout opponitur adoptivis. Quia in ipſo nos adoptati ſumus, *Eph.* 1. 5. Ergo proprius, quia genitus ex eſſentia Patris, non quia non eſt alienus.

V. Chriſtus eſt unigenitus Dei Filius. Ergo ex eſſentia genitus. Conſequentia: nunquam enim unigenitus Dei dicitur eſſe, ſi ex eſſentia Patris genitus non ſit, cujus dicitur unigenitus. Duo *regerunt adverſ.* 1. Eum, qui unigenitus vocatur, vocari etiam *Ioan.* 1. 14. *quaſi* unigenitum. 2. Iſaacus, qui ſolus non erat filius Abrahæ, vocatur tamen *unigeniti*, *Heb.* 11. 17. Vnde patet vocem unigeniti accipi, quia maxime carum habuit præ reliquis. *Reſp.* 1. Particulam iſtam *quaſi* dupliciter capi (ut terminis utamur Scholaſticis) vel ut ſit *expreſſiva veri*, vel *aſſimulativa veri*. Exempli gratia, *Dominus meus, quaſi angelus Domini, 2 Sam.* 14. 18. Vbi *quaſi* aſſimulativa eſt veri. At *Luc.* 22. 44, *quaſi* guttæ ſanguinis, *quaſi* eſt expreſſiva veri. Sic hoc loco, ubi de Chriſto agitur, quia & Deum proprium Patrem vocat, *Rom.* 8. 32, proprius Filius vocatur. 2. Quod ad ſecundam inſtantiam: Iſaac vocatur unigenitus reſpectu Saræ, ex qua ſolus eſt unicus natus.

VI. Dicitur primogenitus, *Col.* 1. 15. Ergo ex eſſentia Patris genitus. Nam ſive dicas, ante omnia genitus, ſive dicas primogenitus metonymice, ut ponatur antecedens, & intelligatur conſequens, id eſt, ut ſit hæres omnium, (nam primogeniti hæredes ſolebant eſſe,) idem eſt. *Reger.* Eo modo primogenitus eſt omnis creaturæ, ut primogenitus ex mortuis: Atqui primogenitus ex mortuis non ſignificat Filium Dei, quaſi ex Deo genitum. 2. Omnes etiam fideles eſſe primogenitos, Spiritus Sanctus teſtatur, *Heb.* 12. 23. *Reſp.* Non quidem *virtute ſermonis* (ut Scholaſtici loquuntur), primogenitus ex mortuis ſignificat Filium ex Deo natum, *conſequenter* tamen ſignificat. Nam quid eſt primogenitum eſſe ex mortuis, quam quod agitur eodem verſu, Principium ſcilicet & cauſa, cur fideles ad vitam revocentur? Ille meritus eſt; mereri autem non potuiſſet, niſi fuiſſet Deus. Cum ergo dicitur genitus, dicitur etiam proprie genitus. 2. Aliter nos dicimur primogeniti, aliter ipſe. Nam nos primogeniti non *natura* ſumus, ut Chriſtus; ſed *gratia*, *Rom.* 8. 17. Ratio. Quia nos in Chriſto adoptati ſumus in filios, ut oſtenſum, *Eph.* 1. 5.

Obj. I. *Heb.* 2. 11. *Reſp.* Loquitur de humana Chriſti natura. *Inſt.* De tali agitur ibi, qui abolevit mortem. At abolevit ſecundum divinam naturam. *Reſpond.* Chriſtus ſecundum utramque abolevit; quoad humanam *meritorie*, quoad divinam *efficienter*.

Obj. II. Si Pater generat Filium, ſequitur, non ſemper fuiſſe. *Reſp.* Valet hoc in generatione *phyſica*; non quæ fit ab æterno, quæ eſt generatio *hyperphyſica*. *Inſt.* Si deſiit aliquando generari, Ergo cœpit. At hæc tempori ſubjacent, deſinere & gignere. Nam ſi dicatur non deſiiſſe, ſequetur, imperfectam ejus generationem. *Reſpond.* Omnes actus Dei internos eſſe perfectos, & tamen fieri; ut apparet ex Spiritu Sancto, de quo Chriſtus dicit, quod procedat à Patre. Argumentum hoc magni momenti non eſt in Philoſophicis. Nam ſunt quidam actus, qui ſimul ac incipiunt, perfecti ſunt, & tamen fiunt; ut, radii ſolares, qui ſparguntur in ſole, fiunt, & ſunt perfecti. In generatione quidem phyſica, dum generatur aliquid, perfectum non eſt, antequam deſiit generari: ſed dantur actus tamen tales, ut dictum.

Obj. III. Illud, *Ego hodie genui te*, accommodat Paulus ad reſurrectionem Chriſti, *Act.* 13. 32, 33. Ergo improprie dicitur genitus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Reſp. Accommodat ad reſurrectionem, non quod reſurrectio ſit generatio, ſed quod per reſurrectionem declaratus eſt Filius Dei, cum reſſuſcitatus fuit à Patre. *Inſt.* Quomodo reſſuſcitatus ab alio, declaratus Filius Dei. *Reſp.* Ita quidem, ſed etiam ſemet ipſum reſſuſcitat, *Ioan.* 2. 19. Ubi Chriſtus hoc tanquam miraculum propônit à ſe edendum, non per Patrem.

Obj. IV. Si Filius eſt ab æterno genitus, ſequitur mutationem factam in Deo. Sed falſum hoc. Ergo. Probatur. Genitum, poſtquam genitum eſt, deſinit gigni. Ergo. *Reſp.* Non deſinit gigni, ſed adhuc gignitur, *Ioan.* 1. 18. *Inſt.* Si adhuc gignitur, Ergo eſt generatio imperfecta. Ratio. Quia nondum terminum *ad quem* habet. *Reſp.* Sunt quidam actus, qui ſimul ac proficiſcuntur, ſunt perfecti, ut dictum. *Inſt. Mich.* 5. 2. *Et exortus ejus ab æterno.* Ergo non amplius egreditur, ſed egreſſus eſt. *Reſp.* Solet ita loqui Sp. Sanctus, ut oſtendat ejus perfectionem. *Inſtant: Pſal.* 2. 7. Ubi, *genui te*; non, *gigno te. Reſp.* Dicitur in Scriptura aliquid fieri, cum magis manifeſtatur.

Obj. V. Si Filius genitus; Ergo dependet à Patre. Minor probatur. Secundum pendet à primo, *ratione ordinis*, non *ratione naturæ. Inſtant:* Si eſt à Patre, Ergo quoad eſſe dependet à Patre. *Reſpond.* Non dependet *quoad eſſe*, ſed *ratione modi ſubſiſtendi*, Pater eſt principium Filii. *Inſt.* Si Pater eſt principium, Ergo Filius principiatum. Quia principium & principiatum ſunt relata: & relatorum uno poſito, ponitur & alterum. *Reſpond.* Iſta proprie non eſſe relata prædicamentalia, de quibus hoc enuntiatur, ſed transcendentalia. 2. Non etiam relatorum quorumvis poſito uno, ponitur alterum, ut in relatis *ſecundum dici* ſit. Non enim ſi eſt unum, ſtatim etiam eſt alterum, ſed in relatis *ſecundum eſſe. Inſtant:* Perſona non eſt modus. Filius eſt perſona. Ergo. *Reſp. Concretivè* non eſt modus, ſed *abſtractive*, ut perſonalitas. *Inſtant*: Si abſtractive; Ergo quoad perſonalitatem à Patre generatio fit in eſſentia. Ergo non ratione. modi. *Reſp.* Aliud eſt generationem fieri *in eſſentia*, aliud eſt fieri *eſſentiæ. Inſtant:* Si Filius generatur, aut generatur ex eſſentia, aut non. Si non; Ergo ex nihilo. Si ex eſſentia: Ergo duæ erunt eſſentiæ. *Reſp.* Non generatur *ex eſſentia*, ſed *in eſſentia ratione modi. Inſt.* Si contradiſtincta illa ſint, eſſentia & modus; Ergo non poteſt fieri in eſſentia ratione modi ſubſiſtendi. *Reſp.* Non eſt diſtinctio illa *realis*, ſed *modalis. Inſt.* Ergo communicatur eſſentia, vel non. Si non: Ergo nihil. Si communicatur: Ergo erit communicans & communicata: quod abſurdum. *Reſp.* Eſt *communis* ratione modi ſubſiſtendi, ſed non *communicabilis. Inſt.* Quod eſt commune, eſt communicabile. *Reſpond.* Neg. Nam omnia attributa Dei ſunt *communia*, ſed non *communicabilia.*

QUÆSTIO III.

An Pater ſit principium, Filius vero principiatum?

Reſp. Neg. Ob rationem præcedenti quæſtione allatam.

Obj. I. Quod habet vitam ab alio, illud eſt principiatum. At Chriſtus habet vitam ab alio. Ergo. Major certa. Minorem probo, *Ioan.* 5. 26. *Reſp.* Dedit vitam ratione modi ſubſiſtendi. *Inſt.* Ubi datur & accipitur, ibi eſt principium & principiatum. Atqui Pater dedit Filio vitam, & Filius accepit. Ergo eſt principium & principiatum. *Reſp.* Scilicet, ubi datur & accipitur ratione *eſſentiæ*, non *ratione modi.*

Obj. II. Qui ita ſe habent ut caput, & ut hoc quod ſubjicitur capiti, illi ſe habent ut principium & principiatum, quia ſe habent ut dependentia. Probo Minor. 1 *Cor.* 11. 3, *Caput vero Chriſti Deus.* Major certa: quod ſe habet ut dependens, illud eſt principiatum. *Reſp.* Hoc verum eſſe ratione humanæ naturæ. 2. Conſiderari hic Chriſtum Mediatorem non ſimpliciter.

QUÆSTIO IV.

An Chriſtus ratione modi ſubſiſtendi ſit genitus, & non ratione eſſentiæ?

Reſp. Affirm. Prius: Quia eſſentia non generatur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Obj. I. Qui habet eſſentiam divinam ex ſe, ille habet modos ſubſiſtendi ex ſe. Chriſtus habet eſſentiam ex ſe, & à ſe. Ergo etiam modos eſſendi habet à ſe. Ergo eſt à ſe Filius, & non ab alio. *Reſp.* Negatur Major. *Inſtant:* Si modi eſſendi ſequuntur eſſentiam: Ergo qui habet eſſentiam, habet modos. At modi eſſendi ſequuntur eſſentiam. *Reſp.* Diſtinguendum eſſe inter modos qui habent principia, & qui non habent principia: qui habent *principia creata* & *principium increatum*, iſti modi non *ſequuntur*, ſed ſunt *coëſſentiales.*

Obj. II. Si Filius ratione modi ſubſiſtendi eſt genitus, & non ratione eſſentiæ: Ergo ſequetur quod non ſit eſſentia divina. Abſurdum Poſt. Ergo & Prius. *Reſp.* Concedendo quod non eſſentia divina, ſed modus ſubſiſtendi in eſſentia divina ſit genitus. *Contra.* Atqui expreſſe noſtri Theologi hoc dant, quod eſſentia ſit Pater, eſſentia ſit Filius, eſſentia ſit Spir. Sanctus. Ergo fruſtra hoc negatur. *Reſp.* Dicimus, Patrem eſſentiam eſſe in *concreto*, & non *in abſtracto*; & Filium eſſe *in concreto*, non *in abſtracto* eſſentiam. *Contra.* Generatio ſubſtantialis, eſt ſubſtantiæ. At generatio Filii Dei eſt ſubſtantialis. Ergo eſt ſubſtantiæ. *Reſp.* Eſt ſubſtantialis, non quod ſubſtantia gignatur, ſed quod aliquid, quod eſt ſubſtantiæ, gignatur, ſc. modus.

QUÆSTIO V.

An Chriſtus ſit verus Deus? Reſp. *Affirm.*

Argumentum I. 1 *Ioan.* 5. 20. *Hic eſt verus Deus*, &c. Ergo verus Deus. *Reger. Socin.* 1. Particulam *hic* non referri ad Filium, ſed ad Patrem; & multa de eo philoſophantur, quod pronomen relativum, *hoc*, ſæpe referatur ad remotius, ſæpe ad proximius ſubjectum. 2. *Verum* dici, quod non eſt metaphoricum, ut *Ioan.* 1. 9, ubi dicitur, *Lux vera. Reſp.* 1. Certiſſimum eſt, pronomen relativum ſemper transferri ad ſubjectum orationis, ſive illud remotum, ſive propinquum. Hic autem ſubjectum orationis eſt Filius Dei. *Reſp.* 2. Cum Chriſtus dicitur verus Deus, non poteſt dici ratione *attributionis metaphoricæ*, ſed ratione *eſſentiæ*, idque ex iſta cauſa, quia nuſquam vocatur quiſquam verus Deus, niſi ratione eſſentiæ.

II. Filius eſt æqualis Patri, *Phil.* 2. 6. Major vera: Nemo autem poteſt eſſe par aut æqualis infinito, cum omnia in comparatione ad ipſum ſint *nihil*, *Eſa.* 40. 17. *Reger.* Si æqualis, cur ergo Patrem dicit majorem ſe? *Reſp.* Major eſt Pater. 1. Ratione officii Mediatorii. 2. Ratione humanæ naturæ.

III. Filius æqualiter operatur ac Pater, *Ioan.* 5. 19. Ergo. Conſequentia, quia qualis operatio, talis eſſentia. Operatio enim ſequitur eſſentiam. *Reger.* Imo dicitur in textu non à ſe operari. Ergo. *Reſp.* Dici hoc, non *ob defectum potentiæ*, ſed *ob inſeparabilitatem naturæ.* Vide ſimilem modum loquendi, *Ioan.* 16. 13.

Obj. I. Quod Chriſtus vocat Deum Deum ſuum. Sed Deus non habet Deum. *Reſp.* Vocat Deum ratione humanæ naturæ, & ratione officii Mediatorii, non ratione divinæ naturæ. vide *Rom.* 9. 5. *Inſt. Ioan.* 10. 34, 35, dicit, ſe ejuſdem generis Deum eſſe, ad quod pertinet, *Dii eſtis.* At iſti Dii ſunt non niſi metaphorice ſic dicti. Ergo & Chriſtus. *Reſp.* Argumentum hoc non eſt à comparatis æqualibus, ſed inæqualibus, hoc eſt, à minori ad majus, quod in hunc modum concipitur: Si iſti vocantur Dii; quomodo ego non debeo vocari, qui exivi à Patre, hoc eſt, Filius Dei ſum: quod probatur *v.* 37, quia opera, quæ Pater facit, facio.

Obj. II. Deus dicitur eum feciſſe Dominum & Chriſtum, *Act.* 2, 36. Ergo. *Reſp.* 1. Dicitur aliquid fieri, cum declaratur. Confer hunc locum cum *Phil.* 2. 9. 2. Dicitur factus Dominus & Chriſtus *ratione officii Mediatorii.* vide *Pſalm.* 2. 6. non *ratione regni eſſentialis. Inſt.* Atqui data eſt ipſi poteſtas divinitus, *Matth.* 28. 18. Ergo factus eſt Deus. *Reſp.* Agi ibi de regno Chriſti *Mediatorio*, non regno *eſſentiali*, quod jure creationis obtinet.

Obj. III. Non operatur æqualiter cum Deo Patre, quia Deus dicitur per ipſum facere quæ facit, *Ioan.* 1. 3. *Reſp.* Particula *per* in his materiis non eſt *inſtrumenti*, ſed *ordinis* in ope-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

rando quoad opera Dei ad extra, *Heb.* 1. 10. Siquidem, quod *per* apud Ioannem, ipſi tribuitur hic abſolute. *Inſt.* Non creatio, ſed nova creatio ipſi tribuitur, *Eph.* 2. 10. *Reſp.* At hoc evincit maxime eſſe Deum. Nam majoris potentiæ eſt regenerare homines, quam creare; quia ad creationem non opus erat ut interveniret aliqua cauſa meritoria. At ad regenerationem oportebat Filium Dei deſcendere de cælo, hominem fieri, pati, mori, juſtitiam nobis acquirere. Et 2, eadem potentia efficit regenerationem, quæ creationem, 2 *Cor.* 4. 6.

Obj. IV. Scriptura expreſſe Patrem majorem Filio aſſerit. Ergo non eſt æqualis Deo Patri, & conſequenter, Deus non eſt. *Reſp.* Eſt major non ratione naturæ, ſed ratione *officii*; ut, legatus, qui mittitur à repub. id eſt, ſocietate hominum, non eſt minor ſingulis ipſorum, *natura*, nam eſt æque homo ac ipſi; ſed minor eſt *officio*. *Inſt.* Filius nihil operatur à ſe ipſo, ſed omnia operatur prout audit à Patre, Ergo ratione divinæ naturæ etiam minor eſt. *Reſp.* Non operari à ſe ipſo, duplicem ſenſum admittere poteſt; Vel ut hunc ſenſum habeat, Nihil poteſt agere, niſi Pater efficiat ut agat: & hic ſenſus falſus eſt; quod verba ipſa evincunt, nam dicit, æqualiter ſe operari, & Patrem. Vel hic ſenſus eſt: Filius agit ita, ut, cum opus ſit commune omnibus Perſonis, ordo tamen agendi diverſus, ut Pater agat per Filium, Filius & Pater agant per Spiritum Sanctum: hujus locutionis formulam de Spiritu Sancto uſurpat Scriptura, *Ioan.* 16. 14. *Inſt.* In quo fides noſtra non terminatur, ille ita pendet à Deo, ut cauſa efficiente. Atqui fides noſtra non terminatur in Chriſto. Ergo. Major eſt vera. Minorem probo: Per quem credimus in Deum, in illo fides noſtra non terminatur. Atqui per Chriſtum credimus in Deum. Minor certa. Majorem probo: Si illud per quod credimus, in quod credimus eſt finis: Ergo non eſt objectum ultimum illud per quod credimus. At verum prius. Ergo & poſterius. Ratio Conſequent. certa. Antecedens prob. Si iſta particula *per*, adjuncta alicui notat actionem fieri in ulterius, tum notat hoc medium cui adjungitur. *Reſp.* Particula *per*, adjuncta alicui, non eſt nota diverſi cultus religioſi, ſed tantum eſt nota ordinis in eodem cultu. *Inſt.* Non eſſe notam in eodem cultu, ſed diverſi cultus. Qui ex eo adoratur, quod ipſi data ſit omnis poteſtas in cælo & in terra; ille diverſo cultu à Deo adoratur, & per conſequens particula *per* notat diverſum cultum. *Reſp.* Data Chriſto poteſtas, non quod acceperit aliquid quod antea non habuerit, ſed quod ordinatus ad officium, cui par eſſe non potuit, niſi Deus eſſet. *Inſt.* At cultu, quo adoratur, etiam humana Chriſti natura adoratur. Ergo Deus non eſt. Nam quo cultu humana Chriſti natura, illo & totus Chriſtus, adoratur. At humana natura cultu religioſo adoratur inferiori quam Deus eſt. Ergo Deus non eſt. Nam tali cultu non adoratur Deus. Ergo hic cultus diverſus à cultu quo Pater colitur. *Reſpond.* Adorare nos cultu religioſo λόγον in carne exhibitum, non autem carnem ipſam. Sin vero dicas, Quo cultu ergo adoratur humana Chriſti natura? *Reſpond.* Civili, hoc nempe, quo agnoſcimus, Chriſtum hominem unitum eſſe λόγῳ, & in carne & per carnem præſtitiſſe ea, quæ de eo totum Vetus & Novum Teſt. teſtentur. *Inſt.* Adoratio etiam λόγου, in carne exhibiti, tum demum eſt mandata, cum in mundum veniret. Ergo antea mandata non fuit, & per conſequens Deus non eſt; quandoquidem adoratio Deo tribuitur, ex quo mundus eſt. Antecedens patet *Heb.* 1. 6, *Rurſum cum inducit* &c. *Reſp.* ad hoc, Falſam hypotheſin præſupponi. Nam Deus jubet, ſe adorari, & mandatum hoc ſæpius repetit, *Deut.* 6. *verſ.* 15, & paſſim. Et hæc de Filio.

QUÆSTIO VI.

An Chriſtus ſit omniſcius?

Reſp. Affirm. Quia eſt verus Deus, ut liquet ex deciſione quæſtionis præcedentis.

Obj. I. Chriſtus non novit omnia; Ergo non eſt omniſcius. Minor, *Marc.* 11. 13. Ignoravit fructum eſſe in ficu. *Reſp.* Ignoravit ratione *humanæ naturæ*, non *divinæ*. *Inſt.* Si ſola Divina, eſt Perſona; Ergo ratione Divinæ naturæ. Ratio. Quia ſuppoſitorum eſt agere.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Reſp. Suppoſitorum eſt agere *principaliter*; partium & accidentium, *inſtrumentaliter*. *Inſt.* Inſtrumentum agit vi ſuperioris & principalioris agentis: At humana natura eſt inſtrumentum divinæ naturæ. Ergo. *Reſp.* Agit quidem inſtrumentum vi ſuperioris: at ignorare, non eſt agere, ſed deficere in actione. 2. Præſupponitur acſi humana natura eſſet perſona.

Obj. II. Filius non novit diem judicii, Ergo. Minor, *Marc.* 13. 32. *Reſp.* Dicitur hoc ratione humanæ naturæ. *Inſt.* Si hæc vox *Filius* denotat Perſonam, Ergo Perſona neſcivit. Nam concreta denotant perſonam. *Reſp.* Non ſemper. vide *Act.* 20. 28. *Inſt.* Quod tribuitur naturæ, tribuitur perſonæ; Ignorare tribuitur humanæ naturæ; Ergo perſonæ. *Reſp.* Tribuitur perſonæ ſecundum iſtam naturam. *Inſt.* At nulla ratio dari poteſt, cur tantum pertineat ad opera Mediatoria. *Reſp.* Datur. Quia Chriſtus ratione utriuſque naturæ eſt Mediator. At vero edere, bibere, dormire, &c. non competunt divinæ naturæ, ſed ſoli humanæ naturæ. *Inſt.* Filius hominis, qui eſt in cælo, ille ignoravit diem judicii extremi. Qui eſt in cælo, eſt Deus. Ergo qui eſt Deus, ignoravit diem judicii. *Reſp.* Filius hominis ignoravit diem judicii ſecundum humanam naturam, & Filius hominis fuit in cælo ratione divinæ naturæ.

QUÆSTIO VII.

An anima Chriſti ab ipſo conceptionis momento fuerit omniſcia?

Nos dicimus, animam Chriſti multa ignoraſſe in ſtatu humiliationis. Bellarminus contra. Argumentum ejus I. Si fuit aliqua ignorantia in anima Chriſti, tum fuit ipſi aut concreata, aut aſſumptitia: ſed neutra dici poteſt. Ergo nulla fuit. *Reſp.* ad Majorem, Non eſſe ſufficientem enumerationem, quia poteſt dari tertium, nimirum conſequens naturam & ex naturalibus principiis fluens.

Inſt. Naturale conſequitur naturam: Ignorantia Chriſti non erat naturalis: Ergo naturam ejus non poterat conſequi. Minor probatur. Nullus defectus eſt naturalis. Ignorantia eſt defectus. Ergo. *Reſp.* diſtinguendo. Nam alius defectus eſt *privativus*; alius, *negativus*. Sic falſa Major. Defectus *negativus* erat Chriſti anima naturalis. Eſt autem defectus negativus neſcire omnia, & omnia non ſimul & ſemel ſcire. Sequitur autem hic defectus naturam. Nam ut natura finita eſt, ſic etiam ſcientia finita ſit oportet.

Inſtant 2. Qui omnia ſcit, ab illo etiam negationis defectus removetur. Sed Chriſtus omnia ſcit, *Ioan.* 21. *Reſp.* limitando Majorem. Qui omnia ſcit, ab illo removetur etiam negativus defectus, ſcilicet ſecundum id, ſecundum quod ſcit. At Chriſtus ſecundum humanam naturam omnia neſcivit, ut patet *Marci* 11, ubi neſcivit, an ficus fuerint in ficu. & *cap.* 13, ubi dicitur neſcire extremi judicii diem, & horam.

Inſtant 3. Si humanæ Chriſti naturæ divina ſcientia eſt communicata; tum ſequitur, falſum ſtatui, dicendo, Chriſti humanam naturam non eſſe omniſciam. Atqui, &c. Ergo. Minor probatur. Quia cui communicata divina natura, eidem etiam communicata ſcientia divina; cum ſcientia Dei à divina ejus natura non differat. *Reſp.* diſtinguendo. Cui communicata eſt divina natura, ſc. *tranſitive*, non autem *intranſitive*. Atque ſic negatur Minor. Nam divina natura ita aſſumpſit humanam, ut tamen diſtincta ab ea maneat, nec in eam ſit transformata.

Arg. Bell. II. Si anima Chriſti à momento conceptionis fuit plena ſapientia, ſequitur, eam omnia perfecte ſciviſſe. At prius verum, *Eſa.* 61. 1. *Reſp.* Prophetam ibi loqui in *concreto* de Chriſto, hoc eſt, de perſona; non in *abſtracto*, de humana ejus natura.

Inſt. 1. Quod tribuitur toti, tribuitur etiam parti. Atqui perſonæ tot. &c. Ergo. *Reſp.* Majorem non tantum Theologice, ſed & Philoſophice falſam eſſe. Nam dicitur aliquod ens completum in toto; non tamen de quavis parte hoc dici poterit. 2. Limito argumentum primarium: Super quo requieſcit ſpiritus ſapientiæ, ſcientiæ, ſcil. ita, ut ei infinitam ſcientiam & quovis tempore communicet, de eo verum eſt quod per ſequelam infertur. At ſic cadit Minor. 3. Dicitur etiam de Moſe & Elia, ſuper illis fuiſſe ſpiritum Dei, & tamen non erant præditi ſcientia infinita.

Inſt. 2. Eliæ & Moſis exempla nihil ad rem faciunt, quia illa ſubjecta tanti boni non erant capacia. *Reſp.* Neque humana Chriſti natura tantæ ſcientiæ potuit capax eſſe, niſi & ipſa infinita eſſet. At humana Chriſti natura infinita non erat.

Inſt. 3. At *Ioan.* 3. 34, de Chriſto dicitur, *quod ei Deus non admetiatur Spiritum. Reſp.* Ita eſt, ſed id comparate eſt intelligendum, nimirum non ad eam menſuram, qua Spiritus Sanct. aliis hominibus datur.

Inſt. 4. Si humana Chriſti natura uniri potuit divinæ, tum etiam fuit capax ſcientiæ infinitæ. Atqui uniri potuit. Ergo. *Reſp.* Negari conſequentiam. Quia, licet humana natura divinæ unita ſit, non tamen inde ſequitur, eam eſſe capacem alicujus infiniti. Quia capacem eſſe, nihil aliud eſt, quam aliquid totum totaliter comprehendere.

Inſtant 5. In quo fuerunt abſconditi omnes ſcientiæ theſauri, illi ſcientia infinita omni tempore & ſemper eſt communicata. Atqui, *Col.* 2. 3. Ergo. *Reſp.* 1. Ignoratio Elenchi. Nam de natura humana quæritur, argumentum de perſona concludit. 2. Sapientia ſumitur vel pro illa, quæ hominibus ad ſalutem neceſſario erat proponenda. Ea quidem in Chriſto ſumma erat. ſummus enim erat Doctor. At non ſemper & omni tempore eadem fuit, ſed tum maxime, cum ad docendum habilis eſſet. Vel accipitur pro ſapientia infinita. Si priorem ſumas, nil concludis. Si poſteriorem, dico nec exinde hoc poſſe inferri. Quia quemadmodum Deus dicitur manifeſtatus in carne, ſic etiam abſcondita dicitur ſapientia in Chriſto. At Deus per unionem hypoſtaticam manifeſtatus in carne: ſic ergo & ſapientia.

Arg. Bellarm. III. Si in anima Chriſti fuit aliqua ignorantia; tum Chriſtus à conceptionis momento, non fuit particeps Paternorum bonorum. Atqui fuit particeps. Ergo. *Reſp.* Ambiguum eſt illud, *fuit particeps.* Nam ſi ratione divinæ naturæ ſumatur, dicimus, ſic ſemper fuiſſe. Si vero ratione humanæ naturæ, tum negamus. Ius quidem ſemper habuit; at non ſemper exercitium, ratione ſcil. humanæ naturæ. Chriſtus enim non ſemper exercuit poteſtatem Mediatoriam; quia tum demum eam exercuit, quando miſſus fuit ad docendum. Poteſtatem quidem habuit; non tamen eam exercuit. Quia per ætatem non licuit. Sic & de hæreditate.

Inſt. Filius tum omnium bonorum paternorum eſt hæres, quando incipit eſſe filius. At Chriſtus ab ipſo conceptionis momento fit Filius Dei. Ergo etiam ab eodem tempore hæres fuit. *Reſp.* 1. Præſupponi falſam hypotheſin, acſi Chriſtus ſit Filius Dei, ſecundum humanam naturam: quod vel ipſimet Ieſuitæ negant, Chriſtum ſc. in Scriptura vocari Filium Dei propter humanam naturam. 2. Alia competunt Chriſto ſecundum humanam naturam, & alia ſecundum divinam. Neque enim ſecundum humanam naturam omnium hæres dici poteſt. V. g. Vtut poteſtas Mediatoria in Chriſto eſt, aliter tamen ei competit ſecundum humanam naturam, nempe *meritorie*; aliter ſecundum divinam, nempe *efficiendo* meritum illud.

Inſt. contra primam *Reſponſionem*: Secundum quam naturam Scriptura dicit, Patrem non pepercisse Filio proprio, ſed pro nobis in mortem tradidiſſe, ſecundum hanc eſt Filius Dei. At ſecundum humanam naturam. Ergo. *Reſp.* Nego Majorem. Quia vox iſta *Filii Dei* eſt concreta. Denominatio quidem eſt ab una natura, nempe divina; connotat tamen totum ſubjectum, utramque naturam, ſicut & in aliis locis. *Act.* 20. 28.

Inſt. contra diſtinct. in *jus*, & *exercitium* hæreditatis. Hæc diſtinctio tantum valet, ubi hæredes ſucceſſive bona parentum exſpectant. At Chriſtus non exſpectavit. Ergo ſtatim fuit hæres. *Reſp.* Vbi non eſt uſus, ibi neque jus adeundi hæreditatem. V. g. In infante Principe poteſt non eſſe exſpectatio. Ius habet, non tamen habet exercitium, ſi non ſit per ætatem ad hoc aptus. 2. Dico, quod non tantum impotentia ſit in cauſa, ſed & voluntaria quædam diſpoſitio: ut, ſi quis nolit adire hæreditatem. Sic etiam Chriſtus, dum in his terris verſaretur, noluit adire hæreditatem, uſque dum aſcendiſſet in cælum.

Arg. Bellarm. IV. Si Chriſti anima non fuit ſtatim omniſcia, tum Adam primus fuit Chriſto ſuperior, ut qui fuit ſapientia inſtructus. At poſterius abſurdum. Ergo. *Reſp.* Comparatio iſta

valde

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

valde eſt inepta. Nam comparatio ſi valere debet, valere debet inter ea quæ ſunt ejuſdem generis, non diverſi. Si enim hæc comparatio alicujus eſſet, tum multa poſſent proferri: ut, Adam ſtatim ambulavit, potuit loqui. Chriſtus hæc non potuit. Ergo Adam perfectior Chriſto. Non ſequitur. Quia inepta comparatio inter Adamum virum adultum, & Chriſtum infantem.

QUÆSTIO VIII.

An Spir. Sanctus à Patre & Filio procedat?

Reſp. Affirm. Argumentum I. Chriſtus dicitur eum mittere à Patre, *Ioan.* 16. 7. Vnde, ſi mittat, mittit aut ex imperio, aut ex conſilio, aut mittit ratione originis & proceſſionis. Non prius. Quia non habet Filius imperium in Sp. Sanctum; eſt enim ei æqualis, cum ipſius auctoritas eadem ſit, quæ Filii, ut in Baptiſmi inſtitutione liquet. Non ex conſilio. Quia conſilium non reſpicit opera ad extra: ita commune Patri, Filio, & Spiritui S. Ergo ratione proceſſionis & originis. *Reger.* Eſſe hæc Philoſophica, & talia, ad quæ reſpondere non teneantur. *Reſp.* Inepti ſunt, cum tota materia Theologica ſit, & ex Theologia deducatur. Nam termini iſti *imperii*, *conſilii*, habentur in Scriptura expreſſe.

II. Si Sp. S. non à ſe loquitur, ſed à Filio; tum ſequitur, quod aut à Filio informetur, quid loqui debeat; aut quod à Filio procedat. Non prius. Nam hoc pugnat cum Scriptura. Ergo, *Eſa.* 40. 13. *Reger.* Dicitur à Filio loqui, quia per Filium loquitur & in Filio, ut accipitur iſta phraſis *Heb.* 1. 1. *Reſp.* Inepte. Nam ſi loqueretur à Chriſto, quia loquitur in Chriſto; tum potius dicendum, loqui Chriſtum ab ipſo, non contra: ut ſancti Dei homines dicuntur acti à Sp. Sancto, 2 *Pet.* 1. *verſ.* 21.

III. Vocatur Spiritus Chriſti; Ergo procedit à Chriſto. Conſequent. quia, quemadmodum dicitur Spiritus Patris, quia procedit à Patre, ſic & Filii. *Reger.* Non ea propter, ſed quia teſtatur de Filio. *Reſp.* 1. Ergo eadem ratione dicitur de Patre, quia teſtatur de eo: quod adverſarii negant. 2. Si Filius dicitur, quia eſt in Patre; Ergo & Spiritus S. quia eſt in illis, & quia procedit ab illis.

Obj. I. Dicitur à Patre procedere; Ergo non à Filio. *Reſp.* Conſequentia nulla. Nam nulla excluſiva additur, quod tantum à Patre. *Inſt.* Nullum eſt teſtimonium Scripturæ, quod probet à Filio procedere. Ergo. *Reſp.* Saltem implicite eſt, *Gal.* 4. 6. *Deus emiſit Spiritum Filii ſui.* Quemadmodum proceſſus à Patre ſignificatur iſtis verbis; Ita, *Ioan.* 16. in verbis iſtis, *mittam eum ad vos*, ſignificatur proceſſus Spiritus Sancti, quem Filius mittit à Patre.

Obj. II. Si Sp. Sanctus procedit à Patre & Filio; ſequitur, non tantum Patrem eſſe principium originis in divinitate. At hoc falſum. *Reſp.* Pater dicitur principium originis in divinitate, quia ille à nullo, Filius ab eo, Sp. S. ab utroque. *Inſt.* Imo ſi ſolus Pater non erit principium originis, ſed etiam Filius, tum erunt Sp. Sancti duo principia, Pater & Filius: quod eſt abſurdum. *Reſp.* Si ſcilicet duplici ſpiratione ſpirarent Spiritum Sanctum, tum daretur duplex principium. At hoc faciunt una ſpiratione activa. Ergo.

Obj. III. Filius æque mittitur à Patre ac Sp. Sanctus; Ergo non procedit à Filio, *Eſa.* 48. 16. *Reſp.* Agi ibi de Chriſto, quatenus Mediator eſt. *Inſtant:* Interim qui eſt Mediator, ſimul eſt Deus. *Reſp.* Ita quidem eſt, ſed tamen alia ſunt, quæ Chriſto ut Mediatori competunt, alia quæ ut Deo. Nam Mediator *officium*, Deus vero notat *naturam.*

QUÆSTIO IX.

An Sp. Sanct. ſit Perſona? Reſp. *Affirm.*

I. Quod Perſona ſit, probatur ex hoc argumento: Quod manifeſtiſſime ſit in Deo; &, ſi in Deo ſit, aut erit attributum dignitatis, aut Perſona: tertium non datur. Quod ſit in Deo, patet ex Scriptura. Quod autem attributum non ſit, patet ex eo, quia quædam dicuntur de Spiritu S. quæ de attributo dici non poſſunt; quædam enim abſolute de eo dicuntur, ut quod ſit intellectu præditus; 1 *Cor.* 2. 11. *Quæ ſunt Dei nemo novit, niſi Spiritus Dei*; quod ſit voluntate præditus, 1 *Cor.* 12. 21. Jam regula certiſſima

hæc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

hæc eſt: *Quodcumque agit ex judicio & voluntate, illud perſona eſt*. Sed *Reſp* Sociniani. Quod improprie dicantur hæc de Spiritu S. quod ſit intellectu & voluntate præditus. Verum refellitur hoc ex eo, quod impropria revocari debent ad propria. Oſtendant ergo Sociniani improprietatem hujus dicti, *Quæ ſunt Dei, nemo novit niſi Sp. S.* & ſi improprie, revocent ergo ad proprium. Quædam autem dicuntur de Spiritu S. in relatione ad perſonas. Et iſtorum quædam dicuntur in relatione ad unam perſonam, ſicut illa ſunt, quæ dicuntur in relatione ad Filium: ut *Ioan.* 16. 7, *Confert vobis, ut ego abeam; niſi enim ego abiero, non veniet*. Abſurda hæc certe eſſet concluſio, ſi Spiritus S. eſſet attributum Dei, non perſona. Quædam dicuntur in relatione ad plures perſonas, nempe ad Patrem & Filium: ut *Matth.* 12. 31, 32, *Quodvis peccatum remittetur* &c. Ex his verbis manifeſtiſſime patet, Spiritum S. non eſſe attributum divinitatis, ſed perſonam. Quædam dicuntur de Spiritu S. communiter cum aliis perſonis, ut *Eſa.* 48. 12, *Ego ipſe ſum primus, ſum etiam ultimus*. verſ. 16, *Nunc n. Dominus Iehova mittit me* &c. *Eſai.* 63. 7, 8, 9, 10. Ex his duobus locis oſtenditur clare, Spiritum S. eſſe Perſonam divinitatis. *Reger.* 2. Etiam animæ ſeparatæ à corpore tribuitur intellectus, voluntas, non tamen eſt perſona. *Reſp.* Imo animam dicimus non eſſe perſonam, quia eſt pars perſonæ. At Sp. Sanctus non eſt pars Dei. Nam ſic Deus divideretur.

II. Dicitur in nomine Spiritus aliquid fieri; Ergo eſt perſona. Conſeq. Quia nullius nomine dicitur aliquid fieri, niſi ſit perſona. Neque adverſarii ullam enſtaſin adferre poſſunt, qua hoc infringere poſſint. *Reger.* Spiritui Sancto hoc tropice tribui, quemadmodum ſæpe tribuitur accidentibus, quod eſt ſubjectorum. *Reſp.* Ineptos eſſe. Nam 1, dicitur in nomine Patris, Filii, & Sp. Sancti. Ergo & Pater & Filius eſſent accidentia. 2. Iſta regula ſemper obſervanda: *A proprietate verborum non diſcedendum eſt ſine neceſſitate*.

III. Sp. Sanct. introducitur loquens in Scriptura; Ergo eſt perſona Conſequent. Quia nemo loquitur, niſi ſit perſona. Minor, *Act.* 28. 25. *Reger.* Hæc dici de Patre, ut patet *Eſa.* 6. Vnde teſtimonium hoc petendum eſt. *Reſp.* Præſupponitur hypotheſis falſa, quaſi ſcilicet opera Dei ad extra, inter quæ ſermo merito numerandus, non ſint communia Patri, Filio, & Sp. Sancto.

Obj. I. Spiritus non eſt perſona, quia eſt in Deo: nulla autem perſona eſt in aliquo. *Reſpond.* Major falſa: quod patet *Ioan.* 10, *Ego in Patre, & Pater in me*.

Obj. II. Spiritus eſt potentia; Ergo non eſt perſona. Nam potentia non eſt perſona, ut nec ullum attributum Dei. *Reſp.* Potentia Dei dupliciter capitur; vel οὐσιωδῶς, vel ὑποστατικῶς· Sp. Sanctus dicitur potentia Dei, ſed ὑποστατικῶς, ut ὑποστατικῶς etiam Filius Dei ſapientia Dei dicitur.

Obj. III. Sp. Sancti nomen in Scripturis ſignificat ſanctitatem, & motus in hominibus divinitus excitatos, Ergo non perſona. Minor, *Ioan.* 4. 24. *Phil.* 3. 3. *Reſp.* Aliquando Spiritus ſignificat motus ejuſmodi, ſed non ſemper. Nam diſtinguitur Sp. Sanctus ab iſtis motibus. vide *Ioan.* 6. 34. 1 *Sam.* 10. 6. *Inſt.* Sp. Sanct. talis eſt, qualem Chriſtus Diſcipulis promiſit in die Pentecoſtes futurum; At ille non fuit perſona, ſed afflatus quidam animi, & motus divinitus excitatus. Ergo. Probatur ex *Act.* 2, ubi Sp. Sanctus ſedet in ſpecie ignis. *Reſp.* ut ante, Sæpe motus divinitus excitatos, dici Sp. Sanctum; ſed hoc falſum, quod hic tantummodo motus fuerit. Nam Chriſtus talem promiſerat Spiritum, qui futurus erat Conſolator; quod eſt veræ & proprie dictæ perſonæ: Nam *ſuppoſitorum eſt agere*.

Obj. IV. Perſona non poteſt eſſe in perſona. At Spiritus S. eſt in Patre. *Reſp.* Perſona corporea non poteſt eſſe in perſona, quia non datur penetratio corporum: at de perſonis ſpiritualibus hoc plane falſum eſſe conſtat ex Script. ut *Marc.* 3. 10, eſt legio Diabolorum in una perſona, cum tamen Diabolus etiam perſona ſit. *Ioan.* 14. 10, dicit Chriſtus Philippo, *Non credis, me in Patre, & Patrem in me eſſe?*

Quæ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

QUÆSTIO X.

An Spiritus Sanctus ſit verus & æternus Deus?

Quod Spiritus S. ſit verus Deus, probo ex his fundamentis.

I. Quod vocetur Deus. Vnde ſic argumentor: Cuicumque ita tribuitur nomen Dei, ut non denotetur eo, aut officium magiſtratus, aut aliud aliquid, ille eſt verus Deus: at Spiritui S. ita tribuitur, *Act.* 5. 3, 4.

Dicunt Adverſarii, hunc locum non bene citari ad probationem Deitatis Spiritus S. Quod autem bene citetur, probo ex eo, quod quædam explicatio analoga fidei, quæ ſæpe non analoga textui; & explicatio quædam non tantum analoga fidei, ſed etiam analoga textui. Quod autem hæc explicatio ſit analoga fidei, probatur ex aliis Scripturæ locis, in quibus Spiritus S. vocatur Deus, vel implicite vel expreſſe. Implicite, *Act.* 28. 25, verba iſta, *Auditu audietis, & non intelligetis: & videntes* &c. Quæ ut dicat populo Eſaias, præcipit Deus, *Eſai.* 6. 9. Verba, inquam, iſta attribuuntur Spiritui S. Sic, *Heb.* 3. 7, verba iſta adſcribuntur Spiritui S. *Hodie ſi vocem ejus audieritis*: quæ *Pſalm.* 95. 7, 8, Deo tribuuntur. Expreſſe vocatur Deus, 2 *Sam.* 23. 2, 3, *Spir. Iehovæ locutus eſt in me.* Sed jam videamus, an hæc explicatio ſit textui analoga & congrua. Ille qui opponitur hominibus, & cui mentitus eſt Ananias, eſt Deus: atqui ille eſt Spiritus S. Ergo *Reger.* Non haberi, mentiri Spiritui S. ſed in Spiritum S. *Reſp.* Ita mentitus eſt Spiritui S. quemadmodum tentavit ipſum: atqui revera Spiritum S. tentavit. 2. Græcis, mentiri alicui, & in aliquem, idem eſt.

II. Quod Spiritus S. Deus ſit, probatur ex eo, quo dicitur eſſe juris ſui. Triplex autem ſtatuitur libertas à Theologis. Libertas *à jure*, libertas *à coactione*, libertas *à miſeria*: Libertas à jure ſoli Deo propria: cujus aſſertionis fundamentum, *Rom.* 11. 35, *Quis prior dedit ei, & reddetur ei?* Quod autem hæc libertas à jure cadat in Sp. Sanctum expreſſe oſtenditur 1 *Cor.* 12. 11, *Diſtribuit ſicut vult*. Deinde dicitur expreſſe mandare & prohibere ea, quæ ad cultum ſpectant, ut *Act.* 13. 2, dixit, *Separate mihi Barnabam.* Conferatur hic locus cum loco, qui eſt *Act.* 1. 23, 24. ubi Apoſtoli electis duobus precantur, dicentes: *Tu, Domine, qui corda omnium noſti* &c. Prohibere dicitur *Act.* 16. 7, 8, *Prohibiti ſunt à Spiritu S. loqui ſermonem Dei.* Cultum etiam inſtituit, *Matth.* 28. ubi jubentur Apoſtoli baptizare in nomine Patris, Filii, & Sp. Sancti. Cultum autem non poteſt quis inſtituere, niſi qui leges conſcientiæ ferre poteſt; quas qui fert, debet eſſe Rex ſpiritualis & conſcientiarum, ut colligi poteſt ex 1 *Cor.* 6. 19, *Corpus veſtrum eſt templum Spiritus Sancti.* 2. Debet exſequi, ſi mandatum violetur. Mandatum autem non tantum violatur externe, verum etiam interne. Interna vero ſcire, ſolius Dei eſt, ut Sacræ Literæ teſtantur 2 *Chron.* 6. 30, *Tu Deus ſolus noviſti animum filiorum hominis.*

Excipiunt 1, Adverſarii: Quomodo Spiritus Sanctus poteſt ſui juris eſſe, cum *Ioan.* 16. 13, dicatur, *quod non ſit locuturus à ſemet ipſo? Reſp.* Phraſin iſtam, *de ſemet ipſo non loquetur*, dupliciter accipi; vel, ut notet ordinem agendi in S. Trinitate; vel, ut notet dependentiam aliquam cum ſubjectione. Debet autem hæc phraſis intelligi priori modo, non poſteriori. quod probatur: 1. Ex ſententia Socinianorum, qui negant, Spiritum Sanctum eſſe Deum, dicentes: Spiritum Sanctum eſſe attributum divinitatis: ſed abſurda ſane foret hæc locutio, Sp. Sanctus id eſt, attributum aliquod divinum, non eſt locuturus à ſemet ipſo. 2. Si hæc phraſis denotet dependentiam aliquam cum ſubjectione, tum Spiritus Sanctus erit ſubjectus aut jure creationis, aut jure redemptionis. Non jure creationis; quia Spiritus Sanctus creatus non eſt: nec jure redemptionis; quia homo peccator redemptus eſt. 3. Oſtenditur hoc ex phraſeologia, quæ de Chriſto dicit, quod à ſemet ipſo non operetur; ſequitur igitur ex his, quod hæc phraſis, notet ordinem agendi in SS. Trinitate.

Excipiunt 2. *De meo accipiet. Reſpond.* Illud *accipere de meo* duplicem ſenſum admittit: vel hunc, accipere *ex gratia*; & hic falſus eſt: vel hunc, accipere ex natura per æternam proceſſionem; &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

hic ſenſus verus eſt. Spiritus autem Chriſti non poteſt dici accipere ex *gratia*, ſed ex *natura*.

Inſtant: Si ex natura accipit; tum ſequitur, minus beatum eſſe, quam Chriſtus eſt. Atqui Deo nihil beatius. Ergo Spir. S. Deus hoc pacto non erit. Major certa eſt, & in Scriptura, quia beatius dare, quam accipere. *Reſp.* Accipere, ſenſum duplicem habet: vel exiſtentem aliquid oblatum ſumere; vel exiſtere: hoc loco pro exiſtere ſumitur, ut ſit hic ſenſus, Spir. Sanct. exiſtentia conſiſtit in proceſſione à Patre & Filio. Quod ad axioma illud attinet: *Beatius eſt dare, quam accipere*, illud intelligitur proprie de munificentia & liberalitate. Nam qui dat, hoc ipſo legem implet, & promiſſio ipſum manet, quam Deus fecit omnibus proximum ſuum juvantibus: at promiſſio nulla facta illi, qui accipit.

III. Spir. Sanctus eſt Creator; Ergo verus Deus. Conſequent. Quia nemo poteſt eſſe Creator, niſi verus Deus. Minor probatur *Iob.* 33. 4. *Reger.* Non haberi *creavit*, ſed *fecit*. *Reſpond.* 1. Etiam in hiſtoria *Geneſ.* ſæpe occurrit vox *fecit*: interim tamen non ſequitur, illum, de quo dicitur, *fecit*, non fuiſſe Creatorem. 2. Ita fecit Spiritus Iobum, quemadmodum cælos. At cælum creavit, *Ioan.* 26. 13.

IV. Sp. Sanctus regenerat nos. Ergo verus Deus. Conſeq. Quia nos vivificat mortuos in peccatis, *Eph.* 2. 6. At opus hoc eſſe non poteſt niſi ſolius Dei. Minor, *Ioan.* 3. 5, *Niſi quis renatus fuerit* &c. *Reger.* Aquam conjungi cum Sp. Sancto ratione hujus effectus; Ergo ſi ex hoc effectu colligitur, Spiritum Sanctum Deum eſſe, etiam aquæ hoc fuerit deferendum. *Reſp.* Aquam hanc ſignificare tantum regenerationem, cum ablutio per aquam ſit ſignum regenerationis: Spiritus autem Sanctus regenerat *realiter*.

Obj. I. Sp. Sanctus non ſemper fuit, *Ioan.* 7. 39. Ergo non eſt Deus. *Reſp.* Nondum ſcilicet effuſus erat ſuper Apoſtolos, non autem quod non erat. Nam Spiritus Dei eſt æternus, ut liquet *Heb.* 9. *verſ.* 14. *Inſtant*: Sp. Sanctus eſt donum; Ergo non ſemper fuit. Quia donum eſt temporale. *Reſp.* Poteſt eſſe donum, & tamen Deus æternus. Ita Chriſtus eſt donum Dei, ut liquet *Eſa.* 9. 6. 2. *Spiritus Sanct.* eſt vox ambigua, ſignificat enim aliquando dona, quæ à Sp. Sancto proficiſcuntur, aliquando ipſum Sp. Sanctum, 1 *Cor.* 12. 8. 9. 10.

Obj. II. Sp. Sanctus dividitur in particulas, *Num.* 11. 17. Ergo non eſt Deus. Nam Deus dividi nequit, cum ſit indiviſibilis. *Reſp.* Sp. S. hic accipitur pro donis. *Inſtant:* Si ita habet; Ergo poteſt de Deo hoc idem dici, quod detur Dei nunc una, nunc altera portio, & intelligi effecta Dei; quod abſurd. *Reſp.* Præſupponitur hypotheſis, quaſi eadem ſit ambiguitas vocis *Dei*, quæ eſt in voce *Spiritus*. Vox *Dei* non dividitur, ut dicatur jam accipi pro cauſa, jam pro effecto.

Obj. III. Sp. Sanctus non eſt omniſcius; Ergo non eſt Deus. *Matth.* 11. 27, *Nemo novit Patrem* &c. *Reſp. Excluſiva ſubjecti, non excludit concomitantia.* *Inſt.* Si Spiritus S. omnia ſcit. Ergo conſequitur, male dici de ipſo, quod ſcrutetur profunditates Dei. At hoc non male dicitur. Ergo non ſcit omnia. Ratio conſeq. Quia qui ſcrutatur, ille inquirit; & qui inquirit, ille nondum ſcit dum inquirit: at Deus omnia ſcit, nec opus illi ulla ſcrutatione. *Reſp.* ad Minorem, Spiritum Sanct. dici ſcrutari non proprie, ſed anthropopathice, per metonymiam ſcilicet antecedentis & conſeq. ſcrutari dicitur, & perfecta rerum cognitio, quæ ſcrutationem ſubſequi ſolet, intelligitur. *Inſtant:* Si improprie ſcrutatur Spiritus S. ex duplici cauſa hoc facit: vel ex hac, quam dicit Reſponſio; vel ex hac quod accidens ſit. At non ex priori. Ergo ex poſteriori; & ita concluditur, Deum non eſſe. Probo quòd propter poſterius: Si Spiritus Dei eſt accidens, tum non eſt Deus. Verum prius. Ergo. Antecedens probatur: Si eſt in Deo, vel eſt ut pars, vel ut accidens: at non eſt ut pars: Ergo ut accidens. *Reſp.* Non ſufficiens enumeratio. Ineſſe enim multis modis quid dici poteſt; vel ineſſe ordinarie, vel extraordinarie. Ordinarie ineſſe poteſt aliquid alicui, vel ut adjunctum ſubjecto, vel ut adjunctum circumſtantiæ loci, vel ut accidens ſubjecto, vel ut pars toti, ſive illa ſit *Vniverſalis*, ſive *Eſſentialis*, ſive *Integralis*. Extraordinarium ineſſe eſt ineſſe, quod vocant Philoſophi

phi per περιχώρησιν, ſeu *immeationem*, per quam una perſona eſt in altera; & ſic non tantum de Spiritu Sancto dicitur hoc ineſſe, ſed etiam Chriſtus in Patre, & Pater in Chriſto, & Chriſtus & Pater in nobis, ut docetur *Ioan.* 14.

Contra. At perſonæ non attribuuntur iſta attributa, per quæ excluditur ex cenſu perſonarum; qualia ſunt quæ Spiritui tribuuntur, ut, quod ſit virtus Dei, quod ſit potentia Dei. *Matth.* 12. & *Luc.* 13, vocatur *digitus Dei*; quæ vox æquipollens eſt potentiæ. *Reſp.* Vox iſta *potentiæ*, ut & vox *juſtitiæ* & *ſapientiæ*, dupliciter accipitur; vel *eſſentialiter*, vel *perſonaliter*: οὐσιωδῶς hoc loco non accipitur, ſed ὑποστατικῶς. Utrovis autem modo accipiatur, accidens non eſt: cujus rei documentum hoc eſt, quod hac potentia Chriſtus miracula patraverit, ut locis citatis videre eſt. At nullum accidens concurrere poteſt ad creandum, cum nec ſubſtantia hoc poſſit finita. Creatio enim requirit vim infinitam.

Inſtant: Sit, non ſit accidens, interim non eſt ſubſtantia infinita. quod probo: Qui datur hominibus tanquam donum, ille non eſt infinitæ eſſentiæ. Spiritus Sanct. Ergo. Minor eſt in confeſſo. Major probatur: Quod eſt infinitum, dari non poteſt: At Spiritus Sanct. dari poteſt: Ergo non eſt infinitus. Major: Quod ubique eſt, illud non poteſt accipi, & per conſequens, non poteſt dari, ex natura relatorum. At Spiritus Sanct. eſt ubique, non igitur poteſt accipi aut dari, ex natura relatorum. *Reſp.* Datur non ratione *eſſentiæ*, ſed datur qui ubique eſt, ut operetur hoc vel illud in aliquo. Breviter ſic dico, Datur, non ut ſit in homine, cum ubique ſit, ſed datur, ut operetur in homine hæc vel illa effecta; non enim ubicumque eſt, ibi operatur quæcumque. Reſponſionis noſtræ fundamentum eſt *Pſal.* 139. 7.

Inſtant: Si datur, Ergo eſt in poteſtate alterius, Deus ergo non eſt: quod patet ex diſtinct. illa libertatis apud Theolog. Libertas triplex: Libertas à jure, quæ ſoli Deo competit. Libertas à miſeria, quæ competit bonis Angelis, & in futura vita nobis competet. & Libertas coactionis. *Reſp.* ad Majorem. Donatur vel ex poteſtate quæ in ipſum; & hic ſenſus falſus, nam æqualis poteſtatis eſt cum Deo: vel ex voluntate liberrima, qua una cum Patre & Filio in electis Dei hæc ſive illa effecta producere velit. *Reſpond.* Noſtræ fundamentum habetur 1 *Cor.* 12.

Inſtant: Sed interdum dicitur Spiritus S. recedere ab iis, qui non ſunt electi. Ergo finitus. Namque non poteſt dici, quod recedat à reprobis ratione effectorum, cum in ipſis effecta nulla producat: quod autem recedat ab illis, qui electi non ſunt, patet 2 *Sam.* 15. 16. *Reſp.* Effecta ſpecialia duplicia ſunt: vel effecta ſpecialia, quæ communia reprobis cum electis; vel quæ ſpecialia dicuntur propterea, non quod communia electis & reprobis, ſed quod reproborum aliquibus. Alia vero effecta ſunt proprie ſpecialia electorum, quæ in electis reperiuntur ſolis: quale eſt effectum, juſtificatio, regenerationis initium, regenerationis progreſſus (quæ duo continent mortificationem Veteris Hominis quod ad unum refertur), & perſeverantia in homine. Prioris exempla reperiuntur in ſapientia & prudentia civili, & in aliis virtutibus moralibus; diſtinctionis fundamentum habetur *Exod.* 31. 26.

Inſtant: Proprie accipi de receſſu patet hinc, quia & Deum adorat Spiritus S. & ipſe cultu religioſo non adoratur. Membrum utrumque probo. Primum, ex *Rom.* 8. 26, Spiritus ipſe interpellat pro nobis. Conſequentia membri primi certa. Nam qui adorat cultu religioſo, ille hoc ipſum quod habet, accipit à Deo, quem adorat. Nam cultus religioſi fundamentum hoc eſt, omnia nos habere, quæ habemus, à Deo: hinc illud, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,* &c. *Reſp.* Duplex ſenſus eſt; vel quod ipſe precetur, vel quod efficiat, ut precemur. Prior ſenſus eſſe non poteſt. Ratio eſt, quia ille remittit peccata, *Matth.* 28. *Marc.* 16. Ergo poſterior. Fundamentum diſtinctionis habetur 1 *Cor.* 12. 3.

Inſtant: Si Spiritus S. efficit in nobis, Ergo proprie tribuitur nobis, & nos dicimur adminiſtri operum, & non principalis cauſa operum: At preces ſunt bonum opus: Ergo erit principalis cauſa. *Reſp.* Diſtinguendo bona opera,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

quæ duplicia ſunt; vel per ſe, vel per accidens. Per accidens vocantur paſſiones omnes etiam bona opera à Theologis: ut, crux, exilium, paupertas; quæ dicuntur per accidens bona opera, propter tolerantiam his adjunctam: & hæc ſunt in Deo effective tantum, in nobis formaliter & effective; ita tamen, ut nos ſimus adminiſtri ipſorum, quatenus effective ſunt in nobis; Deus autem cauſa principalis. Rurſus, ea quæ ſunt per ſe bona opera, vel talia ſunt quæ formaliter Deo neutiquam tribui poſſunt; talia ſunt, patientia, tolerantia, invocatio Dei, quæ diſtinguitur in preces & gratiarum actionem; hæc enim in Deo ſunt effective tantum, in nobis formaliter & effective: & viciſſim, quatenus in nobis effective, nos ſumus adminiſtri iſtorum, Deus principalis cauſa. Alia vero quæ in Deo ſunt formaliter, ſed ſine ullo defectu; ut, juſtitia, ſapientia, miſericordia; hæc in nobis ſunt formaliter, quatenus cum defectu; in Deo effective ut principali cauſa, in nobis effective ut miniſteriali. Fundamentum diſtinctionis eſt natura rerum & natura Dei.

Obj. IV. Spiritus Dei vocatur Dei Spiritus, Ergo Deus ipſe non eſt. Ratio conſequentiæ, quia quod alicujus eſt, hoc ipſum non eſt. *Reſp.* Eſſe Dei, ſed ita ut ſimul ſit Deus, 2 *Sam.* 23. *verſibus prioribus.* *Inſt.* Si ita Dei, ut ſit Deus, Ergo conſequitur, eſſe Dei tantum Patris, aut eſſe tantum Filii. Si dicas, eſſe tantum Filii, oſtendendum ex Scriptura, & per hoc manifeſte Pater non erit Deus, quia Deus habet Spiritum. Sin vero Dei Patris eſt Spiritus, tum etiam hoc ex Scriptura probandum, & præter hoc Filius non erit Deus, quia Deus habet Spiritum. vide 2 *Sam.* 23. *Eſa.* 63. 10. & *Eſa.* 48. *verſ.* 16. *Reſponſio* eſt obvia; probatur enim hic, utriuſque eſſe; quia ejus eſt, qui Iehova eſt exercituum; ut patet manifeſte *Ezech.* 2. 15. ubi Iehova exercituum mittit Iehovam exercituum, nec de alio intelligi poteſt, quam de Filio: Iehovæ autem exercituum hunc eſſe Spiritum patet *Ezech.* 36. 24.

CAPUT VI.

De Decretis Dei in genere.

QUÆSTIO I.

An decreta Dei ſecundum eſſe abſolutum ſint ipſe Deus?

Reſp. Affirm. In Deo enim nihil datur, quod Deus non ſit, niſi quis blaſpheme Deum compoſitum ſtatuat.

Obj. I. Decreta ſunt multa: Deus non eſt multus. Ergo decreta non ſunt Deus. *Reſp.* Decreta dicuntur multa ratione noſtri concipiendi modi, non vero ratione naturæ ſuæ. *Inſt.* Si dicantur decreta multa ratione noſtri modi concipiendi; Ergo Dii dicuntur multi ratione noſtri modi concipiendi. At hoc abſurdum. Ergo & illud. *Reſp.* Conſequentia nulla: Deus dicitur unus eſſentia: decreta dicuntur multa ratione objectorum ad extra. *Inſt.* Quæcumque deſinunt, illa non ſunt Deus: Decreta deſinunt. Ergo. *Reſpond.* Quæcumque deſinunt tum ſecundum *nomenclaturam*, tum ſecundum *eſſe abſolutum*. *Probant* deſinere. Nam decretum de condendo homine deſiit. Atqui Deus nunquam deſinit, quia eſt æternus. *Reſpond.* Deſinunt decreta ratione denominationis, non ratione eſſe abſoluti.

Obj. II. Deus non poterat non eſſe; eſt enim ens abſolute neceſſarium: Decreta poterant non eſſe. Nam Deus poterat decernere aliquid, vel non. Ergo Deus & Decreta non ſunt unum & idem. *Reſp.* Decreta Dei quoad eſſe *relatum* poterant non eſſe, ſed quoad *eſſe abſolutum*, quatenus voluntatem Dei decernentem dicunt, non poterant non eſſe.

QUÆSTIO II.

An decretum ſit immutabile?

Reſp. Affirm. Quia apud Deum ne umbra quidem mutationis. Vide reſponſ. ad quæſtionem, *An Deus ſit mutabilis?*

Obj. I. Decretum Dei potentiam habet ad oppoſita;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

poſita; Ergo eſt mutabile. Minor probatur. Quia ſunt in Deo contrariæ voluntates. Quod probo: Si ſecundum diverſas in Deo voluntates contradictoria poſſunt ſimul eſſe vera, ſequitur eſſe in Deo contrarias voluntates. Minor probatur. Quia hæc propoſitio, Deus non eſt volens peccatum, eſt vera ſecundum voluntatem ſigni; &, Deus eſt volens peccatum, ſecundum voluntatem beneplaciti. *Reſp.* 1, Deus prohibet peccatum. Ergo non vult peccatum. 2. Præſupponitur, 1, Voluntatem ſigni eſſe proprie voluntatem Dei, cum potius ſit effectus, quam ipſa voluntas. 2, Voluntatem beneplaciti, cum voluntate ſigni pugnare, cum tamen, ſi ex eventu metiamur, omnimode conveniant.

Obj. II. Impii moriuntur ante terminum vitæ: Ergo decretum Dei eſt mutabile, *Pſal.* 55. 24. *Reſp.* Non quod ordinati à Deo, ut prius morerentur, ſed quod apti natura ſua eſſent ad vitam ſuam ulterius prorogandam. 2. Impii moriuntur ante terminum vitæ, ſcilicet quem ſibi ipſis propoſuerunt, non quem Deus decrevit.

QUÆSTIO III.

An quæ eveniunt, Deus fieri decrevit?

c: Arm: et Luth:

Reſp. Affirm. *Thren.* 3. 37.

Obj. I. Si nihil evenit, quod Deus non decrevit; tum nihil erit contingens, neque aliquid fiet per accidens in rerum natura. Sed falſum poſterius: Ergo & prius. Conſeq. per ſe clara. Nam quæ Deus decrevit, neceſſario eveniunt. Minor bimembris eſt: *Prius* probatur ſic: Si omne ens diſtinguatur in neceſſarium, & contingens; Ergo unum, ſcilicet contingens, tolletur ex rerum natura. Prius eſt verum: Ergo & poſterius. *Reſp.* Eſt hoc quidem ſic in rerum natura in *ſenſu diviſo*, id eſt, reſpectu hominum, non autem in *ſenſu compoſito*, id eſt, reſpectu Dei. *Inſt.* Si nunquam res eſt in ſenſu diviſo; Ergo fruſtra hæc diſtinctio affertur. Sed prius verum; Ergo & poſterius. Ratio Conſequentiæ eſt: Quia omnis diſtinctio debet habere fundamentum in re. *Reſp.* Negatur Minor. *Inſt.* Si omnis creatura eſt perpetuo dependens, poteſt conſiderari independenter; tum nunquam creatura poteſt conſiderari in ſenſu diviſo: Verum prius: Ergo & poſterius. *Reſp.* Creatura conſideratur in genere dependenter, & de facto dependenter; ſed habilitas ejus independenter conſiderari debet. Poſterius ſic probatur: Si nihil eveniat, quod Deus non decrevit; Ergo cauſa per accidens nulla erit in rerum natura. Sed falſum hoc: Ergo & illud. *Reſp.* Fit hoc quidem ratione creaturæ, non autem ratione Dei. *Inſt.* Etiam fieri ratione Dei. Si Deus quædam ignorat; tum ſequitur, quod ratione Dei quædam quoque fiant per accidens. Sed Deus quædam ignorat. Ergo. Ratio Majoris eſt; quia cauſa voluntaria ignorans, eſt cauſa per accidens. *Reſp.* Negatur Minor. *Inſt.* In quem cadit pœnitentia, in eum cadit quoque ignorantia: In Deum cadit pœnitentia. Ergo. Minor prob. *Gen.* 6. 6. *Reſp.* In Deum cadit pœnitentia improprie dicta. *Inſt.* Qui vere doluit apud animum ſuum, in eum cadit proprie dicta pœnitentia. Atqui Deus vere doluit apud animum ſuum; Ergo in Deum cadit proprie dicta pœnitentia. Minor, *Gen.* 6. 6. *Reſp.* Hæc non proprie, ſed humanitus de Deo intelligenda ſunt. *Inſt.* Si cadat gaudium proprie dictum in Deum, cadet etiam pœnitentia. Verum prius; Ergo & poſterius. *Reſp.* Minor falſa. *Probant* autem ſic: Omne bonum cadit in Deum; Gaudium eſt bonum; Ergo gaudium cadit in Deum. *Reſp.* ad Majorem. Omne bonum cadit in Deum *efficienter*, non *afficienter*.

Obj. II. Si nihil eveniat, quod Deus non decrevit, Ergo Deus omnia vult quæ eveniunt. Atqui multa eveniunt quæ Deus non vult. Ergo non omnia quæ eveniunt, Deus decrevit. *Reſp.* Minor negatur. *Inſtant:* Peccata eveniunt. Peccata non vult Deus: Ergo quædam eveniunt, quæ non vult Deus. *Reſpond.* Rurſus negatur Minor. *Inſtant:* Si Deus vult peccata: Ergo voluntas ejus verſatur circa malum, ſive peccata. Sed poſterius abſurdum. Ergo & prius. *Reſp.* Negat. Minor. *Inſtant:* Si voluntas Dei verſatur circa peccata: Ergo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

neceſſario illa erit voluntas beneplaciti: Ratio, quia propriedicta voluntas eſt. Sed non eſt voluntas beneplaciti: Ergo. *Reſp*. Neg. Minor. *Inſt*. Quod Deo non placet, circa illud voluntas beneplaciti non occupatur. Peccatum Deo non placet, *Pſal*. 5. *Ezech*. 18. Ergo circa peccatum non verſatur. *Reſp*. Voluntas beneplaciti non dicitur ex *objecto volendi*, ſed ex *modo volendi*.

Obj. III. Si nihil eveniat, quod Deus non decrevit: Ergo voluntas Dei cum præceptis pugnat. Sed poſterius abſurdum; Ergo & prius. Ratio conſequentiæ eſt. Quia velle ut eveniat, & prohibere ut eveniat, ſunt contradictoria. *Reſp*. Prohibitio in talibus fit, vel ut *convincantur*, vel ut à Deo *explorentur*. *Inſtant*: Si prohibitio in talibus fiat, vel ut convincantur, vel ut explorentur: Ergo etiam Adamo præceptum de non edendo fructu arboris ſcientiæ boni & mali, datum fuit hoc modo. Sed falſum poſterius. Ergo & prius. Ratio conſequentiæ eſt: Quia quicquid evenit, ut dicit quæſtio hæc, voluit Deus; atque adeo etiam Adami peccatum ſive lapſum; & conſequenter propoſuit ei præceptum, vel ut convinceretur, vel ut exploraretur & probaretur. *Reſp*. Negat. Min. *Inſt*. Qui potuit ſtare, ei non eſt datum præceptum, ut convinceretur vel probaretur. Atqui Adam ſtare potuit in ſtatu integritatis. Ergo. *Reſp*. Stare potuit Adam *in ſenſu diviſo*; non autem *compoſito*, ut Scholaſtici loquuntur: id eſt, ſtare potuit in ratione ſui, non vero Dei, cujus decretum immutabile eſt. *Inſt*. Si homo in ſtatu integritatis non potuit ſtare in ſenſu compoſito; Ergo fuit obligatus ad impoſſibilia: Sed ad impoſſibilia Deus neminem obligat; E. ſtare potuit in ſenſu compoſito. *Reſpond*. Neg. Minor. Nam Lex primum fuit poſſibilis ante lapſum, ſed poſtea impoſſibilis lapſu Adæ facta eſt, ad quam tamen præſtandam omnes obligamur.

Obj. IV. Si nihil eveniat, quod Deus non decrevit: Ergo non eſt quod iraſcatur Deus peccatis. Ratio. Quia etiamſi peccata eveniant, ipſo volente eveniunt. Sed abſurdum poſt. Ergo & prius. Conſeq. hæc eſt: Qui facit aliquid ſecundum voluntatem Dei, non peccat. *Reſp*. Voluntas Dei non eſt regula actionum noſtrarum, ſed lex Divina. *Inſt*. Si natura Dei eſt regula noſtrarum actionum; Ergo etiam ejus voluntas. Quia natura Dei à voluntate non differt. Sed natura eſt regula noſtrarum actionum. Ergo voluntas quoque erit. Minor probatur *Lev*. 11.44. *Reſp*. Aliquando quidem ſic eſt, ſed non ſemper, & non niſi quatenus præceptum accedit. *Inſt*. Si voluntas non eſſet regula actionum noſtrarum; Ergo dum peccamus, non peccaremus in Deum, ſed in Legem. Sed poſterius falſum. Ergo & prius. *Reſp*. Peccamus in Deum mediante Lege.

QUÆSTIO IV.

An opera Dei ad extra, ſint indiviſa? Reſp. *Affirm.*

Obj. I. Illuminatio eſt opus Dei ad extra. Illuminatio non eſt communis. Ergo non omne opus ad extra, eſt commune ſeu indiviſum. Quia illuminatio Sp. Sancti *diverſa eſt ab illuminatione Chriſti*. *Probatur*, quia illuminatio Chriſti omnes homines afficit, Sp. Sancti non item. Id probatur; quia non omnes homines regenerantur per Spiritum Sanctum. At per Chriſtum omnes illuminantur; *Ioan*. 1, *Illuminat omnem hominem venientem in mundum*. *Reſp*. Illuminat omnes qui illuminantur; eſt enim modus loquendi Scripturæ, in quo ſubjectum limitat ſuum prædicatum, & univerſalitas ſubjecti per naturam prædicati reſtringitur; ut *Heb*. 9. 24, *Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori*, ſcilicet qui moriuntur. Nam multi non morientur in adventu extremi judicii, ſed in momento immutabuntur: ſic *Pſal*. 145. 14, *Suſtentat Iehova omnes cadentes*, ſcilicet qui ſuſtentantur; alioqui plurimi impiorum cadunt, qui nunquam reſurgunt, *Pſal*. 36. 13. Sic ergo hic locus intelligendus: Illuminat omnes homines venientes in mundum, ſc. qui illuminantur. Veram eſſe hanc explicationem, liquet ex collatione *verſ*. 10, & 11. Omnes qui ſunt à Chriſto illuminati, Chriſtum agnoſcunt. At mundus non agnoſcit. Ergo mundus non eſt illuminatus. Qui Chriſtum non accipiunt, illi non ſunt illuminati. Atqui hi, *verſ*. 11, non recipiunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

cipiunt. Ergo non ſunt illuminati. Confer locum 2 *Cor*. 4. 6, Splenduit in cordibus NOSTRIS. *Inſt*. *Act*. 17. 26, 27. Si fecit omnes homines ut quærerent Dominum; Ergo omnes illuminat. *Reſp*. Eſt lux, quæ eſt *naturalis* cognitio;& eſt *divina*,quæ ex Evangelio hauritur. *Inſt*. Talis lux intelligitur, quæ à Paulo prædicatur. At illa eſt divina. *Reſp*. Neg. ut patet ex *v*. 33, ubi docet tantum, quales fuerint Gentes.

QUÆSTIO V.

An cognitio Dei per opera, ſit otioſa ſpeculatio? Reſp. *Affirm.*

Obj. I. Hæc cognitio ſufficit ad ſalutem, Ergo non eſt otioſa ſpeculatio. Minor. Quia comprehendit ea, quæ de Deo cognoſci poſſunt, *Rom*. 1. 19. *Reſp*. Omne quod *naturaliter* de Deo cognoſci poteſt, non *ſupernaturaliter* per fidem; & *ſupernaturaliter*, non tamen ad ſalutem. Nam eſt cognitio *theoretica*, non *practica*. *Inſt*. Per hanc cognitionem retentam, ſunt excuſandi. Ergo. *Reſp*. Excuſabiles fuiſſent à *tanto*, non à *toto*. *Inſtant:* Si inexcuſabiles ſint omni modo, quia non retinuerunt: Ergo excuſabiles omni modo,quia retinuerunt. *Reſp*. Conſequentia nulla. *Inſt*. Ab oppoſitis ſemper valet argumentum in Theologia. *Reſp*. Ecce enſtaſis: Propter mala opera damnamur, Ergo propter bona ſalvamur? *Inſt*. Si ex parte excuſandi; Ergo ex parte bene uſi ſunt. *Reſp*. Conſequentia nulla. Aliud eſt *bene* uti, qui ex habitu utitur: Aliud, *bono* uti. *Inſt*. Ergo peccata dicenda ſunt opera bona Gentilium. *Reſp*. Peccata, qua parte peccata ſunt, non ſunt facienda; ſed qua parte non ſunt, ſunt facienda. *Inſt*. Sunt mortui. Ergo nihil boni poſſunt facere. *Reſp*. Certe nihil boni per ſe poſſunt facere. *Inſt*. Per ſe faciunt quæ Legis ſunt, *Rom*.2. 14. *Reſp*. Si natura faciant, gratia Dei coërcente excluſa.

CAPUT VII.
De Prædeſtinatione.

QUÆSTIO I.

An Prædeſtinatio ſit diverſum quid à Deo?

Reſp. Neg. Quia in Deo nihil eſt niſi Deus.

Obj. I. Omne quod eſt ab alio, illud eſt diverſum ab illo, à quo eſt. Atqui prædeſtinatio eſt à Deo. Ergo etiam eſt diverſum quid à Deo. *Reſp*. Neg. Minor. Probo ex *Eph*. 1. 11. *Inſt*. Cauſa & effectum realiter à ſe invicem diſtinguuntur. Atqui Deus eſt cauſa, Prædeſtinatio vero effectum. Ergo realiter à ſe invicem diſtinguuntur. *Reſp*. Diſtinguendo inter *opus* & *operationem*: quatenus prædeſtinatio eſt opus, eſt diverſum à Deo; quatenus vero operatio, non eſt. *Inſt*. Quicquid eſt in Deo, eſt Deus ipſe. Opus eſt in Deo. Ergo Deus ipſe. *Reſp*. Opus eſt in Deo ut *effectum*, non vero *formaliter*. *Inſt*. Quod non eſt formaliter in aliquo, id eſt extra illud in quo eſt. Opus non eſt extra Deum. Ergo. *Reſp*. Diſtinguimus vocabulum *extra*, vel quatenus eſt de *eſſentia rei*, & ita non ſunt in Deo; vel quatenus effectum eſt in cauſa.

Obj. II. Æternum diverſum eſt à non æterno. Deus eſt æternus, Prædeſtinatio non. Ergo. *Reſp*. Neg. Minor. *Inſtant:* Si prædeſtinatio eſſet æterna: Ergo Deus habuiſſet ſcientiam non entium. Sed falſum hoc. Ergo. *Reſp*. Deus habuit ſcientiam non entium, non quidem ſimpliciter, ſed quatenus poſſibilium. *Inſt*. Non entium nulla ſunt accidentia. *Reſpond*. Reſpectû noſtri, non Dei. 2. *In eſſendo* ſcilicet, non in *prædicando*. *Inſt*. Si Deus in ſtatu integritatis non potuit eſſe miſericors ob defectum objecti; Ergo nec potuit nos ab æterno prædeſtinare. Prius eſt verum. Ergo & poſterius. *Reſp*. Sunt quædam attributa Dei, quæ requirunt objecta, ut creatio, conſervatio & miſericordia; quædam vero quæ non requirunt, ſed ponunt, ut potentia.

Quatuor ſunt ſigna neceſſaria ad intelligendum proceſſum electionis & reprobationis. Primum, in quo Iudas & Petrus offeruntur divinæ voluntati ut neutri; & tum divina voluntas Petrum præordinavit ad gloriam, nullum autem actum poſitivum habuit circa Iudam. Secundum eſt, in quo Petrum præordinavit ad gratiam, & tum circa Iudam nullum adhuc actum poſitivum habet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

habet. Tertium eſt, in quo relinquuntur ſibi ipſis, & uterque cadit in peccatum. Quartum eſt, in quo Petrus reſurgit: Quia non poteſt permanere: prædeſtinatus enim eſt ex primo ſigno. Iudas autem non reſurgit, quia non habet relevamen in Deo: ideo reprobatur.

QUÆSTIO II.

An Chriſtus ſit cauſa meritoria electionis?

Reſp. Negat. Argumentum I. Quia eſt medium ſalutis exequendæ. Ergo prius ſalus intenditur, quam ipſe; & ſic nos ſumus prius electi. Quia ipſe eſt propter nos. *Reger. Adverſ.* tanquam abſurdum: Ergo minus dignus Chriſtus, quam nos. Ratio. Quia medium indignius fine. *Reſp.* Hoc omnino verum, neque exinde ulla abſurditas, ſi modo diſtinctio adhibeatur: quod omne medium, qua medium, ſit indignius ſuo fine; tamen ſecundum abſolutam ſuam naturam, incomparabiliter poteſt eſſe dignius fine ſuo, ut cauſa effectu ſuo.

II. Propter ſalutem peccatorum natus & factus eſt Chriſtus Mediator. Ergo non eſt cauſa meritoria electionis. Conſeq. Quia ſi propterea naſci voluit Mediator, ut nos ſervaret: Ergo prius nobis Deus ſalutem voluit. Minor, *Luc.* 4. 18. De Mediatore & humana natura, *Heb.* 2. 14, 15. *Reger.* Poſſe eſſe ſimul medium, & ſimul cauſam. *Reſp.* Ita, ſed diverſo reſpectu: medium, ratione finis in *intentione*; cauſa, ut eſt finis in *executione*.

III. Propter ſalutem peccatorum venit; E. non eſt cauſa meritoria electionis. Conſeq. quia ipſe eſt medium: ſalus autem finis. Min. *Matth.* 20. 28. 1 *Tim.* 2. *Fidelis ſermo*, &c. *Reger.* Si eſt medium, non eſt cauſa ſalutis: nam medium indignius fine: cauſa autem dignior quovis effectu. *Reſp.* Utrumque diverſo reſpectu: medium reſpectu finis eſt cauſa; & finis reſpectu medii effectus, ut Keckermannus in Syſt. Logico docet. Quatenus medium, Chriſtus eſt indignior ſalute, ſcilicet fine. At ut cauſa, dignior ſalute. Nam omnis cauſa dignior effectu.

Obj. I. *Eph.* 1. 4. Electi ſumus in Chriſto. Ergo cauſa meritoria ſalutis. *Reſp.* Eſt fallacia compoſitionis & diviſionis; non enim ſimpliciter dicitur, Elegit nos in ipſo; ſed, Elegit nos in ipſo eſſe. Hinc Auguſtinus: *Non elegit nos, qui in Chriſto eramus, ſed ut in ipſo eſſemus. Inſt. Ioan.* 5. 16, *Non vos me elegiſtis*, &c. Si Chriſtus elegit, Ergo erit cauſa meritoria ſalutis. *Reſpond.* 1. Ambiguitatem eſſe in voce *electionis*; eſt enim electio, vel ad vitam æternam, vel ad Apoſtolatum: hic de poſteriori agitur. 2. Dato, quod de electione ad vitam æternam; tamen alia eſt cauſa efficiens realis electionis, alia objectiva ſive moralis, qualis eſt meritoria. Realis facit aliquid, objectiva non item, ſed eſt cauſa, propter quam aliquis aliquid facit.

Obj. II. *Rom.* 8. 29. Deus prædeſtinavit nos, &c. Eſt ergo Chriſtus cauſa meritoria electionis. Conſeq. Quia prædeſtinamur conformandi imagini Filii Dei. Ergo Chriſtus prius prædeſtinatus, prius conſideratus. *Reſp.* Eſt electio *ad finem*, & *ad media.* Quod ad media attinet, certum eſt, Chriſtum eſſe cauſam mediorum, ſed non eſſe cauſam decreti ad finem. Quod mediorum ſit cauſa, docetur *Eph.* 1. 3. *Inſt.* Imo Deus nobis nunquam decrevit dare ſalutem extra Chriſtum: Ergo nec datur. Si non dat, nec dare decrevit. Ergo Chriſtus eſt cauſa meritoria. Ergo. *Reſp.* Ignoratio eſt elenchi. Nam aliud eſt, eſſe cauſam, quoad executionem finis, quod vel Idiotæ in Logicis norunt.

Obj. III. Sicut ſalvat Deus in tempore, ita decrevit ab æterno. At ſalvamur per Chriſtum, Ergo. *Reſp.* Nec hoc eſt magni momenti: non enim eſt quæſtio, An nobis Deus decreverit ſalutem dare in Chriſto; ſed de eo, Utrumne quoad intentionem Deus nobis prius voluerit ſalutem, quam Chriſtum fieri hominem & Mediatorem. Nos affirmamus prius. Quia propter finem vult Deus media.

QUÆSTIO III.

An ſingulares perſonæ eligantur? C. Ioan:

Reſp. Affirm. Argumentum I. *Rom.* 9. 13. Eſau & Jacob electi. Ergo ſingulæ perſonæ. Conſeq. Quia eadem eſt ratio unius qui eligitur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

quæ alterius. *Reger.* Agi hic de Jacobo & Eſau, tanquam typis electorum, ac proinde non omnia competere aliis, quæ ipſis competunt. *Reſp.* Quemadmodum Pharao, Eſau, non ſunt typi reproborum: ita nec Iſaac, nec Jacob, typi electorum.

II. *Luc.* 10. 20. Nomina electorum ſcripta ſunt in cælis. Ergo. *Reger.* Loquitur Sp. Sanct. de Apoſtolis, non quibuſvis. *Reſp.* Quæ de Apoſtolis dicuntur qua fideles ſunt, ea ad omnes pertinent fideles. At Sp. Sanct. loquitur de Apoſtolis, ut fideles ſunt.

III. *Apoc.* 21. 16. Nomina electorum ſcripta ſunt in cælo. Ergo. Conſeq. quia metaphora hic deſumpta eſt ab illis qui ſcribunt nomina horum vel illorum in libro. Minor in textu. *Inſt.* Utut dicuntur ſcribi, poſſunt tamen deleri; & ſic incertus quis poſſet manere. *Exod.* 32. 32. *Reſp.* Eſt conditionalis propoſitio; conditio autem nihil ponit in eſſe, niſi conditione poſita; quæ ſæpe eſt impoſſibilis.

Obj. I. Si generaliter dicit Scriptura & indefinite, *qui crediderit*; tum non eſt ſingularium perſonarum. *Reſp.* Conſequentiam nullam eſſe. Quia dicit quidem hoc, *Qui crediderit, ſervabitur*; non tamen evertitur illud, quod ſingulares perſonæ electæ ſint. *Inſt.* Imo vero ex hoc apparet, electionem non eſſe ſingularium perſonarum. Quia verbum Dei indefinite loquitur, non definite de ſalvandis. *Reſp.* Loquitur & definite, & indefinite: Indefinite loquitur, cum hæc & talia loca proferuntur ab Adverſariis. Definite loquitur, ut iſtis locis, ubi nomina quorumdam dicit ſcripta eſſe in libro vitæ.

Obj. II. Si ſingulares perſonæ ſint electæ, Ergo nullæ poſſunt perire. At falſum hoc, docet Scriptura *Ioan.* 17. 12. *Reſp.* Particula iſta *niſi*, ſumenda eſt non *exceptive*, ſed *diſcretive* ſeu *adverſative*, ut *Luc.* 4. 26, 27. *Inſt.* Imo vero certum eſt, aliquos electos perire: nam quorſum illa 1 *Cor.* 9. 27, *Contundo corpus meum*, &c? *Reſp.* Reprobus dupliciter capitur: vel, ut opponitur *electo*; vel, ut *probo*; nimirum cum experientia oſtenderit non eſſe talem, qualem eſſe oportebat.

Obj. III. Ad fœdus indefinite vocantur omnes; Ergo non ſingulares perſonæ. Ratio conſequentiæ. Quia fœdus correſpondet electioni. *Reſp.* 1. Fœdus non per omnia correſpondet electioni. Nam electio nihil ponit in electo; fœdus autem ponit. 2. Fœdus poſtulat aliquid ab hominibus; electio non item. 3. Negamus etiam fœdus non eſſe ſingularium perſonarum, *Rom.* 9. 6, 7. *Inſt.* Atqui omnes indefinite vocantur ad fœdus. Ergo. *Reſp.* Vocatio duplex; *interna*, & *externa*: qui vocantur externe, illi ſunt omnes; ſed qui interne, illi certi quidam.

Obj. IV. Quæ doctrina non habet fundamentum in Sacris Literis, non eſt docenda: Atqui doctrina de electione non habet fundamentum: Ergo. *Reſpond.* Neg. Minor: ut, dicitur *Luc.* 10. 20, *Gaudete, quod nomina*, &c. *Inſt.* Quod tantum dictum eſt Apoſtolis, non poteſt referri ad alios. Hoc Chriſtus tantum dixit Apoſtolis. Ergo. *Reſp.* Neg. Minor. *Inſt.* Probatur Minor ex ipſo textu. *Reſp.* Non *excluſive* hoc eſt accipiendum & intelligendum, ut patet *Apoc.* 2. 2.

QUÆSTIO IV.

An ex fide præviſa eligamur? Cont: Rem:

Reſp. Negat. Argumentum I. Fides ſequitur electionem, tanquam cauſam: effectus autem non poteſt eſſe cauſa ſuæ cauſæ. Minor, *Act.* 13. 48. *Reger.* Imo vocem *ordinare* accipi pro diſpoſitum eſſe ſeu paratum. *Reſp.* Ineptum hoc. Nam præſupponitur hypotheſis falſa; quaſi ſcilicet aliquis, cum datur divinitus fides, antequam ipſi datur, poſſit eſſe diſpoſitus ad fidem; cum omnes ante fidem mortui ſimul in peccatis, & ſimul tales, quales depingit *Eph.* 2. *v.* 1.

II. *Eph.* 2. 8. *Gratia eſtis ſervati per fidem, qua donum Dei eſt.* Ergo cum fides ſit donum Dei, electio non eſt ex fide præviſa. *Reger.* Illud, *gratia Dei eſtis ſervati, donum Dei eſt*, referri ad ſalutem, non ad fidem. *Reſp.* Qui dat finem, dat media: ſi ex gratia dat finem, tum ſequitur quod ex gratia etiam det media: Propterea etiam Sp. Sanctus dicit, fidem dari nobis divinitus & ex gratia, quia inquit: *gratis datum eſt vobis, in Chriſtum non ſolum credere, ſed etiam pati*, Phil. 1. 29.

III. *Tit.* 1. 1. ubi Apoſtolus vocat ſe ſecundum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

dum fidem electorum Dei: dicitur enim fides electorum Dei, quia electis eſt peculiaris. Jam quæſtio eſt: *Quare dicitur fides electorum Dei?* An, quia habent veram fidem, eliguntur? Hoc negant Arminiani, qui expreſſe ſcriptitant de Apoſtaſia Sanctorum, & dicunt, Sanctiſſimos etiam deficere. Ergo dicitur electorum Dei, quia Deus dat electis, & quia eſt fructus electionis. *Reger. Armin.* Fidem ibi accipi non *qua creditur*, ſed *quæ creditur*, id eſt, pro doctrina; & ita ſæpe accipitur in Scriptura. *Reſpond.* Male hoc confingi: nam doctrina Evangelii non eſt peculiaris electis, cum etiam reprobis communis ſit: hic igitur videre eſt Paulum & Arminium invicem diſſidentes.

Obj. I. *Iacob.* 2. 5. *Elegit divites fide*; Ergo ex fide præviſa. *Reſp.* Vel elegit divites, qui *erant* in fide, vel *ut eſſent*: Priorem ſenſum amplectuntur Arminiani: ſed inepte. Nam eo pacto electi ſunt divites in fide, quo pacto heredes regni; copulantur enim hæc inter ſe: At electi heredes regni, non qui erant, ſed ut eſſent. Ergo nec fide divites electi qui erant, ſed ut eſſent. *Inſtant*: Imo conſiderantur, ut qui erant fideles, ſicut conſiderantur qui erant peccatores. *Reſpond.* Non eamdem eſſe rationem electionis & reprobationis per omnia; quod vel hinc liquet, quia decretum electionis eſt cauſa omnium donorum ſpiritualium, ſed decretum reprobationis non eſt cauſa peccatorum quæ in reprobis reperiuntur. 2. Falſum, quod ex incredulitate, aut peccatis præviſis, homines reprobentur.

Obj. II. 2 *Theſſ.* 2. 13. Si Deus elegit ab initio ad ſalutem per fidem; Ergo ex fide præviſa. *Reſp.* Deus elegit non ſimpliciter, ſed ad ſalutem dandam. Senſus eſt: Deus elegit nos ad ſalutem, quam nobis confert per fidem. Non ergo ſimpliciter dicuntur hi electi hoc loco, ſed ita, ut fides cauſa ſit non electionis, ſed ſalutis. *Inſtant*: Sicut confert, ita decrevit. Atqui per fidem confert. Ergo. *Reſp.* Hoc non officere nobis. Nam illud *per*, non eſt cauſa *decreti*, nec ad decretum referri debet; ſed eſt cauſa *ſalutis*, & ad eam referri debet: Neque enim fides eſt cauſa decreti, cum ſequatur; ſed eſt cauſa ſalutis, nam ſalus promittitur credenti.

Obj. III. *Heb.* 11. 6. Sine fide nemo placet Deo; Ergo ſine præviſa fide nemo electus. *Reſpond.* Aliud eſt, eſſe electum; aliud, gratum: Illud antecedit Chriſtum & meritum ejus: hoc nobis in Chriſto confertur, *Eph.* 1. *verſ.* 6. Eligimur, ut ſimus grati Deo; non, quia grati ſumus, eligimur à Deo. *Inſt.* At omnis electio eſt ex amore Dei; quem autem Deus amat, cur ipſi non poſſit eſſe gratus? *Reſp.* Amor duplex; *benevolentiæ*, & *complacentiæ*: quem amore benevolentiæ complectitur, ille eſt gratus, *Eph.* 1. 6. At poteſt fieri, quod aliquem amore complacentiæ complectatur, qui non ſit gratus.

Obj. IV. Quicumque eligitur, in Chriſto eſt. Atqui in Chriſto nemo eſt niſi per fidem. Ergo quicumque eliguntur, in Chriſto ſunt per fidem. *Reſp.* Neg. Major; eſt enim in mundo ille qui eligitur, & extra Chriſtum. Aliud enim eſt, in Chriſto eligi; aliud, in Chriſto eſſe. In Chriſto eligi, eſt ex mundo & numero pereuntium dari Chriſto, ut redemptus ab ipſo, & fide donatus in ipſo.

Obj. V. *Ioan.* 6. 40. *Reſp.* Per voluntatem Dei non intelligitur ipſum decretum Dei, ſed ejus conſequens: quod patet ex *verſ.* 39, *Hæc eſt autem voluntas ejus, quicquid mihi dederit* (ſcilicet per decretum). Voluntas igitur ibi ſignificat, quaſi mandatum Patris, aut commiſſionem, cum qua Chriſtus eſt miſſus in mundum.

QUÆSTIO V.

An electi, totaliter deficere poſſint?

Reſp. Neg. *Ioan.* 10. 28, 29.

Obj. I. Si Adam potuit deficere in ſtatu integritatis; Ergo etiam fideles poſſunt deficere. Ratio conſequentiæ, quia Adam fuit perfectè juſtus. Verum prius. Ergo & poſterius. *Reſpondent:* Eſt diverſus ſtatus. Nam in Adamo innata ſanctitas & perfectio fuit mutabilis, in nobis autem eſt immutabilis; illi non erat datum perſeverare, prout nobis datum eſt. *Inſtant*: Contra, 1 *Timoth.* 1. 19. Si expulerunt fidem, Ergo defecerunt à fide. Sed prius eſt verum. Ergo. *Reſp.* Aliud eſt, expellere; aliud, deficere. *Inſtant*: Quod hic non ſit aliud, & quidem ex

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Matth. 13. 20. Quicumque cum gaudio accipiunt Verbum Dei, illi ſunt veri fideles. At hi acceperunt Verbum Dei, & aliqui illorum illud abjiciunt. Ergo. *Reſp.* Aliud eſt, accipere Verbum Dei cum gaudio tantum; aliud eſt, cum ſolido gaudio & ex fide accipere: Prius de his dicitur. *Inſtant:* Salomon fuit vere fidelis, & ex fide Verbum Dei accipiebat. Salomon defecit. Ergo. *Reſp.* Negat. Minor. Probatur 1 *Reg.* 3. 4, 5, 6, 7, 8. *Reſpond.* Salomon fecit hoc ex infirmitate. *Inſt.* Idololatria non poteſt conſiſtere cum fide. Hoc peccatum fuit maxima idololatria. Ergo non poteſt conſiſtere cum cultu divino, ſive cum fide. *Reſp.* Idololatria fit *ex pleno animo*, vel *ex infirmitate*: poſterius poteſt conſiſtere. *Inſt.* quod non ex infirmitate: Si feciſſet ex infirmitate, aliquando legeremus vel alicubi ipſius pœnitentiam. Falſum hoc: E. & illud. *Reſp.* Neg. Minor. Nam in libro Eccleſiaſtis illam legimus.

Obj. II. Si fideles poſſunt exſcindi; Ergo etiam poſſunt deficere. Sed fideles poſſunt exſcindi; Ergo poſſunt etiam deficere. *Reſp.* Neg. Minor. Probatur *Pſal.* 69. 29. *Reſp.* Locus ille intelligendus de gente refracta, non autem de individuis in ſpecie fidelium. *Inſt.* Si in ſingulari poſſunt deficere; Ergo ratione individuorum. Sed verum prius. Ergo & poſterius. *Reſp.* Neg. Minor. Probatur ex Apoſtatis: Si Apoſtatæ peccant in Sp. Sanctum; Ergo deficiunt à fide. Verum prius. Ergo & poſterius. Ratio conſequentiæ eſt, quia Apoſtatam eſſe, & deficere à fide, eſt unum & idem. Minor probatur *Heb.* 6. 4, 5, 6. *Reſp.* Sed non à fide ſalvifica.

Obj. III. David fuit fidelis: David defecit à fide. Ergo quidam fideles poſſunt deficere à fide. *Reſp.* Neg. Minor. *Inſtant*: Quicumque commiſit adulterium & homicidium; ille plane defecit à fide. Sed David. Ergo. Ratio; Quia illa cum fide conſiſtere non poſſunt. *Reſp.* Neg. conſequentia. Si ſcilicet Spiritus pugnat cum carne. *Inſtant*: Si nulla eſt concordia Chriſto cum Belial, &c. Ergo nec Spiritui Sancto cum carne. Sed prius eſt verum, 2 *Cor.* 6. 15, 16. *Reſp.* Licet non poſſint eſſe concordes, poſſunt tamen ſimul cohabitare, ut liquet ex Agar & Sara.

Caput VIII.

De Reprobatione.

Reprobationis actus duplex eſt. 1. *Propoſitum deſerendi quoſdam homines, juſtitiamque in iis declarandi: hujus actus cauſa impulſiva extra Deum dari non poteſt.* 2. *Ordinatio ad pœnam ſive juſtum exitium; quæ ordinatio, licet à juſtiſſima Dei voluntate ſit, non tamen excluſo reſpectu originalis vel actualium peccatorum: ut enim homines recte damnantur ob peccatum, ita Deus decrevit eoſdem damnare ob id peccatum; non eſt tamen peccatum decreti damnationis cauſa, ſed in præſcientia divina ordinis ratione antecedit, non quidem priorem illum, ſed hunc poſteriorem actum.* Perkinſum vide.

Quæstio I.

An Reprobatio fiat ob præviſa peccata?

Reſp. Neg. Argumentum I. *Rom.* 9. 11. Eſau reprobatur non propter peccatum. Ergo nemo. Ratio; quia, quomodo unus reprobatus, ſic & alter, ſic omnes. *Reg.* Non reprobatur propter peccatum *originale*, ſed *actuale*. *Reſp.* Obvium in Scripturis; *antequam boni vel mali*, &c.

II. *Rom.* 9. 18. Reprobatio à ſola Dei voluntate pendet. *Reger.* Non pugnant iſta, *cauſam realem* eſſe voluntatem Dei; & *cauſam objectivam moralem meritoriam* peccata præviſa. *Reſp.* Contra eſt: quod omnem cauſam: tollit qualemcumq;. *v.* 18. Præterea, ſi ob præviſa peccata: E. omnes omnino reprobaret, nullo excepto; in omnibus enim Deus prævidet peccatum.

III. Si eſſet reprobatio ex præviſo peccato, tum nulla exclamatione opus hic eſſet: *ô profundas divitias!* Nam hæc quilibet capere poteſt, ſi alicui malefiat propter peccatum. *Reſpondet* Grevinchovius, exclamatione iſta uti Spiritum Sanctum, propterea quod aliqui ita ſint

ſint perditi, ut perſiſtant plane finaliter in peccatis. *Reſp.* Et iſta inepta. Nam notum eſt cuivis, in Scriptura vel minimum exercitato, quod non poſſint manere in peccatis, quos Deus dignatur gratia ſua. Quemadmodum non poſſunt emergere ex peccato, quorum Deus non miſeretur.

Obj. I. Deus neminem odit niſi propter peccata; Ergo etiam neminem reprobat niſi propter peccata. Conſeq. *Rom.* 9. 13. Sp. Sanctus vocat reprobationem odium. *Reſp.* Odium Dei duplex eſt: *poſitivum*, & *negativum*. *Poſitivum* eſt propter peccatum, de quo *Eph.* 5. *Negativum* non item. *Inſt.* Ergo reprobatio poſitiva erit propter peccatum. Nam etiam reprobatio diſtinguitur in actum poſitivum, & negativum. *Reſpond.* Non propterea eædem voces tribuuntur reprobationi, quæ odio; neque idcirco reprobatio & odium, idem erunt. Affectus enim in Deo, ut Theol. regula habet, ſunt voluntas vel effectus, ita ut odium negativum, ſit *non amare*: odium poſitivum, *velle punire*. Cum ergo reprobatio negativa ſit, *non eſſe electum*; poſitiva eſt, *eſſe ordinatum ad pœnam*.

Obj. II. Si Deus non reprobat ob prævisa peccata, tum poteſt velle malum rationali creaturæ, abſque interventu ullius peccati. At hoc abſurdum. Conſeq. Nullus homo vult alicujus malum ſine interventu peccati, cum tamen homines ſint mali, Deus optimus. Si ergo hoc non faciunt mali; quid ergo de infinito bono dicemus? *Reſp.* 1. Deus eſt optimus, ſed bonitas ejus non eſt ex eo æſtimanda, quod nobis videtur, vel non videtur, ſed quæ facit: quæ autem facit, optima ſunt. 2. Quod aliquos deſtinet ad interitum, illud non proficiſcitur ex miſericordia, ſed ex liberrima ejus poteſtate. *Inſtant*: At poteſtas ejus in nos nititur beneficiis in nos collatis. Si enim in illum nihil beneficii confert, nihil etiam habet poteſtatis. Conſeq. quia poteſtas oritur ex obligatione, obligatio ex beneficiis. *Reſp.* Non omnis poteſtas nititur beneficiis: nam, verbi gratia, quod quidam Domini ſint quorumdam ſervorum (loquimur de ſervis natura) inde fit, quod ſervi ſe ipſos non poſſint regere: Oritur hoc igitur ex excellentia naturæ. Cum ergo Deus ſit infinite bonus, infinite ſapiens, ipſius poteſtas oritur ex infinitate naturæ ipſius, & non ex bonis quæ confert in creaturam.

Obj. III. Deus non niſi propter peccatum punit: Ergo etiam decrevit propter peccatum punire. *Reſp.* Hoc aliud eſt, quam adjudicare ad pœnam; itaque particula, *propter*, non conferenda ad *decretum*, ſed ad *τὸ damnare*, ut oſtendatur, cauſam damnationis eſſe peccatum, non vero decreti damnationis. Ratio eſt. Quia voluntatis Dei nulla eſt cauſa; Ergo nec decreti. Quia decretum eſt ejus voluntas.

Obj. IV. Si homines reprobati ſint, vel digni fuerunt reprobatione, vel non digni: ſi digni, tum Deus reprobans eos, ſpectavit in illis qualitatem aliquam, propter quam reprobavit. Si non fuerunt digni reprobatione, tum Deus eſt injuſtus, qui eos reprobavit. *Reſp.* Diſtinctionis membra non ſunt immediate oppoſita: datur enim medium; nempe, aut Deus libero ſuo jure uſus eſt: Ita rex è ſubditis alios eligit ad officia, alios præterit ſecundum liberum jus ſuum.

QUÆSTIO II.

An peccatum neceſſario ſequatur reprobationem, tanquam effectus ſuam cauſam?

Reſp. Neg. Argumentum I. Si reprobatio eſt cauſa peccati, tum Deus erit auctor peccati. At abſurdum conſequens: quia reprobatio eſt voluntas Dei. *Inſt.* Deus eſt cauſa peccati, quatenus illud medium eſt, per quod juſtitia ejus manifeſtatur. *Reſp.* Hoc non eſt eſſe peccatum: nam medium eſt in prædicamento relationis; peccatum in qualitate, potentia naturali: Actuale, in actione; habituale, in qualitatibus habetur.

II. Si reprobatio eſt cauſa peccati, tum Deus non permittit peccata, ſed facit: quod abſurdum. Deus enim dicitur *permittere* peccata, non *efficere*. Conſequentia, quia reprobatio eſt voluntas Dei. *Reg.* Eatenus dicitur Deus peccati auctor, quatenus eſt pœna. Ergo non eſt abſurdum dicere, ex decreto reprobationis dependere peccatum tanquam effectum. *Reſpond.* Aliud eſt, eſſe peccatum; aliud, eſſe pœnam.

Nam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Nam peccatum, vel eſt in qualitate, vel in actione, ut ante dictum; pœna vero in paſſione. 2. Primum peccatum non poteſt ſuſtinere rationem pœnæ; Ergo non omne peccatum eſt pœna. Nam primo peccato non datur prius.

III. Si reprobatio eſt cauſa peccati, tum eodem modo ſe habebit circa media, quo electio. At omnes Theologi hoc negant. Nam dicunt electionem eſſe cauſam mediorum, per quæ executio fit: reprobationem non item. *Reger.* Errare hic Theologos. *Reſpond.* Imo errare Piſcatorianos; & ex eo errare, quod putent, omne quod ſequitur aliud, neceſſario eſſe ejus effectum: quod falſum. Quia conſequens neceſſarium, ut hoc loco, neceſſario ſequitur ſuum antecedens, meridies auroram, &c. nec tamen hæc ſe invicem arguunt, ut cauſa, & effectus.

QUÆSTIO III.

An reprobatio fiat ad gloriam Dei?

Reſp. Affirm. Quia *Deus omnia fecit propter ſe, etiam improbum ad diem mali*, Proverb. 16. verſ. 4.

Obj. I. Ex malo gloria Dei proficiſci non poteſt. Atqui reprobatio eſt mala. Ergo ex reprobatione gloria Dei proficiſci non poteſt. Major certa, quia ex malo non niſi malum. Minor certa, quia reprobatio & media mala infert & finem malum infert: finis malus eſt, quia pœna; media mala, quia peccata. *Reſp.* 1. ad Majorem. Ex malo non poteſt *natura* aliquid boni proficiſci. At ex malo poteſt *vi Dei*, ſive ex ordinatione Dei proficiſci. 2. Pœna eſt malum *phyſice* patienti, non *moraliter*. Quia ex lege infligitur, & legi eſt conformis. *Inſt.* Si Deus non jubet facere mala, ut eveniant bona; ipſemet non permittit mala, ut eveniant bona. Verum prius. Ergo & poſterius. *Reſp.* Deus non facit mala, ſed permittit. 2. Deus multa facit, quæ prohibet nos facere. *Inſt.* contra primam reſponſionem: Si homo permittens mala, cum poſſit prohibere, dicitur cauſa eſſe malorum; tum etiam Deus cum poteſt prohibere, & permittit, dicitur cauſa malorum. Verum prius. Ergo & poſterius. *Reſp.* Neg. Conſeq. Nam alia ratio Dei, alia hominis: Deus non tenetur prohibere, homo tenetur prohibere ex lege. *Inſt.* Si non tenetur prohibere; Ergo non poteſt exigere, ut peccatum non fiat: Atqui exigit: Ergo. *Reſp.* Conſequentia negatur. *Contra probant*, ex *Gen.* 18. 25: *Abſit tibi, ut facias tale quicquam, morti tradendo juſtum cum injuſto, ut ita ſit juſto ſicut injuſto: abſit tibi: an judex totius terræ non exerceret jus?* Vnde ſic argumentantur: Si eſt contra naturam judicis juſtitiæ divinæ, perdere innocentes, tum etiam contra naturam ejus perdere eos, quos permiſit peccare. Verum prius. Ergo & poſterius. *Reſpond.* Iuſtitia Dei duplex; *juſtitia judiciaria*, & *juſtitia ſummæ poteſtatis divinæ*: ex illa neminem damnat, niſi propter peccatum: ex hac ordinat eum, qui nondum eſt, ad interitum. *Inſt.* contra ſecundam reſponſionem ſuperius datam: Si Deus ponit ſe exemplar actionum noſtrarum, tum certe ſequitur, quod prohibet, hoc ipſum non facere: At ponit ſe exemplar actionum noſtrarum. Ergo. Majoris conſequentia certa. Minor. prob. *Levit.* 11. 45. *Sancti eſtote, ſicut ego ſanctus ſum.* & *Matth.* 5. *verſ. ultimo.* *Reſp.* Iubet nos eſſe ſanctos, ſicut ille, in illis, in quibus nos jubet imitari Deum, non autem in omnibus.

QUÆSTIO IV.

Qua ratione poteſt Deus juſte hominem rejicere, & ordinare ad interitum ſine præcedente culpa, cum juſtitia ejus non poſſit eſſe rata, niſi iis mala infligat, qui peccarunt?

Reſp. Iuſtitia Dei duplex: Vna *puniens*; & hæc nunquam agit niſi propter culpam: Alia eſt juſtitia, quæ fluit ex poteſtate ipſius; & hac quicquid poteſt, juſtum eſt, ſi faciat. Diſtinctionis membra ſunt, *Rom.* 9.

QUÆSTIO V.

Illos quos Deus reprobat, qua ratione poteſt dici odiſſe, ſi non propter peccata?

Reſp. Odium duplex; vel *rejectionis*, & nihil aliud ſignificat, quam negationem amoris, quo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

proſequitur homines ad vitam æternam, & *odium punitionis*; & hoc nihil aliud, quam voluntas puniendi propter peccata: ex hoc jam patet, quod odiſſe non poteſt Deus creaturam rationalem odio *punitionis* ſine peccato, ſed odio *deſertionis* poteſt; id eſt poteſt non dignari gratia ſcilicet ea, ex qua proficiſcitur vita æterna.

QUÆSTIO VI.

An ſit duplex Reprobatio, & quid unaquæque ſit?

Reſp. Proprie loquendo, unum decretum Dei eſt; ſed diſtinguitur ratione effectorum Dei: id eſt, ratione *non electionis*, quod *effectum negativum*; & ratione *ordinationis ad pœnam*, quod effectum *poſitivum* eſt. Diſtinguitur a. reprobatio in negativam & poſitivam. Negativa nihil aliud eſt, quam non eſſe electum ad vitam æternam. Poſitiva, qua ordinatur ad mortem æternam.

QUÆSTIO VII.

Vtrum Deus voluerit primo pœnam, quam culpam?

Videtur hoc falſum eſſe, quia culpa & pœna ſunt correlata. Vt autem unum non poteſt prius intelligi, quam aliud; ita nec prius ſub voluntatem cadere, quam aliud. *Reſp.* Quia pœna ſe habet ad culpam, tanquam finis ad medium. Finis autem primo intenditur, quam media: ita, verbi gratia, prius punire voluit Deus Davidem, quam peccatum vellet. Quia ut puniret, peccatum voluit. Vide *c.* 23, 1 *Sam.* hac de re.

Argumentum quod attinet, quod afferebatur, ſcilicet, Culpam & pœnam eſſe relata; tenendum eſt, eſſe talia ſecundum dici, non autem ſecundum eſſe; id quod patet ex eo, quod unum ſit menſura alterius, id eſt, culpa, pœnæ.

QUÆSTIO VIII.

Quis ſit ordo Decretorum Dei?

Reſp. Sic ſe habet. I. Decreta omnia antecedit ſcientia Dei Theoretica, qua ſcivit, ut omnia alia, ſic hominem ſibi conditu poſſibilem fuiſſe. Præterea, qua ſcivit hoc, quod ſi hominem iſtum conditurus fuiſſet in integritate, & labi fuiſſet permiſſurus, illum certo lapſurum fuiſſe. Vltimo & hoc ſcivit, ſi homo lapſus fuiſſet, ſibi occaſionem oblatum iri, juſtitiam ſuam & miſericordiam demonſtrandi. Hinc jam poſt cognitionem iſtam decretum primum incipit, de fine iſto: Volo miſericordiam & juſtitiam oſtendere. & hic finis non de nihilo eſt, ſed de homine, ut poſſibilis erat conditu Deo. Secundum Decretum jam ſequitur; quod de mediis: Et quia volo miſericordiam & juſtitiam oſtendere, idcirco creato homine permittam labi hominem, & quoſdam ex lapſu hoc liberabo, quoſdam autem in lapſu relinquam. Tertium ſequitur: Quia ergo liberare volo, quibuſdam hominibus dabo media, per quæ liberari poſſunt, externa & interna. *Externum* Chriſtus, cujus vi & merito liberabuntur ii, quos volo liberatos. *Internum*, juſtificabo ipſos, regenerabo, & conſervabo ipſos. Iam definitio ex his talis: Prædeſtinatio eſt decretum Dei, quo ille decrevit oſtendere juſtitiam, & miſericordiam; & hoc ut faceret, hominem, quem ſciebat à ſe condi poſſe, in lapſum permitti, ex lapſu liberari, vel in lapſu relinqui, decernit condere, in lapſum permittere, & ex lapſu liberare; propter quod decrevit, Chriſtum, juſtificationem, regenerationem, & reliqua conferre. Reliquos vero propter lapſum, & hunc in quo ipſos reliquit, & alios in quos ſe præcipites porro daturi erant, æternum damnare.

QUÆSTIO IX.

Cum Deus reprobos condiderit ad æternum exitium, & non dignatus ſit ipſos gratia ſua; quæritur, Anne teneantur Deum celebrare, eique gratias agere, quod facti ſint & creati; quandoquidem ſatius fuiſſet, eos nunquam factos fuiſſe, quam factos ad interitum æternum?

Reſp. Duplex membrum quæſiti. Primum eſt, an teneantur Deum celebrare: alterum, an gratias agere, quod ſint creati, cum ad interitum creati ſint. Quod ad I. attinet, Diſting, Celebrari Deum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Deum: vel dum gratiæ ipſi aguntur; & ſic non tenentur eum celebrare: vel dum agnoſcuntur ea, quæ Dei propria ſunt, Dei eſſe; & ſic tenentur, id eſt, tenentur agnoſcere Dei ſummam poteſtatem, quod illæſa juſtitia potuerit eos creare ad interitum. 2. Coguntur agnoſcere juſtitiam Dei, quæ in ipſis exeritur, non ſine cauſa, ſed graviſſimas ob cauſas. Exemplum habemus in Eli, cui cum prædictum fuiſſet nomine Dei, futurum, ut propter ſcelera filiorum, & ipſe & tota familia funditus evertenda fuiſſet, dixerit, *Dominus eſt, faciat quod vult*.

Ad II quod attinet, *Reſp.* diſting. Reprobi tenentur Deo gratias agere, tum ratione ſui, tum ratione electorum. Ratione ſui, quod cum potuerit ſimul ac creati fuiſſent, exortes omnium bonorum, in hæc aut graviora præcipitare mala, poſt multa beneficia in ipſos collata hoc demum fecerit. Ratione electorum, reprobi Deo gratias agere tenentur, quod in aliquos beneficia hæc, quæ non niſi ab eo, qui infinite miſericors eſt, præſtari poſſunt, contulerit. Non negligenda tamen reſponſ. quorumdam, qui ſine ulterioribus quæſitis rem totam determinant: Nempe teneri quidem hæc facere omnia, ſed ut malum ipſorum aggravetur per tranſgreſſionem. Sin vero quis urgeat hic, & quomodo teneatur, cum beneficia non acceperit? *Reſp.* Dominum iſtum, cujus ſumma poteſtas in creaturas, etiam ejus poteſtatis eſſe, ut beneficio non collato obliget creaturam ad gratias ſibi agendas. Hujus exemplum clarum in reprobis, quorum gratia Chriſtus non eſt miſſus in mundum, & pro quibus certe mortuus non eſt, interim tamen tenentur hoc credere utrumque, nec tantum hoc, ſed etiam tenentur Deo gratias agere; ut videre eſt, *Ioan.* 1, ubi mundo, qui per Chriſtum factus eſt, exprobratur, quod Chriſtum non exceperit, ſed reſpuerit.

CAPVT IX.
De Creatione.

QUÆSTIO I.
Quid ſit Creatio?

Curioſa quæſtio; ſed quia uſum habet in argumentis ſolvendis de Creatione, ideo tractanda hic. Scholaſtici dum diſputant, Vtrumne Deus adhibuerit inſtrumenta in Creatione, tale argumentum ſolent proponere: Quo Deus creavit omnia, illud Omnipræſens eſt, illud Omnipotens eſt. Creatione creavit omnia. Ergo Omnipræſens eſt, per conſeq. Deus eſt. *Reſpond.* Creationem, eſſe Deum. Sed diſtinguitur Creatio, quod alia activa, alia paſſiva ſit. Activa Deus: Paſſiva nihil aliud quam modus, ſecundum quem, accedente Omnipotentis nutu, res fit.

QUÆSTIO II.
An omnes Dei actiones ad extra, ſint ipſe Deus?

Reſp. Affirm. Argumentum I. Deus nullo inſtrumento uſus eſt in creatione; Ergo creatio ipſe Deus eſt. Ratio. Quia ſi nullo inſtrumento uſus, & creatione creavit; tum ſequitur, ſe ipſo creaſſe. Atque adeo creatio ipſe Deus erit. Minor prob. Nam creatio iſta, qua creavit, ſi eſſet creata, eſſet ſubſtantia futura. At actio creata, neutiquam eſt ſubſtantia. Similiter de conſervatione & providentia. *Reger.* Scholaſtici docent, actiones ad extra, non differre à paſſionibus realiter: Si vero creatio activa erit Deus; Ergo creatio paſſiva erit etiam Deus. *Reſp.* Decipi Scholaſticos hoc ipſo, quod putent pro fundamento eſſe iſtud Ariſtotelicum, quod tamen plerique male intelligunt: Actionem & paſſionem ab Ariſtotele vocari motum. Certe motum vocat utrumque, ſed non ejuſdem generis. Nam *actionem* vocat *activum motum*; *paſſionem, paſſivum motum.*

II. Si actiones Dei ad extra, non ſint Deus; tum erunt creaturæ creatæ; Ergo creatione creatæ. Creatio vero iſta erit vel Deus, vel creatura: Si Deus ſit, cur non & prior? Si creatura, iterum creatione creata, & ſic datur proceſſus in infinitum. *Reger.* Sicut radii ſolares egrediuntur à ſole, nec ſol ſunt; nec propria effecta ſolis: ita etiam actiones Dei ad extra, egrediuntur à Deo, nec tamen Deus ſunt, nec creatio proprie. *Reſp.* Iſta dici fruſtra. Nam radii ſolares ſunt entia *intentionalia*, non *realia*; & proficiſcuntur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ficiſcuntur à ſole tanquam cauſa: At vero creatio, ut & ceteræ actiones Dei ad extra, non ſunt entia intentionalia, ſed realia.

III. Actiones Dei ad extra, ſunt ubique; Ergo ſunt ipſe Deus. Conſeq. quia quod immenſum eſt, Deus eſt. Minor. Nam creatio ad omnia ſe extendit, quæ creantur. *Reſp. Socin.& Vorſtius*, Deum omnibus adeſſe per vim ſuam, tamen vim ipſius & ipſum, non eſſe unum & idem. *Reſp.* Abſurde hoc dici, cum in Deo nihil ſit niſi Deus, ut oſtendimus in antecedentibus.

Obj. I. Si conſervatio, creatio, providentia, ſint ipſe Deus, tum ſunt ab æterno, & ſic mundus ab æterno. At poſterius abſurdum. Ergo. Conſeq. quia Deus eſt æternus. *Reſpond.* Creatio ratione eſſe ſui *abſoluti*, quod nihil aliud quam actum puriſſimum dicit, fuit ab æterno; ſed quoad *relationem ad extra* & *nomenclaturam*, quæ advenit actui iſti puriſſimo, non fuit ab æterno, ſed in tempore recte acciderunt ipſi. *Inſt.* Si acciderunt Deo; Ergo mutatio facta in Deo: At nulla mutatio accidit Deo. Ergo. *Reſp.* Eſt Scholaſticorum regula: Relatio ex parte Dei ad creaturas, eſt relatio rationis; unde nullam mutationem infert in Deo, cum nec realis relatio inferat mutationem.

Obj. II. Si creatio eſt Deus, tum motus erit Deus. At hoc abſurd. Conſeq. quia actiones omnes ſunt motuum: Motus autem omnis in ſucceſſione; Deus vero ſucceſſionem nullam admittit. *Reſp.* Actio, ſcilicet *creata*, eſt motus, non *increata*. *Inſt.* Inde apparet etiam, creationem, conſervationem, ſucceſſionem admittere, quia Deus non uno momento creavit, ſed per ſex dies, & conſervatio etiamnum durat. *Reſp.* 1. Deus non ſex diebus continuis creavit, ſed ſingulorum dierum momentis. 2. Deus eſt indiviſibilis: unde æternitas definitur, quod ſit incomprehenſibilis tota ſimul & indiviſa vitæ poſſeſſio. Creaturæ ergo, ut Scholaſtici bene loquuntur, ſuo Creatori inadæquate coëxiſtunt, ſed diverſis temporibus, cui tamen omnia præſentia ſunt: Motus ergo & ſucceſſio in creatura, non in Creatore.

Obj. III. Si actiones Dei ad extra ſint ipſe Deus, tum multi forent Dii. Abſurdum. *Reſp.* Si iſtæ actiones ex eſſentia à ſe diſtinguantur, ſive ex natura Dei; & non ex ratione modi noſtri concipiendi. *Reger.* Imo vero ex natura rei; nam definitionibus differunt: aliud enim eſt creatio, aliud conſervatio. *Reſp.* Non eſt aliud ex natura, ſed ex relatione diverſa ad creaturas, & nomenclaturam diverſam, ſicut idem Deus dicitur Creator, Conſervator, &c.

QUÆSTIO III.

An Creatio ſit actio ſolius Dei propria?

Reſp. Affirm. Quia creare, eſt ex nihilo aliquid facere. Ex nihilo aliquid facere non poteſt niſi is, qui infinitæ ſit potentiæ; quia nihil, & aliquid in infinitum diſtant. At infinitæ potentiæ non eſt niſi ille, qui infinitæ eſt eſſentiæ. Proprium enim extra latitudinem ſubjecti ſui ſe non extendit, ſi in divinis ita balbutire licet.

Obj. I. Si hominibus tribuantur miracula; Ergo etiam creatio ipſis tribui poteſt. Sed prius eſt verum. Ergo & poſter. Ratio conſequentiæ hæc eſt. Quia eadem vi fiunt miracula, qua creatio. *Reſp.* Tribuuntur hominibus quidem miracula, non ut *cauſis efficientibus*, ſed tantum ut *cauſis inſtrumentalibus*. *Inſt.* Si miracula ipſis tribuantur ut cauſis inſtrumentalibus; Ergo etiam creatio ipſis ſic tribuetur. Verum prius. Ergo & poſterius. *Reſp.* Tribuuntur creaturæ, ut *cauſa morali*, non *reali*. *Inſt.* Humanæ Chriſti naturæ tribuuntur miracula, ut cauſæ reali. *Reſp.* Negatur Minor. *Probant Luc.* 8. 46. Unde ſic argumentantur: Si virtus illa, quæ ſiſtebat fluxionem ſanguinis, prodibat à Chriſto quoad humanam naturam, Ergo etiam facit miracula quoad humanam naturam. *Reſpond.* Neg. Minor; quia à Chriſto fiebat hoc miraculum, quoad divinam naturam. *Inſtant:* Si opera humanæ Chriſti naturæ ſint infiniti valoris, tum quoad humanam naturam etiam facit miracula. Sed verum prius. Ergo & poſterius. Minor probatur, quia mors, juſtitia, obedientia Chriſti ſunt infiniti valoris. *Reſp.* Sunt hæc infiniti valoris, ſed id à perſona Chriſti eſt, non à natura humana. *Inſt.* Si humana Chriſti natura poteſt producere opus infiniti valoris; Ergo etiam poteſt creare. Sed verum prius. Ergo & poſterius.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

poſterius. *Reſp.* ad Minorem: Infinitus ille valor provenit nõn ex ſe, ſed à perſona, quæ infinita eſt. *Inſt.* Quod humana natura poteſt creare. Cui data eſt omnis poteſtas, ille poteſt etiam creare. Atqui humanæ naturæ data eſt. Ergo. Minor prob. *Matth.* 28. 19. *Reſp.* Diſtinguitur *poteſtas* ab *omnipotentia*: poteſtas eſt *officii*, omnipotentia eſt *divinæ naturæ*. Cui data eſt omnis poteſtas, ei etiam data eſt omnipotentia: Ratio; quia niſi haberet omnipotentiam, non poſſet uti poteſtate: At Chriſti humanæ naturæ data eſt omnis poteſtas; Ergo & omnipotentia. *Reſp.* Non ſoli humanæ naturæ Chriſti data eſt omnis poteſtas, ſed perſonæ ejus, quæ eſt θεάνθρωπος. *Inſt.* Si Deo nihil poteſt dari, Ergo humanæ naturæ tantum data eſt. Verum prius. Ergo & poſterius. *Reſp.* Deo nihil poteſt dari, ut ipſum perficiat, ſed ut nos perficiat. *Inſt.* Et contra prob. quod humanæ Chriſti naturæ data ſit omnipotentia, *Apoc.* 5. 12. *Reſp.* Agit hic locus de agno in *concreto*, non vero in *abſtracto*, adeoque de perſona, non de natura humana. Concreta enim perſonam notant in Chriſto.

Obj. II. Si creatura poteſt concurrere ad hominis regenerationem, tum etiam poteſt creare. Sed verum prius. Ergo & poſterius. Ratio conſequentiæ eſt. Quia tanta poteſtas requiritur in regeneratione, qualis in creatione, imo major. Quia in creatione nulla re, ut medio, opus eſt; in regeneratione vero opus eſt medio, nempe meritõ Chriſti. Sed verum prius: Ergo & poſterius. *Reſpond.* Negatur Minor. *Inſtant:* Probatur ex 1 *Pet.* 1. 23. Si ex Verbo Dei regignimur, Ergo creatura ad regenerationem concurrit: Sed verum prius: Ergo & poſterius. *Reſp.* Dicimur regigni ex Verbo, quia ex Verbo manifeſtantur, qui ſint regeniti. 2. Regeneramur ex Verbo Dei non *phyſice*, ſed *moraliter*. *Inſtant:* Eodem modo regignimur ex Verbo, quo modo fit fides: Atqui fides fit ex Verbo, ut cauſa reali: Ergo & nos ſic. *Reſp.* Actualis ſic fit, non vero habitualis. Hæc enim immediate à Deo proficiſcitur.

QUÆSTIO IV.

Utrum Deus in creatione uſus inſtrumento aliquo.

Ratio dubitandi hæc eſt, quod manifeſte Deus dicatur per manus Prophetarum & Apoſtolorum facere miracula, tum primi generis, id eſt, talia quæ & ipſa & modus naturæ ipſorum impoſſibilis; tum & illa, quorum modus eſt poſſibilis. *Reſp.* Non poſſe inſtrumenta adhiberi ad creationem; idque propterea, quod inſtrumentum vi communicata agit potiſſimum: at vis communicata finita eſt: finita autem non poteſt efficere, ut eorum quæ in infinitum à ſe diſtant, alterum fiat alterum. Ad rationem dubitandi *Reſp.* Apoſtolos & Prophetas interveniſſe ad miracula patranda, per modum ſignorum, non autem inſtrumentorum. Nec eſt quod quis urgeat particulam, *per.* Nam hæc non tantum cauſam inſtrumentalem notat, ſed etiam ſignum, ut patet *Col.* 2. Ubi dicimur per Baptiſmum ſepulti eſſe cum Chriſto. Scholaſtici utuntur hic diſtinctione inſtrumenti, & dicunt, Aliud inſtrumentum eſſe *morale*; aliud, *phyſicum*; & Deum uti morali inſtrumento in miraculis patrandis, & non phyſico: ſed noſtra diſtinctio commodius explicat rem.

Obj. I. At negari non poteſt, Verbum Dei inſtrumentum regenerationis. Nam ſignum dicere hoc, abſurdum; & interim tamen regeneratio noſtri, non minus eſt opus creationis, quam cum ex nihilo creati ſumus. Regenerari autem nos per Verbum Dei, patet 1 *Pet.* 2. 13. *Reſp.* Vel propter hunc ipſum locum, magni faciendam cenſeo diſtinctionem Scholaſticorum, qua diſtinguunt inſtrumentum, in morale, & phyſicum. Phyſicum eſt, quod cooperatur; morale, vel ipſum Verbum, vel ille qui tantum Verbo utitur in patrandis miraculis, quales fuerunt Apoſtoli.

Contra. Si homines ſceleſti poſſint vera miracula facere, tum multo magis Verbum Dei eſſe poteſt miraculorum cauſa. Verum prius. E. & poſt. quod patet *Matth.* 7, ubi aliqui, qui condemnandi, dicturi, nonne in nomine tuo dæmonia ejecimus, &c? *Reſp.* Deum uti etiam ſceleſtis

S homi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

hominibus in quibuſdam effectis: ut, verbi gratia, in prædicatione Verbi ſui, in adminiſtratione Sacramentorum. Nihil ergo obeſt, cur etiam non utatur iiſdem in miraculis edendis, cum miracula minus quid ſint, quam prædicatio Verbi; quandoquidem ſine Verbi prædicatione homo ſalvari non poteſt: at ſalvari homo poteſt, etiamſi nulla unquam miracula videat.

QUÆSTIO V.

An creatio differat à miraculis?

Reſp. Affirm. Quia genus à ſpecie differt.

Obj. I. Creatio diſtinguitur à miraculis; E. non eſt triplex miraculoſa hominis productio. *Reſp.* Differt tanquam genus à ſpecie. *Inſt.* Miraculum dicitur id, quod miramur: At creatio non eſt tale quid. Ergo. *Reſp.* Argumenta ab etymologia deducta, non ſunt magni momenti. *Inſtant:* Magnam vim habent demonſtrationis. *Reſp.* In lingua Hebræa.

Obj. II. Miraculum inſtitutum eſt ad confirmandam religionem: Atqui ibi nulla religio. Ergo. *Reſp.* Non tantum ad confirmandam religionem: ut, miracula coram Pharaone inſtituta ſunt alio fine. *Inſt.* In Chriſto non fuit miraculum: Ergo nec in homine creato. Probo, *Heb.* 2. *v.* 17. Si ſimilis fuit per omnia; Ergo quemadmodum nos non miraculoſe, ita nec Chriſtus. *Reſp.* Similis quoad φύσιν, non autem quoad ὑπόστασιν, & quoad cauſas & accidentia iſtius φύσεως. *Inſt.* Si miraculum in homine creato ex terra; Ergo miraculum eſſet, ſi apes crearentur. At hoc abſurdum, quia miracula non cadunt in bruta. *Reſp.* Neg. Nam, cum Chriſtus ex aqua vinum faceret, *Ioan.* 2, hoc utique fuit miraculum. *Inſt.* Si iſtud fuit miraculum; Ergo & miraculum cum homines creantur. *Reſp.* Non creantur, ſed generantur. *Inſt.* At animæ quotidie creantur. *Reſp.* Omne miraculum eſt creatio, ſed non omnis creatio eſt miraculum.

QUÆSTIO VI.

An ex creatione ſapientia & bonitas Dei cognoſci poſſit? Affirm.

Obj. I. Si ex opere creationis ſapientia & bonitas Dei cognoſci poteſt: Ergo Deus ſalutariter cognoſci poteſt ex opere creationis. Sed abſurdum poſterius. Ergo. Conſequentia; quia qui cognoſcunt Deum bonum, ſapientem; ſalutariter cognoſcunt. *Reſp.* Electi tantum ex creatione ſalutariter intelligunt; reliqui autem præpoſtere, id eſt, ſine fide. *Inſt.* Si in tantum cognoſcunt, ut inexcuſabiles reddantur, & cognoſcunt quod de Deo cognoſci poteſt; Ergo ſalutariter. *Reſp.* Cognoſcunt quicquid de Deo cognoſci poteſt, ſcilicet per naturam, non autem per fidem. *Inſt.* Si Deus iis manifeſtum fecit. Ergo non per naturam. *Prob.* Deus non repoſcit aliquid, quod non dedit; nam cui multum dedit, ab eo multum repoſcet; & cui parum, ab eo parum; & cui nihil, ab eo nihil. *Reſp.* Spiritus Sanctus negat iſtam analogiam. Nam *qui ſine lege peccant, ſine lege peribunt*, Rom. 2. 12.

QUÆSTIO VII.

An ex nihilo Deus omnia fecerit?

Reſp. Affirm. Videtur hæc quæſtio non neceſſaria, niſi Socinus impugnaret, idque eo quod nolit concedere, Deum eſſe infinitum. Nam hoc argumentum adverſus eum urgetur: Deus fecit omnia ex nihilo, Ergo erit infinitæ potentiæ; & per conſequens, infinitæ eſſentiæ.

I. Argumentum: Deus ſolus eſt independens, Ergo omnia ex nihilo creavit: Conſeq. quia extra illum omnia quæ ſunt, creata ſunt ex nihilo. Minor, *Matth.* 19. Solus Deus bonus eſt independenter: Ergo ſicut aliquid bonum eſt, ita eſt. *Reger. Socin.* Dici ſolum bonum, quia maxime bonus; ut etiam dicitur ſolus ſapiens, quia maxime ſapiens. *Reſp.* inferendo per retorſionem, Quia maxime talis eſt, Ergo cauſa eſt reliquorum ejuſdem generis. Nam regula eſt Philoſophorum: *Maximum in uno quoque genere eſt cauſa reliquorum.* 2. Dicimus non pugnare iſta; Maxime ſapientem eſſe, maxime bonum, & independenter bonum; imo, non eſſet independenter ſapiens, bonus, niſi maxime eſſet & ſapiens & bonus.

II. *Rom.* 11. 36. Si ex eo ſint omnia quæ ſunt, tum omnia ex nihilo facta. Conſeq. Nam ſi omnia quæ ſunt, ex ipſo facta ſint; oportet, antequam

tequam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

tequam facta, nihil fuiſſe. *Reger.* Omnia per ipſum. Ponitur pro creatura nova; alioquin peccatum dicendum eſſet eſſe aliquid, eſt enim nihil privativum. *Reſp.* Quod garriunt de nova creatura, refell. *Exod.* 20. 11.

III. Si nobiliſſimas creaturas fecit ex nihilo, tum certe & minus nobiles. Conſeq. *A majore ad minus valet argumentatio.* Min. de Angelis, de anima rationali, quæ facta ex nihilo; neque enim iſta ſunt materiata; quod fieri oporteret, ſi ex materia facta fuiſſent. *Reger.* Aliquos auctores fuiſſe, qui dicunt, Angelos & animas corporeas eſſe. *Reſp.* Refelluntur illi à Chriſto, *Luc.* 24, qui dicit, Spiritum non poſſe palpari, non habere carnem & oſſa.

Obj. I. Ex nihilo nihil fit, juxta Ariſtotelem. *Reſp.* Scilicet *vi cauſæ ſecundæ*, quæ finita eſt; ſed poteſt fieri *vi cauſæ primæ*, quæ eſt infinita. *Inſt.* Si Deus potuit ex nihilo facere omnia, poſſet iterum annihilare omnia: At non poteſt. *Reſp.* Poteſt annihilare, ex abſoluta ſua potentia; quod vero non annihilet, id fit ex eo, quod ita decrevit.

Obj. II. Si ex nihilo feciſſet omnia, Scriptura hoc non tacuiſſet. Nam hoc maximè faceret ad illuſtrandam ejus potentiam. At, &c. *Reſp.* Minime vero: ut liquet ex iſtis quæ attulimus; ſed inſuper *Rom.* 4. 13. *Heb.* 11. 3. *Inſt.* Aliud eſt, eſſe in ſpeciem talia, quæ non ſunt talia: aliud, ex materia non eſſe facta, quæ non ſunt: aliud eſt, non eſſe, & non eſſe apparens. *Reſp.* Non eſſe negativum, eſt nihil. 2. Non apparens eſſe negativum, eſt eſſe nihil: hic autem hoc ſignificatu accipi debere, oſtendunt argumenta noſtra.

Obj. III. Si ex nihilo omnia fecit; quomodo hoc conſiſtere poteſt, quod hominem ex limo formavit? *Reſp.* Duplex eſt creatio; *mediata*, & *immediata*: Creatio Adæ eſt mediata ex materia, ſed materia iſta facta erat ex nihilo. *Reger.* Si Adamum fecit ex materia; cur non etiam alia? vel è contra, Si alia immediate, cur non & ipſum? *Reſp.* Sic volo, ſic jubeo, &c.

QUÆSTIO VIII.

An Deus omnia fecerit propter ſe?

Reſp. Affirm. *Prov.* 16. 4.

Obj. I. Si Deus omnia creavit propter ſe; Ergo ipſi aliquid defuit, vel acceſſit. *Reſp.* Propter ſe, ut finem *aſſimilationis*, non ut finem *indigentiæ*. *Inſtant:* Si Deus factus eſt perfectior; tum ſequitur, ratione indigentiæ. Minor prob. Qui actu factus eſt Dominus, ubi antea potentia erat, ille factus eſt perfectior. *Reſp.* Non eſt potentia in Deo, ſed in creatura, quæ actum Dei ſubire poteſt.

Obj. II. Ergo Deus videtur eguiſſe iſtis. Nec eſt quod quiſquam dicat, iſta Deum non facere propter ſe, ſed facere propter creaturas. Nam ſi quæram, cur opus fuiſſet creaturas eſſe? Reſpondendum tandem fuerit, Quia Deus gloriam ſuam patefacere aliter non potuit. *Reſp.* Deum voluiſſe creaturas non propter ſe, ſed propter ipſas creaturas, ut creaturis aut benefaceret, quod in electos cadit, aut poteſtatem ſuam declararet, circa malos, aut juſtitiam, ex quo etiam beneficium erga electos. Namque hoc pacto oſtenditur electis, potuiſſe eos rejici ut alios, & potuiſſe ipſos condemnari juſte ut alios, ſi nempe Deo viſum fuiſſet ipſos reprobare.

QUÆSTIO IX.

An Angeli ſint creati?

Reſpond. Affirm. Quia ex Deo omnia. *Rom.* 11.

Obj. I. Creationis Angelorum nulla fit mentio in Scriptura; Ergo non ſunt creati. *Reſp.* Neg. *Iob.* 38. 7. *Inſt.* Ex ambiguis nihil certi deduci poteſt. *Reſp.* Si non determinentur in textu: at hic vox ambigua determinatur. *Inſt.* Hic non poſſunt intelligi Angeli, quia ſtellæ hæ poſitæ ſunt ante Angelos. *Reſp.* Sæpe aliquid anteponitur, quod debebat poſtponi: ut *Act.* 2. 28. & alibi.

Obj. II. Si Angeli ſint filii, Ergo geniti & non creati: Sed Angeli ſunt filii, *Iob.* 38. 7. *Reſp.* Sunt filii *jure creationis*. *Inſt.* Si creatio infert filiationem, Ergo & reliqua bruta eſſent filii: Sed abſurdum poſterius. Ergo. *Reſp.* Si quævis creatio inferret filiationem; ſed non quævis, ſed creatio ad Dei imaginem tantum infert filiationem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

QUÆSTIO X.

Utrumne Deus ea quæ condidit, meliora condere potuerit?

Reſp. Vanam & curioſam quæſtionem eſſe: attamen, ſi ſit reſpondendum aliquid propter hoc, dicendum, quod potuerit, ſed ita tamen, ut in infinitum non potuerit meliorem, ſive, non potuerit ita meliorem reddere, ut deſineret eſſe creatura, & inciperet eſſe Creator.

QUÆSTIO XI.

An Deus potuerit mundum creare antequam creavit?

Reſp. Ita potuit ante creare, ut illud *ante* intra limites temporis conſiſteret, & non eſſet æternitas.

QUÆSTIO XII.

Quomodo hoc vere dicatur à Theol. quod Deus in momento condiderit omnia, cum interim expreſſe Spir. S. teſtetur in Geneſi, ſpatio ſex dierum facta eſſe, quæ facta ſunt?

Reſp. Rationem iſtius Theologi hanc habent, quod Deus ſi immediate agat, in momento res faciat; ut videre eſt in creatione rerum omnium: nam ad ſolum hoc Verbum ejus, facta fuerunt omnia. Patet & in miraculis primi generis, id eſt, quando ex re diverſa alia fit: ut, baculus Moſis in ſerpentem verſus; Lothi uxor in ſtatuam ſalis. Et ratio ulterior iſtius hæc eſt, quia quando agit immediate, vi infinita agit, vi autem infinitæ reſiſtere nihil poteſt. Ad ea, quæ ex Geneſi proferuntur, *Reſp.* ſic: Deum quidem non omnia ſimul & ſemel feciſſe, ſed ea quæ uno quoque die fecit, in momento feciſſe, ita ut ſex momentis fecerit ea, quæ fecit ſex diebus.

QUÆSTIO XIII.

An Deus condiderit hominem in juſtitia & ſanctitate? Reſp. *Aſſirm.*

Argumentum I. Deus omnia valde bona fecit; Ergo & hominem. At homo non poſſet eſſe bonus abſque ſua ſanctitate: Ergo ſanctus, & juſtus. *Reger.* Agi ibi de bonitate tali, qua omnia ſunt bona: verbi gratia, arbor, brutum, & quævis, quæ non ſunt bonitas moralis. *Reſp.* De bonitate agitur iſthic loci, quæ unicuique naturæ conveniens erat: At juſtitia & ſanctitas erant convenientes naturæ humanæ.

II. Ex reliquiis imaginis Dei: Reliquiæ iſtæ bonæ ſunt moraliter, unde etiam vocantur lex, *Rom.* 2. Ergo ipſum, cujus erant reliquiæ, bonum erat moraliter. *Reger.* Reliquias iſtas quæ ſuperſunt in homine, non eſſe reliquias vitæ ſpiritualis: ac proinde ex iſtis non poſſe deduci, quod homo juſtus fuerit & ſanctus conditus à Deo. *Reſp.* Nihil hoc ad rem. Nam manus reſecta, non eſt proprie manus; & tamen reſecta manus oſtendit hominem fuiſſe, cujus pars erat; Eadem eſt ratio reliquiarum earum.

III. *Eph.* 4. 24. *Reger. Socin.* Agi hic de nova creatura. *Reſp.* De nova quidem agitur, ſed ita de nova, ut dicatur recreari; quod oſtendit, aliquo modo fuiſſe novam. Nam hoc renovatur proprie dicendo, quod, cum fuiſſet novum, vetus factum eſt.

Obj. I. Omnis juſtitia acquiritur crebris actionibus; Ergo Adamus in ſtatu integritatis juſtus eſſe non potuit intra id tempus, quod ſtetit. Nam exiguo tempore ſtetit, adeo ut non potuerit illam actionem exercere. *Reſp.* Adamo *infuſa* & *concreata* illa juſtitia fuit, non vero *acquiſita*; quemadmodum & Chriſtus ſanctus natus eſt. *Inſt.* Cur ergo illi lex data, ſi fuit juſtus, neque enim opus erat ei, qui juſtus jam eſſet, juſtitiam acquirere? *Reſp.* Præſupponitur hypoth. falſa: Quaſi non ſemper vivendum ſit bene; aut quaſi ceſſandum in opere bono: angeli ſunt juſti, & tamen perpetuo faciunt voluntatem Dei.

Obj. II. Si homo factus eſt in juſtitia & ſanctitate, cur tam cito lapſus? non enim videtur veriſimile, perfectum, juſtum, tam cito potuiſſe à tramite recto removeri. *Reſp.* Quia fuit juſtus juſtitia mutabili. *Inſt.* At valde bonus. *Reſp.* Particula *valde* non notat *modum rei*, ſed *rem*.

Obj.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Obj. III. Adam ignoravit, ut & Eva, quæ vel pueri nunc ſciunt: quomodo ergo in juſtitia & ſanctitate? Nam hoc magnum fuit, quod neſciverint ſerpentem loqui, & quod non potuerint colligere, ſe propter uſum fructus vetiti Deo ſimiles minime fore. *Reſp.* Eſt quædam ignorantia, quæ peccatum non eſt; præſertim rerum iſtarum, quæ ſciri non tenentur: qualis hæc fuit: qualis etiam in Chriſtum cadebat, *Marc.* 11. Ignorantia autem rei, quam ſcire tenemur, peccatum eſt. *Inſt.* Imo fuit ignorantia, quam ſcire debebant. Nam ex eo, quod has res ignoraverint, lapſi ſunt. *Reſp.* Fuit hoc antecedens lapſus, non cauſa. Nam non poterant per naturam ſcire, quia hæc cognoſcenda fuerant experimentali cognitione, quæ tempus requirebat.

Obj. IV. Si fuit in juſtitia perfecta conditus; Ergo conſequitur, ipſum legem impleviſſe, antequam noſſet quid eſſet lex. Atqui hoc falſum. Ergo & illud. Conſeq. prob. Si juſtitia eſt legis impletio; tum ſequitur, ipſum legem impleviſſe, antequam ſciret quid eſſet lex, id eſt, cum crearetur: Verum prius. E. *Reſp.* Inepte definiri juſtitiam per impletionem legis; eſt enim actio potius ex juſtitia fluens, cum juſtitia habitus ſit, & non actio; aut ſi libet juſtitiam vocare hoc ipſum, tum diſtinguenda juſtitia, in *Habitualem*, & *Actualem*. Actualis non erat in homine, ſed Habitualis.

Contra. Si erat habitualis juſtitia, oportebat ergo actionem præceſſiſſe. Duplicis enim ſunt generis actiones; quædam quæ præcedunt habitum, & per quas habitus comparatur; quædam quæ ſequuntur. Manet ergo prius argumentum immotum. *Reſp.* Habitus eſt duplex: aut enim ſunt *infuſi*, aut *acquiſiti*. Originalis juſtitia fuit habitus *infuſus*, non autem *acquiſitus*.

Contra. Si habitus fuit infuſus à Deo, Ergo homo difficulter labi potuiſſet. At homo facile lapſus eſt. E. non erat ipſi habitus infuſus. Ratio Conſeq. pendet ex natura habitus, & ex regula Philoſophorum, quæ deducitur ex Habitu: *Habitus difficulter mobilis. Reſpond.* Difficulter labi potuiſſet, ſi fuiſſet ſub regimine Dei, illum conſervantis: & ſic cadit minor. Reſponſionis fundamentum eſt, quod Deus, ſi conſervaſſet, vi phyſica conſervaſſet: at vis phyſica eſt vis Omnipotentiæ: Omnipotentiæ autem Dei nihil reſiſti poteſt; alioqui ſi reſiſti poſſet, jam Omnipotentia non eſſet, impediri enim poſſet: quod autem impediri poteſt, fortius ſe habet.

Contra. At ſaltem homo ſcire debuit, Deum eſſe magis veracem ipſo Diabolo, unde tale argumentum: Qui ignorabat, Deum magis veracem Diabolo, ille certe tali habitu præditus dici non poteſt. At homo primus ignorabat. Ergo. *Reſp.* Ignorantia duplex eſt: *Simplex*, & *affectata*. Non poterat ignoraſſe ſimplici ignorantia, at affectata potuit. Eſt autem *ſimplex ignorantia*, quando aliquis non dedita opera ſtudet, ut aliquid ignoret, & ignorat. *Affectata* eſt, quando aliquis ſtudet, ut ignoret, & ignorat.

Contra. At homo erat natura bonus, ex ſententia iſta, quomodo ergo potuit affectare ignorare hoc quod ſcire debuit? namque affectare & neſcire, vitium eſt. *Reſp.* Ignorantia affectata duplex: vel quæ committitur negligentia & temeritate, quam vitare debes; vel quæ ſtudio quæritur. Prior in primis hominibus fuit.

Contra. At & hoc peccatum eſt, quomodo ergo proficiſci potuit à bona voluntate? Nam aut erat voluntas depravata, aut non: Si non fuit depravata, Ergo hæc non potuit proficiſci ab ea. Si depravata, E. fuit depravata, antequam fuit depravata; quod inintelligibile. Ratio Conſ. Quia error ſequitur ignorantiam, ſecundum illud certiſſimum axioma: *Ignorantia mater omnis erroris. Reſp.* Inſufficiens enumeratio. Vel enim fuit corrupta, vel non corrupta, vel, addatur tertium, ſe ipſam corrumpens.

Contra. At interim hoc intelligibile non eſt, quomodo, cum habitu iſto præditus fuerit, ſcire non potuerit, ſerpentem non poſſe loqui, præſertim cum naturam prænoverit omnium animalium, ut patet ex nominum impoſitione, quæ animali cuique impoſuit ſecundum naturam ſuam, *Gen.* 2. Noverat ergo proculdubio, ſerpentem loqui non poſſe; ac proinde mirum eſt, ipſum potuiſſe decipi. *Reſp.* Adamum non immediate eſſe deceptum, ſed mediate per Evam, Evam autem hoc ignoraſſe, quia erat ex iis quæ ſcire magni non intererat. Eſt enim ſcientia quædam illorum quæ ſciri debentur; & hujus ignorantia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

rantia in vituperio ponenda: quædam quæ ſciri non debentur, & illorum ignorantia vituperari non poteſt.

QUÆSTIO XIV.

Vtrum homo cum aliquibus donis ſupernaturalibus creatus ſit?

Ratio dubitandi, quia creatio perinde ſe habet in primis hominibus, ac nativitas in nobis: at quod nobis per nativitatem contingit, hoc naturale eſt: Ergo quod illis per creationem, naturale erat. *Reſp.* Fuiſſe ſupernaturalia dona collata, manifeſtiſſime colligitur ex prophetia. Nam prophetare de rebus, quibus non interfuiſti, hoc naturale non eſt. Iam, in Adamo hoc fuiſſe, patet manifeſtiſſime ex eo, quod ſciverit, ex coſta ſua ſibi exempta factam fuiſſe feminam. Hoc ſciendum, Prophetiam non tantum eſſe prædictionem futurorum, quod videtur etymologia præ ſe ferre, ſed etiam præteritorum: & hinc, ut Theologi oſtendunt, diſtinctio apud Hebræos nata Prophetarum, in *Priores* & *Poſteriores*. Priores dicuntur propter hæc, quia de rebus præteritis prophetarunt, illa revelando: Poſteriores, qui de rebus futuris.

QUÆSTIO XV.

An homo ſine aſſiſtente gratia Dei potuerit perſiſtere in integritate?

Reſp. Neg. Arg. I. *Ioan.* 15. *Sine me nihil poteſtis*: Ergo ſine gratia Dei aſſiſtente, non potuit perſiſtere in ſtatu integritatis. *Reger.* Hæc dici de homine lapſo, non integro. *Reſp.* Quod nec homo integer ſtare potuit abſque gratia: *in eo enim movemur & ſumus*, Act. 17. 28.

II. Si homo potuit perſeverare in ſtatu integritatis ſine gratia Dei; tum ſequitur, hominem ſervari ita, ut non eguerit opera divina in ſui conſervatione. Hoc abſurdum. Minor, 1 *Tim.* 4. *Eſa.* 46. ubi dicitur, Deum Servatorem eſſe omnium. *Inſt.* Homo habuit gratiam ſufficientem, ita ut potuerit bene utendo perſeverare. *Reſp.* Gratia Dei ſufficiens, eſt etiam efficax. At ſi habuiſſet efficacem gratiam, ſubſtitiſſet; quod non eſt factum: quod autem gratia ſufficiens, ſit etiam efficax, patet. Nam ad hoc, quod ſufficiens ſit, requiritur, ut etiam ſtare poſſit. 2. Vt velimus agere. 3. Vt perficiamus.

Obj. I. Si non potuiſſet homo ſtare abſque gratia Dei, tum tenebatur ipſi Deus gratiam dare: At hoc falſum. Quia non poterat ab illo poſcere, ut ſtaret, ſi ſine gratia ſtare potuiſſet, & illi ipſam non dediſſet: Deus enim neminem obligat ad impoſſibilia. *Reſp.* Falſum. Nam Deus obligat hominem ad velle quod poſſet, neque tamen ipſi dederat. *Inſt.* Deus hoc pacto quovis homine iniquior eſſet. Nam nunquam poteſt homo hominem ad impoſſibile obligare. *Reſp.* Ex judiciis humanis nunquam ſunt judicanda judicia divina, *Eſa.* 55.

Obj. II. Si homo, ad hoc ut perſiſteret, eguiſſet gratia Dei in ſtatu integritatis; tum, ſi ibidem permanſiſſet, caruiſſet libero arbitrio. Conſeq. Nam ſi gratia iſta fuiſſet, homo neceſſario perſtitiſſet in ſtatu integritatis; Ergo non libere. *Reſp.* Falſa hypoth. quaſi libertas ſtare non poſſit cum neceſſitate. *Inſt.* Imo vero. Nam id liberum eſt, quod poteſt fieri, vel non fieri: neceſſarium, quod non poteſt non fieri. *Reſp.* Ratio diverſa. Nam ſi res conſideretur in ſe, poteſt fieri vel non fieri; ſi conſideres decretum Dei & providentiam actualem, non poteſt non fieri.

Obj. III. Si hominis liberum arbitrium ita erat conſtitutum, ut potuerit ſtare vel non ſtare; tum gratia non opus erat. Conſeq. Quia gratia præſente non poterat non ſtare. *Reſp.* Cum dicitur, Adamum potuiſſe ſtare vel non ſtare; id ita accipiendum, quod ita potuerit ſtare, ſi divinitus fulciretur, non autem ſi deſereretur. *Inſt.* Si aliquando potuit ſtare abſque illa gratia, potuit perpetuo. Minor. Nam non ſtatim lapſus. *Reſp.* Imo ſtetit per illam gratiam, alioqui ne ad momentum quidem ſtetiſſet; ſed poſtquam eum Deus dereliquit, ſtatim lapſus.

QUÆSTIO XVI.

An homo moriturus fuiſſet, ſi non peccaſſet?

Reſp. Negat. Argumentum I. Stipendium peccati mors eſt, *Rom.* 6. Ergo mortuus non fuiſſet,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

fuiſſet, ſi non peccaſſet. *Reger. Socin.* Stipendium peccati eſſe mortem *æternam*, non *temporariam*. *Reſp.cap.*6.11,12. Vbi de tali morte agitur, quæ in omnes homines pervaſit. At mors æterna non in omnes homines pervaſit. Ergo non de ea agitur. Major in textu. Minor certa, quia homines fideles à morte æterna ſunt liberi.

II. *Rom.* 8. 10. Si illis, in quibus Chriſtus habitat, corpus mortuum eſt propter peccatum, tum ſequitur, mortem eſſe effectum peccati, & non ingreſſuram fuiſſe in mundum, niſi peccatum exſtitiſſet. Verum prius. Socinus hic non poteſt obtrudere mortem æternam: nam agitur hic de fidelibus ſeu regenitis. *Reger.* Agi quidem de fidelibus, ſed non quales erant, ſed quales ſunt. *Reſp.* Dicitur mortuum eſſe in præſenti.

III. 1 *Cor.* 15. 22. Si in Adamo omnes moriuntur, & in Chriſto omnes vivificantur; tum ſequitur, mortem temporariam fuiſſe propter peccatum. Verum prius. Ergo. Conſeq. certa: nam hic non agitur de morte æterna, quia fideles non moriuntur ſic. 2. quia hi dicuntur vivificari in Chriſto. *Reſpondet Socinus*, Agi de reſurrectione ad vitam æternam, ac proinde de vita æterna, ac morte æterna. *Reſp.* Totus ineptus. Nam reſurrectio eſt vitæ corporeæ, non vero vitæ æternæ, ſed reſurrectio antecedens eſt ad vitam æternam.

Obj. I. 1 *Cor.* 15. 50. *Caro & ſanguis non poſſidebunt regnum cælorum.* Ergo ſi homo ſalvatus fuiſſet in ſtatu integritatis, oportebat & ſic mori. *Reſp.* Caro & ſanguis vel notat *alteram partem eſſentiæ noſtræ*, vel notat *depravationem naturæ*: hoc loco poſterius notatur, quod conſtat ex collatione *Ioan.* 1. 13. *Inſtant*: 1 *Cor.* 6. 13, Venter abolendus. *Reſp.* Abolendus *quoad uſum* cibi aſſumendi, concoquendi; non *quoad eſſentiam*. Nam Chriſtus cum omnibus membris reſurrexit.

Obj. II. *Luc.* 20. 36. Saltem iſti qui ſalvabuntur, mori non poterunt. Ergo antequam glorificabuntur homines, mori poſſunt. Verum prius. Conſequentia certa. Nam alias immortalitatem non adſtringeret Sp. Sanctus ad vitam æternam. *Reſp.* Nos hoc ipſo non tangimur. Nam non negamus, quod homo in ſtatu integritatis poterat mori: nec de hoc quæſtio ulla, ſed de hoc, An cum poſſit mori, moriturus fuiſſet? Nos negamus, & dicimus, potentiam inhibendam fuiſſe vi Dei, ut in actum non deduceretur. *Inſtant*: At homo edebat, bibebat; quædam partes ejus abſumebantur, quædam viciſſim loco iſtarum ſubſtituebantur, quod erat mors aliquo modo: Ergo non inhibebatur iſta potentia. *Reſp.* Nutritio differt à morte, etiam ſi ſit antecedens aliquod ad mortem, non tamen ſequitur, mortem ſecuturam fuiſſe; quia hæc fuiſſet vi Dei impedita.

Obj. III. Si mors temporaria eſt propter peccatum, tum fideles non moriuntur: At hoc falſum. Conſeq. quia Chriſtus liberavit pios à morte. *Reſp.* Pios mori, non ut ſatisfaciant pro peccatis, ſed ut aboleatur in ipſis corpus peccati, *Rom.* 6. *verſ.* 6. *Inſt.* Cur ergo martyres moriuntur? An propter peccatum? hoc abſurdum, cum propter bonam cauſam moriantur. *Reſp.* Si martyres ſpectes ratione hominum qui illos necant, moriuntur propter bonam cauſam: Si vero ſpectes ratione Dei judicii, tum moriuntur propter peccatum. Exemplo Chriſtus, quem ſcelerate interficiunt Iudæi, & ſic etiam juſte afflictus propter peccata noſtra.

QUÆSTIO XVII.

An animam hominis Deus creet; vel vero ea educatur ex traduce vi ſeminis?

Reſp. Neg. poſt. Affirm. prius.

Argumentum I. *Zach.* 12. 1. *Efformat Spiritum ejus in eo*: Ergo non fit ex traduce. *Reger.* Format Deus, ſed ita, ut educat ex materia. *Reſp.* Sic format Spiritum, quemadmodum extendit cælos. At ſic extendit, ut & formet ex nihilo. Accedit hoc quod ſubſtantia ſpiritualis non poſſit educi è potentia materiæ.

II. *Heb.* 12. 4. Si educeretur anima ex potentia materiæ; tum ſequeretur, æque patres noſtros generare Spiritum ac carnem noſtram. At negat hoc Sp. Sanctus; carnem enim tribuit patribus, Spiritum Deo. *Reger.* Ergo totus homo non generat totum hominem. *Reſp.* Totus homo *totum hominem* generat, ſed *non omnia totius*. Liquet hoc ex artificialibus: Faber lignarius

rius facit totam menſam, ſed non omnia quæ menſæ ſunt; non enim lignum facit.

III. Qui ſtatuunt, animas fieri ex traduce, intricant ſe in laqueos inextricabiles & indiſſolubiles. Nam cur anima matris non perinde traducitur in filium, ac patris? Quod ſi velis, animam filii à duabus animabus traduci: neceſſe erit, duæ animæ in unam coaleſcant & commiſceantur: quid autem fiet tot ſeminibus irritis quæ non conveniunt ad conceptum? num totidem animæ intercident? an in utero ſuffocabuntur? an ſolæ permanebunt abſque materia? His adde, quod neceſſe ſit, patris vel totam animam tranſmitti, & ſic pater exanimis: vel portionem animæ, & ſic anima erit diviſibilis. *Reger.* Hæc eſſe abſurda. *Reſp. Rationi*, non *fidei.*

Obj. I. Si ex traduce non naſceretur, Ergo qui naſcitur ex homine, non erit filius hominis: filius enim potiſſimum vocatur, non ex materia, ſed ex forma. *Reſp.* Conſequentia nulla; quia ſic ſequeretur, Chriſtum non poſſe dici filium Adæ, aut Davidis; cum ſecundum naturam humanam non habuerit patrem; planum eſt, ejus animam à Patre non fluxiſſe: quod ſi ergo, ut ſit filius alicujus, oportet animam traductam à Patre, nullo modo Chriſtus poſſet dici filius Davidis &c. Ergo ut quis filius vocetur alicujus patris vel matris, ſatis hic eſt materiam traduci in diſpoſitionibus & potentia proxima ad recipiendum formam.

Obj. II. Nos fuimus in lumbis Adæ. *Reſp.* Fuimus ſecundum id, ſecundum quod dicitur Pater noſter: At fuit non Spiritus, ſed carnis Pater, *Heb.* 12. 9. *Inſt.* Septuaginta animæ dicuntur egreſſæ ex femore, *Exod.* 1. 5. *Reſp.* Eſt Hebraïſmus, pro perſonis, *Gen.* 46. 22.

Obj. III. Si anima non ſit per traducem; Ergo Deus creans eam in homine, vel puram, vel impuram creat: Si prius, non eſt rea peccati originalis: Si poſterius, Ergo Deus auctor peccati. *Reſp.* Puram creat, ſed tandem ex conjunctione utriuſque per imputationem peccati Adæ, redditur rea; & ſic privatur juſtitia originali, & erit loco juſtitiæ originalis privatio iſta, quæ eſt peccatum originale inhærens; neque tamen ſequitur, quod Deus peccarit, ſi in immundo corpore eam creavit; quia Deus habet poteſtatem, ut unum vas faciat ad decus; aliud, ad dedecus. *Inſt.* At dicuntur in Adamo peccaſſe. *Reſpond.* Particula, *in ipſo*, non *ſubjective*, ſed *cauſaliter* conſideratur; non quod in ipſo peccaverimus, ſed quod ipſe cauſa erat, cur nobis peccata imputarentur, *Rom.* 5. 15, 16, 17. *Inſt.* Si Deus animam creat in corpore immundo & peccato obnoxio; Ergo res inanimata poteſt eſſe peccato obnoxia: quod falſum. Nam lex poſita eſt creaturæ rationali, non rei alicui inanimatæ. *Reſp.* Non eſt in corpore peccatum *actu*, ſed quoad diſpoſitionem tantum; ut, in ovo ſerpentis non eſt venenum *actu*, ſed quoad *diſpoſitionem*. *Inſt.* Si cadit peccatum in corpus quoad diſpoſitionem, tum non poſſet animam inquinare. Quia anima eſt Spiritus; corpus autem non agit in Spiritum. *Reſp.* Corpus non agit in Spiritum, cum quo non conſtituit unum totum integrum; ſed in illud agit, in quo conſtituit unum totum integrum.

Obj. IV. Si Deus animam infundit. Ergo etiam infundit fetibus ex adulterio conceptis. At hoc abſurdum; quia ita Deus concurreret cum malo, & ſic cauſa peccati. *Reſp.* Concurrit non ratione *formalis*, *ἀταξίας* nempe; ſed ratione *materialis*, motus ſcilicet, qui bonus eſt. *Contra.* Deus non creat amplius, ſeptimo die quievit. *Reſp.* Quievit à novis ſpeciebus creandis, non ab individuis ſpecierum veterum.

QUÆSTIO XVIII.

Si anima hominis non traducitur, ſed creatione infunditur; unde ergo peccatum in animam devenit? anne peccatum per propagationem à primo homine ad poſteros derivatur; an vero per imputationem tranſmittitur?

Reſp. Animam peccato affici ob imputationem peccati Adæ, quod Catecheſis Urſini egregie explicat. Cum enim Theologi quærunt, *quomodo peccatum propagetur, an per corpus, an vero per animam?* Catecheſis reſpondet: Neutro modo, ſed per imputationem. Quod nos oſtendemus.

I. Quia dicimur unius in obedientia conſtituti injuſti.

injuſti. At inobedientia unius conſtitui injuſti minime poſſumus, niſi per imputationem: quod enim eſt alterius, noſtrum eſſe non poteſt, niſi cenſeatur & habeatur pro noſtro.

II. Ex oppoſito: Sicut juſtitia Chriſti ſumus juſti per imputationem; ita inobedientia Adæ ſumus injuſti per imputationem.

III. Ex effectis: Propter Adæ peccatum morimur; Ergo nobis Adæ peccatum imputatur. *Excip.* Morimur etiam ob noſtra peccata. *Reſp.* Ita quidem, ſed etſi noſtra abeſſent, Adæ ſolum nobis mortem cauſaretur. Poſtquam Deus imputat peccatum Adæ, tum plectit morte, quia *ſtipendium peccati eſt mors.* Mors autem, cum indefinite ponitur in Scriptura, non tantum *temporalem*, ſed etiam *æternam*, *ſpiritualem*, *afflictionum* mortem denotat. Primo ergo imputat peccatum Adæ, poſt plectit morte ſpirituali, hoc eſt, peccato Originali inhærente; & hoc eſt, quod dicitur, per imputationem eſſe in homine peccatum Originale inhærens.

Obj. I. Nullum peccatum eſt prius pœna quam peccatum. *Reſp.* Nullam hic Arminiani rationem afferunt, cur hoc ita ſit vel eſſe debeat; imo ipſis reponimus hoc, quod nulla pœna, quæ ſimul peccatum eſt, poſterior eſt, qua pœna, peccato, ſed ſemper prior, ut inductione pœnarum ejuſmodi probari poteſt, quia talis pœna infligitur in præcedentis peccati pœnam.

Obj. II. Si Deus intulit hoc peccatum ſub formali pœnæ, tum peccatum in hoc non poteſt dici voluntarium: jam autem, de natura & eſſentia peccati eſt, eſſe voluntarium. Deinde non homo, ſed Deus erit auctor iſtius peccati. *Reſp.* ad 1. Adverſarios quidem crepare perpetuo, eſſe de eſſentia peccati, ut ſit voluntarium; ſed nunquam hoc ſolide probare, vel reſpondere ad rationes noſtras contrarias, poſſunt. Ut quod peccatum primum cœperit ab intellectu. Nam voluntas errare non poteſt, niſi prius erret intellectus, ſiquidem voluntas ductum intellectus ſequitur. Peccatum ergo primum non poteſt dici voluntarium, quia non à voluntate, ſed ab intellectu, qui voluntate eſt ſuperior, ortum habet. 2. Sunt quædam peccata per ignorantiam, quæ voluntaria dici non poſſunt. Ad 2 *Reſp.* Deus quidem peccato aliquando punit hominem, interim, peccatum eſſe, & pœnam eſſe, differunt realiter. Nam peccatum, eſt vel in habitu; ut, peccata habitualia: vel in potentia; ut, peccatum Originale: vel in actione; ut, peccata actualia: pœna vero eſt in paſſione. 2. Poteſt Deus eſſe auctor alicujus peccati, ut pœnæ, ſic tamen, ut hujus ipſius homo auctor ſit, quatenus pœna hæc peccatum. Verbi gratia; immittit Deus efficaciam erroris, ut credant homines mendacio; hoc, in quantum pœna eſt, à Deo eſt, ita tamen, ut ipſum errare, credere mendacio, ſit ab homine.

Obj. III. Dum homo nondum habet initia materialia hominis, afficitur peccato, ut *Pſal.* 51, *In iniquitate conceptus ſum*, &c. Non poteſt ergo per imputationem hoc peccatum infligi, ſiquidem, dum concipitur homo, nondum eſt homo, & tamen jam peccato inquinatus eſt. Peccatum autem non niſi homini imputatur. *Reſp.* Sunt hæ phantaſiæ quorumdam Philoſophorum, qui aiunt, in embryonem animam rationalem venire die à conceptione quadrageſimo quinto, & hinc in ſummas ſe conjiciunt difficultates. Nam ſi quæras ex iis, Unde eſt quod embryo vivat, creſcat, &c. Dicunt, hoc externo calore fieri. Sed, inepte. Nam ali, incrementum capere, proficiſcuntur ab interno principio, non ab externo; quippe ali, foveri, augmentari, internæ ſunt functiones. Itaque nobis ſtatuendum, quod anima rationalis ſtatim jungatur homini in ipſo conceptionis momento, cum vivere incipit fetus: Non autem ſtatim operationes animæ rationalis edit, ſed primo, vegetativæ; poſt, ſenſitivæ; tandem, rationalis. Et certe, ſi non negant Philoſophi, animam rationalem eſſe in fetu, dum compleverit fetus dies quadraginta quinque, etiamſi tunc nullam functionem rationalem edat, ſed tantum ſenſitivam; quomodo, quæſo, poterunt negare, animam rationalem ineſſe fetui, cum primum concipitur, etiamſi nullam edat functionem rationalem, ſed vegetativam dumtaxat?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Libuit hic inſerere Diſputationem peculiarem de modo, quo peccatum Originale ab Adamo ad omnes ejus poſteros derivatur, quam, Anno 1643, Auctore Cl. MACCOVIO, defendit NICOLAUS ARNOLDUS. Quæ ſic habet.

THES. I.

PEccatum eſt Legis Divinæ tranſgreſſio, 1 *Ioan.* 3.4.

2. Primum peccatum hominum eſt Adæ lapſus.

3. Hunc Deus omnibus ex Adamo naturaliter prognatis imputat.

4. Hinc dicitur à Theologis peccatum Originale imputatum.

5. Imputat hoc peccatum ex mero ſuo beneplacito; ſi enim ita ipſi placuiſſet, potuiſſet illud non imputare.

6. Objicitur quidem contra hanc ſententiam illud Pauli, ἐφ ᾧ πάντες ἥμαρτον· *in quo omnes peccaverunt.* Unde videtur conſequi, eo peccatum hoc nobis imputari, quod in Adamo peccaverimus. *Reſp.* Particulam ἐφ᾽ ᾧ capi poſſe vel *ſubjective*, vel *cauſaliter*: poſteriori ſignificatione hoc loco accipi debere iſtam particulam hinc conſtat. Quia ſi ſubjective capienda eſſet, tum peccaſſemus antequam extitiſſemus; quod abſurdiſſimum.

7. Objicitur. Tam hoc ſequitur ex noſtra ſententia, quam ex priori; nam & ex hac ſequitur, nos peccaſſe. *Reſp.* Dicimur peccaſſe, non quod ipſi peccaverimus, ſed quod propter peccatum Adæ nobis imputatum, perinde cenſeamur, acſi ipſi illud feciſſemus: perinde nimirum, ac dicimur in Adamo mori omnes, non *ſubjectivè*, nam in Adamo ut non ſumus, ita nec morimur, ſed *cauſaliter*: quod Spiritus S. explicat, *per unum lapſum mortem regnare, etiam in eos qui non peccaverunt ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adæ,* Rom. 5.

8. At vero qui ſententiam priorem ſequuntur (etiamſi non videtur hoc ex illa ſequi) volunt hoc, Quia in Adamo fuimus, idcirco nos ipſos quodammodo peccaſſe, & nobis peccatum Adæ propterea imputari. At ſi res ita habet, ergo non unius Adæ peccatum nobis imputaretur; nam & noſtra nobis imputarentur, ſi in Adamo peccaſſemus.

9. Si hæc cauſa ſit, cur Adæ peccatum nobis imputatum, quia in ipſo fuimus & peccavimus; Ergo omnium parentum, ex quibus propagati ſumus, peccata nobis imputantur; illi enim ut propiores nobis erant, ita potentia proximiori in ipſorum lumbis fuimus quam in Adami.

10. Conſequitur ergo, nos non dici peccaſſe, quod in Adamo fuiſſemus, aut propterea peccatum Adæ nobis imputatum: ſed nos dici peccaſſe, quod Adæ peccatum nobis imputatum ſit; imputatum vero ex beneplacito Dei.

11. Quia vero Adæ, ſi violaret præceptum Dei, Deus comminatus fuerat mortem; per mortem autem, indefinite ſumptam, intellexit, ut Theologi bene obſervant, omne genus mortis, videlicet mortem ſpiritualem, æternam, temporariam, & mortem afflictionum; idcirco quia Adæ hoc peccatum poſteris ejus ex ipſo naturaliter propagatis imputat, etiam eos pœnarum iſtarum obnoxios fecit.

12. Mors ſpiritualis eſt, ut Spiritus S. deſcribit, mors in peccatis, & hæc mors eſt peccatum, quod Theologi vocant, Originale inhærens: Peccata nempe Deus aliquando peccatis punit.

13. Peccatum hoc incepit cum natura hominis, ut Theologi ex Scriptura demonſtrant, triplex eſſe tempus, quo homo peccato hoc inficitur. 1. eſt *Conceptionis*. 2. *Formationis*. 3. *Nativitatis*. Probantur duo priora ex *Pſal.* 51.7. poſterius *Eph.* 2.*v.*3.

14. Et hinc etiam Originale dicitur, quod cum ipſo ortu hominis incipiat: hoc peccato totum genus humanum infectum eſt, excepto Chriſto; unum enim Chriſtum à communi labe interventus Spiritus S. vindicavit, *Luc.* 1. *verſ.* 35. id poſtulabat unio perſonalis divinitatis cum humana natura: nec potuit ſanctitas cum impuritate unione perſonali copulari; nec potuiſſet aliena peccata purgare, qui ipſe laboraſſet ſuis.

15. Pontificii beatam Virginem Mariam volunt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

volunt conceptam fuiſſe abſque peccato. Fruſtra: Quia Scriptura teſtatur, nullum hominem naſci ſine peccato Originali: *Quicquid genitum eſt ex carne, caro eſt*, Ioan. 3. 6. ibidemque Chriſtus docens, Neceſſe eſſe renaſci, ut ingrediamur regnum cælorum, non obſcure innuit, aliquid eſſe in hominis natura, quod debeat nova nativitate reformari. Sumus natura filii iræ, id eſt, pœnæ & maledictioni obnoxii, *Eph.* 2. 3. Si pœnæ, ergo & peccato. Concinit *Iob.* 14. *v.* 4: *Quis proferet mundum ex immundo*, id eſt, quo pacto poterit naſci juſtus ex peccatore? Reſpondet ὑποτόμως, Ne unus quidem.

16. Quod ſi Maria fuit plane expers peccati, Chriſtus pro ea non eſt mortuus, nec Chriſtus pro ea venit in mundum, cum Chriſtus dicat, ſe non veniſſe ob juſtos, ſed ob peccatores.

17. Apoſtolus, *Eph.* 5. 23, dicit, Chriſtum eſſe Servatorem corporis ſui, id eſt, Eccleſiæ: Si ergo Maria eſt de corpore Chriſti, Chriſtus ejus Servator eſt, ideoque illa Deum vocat Servatorem ſuum, *Luc.* 1. 47. Sane, ii ſoli opus habent Servatore, qui captivi detinentur, aut pœnæ ſunt obnoxii.

18. Fruſtra obtenditur pertinuiſſe ad Chriſti honorem, naſci ex matre experte peccati; poſſemus enim perinde dicere pertinuiſſe ad honorem Chriſti, naſci ex matre immortali. Et cur non etiam ex avo & avia? Imo vero inde magis eluceſcit Dei virtus, qui ex muliere peccato obnoxia eduxerit perfecte juſtum, divina virtute vincente impedimenta naturæ.

19. Hoc peccatum non tantum conſiſtit in amiſſione imaginis divinæ, ex qua ſequitur ut nihil poſſimus boni, 1 *Cor.* 2. 15. *Rom.* 8. 7: ſed etiam in pravitate naturæ, unde eſt quod Spir. Sanctus docet, cogitationem cordis humani nihil eſſe, niſi malum omni tempore. Si omni tempore, ergo & à puero & à prima juventute; ut dicitur *Gen.* 8. 21.

20. Scholaſtici ſaniores videntur nobis aſtipulari, illi enim definiunt peccatum Originale inhærens, *Carentiam juſtitiæ originalis, debitæ ineſſe*; ſic *Thom.* 1. 2. *quæſt.* 82, & Caietanus in notis in hunc locum; quam privationem negant eſſe meram & nudam privationem ſeu carentiam juſtitiæ: volunt enim inſuper eſſe averſionem & obliquitatem voluntatis, habitumque juſtitiæ contrarium.

21. Eſt vero hoc peccatum prius pœna quam peccatum, quemadmodum omnia iſta peccata, quibus Deus alia antegreſſa peccata punire ſolet.

22. Atque hinc jam manifeſtum evadit, quomodo Originale inhærens peccatum tranſit in poſteros Adæ ex illo naturaliter propagatos. Nam poſtquam Deus imputat Adæ peccatum, quia peccato huic inter alia debebatur mors ſpiritualis (quod eſt hoc peccatum, ut diximus) plectit Deus morte hac poſteros iſtos. Hinc non male reſpondet Catechetes, dum quærit, An peccatum originale tranſeat in poſteros per corpus, an per animam? Datur, inquit, tertium; nim. per Adæ culpam.

23. Morte æterna puniri hoc peccatum Adæ imputatum, patet ex eo, quod ut ob juſtitiam Chriſti imputatam conſtituimur juſti & ſervamur, ita ob inobedientiam Adæ conſtituimur injuſti & condemnamur.

24. Morte temporaria, prout & morte afflictionum (ſine quibus vix datur mors temporaria) plecti hoc peccatum, oſtendit Sp. S. ubi mortem, quæ per peccatum Adæ ingreſſa, *regnaſſe* ait *ab Adamo uſque ad Moſen, in eos etiam qui non peccaverunt ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adam*.

25. Objicit contra hanc doctrinam Socinus illud Ezechielis: *Anima quæ peccavit, ipſa morietur: Filius non portabit iniquitatem patris, neque pater portabit iniquitatem filii. Reſp.* Deus his verbis non quid ſibi neceſſario faciendum docet, ſed quid libere decreverit: tum & locus ipſe evincit, Deum hic non agere de *jure perpetuo & immutabili*, ſed de *extraordinario curſu providentiæ ſuæ*, quo ſe adverſus Judæos uſurum profitetur, ut omnes calumniæ anſas abrumpat.

26. Neque magis ad rem facit quod ſcriptum eſt *Deut.* 24. 16. *Ne morte afficiantur patres pro filiis, aut filii pro patribus, ſed quiſque ob peccatum ſuum morte afficitor.* cujus etiam fit mentio 2 *Reg.* 14. 6. Lex enim hæc eſt lata hominibus à Deo, qua Deus non aſtringitur, ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

qui eam ſibi nuſquam tulerit, neque vero ulla lege poſſit adſtringi. Manifeſta quoque eſt rationis diverſitas, quia poteſtas hominum arctior eſt quam Dei; Deo enim licet ſtatuere de homine quod vult, *Rom.* 9. 19. 23. Quod homini non licet.

CAPUT X.

De libero hominis arbitrio.

QUÆSTIO I.

An pugnet cum libertate voluntatis neceſſitas?

Reſp. Neg. Argumentum I. Deus neceſſario ſe amat, & facit hoc liberrime, quia voluntarie; Ergo poteſt ſtare cum libertate neceſſitas. *Reger.* Hoc eſt blaſphemum, ſi quis dicat, Deum ſe amare liberrime. *Reſp.* Neſcire illos, quid ſit blaſphemia; & ideo ſic argumentamur: Amor ille, quo ſe Deus amat tanquam optimum quid, aut naturalis eſt, aut voluntarius: Naturalis non præſupponit cognitionem, Ergo voluntarius: & certe, brutus appetitus non cadit in Deum; quod eſſet, ſi caderet in ipſum non voluntarius.

II. Chriſtus, dum eſſet in terris, voluntarie & libere Legem Dei implevit, & tamen non potuit ipſam non implere: Ergo ſtare poteſt libertas cum neceſſitate. Conſeq. quia ſi potuiſſet non implere, poterat peccare; quod abſurdum. *Reger.* Eo delapſi ſunt Adverſarii, ut ſtatuant, Chriſtum peccare potuiſſe. *Reſpond.* Ergo ſi ita res habet, potuit non eſſe Servator; hæc perſona quæ Deus eſt, potuit à Satana vinci: quod horribile.

III. Fideles glorificati non poterunt peccare in vita futura, & tamen liberrimè id facient: peccare non poterunt, quia nec mori morte æterna poterunt, *Luc.* 16. 26. Non poterunt morte temporaria, *Luc.* 20. 36. Si effectus peccati non poteſt eſſe; neq; peccatum. Atqui. Ergo. *Reger.* Utut non poſſunt mori, poſſunt annihilari. *Reſp.* Cum nihil habent quod dicant, blaterant. Non negamus, poſſe annihilari omnes Angelos ex *abſoluta Dei potentia*; ſed *ordinaria*, negamus hoc fieri poſſe, hoc eſt, ex hypotheſi decreti divini. Nam vitam æternam promiſit credentibus in ſe.

Obj. I. Voluntas eſt ſemper cum deliberatione, poteſt ergo agere, & non agere. *Reſp.* Apud Philoſophos exſibilantur cum hoc antecedente. Nam deliberatio non de omnibus eſt, quæ voluntarie fiunt; quia non eſt de fine ultimo; non eſt de liquidis mediis, ſed tantum de illiquidis. Hinc regula Philoſ. *Conſultatio non eſt de fine, nec de mediis liquidis*. *Inſt.* Atqui definitio eſt cauſæ voluntariæ, quæ deliberato agit. *Reſp.* Eſt quidem definitio Rami, ſed inepta. Ariſtoteles definit præclare, & conformiter ad rem: *Voluntarium eſt, quod fit ratione præeunte.*

Obj. II. Confunditur cauſa *voluntaria* cum *naturali*, ſi libertas ſtare poteſt cum neceſſitate immutabilitatis. Nam naturalis eſt, quæ non poteſt non agere, & quæ agit ad extremum virium. Voluntaria, quæ, dum offertur occaſio agendi, poteſt agere vel non agere, progredi in agendo vel ſuſpendere actionem. *Reſp.* Si in ſe ſpectetur, & *in ſenſu diviſo*, ita res habet, ut definitio exprimit; ſi *in ſenſu compoſito*, verum eſt contrarium. *Inſt.* Omnis diſtinctio vera poteſt re ipſa declarari, ſive aliquo exemplo: At hæc nullo poteſt: Ergo conficta eſt. Majoris ratio vera, quia diſtinctiones ex rebus petuntur. *Reſp.* Vanum, quod non poſſit hoc oſtendi: vide *Act.* 2. 23: & 4. 27.

Obj. III. Oppoſita in unum cadere non poſſunt: At libertas & neceſſarium ſunt oppoſita: Ergo. *Reſp.* Negatur, quod non poſſint pro diverſo reſpectu. Nam unus idemque homo pro diverſo reſpectu poteſt eſſe pater & filius. Hæc reſponſio eſt Piſcatoris contra Vorſtium. *Inſt.* Non agitur de diſparatis contrariis, ſed oppoſitis. *Reſp.* Contingens & neceſſarium ſunt diſparata. 2. De contrariis idem habetur: nam milites crura Chriſti poterant frangere, *in ſenſu diviſo*, non *in compoſito*. Hinc nobiſcum ſentiunt Dominicani. Diſſentiunt Arminiani, Jeſuitæ, Franciſcani, & Sociniani.

QUÆSTIO II.

An voluntas ſequatur ductum intellectus?

Reſp. Affirm. Argumentum I. Ex Scriptura,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

tura, *Pſal.* 9. 11. *Fiduciam habebunt in te, qui noverunt te,* &c. Si non ſemper ſequatur, poterit hoc fieri falſum.

II. *Ioan.* 4. 10. *Si noſſes donum Dei,* &c.

III. *Ioan.* 6. 45. *Qui didicit à Patre, venit,* &c. *Rhetorfortis* putat, male hoc elici ex hoc argumento, niſi interveniat vis Dei quædam, &c. *Reſp.* Præſupp. hypoth. Deum vera cognitione poſſe illuſtrare active, ut tamen non ſequatur illuſtratio paſſiva: quod falſum. Quia ſi res ita haberet, non diceret, *qui didicit, venit.* Ezech. 36, *Eximam cor lapideum, & dabo cor carneum.* Ratio Philoſophica eſt. Quia ſi non ſequeretur, ferretur aut in malum ſub ratione mali, aut in ignotum. Appetitus triplex; *naturalis, ſenſitivus, rationalis.* Naturalis, gravia tendere deorſum. Senſitivus in beſtiis. Rationalis, voluntas. Si ergo voluntas aliquando non ſequatur appetitum rationis; ſequitur, hominem aliquando rationalem non eſſe.

Obj. I. Servus ſciens & non faciens. *Reſp.* Scientia iſta *theoretica,* non *practica: diſciplinaris,* non *experimentalis.*

Obj. II. Si ſequitur neceſſario; Ergo non opus ut regeneretur voluntas. Ratio. Quia reſtaurato intellectu, neceſſario ſequetur voluntas. At hoc abſurdum. *Reſp.* Non immediate hoc fit, ſed interventu & mediante intellectu. Regeneramur, quod illi non negabunt, & quoad animam, & quoad corpus; & tamen corpus mediante anima regeneratur; ita ſe habet intellectus ad voluntatem, ut corpus ad animam. π. ψ. Omne peccatum putant eſſe voluntarium, &c.

QUÆSTIO III.

An homo in ſtatu lapſus poteſt velle ſui converſionem?

Reſp. Neg. Argumentum I. 1 *Cor.* 2. 14. *Animalis homo non percipit.* Ergo non poteſt velle ſui converſionem. Conſeq. Nam converſio eſt vita nova, eſt ſpirituale quid. *Reger.* Non omnes irregenitos eſſe animales, ſed eſſe quoſdam qui Verbum Dei noſcere poſſunt, *Ioan.* 9. 41. *Reſp.* Immediata hæc eſt hominum diſtinctio in *animales,* & *ſpirituales.* Nam ſpiritualis ille eſt, qui habet Spiritum Chriſti; ut liquet ex 1 *Cor.* 2. 12. Ergo animalis, qui non habet Spiritum Chriſti.

II. Homines irregeniti mortui ſunt in peccatis: Ergo non poſſunt velle ſui converſionem. Conſequentia clara à comparatis. Nam ut mortuus non poteſt velle vitam, quia mortuus eſt; ita mortuus in peccatis non poteſt velle vitam ſpiritualem, *Eph.* 2. 1. *Reger.* Non plane eſſe mortuos illos in peccatis, ſed ſupereſſe reliquias imaginis Dei, quæ ut imaginis Dei reliquiæ ſunt, ita etiam reliquiæ ſunt vitæ ſpiritualis. *Reſp.* Concedo quidem, à Theologis iſtas reliquias, quas vocat Sp. Sanctus Legem inſcriptam cordibus noſtris, *Rom.* 2, eſſe reliquias imaginis; nego eaſdem eſſe reliquias vitæ ſpiritualis; nam ſi eſſent, tum etiam in Diabolis oporteret eſſe, in quibus iſtæ reliquiæ imaginis divinæ reperiuntur.

III. *Rom.* 8. 5, 6, 7. Qui ſapiunt quod carnis eſt, Legi vero non ſubjiciuntur nec poſſunt ſubjici, illi non poſſunt velle ſui converſionem: At, &c. *Reger.* Non de omnibus hoc poſſe dici, quia quidam infideles ſapiunt ea, quæ ſunt Spiritus Dei, 1 *Cor.* 14. *v.* 25. Ubi expreſſe ſtatuitur &c. *Reſp.* Cognoſcit cognitione, quam vocant ad *convictionem*; non cognoſcit cognitione ad *perſuaſionem.* 2. Cognoſcit non *doctrinam Evangelii,* ſed *Legem.*

Obj. I. *Luc.* 3. 10. Ubi turba iſta venit ad Joannem, quærens, *Quid faciemus*? ſi quærant viam ſalutis, quærunt converſionem. *Reſp.* Eorum corda, qui inquirebant, in hoc fuiſſe tracta divinitus: & hæc erat jam regeneratio; nemo enim venit ad Chriſtum, niſi quem Pater traxerit, *Ioan.* 6. 44. *Inſt.* Atqui vocantur progenies viperarum: Ergo non poterant regeniti dici. *Reſp.* Neg. Major: hic nihil aliud intelligitur, quam progenies perditorum. ſimilem modum loquendi vide *Ezech.* 16. 1, 2, 3, 4. Confer cum *verſ.* 60, 61.

Obj. II. *Act.* 2. 37. Qui quærunt, quid ipſis faciendum ſit ut ſalventur, illi volunt converſionem ſui; Major certa: Nam qui vult finem, vult media. *Reſp.* Dici illos compunctos corde, id eſt, divinitus corda ipſorum tacta eſſe; quæ tactio nihil aliud eſt quam ipſa regeneratio.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Inſt. Verbum Dei poſt quæſtionem receperunt, Ergo non erant ante regeniti. Quia Verbo regignimur. *Reſp.* Imo hoc ipſum oſtendit fuiſſe regenitos ante; neque enim quis poteſt recipere Verbum Dei, niſi prius cor ipſius aperiatur, Act. 15. *Aperuit Deus cor Lydiæ.*

Obj. III. De Cornelio, *Act.* 10. Hic fuit gentilis & infidelis, & tamen regenitus. *Reſp.* Fuit Cornelius gentilis, ſed fuit etiam Proſelytus, aut ſaltem Catechumenus. *Inſt.* Si fuit talis; Ergo fuit circumciſus: At non fuit, ut liquet *cap.* 15, ubi diſceptant fideles cum Petro, &c. *Reſp.* Non fuerit Proſelytus, fuit tamen Catechumenus: At tales multi ſunt fideles, prout à nobis contra Pontificios oſtenditur, ubi diſputant: *An Catechumeni pertineant ad Eccleſiam Catholicam?*

QUÆSTIO IV.

An gratia regenerationis ſit irreſiſtibilis?

Reſp. Affirm. Argumentum I. Si gratia Dei regenerans tollit reſiſtentiam, tum eſt irreſiſtibilis. At. Ergo. Minor, *Ezech.* 36. 26. *Reger.* Amovere Deum cor lapideum, ſi homo velit, & non reſiſtat Deo. *Reſp.* Inepte. Nam ſi reſiſtentiam tollat, quomodo reſiſtere poteſt? Item, ſi volentem faciat, quomodo velle non poteſt?

II. *Ier.* 31. *v.* 33: & 32. *v.* 39. Si Deus indit cor homini, &c. tum ſequitur, Deum facere ex nolente volentem, & per conſequens, gratiam eſſe irreſiſtibilem: cum enim Deus dicitur cor dare, nihil aliud intelligitur, quam quod voluntatem det, hoc vel illud præſtandi. *Reger.* Facere hoc Deum, ſi homo non repugnet. *Reſp.* Abſurdos hic eſſe Adverſar. non enim vident hanc eſſe quæſtionem: An tollat reſiſtentiam hæc gratia; hoc eſt, an faciat ex illis qui reſtiterant, ne reſiſtant; qui noluerant, ut velint.

III. Cum gratia iſta Sp. Sanctus conjungit effectum; quod fieri non poſſet, ſi gratia reſiſtibilis eſſet. Minor paſſim in Scriptur. *Ierem.* 31. *Ezech.* 36. 26, 27. *Ioan.* 6. 45. *Reger.* Conjungere Deum cum gratia iſta effectum, eo quod prævideat in quibuſdã ſecuturum effectum hoc, non vero quod neceſſarium ſit ad gratiam iſtam hominem convertere. *Reſp.* De omnibus hoc dicitur, circa quos Deus utitur gratia ſua, nullo excepto. 2. Hypotheſis inepta præſupponitur, quaſi Deus aliquid prævideat, quod non decrevit.

Obj. I. Quod & π. ψ. continet, eſt: Si gratia eſſet irreſiſtibilis, tum Deus non omnes & ſingulos vellet ſalvari. At vult, &c. Minor prob. 1 *Tim.* 2. 6. *Reſp.* Certiſſimum eſt, quod Deus non vult omnes & ſingulos ſalvare: & locus allegatus non agit *de ſingulis generum*, ſed *de generibus ſingulorum*; vide *Apoc.* 7. 9. *Inſt.* Imo clare liquet, Deum omnes & ſingulos velle ſalvare, quia neminem vult perire, 2 *Pet.* 3. *v.* 9. *Reſp.* Nullos vult perire electorum & fidelium. Quod explicatur; Nam dicit, Et patiens erga *nos*, id eſt, electos.

Obj. II. Quam putant palmariam: *Vos reſiſtitis Spiritui Sancto.* *Reſp.* Reſiſtunt Spiritui Sancto *externe agenti* per Verbum, non vero *interne operanti.* *Inſtant:* Imo ſi hæc ſit intentio Sp. Sancti in proponendo Verbo ſuo ratione hominum, ut reprobi illud acceptent; tum non reſiſtunt voluntati Dei. *Reſp.* Præſupponi hypotheſin, acſi, quid ſit peccatum, quid non; quid ſit obedientia, quid inobedientia; hoc ex voluntate Dei immediate cognoſcendum ſit, & non ex Lege Dei. Nam voluntas Dei non eſt norma operum, bona-ne illa ſint, nec-ne; ſed Lex Dei: idcirco etiam dicitur peccatum ἀνομία, 1 *Ioan.* 3. *verſ.* 4.

Obj. III. *Luc.* 7. 30. Si Phariſæi & Legis periti conſilium Dei aſpernati ſint adverſus ſe ipſos, tum gratia Dei eſt reſiſtibilis. *Reſp.* Conſilium Dei dupliciter capi; vel pro *voluntate Dei definita*, vel pro *mandato ac præcepto*: Hoc loco non poteſt accipi pro voluntate Dei definita, ſed pro mandato ac præcepto. Nam voluntas Dei mutari non poteſt, *Eſa.* 46. Pro præcepto accipitur, *Exod.* 20. *Omne conſilium aperui.* & *Act.* 20. 27. *Inſt.* Decreta Dei etiam mutabilia, 1 *Sam.* 2. 30. *Dixeram quidem,* &c. Si hoc conſilium mutatum eſt; Ergo decreta mutantur. Proinde apud Lucam, conſilium pro decreto accipitur. *Reſp.* De decreto iſtic nihil

agi,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

agi,ſed de *promiſſione*;quod exprimitur verbo *dixeram*: promiſſiones autem conditionales multas eſſe, nemo ignorat.

QUÆSTIO V.

An homo opus habeat ad ſui converſionem peculiari Dei gratia?

Affirm. *Ioan.* 15, *Sine me nihil poteſtis.* Phil. 2. 13, *Deus dat velle & perficere.*

Obj. I. Si quidam poſſunt operari ſuam ipſorum ſalutem, Ergo non opus habent gratia ad ſalutarem cognitionem: Sed, ut *Phil.* 2. 12. Ergo. *Reſp.* Operantur ſalutem *declarative*, non *cauſaliter* & *efficienter*, ſeu, non *cauſando*, ſed *adeundo*. *Inſt.* Si ea quæ Legis ſunt faciunt, Ergo efficienter operantur: Sed, *Rom.* 2. 14. Ergo. *Reſp.* Faciunt quidem, ſed non abſque gratia, nec ut ex illa juſtificentur, quia ex operibus nulla caro juſtificatur, *Rom.* 3.20. *Inſt.* Seſe accuſabunt, & excuſabunt; Ergo juſtificabuntur. *Reſp.* Excuſabunt ſe à *gradu*,& à *tanto*, non à *toto*. *Inſt.* Si alios judicabunt; Ergo à à toto. *Reſp.* *Iudicare* accipitur vel *formaliter*, vel *objective*: Objective judicabunt, ut *Matth.* 12. 41. & *Ezech.* 16. *v.* 51.

Obj. II. Quidam poſſunt velle ſuam converſionem; Ergo poſſunt ſalutem abſque gratia Dei. Minor, *Luc.* 3. 10. Hæc turba voluit ſuam converſionem, non tamen fuerunt iſti regeniti. Ergo. *Reſp.* Retorqueo, Imo, quod rogent: *Quid faciemus*? ſunt regeniti. *Inſt.* At ſunt progenies viperarum. *Reſp.* Poſſunt eſſe progenies viperarum *natura*, non autem *gratia* Dei: ut, dicitur homo filius iræ, *natura*, non *gratia*. *Inſt.* Multorum opera, qui deſtituuntur gratia, placent Deo; Ergo habent cognitionem abſque gratia. Minor, *Act.* 10. 4. At Cornelius fuit irregenitus. *Reſp.* Negat. ex *verſ.* 2. *Pius ac timens Deum.* *Inſt.* Si nihil de Chriſto audivit, Ergo fuit irregenitus. *Reſp.* Aliud eſt, audire de Chriſto & Meſſia in genere & ex cærimoniis; aliud, audire, quod hæc perſona ſit Chriſtus: audiverat hic quidem in genere. *Inſt.* At hic Cornelius apertam idololatriam commiſit, *v.* 25. Ergo irregenitus. *Reſp.* ad Majorem: Fuit adoratio ſive cultus civilis. 2. Joannes etiam procidit coram Angelo, & tamen non fuit irregenitus, *Apoc.* 19. 3. Peccavit hic Cornelius, non in *ſpecie cultus*, ſed in *genere cultus*; non *in re*, ſed in *modo rei* peccavit. *Inſt.* Non habuit Spiritum Sanctum. *Reſp.* Licet non *viſibiliter* habuerit, tamen *inviſibiliter*. *Inſt.* Neſcivit ea, per quæ debuit ſalvari. *Reſpond.* Neſcivit diſtincte & perfecte; ſed non plane neſcivit.

QUÆSTIO VI.

Quæ cauſa ſit quod aliqui Theologorum horreant dicere, neceſſario hoc evenit; ſed pro eo utantur, τὸ infallibiliter hoc evenit?

Reſp. Duplex cauſa iſtius. 1. Abhorrent à voce *neceſſarii*, ne videantur voluntatis actus impugnare;& putant,ſe facilius adverſariis ſatisfacturos, diſputantibus de eo, Quomodo neceſſitas poſſit ſtare cum libertate. 2. Cauſa eſt quod non audeant dicere circa mala, quod illa Deus decreverit permittere, ſed quod præſciverit tantum. At uterque iſte metus nullus eſt. *Quoad primum.* Quia infallibilitas reſpondet ſcientiæ, non decreto; dum ergo Deus dicitur infallibiliter res præſcire, aut res infallibiliter evenire, ſcientia Dei hic notatur. At hic conſcientia non acquieſcit. Nam quæſtio ſtatim exurgit: Unde hoc, quod præſciat infallibiliter? anne inde, quia res eventuræ erant, etiamſi illas minime decreviſſet; an vero inde præſciverit, res infallibiliter eventuras, quod illas decrevit? Si prius dixerint; E. futuritio rerum independens ſtatuitur. Quomodo vero, hac ſententia admiſſa, agere poterunt contra *mediam ſcientiam*? Si poſt. dixerint; Ergo fruſtra adhibuerunt hoc, *infallibiliter*, ad conciliandos actus libertatis cum neceſſitate. Veniamus ad ſingulas opiniones. Quod putant hoc pacto conciliari poſſe facilius libertatem cum infallibilitate eventus, quam cum neceſſitate, falluntur. Nam hic inferre quis poteſt: Si infallibiles ſunt iſti eventus, Ergo infallibilitas non eſt in indifferentia ad utrumque oppoſitorum: quomodo ergo conciliabunt infallibilitatem cum actibus libertatis, in indifferentia ad utrumque oppoſitorum (prout adverſarii eos definiunt) conſiſtentibus? manebit eadem difficultas

cultas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

cultas. Fundamentum iſtius erroris eſt, cauſæ voluntariæ inepta definitio à Ramo ſuppeditata; Quod ſcilicet cauſa voluntaria deliberato conſilio agat; quæ definitio inſulſa eſt. Nam multa nobis voluntarie agenda, quibus de conſultatio nulla; ita, verbi gratia, tendendum ad finem ultimum, interim tamen de eo nulla eſt conſultatio; mediis liquidis utendum, de quibus nulla deliberatio; ſic quæ Deus jubet libere agenda, & tamen circa ea nulla eſt deliberatio, niſi deliberare velimus an Deo ſit parendum. Secunda opinio etiam eſt inepta. Si enim omnium noſtrorum Theologorum ſententia eſt, quod alia ſit voluntas Dei *permiſſiva*, alia *effectiva*, inepte negant, Deum peccata decernere, permittere. 2. Et hoc certiſſimum apud Theologos, Deum creaſſe homines, ut in quorumdam liberatione ex miſeria oſtenderet ſuam miſericordiam; in quorumdam vero condemnatione & punitione ſuam juſtitiam punientem, quæ ipſi naturalis eſt. Si enim hunc finem decrevit, certe peccatum, ſine quo ad hos fines minime devenire potuit, decernere debuit. 3. Et hoc notorium apud Theologos, Ex eventu judicandum, de voluntate Dei, *Thren.* 3. 31. At peccatum eveniſſe, nemo eſt qui inficiari poterit. Ergo Deus illud voluit decernere, non ut efficiat, quod blaſphemum, ſed ut permittat.

CAPUT XI.

De Providentia actuali.

QUÆSTIO I.

An Providentia Dei actualis differat ab æterna, ut executio à decreto? Reſp. *Affirm.*

Obj. I. Si actus à voluntate non differt; Ergo nec providentia Dei actualis à decreto. Quia quicquid eſt in Deo, eſt ipſe Deus. *Reſp.* Providentia actualis à decreto differt *effectis* & *relatione, ad extra*: vel, *non ex parte ſui*, ſed *ex parte objecti*. *Inſtant*: Temporarium, & æternum, non ex parte objecti, ſed ex parte ſui differunt: Providentia Dei actualis, eſt temporaria; decretum, æternum. Ergo reſpectu ſui differunt. *Reſp.* Ratione naturæ abſolutæ. Nam nihil dicit in Creatore, ſed in creatura. *Inſt.* Si providentia Dei actualis non fuiſſet, non fuiſſet res. *Reſp.* Non fuiſſet ratione *nomenclaturæ*. *Inſt.* Si talibus vocabulis deſcribitur providentia, quæ notant effectum; Ergo differunt realiter ratione ſui. Minor probatur *Act.* 17. 28, *In ipſo enim vivimus, movemur, & ſumus.* Si deſcribitur providentia ex effectu; Ergo temporarium quid eſt. *Reſp.* Moveri ſimpliciter, non eſt providentia Dei, ſed in ipſo moveri.

Obj. II. Si providentia Dei eſt actio Dei ad extra, tum non differt à decreto. *Reſpond.* Negat. ex natura rei. *Inſtant*: Si actiones tranſeuntes non ſint ipſe Deus; Ergo etiam nec providentia. *Reſp.* Actiones tranſeuntes ratione objecti non ſunt ipſe Deus. *Inſt.* Omnis actio eſt effectus. Providentia eſt actus. Ergo eſt effectus. *Reſp.* Valet hoc in rebus creatis, ubi non eſt idem, agere & eſſe. *Inſt.* Si actio eſt effectus; Ergo ſemper fuit. *Reſp.* Quoad *rem* ſemper fuit, ſed non quoad *nomenclaturam*. *Inſt.* Si providentia potuit eſſe, antequam providentia actualis. *Reſpond.* Potuit eſſe *ratione rei*. *Inſt.* Si potuit eſſe; Ergo in Deo fuit potentia. *Reſp.* Non eſt potentia in Deo, ſed non repugnantia in objecto. *Inſtant*: Si providentia dicitur ratione objecti; Ergo potentia, qua poteſt ſuſcitare mortuos, non erit ratione Dei. *Reſp.* Denotat non repugnantiam in re. *Inſtant*: Si effectus, eſt vel actio vel opus; Ergo actio non accipitur ratione effectorum. *Reſpond.* Valet hoc ratione cauſæ ſecundæ. *Inſt.* Si actio eſt in patiente, Ergo non differunt. *Reſp.* Actio eſt in patiente *terminative*, non *formaliter*. *Inſt.* Percuſſio an in agente, an in patiente? *Reſp.* *Effective* ab agente; *terminative* in patiente.

QUÆSTIO II.

An Providentia Dei ſe extendat ad omnia?

Reſp. Affirm. Argumentum I. Eo ſe extendit providentia, quo ſcientia. At ſcientia ſe extendit ad omnia. Conſ. quia ſcientia futurorum pendet à providentia actuali. *Reger.* Providentia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Dei ſequitur ſcientiam, non antecedit. *Reſp.* Ita quidem eſt. Interim ſic inferimus: Decretum antecedit ſcientiam futurorum; eo enim Deus ſcit, quia decrevit.

II. 1 *Tim.* 4.10. *Qui eſt Servator omnium*; Ergo. *Reger.* Ibi per *omnes*, tantum intelligi homines, non aliquid extra eos. *Reſp.* Ita quidem eſt. Interim ſic inferimus: Si hominum eſt conſervator; etiam aliorum: Ratio, quia ſi homines ſibi ſervandis non ſufficiunt, multo magis ea, quæ non ſunt ita præſtantia, & hominis gratia facta ſunt. 2. Docet Sp. Sanctus ad omnia ſe extendere providentiam, *Hebr.* 1.2.

III. *Rom.* 11.36. Nam ex eo & per ipſum. *Reger.* Agi ibi de nova creatura. *Reſp.* 1. Nullum veſtigium hic novæ creaturæ. 2. *Col.* 1.17, hoc idem clarius proponitur.

Obj. I. 1 *Cor.* 9.9. Num boves curæ ſunt Deo? *Reſp.* Non curæ Deo, comparative ad hominem, quia homo magis curæ Deo, propter quem boves conditi. *Inſt.* Indignum alicui nobili perſonæ, curare boves; Ergo multo magis Deo. *Reſp.* ex *Eſa.* 53, Non ſunt viæ Dei ut viæ hominum, & cogitationes &c. hoc eſt, quod non convenit homini, non ſtatim non convenit Deo.

Obj. II. Si eſt providentia Dei circa omnia, tum omnia erunt ordinatiſſima in rerum natura. Quia Deus, Deus eſt ordinis, non confuſionis, 1 *Cor.* 14. At omnia in hoc mundo confuſa &c. *Reſp.* Confuſa ratione *noſtri*, non *Dei.* *Inſt.* Et ratione Dei, *Rom.* 8, Omnia ſubjecta vanitati. & *Eccl.* 1.2, *Omnia* vanitas. *Reſpond.* Ordinata ſunt omnia; vel ita, verbi gratia, ut ordo iſte ſpectet bonum quoddam & utile creaturæ; vel ut pœnam. Quæ dicuntur confuſa, ita ordinata ſunt, ut tendant ad pœnam per certa media.

Obj. III. Si eſt providentia, tum malis bene, bonis male non poteſt eſſe, *Pſal.* 73. At contra. Nam Epulo omnibus abundat; Lazarus ulceratus jacet. *Reſp.* Vtut videtur male eſſe bonis in hac vita, male tamen non eſt. Nam omnia in bonum cooperantur piis, *Rom.* 8. Etiam malis nunquam bene fieri, licet videatur, ut Sp. Sanctus docet, *Pſal.* 78.17, 18, 19. *Inſt.* Abraham dicit Epuloni, *Luc.* 16, *Recepiſti bona in vita tua.* *Reſp.* Aliud eſt *bona* recipere; aliud, *bona bene* recipere, & bene illis uti: Mali recipiunt bona, ſed non bene, nec bene iis utuntur: Propterea bona ſunt in ſe, ex accidenti tamen non ſunt bona. Bonum eſt vinum in ſe, ſed malum febricitanti, ſi utatur illo.

Obj. IV. Si providentia Dei omnia regantur; Ergo etiam ſingularia: Sed falſum poſterius: Ergo & prius. Probo: Si multa deviant à ſuo fine; Ergo omnia ſingularia non reguntur. Sed. Ergo. *Reſp.* Finis duplex eſt; *operis*, aut *operantis*: ratione finis operis multa deviant; non autem operantis. *Inſtant:* Si aliquid inexpectatum evenit ratione Dei; Ergo quædam deviant ratione finis operantis: At verum prius: Ergo, *Eſa.* 5.4. *Reſp.* Eſt locutio anthropopathica. *Inſt.* Si Deo exſpectatio boni eventus competit: Ergo quando mali quid evenit, inexpectatum eſt. *Reſpond.* Deus ita exſpectat, ut non fallatur.

Obj. V. Si providentia Dei circa ſingularia; Ergo circa viliſſima: Sed abſurdum poſterius, Quia magna decernit: Ergo. *Reſp.* Quædam capiunt dignitatem ſuam ex objecto circa quod occupantur; & ſunt quædam quæ non capiunt, inter quæ eſt Deus.

Obj. VI. Si in Scriptura quædam dicantur caſu evenire; Ergo non omnia providentia Dei reguntur. Sed. Ergo, *Eccl.* 9.13. 2 *Sam.* 1. 6. *Reſpond.* Nihil fit caſu ratione providentiæ divinæ.

QUÆSTIO III.

An providentia Dei verſetur circa contingentia?

Reſp. Affirm. Argumentum I. Factum fratrum Ioſephi erat contingens & voluntarium, *Gen.* 37. At circa hoc verſabatur providentia Dei. Major vera. Minor, *Gen.* 37. *verſ.* 5. Ergo. *Reger.* Deus quidem permiſit, ſed tamen providentia ejus non verſabatur circa hoc. *Reſp.* Præſupp. hypoth. falſa, quaſi permiſſio non ſit actus providentiæ Dei; quaſi hoc quod permittit, dirigere non poſſit efficaciter ad finem ſuum; & hoc videtur hic innuiſſe Ioſeph, cum dicit, *victus cauſa me huc Deus miſit.*

II. 1 *Reg.* 12. Quod Ieroboam rejicit conſilium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ſilium ſenum, & acceptavit juvenum, erat contingens & voluntarium. At circa hoc verſabatur providentia Dei, ut patet *verſ.* 15. *erat enim cauſa*, inquit, *à Iehova. Reger.* Factum fuiſſe in pœnam Salomonis, qui ſequebatur Deos alienos. *Reſp.* Hoc nihil facit ad rem præſentem; & hypoth. præſupponitur, quaſi providentia Dei non occupetur circa malum pœnæ; certe, ſi circa malum culpæ occupatur, multo magis circa malum pœnæ.

III. Ex eo, quod non fracta ſint crura Chriſti, *Ioan.* 19. Quod non fracta, hoc voluntarium & contingenter à militibus factum: At circa hoc verſabatur providentia Dei. *Reger.* Hoc eo factum, quia Chriſtus erat mortuus. Nam crura frangebantur ad mortem latronum. *Reſp.* Hoc nihil eſſe. Nam ſi providentia fuit in eo, ut non frangerentur crura; fuit etiam circa media, videlicet ut moreretur Chriſtus.

Obj. I. Si occupatur providentia Dei circa libera & contingentia, tollit naturam contingentium. *Reſp.* Neg. Conſeq. *Inſt.* Si occupatur circa libera & contingentia, Ergo hoc ipſo erunt neceſſaria. *Reſp.* Scilicet eſſent in *ſenſu diviſo* & *compoſito* ſimul. At hoc falſum. Nam, utut in ſenſu compoſito eſſent neceſſaria, in ſenſu tamen diviſo nequaquam.

Obj. II. Si providentia Dei verſatur circa voluntatem hominis, & actus liberos: tum non erit electio penes hominem cujuſque rei. Conſeq. quia electio eſt penes illos, qui poſſunt eligere & non eligere. *Reſp.* Negat. hoc; & jam oſtenſum, ex 1 *Reg.* 12, contrarium. *Inſt.* Si electio eſt eorum, quæ neceſſario eveniunt, tum non poteſt eſſe deliberatio, quæ antecedit electionem: At in communi electione antecedit deliberatio. *Reſp.* Etiam deliberatio poteſt conſiſtere cum electione: ut videre eſt in exemplo Ieroboam.

Obj. III. Si providentia verſatur circa liberos actus; Ergo iſti actus non ſunt in poteſtate hominis. Ratio. quod eſt in poteſtate alicujus, hoc poteſt facere, vel non facere; & quod neceſſario facit, non poteſt non facere. Minor. *Act.* 15. 4. *Reſp.* Præſupp. hypoth. falſa, quod neceſſitas non poſſit ſtare cum libertate. *Inſt.* Definitionibus differunt, neceſſarium, contingens, liberum: Ergo in idem cadere non poſſunt. *Reſpond.* Eodem ſcilicet reſpectu: ſed diverſo poſſunt; quemadmodum unus idemque homo diverſo reſpectu poteſt eſſe filius, & pater.

Cum vita & mors hominis maxime videantur contingentia, quæritur IV,

Anne Dei providentia ita verſetur circa vitam & mortem hominis, ut de vita cujuſvis ſtatuerit, certumque terminum vivendi cuique præfixerit, quem nec antevertere, nec tranſgredi poſſit? Affirm.

1. Generalibus argumentis. I. Nihil fit quod Deus non decrevit; Ergo ſequitur neceſſario, neminem etiam mori, niſi tempore quo Deus decrevit. Hic nihil eſt, quod quis excipiat. Antecedens enim eſt clariſſimum, *Thren.* 3. 37. Conſequentia clara. Nam ſub univerſali particularia ſubſumuntur legitime. *Excip.* Deus decrevit conditionaliter. *Reſp.* Vanum. Nam conditionem iſtam aut decrevit Deus, aut non. Si prius; Ergo futilis eſt reſponſio. Nam quid hoc eſt dicere, Decrevit conditionaliter, ſi conditionem etiam ipſam decrevit? Si poſterius; aut prævidet conditionem iſtam futuram, aut non. Si non prævidet; Ergo non eſt omniſcius: quod blaſphemum. Si prævidet & non decrevit; Ergo prævidet aliquid antecedenter ad voluntatem ſuam, id eſt, prævidet quid independens à ſe diſtinctum, &, ut clarius dicam, prævidet Deum alterum, qui Deus non ſit.

II. Si Deus non fixit terminum vitæ cujuſvis, Ergo neceſſario providentia Dei ſe non extendit ad mortem hominis. At hoc falſum. Quia circa nativitatem occupatur, cur non circa mortem? cum melior ſit dies mortis, *Eccl.* 7. Hic nihil afferri poteſt, niſi quod Deus prævideat quidem mortem, ſed ita ut circumſtantias non curet, inter quas eſt tempus. Sed contra eſt; quod curet nigredinem vel albedinem capilli, curet ne aliquis capillorum abſque ejus voluntate decidat; ſi hæc, cur non tempus mortis curaret? 2. Si Deus decrevit aliquid, decrevit illud

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

aut definite, aut non. Si prius; Ergo definivit circumſtantiis veſtitum. Nam definite nihil determinatur, niſi determinetur quoad omnes circumſtantias. Si poſterius; hoc eſt, quod decreverit quidem ut res fieret, non tamen decrevit quomodo vel quando fieri debet; tum neque ſcit has circumſtantias. Nam ſcientia viſionis pendet ex Dei decreto.

III. Si Deus non ſtatuit de termino vitæ, Ergo nec de termino paſſerculorum capillorumque ſtatuit. At falſum poſterius. Ergo & prius. *Excip.* Iſta ſunt naturalia, & de naturalibus. At vero terminus vitæ, quia dependet à cauſa voluntaria, non eſt in horum cenſum redigendus. *Reſp.* Præſupponitur gratis, providentiam Dei ſe ad voluntaria non extendere. At hoc falſum eſt. Si enim providentia Dei ad voluntaria ſe non extendat, nec voluntates humanas efficaciſſime regat, cur Iacob, *Gen.* 43. 14, precatur Deum, *Deus fortis omnipotens det vobis conſequi miſericordiam* &c? Aut cur Eſther diem jejunii indiceret eo fine, ut Iudæi Deum precarentur ut Ahaſſuerum in amorem ſui flectat?

IV. Deus quibuſdam terminum vitæ præfixit. Si quibuſdam, cur non omnibus? Antecedens patet in Ezechia, *Eſa.* 38. *Excip.* Imo ſtatuit quidem Deus de termino ipſius poſtmodum, ſed ante nihil ſtatuerat, utpote cum illi prædiceret mortem, neque tamen ille pro eo tempore moreretur; unde apparet, Deum nihil de termino vitæ ipſius ſtatuiſſe. *Reſp.* Vanum eſt. Nam certe Ezechiæ prædixit mortem, non quod ſtatuerit eo tempore ipſi moriendum eſſe, ſed ut experiretur, quid in corde ejus eſſet. Nec enim aliter mandat quam prædicit: nec prædicit aliter quam mandat; mandati autem fines longe diverſi. Hæc reſponſio firma eſt, ex natura decretorum Dei, quæ nec ipſe mutat, *Eſa.* 46. nec alius quiſpiam mutare poteſt, *Eſa. cap.* 14.

2. Argumentis ſpecialibus. I. Quod Deus prædicat & prædixerit mortes ſingulorum: Ergo noverat terminum vitæ: ſi noverat, decrevit. *Excip.* Eſto, quorumdam noverit & decreverit, non tamen omnium & ſingulorum. *Reſp.* Si unius novit, cur non omnium? &, ſi quorumdam non novit, quomodo omniſcius?

II. Si Deus magnis aliquot regnis poſuerat terminum vitæ, cur non & ſingulis? Verum prius, in ſubverſione Sodomæ & Gomorrhæ, ubi Deus multis ſimul & ſemel poſuerat terminum vitæ. *Excip.* Poſuerat, ſed ex præviſione magnorum peccatorum. *Reſp.* Effugium nullum. Nam unde prævidit iſta peccata? anne ex eo quod illa permiſſurus eſſet; an vero ex eo, quod eventura fuerant, etiamſi non permiſiſſet illa? Si poſterius; impingitur in illud, *Quis dicit aliquid, & Dominus non voluit illud.* Si prius; quæritur, cur permiſit? An non eo fine ut exemplum juſtitiæ ederet in ipſis? Si non; iterum in illud impingitur. Si ita; Ergo Deus prævidit, quia permittere voluit.

III. Deus toti mundo tempore diluvii, & omnibus in eo viventibus, terminum vitæ præfixerat. Si his, cur non omnibus ſingulis? *Excip.* Hic de *violenta* morte agitur, non *naturali.* At circa violentas mortes Deus ſe non ita habet, ut ſtatuat terminum vitæ, ſed fieri hoc per accidens. *Reſp.* Refellitur exemplo viatoris ferro de manubrio ſecuris cadentis occiſi, *Exod.* 21. *verſ.* 13.

IV. Deus interitui totius mundi finem præfinivit, cur ergo non ſingulis hominibus in mundo viventibus? Antecedens probatur. Quia Deus fixit certum terminum adventui Chriſti ad judicium. Conſequentia clara. Nam nulla ſubeſt ratio, cur Deus omnibus rebus in genere terminum præfixerit & non ſingulis, præſertim homini in ſpecie. *Excip.* 1. Non agi hic de morte; atque ſic ignorationem elenchi committi. Nam clariſſime Spiritus Sanct. dicit, tales non morituros, ſed immutandos. 2. Aliam rationem eſſe extremi judicii. Nam Deus hoc ita decrevit, ut nolit illud per patientiam differre. At in hac vita Deus judicia ſua prolongat & differt, *Rom.* 2. 4. *Reſp.* ad 1. Parum intereſt, quomodo quis ex hoc mundo abeat, modo abeat quocumque modo: ipſa exempla Eliæ, Enochi, pro nobis faciunt. *Reſpond.* ad 2. Deus quidem utitur patientia, ſed ita ut patientiæ ſuæ etiam terminos fixerit.

V. Iob. 14. 5, *Determinati ſunt dies hominis, penes te eſt numerus menſium,* &c. Pſal. 39, *Redegiſti dies meos ad menſuram palmi,* &c. *Excip.* Agi hic de determinatione indefinita hominis

in genere, non in particulari, de qua *Pſal.* 90. 10. *Reſp.* Loquitur Sp. Sanctus clariſſime de ſingularibus perſonis, ut oſtendunt verba.

VI. Si Deus non fixit terminum certum vitæ & mortis; ſequitur, cum maxima pars accidentium vitæ humanæ ex mortibus hominum dependeat, & inde fluant mutationes quæ fiunt in rebus publicis & familiis, omnia fore fortuita in rebus humanis: quod abſurdum.

VII. Imo decretum electionis hoc pacto eluderetur, ſi is qui converſus eſt ad fidem in ſenectute, potuiſſet occidi in juventute. Quod ſi latro, qui cum Chriſto crucifixus eſt, potuiſſet occidi in rixa vel latrocinio, aut morbo aliquo conſumi, ante mortem Chriſti; Dei decretum eluſum fuiſſet, quo ſtatuerat latronis converſionem in cruce. *Excip.* Sequetur ergo etiam eos, qui ſemet ipſos interficiunt, ad hoc eſſe præordinatos. *Reſp.* Negari non poteſt, Judam ſibi intuliſſe violentas manus ex præordinatione Dei. Detur ergo ratio cur non idem de aliis dici poſſit, cum Deus non ad formale actus iſtius, hoc eſt, ad malitiam, ſed ad materiale, hoc eſt, ad actionem, concurrat. *Inſt.* Ergo medicinæ inutiles. *Reſp.* Pari ratione verba Chriſti ad Lazarum, *Lazare, prodi foras*, inutilia fuiſſent, cum Lazari ſuſcitatio abſoluto Dei decreto fuerit decreta. Item, Deus fruſtra juſſiſſet, Noachum arcam extruere, quia Deus decreverat eum præſervare. Imo fruſtra cibis nos utemur, quia etiam abſque cibis attingemus terminum à Deo præfixum. Dicimus ergo, ad obtinendum finem media omnino à Deo ordinata eſſe neceſſaria. Nam ſive Deus decrevit, ut æger illa die, hora, menſe etiam, moriatur, ſive non moriatur; media ſunt utilia. Si non moritur; beneficio mediorum, ut olim Ezechias, ſanatur. Si moritur, nec dum inutilia. Nam ſic medicus & omnes utentes, conſcientiam ſuam liberant, dantque operam, ne dici poſſit ægrum per ſocordiam aut medici aut amicorum periiſſe. In Caſibus conſcientiæ ſimile exemplum in re diſſimili proponitur. Caſus talis eſt: Si conſtet Miniſtro, de homine quod reprobus ſit, idque certis indiciis probatum habeat, Anne Miniſter debeat ſuam operam in converſionem talis conferre? Reſpondetur affirmative. Neſcilicet miſer iſte per ſocordiam Miniſtri, perire videatur, ſecundum illud: *Si non dixeris improbo improbitatem, ille peribit, ſed ſanguinem ejus à manu tua repoſcam*, Ezech. 3.

VIII. Ab exemplo Achabi, cujus mortem prædixerat Micheas, cui prædictioni eventus reſpondit. *Excip.* Fuit ſceleſtus, tales non ſunt omnes. 2. Prædictam ipſi mortem conditionate. *Reſp.* ad 1. Si ſceleſtorum curam gerat, quæ ratio cur non & non ſceleſtorum? 2. Ezechias non fuit ſceleratus, de quo *Eſa.* 38. *Reſp.* ad 2. Illud totum eveniſſe abſoluto Dei decreto. Accidit enim hoc ex ſententia judicis infligentis pœnam. At ridiculus eſſet, qui ſententiam judicis, qua ſons in crucem agitur, vocaret præviſionem, aut latronem ſuſpenſum ex præviſione judicis arbitraretur.

Obj. I. *Ante diem ejus complebitur. Nam ramus ejus non vireſcet*, Iob. 17. 32. *Reſp.* Contra ſe hoc ipſum allegant. Nam ſenſus eſt. Malum recepturum recompenſationem ſuam, antequam dies ſeu terminus vitæ præfixus adveniat.

Obj. II. Pſal. 55. 24, *Non producent ad dimidium dies ſuos. Reſp.* Aliud eſt ante diem à Deo præfixum mori; aliud, ante diem mori, ad quem vivere potuit per naturam. Poſſet enim quis per naturam vivere diutius, quam Deus terminum præfixit, hoc eſt, in ſenſu diviſo, non in ſenſu compoſito; non tamen poteſt vivere ultra diem mortis præfinitum.

Obj. III. Exod. 20. *Honora patrem*, &c. *& diu vives*, &c. *Reſpond.* Deum cum promiſſionibus mandare quædam, ſed ita ut in quibuſdam hoc quod mandat præſtet; aliquibus mandat, non tamen ut ipſe id præſtet, ſed ipſis ſolis præſtandum relinquat, ac proinde promiſſionem non complet: nihil ergo hinc deduci poteſt in contrarium. Nam ut vult in quibuſdam præſtare mandatum; ita vult præſtare promiſſionem: & certum terminum vult præfigere longævitati iſtius. Viciſſim ut non vult præſtare mandatum in alio, ita nec promiſſionem: ac proinde præfigit etiam terminum ex ſuo beneplacito. *Inſt.* Quæ ergo cauſa eſt, quod pientiſſimi tollantur, ſceleratis vero vita prolongetur? *Reſp.* Promiſſa temporaria ita habere, ut ſæpe attemperentur voluntati eorum, quibus promiſſa ſunt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ſta ſunt, hoc eſt, ut Deus id ipſis largiatur, quod ipſi expetunt: expetunt autem mori ſæpius, ut videre eſt in Paulo & aliis. 2. Promittit Deus temporaria, ſed ea cum conditione, ut aut illa, aut illis præſtantiora, ipſis largiatur. Ita ut iſta promiſſa conditionata, ſint in hunc modum concepta: Dabo tibi vitam longævam, aut vita iſta longe quid præſtantius.

Obj. IV. Tolletur diſtinctio mortis, in caſualem & naturalem. *Reſp.* Minime. Nam Deus præfigit unicuique terminum, ſed quoſdam ducit ad iſtum terminum per *naturam*, quoſdam per *caſum*. Per naturam, ut *Pſal.* 90. per caſum, ut factum in Achabo, 1 *Reg.* 22. 24.

QUÆSTIO V.

An providentia Dei verſetur circa mala?

Reſp. Affirm. Argumentum I. Si Deus voluit oſtendere juſtitiam ſuam punientem & miſericordiam in hominibus miſeris; tum ſequitur, providentiam verſari circa mala & peccata. Ratio. Quia Deus non poſſet ad hos fines pervenire, niſi peccatum extitiſſet; neque juſtitiæ punienti locus, niſi in peccatore; neque miſericordiæ, niſi in peccatore miſero. Anteced. *Rom.* 9. *Reger.* Blaſphemia eſt, Deum ad hos fines pervenire non potuiſſe ſine peccato. Nam hoc pacto, inquiunt, Deus impotentiæ argueretur. *Reſp.* Hoc nihil eſt. Nota vero eſt diſtinctio: Non poteſt Deus *non defectu potentiæ*, ſed *defectu objecti*.

II. Si Deus decrevit peccatum; tum ſequitur, providentiam circa peccata occupari. Verum prius. Conſequentia: quia decrevit illa, ut hoc vel illo modo fiant, procurat, vide *Ier.* 3. 32. *Reger.* Blaſphemia eſt? Deum procurare peccata. *Reſpond.* At ipſi blaſphemi ſunt. Nam non dicimus, curat *efficiendo*, ſed curat *permittendo*.

III. Deus permittit peccata, & permittit certo fine; ut ſcilicet in venditione Ioſephi, in crucifixione Chriſti, &c.

Obj. I. Si permittit mala propter finem bonum, tum facit mala ut eveniant bona, quod prohibet Sp. Sanctus, *Rom.* 3. *verſ.* 8. *Reſp.* Præſupp. hypoth. falſa, quaſi Deus permittendo mala, faciat male; cum vel homo in certo caſu permittendo mala, non faciat mala. Verbi gratia: Si dedit rem ad creditorem, permittit ut is in uſuras locet pecunias, non peccat: In illis vero, ſi homo non tenetur permittere, & permittit, peccat. Quia ad evertenda peccata obligatus eſt quantum in ipſo. At hoc de Deo dici non poteſt. *Inſt.* Reus abominatur peccatum; Ergo non permittit. *Reſp.* Non permittit propter ſe, ſed propter aliud, quod ex malo ſcilicet elicit bonum.

Obj. II. Deus non vult evenire peccata; Ergo nec permittit: Ratio, Quia præter intentionem ipſius eveniunt, aut quia punit: Ergo non vult evenire. *Reſp.* Non vult evenire propter ſe, ſed ut puniat, & juſtitiam ſuam in illis manifeſtet. *Inſt.* Ad bonum finem non ducunt niſi bona media. Manifeſtatio juſtitiæ punientis eſt bonus finis. Ergo non debent ad eum finem niſi bona media ordinari, & ſic non peccata. *Reſp.* Non debent ab eo, cui præſcriptum eſt ne ſecus faciat. 2. Non debent ab eo, qui ex malis vitiis non poteſt bonum finem elicere: quod utrumque de Deo dici non poteſt.

Obj. III. Qui occupatur circa mala, malus eſt: At Deus: Ergo. At Deus non eſt malus. Ergo. *Reſp.* Qui occupatur circa mala, 1. Patrando ea. 2. Promovendo ſive augendo illa. 3. Apprehendendo illa. Hæc autem de Deo dici non poſſunt. *Inſtant:* At videtur Deus patrare illa, quia peccata peccatis punit, *Rom.* 1. *verſ.* 2. *Theſſ.* 2. *Reſp.* Quatenus peccata peccatis punit, eatenus non eſt peccatum, ſed pœna peccati tantum.

QUÆSTIO VI.

An Deus permittat peccata?

Reſp. Affirm. Argumentum I. Si gentes in viis ſuis malis incedere ſinit; Ergo permiſit peccatum: At hoc verum, *Act.* 14. 16. *Rom.* 1. Conſequentia clara ex æquipollentia vocabulorum. *Reger.* Quia meriti erant illud. *Reſp.* Non quæritur, an meriti ſint nec ne, ſed an Deus permittat peccare homines.

II. Scriptura teſtatur, quod Deus dereliquit homines; Ergo permittit peccare. Conſeq. quia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

derelictio eſt permiſſio, ut à Theol. definitur. Minor, 2 *Chron.* 32. 31. *Reger*. Factum hoc propter peccatum Hiskiæ. *Reſp*. Falſum hoc. Nam ipſe erat fidelis, ac proinde in Chriſto Ieſu illi nulla condemnatio, *Rom.* 8. 1.

III. Deus tradidit homines pravis affectibus, *Rom.* 1. 26. Ergo permittit peccare. *Reger.* Tradidit peccatis, quia peccata peccatis punit; & ibi habet peccatum rationem pœnæ, non peccati. *Reſp*. Si hoc ita eſſet; Ergo ut peccata peccatis puniat, oportet ut peccata permittat; non enim poteſt pœna eſſe, niſi prius ſit peccatum.

Obj. I. Deus prohibet peccata; Ergo non permittit. Quia iſta ſunt duo oppoſita. Verum prius. *Reſpond*. Neg. Major: Prohibet omnia peccata. Prohibet gentes incedere in viis ſuis. nam hoc erat peccatum: peccatum autem non futurum erat, niſi prohibitio acceſſiſſet. Nam ubi nulla lex, ibi nullum peccatum: & tamen Spiritus dicit, *ſiviſſe incedere in viis ſuis*. *Inſt*. Viis ſuis incedere, non contrariatur Deo, nec eſt peccatum. *Reſpond*. Imo contrarium apparet in textu; & in Scriptura phraſis loquendi, *viis ſuis ambulare*; *viis patrum*, contradiſting. *viis Dei ambulare*.

Obj. II. Si Deus permittit peccata, fruſtra ab hominibus exigit ut præcaveant à peccato. Conſequent. quia ita ad impoſſibile obligaret hominem. *Reſp*. Imo poteſt Deus hominem ad impoſſibile obligare. Nam homini primo dederat poſſe ut vellet, ſed non dederat velle ut poſſet; & tamen ad hoc ipſum præſtandum obligavit. *Inſt*. Si ita agit, tum Deus minus homine eſt juſtus. Abſurd. Ergo. *Reſp*. Qui obligavit ad impoſſibile, ita ut non habeat poteſtatem quodcumque voluerit in nobis facere; ita cadit Minor.

Obj. III. Si Deus permittit peccatum, concedit peccata. Verum prius. Ergo. *Reſp*. Si permittit ſcilicet permiſſione morali: At hæc non eſt permiſſio moralis, ſed phyſica; quæ explicatur per τὸ non impedire. *Inſt*. Iubet peccare expreſſe; Ergo permittit moraliter: vide 1 *Reg.* 22. *verſ.* 22. *Reſpond*. Vti Deum veluti inſtrumento in infligenda pœna tali, quæ peccatum ſimul erat. In his controverſiis conveniunt maxima ex parte nobiſcum Dominicani. Diſſentimus, 1, cum reliquis, Ieſuitis, Franciſcanis. 2, cum Socinianis, Arminianis, Lutheranis.

CAPUT XII.

De Peccato.

QUÆSTIO I.

An detur peccatum Originale?

Reſp Affirm. *Gen.* 6. 5. & 8. *verſ.* 21. *Iob.* 14. 5. *Pſalm.* 51. 7.

Obj. I. *Gen.* 6. 5. Non agitur de innata malitia. Minor probatur: de illo peccato agitur, propter quod Deus punivit mundum diluvio. At non propter peccatum Originale. Ergo. *Reſp*. Non tantum propter peccatum actuale, ſed etiam Originale & innatam malitiam, punivit; ut ex *cap.* 5, 6, 7, liquet. *Inſt*. Peccatum Originale omnibus commune eſt. Sed hoc peccatum non eſt. Quia Chriſtus eſt expers. *Reſp*. Eſt fallacia à dicto ſecundum quid, ad dictum ſimpliciter. Nam Chriſtus naturali modo non deſcendit ab Adamo: Omnibus autem qui naturaliter ab Adamo deſcenderunt, eſt peccatum Originale commune. *Inſt*. *Pſal.* 51. 7. Hoc loco agit David de proprio peccato, cujus magnitudinem exaggerat: Ergo non de peccato Originali. *Reſp*. Agit hic David de proprio peccato, non prout opponitur *communi*, ſed prout opponitur *alieno*. *Inſt*. De hoc peccato agitur, quod contradiſtinguitur communi; quia David deplorat peccatum *verſ.* 5, 6. *Reſp*. Verum, Davidem deplorare, ſed non ſolum; verumetiam ſedem & originem ejus. *Inſt*. Si de Originali ageret, patris mentionem feciſſet. *Reſp*. Includitur pater, quia mater non poteſt concipere abſque patre. *Inſt*. Si per unum hominem fuit peccatum: Ergo Eva fuit immunis: Atqui, *Rom.* 5. 12. *Reſp*. Si per unum *individuo* tantum, non *ſpecie*. *Inſt*. Si Adam tantum typus Chriſti; Ergo unum individuo. *Reſp*. Tantum unus ſpecie, quia Adam primo concurrit ad generationem.

Quæ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

QUÆSTIO II.

An peccatum Originale ſit nativæ vitioſitatis? Reſp. *Affirm.*

Obj. I. Si peccatum Originale eſt nativa vitioſitas; Ergo poterit inquinare animam. Sed falſum poſterius. Minor prob. Natura ſuperior non poteſt inquinari per contactum inferioris. Anima eſt natura ſuperior. Ergo. *Reſp.* Falſa hypoth. acſi peccatum eſſet natura, cum ſit potius defectus naturæ. *Inſt.* Si integra natura eſt natura: Ergo etiam corrupta eſt natura. *Reſp.* Termini ſe opponunt; Si eſt corrupta, Ergo non eſt integra.

Obj. II. Si peccatum poteſt inquinare animam, ſequitur, peccatum poſſe eſſe pœnam peccati, quod falſum: quia pœna dirigitur ad bonum opus, peccatum non dirigitur. *Reſp.* Major non eſt vera, quia in fidelibus nulla eſt pœna. 2. Opus bonum duplex eſt: Dei, & hominis: Pœna non dirigitur ſemper ad bonum opus hominis; at obduratio, excæcatio. *Inſt.* Quicquid dirigit hominem ad opus Dei, erit regula hominis: At peccatum non eſt regula hominis. *Reſp.* Non quatenus peccatum, ſed quatenus pœna. 2. Conſeq. nulla, quia non eſt actio moralis.

Obj. III. Si peccatum poteſt eſſe pœna peccati; Ergo poteſt inducere reatum mortis æternæ. *Reſp.* Quamvis conſequentia nulla, conceditur tamen. *Inſt.* Quicquid differt in infinitum, nihil infert. At peccatum & pœna differunt in infinitum. Ergo. *Reſp.* Peccatum dupliciter conſideratur: vel in ſe ut eſt defectus, & eatenus differunt pœna æterna & peccatum in infinitum; vel ut reſpicit ſuum objectum, quod eſt infinitum, & eatenus meretur pœnam infinitam.

Obj. IV. Si peccatum peccati pœna; Ergo Deus auctor eſt excæcationis. Sed abſurdum poſterius: Ergo. Quia Diabolus ejus auctor, 2 *Cor.* 44. *Reſp.* Cauſa *principalis* Deus eſt; *miniſterialis* Diabolus eſt, tanquam carnifex. *Inſt.* Cauſa minus principalis poteſt habere effectum: Diabolus non poteſt habere effectum: Prob. Omne effectum habet ſuam cauſam: Diaboli effectum non habet ſuam cauſam: Ergo. Prob. Si habet cauſam, habet etiam finem. ſed non habet finem. *Reſp.* Quoad principalem cauſam, habet finem. *Inſtant:* Nullum malum habet finem. Atqui Diaboli opus eſt malum. Ergo. *Reſp.* Nullum malum habet finem *per ſe*. *Inſt.* Atqui finis per accidens eſt apparens finis. *Reſp.* Eſt tantum apparens ratione *intentionis*: ratione rei poteſt eſſe optimus.

Obj. V. Si Diabolus eſt cauſa excæcationis minus principalis, idem effectus tribueretur cauſis contrariis: Sed falſum poſterius: Ergo. *Reſp.* 1. Falſam eſſe hypoth. acſi aliquid Deo contrarietur. *Inſt.* Quod effectui, contrariatur etiam cauſæ. *Reſp.* Falſum hoc eſſe. *Inſt.* Si Deo nihil contrariatur: Ergo Diabolus eumdem finem intendit, quem Deus. Sed falſum poſterius. Ergo. *Reſpond.* Si Deus etiam iſtum non intendat cum Satana, non ratione rei, ſed ratione Satanæ.

Obj. VI. Deus non eſt cauſa ejus per quod homo fit deterior. *Reſp.* Deus eſt cauſa ejus quod eſt cauſa per accidens hominis. *Inſt.* Quod eſt cauſa cauſæ, eſt etiam cauſa cauſati. *Reſpond.* Valet hoc in cauſis per ſe, & eſſentialiter ſubordinatis.

QUÆSTIO III.

An peccatum Originale ſit in omnibus?

Reſp. Affirm. Quia omnes concipimur ut David.

Obj. I. Si omni homini ineſt; Ergo & renatis. Sed falſum poſterius: Ergo. Prob. Si nulla eſt iis condemnatio; Ergo nec peccatum, quia peccatum meretur condemnationem. *Reſp.* Nulla eſt condemnatio iis quoad reatum. *Inſt.* Reatus eſt forma peccati: at ſublata forma, tollitur res ipſa. *Reſp.* Reatus non eſt forma, ſed conſequens peccati. *Inſt.* Si renati ſint conſepulti cum Chriſto: Ergo nullum peccatum, *Rom.* 6. 4. *Reſp.* Si conſepulti ſumus *ex toto*, non *ex parte*. ſed ex parte tantum conſepulti ſumus. *Inſt.* Si non penitus. Ergo detrahetur merito Chriſti. *Reſp.* *De jure* habemus hoc penitus, ſed non *de facto*. *Inſt.* Si peccatum ſtatim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

tim interficit hominem totaliter: Ergo etiam gratia Chriſti penitus peccatum abolebit. Conſeq. quia gratia ſuperat peccatum, *Rom.* 5. 20. *Reſpond.* Inde ſuperare gratiam, quia ſine ulla cauſa Deus miſertus eſt. 2. Ratione effectorum, quia longe meliora confert. *Inſt.* Opera Dei ſunt perfecta: Ergo peccata perfecte ablata, *Iac.* 1. 17. *Reſp.* Perfectum vel opponitur inconſummato ſive malo, vel hypocritico: Omne Dei donum eſt integrum, prout opponitur hypocritico. *Inſt.* Si ſanctificatio non eſt perfecta, E. eſt actio ſucceſſiva. *Reſp.* Non eſt ſucceſſiva ratione ſui, ſed ratione objecti.

Obj. II. Si peccatum manet, & reatus tollitur; Ergo uno tempore amicus & inimicus. *Reſp.* Si ſcilicet ita manet ut imputetur, ita magna ex parte tollitur. *Inſt.* Si Spiritus abunde effunditur in renatos; Ergo nullum peccatum. Sed, *Tit.* 3. 6. Ergo. Conſeq. quia nulla eſſet abundantia effuſionis Sp. Sancti, ſi remanens, culpa maneret. *Reſp.* Dicitur copioſe, non *abſolute*, ſed in *comparatione* V. T.

Obj. III. Renati non peccant, 1 *Ioan.* 3. Ergo non habent peccatum Originale, & ab omni peccato immunes, 2 *Pet.* 1. *v.* 18. *Eph.* 5. *verſ.* 7. *Reſp.* Non peccant pro modulo regenerationis.

QUÆSTIO IV.

An peccatum Originale conſiſtat non tantum in carentia juſtitiæ Dei, ſed etiam in pravitate?

Reſp. Affirm. Argumentum I. Quia non tantum non poſſumus bonum, ſed omni die ferimur ad malum, *Gen.* 6. 8. *Rom.* 8. 18. *Reger.* Omne peccatum privatio eſt, ideoque utraque pars eadem eſt, nec differt à ſe invicem *Reſp.* In genere quidem utraque privatio eſt, & conveniunt; ſed non in ſpecie. Nam prior pœna privatio eſt, poſterior cum potentia in ſubjecto conjuncta.

II. Jubemur exuere veterem hominem, & induere novum hominem: Ergo non tantum in carentia juſtitiæ, ſed etiam in pravitate naturæ Originale conſiſtit peccatum. Conſeq. Nam ſi in carentia ſolum conſtitiſſet, tum non opus fuiſſet exuere veterem hominem; & ſuffeciſſet induere novum hominem: per hoc enim carentia iſta ſuppleretur. *Reger.* Actum unum & eumdem eſſe, ſed ratione tantum differre. *Reſp.* Fruſtra hoc dici, cum præcedat actus prior realiter, & vetus & novus homo realiter differant; Ergo & exuere veterem & induere novum.

III. Jubemur mortificare terreſtria, & vivificare novum hominem, *Col.* 3. Ergo peccatum Originis non conſiſtit &c. Conſeq. Nam ſi conſtitiſſet in ſola carentia juſtitiæ, ſequeretur, fruſtra hoc adjici, Mortificate &c. *Reger.* Qui vivificat novum hominem, hoc ipſo mortificat veterem, & contra. Ratio conſeq. Quia ſublata privatione, ponitur habitus. *Reſp.* Ita quidem, ſed non eadem actione, qua privatio tollitur. Vide hac de re *Zach.* 3. 4, 5.

Obj. I. Homo mortuus eſt in peccatis per Originale peccatum, quod nihil notat, niſi carentiam juſtitiæ Dei. Ergo. *Reſp.* Mortuus quidem eſt Deo per hoc peccatum; ſed ut Deo mortuus, ita vixit mundo, Satanæ: non ergo mors ſola hic debet ſpectari, ſed inſuper & vita iſta miſera. *Inſt.* Exprimitur hæc vita, quod mortui in lapſibus. At vivere Satanæ, vivere mundo, ſunt lapſus. *Reſp.* Ita eſt, ſed lapſus iſti diſtinguuntur. Nam quidam *negative* efferuntur, & hi notant carentiam juſtitiæ; quidam *poſitive*, & hi notant pravitatem naturæ.

Obj. II. Scriptura peccatum hoc per cæcitatem exprimit: Ergo conſiſtit tantum in carentia juſtitiæ Dei. *Reſpond.* Falſum. Nam non tantum per cæcitatem, ſed etiam per cordis duritiem. *Inſt.* Imo durities accidit propter peccata, & eſt peculiaris pœna peccatorum. *Reſp.* Duplex eſt durities; una communis omnium irregenitorum, de qua *Ezech.* 36. 26. Altera vero peculiaris quorumdam irregenitorum, qualis fuit illa Pharaonis.

Obj. III. Si in pravitate naturæ conſiſtit Originale peccatum, & non in carentia juſtitiæ tantum; tum aliquod ens daretur, quod non eſſet bonum. Conſeq. Nam natura eſt ens, dicitur autem depravatio naturæ. *Reſpond.* Conſequentia negatur. Nam dicitur natura depravata non *ratione eſſentiæ*, ſed *ratione accidentium.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

tium. Inſtant: Naturalia non poſſunt mutari: Hæc accidentia ſunt naturalia: Ergo. *Reſp.* Major falſa. Nam ſanctitas eſt naturale quid, mutatur tamen: Vita eſt naturalis, mutatur tamen.

QUÆSTIO V.

An peccatum Originale realiter tollatur per Baptiſmum?

Reſp. Negat. Argumentum I. Si per baptiſmum realiter peccata tollantur; tum ſequitur, eandem vim tribui debere baptiſmo, quam ſanguini Chriſti. Abſurdum, *Apoc.* 7.14. *Reger.* Facere hoc inſtrumentaliter aquam baptiſmi, non principaliter. *Reſp.* Inexplicabile eſt, quod hoc faciat inſtrumentaliter; Nam in merendo non uſus eſt Chriſtus aqua tanquam inſtrumento: Si vero hoc concedent; poteſt aqua baptiſmi tollere realiter peccata, quia & inſtrumentum realiter agit: quod abſurdum.

II. Si per aquam baptiſmi tolluntur realiter peccata; tum in omnibus, qui baptizantur, tolluntur peccata realiter. Falſum hoc. Ergo. Conſeq. Nam quod realiter agit in omnibus, à quibus ſuſcipitur, effectum ſuum obtinet. Minor firma, *Ezech.* 8. *v.* 13, 18, 31. *Reger.* Ita eſſe; & docet hoc *Gal.* 3. 27. *Reſp.* Qui legitime baptiſmo utuntur, Chriſtum induunt; non quod per baptiſmum hoc fiat, ſed quod ſignificetur.

III. *Matth.* 3. 11. Si Sp. Sanctus diſtinguit baptiſmum aquæ à baptiſmo Spiritus; tum ſequitur, per baptiſmum aquæ realiter non tolli peccata. Verum prius. Conſequentia datur: quia baptiſmus aquæ adminiſtratur ab hominibus: Ergo poſſet homo peccata tollere realiter: At hoc ſolius Dei eſt, qui ſolus remittit peccata. Meritorie vero tollere, eſt ſolius Chriſti. *Reger.* Nos facere duos baptiſmos, cum unicum ſaltem doceat Scriptura. *Reſp.* Non facere nos duos baptiſmos, ſed in uno baptiſmo diſtinguere *ſignum & ſignatum*; & eum *qui confert ſignum*, ab eo *qui confert rem ſignatam.*

Obj. I. *Ioan.* 3. *Niſi quis renatus fuerit,* &c. Tribuitur aquæ baptiſmi renaſcentia: E. tribuitur ita, quod realiter peccata tollat. Nam regeneratio eſt mortificatio veteris, & vivificatio novi hominis. *Reſp.* Tribuitur ipſi *ſignificative*, non *realiter*. *Inſt.* Imo realiter. Nam ſi ſignificative, tum homo poſſet ingredi abſque baptiſmo regnum cælorum; cum tamen contrarium hic dicatur. *Reſp.* Utique poteſt: neque enim *privatio Sacramenti*, ſed *contemptus damnat*: neq; quicquam facit ad propoſitum locus quem afferunt. Nam ſæpe tribuitur effectus duabus cauſis, tanquam ſi neceſſario dependeret ab utraque, cum tamen ab una neceſſario dependeat, *Rom.* 4. 9. *Matth.* 17.

Obj. II. *Tit.* 3. 5. Si baptiſmus eſt lavacrum regenerationis, tum realiter tollit peccata. *Reſp.* Dicitur lavacrum regenerationis, quod ſit ſignum ſignificans & adumbrans regenerationem; non quod ejus cauſa ſit realis. *Inſt.* Si ita eſt: Ergo poſſet eſſe regeneratio abſque baptiſmo. *Reſp.* Ita eſt: exemplum habemus in Catechumenis; qui prius erudiri debent, antequam baptizentur, *Act.* 8. 37, 38.

Obj. III. *Eph.* 5. 26. Si Chriſtus purificat Eccleſiam, & ſanctificat per lavacrum aquæ: tum ſequitur, baptiſmum realiter tollere peccata. Conſeq. Quia dum purificatur Eccleſia, à peccatis purificatur, &c. *Reſp.* Lavacrum aquæ purgare *ſignificative*, non *realiter*. *Inſt.* Ubi nulla cauſa alia affertur, quam hæc; ibi principalis cauſa ponitur baptiſmus. Verum prius. *Reſp.* Conſeq. neg. Nam non ſemper eodem modo accipiendum, quod ad explicationem rei pertinet.

QUÆSTIO VI.

An concupiſcentia, quæ poſt Baptiſmum in regenitis manet, ſit peccatum?

Reſp. Affirm. Argumentum I. *Matth.* 5. *verſ.* 28. Si concupiſcere uxorem ſit peccatum, &c. *Reger.* Concupiſcentia uxoris, non aliarum rerum. *Reſp.* Qui dicit, Non concupiſces uxorem; ille etiam dixit, Non concupiſces alias res, *Exod.* 20.

II. *Rom.* 7. Si peccatum erat concupiſcentia in Paulo renato: Ergo eſt peccatum. Verum prius. *Reger.* Paulum loqui de ſe, non ut regenito, ſed irregenito. *Reſpond.* Falſum. Nam in homine irregenito non reperitur in-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

tendere hoc: & homo internus in Scriptura ſignificat novum hominem.

III. *Iacob.* 1. 15. Si cupiditas parit peccatum: Ergo etiam in renatis poſt Baptiſmum erit peccatum. Conſeq. Nam cujus effectus eſt malus, illud malum. *Reger.* Contradiſtingui peccatum cupiditati, & ſic non eſſe peccatum. *Reſp.* Tali ſcilicet contradiſtinguitur peccato conſummato, quod vocatur κατ' ἐξοχὴν peccatum; & opponitur primo deliberationi, poſtmodum propoſito peccandi.

Obj. I. Si peccatum erit concupiſcentia in regenitis poſt Baptiſmum, tum nihil debent concupiſcere: At hoc videtur falſum: Nam eo modo nec uxor ducenda, nec agri emendi, &c. *Reſp.* Concupiſcentia duplex eſt; *legitima*, & *illegitima*: legitimâ concupiſcere licet; illegitimâ minime. *Inſt.* Si eſſet hæc diſtinctio vera, fuiſſet expreſſa in decimo præcepto, Ne illegitime concupiſcas. *Reſp.* Subjecta materia ſuppeditat, & loca inter ſe collata; quæ jam jubent concupiſcere, jam non jubent: ubi fundamentum diſtinctionis.

Obj. II. Si peccatum eſt ſublatum in omnibus regenitis per Chriſtum, tum in iis cupiditas poſt Baptiſmum non erit peccatum. *Reſp.* 1. Suſtulit Chriſtus peccatum *de jure*, non *de facto*. 2. Suſtulit, *non ut non ſit*, ſed *ut non imputetur* fidelibus. *Inſt.* Si in homine regenito eſt peccatum tum ſequitur; in eo eſſe, ſedem Satanæ & Dei: quod abſurdum. Conſeq. clara. Nam ubi caro, ibi Satanas; ubi Spiritus, ibi Deus. *Reſp.* Ubi caro, ibi Satanas, ſcilicet dum caro adeſt mole; non ubi compedes illi opponuntur: quod fit in regenitis.

Obj. III. Sicut ſe habent ſordes ad ablutionem per aquam, ita ſe habent peccata ad Baptiſmum: At ibi ablutæ ſordes, non manent amplius: E. etiam in Baptiſmo non manent peccata in renatis, & per conſequentiam concupiſcentia iis peccatum non eſt. *Reſp.* Præſupponitur hypoth. quaſi per Baptiſmum realiter tollantur peccata; & non ſignificative & obſignative. *Inſt.* Si ſignificatur, tum ſequitur argumentum. Nam aqua abluit ſordes perfecte; ita res ſignata debet reſpondere ſigno, ut ſanguine Chriſti abluantur perfecte peccata. *Reſp.* Perfecte quoad *imputationem*; non quoad peccatorum in homine *omnimodam abolitionem*. 2. Etiam quoad peccatorum abolitionem de jure in hac vita, de facto in vita futura, *Eph.* 5. 25, 27.

Obj. IV. Opus Dei & naturæ non eſt peccatum: Concupiſcentia eſt opus Dei & naturæ: Ergo. Minor prob. Si homo eſt opus Dei & naturæ: Ergo concupiſcentia. Conſequentia: quia immediate conſequitur unionem animæ & corporis quædam appetendi & concupiſcendi vis. *Reſpond.* Opus Dei & naturæ bonæ non eſt peccatum; ſic cadit Minor. *Inſtant:* Si iſta concupiſcentia eſt mala; Ergo habebit aliquod ſubjectum in homine: omne ſiquidem malum fundatur in aliquo bono. Sed nullam habet ſedem. *Reſp.* In anima habet. *Inſt.* Si concupiſcentia habet ſedem in anima; Ergo anima erit mortalis. Conſeq. quia ſtipendium peccati mors. *Reſp.* Stipendium peccati eſt mors non tantum temporalis, ſed etiam æterna. Impletur dictum Pauli, ſi anima moriatur morte æterna, quæ non in carentia vitæ, ſed in qualitate vivendi conſiſtit.

QUÆSTIO VII.

An mors temporaria ſit propter peccatum?

Reſp. Affirm. *Quia ſtipendium peccati mors eſt:* mors autem indefinite poſita temporalem includit.

Obj. I. Si mors temporaria eſt neceſſarium conſequens naturæ hominis: Ergo non pœna. Prius verum: Ergo. *Reſpond.* Negat. Minor. Quia in ſtatu integritatis homo non erat moriturus. *Inſt.* At habuit in ſtatu integritatis corpus animale, Ergo & mortale, 1 *Cor.* 15. 43. *Reſpond.* Non eſt par ratio in ſtatu integritatis, & in ſtatu lapſus. *Inſt.* ad primam reſponſionem: Si homo moriturus fuiſſet, etiamſi non peccaſſet; tum mors non eſt propter peccatum. Atqui verum prius. Ergo & poſter. Minorem probo. Quia conſtabat ex corruptibilibus, utpote elementis, quæ corruptibilia erant. *Reſp.* Erat ergo mortalis natura, ſed non beneficio Creatoris. *Inſtant:* Naturalia non mutantur: Atqui ſecundum vos erat hoc ipſi naturale futurum. *Reſp.* Falſum antecedens.

Obj. II. Si Scriptura peccato hoc attribuit; Ergo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Ergo fideles non poſſunt mori. Conſeq. prob. Quia ſuſtulit peccatum. Sublata cauſa, tollitur effectus; Atqui ſublato peccato, tollitur cauſa: E. fideles non poſſunt mori. *Reſp.* Fideles non moriuntur, ut morte ſua ſatisfaciant pro peccato (hoc enim Chriſtus pro iis præſtitit) ſed ut aboleatur corpus peccati, *Rom.* 6. & per mortem tranſeant ad vitam, *Ioan.* 5.

QUÆSTIO VIII.

An mors æterna, ſit pœna peccati? Reſp. *Affirm.*

Obj. I. Si Chriſtus mortem æternam non ſuſtinuit; E. non eſt pœna. Min. prob. Si Chriſtus non ſuſtinuit & pœnam damni, & pœnam ſenſus, Ergo nec mortem æternam. Sed. Ergo. *Reſp.* Negat. utrumque. *Inſt.* Pœna damni eſt ſeparatio à Deo: Sed Chriſtus non fuit ſeparatus à Deo. *Reſp.* Neg. Minor. *Inſt.* Si Chriſtus ſeparatus fuit: Ergo unio fuit diſſoluta. *Reſp.* Fuit ſeparatus non quoad *unionem hypoſtaticam*, ſed *quoad ſenſum* gratiæ. *Inſtant:* Si ſenſus gratiæ abfuit: Ergo non potuit ſuſtinere mortem æternam. *Reſp.* Retorquendo.

Obj. II. Nuſquam legitur in Scriptura, Chriſtum pœnam ſenſus ſuſtinuiſſe: Ergo nec mortem æternam. Probo *Eſa.* 53.12. Profudit in mortem ſe ipſum. *Reſp.* Mortem æternam paſſus eſt non *duratione*, ſed *eſſentia*. *Inſt.* Non fuit metus in Chriſto; E. non ſenſit iram Dei. *Reſp.* Negat. Nam dicitur, *incepit expaveſcere. Inſtant*: Fuit Filius Dei dilectus: Ergo non potuit expaveſcere. *Reſp.* Metus naturæ fuit. *Inſt.* Si fecit voluntatem patris: Ergo non potuit ipſi iraſci. *Reſp.* Retorquendo: imo quia fecit voluntatem Patris in eo, ut ſe exponeret in pœnam.

Obj. III. Pœna gehennalis conjuncta eſt cum deſperatione. *Reſp.* In illis qui ſuccumbunt; Chriſtus autem non ſuccubuit.

QUÆSTIO IX.

An peccatum in Sp. Sanctum ſit irremiſſibile ex decreto Dei, vel ex alia cauſa?

Reſp. Affirm. Poſt. Argumentum I. *Heb.* 6. 6. Si propterea non poſſunt renovari, quod oportuiſſet Chriſtum denuo crucifigi; tum hoc peccatum non propterea irremiſſibile eſt, quia Deus non decrevit remittere; ſed quia repugnat juſtitiæ ipſius, ut Chriſtus bis crucifigatur. Conſequentia clara. Minor in textu. *Reger.* Non haberi, oportere crucifigi Chriſtum, ſed quod ipſum crucifigant. *Reſpond.* Hunc ſenſum eſſe quem diximus, patet *Heb.* 10. *verſ.* 26.

II. *Heb.* 10.29. Si ideo hoc peccatum non remittitur, quod tales Filium Dei conculcent, & ſanguinem fœderis, &c. tum non quod decreverat, ſed quod juſtitia requirebat. Conſeq. clara: quia ubi datur cauſa alia à decreto, ibi decretum cauſa non eſt. *Reger.* Hic dici, ſanctificatur per ſanguinem fœderis, quod etiam reprobis convenit, ut liquet 2 *Pet.* 2. *v.* 1. *Reſp.* Aliud eſt, ſimpliciter Chriſtum mercatum eſſe aliquos; aliud, quod hic dicitur: Illud quod ſignificavit, non refertur ad hominem ſanctificatum, ſed ad Chriſtum: ita ut hic ſenſus ſit; Filium Dei conculcant, & ſanguinem fœderis, per quem ſanctificatur, 1 *Pet.* 3. *v.* 16.

III. Si propterea eſt irremiſſibile peccatum in Sp. Sanctum, quia decrevit illud non remittere; tum omnia peccata reproborum erunt irremiſſibilia. *Reger.* Nullum eſſe peccatum, cui non ſuperemineat miſericordia Dei; & ſi eſſet tale peccatum, quod natura ſua remitti non poſſit, tum illud diverbium, quod Caïno adſcribitur: *Major eſt iniquitas mea, quam ut remitti poſſit*, eſſet verum: At hoc omnes Theolog. deteſtantur. Si vero natura ſua peccatum hoc irremiſſibile eſſet, vere dici poſſet. *Reſpond.* Miſericordia non pugnat cum juſtitia Dei & ſapientia, quibus conſtituit, peccatum hoc non condonare; unde etiam per miſericordiam non poteſt condonari, cum miſericordia Dei exhibeatur in Chriſto & per Chriſtum.

QUÆSTIO X.

An peccatum aliquod ſua natura ſit veniale?

Reſp. Negat. Argumentum I. *Deut.* 28. Si maledictus eſt qui non præſtiterit Legem, tum nullum peccatum natura erit veniale. Conſeq.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Nam qui maledictus eſt, ille condemnabitur, *Matth.* 25. *Reger.* Illa ſcilicet quæ in Decalogo continentur. *Reſp.* In Decalogo omnia præcepta moralia continentur tanquam in ſumma, nec poteſt dici peccatum aliquod, quod non impugnet Decalogum, & non ſit tranſgreſſio alicujus præcepti Decalogi.

II. 1 *Ioan.* 1. Si ſanguis Jeſu Chriſti purget nos ab omni peccato, tum nullum peccatum natura erit veniale. Conſeq. Nam non eſſet opus, ut ſanguine Chriſti expiaremur ab omnibus peccatis. *Reger.* Chriſti ſanguinem purgare ab omnibus peccatis, pro quibus ſacrificia fuerunt instituta: At non pro omnibus fuerunt; neque enim legimus, ſacrificia inſtituta pro verbo otioſo. *Reſp.* 1. Scriptura expreſſe dicit, *ab omni peccato.* 2. Vtut Sacrificia non fuerint inſtituta pro verbo otioſo, fuerunt tamen anniverſaria, quæ expiabant omnia peccata, parva & magna.

III. Si minimum peccatum eſt maximum, ſequitur, nullum dari veniale. Minor; quia quod ex maximo contemptu Dei proficiſcitur, illud peccatum eſt maximum. Minimum autem peccatum ex maximo contemptu Dei venit, quia ob rem leviſſimam offendere, cum maximo contemptu conjunctum. *Reger.* Cur ergo minora, minoribus afficiuntur pœnis? *Reſp.* Objecto & effectu maxima peccata majora ſunt minimis: At minima contemptu divino majora ſunt maximis.

Obj. I. Peccatum per ignorantiam eſt veniale. Ergo, *Gen.* 20. 45. *Reſp.* Neutiquam hoc peccatum fuit veniale, ut liquet ex pœna, familiæ Abimelechi inflicta, *verſ.* 18. *Inſt.* Imo veniale. Nam Paulus expreſſe dicit 1 *Tim.* 1. 13, 16, Deum miſertum fuiſſe quod ignorans fecerit. *Reſp.* Ignorantiam excuſare *à tanto*, ſed non *à toto*, ut Scholaſtici docent; id eſt, qui ignorans peccat, non tam graviter peccat, quam qui ſciens.

Obj. II. Si conſcientia nos non condemnat propter omnia peccata, tum ſunt venialia quædam. Minor; quia conſcientia non de omnibus nos arguit. *Reſp.* 1. Conſcientia noſtra non eſt norma peccatorum, ſed lex ipſa Dei. 2. Conſcientia multorum eſt errans, & ſomno quaſi oppreſſa, in multis erronea. *Inſt.* *Rom.* 2. 15. ubi Apoſtolus docet, quod Gentes ſe invicem accuſent & excuſent. Si, inquiunt, conſcientia hoc facit in Gentibus, cur non item in homine Chriſtiano? *Reſpond.* Gentiles non facere hoc, 1, perfecte; ut enim legem perfecte non norunt, ita etiam non norunt quid ſit peccatum, aut non. 2. Dicimus, Gentiles ſæpe peccata pro virtutibus, & virtutes pro peccatis habere; unde male ſæpe ſe excuſant, aut etiam accuſant.

Obj. III. Dicunt, non omnia peccata puniri gehenna ignis, *Matth.* 5. Ergo non omnia ſunt mortalia. *Reſp.* Chriſtum non docere hic, quod peccatum gehenna ignis puniendum, quod non; ſed docere hic, peccata non eodem gradu pœnæ æternæ punienda eſſe: Alludit autem Chriſtus ad judicia, quæ à Judæis exercebantur. *Inſt.* At dicitur aliquod peccatum veniale eſſe, vel non ad mortem, 1 *Ioan.* 5. *Reſp.* Dicitur non ſimpliciter, ſed ponitur diſcrimen peccati in Spirit. Sanctum; quod ſcilicet hoc in nulla perſona condonetur, ut aliæ ſpecies: Et dicitur non eſſe ad mortem, non *natura ſua*, ſed *ex eventu*, quod divinitus condonetur.

Obj. IV. Si aliquod peccatum non meretur natura ſua mortem æternam; Ergo quoddam natura ſua eſt veniale. Prob. Si aliquod peccatum meretur mortem temporariam tantum; Ergo non æternam, *Matth.* 5. 22. *Reſp.* Eſt locutio impropria: Chriſtus enim alludit ad judicia Phariſæorum, quæ taxat; ut verſu præcedenti patet. *Inſt.* At expreſſe, 1 *Ioan.* 5. 16. *Reſp.* Dicitur non ſimpliciter. Sed 1. Reſpectu peccati in Spiritum Sanct. quod nemini condonatur. 2. Reſpectu gratiæ Dei, quia infidelibus condonatur, fitque veniale, non *natura*, ſed *eventu*.

Obj. V. Si aliquod peccatum poteſt expiari ab hominibus; Ergo natura ſua aliquod peccatum eſt veniale, *Luc.* 12. 59. *Reſp.* Eſt parabola: Parabolæ autem nihil probant, niſi ratione ſcopi.

Obj. VI. Verbum otioſum eſt ſua natura veniale: verbum otioſum eſt peccatum: Ergo. *Reſp.* Verbum otioſum eſt veniale apud homines, non apud Deum. Quia de eo reddenda ratio, *Matth.* 12. 36. *Inſt.* Si apud homines non meretur pœnam; Ergo multo minus apud Deum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Quia infinitis modis ſuperat miſericordia Dei hominis miſericordiam. *Reſp.* Ita ut in miſerandis miſericordia, ita in puniendis juſtitia ſuperat. *Inſt.* Si infideles excuſant ſe coram Deo; Ergo quoddam peccatum eſt veniale. *Reſp.* Excuſant ſe in eo, in quo rei non ſunt; unde eſt quædam juſtitia cauſæ. 2. Excuſant ſe *à tanto*, non *à toto*, id eſt, gradu aliquo pœnæ.

QUÆSTIO XI.

An omne peccatum diſcrepet à Lege?

Reſp. Affirm. Quia omne peccatum eſt legis transgreſſio. 1 *Ioan.* 3. 5.

Obj. I. Si non omne peccatum eſt legis transgreſſio; Ergo non omne peccatum eſt diſcrepans à lege Dei. Sed. Ergo. Minor. prob. Peccatum Originale non eſt legis transgreſſio: peccatum Originale eſt peccatum: Ergo quoddam &c. Major prob. Si peccatum Originale nulli prohibetur; Ergo non erit legis transgreſſio. Sed nullibi prohibetur; Ergo. *Reſp.* Prohibetur. Quia jubemur exuere veterem hominem, & induere novum. 2. Quia jubemur eſſe ſancti. 3. Quia jubemur Deum diligere ex toto corde. *Inſt.* Si in illis præceptis prohiberetur peccatum Originale; Ergo infantes non haberent peccatum Originis, quia illa præcepta ad infantes extendi non poſſunt. Quod probatur hoc modo; Illi, qui nulla ratione utitur, nihil præcipi poteſt. Infantes nulla ratione utuntur. Ergo infantibus nihil præcipi poteſt. Ratio conſeq. Quia fruſtra præciperetur. *Reſp.* Neg. conſequentia. Nam ille quem Deus indurat, ut Pharaonem, non poteſt præſtare hoc quod Deus præcipit ipſi, & tamen peccat. *Inſt.* Omne peccatum debet eſſe voluntarium. At tale peccatum non poteſt eſſe voluntarium. Ergo non eſt peccatum. *Reſp.* Neg. Major. Nam poteſt peccatum eſſe in intellectu, & tamen non eſſe voluntarium. 2. Peccata quæ fiunt ex ignorantia, non ſunt voluntaria. *Inſt.* Peccatum eſt legis transgreſſio: Si legis transgreſſio, Ergo voluntarium. Nam lex ponitur cauſis non naturalibus: voluntaria autem cauſa poteſt agere vel non agere. *Reſpond.* Voluntaria cauſa poteſt agere vel non agere, ſcilicet in *ſenſu diviſo*, non autem *compoſito*. *Inſt.* *Act.* 4. De quo deliberatio inſtituitur, illud fieri, vel non fieri poteſt. Atqui deliberatio inſtituta fuit de Chriſto crucifigendo, *verſ.* 26, 27. Ergo crucifixio Chriſti fieri vel non fieri potuit. *Reſp.* Neg. Major. *Contra prob.* Si deliberatio eſt, Ergo non bene dicitur, quod fieri poteſt in ſenſu compoſito. At poterat non fieri. Nam quorſum deliberatio? *Reſp.* Non ſequitur, Eſt deliberatio, Ergo fieri & non fieri poteſt. Quia Deus determinat. *Inſt.* Si ita ſit, Ergo neceſſarium & contingens poſſunt eſſe unum & idem. At hoc abſurdum. Ergo. *Reſp.* Non abſurdum. *Sic contra*: Quæ definitionibus differunt, illa non poſſunt eſſe unum & idem. At neceſſarium & contingens definitionibus differunt. Ergo. Ratio, Quia in unam rem non poſſunt contraria cadere. *Reſp.* Imo poſſunt. Nam pater & filius ſunt contraria; & tamen idem homo poteſt eſſe filius, & alio reſpectu pater.

QUÆSTIO XII.

An Deus ſit cauſa peccati?

Reſp. Negat. Quia à Deo omne bonum donum, omne perfectum donum eſt à Deo: cum verò peccatum bonum non ſit, Deum cauſam habere non poteſt.

Obj. I. Omnes actiones & motus ſunt à Deo. Quædam actiones & motus ſunt peccata. Ergo quædam peccata à Deo. *Reſp.* Actiones non ſunt peccata *per ſe*, ſed *per accidens*. *Inſt.* Multæ actiones in ſuo genere ſunt peccata; Ergo per ſe. Prob. Quia univerſaliter prohibentur à Deo; ut, furtum, homicidium. *Reſp.* Denominatur furtum, non ab *actione* & *motu*, ſed à *defectu motus*. *Inſt.* Deus vult actiones, quæ per ſe ſunt peccata; Ergo vult ipſum peccatum. Prob. Privatio imaginis divinæ eſt peccatum: privatio imaginis divinæ eſt à Deo: Ergo. *Reſp.* Privatio imaginis divinæ eſt à Deo, non qua *peccatum*, ſed qua *pœna*. *Inſt.* Si Deus vult fieri malum; Ergo malum erit objectum voluntatis divinæ. *Reſp.* Eſt objectum voluntatis *permittentis*, non *efficientis*. *Inſt.* Qui vult finem peccatorum effective, vult etiam media, nempe peccata. At verum prius. Prob. Deus ſpiritus malos emittit dato nocendi præcepto, & fallendi efficacia, 1 *Reg.* 22. 22.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Ergo cauſa erit peccati. *Reſp.* Quatenus Deus juſſit & mandavit, non eſt malum. Nam quædam juſta ſunt, quia Deus jubet, *Eſa.* 10. Aſſur fecit quod Deus voluit, ſed longe alio fine, quam Deus intenderat.

Obj. II. Qui eſt cauſa cauſæ, eſt etiam cauſa cauſati. Atqui Deus eſt cauſa intellectus & voluntatis. Ergo etiam eſt peccati cauſa. *Reſp.* Peccatum non eſt cauſatum ſive *effectus*, ſed *defectus*.

QUÆSTIO XIII.

An peccatum ſit in voluntate tantum, & iis quæ voluntati ſubſunt quoad actus imperatos, an etiam in intellectu?

Adverſarii prius tuentur. Nos vero non tantum hoc tenemus, ſed & poſterius affirmamus.

I. Cæcitas mentis eſt peccatum. Cæcitas mentis eſt in intellectu. Ergo peccatum eſt in intellectu. Major certa. Quia pugnat cum juſtitia originali. Minorem negare non poſſunt, conſtat enim ex evolutione terminorum veritas ejus.

II. Stultitia in rebus ſpiritualibus eſt peccatum. At ea in intellectu eſt. Major certa; reprehenditur enim in ſacris literis, *Matt.* 25. 2, 3. Minor, *Luc.* 24. *O amentes* &c.

III. Ignorantia rerum ſpiritualium, peccatum eſt. At ea in intellectu eſt. π. ψ. Omne peccatum eſſe voluntarium. Ex eo enim, quod intellectus antecedit voluntatem, facile vident, intellectus actus eſſe voluntarios, eo quod antecedant voluntatem.

QUÆSTIO XIV.

Anne fiat aliquid contra voluntatem Dei; & an peccatum ſit voluntatis divinæ transgreſſio?

Reſp. Hæc quæſtio primum fere diſtincte propoſita eſt à Piſcatore contra Vorſtium. Auguſtinus hîc perplexus erat, ideo reſpondebat: Etiamſi nil fit *contra* voluntatem Dei, fit tamen aliquid *præter* voluntatem Dei. At hæc diſtinctio nullius eſt momenti. 1. Quia quod præter Dei voluntatem fit, hoc fit ſecus ac Deus voluit. At nihil fit ſecus ac Deus vult; ſi enim fieret ſecus ac Deus vellet, fieret aliquid Deo nolente & invito; quod abſurdiſſimum. 2. Si fieret quid præter voluntatem Dei, etiam contra voluntatem Dei aliquid eveniret; quod tamen Auguſt. non admittit. Ratio certa. Quia 1. *præter* voluntatem latius patet in humanis, quam *contra* voluntatem; omne enim contra voluntatem, eſt præter voluntatem, ſed non contra.

Obj. Hæc judicantur ex voluntate humana, à qua alia eſt voluntas Dei. *Reſp.* Certe. Nam non cadit hoc in Deum, & ex iſtis hoc oſtenditur, quam abſurdum eſſet, ſi in Deum caderet. 2. Si quid præter voluntatem Dei eveniret; quominus quid eveniret contra voluntatem, ratio nulla juſta dari poteſt: quod enim deflectit in minimo, non video cur in maximo deflectere non poſſit. Dicimus ergo nos, nihil contra voluntatem Dei fieri poſſe.

I. *Thren.* 3. 37. *Quis dicit aliquid* &c. Si ergo ex eventu judicandum de voluntate Dei; Ergo quicumque tandem eventus futurus, hunc ipſum Deus voluiſſe cenſendus eſt. *Regerunt* Adverſarii, Nullo modo hoc poſſe dici, quod ex quovis eventu judicium ferri poſſit de voluntate Dei, ſed hoc demum fieri ex eventu bono. & huc afferunt illud: Deum ſæpe fine ſuo excidere. quodſi fine ſuo excidit, igitur ex eventu de ejus voluntate non poterit judicari. Ut hoc probent, dicunt: Deus voluit, ut Adam perſiſteret in integritate; ideo mandatum ipſi dedit, quod ſi non, ut moreretur: ſicut autem mutavit ſententiam in morte Adæ; (Adam enim non ſtatim mortuus eſt); ita etiam excidit fine. Sed *Reſp.* 1. Quod Deus præſcit nunquam fore, illud non intendit nec vult. Atqui Deus præſcivit Adamum nunquam perſtiturum. Ergo nunquam intenderat ut perſiſteret: non ergo voluit. 2. ad illud generale, *Deus fine ſuo excidit*, *Reſp.* 1. Quod eſt divinæ perfectionis nota, ejus contrarium Deo affingi non poteſt. At ad finem intentum pervenire, eſt tale. Ergo. Minor, *Iob.* 23. 13. 2. Si Deus poteſt excidere fine ſuo, tum perit diſcrimen à Scripturis aſſignatum inter conſilia Dei & hominum, quod hoc eſt: Conſilium hominis infringi poſſe, Dei non item, *Pſal.* 33. 10, 11. 3. Si Deus fine ſuo excideret; ſequetur neceſſario, quod Deus beatus eſſe non poſſit, ſiquidem hominibus ut pars beatitu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

titudinis tribuitur, ad finem intentum perveni-re. *Reger.* Non fieri id ex defectu potentiæ, quod Deus fine fruſtretur, ſed ex modo & termino, quem iſtius potentiæ exercitio poſuit per ſapientiam: quia non tanquam indigus alicujus rei deſiderat. Ideo ſi impleatur deſiderium, nil confert ad beatitudinem. *Reſp.* 1. Non eſſe ex Dei ſapientia, quod Deus fine excidat. Nam non intendit finem ex ſcientia, ergo nec ex ſapientia. At vero ſapientiam abſque ſcientia fingere, vanum eſt. 2. Quæro ex Adverſariis, an aliquid divinæ beatitudini decederet, ſi fine abſolute intento excideret? Non negabunt. Cum ergo mundi creationem Deus intenderet, non id fecit tanquam alicujus rei indigus; & tamen ſi Deus abſoluta hac intentione excidiſſet, Deus non eſſet. 3. Infinitæ Dei perfectionis eſt, quod voluntas non poſſit magis ferri in volitum quod facere non poſſet, quam intellectus poſſet ferri in falſum.

Objicitur contra hæc. I. *Luc.* 7. *verſ.* 30. Phariſæi & Legis periti conſilium Dei aſpernati ſunt; Excidit ergo Deus fine ſuo. *Reſp.* Vox *conſilii* dupliciter capitur; vel pro decreto & definita Dei voluntate; vel pro Verbo Dei ſcripto: hic capitur non priori ſignificatione. Nam Deus conſilia ſua non mutat, *Eſa.* 46. Nec quiſquam mutat ea, *Eſa.* 14. Ergo poſteriori, ſc. ea qua Paulus dicit, ſe totum conſilium Dei Epheſiis annuntiaſſe, *Act.* 20.

Obj. II. Multas res finibus ſuis fruſtrari, quas Deus ex fine videtur feciſſe. Ergo Deus ſaltem in his talibus fine ſuo fruſtratur. *Reſp.* Habere res aptitudinem ad quædam præſtanda, quæ tamen non præſtant, ſaltem non præſtant in omnibus; & Deum indere aptitudinem rebus, non tamen velle, ut iſta aptitudo in omnibus ſuum ſortiatur effectum. Hinc diſtinctio iſta *finis operis & operantis*. Dicunt enim & Philoſophi & Theologi, *Finem operis*, ſcilicet *rei*, eſſe hoc, ad quod natura per ſe aptitudinem habet. At vero non perinde eſſe *finem operantis*: Utut enim habet aptitudinem, Deus tamen eam non vult efficacem, ubi efficax non eſt.

Sed redeamus ad propoſitum noſtrum, Nil ſcilicet fieri contra voluntatem Dei. Quia quæcumq; fiunt, ea Deus vult vel voluntate *effectiva*, ſi bona ſint; vel voluntate *permiſſiva*, ſi mala ſint: cum vero tertium non detur, conſequens eſt, nihil fieri contra voluntatem Dei.

Obj. I. Atqui voluntas Dei permiſſiva non eſt voluntas beneplaciti: neque enim peccata Deo placent; quod ſi non placent, diſplicent; atque ita contra voluntatem Dei fiunt. *Reſpond.* Voluntas beneplaciti non dicitur ex *objecto*, ſed ex *modo volendi*. Id quod de voluntate permiſſiva clariſſime liquet: ſi enim quæratur, cur permittit peccata? tum reſpondetur: Quia ita placet ipſi. 2. Cum peccata dicuntur diſplicere Deo, nihil aliud intelligitur, quam quod Deus velit peccatum punire. At non ideo quod vult punire, eſt contra voluntatem ejus, ſed ut oſtendat ſe juſtum eſſe. *Vrgent:* At videtur abſurdum, ut juſtitia Dei manifeſtetur, permittendo peccatum, affligendo miſeram creaturam, & quidem affligendo in æternum. Nam, *non ſunt facienda mala, ut eveniant bona. Reſp.* Quicquid Deus facit, ſanctum & bonum eſt. Quia ipſi nulla lex: ubi autem nulla lex, ibi nullum peccatum, *Rom.* 4.15. *Inſt.* Eſto, quod nullum ſit peccatum, ſed nec ulla propterea bonitas. Nam ut peccatum pendet à Lege, cum ſit Legis tranſgreſſio; ita bonitas pendet à Lege, cum ſit conformitas cum Lege. *Reſp.* Bonitas, vel proficiſcitur à norma, & ea eſt *accidentalis*: vel ab eſſentia, & talis eſt, quæ dependet ab ente independente, vocaturque bonitas *eſſentialis*.

Obj. II. Secundum voluntatem Dei eſt pietas, item ſecundum voluntatem Dei bona opera; Ergo contra voluntatem Dei erunt peccata. *Reſp.* Sunt ſecundum voluntatem Dei, *ex modo volendi*, quia placet Deo ea permittere; non *ex objecto*, quatenus mala ſunt: ut paulo ſuperius diſtinximus. Et ſunt peccata contra voluntatem præcepti. 2. Sunt ſecundum voluntatem Dei permiſſivam, non effectivam & approbativam.

QUÆSTIO XV.

Quomodo concilianda ſint loca Scripturæ, Exod. 23. 18. *Quorum quædam dicunt, Deum etiam parentum ſcelera punire in tertiam & quartam generationem; imo e-*

tiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

tiam Principum peccata in ſubditis, & tamen Ezech. 18 *dicitur*: Anima quæ peccaverit, ipſa morietur. *Et*: Filius non portabit iniquitatem patris.

Reſp. Torſerunt ſe hic plerique Theologi, ſed veram tamen ſententiam non extorſerunt. Aliqui enim dicunt, Deum non punire unum propter alium, niſi ſe participem fecerit iniquitatis alterius, *Ezech*. 18. *verſ*. 13. Sed nihil iſti dicunt. Ferimus enim enſtaſes, ubi Deus punivit peccata aliorum in aliis, etiamſi nullo modo fuerint participes peccatorum. Vt *Gen*. 10. 18. ubi Deus punivit mulieres propter raptum Saræ. At illæ nunquam conſenſerant in hoc facinus, imo non dubium eſt, quin indignanter tulerint, quæ zelotypia eſt mulierum, ſe ſcilicet poſthaberi & peregrinam ſibi præferri. Sic etiam *Ioſu*. 7, Achan ſacrilegus cum tota domo & liberis vivicomburio punitus eſt.

Alii vero, diffiſi huic conciliationi, reſpondent, punire quidem peccata aliorum, ſed *ad occaſionem aliorum*, non vero, quod hæc eadem peccata, quæ alii committant, ulciſcatur in aliis. Vt cum Iſraëlitæ graviſſime peccarunt & ſæpius, eo tempore quo David curavit numerari populum, intervenit hoc grave peccatum Davidis. Ad occaſionem ergo iſtius voluit Deus omnes punire, & Davidem & ipſos. Sed repugnat Scriptura huic conciliationi. Nam *Gen*. 20. 18, non dicitur, *Occaſione peccati*, ſed *propter hoc peccatum*. Et 2 *Sam*. 21. 1, fames triennalis immiſſa fuit propter Saülem & domum ejus ſanguinaram. Tum & peſtis ob peccatum Davidis, 2 *Sam*. 24. 17.

Denique dicunt aliqui, Deum punire quidem peccata parentum in liberis, ſed morte temporaria, non æterna. *Reſp*. Falſum hoc eſt. Nam ſi imputat Deus peccata parentum liberis, Ergo rei ſunt peccatorum illorum. Si rei, & non tamen mortem æternam merentur, Ergo dabitur peccatum veniale ex natura ſua: quod nec Orthodoxi dicunt, & Scriptura penitus negat. *Reſp*. 2. Si res ita habet, ſequeretur, aliquem fore peccatorem, in quem non quadrabit denuntiatio legis, *Deut*. 23. *Maledictus qui non permanſerit*, &c. Hoc eſt, dabitur aliquis peccator, qui non ſit peccator. Conſequentia manifeſta eſt. Nam qui eſt execrabilis & maledictus, ille morte æterna plectitur: ut liquet ex judicio Chriſti, *Matth*. 25, *Abite execrabiles in ignem æternum*. *Reſp*. 3. Sequeretur, infantes diluvio perditos, ut & Sodomæ & Gomorrhæ, nonniſi morte temporaria periiſſe. Salvati ſunt ergo. Quod abſurdum eſt; non enim fœderati omnes fuerunt: extra fœdus autem nemo ſalvatur. Et liceret ſic etiam de infantibus Gentilium, quacumque morte pereuntibus, bene ſentire. *Dices*, Infantes iſti perierunt morte æterna propter peccatum imputatum primi parentis. *Reſp*. Hoc ipſum eſt, quod pro nobis militat, & quod nos affirmamus. Vera ergo loci hujus conciliatio eſt. Iudicia nimirum Dei eſſe vel *communia*, quæ facit & facere poteſt: vel *reſtricta* per beneplacitum ipſius, quæ facit ex eo, quia ſe quibuſdam certis adſtrinxit facturum ex mero beneplacito, cum alias aliter facere poſſet. *Communia ſeu ordinaria* ergo ſunt, quod poteſt imputare, & imputet etiam liberis peccata parentum; & ſubditis, magiſtratuum. *Reſtricta ſeu extraordinaria* ſunt, cum ex beneplacito ſuo poteſtatem iſtam ſuam reſtringit, ut hoc, quod poſſit facere, nolit. Vt *Gen*. 18, propter decem probos ſe non deleturum Sodomam dicit. Non, quod non poſſet contrarium (nam certe fecit ſæpius; ut in captivitate Babylonica, ubi fuerunt multi pii): ſed quod ex ſuo beneplacito reſtrinxerit ſe ad hoc. Similiter etiam *Ezech*. 18. ait, *Filius non portabit iniquitatem patris*. Non quod Deus hoc facere non potuerit, ſed quod ita ipſi placuerit; ut ſcilicet occluderet os Judæorum, & oſtenderet ipſis, quod ſcelerate conquererentur, ſe juſtos eſſe, & ſuſtinere pœnam tantum parentum. Alias Deus ibidem, *verſ*. 4, dicit, ſe poteſtatem habere, & quod licuerit ipſi punire liberos ob parentum peccata: *En omnes*, inquit, *animæ meæ ſunt*, &c. Et ſic conciliatur locus ille, ubi Spir. Sanctus dicit, filium pœna non afficiendum, ſi non ſecutus fuerit patrem, *verſ*. 17.

Obj. Aut ex demerito Deus imputat peccata parentum liberis, aut non; Si prius, tum non poteſt non imputare; & ſic fruſtraneæ iſtæ conciliationes. Si poſterius, Ergo hoc videtur injuſte facere. *Reſp*. Non facit ex demerito, ſed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ex beneplacito. *Inquies*, Ergo injuſte. Nam neminem punit Deus juſte niſi ob peccatum. *Reſp.* Imputat Deus peccata juſte, ſed non juſtitia *vindicatrice*, ſed *puniente*, ſed *juſtitia abſolutæ poteſtatis.* Hinc præclare Twiſſus de Elect. lib. 5, part. 2, pag. 157. *Non omnis*, inquit, *juſta actio prærequirit cauſam meritoriam, ſed tantummodo juſta actio Dei, ut Iudicis, non autem juſta actio Dei, ut Domini vitæ & mortis.* Facere autem hoc Deum ex beneplacito, licet à Theologis non facile hoc admittatur, probamus tamen: 1. Adæ peccatum potuit nobis Deus non imputare, ſi noluiſſet: quod autem imputavit, nullam cauſam quis oſtendere poteſt, præter beneplacitum Dei. 2. Si hujus imputationis peccati primi parentis daretur cauſa aliqua præter beneplacitum Dei; tum ſequeretur, omnia parentum peccata Deum imputare poſteris: quod falſum. Nam multorum parentum peccata non imputat liberis. 3. Quod Deus jam facit, jam non facit, id pendet ex liberrima ejus poteſtate. Atqui Deus jam imputat peccata parentum liberis, jam non imputat. Ergo hoc pendet ex liberrima ejus poteſtate. Minor probatur; Quia Deus Saülis peccata imputavit liberis, non item aliorum Regum.

QUÆSTIO XVI.

An Deus prohibendo aliquid, contrarium ejus facere ſine peccato ipſemet poſſit?

Reſp. Affirmamus, freti enſtaſibus iſtis. Non enim licet Iudici terreno, mandare alicui, ut filium ſuum pium & innoxium morti devoveat. At hoc Deo licuit, *Gen.* 22, cum Abrahamo immolationem Iſaaci imperaret. Non licet Magiſtratui, cum patribus ſontibus inſontes eorum liberos morte plectere. At hoc Deo licuit, ut apparet ex *Ioſ.* 7, in lapidatione Achani & liberorum ejus. Non licet Magiſtratibus homines, licet in ſe peccantes, indurare & in reprobum ſenſum tradere. At hoc Deo licuit, *Rom.* 1. 24, 26, 28. Non licet Magiſtratui ob unius hominis peccatum poſteros omnes reatui & condemnationi involvere. At Deo hoc licuit, *Rom.* 5. 15, 16, 17, 18, 19. Non licet Magiſtratui facinora quævis in repub. ſua permittere, ſed valide & ad ſanguinem uſque impedire. Atqui Deo licet in mundo mala permittere. Non licet patribus filios ſuos innocentes pro improbis, & hoſtibus, extremo ſupplicio jam deſtinatis, in mortem tradere, ut ſic pro injuſto juſtus plectatur, injuſtus liberetur. Atqui Deo hoc licuit, 1 *Petr.* 3. 18. *Rom.* 4. *verſ. ult.*

Obj. Iubemur eſſe ſancti & perfecti, ſicut Deus eſt Sanctus. Atqui exempla Dei ſequi non poſſumus, ſi Deus aliter agat & agere poſſit, ac nobis proponit. *Reſpond.* Sanctitas quam Deus à nobis flagitat, eſt *conformitas cum libera Dei voluntate revelata*, non ſimpliciter *cum natura Dei.* Nihil enim eſt aliud lex Dei, quam liberum ejus beneplacitum, quo voluit, hoc, & non alio modo à nobis coli, cum potuiſſet, ſi ita ejus beneplacito viſum fuiſſet, alium longe, imo contrarium modum cultus à nobis exigere. An ex neceſſitate divinæ naturæ eſt, quod Evangelium, non Legem, voluerit eſſe peccatoribus viam ad gloriam; quod fidem, non opera Legis voluit eſſe conditionem novi fœderis? Atqui omnes adverſarii in eo ponunt abſolutam Dei libertatem in juſtificandis vel operariis vel credentibus.

CAPUT XIII.

De Federe Dei.

QUÆSTIO I.

An fedus ab initio mundi cum omnibus fuerit ſancitum, an tantum cum quibuſdam?

Reſp. Poſt. Affirmat. Argumentum I. Deus nunquam fedus iniit cum toto genere humano: quod hinc patet, Quia diſtinguit Scriptura inter filios Seth, & Caïn; & dicit invocatum nomen Dei à filiis Seth, non Caïn, *Gen.* 4. 26. Inter quos enim non invocatur nomen Dei, non ſunt federati. At inter Caïnitas &c. *Reger. Arminiani*, Tunc quidem non fuiſſe invocatum nomen Dei in familia Caïnitica, ſed demum cœpit invocari. *Reſp.* At locus clarior, quam ut eludi poſſit; non enim aliter intelligi poteſt, quam in familia Sethi cœptum invocari nomen Dei.

II. *Gen.* 6, diſtinguit Spiritus Sanctus filios hominum à filiis Dei: cujus diſcriminis nulla

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

alia ratio dari poteſt, niſi quod hi fuerint fœderati cum Deo, illi vero non item. *Reger.* Obſcurum eſſe locum, & vix poſſe dici filios iſtos fœderatos eſſe; cum fœderati inſtituant liberos ſuos bene, ut dicit Sp. Sanctus de Abrahamo; tum vero non erant bene inſtituti. *Reſp.* Etiam fideles ſæpe graviter impingere, ut in Eli ſummo Sacerdote patet, 1 *Sam.* 3.13. 2. Poſſe dici iſtos filios Dei, quoad *externam fidei profeſſionem*, non quoad *internam fœderis communionem*.

III. *Gen.* 17. ubi Deus iniit fœdus cum Abrahamo. Ergo cum quibuſdam fœdus iniit. *Reger.* Fuiſſe alios extra Abrahamum, ut Melchiſedech, majores Iobi & amicorum. *Reſp.* Tandem illos defeciſſe, ut tempore Judicum, regum Iſraëlitarum: familia vero Abrahæ non defecit. 2. Fœdus quod pepigit cum Abrahamo, pertinet ad omnes fideles cujuſvis temporis & gentis, *Rom.* 4. 11.

Obj. I. Promiſſio de ſemine benedicto omnibus facta eſt: Ergo cum omnibus fœdus initum. Minor, *Gen.* 3. *Reſp.* Imo ex contextu contrarium patet, ubi dicitur inimicitiam poſitam inter *ſemen Satanæ*, & *ſemen* hoc: per quod *ſemen Satanæ* non intelliguntur niſi mali homines. Vide *Ioan.* 8. 44. *Inſt.* Atqui omnes nati ſunt per ſemen mulieris; quomodo ergo per *ſemen Satanæ* homines intelliguntur? *Reſp.* Per ſemen, de quo agitur *Gen.* 3, intelligitur Christus κατ᾽ ἐξοχὴν & primario: ſecundario & conſequenter fideles; ut probatur *Gal.* 3. *verſ.* 16.

Obj. II. *Gen.* 9. 11, fœdus ſtabilitur cum Noacho & ſemine ſecuturo; Ergo cum omnibus & ſingulis fœdus Dei fuit. *Reſp.* Fœdus illud determinatur, quale fuit ſcilicet de non immittendo amplius diluvio in terram; non vero fœdus de bonis ſpiritualibus, & vita æterna conferenda. Vide *verſ.* 11, & ſeqq. *Inſt.* Tamen tum temporis fuit fœdus ſpirituale; Ergo cum omnibus. *Reſp.* Contrarium patet ex eodem capite *verſ.* 5, 6.

Obj. III. Deus omnium miſereri voluit; Ergo cum omnibus fœdus iniit. Conſeq. Quia Deus, dum promitteret ſemen benedictum, in hoc promittebat, ut hominem miſerum erigeret, qui ſe & omnes poſteros perdiderat. At non erat conſolatio illa futura ſolida, ſi non pro omnibus & ſingulis promitteret. *Reſp.* Præſupp. hypoth. quod fideles non acquieſcant in voluntate Dei, etiamſi ſecus accidat, ac ipſi fieri vellent. Vide contrarium, 1 *Sam.* 3. 18. *Inſt.* Si non omnibus promiſſio facta, cur ergo Eva ita exultavit in partu Caïni? cum potius triſtari debuiſſet; ſatius enim fuiſſet eum non naſci. *Reſp.* Illa ignoravit quis eſſet in ſingulari, quis non, ad quem pertinebat promiſſio: ſed ex caritate bene ſperabat; & ſic gaudebat.

QUÆSTIO II.

An legale fœdus obſervatum fuit ab aliquo hominum obedientia tali, quali Deus requirebat?

Reſp. Neg. Argumentum I. Legem & fœdus Deus pepigit cum peccatoribus; Ergo illud nemo præſtitit. Conſeq. clara. Nam qui eſt peccator, non præſtat: hoc enim ipſo eſt peccator, quia tranſgreditur legem. *Regerunt Iudæi*, Non omnes fuiſſe peccatores; & adferunt exemplum Enochi, qui dicitur ambulaſſe coram Deo indeſinenter, *Gen.* 5. *verſ.* 24. item Noachum, *Gen.* 6. *verſ.* 8. *Reſp.* Iſta non efficere, quo minus peccatores fuere, 1 *Reg.* 8. *verſ.* 46. *Ecclеſ.* 7. *verſ.* 20.

II. Abraham non præſtitit fœdus legale; Ergo nemo præſtare potuit. Conſeq. Quia Abraham erat Pater credentium. vide *Gen.* 17. Si ergo hic non implevit fœdus, multo minus alii. Minor. Quia dubitavit de providentia Dei. *Reger.* Impleviſſe, quia Deus injungit, ut ambulet perfecte coram Deo, *Gen.* 17. *Reſp.* Conſeq. nulla. Nam & Iudæis tradidit Decalogum, & tamen nemo præſtitit, ut Sp. Sanctus teſtatur, *Ier.* 31. *verſ.* 32.

III. Si legale fœdus aliquis implere poſſet, tum ex lege eſſet juſtificatio. At hoc falſum, *Pſal.* 143. 2. *Reger.* Hinc apparet, ex lege aliquos fuiſſe juſtificatos. Nam nullus modus juſtificandi alius ponitur in V.T. quam hic. *Reſp.* Hoc falſum: vide *Gen.* 15. *verſ.* 6. *Eſa.* 53. 11.

Obj. I. Si fœdus iniit, tum non fruſtra. At niſi fuiſſet obſervatum, fruſtra iniiſſet. *Reſp.* Non fruſtra, etiamſi non obſervatum. Nam facit ad hoc, ut ex lege agnoſcatur peccatum. *Inſt.* Hunc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

finem non habuiſſe Deum in fœdere propoſito: Ergo fruſtra fingitur. *Reſp.* Negat. nam *Thren.* 3.37, *Quis dicet, evenit aliquid, & Deus hoc non voluit?* Cum ergo nemo præſtitit fœdus hoc, & vero de nihilo Deus non pepigit; relinquitur, hunc finem eſſe fœderis hujus.

Obj. II. Si fœdus hoc initum, à nemine præſtetur, tum nulli fœderati erant in Vet. Teſt. Abſurd. conſequens, Quia præter legale fœdus, nullum erat fœdus. *Reſp.* Imo datur aliud, *Ier.* 31.32, 33. & *Hoſ.* 2.18. *Inſt.* Atqui fœdus illud, de quo apud Hoſeam, commune eſt etiam beſtiis: Ergo. *Reſpond.* Dicit Sp. Sanctus, quod & fœderis iſtius etiam hæreditas ſeu dominium in beſtias inſtituendum; quod fœdus minime tollit, imo ſtabilit.

Obj. III. Si penitus à nemine fœdus illud obſervatum eſſet, tum facti fuiſſent ſicut Sodoma & Gomorrha, ut docetur *Eſai.* 1.9. At hoc nunquam factum. Ergo fœdus eſt ſervatum. *Reſp.* Non factum hoc ex fœdere legali, ſed fœdere Evangelico. *Inſt.* At præter Doctrinam Legalem nulla fuit in V. T. *Reſp.* Falſum. Nam Doctrina de Juſtificatione eſt Doctrina Evangelii. At fuit in V. T. vide *Pſal.* 32. 2. & de Regeneratione, *Deut.* 30, 6, 7.

QUÆSTIO III.

An fœdus Evangelicum Deus ita paciſcitur cum fœderatis, ut etiam hoc ipſum quod ſtipulatur, in ipſis efficiat?

Reſp. Affirm. Argumentum I. *Ezech.* 16. *verſ.* 60, 61. ubi Deus promittit, ſe cum Eccleſia Iſraëlitica facturum fœdus, & facturum omnia quæ ſtipulatur in fœdere: Ergo conditionem ſtipulatam in fœdere novo, præſtat in fœderatis. *Reger.* Agi de Eccleſia Iſraëlitica, ubi fœderi Evangelico nullus locus. *Reſp.* Fruſtra hoc dici. Nam ſi Doctrina Evangelii fuit in V. T. fuit & fœdus Evangelicum: ut enim, ubi Lex, ibi fœdus Legale: ſic, ubi Evangelium, ibi fœdus Evangelii.

II. *Ier.* 31. 32, 33. ubi expreſſe dicit, ſe initurum tale fœdus, quod non poſſent irritum reddere fideles: Ergo conditionem in illis implebit. *Reger.* Deum promittere, ſe fœdus pacturum, & perpetuo quidem, ſi ultro non diſceſſerint à fœdere. *Reſp.* At iniqui ſunt, qui non vident, fœderis iſtius diverſitatem in eo collocari, quod prius quidem irritum reddi potuit, poſterius non reddatur.

III. *Ier.* 32. *verſ.* 39, 40. Hic iterum Deus promittit, ſe tale fœdus facturum, ut etiam conditionem, quam ſtipulatur, promittat, ſe in ipſis effecturum: *Indam*, inquit, *reverentiam meam animo ipſorum, ut non recedant à me. Reger.* Si non abſceſſerint ultro. *Reſp.* Exceptio non valet. Nam eo pacto explicanda erunt Prophetæ verba: *Faciam ut non recedant, ſi non receſſerint.* Si vero in ipſorum poteſtate eſt, ſtare vel recedere, quorſum Deus hoc ſibi tribuit: *Faciam, ut non recedant?*

Obj. I. Fœdus Deus pepigit cum Abrahamo & poſteris ejus, etiam Evangelicum: An hi defecere? *Reſp.* Fecit Deus cum Abrahamo & ſemine ejus fœdus, non *ſecundum carnem*, ſed *ſecundum Spiritum*: neque enim omnes qui ſecundum carnem ex Abrahamo ſunt, ſunt filii promiſſionis. Vide *Rom.* 9. 8. *Inſt.* Certe in tota Scriptura V. T. fœdus hoc promittit Deus cum gente Iſraëlitica, & cum illis qui ſecundum carnem ex Abrahamo propagati. *Reſp.* Dato; ſed adhuc argumentum manet. vide *Rom.* 11. 25, 26, 27.

Obj. II. Cum Eccleſiis iſtis, ad quas Spiritus Sanctus ſcribit, *Apoc.* 2. 3, fœdus iniit; & tamen poſteri penitus defecerunt, ita ut ne reliquiæ earum appareant. *Reſpond.* Fœderati ibi, non deſierunt eſſe fœderati; ſed qui erant fœderati, mortui ſunt, aut alio commigrarunt. *Inſt.* At ſaltem poſteri eorum erant in fœdere. Nam fœderis Evangelici ſtatus deſcribitur *Gen.* 17. Ero Deus tuus, & ſeminis tui poſt te. *Reſp.* ut ante: Non omnes qui ſunt filii carnis, ſunt filii promiſſionis, *Rom.* 9.

Obj. III. *Heb.* 10. *verſ.* 29. ubi dicunt clare oſtendi, quod à fœdere Evangelico aliquis deficiat, & conditionem, quam in hoc Deus ſtipulatur, non in omnibus efficiat; cum ſanguinem fœderis, per quem fuit ſanctificatus, profanum duxit. *Reſp.* Dicitur ſanctificatus κατὰ δόξαν, non καθ' ἀλήθειαν. *Inſt.* Dicitur in textu, conculcari revera Filium Dei. *Reſp.* Retorq. Imo quia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

conculcavit, non fuit in federe Dei: qui vero ſunt vere in federe, illi dantur Chriſto, quos nunquam ejicit foras, *Ioan.* 6. 37.

QUÆSTIO IV.

An federati ſedere Evangelico excidere poſſint?

Reſp. Negat. Argumentum I. *Ier.* 33. 20, 21. Si fedus Dei Evangelicum immutabile eſt; tum ſequitur, neminem federe iſto excidere. At verum prius. Ergo. *Reger.* Eſt immutabile ex parte Dei, non ex parte hominum. *Reſp.* Imo ſi ex parte hominum mutabile, erit etiam ex parte Dei. Nam ſi tu non præſtiteris conditionem quam Deus ſtipulatur, tum nec Deus præſtabit quod tibi promiſit: & conſequenter, homo potentior erit in frangendo federe Dei, quam Deus in præſtando.

II. *Hoſ.* 2. 19, 20. Si in federe ſuo diſpenſat Deus in æternum ſibi federatos; tum ſequitur, nunquam eos deficere. Verum prius. Ergo. *Reger.* Ex eo non ſequi: poteſt enim iſta ſponſa fieri adultera. *Reſp.*, Inepte. Nam ſi deſponſavit in juſtitia, benignitate, miſericordia; tum non permittit fieri adulteram: non eſt enim currentis, neque volentis.

III. Si federati in V.T. ratione federis Evangelici non exciderunt, tum nec in N.T. excidunt. Conſeq. quia gratia N. T. amplior eſt quam V.T. *Gal.* 4. 2, 3. At non exciderunt, *Rom.* 11. 1, 2. *Reger.* Deus non abjicit eos, ſed ipſi Deum rejecerunt. *Reſpond.* Textui repugnat. Nam dicit; *Non abjicit quem præcognovit:* vere autem federatos dicit præcognitos. 2. Dicit, federatos eſſe ſecundum electionem: at qui electi ſunt, non excidunt.

Obj. I. *Eſa.* 5. 1, 2, 3, 4. de vinea: hi erant federati, & tamen exciderunt. *Reſp.* Nihil hic de federe, ſed de vocatione externa: At vocati externe non omnes ſunt federati, ut neque electi. *Inſt.* *Matth.* 20, inquiunt, de federe agitur, nam elocatur vinea, & ſtipulatur Deus fructum vineæ. *Reſp.* Nec hic de federe quicquam: aut ſi agatur de federe, agitur de legali. 2. Notorium eſt, ex Parabolis non poſſe firmum argumentum duci, niſi ratione ſcopi.

Obj. I. *Ezech.* 16. 8, *ad finem*, ubi de federe Evangelico agitur, Et tamen hi ipſi ſcortum facti ſunt, adeo ut Deus illos abjecerit. Ergo. *Reſp.* Dicitur hoc de ente collectivo, Eccleſia ſcilicet, non vero ſecundum omnia individua. Nam individua quæ habuerunt fedus, non exciderunt, ut Spir. S. docet *Rom.* 11. 4. Alii autem erant in federe profeſſionis externæ. *Inſt.* Imo illi defecerunt, quos iterum recepit in fedus, *verſ.* 6. *& ſeqq.* *Reſp.* Non de individuis aliquibus agi, ſed de gente, quæ licet rejecta, tamen aſſumetur rurſus, *Rom.* 11. 25, 26.

Obj. III. Qui baptizantur, illi ſunt federati. At ex his aliqui deficiunt. Major certa, *Act.* 2. 39. Minor patet. *Reſpond.* Qui baptizati ſunt non tantum aqua, ſed & Spiritu, illi ſunt federati, nec deficiunt. *Inſt.* Si baptiſmus aquæ conjungitur cum baptiſmo Spiritus, tum hæc diſtinctio nulla. Verum prius, *Ioan.* 3. Quæ autem Deus conjunxit, homo ſeparare non debet. Conſeq. Quia non alio fine baptizantur aqua, quam ut ſignificetur baptiſmus internus. *Reſp.* Significatur quidem in illis qui ſunt in occulto federati, non omnibus qui ſunt in aperto. *Rom.* 2. *verſ.* 28, 29.

CAPUT XIV.

De Perſona & Officio Mediatoris.

QUÆSTIO I.

Utrum duæ naturæ ſint in una Chriſti perſona, humana & divina?

Reſp. Affirm. Argumentum I. *Rom.* 1. 3, 4. ubi dicitur *factus ex ſemine David ſecundum carnem, declaratus Filius Dei* &c. *Reger.* Dicitur declaratus Filius Dei per reſurrectionem, Quia Deus ipſum potenter excitavit à mortuis. *Reſp.* Hoc nihil eſt; Nam & nos ſuſcitabit à mortuis; neque tamen erimus Filii Dei ut hic eſt: Manet itaque firmum Argumentum: Si Chriſtus declaratus eſt Filius Dei potenter per reſurrectionem ex mortuis, oportet ut ſemet ipſum ſuſcitaverit; & ſic verus Deus, & verus homo: verus Deus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

quatenus ſe ſuſcitavit; verus homo, quatenus reſſuſcitatus eſt.

II. *Ioan.* 2. 19. Qui ſe ipſum reſſuſcitavit, fuit verus Deus, & verus homo: At Chriſtus &c. Nam mortuos revocare in vitam, ſolius Dei eſt: & mortuum eſſe, non eſt Dei, ſed hominis. *Reger. Socin. Excitabo*, inquit, *id eſt, vi Patris ſurgam. Reſp.* 1. Aliud eſt, excitare; aliud, ſurgere; ſignificatione iſta non conveniunt. 2. Chriſtus dicit, ſe hoc miraculum facturum Iudæis quærentibus ſignum: quod vero, quæſo, miraculum eſt ſurgere, cum à Deo ſit ſuſcitatus? fatemur in excitante eſſe miraculum, non vero in eo qui ſurgit.

III. *Rom.* 9. 5. Hic clare proponitur duplex natura in Chriſto. Nam dicitur ſecundum carnem eſſe ex Patribus; idem tamen dicitur Deus benedictus in ſecula: ubi vero eſt divina & humana natura, ibi duplex natura in perſona. At *Reger. Socin.* Non ad Chriſtum referri verba *qui eſt Deus*, ſed ad Patrem. *Reſp.*, Ineptè. Nam ſenſus nullus erit ſic; quorſum enim referetur pronomen relativum *qui*? Non facile poterit oſtendere Socinus, niſi ad Chriſtum. *Reger.* Quod Chriſtus eſt Deus non *natura*, ſed *officio*. *Reſp.* Quomodo ergo Deus benedictus ſupra omnes, ſi natura non ſit verus Deus?

Obj. I. Si nullibi in Scriptura de duplici natura agitur. *Reſp.* Jam oſtenſum argumentis allatis. Inſuper evincitur *Matth.* 22. 43, 44. & 1 *Petr.* 3. 18, 19, 20. Ubi natura, quæ mortua eſt, diſtinguitur ab illa natura, quæ per Spirit. Sanctum temporibus Noë prædicata erat: Deinde etiam, quod una eademque perſona dicatur omnia ſcire, *Ioan.* 21. 17. Et tamen de eodem dicitur, quod ignoret diem judicii, *Marc.* 13. 32. *Reger.* Quod de toto dicitur, id de parte negari nequit: Hoc, quod Chriſtus omnia ſciat, dicitur de toto: Ergo & de parte. *Reſp.* Quod dicitur de toto ratione omnium partium, & non ratione cujuſdam tantum, illud de parte negari non poteſt. Atqui ita cadit Minor. Aliquid enim de Chriſto negari, quod tamen ſecundum partem illi tribuitur, patet *Matth.* 22. 42, 43, 44. *Inſt.* ad primam reſponſionem: Fuit Dominus Davidis, quia excellentior futurus Davide. *Reſp.* Ergo eo pacto illuſit Chriſtus Judæis. Certe Judæi non quærunt, an Meſſias excellentior Davide, nam hoc ſciebant illi: ſed hoc erat in quæſtione; Ex quo proditurus ſit Meſſias? cum autem illi Meſſiam nudum hominem arbitrarentur, Chriſtus hoc modo illos refellit; oſtendendo, in Meſſia præter humanam naturam, ſecundum quam filius eſſet Davidis, etiam aliam futuram fuiſſe, ſecundum quam Dominus eſſet ejus.

Obj. II. Si Chriſtus fuit Deus & homo, ſaltem in morte utraque hæc natura manifeſtata fuiſſet; aut ſaltem Scriptura de utraque natura in morte mentionem faceret. At non facit. Ergo. *Reſp.* Falſum. *Inſtant:* Si res ita habet; Ergo non potuit deſeri à Deo. Clamat autem, *Matth.* 27, *Deus mi* &c. *Reſp.* Non erat Chriſtus deſertus *quoad unionem hypoſtaticam*; quod liquet ex phraſibus iſtis, cum dicitur *Princeps vitæ trucidatus*, *Dominus gloriæ crucifixus*, 1 Cor. 2. 8. Sed deſertus fuit *quoad ſenſum gratiæ divinæ*, idque in humana natura.

Obj. III. Chriſtus natus eſt totus ex Maria virgine; Ergo nihil in ipſo eſt præter naturam humanam. *Reſp. Totus* quidem *Chriſtus*, ſed non *totum Chriſti*: neque enim natus eſt quoad divinam naturam ex Maria virgine, ſed genitus à Patre ab æterno. *Inſt.* Dicitur nobis ſimilis per omnia excepto peccato; Ergo ut nobis non eſt duplex natura, ita nec in ipſo erit. *Reſp.* Similis *quoad naturam humanam*, non vero *quoad totam perſonam*: ſic nos non dicimur ſic manifeſtati in carne ſicut Chriſtus, 1 *Tim.* 3. 16. 2. Nec quoad naturam humanam ſimpliciter; hinc regerunt Theol. Similis quoad φύσιν, non vero quoad ὑπόστασιν.

QUÆSTIO II.

An Chriſtus ſolus aſſumpſit humanam naturam?

Reſp. Affirmat. *Phil.* 2. 6, 7.

Obj. Opera ad extra, ſunt indiviſa: Atqui aſſumere humanam naturam, eſt opus ad extra. Ergo & per conſequens, non tantum Filius, ſed & Pater, & Sp. Sanctus, aſſumpſerunt humanam naturam. *Reſp.* Negat. Minor; nam eſt opus ad intra. *Inſt.* Atqui opera Dei ad intra (ut Theol.

 docet)

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

docet) ſunt æterna; hoc autem non eſt æternum. *Reſp.* Diſtinguendo opera Dei ad intra: vel, quæ ſunt Dei ut Deus eſt; & hæc ſunt æterna: vel, quæ ſunt Dei ut deſtinati in Mediatorem; & hæc non ſunt æterna, ſed temporaria.

QUÆSTIO III.

An Chriſto quædam data in tempore?

Reſp. Affirm. Data quædam Chriſto ratione divinæ naturæ, ut humana natura, quam ipſe in hypoſtaſin ſuam aſſumeret. Quædam ratione humanæ naturæ, ut unio cum perſona Verbi, & gratia habitualis ſeu donorum, *Ioan.* 3.34. Quædam ratione utriuſque naturæ, ut munus Mediatorium, quod ipſi impoſitum.

Obj. I. Quomodo Chriſto data eſt humana natura, cum Deo nihil dari poſſit? *Reſp.* 1. Majorem ita ſimpliciter dictam, falſam eſſe, patet *Matth.* 22. 21. *Date Deo quæ ſunt Dei. Reſp.* 2. Deo nihil dari poteſt ſimpliciter & ſecundum ſe conſiderato. At ſecundum œconomiam conſiderato, data eſt ei in tempore & perſonaliter unita humana natura. 3. Deo nihil dari poteſt ut ipſum *perficiat*, ſed ut ab ipſo *perficiatur*, & mediante illo hominibus adferatur.

Obj. II. Cui perſonæ nihil potuit accedere, ei humana natura non eſt unita. Atqui perſonæ Filii Dei &c. Ergo. Minor prob. Quia perfectiſſima erat perſona τȣ̃ λόγȣ. *Reſp.* Perfectum dupliciter poteſt ſumi; vel *ratione eſſe*, vel *ratione finis*: Priori modo erat perfectiſſima, non autem ratione finis; ut enim eſſet Mediator noſter, debuit eſſe verus Deus & verus homo.

Obj. III. Ubi duæ ſunt naturæ completæ, ibi duæ perſonæ. Atqui in Chriſto ſunt. Ergo. *Reſp.* Ubi ſunt duæ naturæ completæ, ita ut ſint diverſæ ſubſiſtentiæ, tum procedit. Atqui hoc in Chriſto falſum. Nam ſolius divinæ naturæ eſt ſubſiſtentia; in eamque, humanam naturam aſſumpſit, ut patet *Heb.* 2.16. *Phil.* 2. 7.

Obj. IV. Si non habet propriam ſubſiſtentiam; Ergo non poteſt dici homo. *Reſp.* Neg. conſeq. Homo enim dicitur propter *naturam*, non vero propter *modum ſubſiſtendi*; modo enim variato, res ſalva manere poteſt: modi enim rem non conſtituunt. 2. Diſtinguo inter perſonam hominis, & perſonam humanam.

QUÆSTIO IV.

Vtrum proprietates naturarum ſibi invicem communicentur?

Reſp. Negat. Argumentum I. Si naturæ manent diſtinctæ in Chriſto, tum etiam manebunt proprietates. *Reger.* Ut partes hominis, ſi ad ſe invicem conſiderentur, diſtinctæ ſunt in compoſitione, non autem ſunt indiſtinctæ; ita etiam natura divina ab humana diſtinguitur ratione ſui ipſius, at non in perſona. *Reſp.* Præſupponi hypoth. abſurdam; quaſi ſcilicet perſona Chriſti conflata ſit ex divina & humana natura, cum divina ſola ſit perſona, utpote in cujus hypoſtaſin aſſumpta humana natura, & eſt adjunctum ὑποστατικῶς.

II. Si naturæ ſibi poſſunt communicare proprietates; Ergo conſequitur, humanam Chriſti naturam, eſſe æternam; divinam vero, temporariam: quod abſurdum. *Reger.* Humana non communicat proprietates ſuas divinæ, ſed divina humanæ, ut ὑπόστασιν, ita & proprietates; neque omnia attributa, ſed quædam. *Reſp.* Attributa in Deo unum ſunt; ſi ergo unum tribuitur, & alterum tribuetur; & ita æternitas tribuetur humanæ naturæ: quod maxime abſurdum.

III. Scriptura in Chriſto diſtinguit iſtas proprietates; nam alias tribuit Chriſto homini, alias Chriſto ut Deo: homini Chriſto, quod non ſit ubique, *Ioan.* 11. *verſ.* 21. quod non ſciat omnia: Chriſto Deo, quod omnia ſciverit, *Ioan.* 2.17. *Reger.* Hæc in ſtatu exinanitionis fuiſſe, ſed ceſſare in ſtatu exaltationis. *Reſp.* Imo non ceſſant, nam aſcendit in cælum; & illinc venturus eſt &c.

Obj. I. Communicat ſe λόγος humanæ naturæ: Ergo & proprietates. *Reſp.* Communicat *intranſitive*, non *tranſitive*: Ergo etiam ſic proprietates communicat. *Reger.* Imo *tranſitive.* Nam hypoſtaſis eſt humanæ naturæ: Ergo & proprietates. *Reſp.* Admiſſo hoc, non ſequitur. Nam hypoſtaſis non ſunt attributa illa, eſſe infinitum, immenſum; ſed τȣ̃ λόγȣ.

Obj. II. Col. 2. 9. *In eo inhabitat omnis plenitudo Deitatis* σωματικῶς· Ergo communicantur proprietates divinæ naturæ, humanæ. *Reſp.*

Reſp. Inhabitat per hypoſtaſin, non vero per mutationem unius ad alterum. *Inſt.* Patres explicant hanc inhabitationem per ſimilitudinem ferri candentis: Ut ignis ferro ſuum communicat calorem;ita divina natura humanæ ſuas communicat proprietates: At ignis communicat ſuas proprietates: Ergo. *Reſp.* Simile iſtud non quadrare ad rem. 2. Communicat ferro ignis calorem diverſiſſimum,ut aëri calefaciendo. At Lutherani eaſdem dicunt naturæ humanæ communicari proprietates, quæ ſunt divinæ.

Obj. III. Caro Chriſti eſt vivifica, & vitam dans mundo: Ergo tribuuntur humanæ naturæ proprietates divinæ. *Reſp.* Vivificat *meritorie*, ſic etiam vitam dat; non vero *efficienter*; quod ſolius Dei eſt. *Inſt.* Adoratur cultu religioſo ſecundum humanam naturam,cur ergo non vivificet, quandoquidem in Deo attributa unum ſunt? *Reſp.* Negat. Nam ſcriptum eſt, *Dominum Deum tuum adorabis, & ei ſoli ſervies*, Matth. 4.

QUÆSTIO V.

Vtrum Chriſtus Mediatorem agat pro omnibus & ſingulis?

Reſp. Negat. Argumentum I. *Matth.* 26. *verſ.* 28. Si Chriſti ſanguis effuſus eſt tantum pro quibuſdam, ſive pro multis; tum non pro omnibus eſt Mediator: Verum prius. *Reger.* Per vocem, *multi*, ſæpe intelligi omnes. *Reſp.* At hic non poteſt omnes ſignificare. Nam eos tantum intelligit, quos purgat ſanguis ipſius, 1 *Ioan.* 1. At hi non ſunt omnes,ſed quidam; alioqui eſſent omnes juſtificati.

II. *Ioan.* 17. Si Chriſto non ſunt omnes dati,tum non etiam omnium Mediatorem agit. Verum prius. Conſeq. Quia qui ipſi non ſunt dati, neque ad ipſum pertinent, nec ipſe ad eos. Minor: Si dati eſſent, venirent ad ipſum, *Ioan.* 17. *Reger.* Dari Chriſto etiam illos qui pereunt, *Ioan.* 17. *v.* 12. *Reſpond.* Particulam iſtam εἰ μὴ non eſſe hoc loco ſumendam *exceptive*, ſed *diſcretive*; eo modo ſcilicet, ut accipitur apud *Luc. c.* 4. *v.* 26, 27. *Gal.* 2. *v.* 16.

III. *Ioan.* 17. 9. Si non pro quovis orabat, tum non quorumvis erat Mediator. At non &c. Conſeq. Quia cui unus actus mediatorius negatur, ei & alter. *Reger.* 1 *Ioan.* 2. 2. ubi dicitur *Chriſtus propitiatio, non tantum pro peccatis noſtris, ſed etiam pro peccatis totius mundi*; &, *inquiunt*, hic eſt oppoſitio inter electos & mundum, ita ut non tantum pro electis, ſed etiam pro iis qui electi non ſunt, ſit propitiatio. *Reſp.* Eſt hic inter ſolos fideles oppoſitio: mundum autem venire nomine fidelium in Scriptura. vide *Rom.* 11. *verſ.* 12. Ergo hic prima oppoſitio eſt inter fideles Judæos, & Gentiles; vide de hac oppoſitione, *Ioan.* 11. 52. 2. Oppoſitio inter credentes in præſenti, & crediturос in futuro; de qua oppoſitione vide *Ioan.* 17. 20.

Obj. I. 2 *Pet.* 2. 1. ubi dicuntur mercando quæſiti etiam eſſe impii. *Reſp. Mercari*, in Scriptura dupliciter capitur; vel idem eſt quod ſimpliciter liberare, ubi pretii nulla mentio fit, quemadmodum Deus dicitur emiſſe Iſraëlitas ex Ægypto; vel ſignificat redemptionem, & ſic fit mentio etiam pretii: Hic accipitur primo modo. Mercatus ergo quoad communem receptionem in Eccleſiam. Mercatus 2, ex opinione, non ex rei veritate. *Inſt.* Quod proprie accipiatur; quia Chriſtus venit in mundum, ut peccatores ſervaret, 1 *Tim.* 1. 15. *Reſp.* Peccatores non quoſvis, ſed Chriſto datos, *Ioan.* 6. *verſ.* 37.

Obj. II. Eorum Mediator eſt, quos vult ſalvari. At omnes, 1 *Tim.* 2. 4. *Reſp.* Intelliguntur ibi *genera ſingulorum*, non *ſingula generum*: ut,cum dicitur, Chriſtum ſanaſſe *omnes* morbos; Phariſæos decimaſſe *omne* olus. *Inſt.* Illi intelliguntur, pro quibus Apoſtolus vult preces fieri. Atqui pro quibuſvis debemus precari. Ergo. *Reſp.* Pro quibuſvis quidem, non autem eadem ratione. Nam pro nobis precamur abſolute, in iis quæ ad ſalutem neceſſaria, pro aliis conditionaliter tantum.

Obj. III. 1 *Cor.* 8. 11. Si aliqui pereunt, pro quibus Chriſtus mortuus eſt,tum eſt Mediator omnium. *Reſp.* Periit non reipſa,ſed quoad ſtudium tantum & conatum; quemadmodum, verbi gratia, *Matth.* 5. 28. Qui aſpicit feminam, ut eam concupiſcat, adulteravit eam. *Inſt.* Non tantum hoc pacto perire tales, ſed reipſa,

Ezech.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Ezech. 18. 24. *Reſp.* Conditionalem nihil ponere in eſſe: verbi gratia, Si Angelus de cælo deſcenderet, & aliud evangelizaret; item *Pſal.* 139, Si aſcenderem in cælum.

QUÆSTIO VI.

An Chriſtus ſit Mediator ſecundum utramque naturam?

Reſp. Affirm. Argumentum I. Chriſtus debuit eſſe medius inter Deum & homines; Ergo debuit eſſe Deus & homo. *Reger.* Mediatorem non ſignificare ſubſtantiam, ſed officium. *Reſp.* Mediatorem eſſe duplicem; *ſubſtantialem*, & *accidentalem*: *Subſtantialis* conſiſtit in participatione utriuſque naturæ; *Accidentalis* in officio, quod utrique iſti naturæ incumbit.

II. Chriſtus non tantum externe, ſed etiam interne debuit docere qua Mediator; Ergo. Conſeq. Nam qui interne docet, Deus ipſe eſt. Minor; quia fruſtra doceret externe, niſi ſimul interne mentes hominum illuminaret. *Reger.* Chriſtum minime poſſe dici Prophetam ſecundum divinam naturam, cum ſimilis debuerit eſſe Moſi, *Deut.* 18. 15. *Reſp.* Erat ſimilis futurus Moſi quoad quædam, non quoad omnia: Nam Chriſtus erat Dominus in domo ſua, ſcilicet Eccleſia, *Heb.* 3. 5, 6. At Moſes ſervus.

III. Chriſtus debuit ſe offerre in ſacrificium quatenus Mediator; debuit ergo eſſe & Deus & homo. Ratio conſeq. Quia non poterat offerri & offerre ſe, niſi duæ naturæ diſtinctæ eſſent in eo: Hinc dicitur, *Heb.* 9, per Spiritum æternum ſe ipſum obtuliſſe. Minor. Nam Chriſtus debuit Sacerdos eſſe ſimul & ſacrificium. *Reger.* Imo Chriſtus eſt ab alio occiſus, ac proindeſe ipſum non obtulit. *Reſp.* Hoc eſt contradicere Spir. S. 2. Obtulit ſe ad mortem, ita ut aliud ſit hic mori; aliud, morti ſe offerre.

Obj. I. Nemo apud ſe poteſt eſſe Mediator. *Reſp.* Falſum, *Matth.* 18. 15. *Luc.* 8. *verſ.* 14. *Inſt.* Qui iratus eſt, non poteſt Mediatorem agere: At Chriſtus, qua Deus, iratus eſt. E. *Reſp.* Ex iſtis exemplis quæ attulimus, hæc quoque inſtantia refellitur.

Obj. II. Si Chriſtus eſt Mediator quatenus Deus, tum ſibi ſatisfecit. Abſurdum hoc. Nam nemo ſibi ſatisfacit. *Reſp.* Chriſtus ſecundum diverſas naturas ſatisfecit. Nam ratione humanæ naturæ pretium dedit; ratione vero divinæ naturæ accepit. *Inſt.* Si ſibi ſatisfecit, tum peccata nobis Deus non remiſit. Falſum poſterius. Ergo. *Reſpond.* Remiſit Deus, quia à nobis non exigit, ſed à Filio, quem nobis dederat, vide *Rom.* 3. 25, 26. *Eph.* 1. 7. *Inſt.* 1 *Tim.* 2. 5. Si homo Chriſtus Jeſus eſt Mediator, Ergo non eſt Deus. *Reſp.* Vocem iſtam *homo Chriſtus* eſſe concretam; adeoque ſignificare non naturam, ſed perſonam ex utraque natura conſtantem. *Inſt.* Imo ſecundum hoc Mediator eſt, ſecundum quod mortuus. At ſecundum humanam naturam eſt mortuus. Ergo. *Reſp.* Negat. quod tantum ſecundum eam naturam eſt Mediator. Nam eſt etiam ſecundum quam ſe à mortuis reſſuſcitavit, & ſecundum quam eſt judex univerſorum. *Inſtant*: At ibi Mediator contradiſtinguitur Deo. *Reſp.* Contradiſtinguitur, ſed quoad officium. Hinc non ſequitur: Si contradiſtinguatur Deo qua Mediator, Ergo non eſt Deus.

Obj. III. Secundum eam naturam Chriſtus eſt Mediator, ſecundum quam exercuit operationes mediatorias. Atqui ſecundum humanam naturam. Ergo. *Reſp.* Si minor ſumatur excluſive hoc ſenſu: Atqui Chriſtus ſecundum humanam naturam tantum. Tum negamus Minorem. Quia ad munus mediatorium requirebatur non tantum mors, ſed & valor. At vero mors eſt naturæ humanæ, valor autem mortis à divina eſt natura. *Inſtant*: Probatur Minor. Effectus humanæ non competunt divinæ naturæ. Pati & mori ſunt effectus humanæ naturæ. Ergo. *Reſp.* Poteſt totum dari. Neque enim nos dicimus Chriſtum eſſe mortuum ſecundum divinam naturam, ſed addidiſſe valorem morti.

Obj. IV. Pars offenſa non poteſt eſſe Mediator. Chriſtus qua Deus, eſt pars offenſa. Ergo. *Reſp.* Negatur Major, Quia pars offenſa poteſt eſſe Mediator, non quidem proprie, ſed analogice. Vide exemplum, *Luc.* 20. 13. *Matth.* 21. 36, 37. Major. *Prob.* Si nemo placat, tum pars offenſa non poteſt eſſe Mediator. Atqui. Ergo. *Reſp.* Iſta quæ dicuntur de Deo,

quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

quod ſe ipſum placare non poſſit, ſunt metaphorica; neque enim Deo proprie tribui poſſunt. Quia ira in Deum proprie non cadit. Si ergo proprie iſta efferantur, placare de Deo idem erit quod ſatisfacere. Et ſic dicimus, quod etiam ſibi pars offenſa poſſit ſatisfacere. Verbi gratia, Deus ipſe edebat ſacrificia in Veteri Teſtamento, & tamen per ea ſibi ipſi ſatisfaciebat, quia ſubminiſtrabat media.

Obj. V. Mediator apud Deum, eſt inferior Deo. Sed Chriſtus qua Deus, non eſt inferior Deo. Ergo. *Reſp.* Inæqualitas officii non tollit æqualitatem naturæ. Chriſtus non eſt inferior Deo ratione naturæ, ſed officii.

Obj. VI. Mediator debet diſtare ab utraque parte. At Chriſtus, qua Mediator, non diſtat à Deo; qua homo, non diſtat à nobis. E. *Reſp.* Argumentum ab etymologia petitum nullius eſt momenti. 2. Mediator non ſemper debet diſtare ab utraque parte. vide exemplum contrarium, *Matth.* 18. 15. 3. Negatur Minor. Chriſtus Mediator diſtat à Deo œconomice; à nobis autem, qua juſtus & ſanctus homo.

QUÆSTIO VII.

An Chriſtus ſit adorandus qua Mediator?

Reſp. Negat. Rationes negantes vide in Collegio noſtro, de Mediatore, *Diſputat.* 36, 37.

Obj. I. Si Chriſtus, qua Mediator, eſt objectum fidei: Ergo, qua Mediator, erit invocandus. Verum prius. Ergo & poſterius. Conſeq. certa. Minorem etiam affirmant Theol. noſtri, ut inter alios D. Ameſius in Medulla Theol. lib. 1, cap. de fide, ubi dicit, *Chriſtus, qua Mediator, eſt objectum fidei mediatum, non ultimum. Reſp.* Eſt objectum fidei, non *in quod*, ſed *propter quod* credimus in Deum. *Inſt.* Si Chriſtus perpetuo urget hoc, Qui credit in Filium, habet vitam æternam: Ergo urget, ut in ſe, qua Mediator eſt, credamus. Verum prius. Ergo poſterius. De Minore nullum eſt dubium. Conſequentia etiam certa. Nam quod loquitur Mediator, illud loquitur ut Mediator: ſed Chriſtus ut in ſeſe credatur, loquitur Mediator: Ergo etiam ut Mediator. *Reſpond.* Poteſt loqui Mediator, & interim non tribuere ſibi, quod loquitur quatenus Mediator. *Inſt.* Si per Chriſtum, quatenus Mediator eſt, accedimus ad Deum; Ergo in Chriſtum, qua Mediator eſt, credendum. Verum prius. Ergo & poſterius. Minor certa. Conſequentia patet; quia accedere nihil aliud eſt quam credere. *Reſp.* Accedimus ad ipſum, quia nobis aditum ſuo merito paravit, qui erat interclusus; non vero quia in ipſum credimus.

Obj. II. Si Chriſtus, qua Mediator, non eſt adorandus; tum noſtri non bene reſpondent ad argumentum Pontificiorum: dum dicunt, Sanctos non eſſe invocandos, Quia non ſunt Mediatores: At dicere hoc, inconveniens eſt. Ergo. *Reſp.* Non eo dicunt invocandum, quatenus Mediator: quia qui Mediator, Deus eſt. *Inſt.* Si Chriſtus non invocatur qua Mediator, Ergo ſine ipſo ad Deum accedemus. Abſurdum poſterius. Ergo & prius. *Reſp.* Accedere non poſſumus quidem ad Deum ſine ipſo, nec tamen invocando ipſo, ſed per & propter ipſum invocando Deo. *Inſt.* Si per & propter ipſum invocatur Deus: Ergo Chriſtus nobis illud eſt meritus, ut invocaretur Deus per & propter ſe ipſum. Verum prius. Ergo & poſterius. *Reſp.* Concedimus totum argumentum. *Inſtant* contra: Qui meretur aliquid, illud etiam debetur ipſi quod meretur: Sed Chriſtus meritus eſt, ut Deum invocemus: Ergo etiam ſibi illud debetur. *Reſp.* Non ſequitur, ut quod quis meretur, hoc ipſi deferatur; poteſt enim dux belli mereri regnum, non tamen pro ſe, ſed pro alio.

Obj. III. Si Chriſtus, qua Judex, eſt adorandus; Ergo etiam qua Mediator: Verum prius: Ergo & poſterius. Conſequentia certa: Quia judicem eſſe, eſt pars officii Mediatoris. Minor habetur *Rom.* 14. 11. *Reſp.* Non ut Judex, ſed ut Deus. *Inſt.* Si Sp. Sanctus affirmat Chriſto deferendum honorem quatenus judicabit; Ergo vanum eſt aliud ſtatuere. Verum prius. Ergo & poſterius. *Reſp.* Non quatenus judicabit, ſed quia judicabit; utque ſic τὸ *quia* non *rationem formalem*, de qua quæſtio, ſed *cauſam impulſivam* importet. *Inſt.* Eatenus flectetur ipſi omne genu, quatenus poteſtatem habet: Sed poteſtatem habet quatenus judicabit: habet

bet nimirum humanam poteſtatem qua Mediator eſt. *Reſp.* Flectetur ipſi omne genu, quatenus poteſtatem habet *abſolutam*, non *conceſſam*; ſed quatenus Mediator, habet poteſtatem conceſſam, non vero abſolutam. *Inſt.* Habeat poteſtatem conceſſam, omnis tamen poteſtas infert cultum: cultus autem hic erit aut civilis, aut religioſus. Non prior eſt. Ergo poſterior. *Reſp.* Eſt cultus ratione tabulæ ſecundæ.

Obj. IV. Propoſitiones ſcandaloſæ non ſunt proponendæ in Scholis: At Chriſtum, qua Mediatorem, non eſſe invocandum, eſt propoſitio ſcandaloſa: nam quid ædificationis aut conſolationis ex hac? Ergo. *Reſp.* Ut veritatem defendamus. *Inſt.* Veritas ſic debet defendi, ut nemo offendatur. At hic offenſa graviſſima apud plebem piam, quæ diſtinctiunculas non novit. Ergo. *Reſp.* Nulla eſt hic offenſio, ſi doctrina hæc modo recte explicetur. *Inſt.* Si hæc doctrina nullius momenti; cur, quæſo, proponitur? At eſt nullius momenti: quot enim millia fidelium moriuntur, qui iſtam quæſtionem non norunt? Ergo inutilis illa quæſtio. *Reſp.* Non norunt quidem diſtincte, ſed confuſe; ſæpe etiam diſtincte. *Inſt.* Imo omnes videntur contrarium ſentire, nam fiduciam collocant in ſanguine: qui autem fiduciam locat in ſanguine ejus, ille in ipſum credit qua Mediator, &c. *Reſp.* Colunt Chriſtum propter ſanguinem effuſum, non autem effuſionem ſanguinis rationem formalem cultus ponunt.

Obj. V. Quia quatenus Deus, eſt Mediator. Ergo quatenus Mediator, eſt adorandus. *Reſp.* Particula *quatenus*, vel *formalem rationem notat*, vel *ſubjectum*: Hic *ſubjectum* dicit, quemadmodum contra Stancarum dicimus: Chriſtus non ſolum qua homo, ſed etiam qua Deus, eſt Mediator. *Inſt.* Mediator involvit naturam divinam, quemadmodum Creator involvit naturam divinam in conceptu ſuo: Ergo ſicut Creator adoratur quatenus Creator, Mediator adorabitur quatenus Mediator: par enim utriuſque ratio. *Reſp.* Par utriuſque ratio, ac proinde ſicut Creatori cultum religioſum deferimus, ſed non ſub formali qua Creator, ſed qua Deus; pari ratione etiam deferimus Chriſto Mediatori cultum religioſum, ſed non ſub hoc formali quà Mediator. *Inſt.* Dicimus in Symb. *Credo in Deum Patrem Creatorem.* At quod eſt fidei objectum, eſt adorationis objectum. *Reſp.* Fides occupatur circa Creatorem, ſed non ſub hoc formali, qua Creator. Quia etſi nunquam creaturus erat, tamen adorabilis erat, quia æternus Deus; niſi Deum non dixeris, ſi non creaſſet. *Inſt.* Ei, qui edit operationes divinas, cultus divinus eſt deferendus ſub hoc formali, quatenus eas edit. Atqui Chriſtus in officio mediatorio edit operationes divinas, illuminat interne ut Propheta, ſalutem efficienter confert ut Sacerdos. E. ſub hoc formali adorandus. *Reſp.* Et hoc falſum, quod ſub hoc formali adorandus. Quia iſta quidem ſunt cauſæ impulſivæ, ſed non rationes formales. 2. Iſtæ operationes ponunt aliquid non in Deo, ſed in creatura, ut habet regula Scholaſticorum.

Obj. VI. Chriſtus, qua Mediator, eſt interceſſor. Si autem eſt interceſſor, Ergo adorandus. Si Pontificii eos quos falſo interceſſores putant, invocant; annon nos Chriſtum verum interceſſorem invocabimus? *Reſp.* Ut in omnibus iſtis argumentis, ita & in hoc aberratur à ſcopo. Fatemur enim, nos Chriſtum interceſſorem adorare, ſed non qua interceſſorem, ſed qua verum ac æternum Deum.

QUÆSTIO VIII.

Vtrum Chriſtus munus Propheticum exercuerit in V. T.?

Reſp. Affirm. Argumentum I. 1 *Pet.* 1. *v.* 11. Hic dicitur Spiritus Chriſti fuiſſe in Prophetis. Ergo. *Reger. Socin.* Spiritum Chriſti dici, quod de Chriſto annuntiaret, non quod Chriſti eſſet. *Reſp.* Refellitur hæc gloſſa, *Gal.* 4. 6.

II. 1 *Pet.* 3. 19. Chriſtus temporibus Noë prædicavit: Ergo munus Propheticum exercuit in V. T. *Reger. Pontif. & Luth.* Hoc factum fuiſſe cum deſcenderet Chriſtus ad inferos. *Reſp.* Inepta hypoth. præſupp. acſi Chriſtus localiter ad inferos deſcendiſſet, cum hæc, hiſtoria paſſionis Chriſti refellat. Nam à morte reddidit Deo Spiritum; caro vero in ſepulcro detinebatur.

III. 1 *Cor.* 10. 9. ubi expreſſe dicuntur

Chriſtum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Chriſtum tentaſſe in deſerto: unde ſequitur, Chriſtum Propheticum munus exercuiſſe. *Reger. Socin.* Non agi ibi de Chriſto; ſed dici, nos non debere tentare Chriſtum, ſicut veteres tentarunt Deum. *Reſp.* Inepte iſta componi; nam ſi Chriſtus, ut illi putant, eſt purus homo, tum conſequentia hic nulla erit, Nolite tentare Chriſtum; quia illi, qui tentarunt Deum, impune non habuerunt; neque enim eadem ratio eſt Dei & hominis.

Obj. I. *Matth.* 4. 17. Si cœpit Jeſus demum prædicare in N. Teſt. tum non exercuit munus in Vet. Teſtam. Verum prius. Conſequentia certa. *Reſp.* Cœpit prædicare, ut homo, non ut Deus erat. *Inſt.* Si ut homo, & non ut Deus; ſequitur quod antea etiam vitam & incorruptibilitatem in lucem produxerit Evangegelii. Hoc falſum. Ergo. *Reſp.* Dicitur hoc, quod magis manifeſtata ſit gratia illa; non vero quod ſimpliciter non fuerit propoſita, ut liquet vel ex ep. ad *Heb.* 11.

Obj. II. *Heb.* 1. 1. Ultimis temporibus nobis locutus in Filio. *Reſpond.* Locutus in Filio, non ſimpliciter, ſed in carne exhibito. *Inſt. Heb.* 2. 3. *Quomodo nos effugiemus* &c.? ubi oppoſitio inſtituitur inter fideles V. & N.T. in eo, quod illis non prædicavit Chriſtus, ſed nobis: E. non exercuit. *Reſp.* Neg. Conſeq. Nam dicitur nobis prædicare, non quod illis non prædicavit, ſed quod non tam clare, utpote qui inter nos verſatur, ſcilicet in carne.

Obj. III. *Deut.* 18. 15. Promittitur Propheta: E. non fuit. *Reſp.* Promittitur ſecundum humanam naturam, non ſecundum divinam. *Inſt.* Si fuiſſet ſecundum divinam, tum ipſius Prophetia alicubi eſſet conſignata: At nullibi &c. Ergo. *Reſp.* Quæ Prophetæ dixerunt, non proprio motu, ſed acti Spiritu Chriſti, dixerunt: Prophetia ergo Prophetarum, qui tantum fuerunt miniſtri, fuit Prophetia ipſius Chriſti.

QUÆSTIO IX.

Utrum vi ſatisfactionis Chriſti & meriti ejus, ſalvati ſint homines V. T.?

Reſp. Affirm. Argumentum I. *Act.* 15. *v.* 11. *Credimus, nos ſervari gratia Chriſti, ut illos:* ubi reſpicit ad Patres; Ergo ex merito Chriſti ſalvati ſunt in V.T. *Reger. Socin. Illos*, non debere referri ad *Patres*, ſed ad *Gentes*. *Reſp.* Comparationem hic eſſe inter ſalutem V. & N.T. Ergo ad Patres referenda.

II. *Col.* 1. 20. Si omnia reconciliata; Ergo & Patres V. T. vi ſatisfactionis Chriſti ſalvati ſunt. Conſeq. Nam nunquam Angeli boni Deo inimici fuerunt. Ergo intelligitur de Patribus. *Reger. Socin.* Quod ibi intelligantur Angeli, qui erant hoſtes facti hominibus propter peccatum hominum; & putant, ſe hoc poſſe probare ex *Eph.* 1. 10. *Reſp.* Inepte, neque enim hoc probat. Nam recolliguntur fideles in Chriſtum, qui fide conjuncti ſunt: loquitur ergo de hominibus.

III. *Apoc.* 14. 13. *Beati qui moriuntur in Domino* &c. Unde ſic: Aut fideles V.T. mortui ſunt in Domino, aut non; ſi non, Ergo pereunt: ſi mortui in Domino, Ergo merito Chriſti ſalvati. *Reger.* Hæc dici tantum de hominibus N. T. *Reſp.* Si non in Chriſto moriuntur, nec in eo vivificabuntur, & ſic periere. Conſeq. ratio manifeſta, 1 *Cor.* 15. 18, 19.

Obj. I. Chriſtus non erat mortuus; E. non poterant per eum ſervari. *Reſp.* Cauſæ meritoriæ eam eſſe vim, ut antequam exiſtat, modo eſſe cognitum habeat, effectum ſuum habere poſſit; ut in vita communi manifeſtum. *Inſt.* Si ita eſt; Ergo non Chriſtus primus aſcendit in cælum, ſed fuerunt quidam ante ipſum. At dicitur *Ioan.* 3, *Nemo aſcendit in cælum* &c. *Reſp.* Simpliciter hoc non eſſe intelligendum: nemo aſcendit in cælum *propria vi, ſed aliena*: ut dicitur de Lazaro, *Luc.* 16, Deportatus ab Angelis.

Obj. II. *Heb.* 11. 39. Hi ordinati per fidem, non obtinuerunt promiſſa, Ergo nec vitam æternam. *Reſp.* Loqui ibi de Chriſto, & illis quæ ad cognitionem ejus perfectam pertinebant. vide 1 *Pet.* 1. 12. *Inſt. v.* 40. Non abſque nobis conſummati: Conſummatio autem demum in vita futura erit. Ergo. *Reſp.* Nihil minus; nam agitur de cognitione myſteriorum ſalutis, quæ nobis demum indicata exhibitione Chriſti.

Obj. III. Si ſalvati vi ſatisfactionis Chriſti, cur ergo expetiverunt diem ipſius videre? Sed expetiverunt; quia ante illum exhibitum per eum non ſalvati. Minor: *Multi Prophetæ*, &c.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Reſp. Non ea eſt cauſa, ſed voluerunt pleniorem cognitionem myſteriorum habere ſalutis noſtræ, quam etiam ipſi Angeli cupiunt 1 *Pet.* 1. 12. *Inſtant*: Illi neſciverunt Chriſtum reſſuſcitandum. Ergo dici non poteſt, illos vi meriti Chriſti ſalvatos, *Ioan.* 20. 9. *Reſp.* 1. Loqui ibi de Apoſtolis quibuſdam, non vero de fidelibus V. T. omnibus. 2. Apoſtoli quoque ſciebant Chriſtum moriturum, & ſciebant reſurrectionem mortuorum; ſed modum ignorabant, & tempus reſurrectionis ipſius.

QUÆSTIO X.

Vtrum Chriſtus ſit proprie dictus Sacerdos?

Reſp. Affirmat. Argumentum I. *Heb.* 5. vbi vera definitio Sacerdotis ponitur, & applicatur Chriſto. *Reger. Socin.* Sacerdotem typicum applicari antitypico. At antitypus non eſt ejuſdem generis cum typo. *Reſp.* Non eſt ejuſdem generis in *ſpecie*, ſed in *genere* eſt: nec definitio datur Sacerdotis in ſpecie, ſed in genere.

II. *Heb.* 8. 3. Omnis Pontifex ad offerenda dona & victimas conſtituitur: unde neceſſe fuit hunc quoque habere quod offerret. Ea argumentatio nullius eſſet momenti, ſi Chriſtus non eſſet vere Sacerdos. *Reger. Socin.* In eo Chriſtum Pontifici legali comparari, quod uterque habeat quod offerat; non vero in modo proprio offerendi. *Reſpond.* Fallitur. Nam Paulus de vera oblationis ratione, quæ pertinet ad Pontificem, loquitur. Proinde conſequentia eſt, Paulum velle, Chriſtum vere & non metaphorice offerre, quia offert hic ut omnis Pontifex.

III. Ibidem teſtatur Paulus, Chriſtum non quomodocumque Sacerdotem, ſed ſecundum ordinem Melchiſedech. *Reger. Socin.* Chriſtum quidem eſſe Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech, ſed non proprie dictum Sacerdotem. *Reſp.* At Melchiſedech proprie dictus fuit Sacerdos: Ergo & Chriſtus; ſiquidem ejuſdem ordinis.

Obj. I. *Heb.* 2. 17. ubi dicitur, Chriſtum debuiſſe per omnia fratribus aſſimilari, &c. Hinc infert Socinus, prius Chriſtum eſſe paſſum, & mortuum, quam fuerit ſummus Pontifex. *Reſp.* At dicitur non ſimpliciter, ut fieret Pontifex, ſed ut miſericors & fidelis: aliud autem eſt fieri Pontificem abſolute; aliud, fieri miſericordem: Scriptura ergo ait, Chriſtum debuiſſe aſſimilari, in omnibus, ærumnis nempe, & calamitatibus; non ut Pontifex fieret, ſed ut miſericors: omnium ærumnarum experientia facit ad miſericordiam ejus, *v.* 18. *Inſt. Heb.* 4. *v.* 14: Habentes Pontificem magnum, qui penetravit cælos: unde, antequam cælos penetraſſet, non fuit Pontifex. *Reſp.* Non ſequi; ſed ſaltem hoc, Chriſtum etiam in cælis eodem officio fungi.

Obj. II. *Heb.* 7. *verſ.* 26, Talem eſſe noſtrum Pontificem, qui excelſior factus cælis: Ergo neceſſe fuit, cælis ſublimiorem fieri, ſi Pontifex eſſe voluit; & ſic improprie dictum eſſe Pontificem: Nam in cælis non ſacrificat. *Reſp.* Non ſequitur, Debuit ſublimior fieri cælis, Ergo tum cœpiſſe eſſe Pontificem, cum factus ſublimior. Nam etiam ante Pontifex fieri potuit. *Inſt. Socin.* Quis, inquit, non intelligit, Chriſto ea non competere, quæ olim legalis Sacerdos faciebat? E. non eſt Sacerdos. *Reſp.* Iterum non ſequi: quaſi qui non ſit proprie dictus Sacerdos legalis, non poſſit proprie dici Sacerdos. Si ita eſt, nec Melchiſedech erat proprie dictus Sacerdos, quia non erat legalis Sacerdos.

Obj. III. Si fuit proprie dictus Sacerdos; Ergo erat in terra: At non fuit; ita enim Sp. Sanctus loquitur ibidem *verſ.* 14. Si eſſet Sacerdos ſuper terram, non eſſet Sacerdos, cum deberet offerre ſecundum Legem Sacrificia. *Reſp.* Mentem Scripturæ evertit Socinus, quæ non aſſerit, qui ſuper terram eſt Sacerdos, non eſſe Sacerdotem; cum hoc contradictionem implicet: Sed hoc ſolum dicere vult, Si Chriſtus tantum ſuper terram Sacerdos eſſet, non fuiſſet futurus Sacerdos; quia nimirum in ſacerdotio legali figurabatur, qui non ſolum coram Sanctuario, ſed & in ipſo Sanctuario, cui reſpondet cælum, Pontificis munere fungeretur. *Inſt.* Si Sacerdotium Chriſti phraſi interpellandi proponitur in Scriptura, tum non fuit proprie Sacerdos: Nam actio interpellandi non eſt ſacrificium offerre. *Reſp.* Falſum eſſe, per actionē interpellandi apud Patrem, totum Sacerdotium comprehendere Scripturam; ſed tantum docere, Chriſtum per-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ſacto in terra ſacrificio, cælum aſcendiſſe, ut ibi ſe ipſum tanquam novum ſacrificium perpetuo in conſpectu Patris repræſentaret, prout Sacerdotes legales faciebant in Sancto Sanctorum, offerentes ſacrificium expiatorium quotannis.

QUÆSTIO XI.

An Chriſtus in terris ſe obtulerit Sacrificium?

Reſp. Affirm. Argumentum I. *Eph.* 5. 2. ubi expreſſe docetur, Chriſtum in cruce ſe ipſum pro nobis tradidiſſe hoſtiam & oblationem Deo. *Reger. Socin.* Illa verba, *oblationem & hoſtiam*, cum verbo *tradidit* non eſſe conjungenda; ſed eſſe illuſtrationem & commendationem operis Chriſti, quod ſe ipſum tradiderit. *Reſp.* Vanum eſſe, cum aliud verbum non habeant à quo regantur; & niſi hic conjungantur, nullum ſenſum accipiemus.

II. *Heb.* 1. 3: *Purgatione peccatorum per ſemet ipſum facta, ſedit ad dextram Majeſtatis in cælis.* Certum vero eſt, ſecundum Scripturas, non niſi ſacrificio purgationem peccatorum perfeciſſe. Quia Scriptura teſtatur non alium modum tollendi peccata, quam per ſacrificium, *Heb.* 9. 22. *Reger. Socin.* Non exprimi hoc loco, ubi ſit facta iſta purgatio: imo ex hoc loco conſtare, tunc factam, cum conſedit ad dextram. *Reſp.* Falſum hoc. Nam expreſſe habemus, quod ante ingreſſum in cælum, *Heb.* 9. 12. Antequam autem in cælum ingrederetur, non niſi in terra fuit.

III. Scriptura teſtatur paſſim, Chriſtum ſe ſemel ſacrificaſſe, *Heb.* 7. 27: & 9. 20: & 10. *verſ.* 10. Quæ loca cum de cæleſti oblatione nullo modo intelligi poſſint, de ſacrificio in terra intelligenda ſunt. *Reger. Socin.* Perpetuo poſſe offerre dici, quatenus nulla repetitione opus eſt, ſed actio unica perpetuo durat. *Reſpond.* Contrarium patet *Heb.* 9. 28. quia, ſi repeteret, oporteret Chriſtum pati frequenter ab origine mundi: E. loquitur de ea oblatione, quæ in terra, non quæ in cælis facta.

Obj. I. *Heb.* 9. Sicut (*inquiunt*) Pontifex legalis non niſi in Sanctum Sanctorum ingreſſus, ſacrificium illud anniverſarium perfecit; ſic etiam Chriſtus, non niſi in cælum ingreſſus, ſacrificium ſuum peregit. *Reſp.* Falſum hoc. Nam clariſſime ſacrificia erant, quæ quotidie fiebant, & Chriſtum præfigurabant; interim ſanguis ipſorum non inferebatur in Sanctum Sanctorum, ſed ſolum ſacrificium anniverſarium ſemel. *Inſt.* Oblatum tamen eſſe iſtum ſanguinem, ac proinde ſacrificium non eſſe. *Reſp.* Duplex eſt oblatio in ſacrificio: 1. Eſſentialis, ut cum Abraham offerret filium, volens eum occidere. Altera eſt ſuperveniens ſacrificium, nempe cum ſacrificium Deo factum repræſentatur, ut ſit acceptum & gratum. At omnia offeruntur, quæ ex illo ſacrificio dependent: Itaque unica oblatio in terrâ facta, alia in cælo.

Obj. II. Heb. 10. 5. *Ideo ingrediens mundum* &c. Ita vero explicat hunc locum, acſi de ingreſſu Chriſti in cælum intelligeretur; mundi enim nomine cælum intelligere vult, in quem Chriſtus ſe intulit. *Reſp.* Temerarius eſt Adverſarius. Nam mundus abſolute dictus, non niſi mundum hunc ſignificat: ſi vero per hoc intelligatur cælum, vel additur particula *novum*, vel circumſtantia aliqua, ex qua colligi poteſt: quod hic nihil. *Inſt.* Hoc loco is mundus intelligitur, in quem Chriſtus ingrediens ſe offert: hic autem non eſt præſens, ſed futurus. Nam ingrediens in mundum, non ſtatim ſe obtulit. *Reſp.* Nec Chriſtus dixit ſe ſtatim oblaturum in ſacrificium.

Obj. III. De hoc Scriptura nullibi agit, præterquam in ep. ad Hebræos. *Reſp.* Inepti ſunt qui putant non ſufficere vel unicum Spir. Sancti teſtimonium. *Inſt.* Si ſe in mortem obtuliſſet, non potuiſſet eſſe Sacerdos; quia qui interficitur, ab alio interficitur, & ſic oportet in ſacrificio. *Reſp.* 1. Non neceſſe erat, ut ille ipſe interficeretur, qui offerebat. 2. Aliud fuit quod obtulit; & aliud, qui obtulit: obtulit divina natura, oblata eſt humana.

QUÆSTIO XII.

Vtrum mortem temporalem Chriſtus vice noſtri ſuſtinuerit?

Reſp. Affirm. Argumentum I. *Matth.* 20. 28. ubi expreſſe dicitur dare animam ſuam pro multis. *Reg. Soc. Pro* ibi non ſignificare *vice*, ſed *bono*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

alicujus animam dare. *Reſp.* Falluntur. Nam dare pretium animæ, ſignificat vice alicujus mori; Neque enim qui bono alicujus moritur, dicitur dare pretium pro eo, cujus bono moritur, *Ioan.* 3. *v.* 16.

II. *Ioan.* 10. 15. *Animam pono pro ovibus.* Si animam dat, Ergo mortem ſuſtinet. *Reger. Socin.* Rurſus *pro* ſignificare non *vice*, ſed *bono*. *Reſp.* Refellitur *Ioan.* 10. 50. ubi verba iſta; *conducit nobis, ut unus moriatur pro populo,* &c. oſtendit mori *pro* populo, idem eſſe, quod *vice* noſtri.

III. *Rom.* 5. 6. ubi dicitur, quod Chriſtus, cum nullis adhuc viribus eſſemus, pro impiis mortuus. Socinus eodem refugio utitur, ſed fruſtra. Nam refellitur ex *cap.* 7. Pro bono viro forſan aliquis mori ſuſtineat; at pro impiis vix quiſquam moritur: ubi *pro* expreſſe pro *vice*; eadem ſignificatione vero & nos ſumere oportet.

Obj. I. Chriſtus pro nobis mortuus eſt; Ergo nobis non moriendum: Poſterius falſum. *Reſp.* Nos mori, non ut ſatisfaciamus pro peccatis noſtris, ſed ut in nobis aboleatur corpus peccati, *Rom.* 6. *v.* 6. *Inſt.* Si Chriſtus mortuus eſt vice noſtri, utique ſuſtulit mortem; ſi ſuſtulit, amplius non eſt. *Reſp.* Suſtulit, *non ut non ſit*, ſed ut non ſit *pœna*. Hinc *Eccleſ.* 7, dicitur, diem mortis meliorem, &c.

Obj. II. Si Chriſtus debuit mori propter ſe, tum non propter nos. Minor; quia ſi debuit ingredi in regnum cælorum, debuit mori, 1 *Cor.* 15. *Caro & ſanguis,* &c. *Reſp.* Per carnem ibi intelligitur *depravatio naturæ*, non *altera pars eſſentiæ* quælibet, *Iob.* 19. *Inſt.* Si Chriſtus retinuiſſet carnem, tum utique non dixiſſet Paulus, 2 *Cor.* 7, *Se non amplius noſſe Chriſtum ſecundum carnem.* *Reſp.* Phraſi hac ſignificare Paulum, Chriſto ſe adhæreſcere, non ex eo, quod hinc vel illinc genus ſuum ducat, ſed quod Mediator ſit, & caput Eccleſiæ: hunc autem ſenſum eſſe, patet ex antecedente, alioqui nullus tunc habuiſſet carnem, quia dicit: *Neminem novimus ſecundum carnem.*

Obj. III. Chriſtus habuit corpus mortale: E. moriendum ipſi fuit ex conditione naturæ: Ergo non vice noſtri mortuus. *Reſp.* Chriſtus non erat peccator, Ergo nec habebat corpus mortale. At non ob ſua peccata fuit peccator: Ergo & peccator propter nos fuit; & vice noſtri mortuus eſt. *Inſt.* Præſupp. hypoth. falſa, quod mors temporaria ſit propter peccatum. *Reſpond.* Omnino verum, *Rom.* 6. 13.

QUÆSTIO XIII.

Vtrum Chriſtus mortem æternam vice noſtri ſuſtinuerit?

Reſp. Affirm. Argumentum I. *Heb.* 2. *v.* 14. *Per mortem abolevit eum, penes quem mortis erat robur.* Si per mortem abolevit, Ergo aut per mortem temporariam aut æternam. Non per alterutram. Quia ſic non plene aboleviſſet, cum nos obnoxii eramus utrique morti. *Reger.* Imo unius tantum mortis mentio fit, non multarum. *Reſp.* Unius mortis fit mentio; in genere tamen intelliguntur omnes mortes. vide *Eſa.* 53. *v.* 9. ubi in Hebræo dicitur *mortes.*

II. Chriſtus factus eſt execrabilis: E. ſuſtinuit pœnas gehennales: Ratio, quia, qui eſt exſecrabilis, eum pœna æterna manet, *Matth.* 25, Ite maledicti. Minor, *Gal.* 3. 23. *Reger. Socin.* Factus execratio reputatione hominum; non reipſa, ut dicit de ſe Bathſeba, 1 *Reg.* 1. 21. *Reſp.* Vanum hoc. Nam Chriſtus factus eſt execratio ex Lege, ut ex loco patet.

III. Chriſtus paſſus eſt pœnam damni & ſenſus: Ergo pœnas gehennales. Nam qui partes ſuſtinet, ſuſtinet totum. Pœnam damni probo, *Matth.* 27. 46. *Reger.* contra hanc partem, Chriſtum divinitus nunquam fuiſſe deſertum: quia verus Deus, & verus homo. *Reſp.* 1. Hoc Chriſtum eſt accuſare mendacii: quod blaſphemum. 2. Deſertus fuit, non quidem *quoad diſſolutionem hypoſtaſeos*, ſed *quoad gratiam*, quam non ſentiebat pro hoc tempore. Pœnam ſenſus ſuſtinuit, ut liquet *Matth.* 26. *v.* 38. *Reger.* Si ſic eſt, nunquam potuiſſet ita compoſita mente eſſe coram Pilato. *Reſp.* Pœnam gehennalem per intervalla ſuſtinebat; ut, dum precatur in cruce exiſtens: *Deus mi* &c.

Obj. I. Non erat neceſſe, ut mortem gehennalem ſuſtineret. Quia minima Chriſti paſſio poterat ad hoc ſuffeciſſe ut lueret omnia noſtra

peccata,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

peccata, cum hæc paſſio fuerit Dei. *Reſp.* Si ſpectetur *dignitas perſonæ*, poterat hoc fieri: ſi vero ſpectetur *veracitas commination is divinæ*, quæ erat, *morte morieris*, tum certè non poterat ſatisfieri. *Inſt.* Quicquid ſit, ſi perſona Chriſti ad tempus exiguum habebat hanc vim, ut eſſet infiniti valoris; cur non & minima paſſio habitura eſſet eandem vim? *Reſp.* Hæc eſt ratio; quia Chriſtus debebat mortem viciſſe: quod utique non fuiſſet factum, niſi mortem ſuſtinuiſſet.

Obj. II. Hoc planè abſurdum, innocentem pro nocente punire: hoc Deus teſtatur, *Ezech.* 18. 20. *Reſp.* Nemo punitur *invitus* pro altero; ſed ſi quis ſe offerat, puniri poteſt. *Reger.* Si in Scripturis nunquam legitur, quemquam in capitalibus vadimonium præſtitiſſe; tum reſponſum non ſtat. At hoc verum. Ergo. *Reſp.* Negat. Anteced. vide *Gen.* 42. 37. 1 *Reg.* 20. 39, 40.

Obj. III. Si Chriſtus ſuſtinuiſſet mortem gehennæ, tum in æternum retineretur in morte: Abſurdum hoc. *Reſp.* Suſtinuit pœnam gehennalem non *duratione*, ſed *eſſentia*. *Inſtant:* Imo Theologi docent, æquivalentem. *Reſp.* Æquivalentem non quoad *durationem*, ſed quoad *eſſentiam* & *naturam*. Dubium poteſt reſurgere circa hoc: 1. *An mors Chriſti potuerit eſſe ſatisfactio?* & *an ſatisfactio potuerit eſſe meritum?* Ratio dubitationis de ſatisfactione, triplex eſſe poteſt. 1. Quod juſtitia Dei pœnam exigebat ab eo, qui peccavit: *Animæ quæ peccaverunt*, &c. 2. Quod eadem exigebat pœnam culpæ parem, æqualem; æternam quippe mortem. 3. Quod Scriptura nuſquam videtur nobis ſatisfactionem tradere. De merito, dubitationis ratio eſt duplex: 1. Quod nulla ſatisfactio videtur poſſe eſſe meritum, cum ſatisfactio ſit opus debitum, ſeu ſolutio debiti de jure. 2. Scriptura non videtur docere hoc meritum. *Reſp.* Verum quidem, quod ſudores, Chriſti non potuiſſent eſſe ſatisfactio, ſi Deus ſecundum ſtrictam ſuam juſtitiam, non intercedente moderamine ἐπιεικείας, pœnam à nobis exegiſſet: ſic enim non potuiſſet peccatum in alia perſona punire, nec potuiſſet alterius ſatisfactionem acceptare; ſed quia exactio pœnæ moderata erat temperamine ἐπιεικείας, potuit loco noſtri alium ſubſtituere, qui per mortem ſatisfaceret pro nobis, & ſic ejus mortem pro ſatisfactione acceptare: Unde, quia id non alius, quàm Chriſtus, per mortem præſtitit; merito ejus mors ſatisfactio dicitur. Quod vero æqualitatem & paritatem pœnæ attinet, etſi quoad durationem non paſſus eſt mortem æternam; tamen propter perſonæ morientis dignitatem, æquivalentem æternæ. 3. Negatur, in Scriptura non exſtare ſatisfactionem Chriſti pro nobis, *Eſa.* 53. *Rom.* 2. Quod meritum attinet, etiamſi nomen meriti non expreſſe exſtet; tamen phraſes aliæ hoc exprimentes exſtant: quales ſunt, *Sanguine ſuo redemit: Reconciliati ſumus Deo per ſanguinem: Sanguine ſuo acquiſivit Eccleſiam.* Expendenda hic veniunt Bellarmini argumenta pro theſi negante.

Arg. *Bell.* I. Si Scriptura noſtram ſalutem Chriſti morti & ſanguini tribuit; tum non poteſt dici, Chriſtum pro nobis pœnas infernales ſuſtinuiſſe. Verum prius. Ergo. *Reſp.* Concedimus libenter, quod in Scriptura ſalus noſtra ſanguini Chriſti tribuatur, ſed tamen & morti tribuitur: quod Bellarminus addit, & rectè. Nam mors quando indefinitè ponitur, non tantum temporalis, ſed & æterna, i. e. gehennalis intelligitur.

Arg. *Bell.* II. Si Chriſtus continuè ab illa oratione in horto, uſque ad mortem dolores infernales paſſus fuiſſet, tum deſperaſſet, & non dediſſet tot ſigna fiduciæ ſuæ &c. Atqui. Ergo. *Reſp.* Major, ut & Minor, eſt falſa. Non enim continuo patiebatur Chriſtus; quia dum duceretur ab uno ad alium, tum pacatus fuit. 2. Falſa quoque conſequentia, Si ſuſtinuit mortem æternam, ergo non edidiſſet ſigna confidentiæ. Non ſequitur. Diſtinguendum enim inter eum qui pœnas infernales ſuſtinet & illis par non eſt; & talis deſperat: & inter eum qui per ſe eſt ferendo, illasque ſuperat & diſcutit; & talis edit ſigna confidentiæ & fiduciæ ac fidei ſuæ, qualis fuit Chriſtus. Ut autem magis appareat quid velimus, ſæpe fit in fidelibus, ut dolores ac cruciatus infernales ſentiant, neque tamen deſperent, dum ſc. in tentationibus verſantur, & ſenſu gratiæ Dei deſtituuntur, & iram Dei horribilem vident. Quod quid aliud eſt, quam ipſiſſimæ pœnæ infernales? quamquam gradu differant ab illis, quas impii patientur, & tamen ſigna fiduciæ ſuæ clariſſima edunt; ut vel ex Davide patet, & mirabili

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

rabili ejus luctu, *Pſal.* 77. Hinc etiam dicitur, Dominus eſt qui deducit ad inferos & reducit, 1 *Sam.* 2. 6. quod præcipue de tentationibus, quibus pii vexantur, intelligendum eſt.

Arg. *Bell.* III. Si Chriſtus dolores animi pro nobis ſubiit, tum debuit fieri aliqua illius beneficii commemoratio, aut ſacramentum. At non eſt. Ergo. *Reſp.* Fuit commemoratio, ut Vet. Teſt. holocauſta comburerentur: quare vero, niſi ad hoc ſignificandum? 2. Sacramentum Cœnæ etiam hoc ipſum oſtendit. Ita enim ſacra Cœna inſtituitur, non ſimpliciter, ut nobis ibi corpus datur, ſed ut corpus Chriſti pro nobis traditum. At corpus pro nobis traditum, erat execrabile, hoc eſt, illius, qui factus eſt pro nobis execratio, & execrabilem mortem ſubiit. Execrabilis autem mors infert ſecum & pœnas æternas.

Arg. *Bell.* IV. Si articulus iſte ſymboli Apoſtolici, Deſcendit ad inferos, de pœnis infernalibus eſt intelligendus; tum ſequitur, nullam connexionem fieri in ſymbolo. At hoc abſurdum. Ergo. *Reſp.* Præſupponitur quod ſymbolum, Apoſtolicum quod vocatur, ſit ab Apoſtolis conſcriptum. Cum non vocetur Apoſtolicum, quod illi ipſi illud ſcripſerint, ſed quod Apoſtolicam contineat doctrinam. 2. Negatur Conſequentia. Quia optima erit præcedentium cum articulo de deſcenſu connexio, ſi præcedentes articuli ſumantur de Paſſionibus quæ oculis cerni poterant, & aſpectabiles erant: ſequens vero articulus ſumatur de paſſionib. Chriſti quæ in oculos non incurrebant.

Arg. *Bell.* V. Mors æterna non potuit in Chriſtum cadere. Quia mors æterna eſt ſeparatio à Deo. At Chriſtus non eſt ſeparatus à Deo. Ergo. *Reſp.* Diſting. Chriſtus non poterat à Deo ſeparari, quoad eſſentiam; potuit tamen, quoad ſenſum favoris & gratiæ Dei.

QUÆSTIO XV.

An Chriſtus deſcenderit ad Lymbum Patrum?

Reſp. Bellarminus affirmat, motus hiſce argumentis. I. Si animæ juſtorum, ante Chriſti aſcenſionem non fuerunt in cælo, ſed in carcere inferni; ſequitur, eo Chriſtum deſcendiſſe. Atqui. Ergo. *Reſp.* 1. Negatur conſequentia. Nam licet detur, ibi fuiſſe; non tamen ſequitur, ergo Chriſtus eo deſcendere debuit. 2. Minor falſa. Ille *probat* Gen. 37. 35: Si Scriptura innuat, Joſephum & Jacobum, qui pii erant, deſcendiſſe in infernum, tum vera eſt Minor. Atqui. Vide locum. Ergo. *Reſp.* Antecedens falſum. Scriptura allegata id non ſtatuit. Quia per infernum non intelligit locum damnatorum, ſed ſepulcrum. *Inſt.* Illud ipſum intelligit Jacobus per infernum, quo putabat deſcendiſſe filium. At non intellexit ſepulcrum, quia devoratum putabat filium à beſtiis. *Reſp.* Particula iſta אל *el* in Hebræo textu ſumitur vel pro *ad*, vel pro *propter*, ut 1 *Sam.* 1. 27. Sic hic quoque accipitur. Quaſi dicat, Eo quod intelligam, filium meum tam miſere periiſſe, ideo & ego ſuperſtes non ero, ſed moriar. *Inſtant:* Sicut *Num.* 16. 32. vox שול accipitur, ita & hic. Sed ibi pro *inferno.* Ergo & hic. *Reſp.* Negatur conſequentia. Quia una eademque vox diverſimode ſumi poteſt diverſis locis, pro ſubjecta materia. 2. Negatur Minor. Quia revera ibi debet ſepulcrum intelligi, ut mox explicatur: *Et obruit eos humus*, &c. *Inſt.* 3. Si terræ ſuperficiei duo diſtinctiſſima loca apponantur, ſc. cælum & terra profundiſſima; tum per vocem שול non poteſt intelligi ſepulcrum. Quia ſepulcrum vix duobus palmis ſæpe abeſt à terræ ſuperficie. Verum prius, *Pſal.* 139. 8. Ergo. *Reſp.* Vide Ameſii Bellarm. Enervatum. lib. 2, de Chriſto, cap. 2, de deſcenſu Chriſti ad inferos, pag. 98, theſi 22. *Inſt.* 4. *Eſa.* 14. 14, 15. Vox שול hic non poteſt accipi pro ſepulcro. Nam ſive de Diabolo locus ſumatur, Diabolus in inferno eſt, non in ſepulcro: ſive de rege Babyloniæ, non pro ſepulcro ſumetur, quia periret antitheſis. Dicitur enim rex cariturus ſepulcro. *Reſp.* 1. Eſt ignoratio Elenchi. Nam deberet probare, Patres fuiſſe in Lymbo: ille vero probat fuiſſe in שול, hoc eſt, ipſo interprete, in inferno. 2. Locus ille agit de Nebucadnezare, qui ex Patribus non erat. Deinde non dicitur, rex caruiſſe ſepulcro, ſed more regum eum non debuiſſe ſepeliri.

Arg. II. *Luc.* 16. 26. Si anima Abrahæ, Lazari, & divitis, in eodem loco fuerunt, tum non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

non fuerunt in cælis. Atqui. Ergo. Minor probatur. Si inter locum damnatorum & beatorum nil ſolidi interjacet, tum erant in eadem voragine. Prius oſtendit vox *hiatus*; quia in hiatu nil ſolet eſſe ſolidi. *Reſp.* Argumentum hoc peti à materiali parabolæ, non vero à formali; quod abſurdum. Argumentum enim ex parabola ductum, niſi ex ſcopo ducatur, nihil valet. Si enim liceret argumentari à materiali, tum dicendum foret, Lazarum ibi habuiſſe linguam, oculos, &c. 2. Non dicitur fuiſſe in eadem voragine, ſed hiatus fuit inter eos.

Arg. III. 1 *Sam.* 28. 13. Si anima Samuelis apparens Saüli è terra aſcendit, non erat in cælo. Atqui. Ergo. *Reſp.* Non agi loco citato de vero Samuele, ſed de phantaſmate Diaboli, Samuelis ſpeciem referente. *Inſt.* 1. Fuiſſe verum Samuelem, quia ibi ſæpiſſime introducitur, *Dixit Samuel. Reſp.* Non ſequitur tamen inde, verum Samuelem fuiſſe; quia etiam *Gen.* 3, *Serpens dixit*; & tamen Diabolus erat. *Inſt.* 2. Dicitur quod Saül agnoverit Samuelem; ſi verus non fuiſſet, dixiſſet Spiritus S., Putavit eſſe Samuelem. *Reſp.* Nec hoc quicquam efficit. Nam, *Gen.* 18, idem de Abrahamo dicitur: nec tamen verum fuit quod ille agnovit, ſed agnovit Angelos pro viris, prout apparuerunt.

Inſt. Prædicare futura & quidem vera, non competit Diabolo. Atqui hæc talia fuerunt *v.* 19. Ergo. *Reſp.* Negatur Minor. Quia etiam Diabolus ex revelatione divina poteſt prædicare vera, ut juſto Dei judicio homines faſcinet.

Arg. IV. *Zach.* 9. 11, dicuntur vincti emiſſi è carcere per Chriſtum, Ergo non fuerunt in cælo. Quod autem ibi loquatur de Chriſti temporibus, apparet ex eo, quod mentionem faciat ſanguinis federis. *Reſp.* Locus ille agit primo de captivitate Babylonica, & liberatione ex ea. Probatio de ſanguine federis nihil facit contra nos. Nam nullum nobis beneficium datur abſque ſanguine federis, ſiquidem & temporalia bona ſunt pignora gratiæ Dei.

Arg. V. *Heb.* 9. 8. Ad quod nondum erat patefacta via, ad illud nemo pervenit. Sed ad cælum, &c. E. *Reſp.* Patefactio loco citato non ſimpliciter accipitur. Sed de gradu excellentiori. Mos enim eſt Spiritui Sancto, ut, cum aliquid dicitur, clarius fieri in Scriptura, id ipſum dicatur fieri, non quod antea non fuerit, ſed quod jam magis clarum ſit.

QUÆSTIO XV.

An Chriſtus ſibi gloriam corporis, & exaltationem nominis ſui morte ſua meruerit?

Reſp. Negat. *Bellarminus affirmat* hoc argumento: Propter quod, nomen datum eſt Chriſto ſupra omne nomen, illud ſibi meruit Chriſtus. Atqui. Minor probatur, *Phil.* 2. 8. *Reſp.* Minor negatur. Neque locus allegatus quicquam facit ad probationem theſeos; quia non dicitur *propter*, ſed tantum *propterea*, *quapropter*; quod non eſt cauſale, ſed illativum, non conſequentiæ, ſed conſequentis. *Inſtant:* Heb. 2. 9. *Sic Ieſum illum cernimus gloria & honore coronatum, qui pauliſper fuit inferior Angelis factus, propter mortis perpeſſionem, ut beneficio Dei pro omnibus mortem guſtaret.* Hic, inquit, eſt *propter*. *Reſpond.* Duplex poteſt eſſe ſenſus hujus verſiculi, vel ut τὸ *propter mortis perpeſſionem* referatur ad antecedens, nempe *coronatur gloria*; vel ad conſequens, *quod fuerit factus inferior Angelis*. Ille prius, nos poſterius ſtatuimus. Et, ut hoc ſtatuamus, poſtulat ipſe textus; quem ſi quis ſedulo inſpexerit, facile illi hoc patebit.

QUÆSTIO XVI.

An Chriſtus pro ſe paſſus ſit?

Reſp. Negat. Quia ut non ſibi, ſed nobis natus, *Eſa.* 9; ita nec ſibi vel pro ſe paſſus dicendus eſt.

Obj. Si Chriſtus peccator, E. etiam pro ſe debuit pati. *Reſp.* Chriſtus peccator eſt *ex imputatione* peccatorum noſtrorum; non *inhærenter* & ex propriis peccatis. *Inſt.* Eo modo fuit peccator, quo modo nobis acquiſivit juſtitiam. Sed nobis inhærentem acquiſivit juſtitiam. Ergo. *Reſpond.* Sumus juſti coram Deo *imputative*. *Inſt.* Sanctificatio eſt in nobis inhærenter; Ergo etiam juſtificatio. *Reſp.* Hac non ſumus ju-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ſti coram Deo. *Inſt.* Ergo juſtitia noſtra nihil eſt. *Reſp.* Conſequentia nulla. *Inſt.* Si Abraham juſtificatus eſt juſtitia inhærente, Ergo. *Reſp.* Negat. *Rom.* 4. 9. *Inſt. Iacob.* 2. 21. *Reſp.* Non *effective*, ſed *declarative* tantum. *Inſt.* Si fuit declarative, Ergo aut coram Deo, aut coram hominibus. *Reſp.* Coram Deo. *Inſt.* Si Deo omnia nota, Ergo experimentum noſtri habet. *Reſp.* Opus eſt, ut nos Deo declaremus, ut *Pſal.* 26. *verſ.* 2, *Proba me, tenta me, Iehova.* *Inſt.* Si Deus expertus Abrahamum, Ergo declarative non eguit. Minor, *Gen.* 12. *Reſp.* Nunc experimentum tui cepi. *Inſt.* Si ita ex operibus, ut ex fide, Ergo non declarative. Minor, *Iacob.* 2. 28. *Reſp.* Opera ſunt effectus fidei; unum mediate, alterum immediate juſtificat.

QUÆSTIO XVII.

Vtrum Chriſtus pro omnibus & ſingulis mortuus ſit?

Reſp. Negat. Argumentum I. Non omnes ſunt federati: Ergo non pro omnibus. Minor certa. *Reger.* In Novo Teſtamento Deum iniiſſe fedus cum omnibus. Quia cum omnibus Gentibus iniit. *Reſp.* Cum *omnibus Gentibus*, ſed non cum *omnibus individuis.* vide *Apoc.* 7. 9. 2. Omnes Gentes admittit ad fedus, ſed non eodem tempore.

II. Pro illis mortuus eſt, qui illi ſunt dati. At non omnes & ſinguli: alioquin omnes ad ipſum veniſſent. vide *Ioan.* 6. *verſ.* 37. Major, *Ioan.* 17. 9. *Reger.* Imo Chriſtus etiam oravit pro iis, qui ipſum cruci affixerunt; Ergo pro omnibus. *Reſp.* *Indefinite* dicitur pro illis oraſſe, non *definite*; unde etiam aliqui eorum converſi, *Act.* 2. 3. Alioquin enim omnes convertendi, ſi pro omnibus oraſſet. Nam Chriſtus ſemper audiebatur à Patre, *Ioan.* 11. 42.

III. Si Chriſtus pro omnibus & ſingulis mortuus eſt, omnes eſſent juſtificati. Conſeq. patet *Rom,* 8. 33, 34. Minor. Quia *quos juſtificavit, glorificavit.* At non omnes glorificabuntur. Ergo. *Reger.* Non ſequi, quod, pro quibus mortuus eſt, eos etiam juſtificavit: nam demum hoc verum, ſi illi, pro quibus mortuus eſt, accederent. *Reſp.* Pro quibus mortuus eſt, etiam ſuo tempore confert fidem, *Eph.* 1. 3, 4.

Obj. I. Si diſtinctio vera eſt, Chriſtus *ſufficienter* mortuus eſt, non *efficaciter*: Ergo hoc negari non poteſt. *Reſp.* Vana diſtinctio eſt, nam illud, prout *Pareus* obſervat, aut notat *vice*, aut *bono* omnium & ſingulorum mori: Nec hoc, nec illud; Ergo nullo modo. Vice ipſorum non eſt mortuus, alioquin ipſis moriendum non eſſet. Bono ipſorum non eſt, quia datus eſt, ut reprobi impingant in ipſum. vide *Rom.* 9. 33. *Inſt.* Negari tamen non poteſt, quod omnes Theologi docent, Si Deo viſum fuiſſet acceptare hanc ſatisfactionem Chriſti pro omnibus & ſingulis, quod ſatisfactum fuiſſet. Non eſt vero juſtitiæ Dei æquum plus exegiſſe, quam ſatisfactionem accipere: plus autem exegiſſet, & tamen pro pauculis exegiſſet. *Reſp.* Deum nec plus, nec minus exegiſſe, quam quod juſtitia poſtulabat. Interim ex accidenti factum, ut plus daretur, quam debebatur; nempe requirebat Deus mortem, hîc erat mors, ſed perſona quæ erat æternus Deus: nec enim poterat aliter fieri, ſi homo liberari debuiſſet.

Obj. II. Chriſtus ipſe teſtatur, ſe veniſſe ſervatum quod perierat. At omnes & ſinguli perierant. Ergo. *Reſp.* Indefinite dicitur, non omne quod ſimpliciter perierat, ſed quod perierat ex ovibus, non ex hircis: ſive ut ipſi darentur in oves; non omnes autem ſinguli ita perierant. vide *Luc.* 15. 4. *Inſt.* Cur ergo in interitu talium Chriſtus flet, *Luc.* 19. *verſ.* 41? Nam ſi noluit iſtos ſalvatos, cur flet? *Reſp.* Flet quod non delectetur interitu: tamen ex fletu concludi non poteſt, quod noluerit illorum interitum, ut ex fletu non poterat deduci, quod Chriſtus noluerit mori.

Obj. III. 2 *Pet.* 2. 1. Chriſtus dicitur mercatus eſſe quoſdam, qui perierant. *Reſp.* Dicitur mercatus, ſed non fit mentio pretii: Dictum autem à nobis ante, quod, ubi pretii non fiat mentio, impropria redemptio ſignificetur; hoc eſt, ſimpliciter tantum accipiatur pro liberatione. *Inſt.* Atqui ſacrificium anniverſarium, quod erat typus Chriſti, de quo *Levit.* 19, pro omnibus & ſingulis Iſraëlitis offerebatur: A typo autem ad antitypum argumentatio valet.

Reſpond.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Reſpond. Pro omnibus quidem in genere & in communi ſacrificium offerebatur; non tamen applicatio fuit omnium, unde nec omnes juſtificabuntur, *Rom.* 9.31.

Obj. IV. Chriſtus aut integre diſſolvit opera Diaboli, aut non: Si integre; Ergo pro omnibus: Si non; Ergo non eſt perfectus Mediator, 1 *Ioan.* 3.8. *Reſp.* Integre diſſolvit opera Diaboli, quæ diſſolvenda erant. *Inſt.* Ergo locus iſte, 1 *Cor.* 15.22, torquendus eſſet. *Reſp.* Particula iſta *omnis* aliter ſumitur in apodoſi, aliter in protaſi, ut *Rom.* 5.19.

Obj. V. Si Chriſtus non eſt pro omnibus mortuus: Ergo Adæ peccatum majus eſt, quam Chriſti meritum. *Reſp.* Bonum nobis partum non æſtimatur ex *latitudine objecti*, ſed ex *valore.* Nam ſuperat Adæ peccatum quoad *latitudinem objecti*, non quoad *gradum beneficii*: Chriſtus enim nobis plus reſtituit, quam per Adamum perdidimus. *Inſtant*: Si pro omnibus guſtavit mortem, Ergo meritum debet æſtimari ex latitudine objecti. Sed. Ergo. Minor prob. *Heb.* 2.9. *Reſpond.* Pro *omnibus* mortem guſtavit, ſcilicet *electis*. *Inſtant*: Si propter eos mortuus eſt, qui perierunt; Ergo eos proprie mercatus eſt. Sed. Ergo. 1 *Cor.* 8. *verſ.* 11. *Reſp.* Quoad ſtudium noſtrum poteſt fieri, ut pereat aliquis, ſed non ut ſtatim pereat; ut adulterari aliquis dicitur, cum tantum concupiſcat. Hinc diſtinctio, perdere *quoad ſtudium*, & perdere *quoad effectum*. *Inſtant*: Quos Deus creavit ad imaginem ſuam, eos vult ſervari. Sed totum genus humanum. Ergo. *Reſp.* Major falſa. Nam etiam Angelos malos creavit ad imaginem ſuam; & tamen eos nullo modo ſalvari vult.

QUÆSTIO XVIII.

An Chriſtus Rex fuerit ante reſurrectionem?

Reſp. Affirm. Argumentum I. *Matth.* 21. *v.* 5. *Dicite, filiæ Sion, Ecce Rex tuus venit*, &c. Ergo. *Reger. Socin.* Vocari regem *deſignative*, non quod jam fuerit, ſed quod futurus eſſet. *Reſp.* Exceptio nulla: Chriſtus enim, ut Mediator fuit in Vetere Teſtamento (quod jam oſtenſum) ita fuit etiam Rex, antequam reſurgeret.

II. *Matth.* 2.2. *Vbi eſt Rex natus* &c. *Reger. Socin.* Magos arbitratos fuiſſe Regem mundanum, non vero ſpiritualem. Nam unde didiciſſent Regem fuiſſe ſpiritualem, cum non fuerint ex populo Iſraëlitico? *Reſp.* Unde ergo didicerunt ejus nativitatem? ex revelatione ſcilicet extraordinaria; alias eum non adoraſſent, quem pauperrime natum in ſtabulo invenerunt. *Matth.* 27, Pilatus ſcribit, *Rex Iudæorum. Reger.* Ideo Pilatum hoc ſcripſiſſe, quia ſcilicet erat crimen, propter quod crucifixus. *Reſp.* Imo vero Chriſtus ipſe coram Pilato fatebatur ante crucifixionem, *Ioan.* 18.33. 2. Non minus hoc erat Propheticum quid, quam cum diceret Caïphas, Ioan. 11, *Conducere, unum pro populo mori.*

Obj. I. Matth. 28.18. *Data eſt ipſi omnis poteſtas* &c. Ergo demum poſt reſurrectionem ipſi datum regnum. *Reſp.* Conſequentia nulla: Dicit hæc poſt reſurrectionem; Ergo tunc data poteſtas? Nam & de ea poteſtate ſibi data diſſerit ante mortem, *Ioan.* 17.2. *Inſt.* Si Filius Dei demum factus, Ergo & Rex. At poſt reſurrectionem. Ergo. *Reſp.* Non agi hic de regno *eſſentiali* Chriſti, quod ipſi competit, qua Filius, ſed de *mediatorio*. 2. Dicitur quidem Filius factus à reſurrectione, non quod revera tunc factus ſit, ſed quod declaratus, vide *Rom.* 1.4.

Obj. II. Act. 2.36. *Dominus factus eſt*, &c. Ergo poſt reſurrectionem. *Reſp.* Præcedens verſus habet, *Dixit Dominus Domino meo*, &c. At hoc longe ante reſurrectionem dictum eſt. *Inſtant*: Actus regios nullos Chriſtus in his terris exercuit: Ergo nec Rex fuit. *Reſp.* Præſupp. hypoth. quaſi regnum definiatur actu, non poteſtate: Regnum eſt poteſtas, à poteſtate autem iſta fluunt actus.

Obj. III. *Phil.* 2.9. Quia mortem ſuſtinuit, ideo in ſummam ſublimitatem eſt evectus. Ergo poſt reſurrectionem Rex conſtitutus. *Reſp.* Non agitur ibi de *conſtitutione*, ſed *declaratione*: & dicitur *datum*, eo quod ſit *declaratum*; quemadmodum Chriſtus, *Ioan.* 17, petit ut glorificetur eâ gloriâ quam habuit, id eſt, manifeſtetur. *Inſt.* *Matth.* 16. *verſ. ult.*: Sunt quidam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

qui non moriuntur,donec veniat regnum. Ergo non fuit ante aſcenſionem Rex. *Reſp.* Regnum Chriſti duplex; regnum *Gratiæ*, & *Gloriæ*; quod quidem unicum eſt, ſed ita diſtinguitur ratione effectorum: regnum Gratiæ ſemper fuit: at Gloriæ cœpit poſt reſurrectionem, *Luc.* 24.26.

QUÆSTIO XIX.

An Chriſtus regnum mediatorium depoſiturus ſit, poſt extremum judicium?

Reſp. Affirm. Argumentum I. *Tradet regnum Patri*, 1 Cor. 15.24. Ergo non futurum eſt. *Reger.* Quemadmodum dedit Pater judicium Filio, ut tamen ſe non abdicarit; ita etiam tradit regnum Patri, ut ſe non abdicet. *Reſp.* Sed contrarium dicitur *v.*26, quod & ipſe Patri ſubjiciatur; Ergo non regnabit.

II. *Verſ.* 28. Deus erit omnia in omnibus; Ergo non erit tum Mediator: nec regno mediatorio tum erit opus. *Reger.* Non excludi hîc Mediatorem; ut liquet *Apoc.* 21.35. ubi inquiunt, Agnus eſt Mediator. *Reſp. Agnus* eſt vox concreta,notans perſonam; & nihil ibi ſignificatur, quam natura divina in perſona ejus. vide *Apoc.* 5.13. & alibi.

III. Ubi peccatum non erit, ibi Mediatore non eſt opus. At ibi &c. *Reger.* Angelos etiam opus habuiſſe Mediatore, licet non peccarint. *Reſp.* Negat. Nam Mediator non datur, niſi inter Deum & homines peccatores. vide 1 *Tim.* 2.5.

Obj. I. *Luc.* 1.33. Regni ejus non erit finis. Ergo. *Reſp.* Erit finis quoad *officium*, non quoad *efficaciam* & *effectum*. *Inſt.* At dicit, regnaturum in æternum; non ergo de effectu,ſed de ipſo regno loquitur. *Reſp.* Ponitur ſæpe cauſa pro effectu, ut notum eſt, per metonymiam cauſæ: hoc loco debere ſic accipi, patet 1 *Cor.* 15. *v.* 24, 25.

Obj. II. *Dan.* 7.14. Cujus dominatus eſt perpetuus, ejuſdem etiam regnum. At. Ergo. *Reſp.* Dicitur eo modo, quo Sacerdos dicitur in æternum; cum tamen Sacerdos non ſit futurus in altera vita. Ergo intelligitur de *efficacia*, non *officio*. *Inſt.* Imo in perpetuum erit Sacerdos, qui interpellabit pro nobis in æternum. E. *Reſp.* Etiam nos concedimus,efficaciam manere, officium non item. Nam quid eſt iſta interpellatio quam *objectiva?* Ex objectiva autem cauſa hoc tantum ſequitur, vi ipſius futurum eſſe,ut vitam æternam poſſideamus; non autem ipſi actus ſemper exerceantur.

Obj. III. Si deſinit eſſe Rex, tum mutatio cadet in ipſum; cum vero etiam ſecundum divinam naturam ſit Mediator, ſic quoque mutaretur. Abſurdum hoc. Ergo. *Reſp.* 1. Officium eſt relatio, quæ nullam mutationem infert in eo, in quo eſt. 2. Si mutaretur *deponendo*, tum mutatus etiam fuiſſet *aſſumendo*. *Inſt.* Si non erit Mediator, tum nihil magis habebit, quam aliquis fidelium. Hoc autem abſurdum. Ergo. *Reſp.* Non eſt abſurdum etiam hoc ſtatuere, quod ſit frater noſter, *Heb.* 2.2. Æqualitas iſta non eſt meritoria. Nam utut Chriſtus ſubjicietur Patri ſecundum humanam naturam, erit tamen tanto dignior omnibus, quanto dignior eſt hypoſtaſis, in qua ſubſiſtit divina natura.

QUÆSTIO XX.

An Angeli opus habebant Chriſto Mediatore?

Calvinus videtur iſtius ſententiæ primus auctor, qui diſtinguit inter Mediatorem *reconciliationis* & *confirmationis*; quod quidem utrumque cadit in fideles, ſed in Angelos nulla ratione; quod ſic probatur.

I. Si Angeli opus habuerunt Mediatore confirmationis; tum ſequetur, etiamſi homines in ſtatu integritatis perſtitiſſent, eos nihilominus opus habuiſſe Mediatore confirmationis: quod abſurdum. Nam ita oportuiſſet Chriſtum hominem naſci, etiamſi homo nunquam fuiſſet peccaturus. At Scriptura adventus Chriſti in carnem hanc tantum cauſam ponit finalem, ut peccatum tolleret, & opera Diaboli diſſolveret.

II. Chriſtus non aſſumpſit Angelicam naturam, ſed humanam. Quia non venit, ut Angelos malos liberaret, ſed ut liberaret homines. Si ergo malorum Angelorum Mediator eſſe non potuit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

potuit, niſi eorum naturam aſſumeret, quomodo bonorum erit Mediator, cum eorum naturam non aſſumpſerit?

III. Dicunt, propterea opus habuiſſe Angelos Mediatore, quia non patet finito acceſſus ad infinitum. Sed *Reſp.* 1. Acceſſum iſtum eſſe immediatum. Nã acceſſus ad infinitum non datur mediatus. 2. Si inter finitum & infinitum debet eſſe Mediator; quæritur, qualis futurus ſit ille Mediator? ſi finitus; difficultas integra manet. Nam quomodo unum finitum, mediante altero finito, poteſt accedere ad infinitum? ſi infinitus; quomodo finitum magis poterit accedere ad eum, quam ad ipſum Deum?

IV. Scriptura dicit, muneris mediatorii Chriſti functiones eſſe, Propheticam, Sacerdotalem, Regiam; præter quas nullas novit. At hæ ſolis hominibus, non Angelis conveniunt.

V. Nil nos ſeparat à Deo, niſi peccata noſtra, *Eſa.* 59. Ideoque propterea eo opus fuit Mediatore: cum igitur Angeli non peccarint, non ſeparati fuerunt à Deo, conſequenter nec Mediatore opus habent.

VI. 1 Tim. 2. *Vnus Deus, unus Mediator Dei & hominum.*

Obj. I. Col. 1. *Reconciliavit ea quæ in cælis* &c. At non reconciliavit in cælo homines. Ergo Angelos. *Reſp.* Dato, locum intelligendum de Angelis, non tamen Chriſtus propterea eſt Mediator Angelorum. Nam dicemus, reconciliaſſe cum diſſidentes Angelos cum hominibus; non dubium enim eſt, poſtquam homo peccaſſet, quin (ut omnis creatura homini adverſata eſt) etiam ipſi Angeli inimici facti fuerint; adeoque hic recte Angeli ab homine diſſidentes reconciliati eſſe, dici poſſunt. Si propterea eſt Mediator Angelorum, quod Angeli reducti in gratiam per mortem Chriſti cum hominibus; tum etiam dicendus erit Mediator terræ, cæli, quia cum hæc omnia eſſent infeſta homini ob peccatum, & excubarent in hominis pœnam, per mortem Chriſti factum eſt ut omnis iſta hoſtilitas tolleretur. Alii noſtratium reſpondent, dici in cælis omnia eſſe reconciliata per Chriſtum eo modo loquendi, quo Chriſtus dicitur prædicaſſe illis ſpiritibus qui ſunt in carcere, ſcilicet antequam eſſent in carcere: ita hic reconciliavit omnia quæ ſunt in cælis, id eſt, homines illos qui jam ſunt in cælis, antequam eſſent in cælis, quoad animam.

Obj. II. 1 *Pet.* 3. 22. Chriſtus eſt caput Angelorum; Ergo & Mediator. *Reſp.* Eſt caput, verum non *naturale*, ſed *politicum*: & tale caput eſt non tantum Angelorum bonorum, ſed etiam malorum & hominum reproborum; quia judicaturus eſt.

Obj. III. *Apoc.* 19. Angelus ſe vocat conſervum Joannis & fratrem ipſius. *Reſp.* Eſt conſervus, non eo, quod membrum Eccleſiæ ſit, ſed quod ſit ſervus Dei, & Deo ſerviat, ſicut docetur *Dan.* 7. 10. π. ψ. Angelos eſſe membra Eccleſiæ; hujus autem hypotheſeos falſitas infra, ubi de Eccleſia acturi ſumus, liquebit.

QUÆSTIO XXI.

An Angeli eguerint novo auxilio, ut perſiſterent?

Negat. I. Auxilium iſtud ipſis aſſiſtens erat vis Dei conſervans. At vis Dei non eſt multiplex, ſed una eademque eſt. Si ergo jam habuerunt ante, quid opus eam erat dari de novo? *Excip.* Forte non erat iſta vis valida. *Reſpond.* Vis iſta eſt potentia Dei, quæ nec intenditur, nec remittitur; habet equidem potentia Dei effecta jam majora, jam minora, quæ magis, minuſve durant: ſed iſta non abſolute à potentia, ſed à potentia per voluntatem limitata proficiſcuntur.

II. Peccatores regeniti ex parte, non poſſunt labi, præſente auxilio, quod accipiunt divinitus, & ſufficit ipſis ad hoc qua parte illud habent, ut non labantur. Ergo auxilium Dei, quod aderat Adamo, ſufficiebat multo magis Adamo ad hoc, ut ſubſiſteret: nec ibi novo aliquo auxilio opus fuit. Ergo nec Angeli novo auxilio habuiſſent opus.

III. Scriptura teſtatur, cum Deus adeſt, nullum periculum eſſe lapſus; nec dicit, quando adeſt auxilium, novo auxilio opus eſſe, ſed ejuſdem auxilii ſaltem continuatione.

IV. Ipſi fideles de ſe ſunt gloriati, nihil quicquam contra ſe poſſe quippiam, ſi Deus gratia ſua ipſis aſſiſtat: è contra ex abſentia aſſiſtentiæ auxilii omnia mala provenire queſti ſunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Ratione prioris, *Rom.* 8. *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Ratione poſterioris, *Iud.* 6.13. ubi Gedeon iſta opponit tanquam incompatibilia, Deum eſſe cum aliquo, & evenire ipſi malum. π. ψ. Putant, Deum homini, ſi non ſit peccator, non ſubtrahere aſſiſtentiam. Contrarium nobiſcum ſentiunt Dominicani, enſtaſin ferentes pro ſe ex Scriptura, Fideles ſcilicet privari iſta gratia, quibus tamen nulla eſt condemnatio, *Rom.* 8.1, collato cum 2 *Chron.* 32.31. Franciſcani contra urgent: Omnem tamen fidelem eſſe peccatorem; Adamum non fuiſſe peccatorem. *Reſp.* Fidelem quidem eſſe peccatorem, ſed non teneri eum reatu. 2. Conditionem fidelis eſſe præſtantiorem hac parte, quod Adam labi poterat, hic vero gratia excidere non poſſit; deinde quod Adam habuerit paradiſum, hic vitam æternam, *ſpe* quoad *conſummationem*, *re* quoad *inchoationem*.

CAPUT XV.

De Juſtificatione.

QUÆSTIO I.

An tota S. S. Trinitas ſit cauſa juſtificationis?

Reſp. Affirm. Quia opera Dei ad extra ſunt indiviſa.

Obj. I. Chriſtus Mediator eſt cauſa juſtificationis: Ergo non S. S. Trinitas. *Reſp.* Chriſtus eſt cauſa juſtificationis *meritoria*; ſed Deus, *efficiens realis*. *Inſt.* Deo ſatisfit pro peccatis; Ergo Deus non juſtificat. Ratio conſequent. Quia qui exigit ſatisfactionem, ipſe non juſtificat, quia ipſi ſatisfit. *Reſp.* 1, Cui ſatisfit, non juſtificat, falſum eſſe. Quia admittit alienam juſtitiam. 2. Quia imputat alienam juſtitiam. *Inſt.* Si Deus juſtificat; non condemnat: Atqui condemnat: Ergo non juſtificat. Major certa. Minor prob. *Rom.* 8. *verſ.* 3, 4. *Reſp.* Condemnat in Filio, non in nobis. 2. Condemnat & juſtificat in diverſis ſubjectis, non ſecundum idem. *Inſt.* Imo non poteſt in Filio condemnare. Si Filius nihil peccavit, non poteſt condemnare in Filio. At Filius nihil peccavit. Ergo &c. *Reſp.* Non peccavit quidem Filius, ſed peccata noſtra in ſe ſuſcepit, & peccata noſtra in ipſo punita. *Inſt.* Si ſuſcepit in ſe; Ergo eo fine, ut nos redimeret. At falſum poſterius: Ergo & prius. *Reſp.* Negat. quod falſum poſterius. *Inſtant*: Prob. ex *Pſal.* 49. 8, Fratrem nullo modo redimere poteſt quiſquam, &c. *Reſp.* Frater *qui nudus eſt homo*, non *qui verus Deus*. *Inſtant*: Si Deus; Ergo multo minus redimere poteſt. Atqui Deus, ut vos dicitis. Ergo. Ratio conſeq. Quia qui debet redimere, debet Legi ſe ſubjicere pro altero. At Deus non poteſt ſe ſubjicere. Quia immunis eſt à Lege. *Reſp.* Deus non poteſt ſe ſubjicere *qua Deus*, ſed *qua homo*.

QUÆSTIO II.

An Iuſtificatio activa antecedat fidem?

Reſp. Affirm. Argumentum I. Accipitur fides per juſtificationem activam; Ergo antecedit fidem. Conſequent. Quia quod accipitur, præſupponitur eſſe, antequam habeatur. Minor, *Act.* 26. 18. *Reger. Socin.* Si non repugnet accipi per fidem; Ergo nec fieri per fidem. *Reſp.* Imo vero repugnat, & repugnantia hinc apparet, quod juſtificatio activa eſt actio Dei, quam nos per fidem capimus, *Rom.* 5. *verſ.* 11. Si nobis benedicit omni benedictione ſpirituali in Chriſto, cum nos juſtificavit in Chriſto Jeſu, antequam crederemus; tum in Chriſto benedicit, quod nos juſtificaverit. Minor, *Eph.* 1.3. *Reger.* Atqui juſtificatio noſtri in Chriſto, non minus quam fides inter benedictiones ſpirituales ponenda. vide *Rom.* 8.1. *Reſp.* Dum dicitur, *Iis, qui ſunt in Chriſto, nulla condemnatio eſt*, hoc innuitur, Chriſtum cauſam meritoriam, cur non condemnemur: per quod autem eſt cauſa? *Reſp.* Per juſtificationem qua juſtificamur: Ergo licet juſtificemur in Chriſto, tamen ſpiritualium bonorum cauſa eſt juſtificatio activa, cum alias non benedicat homini, niſi reconciliatus ſit per ſanctificationem Chriſti.

II. Si omnes qui juſtificantur, jam active ſunt juſtificati: Ergo juſtificatio activa antecedit fidem. Minor. Nam ſimul ac Chriſtus promiſſus eſt in Mediatorem, erat Mediator; ſi Mediator, etiam vas; ſi vas, ergo omnium eorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

rum peccata, pro quibus vadimonium præſtitit, in ſe recepit. *Reger.* Quomodo poterant juſtificari, cum nondum erant? *Reſp.* Eo modo, quo Chriſto peccata imputata, antequam eſſet: Et ad hoc, ut actus moralis imputetur, non neceſſe eſt, ut ipſum actus ſubjectum ſtatim adſit; ſufficit, ſi certo futurum ſit.

Obj. I. Si datur activa & paſſiva juſtificatio, Ergo duplex erit juſtificatio; cum tamen unica tantum ſit, nempe juſtificatio fidei. *Reſp.* Non eſt diſtinctio realis, ſed vocis ambiguæ. *Inſt.* Ergo aliqua illarum erit impropria. *Reſp.* Ita eſt: nam paſſiva nihil aliud eſt, quam ſenſus activæ.

Obj. II. Paulus urget, nos fide juſtificari. *Reſp.* Ita, quoad juſtificationem *paſſivam*, non *activam*. *Inſt.* Nullibi fit iſtius mentio in Scriptura. *Reſp.* Neg. ut jam oſtenſum. Præterea dicitur Deus juſtificare, *Rom.* 4. 5. & nos dicimur juſtificari, *Rom.* 5. 1. Alio autem modo Deus juſtificat, alio modo nos juſtificamur.

Obj. III. Si ante fidem homines eſſent juſtificati; tum ſequeretur, infideles eſſe juſtificatos. Abſurd. hoc. Ergo. *Reſp.* Imo non eſt abſurdum, cum hoc doceat Sp. Sanctus, *Rom.* 5. *verſ.* 6, 10. *Inſt.* Non manebit ergo ſupra illos ira Dei: quod tamen falſum; nam qui non credit, manet ira Dei ſuper ipſum, *Ioan.* 3. 36. *Reſp.* Oſtendi ibi, non quomodo Deus ſit affectus in hos, quos juſtificavit; ſed quid incredulitati per ſe debeatur: ut cum dico, Peccatores Deus odit. Cum autem inter homines referuntur fideles, qui ſunt peccatores; hoc pacto tamen non ſignificatur, quomodo Deus affectus peccatoribus fidelibus, ſed quid peccato per ſe debeatur: de hac re vide Twiſſum.

QUÆSTIO III.

An juſtificemur morte Chriſti? Et an juſtificemur obedientia Chriſti?

Orthodoxorum ſententia eſt, Mortem Chriſti eſſe adæquatam cauſam remiſſionis peccatorum, id eſt, unicam & ſolam cauſam meritoriam. 2. Non in ſola remiſſione peccatorum juſtificationem noſtri conſiſtere, ſed & in imputatione juſtitiæ Chriſti.

I. *Morte Chriſti nos juſtificari*, probatur.

Argumentum I. Propter mortem Chriſti à reatu abſolvimur: Ergo etiam juſtificamur. Major certa: quia juſtificatio noſtri eſt abſolutio à reatu. Minor, *Rom.* 8. 34. *Reger.* Non propter mortem Chriſti nos à reatu abſolvi. Nam & fideles ſub V. T. abſolvebantur, non tamen per mortem Chriſti, quia non erat. *Reſp.* Falſa hypotheſis præſupponitur, quaſi meritoriæ cauſæ non poſſit eſſe effectus, antequam ipſa exiſtat. vide *Heb.* 9. 15. 2 *Cor.* 5. 15. Si perinde eſt mors Chriſti in conſpectu Dei, acſi nos mortui eſſemus, Ergo morte Chriſti juſtificamur. *Reger.* Si perinde habemur, acſi nos mortui eſſemus, cur ergo morimur? *Reſp.* Non morimur, *ut ſatisfaciamus* pro peccato, ſed ut *aboleatur* in nobis *corpus peccati*, *Rom.* 6. 6. *Gal.* 3. 13. Chriſtus nos redemit ab execratione Legis; Ergo morte ipſius juſtificamur. Conſequentia: quia execratio, aut pro ſe, aut pro nobis factus eſt. At non pro ſe. Ergo. *Reger.* Factus execratio ratione hominum, non autem rei veritate, *Eſa.* 53. 3. *Reſp.* Nihil ibi haberi de hac re.

Obj. I. Si mors Chriſti eſt cauſa remiſſionis peccatorum; tum unius mors ſatisfaceret pro multis. At falſum. Nam ne quidem pro uno poteſt ſatisfacere. vide *Pſal.* 49. 8, 9, Fratrem non poteſt redimere &c. *Reſp.* Non poteſt nudus homo. At falſum de eo, qui etiam ſit Deus. *Inſt. Socin.* At Deus non eſt mortuus, paſſus &c. Ergo. *Reſp.* Fatemur, non paſſum *abſtractive*, ſed humana natura paſſa eſt in hypoſtaſi τοῦ λόγου ſubſiſtens: tribuitur ergo toti perſonæ hoc ipſum, quod in humana natura evenit. vide hac de re *Act.* 3. 15. 1 *Cor.* 2. 8.

Obj. II. Non tantum impoſſibilis fuit talis modus juſtificandi, ſed etiam repugnat Deo, qui promiſit, ſe nolle punire alium pro alio, *Ezech.* 18. 29. *Reſp.* Non punit alterum pro altero *invitum*; ſed non ſequitur, Ergo ex obligatione non poteſt punire: Ergo nec eum, qui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ſe ſponte offert. *Inſt.* Nemo poteſt acceptari à judice, ut pro altero moriatur. *Reſp.* 1. A Judice quidem terreſtri vix poteſt acceptari, quia Deus expreſſe hoc prohibere videtur. 2. In certis tamen caſibus poteſt, 1 *Reg.* 20. *v.* 39.

Obj. III. Si per mortem Chriſti juſtificemur, tum ſequitur, non tantum pœnam temporariam, ſed & æternam pertuliſſe. Abſurdum hoc; Nam in æternum debuiſſet eſſe condemnatus. *Reſp.* Suſtulit mortem æternam non *duratione*, ſed *eſſentia*. *Inſt.* Si duratio eſt proprium quarti modi mortis æternæ, quomodo ab ea potuit ſeparari? Minor probat. Quia definitionem ingreditur. At quod definitionem ingreditur, eſt proprium quarti modi. *Reſp.* Falſum, quod omne quod ingreditur definitionem, ſit proprium quarti modi. Nam & partes & accidentia communia ingrediuntur præcipue in deſcriptionibus. 2. Ingreditur definitionem mortis, eorum qui ſuperantur à morte. At talis Chriſti non fuit.

II. *Obedientia Chriſti imputatur nobis quoad juſtificationem.* Probatur.

I. *Rom.* 5. 12. Obedientia Chriſti multi ſunt conſtituti juſti, &c. Ergo. *Reger.* Etiam mortem Chriſti eſſe obedientiam, & vocatur obedientia paſſiva, *Phil.* 2. 8. *Reſp.* Contradictio eſt in eo, cum dicunt obedientiam paſſivam. Nam obedientia eſt in prædicamento Actionis: Mors vero in prædicamento Paſſionis. Non ſunt enim unum & idem. Locum quod attinet, *Phil.* 2. 8, impertinenter citatur. Nam ſi dicam, Confeſſus eſt Petrus Chriſtum uſque ad mortem; ideone confeſſio & mors unum idemque erunt?

II. Juſtitia Chriſti nobis imputatur ad juſtificationem: E. non tantum mors Chriſti. Probatur *Phil.* 3. 9. *Reger.* Etiam mortem Chriſti eſſe juſtitiam paſſivam. *Reſp.* Eſt & hic contradictio. Nam juſtitia eſt vel in *habitu*, vel in *actione*. At mors, ut dictum, in *paſſione*. Præterea mors non ſatisfacit præceptis Legis, ſed comminationibus. Ergo non eſt paſſiva juſtitia. Hoc imputatur nobis ad juſtitiam, cui Deus vitam æternam promittit. At non morti, ſed obedientiæ vitam æternam promittit. Ergo. *Reger.* Etiam paſſionibus Chriſti aliquid promittitur, *Eſa.* 53. *Reſp.* Particula *idcirco* non *cauſalis* eſt, *ſed ratiocinativa*. confer, *Phil.* 2. 9.

Obj. I. Si obedientia Chriſti nobis imputatur, non poterit dici beatus, cui remiſſa peccata; ut dicitur *Rom.* 4. 6, 7. *Reſp.* Dicitur beatus, ſed non ex hac ſola cauſa, ſive non ex hac cauſa, quaſi totali; ſed & ex aliis: quæ cauſæ etiam inter ſigna recenſentur, ut alibi oſtenſum. *Inſt.* At cui remiſſa ſunt omnia peccata & commiſſionis & omiſſionis, perinde habetur quod omiſit, acſi feciſſet. *Reſp.* Falſum, quod cui remittuntur peccata omiſſionis, perinde habeatur quod omiſit, acſi feciſſet: Deus Jonæ condonavit, quod Niniven non iviſſet; interim tamen non pro eodem habuit, acſi Jonas hoc feciſſet, quia jubet ipſum denuo, cum à piſce ejectus eſſet, venire Niniven.

Obj. II. Si per remiſſionem peccatorum tollitur peccatum, tum ſic conſtituimur juſti, ut non opus ſit imputatione Chriſti. Verum prius. Nam ſublata privatione ponitur habitus. *Reſp.* Sublata privatione ponitur habitus, ſed non eadem actione. Hinc illa in Scripturis: Veterem hominem mortificate, & vivificate novum: Deſinite malum facere, & diſcite bonum facere: & hujus exemplum vide, *Zach.* 3. 4, 5. *Inſt.* Prout per peccatum excluſi eramus regno cælorum, ſic per remiſſionem eorum admittimur: Quare ergo imputatio Chriſti? *Reſp.* Admittimur *ad jus*, non *in jus*: Ut intelligatur hoc; ſciendum, nos in ſtatu integritatis habuiſſe jus ad regnum cælorum: nam in hoc data erat Lex, ut illa præſtita, obtineremus *jus in regnum*; quod non poteramus obtinere Lege non completa. Verbi gratia: Diaboli neque *ad regnum*, neque *in regnum* jus habent; non proponitur illis Lex præſtanda; qua præſtita, obtinerent jus in regnum cælorum.

Obj. III. Si obedientia Chriſti imputatur ad juſtitiam noſtri, tum nos non tenemur amplius obedire Deo. Abſurdum poſterius. Conſequent. Nam Chriſtus pro nobis obedivit. *Reſp.* Nec obedimus eo fine, ut ſatisfaciamus juxta illud, *Hoc fac & vives*: ſed (ut *Matth.* 5, 16, Vt videant homines bona opera noſtra, ut laudent Deum Patrem in cælis) ut gratitudinem noſtram comprobare poſſimus. *Inſt.* Lex non obli-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

obligat, niſi ad pœnam, vel ad obedientiam: Si ergo Chriſtus pœnam ſuſtinuit, non obligat ad obedientiam. *Reſp.* Non poſſe hæc dici disjunctive: In ſtatu quidem integritatis non obligabatur homo ad pœnam, ſed obedientiam: In ſtatu lapſus, ante reparationem, ad utrumque: In ſtatu reparationis, poſtquam homo juſtificatus, tenetur ad obedientiam, non ad pœnam.

QUÆSTIO IV.

An juſtificatio interrumpi poſſit, ut qui fuit juſtificatus, deſinat eſſe juſtificatus?

Reſp. Negat. Argumentum I. Fides non deficit; Ergo nec juſtificatio interrumpitur. *Reger.* & fidem ipſam deficere, quia deficiet in altera vita: cur ergo hic non? *Reſp.* Negat. Mutabitur quidem quoad *nomenclaturam*, ſed manebit quoad *eſſentiam*, ut quæ vocabatur hic *fides*, tandem fiat *aſpectus*, 1 *Cor.* 13. 12.

II. Si propter juſtificationem noſtram Chriſtus mortuus eſt, tum non interrumpitur. Conſequent. Quia Deus, qui Filium dedit, dabit & perſeverantiam. Verum prius, *Rom.* 8. 32. *Reger.* Non ſequi, Filium dedit ad juſtificationem noſtri, Ergo dabit perſeverantiam in fide; Quia Filium omnibus dedit, *Ioan.* 3. 16. Ubi nec poteſt *mundus* accipi pro *electis*: Nam ſic eſſet explicatio, Ita dilexit electos, ut quiſquis credit ex electis; cum tamen omnes electi credant. *Reſp.* 1, dici de toto mundo, ſed ita, ut ſecundum quid dicatur. 2. Per *mundum* non intelligit homines, ſed terreſtrem hanc regionem & habitationem inter homines.

III. *Pſal.* 37, *Iuſtus cum ceciderit*: Ergo minime excidit juſtificatione. *Reger.* Adam excidit juſtificatione Legali; quidni & nos Evangelica? *Reſp.* Conſequentia nulla: Nam Adam non cuſtodiebatur virtute Dei ad ſalutem, alioqui non excidiſſet: nos vero cuſtodimur, 1 *Pet.* 1. *v.* 5.

Obj. I. *Luc.* 23. Verba mulierum de reſurrectione Chriſti, viſa ſunt Apoſtolis ut deliramenta. Ubi ergo juſtificatio in illis, cum non crederent? Paulus vero, *Rom.* 4. *v.* ult., aſſerit, Chriſtum reſurrexiſſe *propter juſtificationem noſtram*. *Reſp.* *Luc.* 24. 41. Viſo Chriſto, non crediſſe Apoſtolos præ gaudio. Robertus Albas Anglus verba hæc notat: *Vnde gaudium hoc, quod non crediderunt, niſi ex eo quod crediderunt? niſi enim in Chriſtum credidiſſent, gaudere de reſurrectione ejus minime potuiſſent: quo tamen erat illis rerum omnium hæc gratiſſima, eo majorem fidei difficultatem habuit, ut vix animum inducerent, tantum ſibi beneficium contingere potuiſſe.* *Inſtant*: At Thomas plane non credebat, *Ioan.* 20. Ergo. *Reſp.* Fidem in Thoma, prout & aliis Apoſtolis, tempore paſſionis ſcandalizatam, & actum ejus aliquantulum impeditum, quæ mox apparebat in Thoma. Nam præſenti Chriſto ſponte occurrit, & confeſſionem præclaram edit: *Deus mi* &c.

Obj. II. Petrus abnegavit Chriſtum; Ergo intercidit juſtificatio. *Reſp.* Petrus quidem *ore* ex infirmitate abnegavit Chriſtum; at *corde* non item: ut loquitur Auguſtinus. *Inſt.* At ex corde pœnitentiam egit; Ergo ex corde abnegavit. *Reſp.* Inepta hypoth. præſupp. acſi omne peccatum committeretur ex corde, de quo pœnitentia agenda ex corde; cum de omni peccato ex corde debeat eſſe pœnitentia: ſed non omne peccatum ſic committitur, ſed ſæpe per errorem.

Obj. III. David fuit reus mortis; Ergo eo tempore caruit juſtificatione: vide 2 *Sam.* 22. *v.* 54. *Reſp.* Reus mortis ex *jure*, non ex *facto*: cur vero de facto non ſit, cauſa eſt, quia mors Chriſti intervenit. *Inſt.* David per adulterium factus membrum ſcorti; Ergo abſciderat ſe à Chriſto, & hoc tempore non juſtificatus. Prob. 1 *Cor.* 6. 15. *Reſp.* *Iure* & *proprietate* manere fideles membra Chriſti; de *facto* verò & *abuſu* fiunt membra meretricis. Vel, ut alii diſting. Davidem excidiſſe à juſtificatione *quoad effectum*, *quoad ſenſum gratiæ juſtificantis*, non *quoad rem*.

QUÆSTIO V.

An juſtificationis actus hoc ipſo differat à regeneratione, quod hic ſimul & ſemel perficiatur, regeneratio non item?

Reſp. Affirm. Argumentum I. Eo modo nos habemus in imputatione juſtitiæ Chriſti, ut peccata noſtra ſunt imputata Chriſto. At ſimul & ſemel imputata. Ergo. Conſeq. prob. 2 *Cor.* 5.

 v. 21.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

*v.*21. Minor, *Eſa.*53.*v.* 5. *Reger.* Quod non ſimul & ſemel imputetur nobis juſtitia & ſatisfactio, quia ſacrificia non ſimul fiebant pro abolitione peccatorum. *Reſp.* Spir. Sanctus *Heb.* 10. 1,2,3. *& ſeqq.*

II. Juſtificato nulla amplius condemnatio, Ergo ſimul & ſemel juſtificatur; alias eſſet aliqua condemnatio pro peccato adhuc non condonato. *Reger.* Si homini pœnitentia agenda eſt, tum non eſt hoc ſimpliciter accipiendum, Nulla condemnatio pro quovis tempore; ſed pro illo, quo peccata condonantur. *Reſp.* Pœnitentiam non agimus ideo, quod nobis peccata condonata non ſint omnia, ſed ut ſimus certi de remiſſione peccatorum, & ut ſenſum remiſſionis peccatorum habeamus, quem Deus ſæpe aufert, *Pſal.*51. 14.

III. *Rom.* 5. 1. Juſtificati fide habent pacem; Ergo unico actu juſtificamur: Conſequent. Alias enim non haberent pacem firmam. *Reger.* Imo vero non eſt pax firma, quia interrumpitur per peccata: Nam ſi dolor ſequitur peccata; ubi pax iſta? *Reſp.* Pax illa nunquam tollitur penitus, etiamſi ſæpe dolores & anxietates oriantur: Ratio; quia certitudo ſalutis nunquam in nobis penitus tollitur.

Obj. I. *Matth.* 18. 21, 22, 25. Deus toties nobis remittit peccata, ut nos proximis: Ergo non unico actu juſtificamur. *Reſp.* Toties *quoad ſenſum*, non vero *quoad rem*, hoc eſt, quod ſentiamus nos eſſe juſtificatos. *Inſt.* Debet hic eſſe comparatio. At nos non tantum ſenſu, ſed & reipſa remittimus. *Reſpond.* Comparatio eſt in quodam, quod ſcilicet ſincere remittere debeamus, non vero quod eadem ratio ſit remiſſionis peccatorum ex parte Dei & noſtri, cum nos non poſſimus remittere *peccata*, ſed *injurias*. Nam hoc ſolius Dei eſt.

Obj. II. In Oratione Dominica: *Remitte nobis* &c. *Reſp.* Eſt eadem ratio. *Inſt.* At ſi eſt actus, quid opus eſt ſenſu? Nam ſive ſentias, ſive non, perinde eſt, dum modo ſis juſtificatus. *Reſp.* Imo niſi ſenſum habeas, id eſt, certus ſis de juſtificatione, oportet habeas anxietates, & cruciatus conſcientiæ magnos, *Iob.*37. 18.

Obj. III. Si unico actu ſit juſtificatio, tum condonat nobis & peccata præterita & præſentia & futura. At abſurdum, remittere id, quod nondum eſt. *Reſp.* Si non eſt abſurdum, peccata noſtra imputata fuiſſe Chriſto, cum neque eſſemus; tum nec hoc eſt abſurdum. At verum hoc, *Eſa.*53. *Inſtant:* Sic ad peccandum janua aperitur. Nam quilibet judicabit, Deus mihi condonavit peccata; Ergo poſſum peccare &c. *Reſp.* Contrarium docet Sp. Sanctus de fidelibus, *Rom.*6. 12.

CAPVT XVI.
De Regeneratione.
QUÆSTIO I.

An ad regenerationem dentur præparationes internæ, in homine mortuo in peccatis?

Reſp. Negat. Argum. I. 1 *Cor.* 2. 14. *Animalis homo* &c. Ergo nec ſe præparare poteſt. *Reſpondet Arminius:* Etiamſi ipſemet ſe præparare non poteſt, poteſt tamen divinitus. *Reſp.* Nulla eſt. Nam iſta præparatio Dei facit, ut homo deſinat eſſe animalis, aut non: ſi facit, tum non eſt præparatio, ſed regeneratio: ſi non facit, tum animalis manebit, & non poterit cognoſcere quæ ſunt ſpiritus.

II. Rom. 8. 7. *Caro non ſubjicitur legi Dei, nec poteſt:* Ergo nec præparare. *Excip. Armin.* Non omnes homines eſſe carnem, ſed deteriores illos. *Reſp.* Si non omnes ſunt caro; Ergo regeniti: quod falſum; nam ſic regenitus eſſet irregenitus.

III. *Eph.*2. 1. Regignimur mortui in peccatis; Ergo nulla præparatio. *Reger.* Mortem ſpiritualem admittere gradus. *Reſpond.* Si gradus admittat, ut in altero ſit major, in altero minor; tum in quo minor, erit ex parte regenitus. *Nam remiſſio unius oppoſiti, fit per admixtionem alterius oppoſiti.*

Obj. I. Lex hominem terret; Ergo præparat ad regenerationem. *Reſp.* Retorquendo, imò quia terret, non præparat, ſed potius deterret: Nam metus ejicit caritatem, ut Scriptura loquitur 1 *Ioan.*5. *Inſt.* At dicitur Lex eſſe pædagogus ad Chriſtum, *Gal.*3. 24. *Reſp.* Loquitur ibi Spiritus de lege *ceremoniali*, non *morali*.

*Obj.*II.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Obj. II. Si non datur præparatio ad regenerationem, tum fruſtra prædicatur Verbum Dei hominibus: At hoc falſum: Ergo. *Reſp.* Conſequentia nulla. Nam non fruſtra prædicatur, cum inter prædicandum ſæpe Deus cor hujus vel illius aperiat. *Inſt.* At Verbum ipſum regenerat homines. *Reſp.* Falſum:quia regeneratio non minus opus Dei eſt, quam creatio: ut infra dicemus.

Obj. III. *Act.* 10. De Cornelio, qui ſe præparavit ad regenerationem. *Reſp.* Præſupp. ipſum non fuiſſe regenitum: quod falſum. Regenitum fuiſſe liquet, quia exauditæ preces ipſius; Deus autem peccatores non exaudit, *Ioan.* 9. 31. *Inſt.* Neſcivit Chriſtum eſſe Meſſiam; E. quomodo regenitus? *Reſpond.* Neſcivit quidem in ſingulari Chriſtum eſſe Meſſiam, tamen ſciebat venturum fuiſſe, licet neſciverit, jam veniſſe.

QUÆSTIO II.

An in momento primo regenerationis habeat ſe homo merè paſſivè?

Reſp. Affirm. Argumentum I. Homo in primo momento regenerationis eſt mortuus in peccatis; Ergo conferre ad ſui regenerationem nihil poteſt. *Reger.* Simile etiam eſſe diſſimile, & ſæpe claudicare. *Reſp.* Simile in eo, in quo ſimile eſt, maxime probat. Atqui in hoc ſimile eſt, ut ſicut mortuus ſe non reſſuſcitat, ſed in ſolidum tribuitur Deo; ita etiam mortuus in peccatis, *Eph.* 2. *v.* 1. *Coloſſ.* 2. 13.

II. Quemadmodum qui creatur, nihil confert ad ſui creationem: ita qui regeneratur &c. Conſeq. Quia utrumque eodem modo ſe habet: Sic in Scriptura regeneratio vocatur nova creatura, 2 *Cor.* 5. 17. *Reger.* Non requiri eandem vim in regeneratione, quam in creatione. *Reſp.* Spir. Sanctus contrarium teſtatur; ſcilicet eadem vi hominem regenerari, qua creari. vide 2 *Cor.* 4. 6.

III. Eo modo ſe habet in primo momento, ut ſe habet ad generationem naturalem: At ad illam nihil confert: Ergo. *Reger.* In regeneratione hominem repugnare Deo; in generatione naturali non item; Ergo diſtinguitur hoc pacto. *Reſp.* 1. Ergo difficiliorem eſſe regenerationem. 2. Præſupp. hypoth. quaſi gratia Dei ſit reſiſtibilis.

Obj. I. Si mere paſſive ſe habet homo in regeneratione, tum non regeneratur per Verbum. Falſum hoc. Ergo. 1 *Pet.* 1. 23. *Reſp.* Non regenerari quoad primum momentum, ut aſſerit etiam Perkinſ. Brichmann. &c. Ad locum ſæpe reſponſum. 2. Verbum regenerat nos moraliter, id eſt, docet nos eſſe regeneratos, &, quid ſit regeneratio, oſtendit. *Inſt.* Efficaciam Verbo Dei maximam tribui *Heb.* 4. 12. *Reſp.* Ita eſt; ſed in illis, qui Verbum Dei intelligunt, non vero in irregenitis.

Obj. II. Si Deus jubet nos creare cor novum, tum non mere paſſive habemus in regeneratione: At jubet *Ezech.* 18. 31. *Reſpond.* Mandata oſtendere, non quid *poſſimus*; ſed quid *debeamus*. *Inſtant*: Atqui mandata non obligant nos ad impoſſibilia. *Reſp.* Falſum: quod liquet ex Adamo, quem Deus obligaverat ad velle, ut poſſet; cum tamen non dederat ipſi, poſſe ut vellet.

QUÆSTIO III.

An regeneratio fiat per Verbum Dei?

Reſp. Negat. Argumentum I. *Ezech.* 36. 26, 27. Regenerationem ſequitur τὸ ambulare in ſtatutis Dei: Ergo Verbum Dei non eſt cauſa regenerationis. Conſequent. Quia ambulare in ſtatutis, & recipere Verbum Dei, unum idemdemque ſunt. Ergo ſi Verbum Dei ſequitur, non erit cauſa ejus. *Reger.* Ad quid ergo proponitur Verbum Dei, ſi non ſit cauſa regenerationis? *Reſpond.* Ut ſciamus, quo modo verſari debeamus in omni vita noſtra. Nam perinde hic habet, acſi quis habens oculos, acciperet leges, ſecundum quas ſe gerere deberet: leges iſtæ non eſſent cauſa oculorum; & tamen non ſufficeret ad vitam regendam oculos habere, niſi haberes regulam, ſecundum quam viveres, quam cognoſcere minime poſſes, niſi oculis inſtructus.

II. *Act.* 16. Aperuit cor Lydiæ: id eſt, prius aperuit cor Lydiæ: antequam Verbum Dei ſalutariter audiret. Ergo Verbum Dei non eſt cauſa rege-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ſa regenerationis. Conſeq. Nam aperire cor, eſt regenerare. *Reger*. Lydiæ apertum eſt cor, ut intelligeret particulare hoc thema, de quo Paulus concionabatur. Fuiſſe autem ipſam fidelem, *volunt* oſtendere, *Luc*.24. 45. *Reſp*. Subjectam materiam determinare rem. Lydia Gentilis fuit; propterea additur ibi, *Credidit enim tota domus ejus*: ut oſtenderet Sp. Sanctus hoc ipſo, antea non credidiſſe.

III. *Matth*. 13. ubi Verbum Dei, quod ſemen proferebat, non faciebat bonam terram, ſed præſupponebat. Ergo. *Reger*. Ex parabolis non poſſe duci argumenta firma. *Reſp*. Aut regenitus eſt, qui audit Verbum Dei, aut non: Si irregenitus, illud non percipit: Si regenitus; E. fuit antequam audiret Verbum Dei talis, & ideo percipit ſalutariter, quia regenitus eſt.

Obj. I. 1 *Pet*. 1. *verſ*. 23. *Reſpond*. Tribui Verbo, non quod per illud fiat hoc, ſed quod per hoc declaretur, quid regeneratio ſit; Notum vero eſt in Scriptura, tum dici fieri aliquid, cum manifeſtatur. Nam ſi Verbo Dei tribuitur vis talis regenerandi, tum utitur Deus aliquo inſtrumento in regeneratione. Atqui hoc ita abſurdum, quam uti Deum inſtrumento aliquo in reſſuſcitatione mortuorum ad vitam, aut in creatione.

Obj. II. *Rom*. 10. 17. *Reſp*. Verbum Dei eſt cauſa fidei *actualis*, non *habitualis*. *Inſt*. Si fides actualis præcedit habitualem, tum actualis fidei non eſt cauſa Verbum Dei, ſed fidei habitualis; actus enim habitus ſunt cauſæ. *Reſp*. Non eſt Verbum Dei *realis*, ſed *moralis* tantum cauſa. Verbi gratia: Si quis aliquid loquitur ex præſcripto, præſcriptum non erit cauſa realis loquelæ, ſed moralis & objectiva tantum.

Obj. III. *Eſa*.65. *v*. 10, 11, Verbum Dei comparatur pluviæ fecundanti terram. Ergo eſt cauſa realis. Conſeq. Nam de ſimilibus idem eſt judicium. *Reſp*. Simile eſt, ergo & diſſimile. Nam in hoc tantum ſimilitudo, quod quemadmodum pluvia non fruſtra cadit in terram, ſic nec Verbum Dei. *Inſt*. Ad prædicationem Verbi convertuntur homines, ut *Act*. 2. 3. *Reſp*. Ita quidem, non tamen ideo cauſa realis: ſed Deus pro ſuo beneplacito, cum Verbum ſuum proponitur, vi ſua omnipotenti, quos ipſi placet, convertit, 2 *Tim*. 2. 25, 26.

QUÆSTIO IV.

An regeneratio perfecta detur in hac vita?

Reſp. Negat. Argumentum I. Gal. 5. 17. *Caro concupiſcit* &c. Ergo perfecta non eſt regeneratio. Conſeq. Quia ubi caro, ibi non eſt perfectio plena. *Reger*. In quibuſdam eſſe, in quibuſdam non. In eodem cap. *v*.24, legitur, quod qui Chriſti ſint, carnem crucifixerunt. *Reſpond*. Dicuntur *crucifixiſſe*, non tamen *mortificaſſe* adhuc plane: propterea jubemur mortificare membra terreſtria, *Col*. 3. 5.

II. Fides in hac vita non eſt perfecta; Ergo nec regeneratio, 1 *Cor*. 13. *v*. 9. *Reger*. Imo in quibuſdam eſt perfecta, alioqui ſequeretur, fidem nunquam fieri perfectam, quum in vita futura ejus nullus futurus ſit locus. *Reſp*. Erit locus *quoad rem*, non *quoad nomenclaturam*; Nam non vocabitur *fides*, ſed *aſpectus*, 1 *Cor*. 13.

III. Nemo eſt qui non peccat; Ergo non datur perfecta regeneratio. Antecedens, 1 *Reg*. 8. *v*. 47. *Reger*. 1 *Ioan*. 3. 6. *Reſp*. Non peccat pro modulo regenerationis; alias quod peccat, patet 1 *Ioan*. 1. *v*. 8.

Obj. I. Vocantur aliqui perfecti in Scriptura. Ergo. *Reſp*. Perfecti ratione *partium*, non *graduum*. *Reger*. Imo & perfectione graduum, nam ſunt inculpati; qui vero inculpati, illi omnimodo perfecti, *Luc*. 1. *v*. 6. *Reſp*. Aliud eſt, eſſe ſine peccato; aliud, ſine reprehenſione: poteſt aliquis ſine reprehenſione, ſed non ſine peccato vivere; imo & homo alienus ab Eccleſia, poteſt vivere ſine reprehenſione. Vide *Phil*. 3. 6.

Obj. II, ex loco eodem: Serviunt Deo *toto corde*, &c. Ergo, 2 *Reg*. 23. *v*. 25. *Reſp*. *Totum* opponitur aliquando *imperfecto*, & tale non cadit in hominem in hac vita: aliquando opponitur *hypocritico*, & ſic cadit in fideles; quomodo hic accipiendum eſt: quod liquet ex capite ſequenti, ubi Joſias bello non neceſſario ſe admiſcuit, in quo etiam interiit. *Inſt*. 2 *Reg*. 20. 3, cum iſto, *animo toto*, conjunguntur duo, fideliter ambulaſſe coram Deo, & bonum feciſſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

feciſſe in oculis ejus: ſi vero ita ambulavit animo toto, ut bonum hoc fuerit in oculis Jehovæ, tum perfecte ambulavit. *Reſp.* Opera bonorum placent Deo, & bona ſunt in oculis ipſius, ex eo, quia perſona placet; perſona autem placet in Christo: nam in ipſo teguntur iniquitates ipſius.

Obj. III. 1 *Reg.* 14. 8, David dicitur non peccaſſe. Ergo tantum fecit bona. *Reſp.* Verba ſecundum ſubjectam materiam accipienda: loquitur autem de cultu Dei & ipſius obſervatione, quem cultum perverterat Jeroboam: nihil ergo hic fecit David circa cultum fidei immutandum ulla ex parte. *Inſt.* David fuit vir ſecundum cor Dei; E. tantum bona fecit. *Reſp.* Fuit ſecundum cor Dei, id eſt, placebat Deo, non *in ſe* conſideratus, ſed *in Chriſto*; in quo Deo placuit reconciliare ſibi omnia quæ in cælo & in terra.

QUÆSTIO V.

An gradus dentur regenerationis in hac vita, ita ut unus ſit magis regenitus quam alter?

Reſp. Affirm. Argumentum I. *Gal.* 4. 1. Si homines V. T. erant infantes, ut in cognitione, ita in regeneratione, comparate ad homines N. T; tum dantur gradus diverſi in hac vita. Verum prius. Ergo. *Reger.* Dici infantes ob multitudinem legum cerimonialium, quas obſervare debebant; non vero quod minus ſcirent myſteria ſalutis quam nos. *Reſp.* Imo ex eo, quia cerimoniis locus erat, Prophetiæ nondum impletæ fuerunt, ac proinde illis minus nota myſteria ſalutis.

II. 1 Cor. 13. *Ex parte ſcimus.* Si fides non eſt eadem, ſed in altero major, in altero minor: tum etiam erit regeneratio. Verum prius. Ergo. *Reger.* Ex hoc loco non poſſe deduci, quod gradus ſint fidei; nam dicitur de omnibus, quod ex parte ſciant. *Reſp.* Licet dicatur in communi, tamen non ita de fide majore, quam minore; ſed præterea fides vocatur aliorum robuſta, aliorum exigua, *ellychnium fumigans*, &c.

III. 1 *Cor.* 3. 1, 2. Conſequentia *Heb.* 5. 13. ubi ſtatuuntur quidam infantes, quidam adulti ratione regenerationis. *Reger.* At non agitur hic de regenitis, quia carnales ſunt. *Reſp.* Carnalis duplex eſt, *vel plene* carnalis: & talis irregenitus eſt: vel *ex parte*, & ſecundum quid; & talis omnis regenitus.

Obj. I. *Ioan.* 6. 45. Erunt omnes docti à Deo; Ergo æqualiter. *Reſp.* Conſequent. nulla, ut liquet 1 *Cor.* 12. 4, 5, 6. *Inſtant:* 1 *Ioan.* 2. 27, Non opus habent, ut quiſquam illos doceat, Ergo æqualiter docentur. *Reſp.* *Doceri*, ibi non opponitur doctrinæ divinæ per miniſtros traditæ, ſed doctrinæ humanæ, ut hic ſit ſenſus: Ex Verbo Dei diſcetis, & inde ſufficientia media ad ſalutem haurietis; ita ut non ſit neceſſe hic aliquid ab hominibus ex commentis ipſorum diſcere.

Obj. II. Act. 2. verſ. 17. *Effundam è Spiritu meo* &c. Ergo æque erunt omnes docti & regeniti. *Reſp.* Falſum hoc eventus docuit. Nam de omnibus non dicit, ſed de perſonis extraordinariis: imo etiam in Prophetis dona æqualia non fuere; hinc Ioannes Baptiſta dicitur major omnibus Prophetis, *Matth.* 11. *Inſt.* Imo omnes dicuntur inchoative regigni: Ergo omnes æqualiter regignuntur. *Reſp.* Inchoative omnes, ſi ſpectemus complementum; hinc *Rom.* 8, dicimur primitias Spiritus habere omnes; at in iſta inchoatione unus plus altero proficit.

Obj. III. *Eph.* 4. 5. Una fides omnium, Ergo & regeneratio; & ſic æqualis. *Reſp.* Agitur ibi de fide *qua creditur*, non *qua creditur.* Nam gradus dari fidei iſtius qua creditur, oſtenſum ſupra. *Inſt.* Si datur gradus fidei, datur & juſtificationis. Abſurdum hoc. *Reſp.* Datur gradus in remiſſione peccatorum juſtificationis, nam uni plura remittuntur quam alteri; nec tamen ideo hoc ſequitur. 2. Fides non qua magna, ſed qua ſincera, juſtificat: ſi ergo ſincera eſt, apprehendit hoc ipſum quod firma, etiamſi non ita firmiter teneat ex parte ſui, ut firma.

QUÆSTIO VI.

An gratia regenerationis ſit reſiſtibilis?

Reſp. Negat. Argumentum I. Rom. 9. *v.* 19, *Voluntati ejus quis reſiſtit?* Si nemo reſiſtit; Ergo regeneratio eſt irreſiſtibilis. Conſeq.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Nam voluntas Dei eſt gratia benefaciendi. *Reger.* Non poteſt reſiſti voluntati Dei *abſolutæ*, ſed poteſt *conditionatæ*. *Reſp.* Mala diſtinctio. Nam in univerſum dicit, quod voluntati divinæ nemo reſiſtit; nec poteſt ſic diſtingui, cum voluntas Dei ſit ſimpliciſſima.

II. Si Deus in converſione hominis tollit reſiſtibilitatem, tum gratia, de qua hic agitur, eſt irreſiſtibilis. At tollitur *Ezech.* 36. *verſ.* 26, 27. *Reger. Armin.* Eximam cor lapideum, ſi non renuatis. *Reſp.* Abſurda hæc ſunt, & hic erit ſenſus, Tollam in vobis reſiſtibilitatem, niſi reſiſtatis. Nam quomodo tollet, ſi reſiſtant?

III. Gratia regenerationis continet in ſe velle; Ergo irreſiſtibilis. Conſeq. Si per hanc gratiam datur homini velle, volet; ſi volet, quomodo aliquis reſiſtat? Minor, *Phil.* 2. *verſ.* 13. *Reger.* Vult ſi non renuas. *Reſp.* Senſus prodit hanc reſponſionem: dat velle, ſi volueris; quid opus dare, ſi habes?

Obj. I. Eſa. 5. 4. *Quid faciam vineæ*? &c. *Reſp.* Locutio eſt anthropopathica, ſumpta ab homine, qui, cum omnia fecit quoad externa media, quæ fieri poterant, dicit, *Quid amplius faciam?* alioquin poterat Deus facere; quod tamen noluit, quia ipſi ita placuit. De quo 1 *Cor.* 3. 5, 7, quod Paulus & Apollo quidem fecerint externa media, at incrementa dare ſolius Dei eſt. *Inſt.* Quid ergo Deus tantopere conqueritur, quod fructum ipſi non dederat? *Reſp.* Paulus *Rom.* 9. 19, 20.

Obj. II. *Luc.* 7. *verſ.* 30, Si conſilium adſpernati ſint contra ſe, tum gratia Dei eſt reſiſtibilis. Conſequentia. Nam conſilium Dei eſt decretum Dei. *Reſpond.* Conſilium accipitur aliquando pro decreto, aliquando pro mandatis; quia conſilia quæ ſunt decreta, plane non mutantur. *Inſt.* *Prov.* 1. *v.* 24. ubi expreſſe dicitur, Deum velle quod ad ſe veniant, & conſulit: Ergo hoc loco agitur de decreto. *Reſpond.* Agitur de vocatione Dei externa iſthoc loco, ac externe vocat; ita ut oſtendat, non quid velit, ſed quid poſtulet, & quid ipſi debeatur.

Obj. III. Act. 7. 51. *Vos Spir. Sancto obnitimini*: Ergo gratia iſta reſiſtibilis. *Reſp.* Reſiſtunt Sp. Sancto *externe docenti*, non *interne operanti*. *Inſt.* At eo fine eos externe docet, ut obtemperent; Ergo ſi non obtemperant, reſiſtunt Sp. Sancto. *Reſp.* Quid reſiſtere Sp. Sancto, quid peccare, de eo non eſt judicium ferendum ex occulta voluntate Dei, ſed ex Verbo ipſius, *Deut.* 29. 29.

QUÆSTIO VII.

An fides actualis ſit cauſa regenerationis?

Reſp. Negat. Argumentum I. Si prius habemus oculos ad videndum, aures ad audiendum; tum ſequitur, fidem actualem non eſſe regenerationis cauſam. Nam oculos habere ad videndum, eſt eſſe regenitum. Minor prob. *Deut.* 29. 4. *Reger.* Per oculos iſtos, per aures, &c. denotari fidem actualem. *Reſp.* Ineptit. Nam oculus non ſignificat viſionem, auris auditum: Ita nec oculus ſpiritualis notat actionem fidei, ſed fidem actualem.

II. Fides actualis oritur ex habituali; Ergo fides actualis non eſt cauſa regenerationis: Conſeq. certa. Nam ſi ex habituali oritur: Ergo prius fuit habitualis, antequam ipſa ſit. Minor, Quia omnes actus fluunt ex habitibus ſpiritualibus infuſis. *Reger.* Imo per hanc actionem vita ſpiritualis inducitur. *Reſp.* Falſum. Nam cum fides ſit hominis fidelis efficienter, & formaliter; ſequitur, actum vitæ ſpiritualis in aliquo eſſe formaliter, in quo vita ipſa non ſit.

III. Si fides actualis eſt cauſa regenerationis, infantes non erunt regeniti. Abſurdum. Conſequent. Quia infantes non habent fidem actualem. *Reger.* Neque habere fidem habitualem. Nam unde hoc nobis notum eſſet? *Reſp.* Inde, quia ſunt regeniti, quod neque adverſarii negare poſſunt: Jam autem regeneratio noſtri conſtat, ut aliis habitibus infuſis, ita habitu fidei.

Obj. I. Fides actualis unit nos cum Chriſto: Ergo ea eſt cauſa regenerationis. Conſequent. Quia ut vita ſpiritualis ex conjunctione cum Chriſto oritur in nobis, ita & regeneratio. *Reſp.* Duplicem unionem cum Chriſto. 1. Ex parte Dei. 2. Ex parte noſtri. Ex parte Dei, dum nos dat Chriſto, tum nos actu inſerit in Chriſtum. Ac ex hoc oritur ſpiritualis vita in nobis & regeneratio. Ex parte noſtri non facit unio, *quoad*

rem,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

rem,unionem, ſed *quoad ſenſum* tantum. *Inſt.* Imo per fidem dicitur Chriſtus habitare in cordibus noſtris; quomodo ergo ex parte noſtri hæc unio nihil faceret ad actum, ſed ad ſenſum tantum? *Reſp.* Habitat per fidem *quoad ſenſum*, non *quoad actum* rei,quia jam habitavit antea in nobis.

Obj. II. Sine fide nihil placet Deo, *Heb.* 11. Ergo nulla regeneratio ſine fide actuali, &c. *Reſp.* Sine fide nihil placet Deo, vel *antecedenter*; vel *conſequenter*; id eſt, nihil placet, quod vel fides non antecedat, ut bona opera; vel conſequatur, ut vitam ſpiritualem, cujus pars eſt fides habitualis. *Inſt.* Imo nihil datur antecedenter. *Reſp.* Falſum. Nam vita ſpiritualis placet Deo, quam tamen fides actualis non antecedit, ſed ſequitur, utpote actus ejus.

Obj. III. Per fidem juſtificamur: Ergo eſt cauſa regenerationis. Conſequent. Quia juſtificatio præcedit regenerationem. Quod autem eſt cauſa cauſæ, erit & cauſati. *Reſpond.* Præſupp. hypoth. falſa, Quaſi fides actualis ſit cauſa juſtificationis, & non quoad ſenſum tantum. *Inſt.* Dicimur regigni ex ſemine immortali, 1 *Pet.* 2: Ergo per fidem actualem: nam, *Rom.* 10, fides ex auditu eſt. *Reſpond.* Jam ſæpe reſponſum: dicimur regigni per ſermonem, quia ex eo regeneratio nobis innoteſcit.

QUÆSTIO VIII.

Anne dum Deus dicitur præmovere, promovere, ſuccurrere, tres notentur diverſi actus Dei, quos Scholaſtici præcurſum, concurſum, ſuccurſum vocant?

Reſp. Iſta tantum ratione diſtingui. Nam præmotio Dei, in quantum continuatur cum eo quod movet, vocatur concurſus; in quantum cœpit,vocatur præcurſus; in quantum concurſu pauliſper ſuſpenſo eandem redintegrat,ſuccurſus dicitur. Probatur.

I. Act. 11. *In Deo vivimus, movemur, & ſumus* &c. Quod Theologi ſic explicant: In ipſo vivimus, id eſt, totam vitam ex ipſo habemus; in ipſo movemur, continuum motum ab eo habemus: motus autem continuus includit hæc omnia, & præcurſum & concurſum & ſuccurſum.

II. Eſa. 10. *Sicut baculus in manu vibrantis, ita Aſſur in manu Dei.* Atqui in vibrante baculum præcurſus non differt realiter à concurſu vel ſuccurſu. Ergo etiam hæc idem ſunt in Deo.

III. Jer. 18. *Vt argilla in manu figuli* &c. Quod autem figulus cum argilla facit, unus motus eſt.

IV. Ex eo, quod, dum fideles petunt gratiam, petunt cum continuatione, ubi quidem continuatio concurſus fit & ſuccurſus. Illa tamen unico verbo hoc exprimunt & actu. verbi gratia: *Flecte animam meam ad ſtatuta tua* &c. *Dabo vobis cor novum. Super hanc petram ædificabo Eccleſiam.*

Obj. Iſta à ſe invicem ſeparari poſſunt. Concurſus & ſuccurſus à præcurſu. Nam ſæpe Deus incipit movere, & poſt deſinit. 2. Sæpe quis incipit operari, antequam à Deo moveatur. *Reſp.* ad 1, Quod ſæpe Deus præmovet, nec tamen concurrit; non tamen ſequitur, quod ſi continuaret præmotionem iſtam, quod iſta continuatio realiter differret à præmotione. *Reſp.* ad 2, Blaſphemum eſſe, poſſe Deum concurrere cum creatura, & eam tamen non moveri, vel quod ſe moveat, non præmota à Deo. Ita enim creatura eſſet independens; ut enim quid ſe habet in operando, ſic & in eſſendo. π. ψ. eſt. *Arminiani dicunt*, Deum non præmovere hominum voluntates *realiter* ad regenerationem, ſed *moraliter* tantum, hoc eſt, expectare, dum creatura incipiat operari, tum etiam cum creatura incipere operari. Quæ ſententia eos Atheos eſſe vel maxime oſtendit. Nam 1, Scriptura cor regis in manu Dei dicit; quæ autem ratio hujus, ea omnium, *Prov.* 21. *Ier.* 10.23. 2. Si Deus non præmovet voluntates noſtras, tum precari Deum non poſſumus, ut flectat eas ad ſtatuta ſua. 3. Non poterimus precari, ut aliorum voluntates vel erga nos vertat, vel à nobis avertat, *Gen.* 43. *v.* 13, 14.

CAP.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

CAPUT XVII.

De Fide.

QUÆSTIO I.

An fides conſiſtat in notitia & fiducia?

Reſp. Affirm. Argumentum I. Quoad prius, 1 *Cor.* 13. 9, Fidem dicit Sp. Sanctus notitiam. Ergo. *Reger.* De fide ibi agi miraculorum. *Reſp.* Neg. Nam non tantum miraculorum, ſed & ſalvifica: Salvifica enim comparatur cum caritate; & certe, non ſemper miraculorum fidei tempus eſt in hac vita: hic autem agit de tali, quæ manet in hac vita.

II. *Heb.* 11. 3. Per fidem intelligimus, Ergo eſt notitia. *Reger. Ameſ.* Aliud eſſe fidem, aliud τὸ intelligere. *Reſp.* Dicimur fide intelligere, non mediate, ſed immediate; non actu aliquo, ut dicimur fide credere.

III. *Eſa.* 53. *v.* 11. Cognitionem ſui &c. Hic Sp. Sanct. dicit cognitione juſtificari, quod alibi dicit fide juſtificari. *Reger.* Si idem erit fide juſtificari & cognitione, tum in ſola cognitione conſiſtit fides. *Reſp.* Synecdochice tribuitur parti, quod totius eſt.

Obj. I. Si in cognitione conſiſtit fides; tum ſequitur etiam in ipſos Diabolos fidem cadere, quia in illos cadit ſcientia rerum ſpiritualium, *Iacob.* 2. 19. *Reſp.* Non conſiſtit certe in cognitione *hiſtorica*, ſed *ſalvifica*. *Inſt.* Imo in tali cognitione etiam non conſiſtit, quæ cadit in filios Dei & fideles. Prob. Quia cognitio in fidelibus quoque ſæpe infructuoſa eſt, *Matth.* 7. 36. *Reſp.* Nos loqui ibi non de fidelibus, ſed infidelibus, qui audiunt Verbum Dei, nec præſtant.

Obj. II. Si prærequiritur ſcientia ad fidem, & eſt antecedens ejus; tum non poteſt eſſe ipſa fides: At eſt antecedens fidei, *Ioan.* 17. 8, *Et vere norunt, me à te prodiiſſe*, &c. Ergo. *Reſp.* Iſta particula *&* non copulare diverſa, ſed eadem; ut poſterius exegeticum ſit prioris. *Inſt.* Nemo poteſt credere, niſi prius ſciat quid credat; & ſic ſcientia præſupponitur, fides ſequitur. *Reſp.* Scit prius *cognitione diſciplinari*, poſt vero diſcit *experimentali*, quæ eſt pars fidei; nempe perinde hic habet, ac *Ioan.* 4, legimus de muliere Samaritana, quæ docuit primum ſuos concives, Chriſtum eſſe Meſſiam; ſed ipſi poſtea ita deprehenderunt rem eſſe.

Obj. III. *Luc.* 12. 47, Si in cognitione conſiſtit fides, ſervus ille fidelis fuiſſet. *Reſp.* Agi de cognitione *theoretica*, non *practica*. *Inſt.* Nihil intereſſe inter theoreticam & practicam, niſi quod ibi ſit fiducia, hic non item. *Reſp.* Falſum. nam ex cognitione ſalutari oritur fiducia; *Matth.* 16. *v.* 16, 17.

II. *Fidem in fiducia conſiſtere*, probatur.

I. Ex Symbolo Apoſtolorum, ubi habetur, *Credo in Deum.* Jam autem notæ ſunt iſtæ phraſes apud Theologos, *Credere in Deum, Credere Deum*, & *Credere Deo*. 1. Fiduciam. 2. Notitiam. 3. Aſſenſum notat.

II. *Matth.* 9. 2. ubi dicitur, *Confide* &c. Ergo conſiſtit in fiducia. *Reger.* Nuſquam accipitur *fidere* pro *credere*. *Reſp.* Negat. Nam etiam apud auctores profanos capitur ita: Ut,

O formoſe puer! nimium ne crede colori.

hic *credere* accipitur pro τὸ *fidere*.

III. *Pſal.* 2. 12. *Beati qui confidunt in eum*; Ergo in fiducia conſiſtit fides. *Reger. Socin.* Fidem non habemus in hominibus, & tamen poteſt aliquis fiduciam habere in homine: fiduciam habemus in Chriſto, qui homo eſt; hinc illud, *Creditis in Deum*, id eſt, fiduciam habetis in Deo, *& in me credite*. *Reſp.* 1. At arguitur, quia vox *credendi* proprie uſurpatur in hoc loco. 2. Falſum, quod Chriſtus tantummodo ſit homo: credimus ergo in eum, ut Deum.

Obj. I. Non poteſt eſſe in fiducia fides, quia *homo neſcit, an amore vel odio ſit dignus*. *Reſp.* 1. Non haberi in textu Hebræo tale quid. 2. Dato & non conceſſo, diſtinguitur: Neſcit homo alter, ſc. de altero, ex rebus proſperis vel adverſis, ſitne homo in amore Dei, nec ne, quia ſæpe adverſis premuntur boni, & contra &c. *Inſt.* Imo homo pius de ſe ipſo non poteſt judicare, quia vel Scriptura dubitare jubet, *Ioël.* 2. 14. *Reſp.* Dubitat Scriptura non de eo, quod Deus non condo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

condonet peccata vere pœnitentibus; ſed de eo, an non velit Deus, poſtquam remiſerit peccata, caſtigare ſuos: ſolet enim Deus etiam eos caſtigare ſæpe, quibus peccata condonat, ut videre licet in Davide.

Obj. II. Si fides in fiducia conſiſtit, tum fides efficit nos confidentes. At non efficit. Ergo. *Reſp. Confidentis* vox dupliciter capitur: vel pro *præſumptuoſo*, qui ſcilicet ſeipſo nititur: & tales confidentes non facit: Eſt & *confidens*, qui in Chriſto incumbit, & nihil quicquam extimeſcit. vide *Pſal.* 23. 4. Et ita nos fides confidentes facit. *Inſt.* Si confidentes nos faceret, niteretur Verbo Dei: at nullibi exſtat, quod in ſingulari jubeatur hic vel ille confidere. *Reſp.* At jubentur in genere: nempe hic ita habet, ut fit in Decalogo: non jubetur Petrus, Paulus, non furari, in ſingulari; jubentur tamen in genere.

Obj. III. 1 *Cor.* 10. 12, Jubemur timere; Ergo non in fiducia conſiſtit, &c. *Reſp.* Vitioſe citari ab Adverſario locum; non enim habet, qui ſtat, ſed videtur ſtare: Nempe Apoſtolus loquitur, non de eo, qui revera ſtat, ſed qui videtur ſibi ſtare. *Inſt.* Imo de fidelibus quoque dicitur, ut cum timore ſalutem operentur. *Reſp.* Duplex eſt timor; *Diffidentiæ*, & *præſolicitudinis*: non prior timor eſt hic, ſed poſterior, qualis fuit in Paulo, *Act.* 27. ubi juſſit fugam nautas inhibere, cum tamen ex promiſſione Dei, exploratam haberet omnium illorum ſalutem.

QUÆSTIO II.

An fides deficere poſſit?

Reſp. Negat. Argumentum I. *Luc.* 22. 31, 32. Si Chriſtus precatus eſt, ne deficeret fides Petri; tum fides fidelium non deficit. Conſequent. Nam quod pro uno fidelium precatur, precatur pro omnibus. Minor patet; quia Chriſtus ſemper exauditur, *Ioan.* 12. 42. *Reger. Armin.* Petrus abnegavit Chriſtum; Ergo defecit. *Reſp.* Præſupp. hypoth. falſa; ut qui Chriſtum ore abnegent, corde ſtatim abnegent. quod falſum: multi enim credunt in Chriſtum, qui non audent confiteri, *Ioan.* 12. 42.

II. Si deficit, non poſſunt verificari hæc: *Qui credit, habet vitam æternam; tranſit à morte in vitam.* At hæc vera ſunt. Ergo. Conſeq. Quia poſſet quis credere, & poſtmodum deficere; & ſic, non habere vitam æternam. *Reger.* Qui credit, quamdiu credit. *Reſp.* At in hac vita non niſi inchoative habetur vita æterna: E. hoc nihil eſt. Præterea aliter loqueretur de his, ſi fides deficere poſſet; ſcilicet non diceret, qui credit, ſed qui perſeveraverit.

III. *Ioan.* 10. 28. Si oves Chriſti nemo ex manibus ejus rapiet, tunc fides non deficit. At verum. Ergo. Major certa. Nam ſi fides poſſet deficere, poſſent oves rapi. *Reger.* Nemo poteſt rapere, niſi ſe ipſum proſtituat. *Reſp.* Si fides noſtra eſt victoria, & vicit mundum; tum non poſſunt ſe proſtituere. Verum prius. *Reger.* Vicit mundum, ſed non propterea carnem, & Diabolum. *Reſp.* Quod Diabolum vincat, prob. *Eph.* 6. 16. Quod carnem ſuperemus, liquet *Gal.* 5. 24.

Obj. I. Multi ſunt Apoſtatæ; Ergo aliquis poteſt à fide deficere: quia is dicitur Apoſtata, qui à fide defecit. *Reſp.* Deficit à fide, non *quâ creditur*, ſed *quæ*, id eſt, à vera religione: quæ vocatur *fides quæ*. *Inſt.* Etiam qua creditur, 1 *Tim.* 1. *verſ. ult.* *Reſp.* Et hic *quæ creditur*, non *qua creditur*. 2. In Græco non habetur *expulſa*, ſed *repulſa*.

Obj. II. Poſſunt in adulterium prolabi, ut David; in idololatriam, ut Salomon: At tales amittunt fidem; nec enim ſcelus vaſtans conſcientiam cum fide conſiſtere poteſt. *Reſp.* Negando, non poſſe cum diſtinctione data: poteſt, non ut ipſi indulgeatur ab eo, qui illud patravit; ſed ut de illo pœnitentiam agat: ſive ex continenti ſimulac patratum eſt: ſive ex intervallo. nec enim penes nos eſt pœnitentiam agere, ſed in manu ſolius Dei miſerentis eſt nobis hoc dare. *Inſt.* Contradictio eſt, ſceleſtum eſſe, & fidelem eſſe. *Reſp.* Non qui ſcelus commiſit, ſtatim ſceleſtus eſt: ut nec qui ſemel ebrius, ebrioſus: ſceleſtus enim eſt ex habitu pleno & radicato, non ſemipleno, vacillante & nutante.

Obj. III. Poteſt aliquis fidei gradus perire. Ergo. Nam ſi unus gradus, nulla eſt ratio, cur non & alter, & tertius. Minor patet *Matth.* 24. 12. *Refrigeſcit caritas multorum. Reſpond.* Conſequent. negando. Nam, etiamſi hoc poſſet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

fieri ratione fidei noſtræ, non tamen ratione virtutis Dei, cuſtodientis nos; qui utut patiatur aliquem fidei gradum perire, non tamen totam permittit. vide 1 *Pet.* 1. 5. *Inſtant:* Si quidam qui dicuntur recipere Verbum Dei, deficiunt penitus; tum etiam fides penitus deficit. vide *Matth.* 13. *v.* 20, 21. Conſeq. Quia recipere Verbum Dei, eſt credere. *Reſp.* Excipitur Verbum Dei, vel *fide ſalvifica*, vel *temporaria*: agitur vero ibi de temporaria fide, ſcilicet quæ radicem non habet.

QUÆSTIO III.

An juſtificemur per fidem, an ex operibus?

Reſp. Poſt. neg. Argumentum I. *Rom.* 4. 1, 2, 3. ubi negat, Abrahamum juſtificatum ex operibus, ſed ex fide: Ergo ſola fide. *Reger.* At fides eſt opus, *Ioan.* 6. 29. *Reſp.* 1. Vocari opus *alluſive*, non *vere*. 2. Sit opus, non tamen juſtificat quatenus opus; ſed quatenus apprehendit juſtitiam Chriſti.

II. *Act.* 10. 43, remiſſionem peccatorum accepit, &c. *Reger.* Licet accipiant remiſſionem peccatorum per fidem, non tamen fit excluſive. *Reſp.* Non poteſt ab Adverſariis oſtendi, quod ſit aliquid aliud, per quod accipiamus remiſſionem peccatorum, quam fides.

III. *Gal.* 3. 16: Abrahamo verò datæ ſunt promiſſiones & ſemini ejus. *Reger.* Etiam excluſive hic non eſt. *Reſp.* Imo excludit opera. vide Rom. v. 28: *Colligimus, fide juſtificari hominem abſque operibus Legis.*

Obj. I. *Iacob.* 2. 12. Non ex fide tantum. Ergo. *Reſp.* Juſtificamur non *effective* (de quo diſceptatio,) ſed *declarative*. *Inſt.* Imo eodem modo juſtificamur, quo ex fide; conjunguntur enim iſta *v.* 24. *Reſp.* Conſequentia nulla. nam eidem rei poteſt tribui effectus, ſed non eodem modo. Sic, verbi gratia: *Scindite corda veſtra, & non veſtes*, Ioël. 2, dicitur de duobus hic *ſcindere*, neque tamen ſignificatione eadem accipi debere, quilibet videre poteſt.

Obj. II. Fides per caritatem eſt efficax, *Gal.* 5. 6. Ergo non ſola fide. *Reſpond.* Efficax eſt quoad ſui manifeſtationem, eo ſenſu quo dicitur 2 *Cor.* 12. 9, Potentia Dei per infirmitatem perficitur, id eſt, manifeſtatur. *Iacob.* 2. 18. *Inſt.* Caritas eſt forma fidei, quia comparatur ſpiritui; fides vero corpori, *Iacob.* 2. 26. Ergo juſtificat potius quam fides. *Reſp.* Spiritus dupliciter capitur in Phyſicis; vel pro ſpiritu animali, à quo pulſus & motus cordis; vel pro altera parte eſſentiali: hoc loco ſignificat poſterius; nam prout ubi non eſt ſpiritus hujuſmodi, ibi nullus pulſus in homine, & ſic vita nulla: non quod ſpiritus ille ſit cauſa efficiens principalis vitæ; nam eſt inſtrumentum tantum: ſed quod ex defectu ipſius, tanquam inſtrumenti neceſſarii, cognoſcitur corpus eſſe mortuum.

Obj. III. Fides non eſt ſola; Ergo non juſtificat ſola. *Reſpond.* Non eſt quidem ſola, ſed tamen ſola juſtificat: unde diſtinctio, Fides juſtificat *ſola*, ſed *non ſolitaria*. *Inſt.* *Pſal.* 18. 25. Si opera imputantur ad juſtitiam, tum non minus juſtificant, quam fides. Conſeq. Quia fides quoque dicitur imputari ad juſtitiam. *Reſpond.* Eſt fallacia plurium interrogationum, quia nec fides proprie imputatur ad juſtitiam, ſed obedientia Chriſti. Dum igitur dicitur fides imputari, ponitur ſubjectum, & intelligitur objectum, mors nempe Chriſti & obedientia ejus: Quomodo ergo bona opera poſſunt proprie juſtificare?

QUÆSTIO IV.

An unuſquiſque in ſua fide, ſeu religione, ſalvari poſſit?

Hac quæſtione ſoli Athei à ſalute excluduntur. Sunt autem plurimi, qui affirmativam quæſtionis aſſerere non verentur: quales ſunt, Turcæ, atque, teſte Busbequio in legatione Conſtantinop., Arminiani, Sociniani, & Scholaſtici aliqui. Sed tamen hi in duplici differentia iterum: Aliqui enim dicunt, in quavis religione, ſive Chriſtum quis profiteatur, ſive non, ſalvari tamen poſſe; quales ſunt Turcæ, & Scholaſtici aliqui: Alii vero eos tantum ſalvandos cenſent, qui Chriſtum profitentur; & hi tales ſunt Sociniani & Arminiani. hinc etiam Syncretiſmum & unionem urgent cum Anabaptiſtis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

baptiſtis, imo cum omnibus, ſolis Pontificiis exceptis, quos idololatras vocant. Agendum contra utroſque: & primo quidem contra priores.

I. Si etiam ipſi Gentiles ſervari poſſunt in ſua religione; Ergo fruſtra fides urgetur tanquam neceſſarium quid ad ſalutem. Ratio, Quia poterit quis ſalvari, qui fidem non habet. At abſurdum poſt. Ergo & prius. Abſurditas poſterioris probatur *Ioan.* 3, Qui credit ſalvabitur; qui non credit, jam judicatus eſt.

II. Ergo Chriſto opus non eſt. At hoc abſurdum. Nam *non eſt nomen datum ſub cælo, in quo* &c. *Act.* 4.

III. Si nemo venit ad Patrem, niſi per Chriſtum; Ergo nemo ſalvatur, qui Chriſtum non habet. Verum prius: Ergo & poſterius. Prius certum, *Ioan.* 14. Hic infinita adferri poſſent, niſi ea obvia eſſe ſciamus, ſaltem mediocriter in Scriptura verſatis.

Obj. I. Rom. 1. 21: *Gentes cum cognoviſſent Deum* &c. collato cum v. 14 capitis 2, *Gentes quæ legem non habent* &c. Dicunt ergo: Qui Deum non tantum cognoſcunt, ſed etiam naturaliter ea quæ Legis ſunt, faciunt, illi ex naturæ ductu ad ſalutem poſſunt pervenire. Sed tales fuerunt Gentes, quæ Legem Moſaïcam non habebant. Ergo abſque cognitione Chriſti ſalutem poterant conſequi. *Reſp.* Gentes quidem Deum ex libro naturæ cognoviſſe, & quædam quæ ſunt Legis, ex dictamine ſolius rationis præſtitiſſe, non tamen tantum, vel tam conſtanter, vel tali modo, quin accuſaret eos conſcientia, plurima, imo potiora, à ſe neglecta, nec pauciora perperam à ſe acta, ſecundum illud: *video meliora proboque* &c. Quare cum non permitteret concupiſcentiæ tyrannis, ut ea perficerent, quæ dictavit reſiduum lumen illud rationis, tam Judæi, quam, Gentes receperunt ſe ad illud, quod Deus deſtinavit medium ſalutis unicum, nempe fidem in Chriſtum, qua ſola juſtificarentur.

Obj. II. Hebr. 11. 6: *Accedentem ad Deum, oportet credere, eſſe Deum, & præmia largiri iis qui ipſum requirunt.* At tantum poſſunt Ethnici per cognitionem naturalem. Non eſt igitur neceſſaria alia cognitio. *Reſp.* Diſtinguitur cognitio Dei, in *Philoſophicam*, qua intelligitur tantum, quod Deus ſit omnipotens rerum omnium Conſervator; & *Theologicam*, juxta quam ex Lege & Evangelio diſcimus, quod non ſit tantum Pater, Filius, & Sp. Sanct., Creator & Conſervator, ſed etiam poſt lapſum Reſtaurator. 2. Quærunt eum vel *Legaliter*, vel *Evangelice*. Accedentem ad Deum, oportet requirere non Deum Legaliter, hoc enim fruſtra eſſet; ſed Evangelice per fidem in Mediatorem, qui ſuo lytro ſatisfecit judici, & gratis juſtificat impium.

Obj. III. Gentes non amiſerumt in Adamo quod Adamus nunquam habuit. Sed Adamus non habuit vires credendi in Chriſtum. Quia ſi non peccaſſet, non opus habuiſſet Mediatore. Ergo Gentes in ipſo potentiam credendi non amiſerunt. Poſſunt igitur ex viribus naturæ credere. *Reſp.* Molinæus in ſua Anatome: Utcumque Adam non tenebatur credere in Chriſtum, quia non fuit ipſi annuntiatus; habuit tamen potentiam credendi, ſi qua ipſi annuntiaretur. Numquid autem, qui ex vidente factus eſt cæcus, facultatem non amiſit videndi domum quæ aliquot annos poſt cæcitatem ejus eſt ædificata?

Obj. IV. *Act.* 10. Cornelii, antequam de Chriſto audiviſſet, orationes & eleemoſynæ adſcenderunt in conſpectum Dei: de quo poſtea ibidem Petrus, *v.* 34, 35, *In veritate comperi* &c. Ergo aliquis, inquiunt, poteſt eſſe Deo acceptus ſine Chriſti cognitione, & conſequenter, ſalutem conſequi. Lombardus, lib. 3 ſentent. diſt. 25, dicit, Cornelium ante operum acceptationem habuiſſe fidem in Meſſiam venturum, de quo inaudivit procul-dubio plurimum à Judæis, inter quos tunc verſabatur; licet illum tum veniſſe, & ſalutis myſterium peregiſſe, nondum plene & plane intellexiſſet: dirigitur ergo ab Angelo ad Petrum, qui plenius ipſum inſtitueret, quare non accenſendus erat Ethnicis, ſed Patribus, qui ſalutem à Redemptore nondum patefacto (ut interpretatur Calvinus) expectarent. Ergo ab adventu Petri non accepit fidei *initium*, ſed *augmentum*.

Obj. V. *Gregorius de Valentia* ita ſophiſticatur: Quocumque temporis momento, inquit, poteſt quis ſalutem conſequi: ut patet. *E-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

zech. 18. Sed non poteſt quis erudiri quovis momento de fide in Chriſtum: ut, verbi gratia, moriens apud Barbaros, ubi intervenire non poteſt aliqua de Chriſto inſtitutio. E. iſta fides de Chriſto non eſt ſimpliciter neceſſaria. *Reſp.* Loquitur Ezechiel de membris Eccleſiæ; quibus proſunt quovis momento media ſalutis: non alienis, qui tali deſtituuntur privilegio. Noſtrum vero eſt, ſolicite inquirere, non quid Deus poſſit aut ſoleat extraordinarie operari, ſed quid pollicitus ſit, in Verbo ſuo ſe facturum, ut inde ſapiamus.

Altera pars affirmantium non ſibi ſatis conſtat; quantum tamen ex Socinianis & Arminianis colligere poſſumus, ita ſentiunt: Quod omnes qui Chriſti nomen profitentur, ſalvari poſſint, modo non ſint idololatræ; ſinceræque pietati ſtudeant; nempe hoc volunt: Juſtificari hominem ex operibus. At primo in limine impingunt; Nam Scriptura conjungit iſta, Velle juſtificari ex operibus, & Chriſto excidere, *Gal.* 5.4. Nos ergo dicimus, in profeſſione iſta Chriſti diverſiſſimos eſſe horum ſenſus, & pleroſque horum eſſe idololatras. Primo ergo hoc probabimus; Secundo oſtendemus, non quemlibet ſenſum de Chriſto eſſe ſalutarem, ſed eum qui verus eſt. Plerique ergo horum adorant Chriſtum cultu religioſo, qui tamen eum Deum negant. Dixerit quis, Arminianos tales non eſſe. *Reſp.* Imo vero, quia negant Chriſtum αὐτόθεον· Si non αὐτόθεος, Ergo nec Deus eſt. Adorant ergo iſti Chriſtum, quem Deum non fatentur. Atqui hæc veriſſima idololatria, ut patet ex Angelo, *Apoc.* 19, qui Joanni proſtrato ad pedes dixit, Sum ex confratribus tuis, Deum adora: tum & *Gal.* 4, ubi Paulus deſcribit qui & quales Galatæ eſſent ante converſionem, ſcilicet ſervierint illis, qui non erant natura Dii. & certe præceptum eſt, Deut. 6, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* Sociniani hoc eludere volunt, dicentes, præceptum hoc valuiſſe ſub Veteri, non valere ſub Novo Teſtamento. Sed quæ ratio iſtius? Chriſtus ſane ſub Novo Teſtamento urget hoc præceptum contra Satanam, *Matth.* 4: quod fieri nequaquam potuiſſet, ſi præceptum hoc in Novo Teſt. non valeret. Hinc ergo colligitur, tum Socinianos, tum Arminianos, eſſe idololatras, atque adeo à ſtatu hujus quæſtionis non poſſe eliminari Pontificios, niſi ſimul ſe ipſos excludant. Oſtendemus jam de profeſſione Chriſti. Sciendum, pleroſque horum uſurpare nomen Chriſtianorum, & profiteri Chriſtum, tantummodo ut locus ipſis eſſe poſſit inter Chriſtianos. Nam dogmata ipſorum planiſſime eadem ſunt cum dogmatibus Turcarum. Atqui, *dices*, Turcæ multas fabulas habent, quas nec Sociniani nec Mennonitæ admittunt. *Reſp.* Ita quidem: ſed interim nil docent Sociniani, quin hoc doceant itidem Mahometani, imo aliquando tolerabilius. Paucis rem perſtringam. Mahometani ſtatuunt, Chriſti Apoſtolos ſcripſiſſe Moſen & Prophetas: de V.T. ipſorum ſententia eſt, libros illius eſſe corruptos. Conferamus Socinianos, Arminianos, Anabaptiſtas cum iſtis. *Primo*, quoad V.T. dicunt, corruptos libros iſtos, ac proinde ex illis nil poſſe probari. Sociniani dicunt, eſſe abrogatos, neque ullam vim probandi habere. Quantum ergo hic differunt à ſe? Utrique abjiciunt V.T., etſi ex diverſa cauſa hoc faciant. Quoad N.T. eſt diſcrimen aliquod, ſive potius apparere videtur, interim & hic nullum. Nam, ut videantur facere magni, & majoris quàm Turcæ, ſcripta N.T., tamen reipſa nihili faciunt. 1. Quia rationem præferunt Verbo Dei, ita ut, ſi quid non conveniat cum ratione, hoc ipſum plane nihili faciant, etiamſi in N.T. hoc dicatur. Socin. l. 3, de Script. c. 2: *Nec ſi ubique clariſſimis verbis Scriptura hoc teſtaretur, ſic tamen rem habere nobis compertum eſſet.* & l. 3, c. 6: *Ego quidem, ſi non ſemel, ſed ſæpe in Sacris monumentis ſcriptum extaret, non idcirco prorſus rem ita habere crederem.* Habet quidem Alcoranus fabulas multas, ſed nec illi ſine iis ſunt. Nam Turcicæ ſimilis fabula eſt, quod Chriſtus in cælum raptus fuerit, & ibi de myſteriis Dei edoctus, antequam in cælum aſcendiſſet; Chriſti corpus abolitum eſſe inter aſcendendum in cælum, illudque in Spiritum mutatum eſſe. Quod ad Deum attinet, omnia credunt ſimiliter Mahometani. Nam perſonas eſſe in Deo penitus abnegant: imo dum de Filio agunt, eodem utuntur ſtultiſſimo argumento, quo Mahomet in Alcorano. Quærunt enim, an Deus uxorem habuerit, ex qua progenuiſſet Filium? multo tamen melius ſentit de Dei eſſentia, quam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

illi. Nam non paucis in locis fatetur, Deum eſſe infinitum, Deum ſolum æternum, omnipotentem. quod iſti negant. Quoad peccatum, negant Mahometani originale aliquod dari, negant & Sociniani; hinc liberum arbitrium in homine ad bonum & malum utrique ſtatuunt. Quoad juſtificationem noſtri, in qua cardo Chriſtianitatis verſatur, Turcæ ſtatuunt cum illis ſimul, Hominem juſtificari ex operibus Legis; hinc etiam ſatisfactioni Chriſti nil tribuunt. Melius tamen hac in re Mahometani ſentiunt, quam Sociniani. Nam Sociniani maculam crudelitatis Deo aſpergunt, eo quod Chriſtum de nihilo crudeliſſimo ſupplicio affecerit. Alcoranus autem, dum negat ſatisfactionem; ut crimen hoc effugiat, negat Chriſtum crucifixum: ſed loco ejus Simonem Cyrenæum à Judæis arreptum, & cruci affixum ſomniat. Circa reſurrectionem carnis melius ſentit Alcoranus, quam iſti, utpote qui expreſſe docet, eadem corpora reſſuſcitatum iri. Circa animas itidem ſeparatas à corpore, melius Alcoranus; docet enim, eas ſupereſſe, bonas in Paradiſo collocat; malas, in Inferno. Objici poteſt, Alcoranum locare in felicitate & voluptate corporea totam hominis felicitatem, ac proinde deterius ſentire. *Reſp.* Comparetur Socinianorum ſententia cum Alcorani, quæ *primo* negat ullum infernum, negat impios reſſuſcitandos; *ſecundo*, quæ verbo ſtatuit ſuperfore pios, ſed reipſa negat, dum docet, corpora ipſorum non reſſuſcitatum iri; dum docet, animam eſſe craſin, ſimile quid ingenio, memoriæ, indoli, &c. Et utut abſurde erret Alcoranus, multo tamen abſurdius errat hæc fex: & certe, ſi agatur cum illis de differentia inter Mahometanos, & illos, nihil aliud proferre poſſunt, quam quod diximus, ſc. Turcas, multas fabulas habere: ſed eas & ipſi habent. *Secundo*, quod Scripturam V.T. rejiciant, ut & Ethnici, & quod plus rationi deferant, quam Scripturæ. tum quod ita ridicule depravent Scripturam, ut ſatius fuiſſet, ipſos nunquam habuiſſe Scripturam, quam ita turpiter cum ſuis detorſionibus conſpurcare. Videri hoc poteſt in omnibus fere locis Scripturæ. Nos unum & alterum dabimus cum eorum gloſſis. *Ioan.* 1 dicitur: *In principio*, ſc. Evangelii, *erat Verbum*, ſc. Concionator, ſive Propheta, *& Verbum erat apud Deum*, ſc. ſoli Deo hic Propheta fuit notus, *& Verbum erat Deus*, ſc. ejus generis, cujus fuerunt iſti Dii, ad quos ſermo Dei factus eſt, *& Verbum caro factum eſt*, id eſt, ſimillimus miſeris, afflictis, pauperrimis hominibus. Nam ita caro in Scriptura aliquando ſumitur, *Omnis caro ſicut fœnum.* Item 1 *Tim.* 3, *Deus*, id eſt, voluntas Dei, *manifeſtatus eſt in carne*, id eſt, per infirmos & abjectæ conditionis homines revelata eſt, *conſpectus eſt ab Angelis*, id eſt, quod dicitur 1 *Pet.* 1, cupiverunt introſpicere hoc myſterium &c. Quod ſi vero hi qui in ore Chriſtum habent, ſalvabuntur, Mahometanis minime deneganda eſt ſalus. Sed & alia via poteſt expediri negotium. Blaterant perpetuo, eos, qui Chriſtum profitentur, poſſe omnes ſalvari. Videamus quid ſit, *profiteri Chriſtum.* Procul omni dubio, cognoſcere ipſum, quis ſit, qualis, & quid boni nobis per ipſum allatum ſit. Comparemus hoc cum cognitione Sociniana. Chriſtus debuit eſſe verus homo, particeps factus ejuſdem carnis & ſanguinis, *Heb.* 2, excepto peccato. & ratio hæc eſt. Quia ſemen mulieris debuit conterere caput ſerpentis. Anabaptiſtæ explicant iſta verba, *Verbum caro factum eſt*, ſicut explicantur iſta, *aqua vinum eſt facta.* Quid vero expectandum talibus de Chriſto, cum naturam ejus humanam penitus evertant, & in locum ejus fictam aliam obtrudant? Quoad Arminianos vero (nam Sociniani aperte negant divinam Chriſti naturam) hic unum jugum trahunt cum Socinianis. Nam, utut ore confiteantur, Chriſtum eſſe Deum; tamen eum negant eſſe αὐτόθεον· cum aſſerunt, dignitatem iſtam conſiſtere in poteſtate, omnia iſta, quæ prius conceſſerunt, abnegant: quomodo ergo & hi ſalvari poſſunt? Nam in talem fiducia ferri non poteſt, quia hæc in Deum fertur, *Ier.* 17. Unde enim pondus ſatisfactioni Chriſti, unde valor meriti ejus, ſi Deus non eſt? Accedit, quod negent Chriſti officium maxima ex parte; negant enim ſatisfeciſſe pro nobis, negant nobis quicquam meritum eſſe, negant, nos juſtitia ipſius eſſe juſtos, ſatisfactione ejus à peccatis liberatos, unde negant juſtitiam quæ ex fide eſt. Atqui Sp. S. de juſtitia quæ eſt ex fide, aſſerit, quod ſola ſit via ad ſalutem, & quod abſque ea nemo ſalvetur, *Rom.* 4. & 10. Adblandiantur ergo ſibi quantum velint, certiſſimum eſt in Scripturis, Aut nos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ex operibus juſtificari, aut obedientia & morte Chriſti. At non operibus. Ergo juſtitia Chriſti. Hinc eſt, qui non eſt juſtificatus, illi non patet acceſſus ad vitam æternam. Atqui qui ex fide non eſt juſtificatus, non eſt juſtificatus. Ergo ipſi non patet acceſſus ad vitam æternam. Ratio, Quia ex operibus carnis non juſtificatur ulla caro. Atque hoc profecto idem eſt, per Chriſtum juſtificari; & per Chriſtum venire ad Patrem: At ad Patrem nemo venit, niſi quem Pater traxerit, *Ioan.* 14.

Obj. I. *Qui invocaverit nomen Dei, ſalvabitur*, Joël. 2. *Reſp.* Hoc de illis intelligendum eſt, qui Deum vere & ſincere in ſpiritu & veritate invocant, id eſt, in fide. 1. Quod iſti nequeunt, quia fidem non habent. 2. Cum affectu Deum glorificandi: iſti vero in clamoribus ſuis ſuam quærunt gloriam, ut qui perpetuo diſputant, & in hoc toti ſunt, ut, quod ad ſalutis ſuæ negotium, Deo minimum aut nihil, ſibi vero omnia attribuant, ita ut meritiſſime hoſtes gratiæ Dei judicari debeant.

Obj. II. Multos eſſe in Eccleſiis reformatis, qui nihil ſciunt de his controverſiis, & tamen vita æterna eos non abjudicari. *Reſp.* Iſtam eſſe talem ignorantiam, quæ cum fide conſiſtere poteſt: illa vero eſt ignorantia, quæ cum graviſſimis & fundamentalibus erroribus conjuncta eſt: ideo non mirum, ſi his qui linum ſunt fumigans, talis ignorantia à Deo bene vertatur; illis vero ignorantia eorum, cum pernicioſo errore conjuncta, ſit exitioſa.

QUÆSTIO V.

Quid per librum vitæ intelligatur, dum dicitur aliquis deleri de libro vitæ, ſcribi in eo; & an hæ phraſes inferant, fidelem fide ſua excidere poſſe?

Reſp. Metaphorice capitur *liber* pro cognitione & ſcientia Dei. Sicut enim qui in librum quid referunt, faciunt hoc, ut firmiter retineant hoc, quod retulerunt; ita, dum Deus dicitur librum habere, intelligitur, Deum habere accuratam notitiam earum rerum, quæ in libro ſcriptæ dicuntur. Quæritur porro, quot ſint iſti libri? Brichtmannus ſtatuit, tres expreſſe nominari in Scriptura: *Providentiæ, Iudicii, Vitæ libros.* Adducit hic Euthymium ſuper *Pſal.* 68, cujus verba, cum rem ſatis explicent, adſcribenda duxi. *Eſt*, inquit, *triplex ſcientiæ divinæ liber, & unus quidem magis eſt univerſalis, in quo omnes tam juſti, quam peccatores, in hanc mortalem vitam venturi, & poſtea morituri, ſcribuntur. Alter, liber ſcientiæ Dei, eſt magis privatus, in quo ſoli juſti ſcribuntur, quos etiam Deus ſolos noſſe dicitur cognitione approbationis. de qua* 2 Tim. 2. 19, *&* Pſal. 1. *Tertius liber, in quo peccatores ſcribuntur. de quo libro ſcripſit Daniel* c. 7, *Iudicium ſedit, & libri aperti ſunt.*

Liber ergo *Providentiæ* univerſalis eſt, & omnes creaturas continet, atq; adeo nihil eſt, quam præſentiſſima rerum creatarum notitia, cum omnipotenti earum conſervatione & gubernatione conjuncta; vocatur alio nomine *liber regiminis mundi*; *liber omnium creaturarum*, vel, *liber univerſalis gubernationis*: de hoc libro *Pſal.* 139. 16, *Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo* &c. Zanchius lib. 5, de natura Dei, cap. 5, quæſt. 1, ſenſum Hebræum ita reddidit: *O Deus! informem maſſam meam* (cum ſcilicet in utero matris nondum plane formatus eſſem) *viderunt oculi tui, & in libro tuo* (videlicet æternæ providentiæ & ſcientiæ) *omnes* (nimirum homines) *conſcripti erant.*

Liber Iudicii, priori ſubordinatus, paulo reſtrictior eſt, quia non creaturæ omnes, ſed tantum homines judicantur; proditur hic liber, *Dan.* 7. 9, 10. & *Ap.* 20. 12. Per hos *judicii libros* quid intelligatur, non omnium eadem eſt ſententia. Nos hic aliquot adferemus, & probabiliorem ex illis excerpemus. Beda intelligit de *libro Scripturæ*, quem in extremo judicio aperiendum ait. Quia tunc patebit, veriſſima iſta eſſe, quæ Scriptura de judicio illos docuerat. Verùm nihil quicquam ſcimus de reſervatione libri alicujus materialis, cum ignis in die ultimo ſit omnia devoraturus. Fiet quidem judicium ſecundum Scripturas, quandoquidem Chriſtus ait Ioan. 12, *Sermo quem locutus ſum, ille judicabit in noviſſimo die*; ſed quod Chriſtus ſit habiturus aliquem codicem Biblicum, & ex illo aperto ſententiam dicturus, probari nequit; & potius ſpeciem

figmenti

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

figmenti quam veritatis habet. 1. Quia non omnia & ſingula peccata in hoc libro recenſentur, quæ tamen omnia judicanda. 2. Illo ſenſu hic liber dicitur, quo ſenſu dicitur liber vitæ. Atqui liber vitæ non notat Scripturam: Ergo nec hic.

Auguſt. lib. 2, de civit. Dei, *cap.* 14, per *libros apertos*, intelligit *Sanctos*, qui cum Chriſto venturi ſunt ad judicium, quos ideo exiſtimat vocari libros, quia in illis expreſſa cognoſcetur voluntas Dei, & Divinæ Legis obſervantia. *Intelligendi*, inquit, *ſunt Sancti & veteres & novi, ut in illis oſtendatur, quæ Deus fieri juſſiſſet*: Secundum autem eos judicandum eſſe exiſtimat, tum quia Sancti mundum judicabunt, 1 *Cor.* 6; tum quia Sanctorum vita erit quaſi quoddam judicium & condemnatio improborum. Sed & hæc ſententia ſtare minime poteſt. Quia libri illi, ex quibus fiet judicium, exactiſſimi erunt; Sancti autem tum nondum erunt perfecti, quia ſecundum animam tantum beati. Præterea Sancti ipſi ex libris judicii, ſanctitatis & innocentiæ ſuæ accipient teſtimonium.

Hieronymus in cap. 7 Danielis, conſcientias hominum intelligit. *Libri*, inquit, *aperti ſunt conſcientiæ, vel opera ſingulorum, in utramque partem, vel bona, vel mala, omnibus revelantis: bonus ille liber eſt, quem ſæpe legimus, liber viventium: malus liber, qui in accuſatoris tenetur manu, qui eſt inimicus & vindex.* Meiſnerus negat, hoc bene dici, quia hic liber non eſt Dei. Sed inepte. Quia poteſt eſſe Dei, eſt enim à Deo. 2. Quia nunquam dicitur in textu, *liber Dei*, ſed *libri aperti ſunt*; dicuntur ergo libri aperti, tum de notitia Dei, tum de conſcientia hominum. Ratio eſt, quia, utut noverit Deus ſemper, non tamen ſemper manifeſtat ad extra. Ratione conſcientiæ vero. 1. Quia multa in hac vita nobis ignota. Hinc Pſal. 19, *Ab occultis meis libera me* &c. Quanto magis occulta erunt improbis, qui non omnia peccata putant peccata? 2. Quia multorum impiorum conſcientiæ occalluerunt, cauteriatæ ſunt; hæc autem Deus omnia revocabit in memoriam cuivis, quid fecerit.

Tertius, eſt *liber vitæ*, de quo in Scriptura mentio, vel abſolute, vel cum quadam determinatione: abſolute, *Daniel.* 12. *v.* 1. & *Exod.* 32. 32: cum determinatione, ubi additur, *rex vitæ*, aut *viventium*, ut *Pſal.* 69. *v.* 29. *Apoc.* 3. 5. & 17. 8. & 20. 12. & 22. 19. Aliquando additur alia determinatio, ut dicatur *liber vitæ Agni*, Apoc. 13. 8. & 21. 27. Omnia hæc dicta, luculenter aſſerunt, dari quemdam librum vitæ, in quo ſalvandorum nomina ſint ſcripta, ſic ut nemo æternæ beatitudinis ſit particeps, niſi libro iſti inſcriptus, *Luc.* 10. De reprobis autem dicitur, quod in terra ſcribantur, *Ierem.* 17. 11. Sed quæritur, quomodo quis ex libro vitæ deleri poſſit? præſertim cum hic liber Agni ſit, qui inſcriptos habet pro heredibus vitæ æternæ; nec quis unquam datur Agno, qui perire poteſt, *Ioan.* 6. *verſ.* 37, 39. & 17, 12. *Reſp.* Hæc dicuntur ratione noſtri. Duplex enim eſt liber vitæ: *vocationis*, & *electionis*. In illum referuntur omnes, qui per prædicationem Evangelii adſciſcuntur in conſortium Eccleſiæ, qui merito nobis videntur participes vitæ & ſpei ſalutaris. Nam Scriptura univerſe loqui ſolet: *Gratias agentes Patri, qui nos idoneos fecit, ad participandam ſortem Sanctorum*, &c. Hic Apoſtolus de promiſcua multitudine, *Coloſ.* 1. 12. Ex hoc libro homines deleri poſſunt. Nam multi ſunt vocati, pauci vero electi: & exemplo declaratur, *Act.* 7, de Dane & Ephraïmo prætermiſſis in recenſione tribuum, tanquam exauctoratis militibus & exemptis ex tabulis. Adumbravit Deus olim, dum ſingularum tribuum genealogias in populo Iſraëlitico tam diligenter voluit conſervari; quo pertinebat & illud, de excitando ſemine fratris mortui, ne nomen ejus è populo exterminaretur, *Deut.* 25. *verſ.* 6: qua ratione etiam David Prophetico ſpiritu quibuſdam imprecatur, qui locum tenebant in Eccleſia tanquam veri cives, ut eos tandem Deus à cœtu ſuo ſegregaret, palamque faceret, eos meros eſſe hypocritas, *Pſal.* 69. 29. Omnes ergo delentur ex hoc libro vitæ, qui ſocietatem ſanctæ Eccleſiæ deſerunt, vel errore & hæreſi, vel ſcelere aut alio quovis modo: non quod ideo quoque deleantur ex libro electionis; ſed quod hac ratione manifeſtum ſit, eos nunquam in hoc libro electionis ſcriptos fuiſſe, ut Joannes loquitur, 1 Joan. 2. v. 19, *Ex nobis egreſſi ſunt, ſed*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

non erant ex nobis. Alter verò, *liber electionis*, nullis unquam lituris obducitur, ſed ſcripta ſemel in eo nomina, conſtanter in eodem manent, quamvis ita promiſcue ab omnibus non legatur, quis in particulari ſit ſcriptus. Spiritus Sanctus tamen cuique ſeparatim ſuggerit, ſe in hoc libro ſcriptum eſſe; alioqui enim fruſtra moneret Apoſtolos ſuos, ut gaudeant quod nomina ſua ſint ſcripta in cælis: quomodo vero gauderent, niſi ſe in particulari ſcriptos eſſe ſcirent? gaudium enim non eſt de re aut dubia vel indiſtincta aut confuſa, ſed certa & nobis diſtincte nota.

CAPUT XVIII.

De Bonis Operibus.

QUÆSTIO I.

An doctrina de bonis operibus ſit clara? Reſp. *Affirm.*

Obj. I. Si in Decalogo ſint multæ controverſiæ; tum ſequitur, præceptum de bonis operibus non eſſe clarum. Verum prius. Ergo & poſterius. *Reſp.* In Decalogo ſunt multæ controverſiæ, non vitio Decalogi, ſed errore hominum. *Inſt.* non fieri vitio hominum: Ubi quædam ſubintelliguntur, nec expreſſe ponuntur, ibi eſt obſcuritas. Atqui multa in Decalogo ſubintelliguntur. Ergo in Decalogo eſt obſcuritas. Major certa. Minor prob. ſequenti modo: Quando prohibetur opus aliquod, tum etiam prohibentur illa quæ ad opus illud pertinent, *Matth.* 5. Sed hic prohibetur homicidium. Ergo & ira, adulterium; Ergo & concupiſcentia. *Reſp.* Poſſunt hæc elici & deduci ex Lege per bonam conſequentiam, propterea non eſt obſcura. *Inſt.* contra reſponſionem: Quod per bonam conſequentiam ex re aliqua deducitur, illud eſt obſcurum. Atqui hæc ſecundum ſuperius argumentum deducuntur ex Decalogo. Ergo. *Reſp.* Major falſa eſt. *Inſt.* Quod per conſequentiam deducitur, ad illud opus eſt ratione: Atqui ad quod opus eſt ratione, illud eſt obſcurum. *Reſp.* Ratione opus eſt, non ut *argumento*, ſed ut *inſtrumento*. *Inſt.* quod non ut inſtrumento: Si in omni conſequentia unum ex altero deducitur, tum utique opus eſt ut argumento. Verum prius. Ergo & poſterius. Verbi gratia, Non adulterandum, Ergo non concupiſcendum, & ſic ex effectu infertur cauſa. *Reſp.* Ratio tripliciter capitur. 1. Pro ratione philoſophica. 2. Pro noſtro intellectu. 3. Pro argumento petito ex re: de illa hic.

Obj. II. Si illa quæ ad bona opera pertinent, ſint obſcura, Ergo & doctrina eorum. Verum prius. Ergo. *Reſp.* Neg. Minor. Probatur ſic per inductionem.

I. *Ut ſiat ex ſide.*

Inſt. Fides eſt obſcura. Bona opera pertinent ad fidem. Ergo. *Reſp.* Obſcura, *ratione hominum*, non *in ſe*. *Inſt.* Si quæritur perſpicuitas ratione hominum; Ergo hæc reſponſio non poteſt conſiſtere. Verum prius. Ergo. *Reſp.* Quæritur quidem ratione hominum, ſed regenitorum, non irregenitorum. *Inſt.* Si ratione hominum regenitorum eſt perſpicua, nullæ diſputationes de fide eſſent inter Orthodoxos. Sed multæ ſunt. Nam unus ponit fidem in notitia, alter in fiducia, tertius in utraque: alter ſtatuit, fidem habitualem nos juſtificare; alter non, &c. Ergo non eſt perſpicua ratione hominum regenitorum. *Reſp.* Error iſte non eſt in fundamento, ſed in quibuſdam conſectariis.

II. *Ut ſiat ad gloriam Dei.*

Inſt. Gloria Dei eſt obſcura. Doctrina de bonis operibus pertinet ad gloriam Dei. Ergo doctrina de bonis operibus eſt obſcura. *Reſp.* Negat. Major. *Prob. ſic inſt.* Quod non poteſt percipi, eſt obſcurum. Gloria Dei non poteſt percipi. Ergo eſt obſcura. *Reſp.* Negat. Minor. *Inſt.* Infinitum percipi non poteſt. Gloria Dei eſt infinita. Ergo percipi non poteſt. *Reſp.* Gloria Dei eſt quidem obſcura, quatenus nos latet; ſed quatenus nobis eſt revelata, non eſt obſcura.

Obj. III. Si doctrina de bonis operibus eſt clara, Ergo à nobis poteſt perfecte cognoſci. At non poteſt perfecte cognoſci. Ergo. *Reſp.* Negat. Major. *Probatur autem ſic inſt.* Sicut quid novimus, ita intelligimus & præſtamus: Atqui non perfecte novimus, neque præſtamus:

Ergo.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Ergo. Minor prob. 1 *Cor.* 13. 9. *Reſp.* Intelligimus *theoretice*, non *practice*. *Inſt.* Si debemus practice bona opera ſcire; Ergo non cognoſcimus tantum theoretice. Verum prius. Ergo. Minor. *prob.* Si debemus eſſe perfecti & ſancti in omnibus: Ergo practice cognoſcimus. Verum prius. Ergo. Minor. *prob. Matth.* 5. *Levit.* 11. ubi dicitur, quod debemus perfecti & ſancti eſſe, ſicut Pater noſter in cælis ſanctus & perfectus eſt. *Reſp.* Præcepta iſta oſtendunt, non quid poſſimus facere, ſed quid debeamus facere, & noſtri officii ſit.

QUÆSTIO II.

An detur meritorium opus aliquod hominis, ratione Dei? Reſp. *Neg.*

Obj. I. Si obſtetrices aliquid de Deo meruerunt; Ergo eſt meritum aliquod hominum, ratione Dei. Verum prius, *Exod.* 1. 20. Ergo & poſterius. Unde ſic *argument.* Qui à Deo benedicuntur propter aliquod factum, illorum factum eſt meritorium coram Deo: Sed obſtetrices à Deo benedicuntur propter factum aliquod: Ergo illarum factum apud Deum fuit meritorium. *Reſp.* Benedicuntur à Deo bonis non *ſpiritualibus*, ſed *corporalibus*. *Inſt.* Ergo merebuntur opera noſtra bona temporalia, & ſic per conſequens dabitur meritum hominum ratione Dei, quoad bona temporalia, ſive bona opera erunt ex parte meritoria. *Reſp.* 2. Benedicuntur obſtetrices à Deo, in quantum ipſarum opera innitebantur *juſtitiæ cauſæ*, non *perſonæ*.

Obj. II. Si opera juſtificant, Ergo ſunt meritoria apud Deum. Verum prius. Ergo & poſterius. Minor, *Iacob.* 2. 25. Si Rachab operibus juſtificata eſt, Ergo illius opus fuit meritorium. Verum prius. Ergo & poſt. *Reſp.* Negat. conſeq.

Obj. III. Opera quæ imputantur ad juſtitiam, illa ſunt meritoria apud Deum: Sed opus Phineæ ei imputatum fuit ad juſtitiam: Ergo opus Phineæ erat meritorium, *Pſal.* 106. v. 31. *Reſp.* Fuit ei non *imputatum*, ſed *reputatum* ad juſtitiam. *Inſt.* Atqui imputare & reputare ad juſtitiam, ſunt ſynonyma, in nullo enim diſcrepant. *Reſp.* Imo diſcrepant.

Obj. IV. Si operibus bonis debemus noſtram ſalutem conficere; Ergo bona opera ſunt meritoria vitæ æternæ. Verum prius. Ergo. Minor. Phil. 2. 13. *Cum timore ac tremore* &c. *Reſp.* Conficimus ſalutem non *cauſando*, ſed *adeundo*. *Inſt.* Quomodo quis poteſt dici hoc conficere, quod adiit? *Reſp.* Quod ipſe ſit *finis cui*; convivium vero *finis cujus*: ita ſolus, *finis cujus*; qui adeunt, ſunt *finis cui*: finis autem ſuſtinet vicem formæ in accidentibus.

Obj. V. Quod eſt promiſſum bonis operibus, ejus bona opera ſunt meritoria. Atqui vita æterna eſt promiſſa bonis operibus, *Matth.* 19. *verſ.* 28, 29. Ergo bona opera ſunt meritoria vitæ æternæ. *Reſp.* Major falſa; quia poteſt aliquid promitti operi vel operanti ſub conditione *operis*, non tanquam cauſæ meritoriæ, ſed neceſſarii antecedentis.

Obj. VI. *Pſal.* 7. *verſ.* 9, petit Propheta, ut ſecundum ſuam juſtitiam judicaretur; Ergo operibus coram Deo pii juſtificantur. *Reſp.* Loquitur de *juſtitia cauſæ*, non *perſonæ*.

Obj. VII. Si bona opera ſint cauſa vitæ æternæ; Ergo dicenda ſunt meritoria. Verum prius. Ergo & poſterius. Minor, *Apoc.* 7. 14, 15. Si ideo ſint ante Thronum, quia venerunt ex afflictione; Ergo afflictio eorum erat cauſa felicitatis ſuæ. *Reſp.* *Ideo* referendum ad illa verba, *lavarunt ſtolas*. *Inſt.* *Apoc.* 3. 4: Si ideo digni ſint, ut albati ambulent, quia non inquinarunt ſua veſtimenta; Ergo bona opera ſunt meritoria. *Reſp.* Digni ſunt non in *ſeſe*, ſed *in Chriſto*. *Inſtant*: Opera Dei merentur. Bona opera ſunt opera Dei, quia Deus cauſa ipſorum. Ergo. *Reſp.* Opera Dei immediata, ſed ex hoc mediata ſunt.

QUÆSTIO III.

An opera bona in hac vita ſint imperfecta?

Reſp. Affirm. Quia ex parte cognoſcimus, ex parte prophetamus, 1 *Cor.* 13. & non eſt homo, qui non peccet, 1 *Reg.* 8: quamdiu autem peccamus, opera noſtra non niſi inquinata, adeoque imperfecta, in ſe eſſe poſſunt.

Objic. Si homo in hac vita ſit perfectus; Ergo etiam opera ipſius fiunt perfecta: At verum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

prius: Ergo & poſterius. Major certa: qualis cauſa, tale cauſatum. Minor prob. 2. *Tim.* 3. Tota Scriptura &c. ut ſit *perfectus*, ad omne opus Dei. *Reſp.* Perfectus, ſcilicet *perfectione partium*, non *graduum*. *Inſt.* Imo graduum: Qui poteſt incedere inculpate in omnibus mandatis Dei; ille perfectus eſt, non tantum quoad partes, ſed etiam quoad gradus. At homo in hac vita poteſt inculpate incedere in omnibus mandatis Dei. Ergo. Major certa: Nam qui gradibus eſt imperfectus, ille non poteſt incedere inculpate in omnibus. Minor. *prob.* ex *Luc.* 1. 6. *Reſp.* Dici comparative. *Inſt.* Non comparative, ſed abſolute: Qui diligit Deum, ut Lex poſtulat; ille diligit perfecte & ſecundum partes, & ſecundum gradus: At aliqui diligunt Deum, ut Lex poſtulat, 2 *Reg.* 23. 3, quod velit ex toto corde, ex tota anima præſtare quæ Deus jubet. Ergo. Major autem certa. *Reſp.* Ad hoc jam ſupra reſponſum.

QUÆSTIO IV.

An bona opera fiant ex vera fide?

Reſp. Affirm. Alias enim Deo non placerent.

Obj. Bona opera ſunt ex fide. Fides eſt bonum opus, *Ioan.* 6. 29. Ergo fides eſt ex fide. Major eſt certa. *Reſp.* Alluſive dici opus. *Inſtant*, quod non improprie: Quia omne effectum eſt opus: fides eſt effectum humanum: Ergo eſt opus. *Reſp.* Si bona opera ſint ex fide; E. in integritatis ſtatu bona opera non futura erant, niſi ex fide: Abſurdum poſterius: Ergo & prius. *Reſp.* Negat. quod abſurdum. *Inſt.* Si nullus locus fidei erat in ſtatu integritatis; Ergo iſta opera non fuerunt ex fide. Verum prius. Ergo & poſterius. *Reſp.* Non fuit fides *in Mediatorem*, ſed fuit *dependentiæ*. *Inſt.* Si in vita futura erunt bona opera, & perfecte bona, nec futura eſt fides; tum ſequitur quod opera poſſint eſſe abſque fide. Verum prius. Ergo & poſterius. Minor prob. 1 *Cor.* 13. ubi dicitur fides ceſſatura. *Reſp.* Ceſſabit *quoad nomenclaturam* & relationem ad extra, ſed non ceſſabit *quoad eſſentiam*. *Inſt.* Imo vero ceſſabit. Nam ſi propterea ceſſaret, quia non haberet reſpectum ad externa objecta & nomenclaturam, ut fides vocaretur; tum etiam hoc pacto miſericordia ceſſaret. Abſurdum poſterius. Ergo & prius. Conſequentia certa. Quia miſericordia habet etiam relationem ad objecta externa. Minorem *prob.*, quod non ceſſabit, quia miſericordia eſt caritas. *Reſp.* Eodem modo ceſſabit miſericordia, quia non erit objectum miſerum.

QUÆSTIO V.

An opera irregenitorum ſint ex fide?

Reſp. Negat. Quia irregeniti fidem non habent.

Obj. Quod non eſt ex fide, non placet Deo: Opera iſta placent Deo; Ergo ſunt ex fide. *Reſp.* Negat. Minor. *Inſt.* Opera obſtetricum placebant Deo, de quibus Exod. 1. *v.* 20: *Idcirco benefecit Deus* &c. placebant ergo ipſi, quia benefecit propter iſta opera. *Reſp.* Placebant, ut quod inniterentur *juſtitiæ cauſæ*, non *juſtitiæ perſonæ*; & propterea etiam non remunerabatur bonis ſpiritualibus, ſed temporariis. *Inſt.* contra: Imo vero remuneratur etiam Deus non tantum bonis temporariis, ſed & ſpiritualibus. quod *prob.* Qui dat eſurienti cibum, ſitienti potum, illum Deus remuneratur bonis ſpiritualibus: Atqui multi irregeniti hoc faciunt: Ergo. Minor. *prob.* Matth. 25: *Eſurivi enim, & dediſtis mihi edere; ſitivi, & dediſtis mihi bibere.* *Reſp.* Poſſunt hæc ipſa præſtare etiam irregeniti; ſed non poſſunt ex fide præſtare. *Inſtant* contra: Cornelius erat irregenitus. Cornelius ex fide præſtabat eleemoſynas, quæ ſunt bona opera. Ergo aliquis irregenitus poteſt bona opera præſtare ex fide. *Reſp.* Negando quod Cornelius fuerit irregenitus. *Inſt.* contra, *prob.* fuiſſe irregenitum: Qui non fuit ex Eccleſia Judæorum, nec ex Chriſtianorum, ille non fuit regenitus. Atqui ille nec fuit ex Eccleſia Chriſtianorum, nec ex Judæorum. Ergo. Ex Judæorum non fuit, Quia non erat circumciſus. Ex Eccleſia Chriſtianorum non fuit, Quia nondum erat baptizatus: Baptiſmi autem Sacramentum initiationis ſignum eſt in Eccleſia. *Reſp.* 1, Non legitur, quod non fuerit circumciſus. 2.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Baptiſmus facit, ut ſimus in Eccleſia particulari. At poſſumus eſſe in Catholica, etiamſi non ſimus in particulari. *Inſt.* Qui non novit Chriſtum, ille nullo modo in Eccleſia Catholica eſt. Cornelius ille non noverat Chriſtum. E. nullo modo in Eccleſia Catholica fuit. *Reſp.* Non noverat Chriſtum in individuo, ſed noverat Chriſtum quoad officium.

QUÆSTIO VI.

An homo plus boni poſſit facere, quam facit; & plus mali omittere, quam omittit?

Reſp. Negat. Quia quicquid homo facit boni, fit beneficio *gratiæ renovationis* Spiritus Sancti; quicquid mali omittit, omittit beneficio *gratiæ coërcitionis*.

Objic. Qui non aliter facere poſſunt ac faciunt, illi profecto immerito accuſantur. Reprobi non poſſunt aliter facere ac faciunt. Ergo. *Reſpond.* Libertas conſiſtere poteſt cum neceſſitate. *Inſt.* Si ita res habet, conſequitur neceſſario, in Logicis cauſam naturalem & voluntariam confundi. Abſurdum hoc. Ergo & illud. *Reſp.* Negat. Conſequentia. *Inſt.* Probatur autem ſic: Quia cauſa naturalis eſt, quæ agit ad extremum virium; cauſa voluntaria, quæ poteſt agere & non agere, & actionem ſuam, dum incipit agere, ſuſpendere, ut Keckermannus definit. *Reſp.* Si ita definit, non bene definire eum. Hoc enim diſcrimen eſt inter *cauſam naturalem* & *voluntariam*, quod voluntaria ex cognitione agat, naturalis non ita. *Inſt.* Accipiatur, quod detur diſcrimen aliquod; nonne tamen querela impiorum juſta? quia qui deſtinantur ad peccata, illi non poſſunt non peccare. Atqui reprobi deſtinantur ad peccata, ut Piſcator docet. Ergo. *Reſpond.* Qui deſtinantur ad peccata, ut *coacte* hoc *faciant*, & non *ſponte*. Atqui illi ſponte faciunt. *Inſt.* Et hoc falſum eſt, quod omnes ſponte hoc faciant. Pilatus profecto deſtinatus ad peccatum, ut docetur *Act.* 4: *Herodes & Pontius Pilatus* &c. & tamen fecit coacte. Nam eum Judæi vere coëgerunt. *Reſp.* Ita quidem; ſed Deus ipſum non coëgit: ille Deo potius debebat obtemperare, quam hominibus. *Inſt.* Imo obtemperavit Deo. Nam ſi Deus hoc prædeſtinavit per ipſum fieri; Ergo fecit quod Deus voluit. Atqui Deus deſtinavit, &c. & per conſequens, Pilatus jam non peccavit, quia fecit quod Deus voluit. *Reſpond.* Quid ſit peccatum, illud non ex voluntate Dei occulta cognoſci; ſed id cognoſcitur ex Lege Dei revelata, Quia peccatum eſt Legis tranſgreſſio.

QUÆSTIO VII.

An ſit locus aliquis in quo animæ purgantur?

Argum. *Bellarmini* I, eſt: Si quædam peccata poſt hanc vitam remittuntur, Ergo datur Purgatorium. At *Matth.* 12. 32. Ergo. *Reſp.* Negatur antecedens; neque ex loco citato poteſt probari, quia phraſis hæc, *neque in hoc, neque in futuro ſeculo*, eſt talis quæ nunquam infert: ut Gen. 31, *Ne loquaris Iacobo neque bonum neque malum*, id eſt, *Nihil.* Deut. 5. *Neque dextrorſum neque ſiniſtrorſum*, i. e. *nullibi* & *nullo modo* exorbitabis.

Inſt. Ubi dantur duo tempora remiſſionis peccatorum, ibi revera debent exiſtere. Sed loco citato. Ergo. *Reſp.* Datur quidem totum, non tamen eo ſenſu quo Adverſarii volunt; ſcil. remittentur quidem, etiam in futuro ſeculo peccata, ſed tantum declarative, non vero reipſa: quod autem ita ſit, liquet 2 *Tim.* 1. 18.

Inſt. Quomodo in hoc, ita in futuro ſeculo dicuntur remitti. At hic non declarative. Ergo. *Reſp.* Conſequ. nulla. *Prob.* Aliàs aliter atque aliter accipi debet vox *remittendi*, quia aliter hic, aliter ibi. *Reſp.* Revera aliter accipi debet; neque enim abſurdum eſt, unam eandemque vocem in contextu aliter accipi. v. g. Joël 1, *Scindite corda veſtra non veſtimenta*, aliter de corde, aliter de veſtimentis ſumi debet vox *ſcindere.* Item *Thren.* 13: *Ad te attollimus manus & corda noſtra.*

Inſt. Verbum *retinere*, opponitur *remittere*. At *retinere* non ſignificat declarative. Ergo nec *remittere*. *Reſp.* 1. Major iſta (ſi rite formetur ſyllogiſmus, talis erit: Quot modis u-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

num oppoſitorum ſumitur, tot & alterum:) non obtinet, nec apud Philoſophos quidem: v.g. Subſtantia & accidens ſunt oppoſita, non tamen tot modis accipitur unum, quot & alterum. 2. Minor etiam negatur, nam illud Matth. 28, *Quorum retinueritis, retenta erunt*, non intelligitur quod reipſa remittant, ſed ut declarent eis eſſe remiſſa.

Argum. II. Si quædam dicuntur non plane conſumi, ſed tantum reddi præparatiora, debet etiam dari locus ubi id fiat. Verum prius. Ergo. 1 *Cor.* 3. 12. *Reſp.* 1; Locus iſte non facit pro Purgatorio: Nam 1, non dicit quod ignis probet homines, ſed opera ipſorum. 2. non opera tantum mala probare dicitur, ſed & aurum, argentum, &c. cum tamen Bellarm. dicat medios tantum homines venire in Purgatorium. 2. Sequeretur etiam, illos qui in Purgatorio fuerunt, nullum inde bonum expectare poſſe, quia ibidem dicitur: *Si cujus opus combuſtum fuerit, damnum faciet.* 3. Quod autem dicit, Dari debet locus; dicimus, quod locus iſte ſit duplex. Primus locus erit in agone, quando Deus ex hac vita evocat Doctores, ibi incipit examen conſcientiæ eorum. Alter erit in futura vita, ubi clare videbunt quæ vera, quæ falſa, quæ vana fuerint.

Argum. III. 1 *Cor.* 15. 29. Si baptizantur aliqui pro mortuis, tum datur ſtatus intermedius. Verum prius. Ergo. Conſeq. hæc eſt: Si baptiſmus non prodeſt, neque in vita æterna, nec in morte, tum datur intermedius ſtatus, ubi prodeſſe poſſit. *Reſp.* Varia dicuntur à Doctoribus de hoc baptiſmo, quid intelligatur. Sed omnium eſt optima ſententia cujuſdam Lutherani, qui per baptiſmum intelligit ablutionem mortuorum: nam dum morimur, corpora abluuntur; quid aliud hac cerimonia teſtamur, niſi quod denuo reſurrectura ſint? Tanti enim ea æſtimant, ut credant, ea plane non annihilari. Sciendum enim, quod Paulus hoc capite demonſtrare velit, fore mortuorum reſurrectionem: hancq; probat ita, ut ſolet probare Sp. S. ſc. quod adducat alia argumenta, & neceſſaria, & probabilia, prout P. Martyr ſub finem ſuorum Loc. commun. oſtendit: & ex hoc loco Argumentorum probabilium eſt etiam hoc de ablutione mortuorum.

Inſt. Si ablutio mortuorum corporum non ſit ablutio ſuper mortuos, tum non intelligitur ablutio. Atqui. Ergo. *Reſp.* Aliud eſt, uti ablutione ſuper mortuos: illud dicit Sp. S. & idem eſt quod circa mortuum uti ablutione.

Argum. IV. Si pro pœnis temporalibus debet fieri ſatisfactio. Ergo aut in hac vita, aut poſt hanc vitam fieri debet. *Reſp.* In hac vita.

Inſt. Si in hac vita, tum ſatisfactio pendebit vel à Sanctis, vel à nobis ipſis. *Reſp.* Eſt inſufficiens enumeratio, aut à Chriſto.

Inſt. *Coloſſ.* 1. 24. Si Paulus explet reliquias paſſionum Chriſti, tum Sancti ſatisfaciunt. Atqui. Ergo. *Reſp.* Si Paulus explet reliquias afflictionum Chriſti pro redimenda Eccleſia, tum &c. Sed ſic cadit Minor: quia hoc Paulus ſuſtinebat pro *ædificanda* Eccleſia.

Inſt. Si Paulus reliquias afflictionum Chriſti explebat, tum etiam pro redimenda Eccleſia, quia quales fuerunt afflictiones Chriſti, tales eſſe debent & reliquiæ earum. Sed pro redimenda &c. Ergo. *Reſp.* Falſa præſupp. hypoth. quod afflictiones Chriſti tantum fuerint pro redimenda & non etiam pro ædificanda Eccleſia. Principaliter quidem mortuus eſt pro redimenda, ſed ſecundario etiam ut ædificaret. 1 *Ioan.* 3. *Vt ſicut ille poſuit animam* &c.

Inſt. Si Apoſtolus debuit ferre ædificatorias reliquias afflictionum Chriſti, tunc Chriſti afflictiones non erant plenariæ. *Conſeq. prob.* Ubi ſunt plenariæ afflictiones Chriſti, ibi ſi quid datur ſupra, fit ſuperfluum. At hoc eſt ſuperfluum, &c. *Reſp.* Neg. Conſeq. Et probatio ejus nil facit, quia ſunt quidem plenariæ afflictiones Chriſti, attamen non excludunt miniſteriales ſervorum ejus afflictiones, quia Chriſtus non tantum ſuo, ſed & ſuorum ſervorum exemplo Eccleſiam ædificare voluit.

Inſt. Chriſtus meritus eſt ædificationem, Ergo non opus eſt Miniſtro. *Reſp.* Meritum non excludit media applicationis.

Argum. V. *Phil.* 2. 10. Si ſunt ſubterranei: Ergo & locus eorum datur. Atqui. Ergo. *Reſp.* Per ſubterraneos hic intelligi quod Spir. Sanct. *Rom.* 10, explicat, quod *omnes oporteat ſiſti, vivos & mortuos, ad judicium:* & eſt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

eſt idem quod in Symbolo Apoſtolico profitemur, *Veniet judicare vivos* &c.

Argum. VI. Si Jacob dixit, ſe in Purgatorium deſcenſurum, tum omnino datur. Atqui, *Gen.* 37. 35. *Reſp.* Minor negat. & negatio petitur ex conceſſis Pontificiorum, qui dicunt, Patres ſub V.T. fuiſſe in Lymbo, & poſtea poſt deſcenſum ad inferos, deſtructo Lymbo, Purgatorium eſſe exſtructum.

Inſt. Eo ſe Jacob deſcenſurum dixit, quo filius. At putabat, filium deſcendiſſe non in locum ſubterraneum. Ergo. *Reſp.* Recte obſervavit Vatablus, quod particula אל non ſemper *ad*, ſed etiam *propter* ſignificet: ut 1 *Sam.* 2. *Propter puerum.* 1 Sam. 21. *Propter domum Saülis*, ubi ſemper habetur particula אל.

CAPVT XIX.

De Eccleſia.

QUÆSTIO I.

An detur Eccleſia Triumphans?

Reſp. Affirm. Argumentum I. Matth. 8: *Multi venient cum Abrahamo*, &c. Ergo jam Abraham & Iſaac ſedent in regno cælorum; & ſic Eccleſia Triumphans. *Reger. Socin.* Venient & ſedebunt cum Abrahamo, non quod jam ibi ſedeant; ſed poſt ultimum judicium ſeſſuri. *Reſpond.* Falluntur. *Matth.* 17, Elias & Moſes loquebantur cum Chriſto: vivebant ergo.

II. Coloſſ. 1. 20: *Reconciliavit per ſuum ſanguinem qui in cælis* &c. Reconciliati in cælo, vel ſunt Angeli boni, vel homines: hi non, quia non habent opus. Ergo homines, & ſic datur Eccleſia Triumphans.

III. Heb. 12. 22, 23: *Acceſſiſtis ad montem Sion*, &c. Ergo ſpiritus iſti conſummati ſunt in cælis, & ſic Eccleſia Triumphans. *Reger.* Si ſpiritus ſunt conſummati, quomodo dicitis felicitatem eorum non eſſe perfectam? *Reſpond.* Conſummati ſunt iſti ſpiritus tali perfectione, quæ in ſpiritum ſolum, anquam partem, cadere poteſt: non tamen propterea habent perfectionem eam quæ totius eſt futura.

Obj. I. Non ſuperſunt animæ à corpore; Ergo Eccleſia Triumphans nulla datur, *Probat.* *Matth.* 2. 18, Noluit conſolationem admittere. *Reſp.* Non ſunt ſcilicet in hac vita, non tamen propterea non ſunt: vide ſimilem phraſin *Gen.* 5. 24. *Inſtant:* Si ſupereſſent, cur tantopere deflerent ipſorum obitum matres, cum nullum dubium quin fuerint ſalvati? *Reſp.* Quare ergo Chriſtus deflevit Lazarum & mortem ipſius, etiamſi ſciret paulo poſt reſſuſcitandum eſſe?

Obj. II. 2 Timoth. 4. 8: *Repoſita eſt mihi* &c. Si præmium ſuum nemo accipit ante diem extremum: Ergo Eccleſia Triumphans eſt nulla. *Reſp.* Loqui Paulum de perfecta beatitudine, quæ ipſi danda cum omnibus fidelibus. *Inſtant:* Ex eadem *Epiſt.* 1. *v.* 18, fruuntur felicitate inchoata: Ergo peccata ipſis non ſunt remiſſa. *Prob.* Quia in judicio remittuntur. Ergo. *Reſp.* Remiſſum iri quoad *declarationem*: non quoad *rem*.

Obj. III. Joan. 5. 29: *Prodibunt* &c. In extremo judicio prodibunt ad vitam; Ergo ante non fuerunt, & ſic Eccleſia Triumphans non datur. *Reſp.* Fruebantur prius ratione partis, ſcilicet animæ, tum incipient frui totaliter. *Inſt.* Nulla pars exiſtit extra ſuum totum; E. nec anima. *Reſp.* Scilicet nulla pars materialis. At anima talis non eſt.

QUÆSTIO II.

An fuerit Eccleſia aliqua in Lymbo?

Reſp. Negat. Argum. I. *Apoc.* 14. 13. ubi opera pro mercede dicuntur: merces autem in cælis eſt, ut docetur *Matth.* 5. Ergo qui in Chriſto moriuntur, ſtatim cælum ingrediuntur. *Reger.* In Vet. Teſt. non moriebantur in Chriſto. *Reſp.* Abſurdum; refelluntur enim 1 *Cor.* 15. 22.

II. Act. 15. verſ. 11. *Servati ſunt per gratiam Ieſu Chriſti*; E. non in Lymbo. *Reger.* Ita tum temporis, cum jam paſſus eſt, ſed non ante. *Reſp.* Nihil diſcriminis eſſe inter condemnandos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

& illos, antequam Chriſtus eſſet mortuus; E. nec intereſt inter ſalutem eorum, qui ante vel poſt paſſionem ejus ſunt ſalvati.

III. *Ioan.* 3: Qui credit, habet vitam æternam. Ergo. *Reger.* Dicuntur habere vitam æternam, non quaſi ſtatim à morte ipſis daretur. quia dabitur ab extremo judicio. *Reſp.* Refelli hoc figmentum, Ioan. 5. verſ. 24: *Tranſivit à morte ad vitam.*

Obj. I. *Gen.* 37. 35: Deſcendam ad filium lugens; Ergo non in ſepulcrum, Quia ſciebat filium non eſſe in ſepulcro, putans à feris laceratum. Ergo in lymbum. *Reſpond.* Particulam iſtam Hebræam אל, quam vertunt *ad*, non ſemper ſignificare *ad*, ſed ſæpe *propter*. vide 1 *Sam.* 1. *v.* 27. 2 *Sam.* 21. 1. *Inſt.* Atqui additur *Scheol*, in ſepulcro, quod notat aliud quid, quam ſepulcrum; Ergo eſt lymbus. *Reſp.* In Scriptura *Scheol* accipitur pro *ſepulcro*, ita ut non ſit hoc probare neceſſe, cum & Bellarminus admittat.

Obj. II. *Ioan.* 3: Nemo aſcendit in cælum: Ergo ante Chriſtum nemo fuit in cælo. *Reſp.* Propria virtute, & vi meriti proprii, ſed virtute Chriſti aſcendit. *Inſt.* Imo nec merito Chriſti, Quia nondum erat. *Reſp.* Meritoriæ cauſæ eſt effectus antequam exiſtat. Si modo certo eſt futura.

Obj. III. *Heb.* 11. 39, 40. Abſque nobis non ſunt perfecti: Ergo fuerunt in lymbo. *Reſpond.* Non obtinuerunt promiſſionem *de Chriſto exhibito*, nec plena cognitione myſteriorum ſalutis perfecti: quam demum aſſecuti ſunt poſt redemptionem humani generis: vide 1 *Pet.* 1. *v.* 12. *Inſt.* At dicitur Chriſtus præcurſor, *Heb.* 6. 20. *Reſp.* Præcurſor ratione eorum dicitur, qui tum vivebant: non vero ſimpliciter. Nam certe Elias, Enoch, fuerunt jam in cælo.

QUÆSTIO III.

An aliqua Eccleſia detur in Purgatorio?

Reſp. Negat. Argumentum I. Rom. 8. 1: *Nulla condemnatio* &c. Ergo nullum Purgatorium & Eccleſia in eo. *Reger.* Quamdiu ſunt in Chriſto ſcilicet. *Reſp.* Falſa hypoth. præſupponitur, quaſi aliquando deſinant in Chriſto. vide *Eph.* 5. *v.* 29, 30.

II. Latro non ingreſſus in Purgatorium; Ergo nulli fideles: & ſic nec Eccleſia. *Reger.* Extraordinarium hoc eſſe. *Reſp.* Omne extraordinarium dicitur ideo, quia à communi regula excipitur. At illi non oſtendunt contrarium, quod ordinarie primum debeant ingredi Purgatorium, poſt in cælum.

III. 1 *Ioan.* 1: Sanguis Jeſu Chriſti; Ergo non Purgatorium. *Reger.* Purgat à *mortali*: non vero à *veniali*. *Reſp.* Si mortalia peccata purgabit, multo magis minora. 2. Hypoth. falſa præſupp. quaſi detur peccatum aliquod ſua natura veniale.

Obj. I. Regeneratio in hac vita eſt imperfecta; Ergo oportet dari purgatorium, ubi perficiatur. Conſequent. Quia coinquinatum, cælum non ingredietur, *Apoc.* 21. *Reſp.* 1. Nihil immundi ingredietur, ut ibi perpetuo maneat: Nam Paulus ibi fuit, 2 *Cor.* 12, nondum plene regenitus. 2. Regignuntur omnes perfecte in diſceſſu animæ à corpore. *Inſt.* Iſtæ animæ, quæ ſunt revocatæ ad vitam, Lazari, &c. aut fuerunt in cælo, aut non. Si in cælo fuerunt, injuria ipſis facta, quia ſcilicet à gloria fuiſſent revocatæ ad miſeriam: nec fuerunt in inferno, quia nulla illinc liberatio: Ergo in Purgatorio. *Reſp.* Falluntur. Non enim eſt injuria, revocari è cælo. Quia omnium fidelium voluntas ſubjicitur voluntati Dei, & hoc ipſis bonum, quod Deo bonum.

Obj. II. Matth. 12. 32: *Qui peccårunt in Spiritum* &c. *non remittetur neque in præſenti, neque in futuro ſeculo*; Ergo in Purgatorio. *Reſp.* Ex negativis iſtis male infertur affirmatio. Et *Marc.* 3. 29, explicatur, quomodo hoc accipiendum eſt, *in æternum*. *Inſt.* 2 Tim. 1. v. 18: *Det ei Dominus, ut inveniat miſericordiam* &c. Ergo quædam peccata remittuntur in futuro ſeculo. *Reſp.* 1. Seculum illud, eſt extremum judicium. 2. Remittentur non quoad *rem*, ſed *manifeſtationem*.

Obj. III. 2 *Maccab.* 12. 46, 47: Preces fuerunt &c. *Reſp.* Eſt liber Apocryphus. *Inſt.* 1 *Cor.* 12. *v.* 29, Baptizari aliquos pro mortuis. *Reſpond.* 1. Ex loco obſcuriſſimo nihil probari poteſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

poteſt. 2. Iſtud *pro mortuis baptizari*, idem eſt, ac *in baptiſmò pro mortuis haberi*: baptiſmus enim, cum ſit ſymbolum regenerationis, remedium eſt adverſus ſpiritualem mortem.

QUÆSTIO IV.

An Eccleſia Catholica ſit viſibilis?

Reſp. Negat. Argumentum I. Fides eſt inviſibilis, Ergo & Eccleſia Catholica. Conſequent. Quia membra Eccleſiæ Catholicæ ſunt fideles, qua fideles. *Reger.* Etiam fidem videri, Jacob. 2. 18, *Oſtende fidem. Reſp.* Videtur fides ex operibus, non *neceſſario*, ſed *probabiliter*, & ratio eſt, quia nullum opus eſt externum, quod à fideli præſtari poſſit, quod idem non poſſit præſtari ab hypocritis.

II. 2 Tim. 2. 19: *Firmum ſtat fundamentum*, & Deus *ſolus novit*, *qui ſint ſui.* Ergo Eccleſia eſt inviſibilis. *Reger.* Oportet etiam nos noſſe, qui Dei ſint, & cœtibus eorum nos aggregare. *Reſp.* Novimus probabiliter. Hinc Theologi diſtinguunt cognitionem, & dicunt: vel eſt *Dei de nobis*, & hæc eſt certa: vel *noſtra de nobis*, hæc itidem certa: vel *noſtra de aliis*, & hæc eſt conjecturalis.

III. Ex ratione. Eccleſia eſt relatio. At relatio non eſt viſibilis. *Reger.* Relatio non eſt viſibilis per ſe, ſed per aliud. *Reſp.* 1. Quærimus, quid illud ſit? 2. Doctrina illa æque ab hypocrita poteſt defendi, ac à vero & fideli homine.

Obj. I. Eccleſia Iſraëlitica fuit viſibilis. Ergo. *Reſp.* Erat viſibilis quoad *materiale*, homines nempe; non quoad *formale*, fidem ſcilicet. Nec enim omnes Iſraëlitæ fideles erant: & qui fuerunt fideles, ſoli Deo noti. 2, ad Min. Male Eccleſia Judaïca ſtatuitur Catholica, quia *hæc* eſt omnium Gentium, *illa* particularis fuit. *Inſtant:* Certe ſummus Sacerdos fuit viſibilis: E. & membra alia. *Reſp.* Erat viſibilis *qua homo*: ſed non *qua fidelis.* Nam ex hac parte ſoli Deo erat notus.

Obj. II. Si Eccleſia Catholica non eſt viſibilis; tum ſequitur, membra non poſſe habere communionem. At habent. Ergo. *Reſp.* Præſupp. hypoth. falſa, quaſi ad hoc, ut communio ſit intra membra Eccleſiæ Catholicæ, opus ſit, ut unum alteri notum ſit. *Inſt.* Quo medio ergo communio futura, aut in quo tandem conſiſtet? *Reſp.* 1. Communio iſta in cultu præſtando Deo conſiſtit, quem omnia membra præſtant. 2. Ut pro ſe Deum orent, etiam ſi ſibi ignoti ſint.

Obj. III. Quilibet ſub pœna damnationis cogitur ſe adjungere Eccleſiæ Catholicæ; quomodo vero me adjungere poſſum, ſi ignorem quænam ſit Eccleſia illa Catholica? *Reſp.* Tenemur nos adjungere Eccleſiæ non *Catholicæ*, ſed *particulari*; in qua ſcilicet fiat prædicatio Verbi & Sacramentorum adminiſtratio. *Inſt.* At qui ſe jungit Eccleſiæ particulari, jungit ſe Catholicæ. *Reſp.* Fit quidem hoc, ſed non ſub eodem formali qua particularis Eccleſia eſt. Nam particularis Eccleſia, ſub hoc formali, qua particularis, eſt cœtus profitentium externe Verbum Dei. At profiteri Verbum Dei & hypocrita poteſt.

QUÆSTIO V.

An detur aliqua Eccleſia inviſibilis?

Reſp. Affirmativa reſponſio ex præcedentis quæſtionis deciſione petatur.

Obj. I. Si Eccleſia non eſt viſibilis; Ergo notæ etiam ſunt inviſibiles. Abſurdum poſterius. Ergo. *Reſp.* Notæ ſunt viſibiles *confuſe*, non *diſtincte*: id eſt, ex notis non poſſumus certo judicare, an iſte, vel iſte, ſit de Eccleſia. *Inſt.* Si non omnes ſint in Eccleſia, qui profitentur Verbum Dei; ſequitur, aliquos audire Verbum Dei, qui non ſunt de Eccleſia. *Reſp.* Concedo totum, nec inde aliquid abſurdi ſequitur. *Inſt.* Si Verbum Dei pertingit ad oſſa & medullas; Ergo nemo audivit Verbum Dei, niſi ſit de Eccleſia & convertatur. Sed *Heb.* 4. 12. E. *Reſp.* Loquitur Apoſtolus de iis, qui habent aures ad audiendum, oculos ad videndum; & in iis eſt efficax. *Inſt.* Si Verbum Dei obtinet tantam vim in Gentilibus; Ergo etiam in iis, qui non habent oculos ad videndum. Verum prius, 1 *Cor.* 14. 23, 24, 25. Ergo. *Reſp.* Non agitur ibi de Evangelio, ſed de Lege, cujus etiam infideles ſunt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ſunt capaces ad ſui convictionem. *Inſt.* Si per Verbum regignimur; Ergo habet vim realem in regenitis: Verum prius, 1 *Pet.* 1. *v.* 23. Ergo. *Reſp.* Si regignimur *effective*, non *declarative.* *Inſtant:* Si declarative; Ergo Verbum nihil confert in prima noſtri regeneratione. Abſurdum poſterius. Ergo. *Minor. prob. Eſa.* 55. 11. Si Verbum Dei non vacuum revertitur; Ergo aliquid confert in noſtri regenerationem. *Reſp.* Conſequent. nulla; nunquam redit vacuum. Nam aut efficit fructum, aut cadit in condemnationem. *Inſt.* Si Lazarus prodiit foras ad verba Chriſti; Ergo habet vim realem. *Reſp.* Si *effeciſſet*, non autem ſi *declaraſſet*, Chriſtum talia facere. *Inſt.* Si ad verba Eliſæi puer mortuus revixit; Ergo etiam ad verba Chriſti realiter ſurrexit Lazarus. *Reſp.* Nihil erat in Eliſæo præter verbum, quod totum eſt morale. *Inſt.* Inſtrumenti actio eſt realis. Verba iſta erant inſtrumenta. Ergo eorum actio realis. *Reſpond.* Inſtrumentum duplex; *reale*, vel *morale.* *Realis* ergo inſtrumenti realis eſt actio, non *moralis.*

Obj. II. Si Eccleſia non eſt viſibilis; Ergo non neceſſario tenemur nos aſſociare ei. Falſum poſterius. Ergo. *Reſp.* Eccleſia eſt viſibilis non *diſtincte*, ſed *confuſe.* 2. Non abſolute neceſſarium eſt ad ſalutem, eſſe in particulari Eccleſia, niſi hoc fiat ob contemptum. *Inſt.* Si non poſſumus ſcire diſtincte, E. non poſſumus communionem habere. E. *Reſp.* Communio eſt duplex, *interna*, & *externa*: Internam non ſcimus, externam ſcimus. *Inſt.* Si Paulus diſtincte potuit ſcire; Ergo etiam nos. *Reſp.* Scivit Paulus ex *judicio caritatis*, non vero *judicio veritatis.* *Inſt.* Si ſcivit hoc ex judicio caritatis; Ergo etiam ſecundum veritatem; nam caritas non debet pugnare cum veritate. *Reſp.* In iis quæ ſunt ambigua, & quæ Sp. Sanctus non determinat, poteſt pugnare; & in talibus nos decet ex judicio caritatis omnia in meliorem partem interpretari.

QUÆSTIO VI.

An notæ Eccleſiæ Dei Catholicæ propriæ ſint, profeſſio Verbi Dei, & legitimus Sacramentorum uſus?

Reſp. Affirm. Argument. I. Act. 2. 41: *Receperunt ſermonem.* Ubi documentum clariſſimum. *Reger. Pont.* Non omnes iſti qui receperunt ſermonem Dei, fuiſſe fideles. Nam fieri potuit, ut eſſent ex numero iſtorum, de quibus *Matth.* 11. 20. *Reſp.* Nihil habemus, quibus verba iſta accipere debeamus. 2. Dato quod fuerint aliqui tales; inde tamen non ſequitur, quod notæ non fuerint profeſſio Verbi, & uſus Sacramentorum.

II. 2 Joan. 1. 10, *Si quis venerit* &c. Ergo qui doctrinam Chriſti non profitentur, non pertinent ad Eccleſiam. *Reger.* In V. T. nemo profitebatur doctrinam Chriſti, & tamen in V. T. fuit Eccleſia. *Reſpond.* Negat. Nam Paulus doctrinam Chriſti promulgabat, ut patet; dicit tamen Act. 26, *Nihil extra Moſen & Prophetas docuiſſe.* vide *Luc.* 24. *v.* 25, 26.

III. Quæ eſt nota hominis fidelis, eſt etiam Eccleſiæ. At profeſſio veræ doctrinæ & uſus Sacramentorum. Conſeq. Quia quod eſt nota membri, omnium eſt membrorum.

Obj. I. Profeſſionem Verbi Dei etiam hæretici de ſe profitentur; Ergo non eſt vera nota *Reſp.* Profitentur quidem ore, negant autem facto: nec enim profitentur Verbum Dei, ſed corrumpunt & adulterant. *Inſtant:* At quis erit judex, quod iſti corrumpant & adulterent? *Reſpond.* Quis erat judex inter Chriſtum & Eccleſiam? Chriſtus dicit, Joan. 5. 45, *Moſes vos accuſat:* Ergo ſi hic fuit Iudex inter Chriſtum & Phariſæos, etiam inter nos & hæreticos erit.

Obj. II. Si profeſſio Verbi divini erit nota Eccleſiæ, oportebit, nos prius ſcire quid ſit Verbum Dei, quam quid ſit Eccleſia. At hoc abſurdum. Quia ex Eccleſia diſcimus, quid ſit Verbum Dei. *Reſpond.* Non credimus principaliter propter teſtimonium Eccleſiæ, ſed Scripturæ; licet Eccleſia aliquam det occaſionem ad credendum ex Verbo Dei, qui tamen vere credit Dei Verbum, non credit propter Eccleſiam, ſed propter argumenra ipſi inſita, *Ioan.* 4. 41, 42. *Inſt.* Qui credit eſſe Verbum Dei, ille jam eſt membrum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

brum Eccleſiæ. Quid ergo opus eſt, ut inquirat in Eccleſiam, cum ſit jam membrum ejus? *Reſpond.* Eſt quidem membrum Eccleſiæ Catholicæ, ſed non eſt membrum Eccleſiæ particularis, quam debet omnino requirere, ad Verbum Dei audiendum propter uſum Sacramentorum.

Obj. III. Hypocritæ communem habent profeſſionem fidei cum fidelibus. *Reſp.* Non eſt nota Eccleſiæ ex qua conſtare poſſit diſtinctè, quis ſit membrum Eccleſiæ, quis non; ſed ex qua cognoſci poteſt confuſe, certò tamen in iſto cœtu hominum in communi, qui profitentur hanc doctrinam, eſſe Eccleſiam, & non alibi. *Inſt.* Nota debet eſſe propria: Hæc propria non eſt: E. non eſt vera, quia hypocritis & fidelibus eſt communis. *Reſp.* Debebat eſſe propria, ſi haberi poſſit. At hoc loco, nullo modo haberi poteſt; neque enim quiſquam ſcire poteſt præter ſolum Deum, quis ſit fidelis, aut infidelis.

QUÆSTIO VII.

An regimen ſit Eccleſiæ Catholicæ, & an caput ejus extra Chriſtum detur?

Reſp. Negat. Argument. I. 1 *Cor.* 3.11. Fundamentum Eccleſiæ Catholicæ non eſt præter Chriſtum: Ergo nec caput aliud. Conſeq. Nam ſunt iſta æquipollentia, fundamentum & caput Eccleſiæ eſſe. *Reger.* Dari alia fundamenta minus principalia, & afferunt *Apoc.* 21.14. Hic, inquiunt, fundamenta ponuntur Eccleſiæ, & dicuntur inſcripta duodecim nomina Apoſtolorum. *Reſpond.* Dicimus, conciliationem iſtius loci haberi *Eph.* 2.*v.* 20. Fundamentum enim hoc Apoſtolorum, eſt doctrina Theologica. 2. Fundamentum eſt aliud, quo *ædificamur, & miniſteriale*; aliud, *in quo ædificamur*: illud ſolum eſt caput Eccleſiæ, in quo ædificamur.

II. Chriſtus ſolus Eccleſiæ ſuæ ſponſus eſt. Ergo caput. Conſeq. 1 *Cor.* 11.3. Minor, 1 *Cor.* 11.2. Hic prudentiores Pontificii *hæſitant*; imprudentiores *dicunt*, Papam eſſe ſponſum Eccleſiæ Catholicæ. *Reſp.* Ergo Chriſti ſponſa erit ſcortum, quæ duos habet ſponſos. Quod abſurdum & impium. 2. Pugnat hoc commentum cum comparatione illa, quæ fit à Spiritu Sancto inter virum & uxorem, Chriſtum & Eccleſiam.

III. *Eph.* 4.*v.* 16. ubi proprietates capitis Eccleſiæ recenſentur, quod corpus ex illo congruenter ſuppeditatas vires capit. At ex Pontifice Romano hoc capere non poteſt. Ergo. *Reger.* Certe Doctores etiam dant incrementum Eccleſiæ; non loquitur ergo hic Spiritus Sanctus, niſi de cauſa principaliori incrementi, non vero de cauſa minus principali, & inſtrumentali. *Reſp.* 1. Non dicitur hic ſimpliciter, *incrementum dat*, ſed *dat per commiſſuras*, id eſt, unionem quam habet Chriſtus cum Eccleſia. 2. Dicitur *ex vi intus agente*, non dicitur *ab externo operante*. 3. Falſum, quod Doctor aliquis det incrementum Eccleſiæ, 1 *Cor.* 3.6.

Obj. I. Summus Paſtor eſt caput Eccleſiæ: At Petrus talis fuit. Ergo per conſequentiam Papa. Quia dictum Petro, Joan. 21, *Paſce oves meas.* *Reſp.* Dictum; ſed non *excluſive* ad reliquos Apoſtolos: quod liquet clare 1 *Pet.* 5.1, 2, 3. *Inſtant:* Petrus fuit Apoſtolus: At Apoſtoli non erant alligati ad unam particularem Eccleſiam, ſed totius Eccleſiæ Catholicæ Paſtores fuerunt: E. Petrus Eccleſiæ Catholicæ Paſtor. *Reſp.* 1. Ergo hoc quoad alios ſimiliter ſequitur Apoſtolos. 2. Fuerunt illi Paſtores *miniſteriales*; Chriſtus *Archipaſtor*, 1 *Pet.* 5.4. Ergo ſolus caput Eccleſiæ.

Obj. II. In Eccleſia Judaïca præter Chriſtum erat ſummus Sacerdos, qui regimen obtinebat in reliqua membra; Ergo etiam nunc obtinere poteſt. *Reſp.* 1. Diverſa eſt ratio Eccleſiæ Judaïcæ, quæ (ſi proprie loquamur) non fuit Catholica: Eccleſia vero N. T. eſt Catholica. 2. Dicebatur ſummus Sacerdos, non *ob regimen* quod habebat in reliquos, ſed *propter officium nobiliſſimum* cultus divini, quod exercebat, quod ſc. ingrederetur Sancta Sanctorum, & eſſet typus Chriſti. *Inſt.* Melchiſedech ſimul Rex & Sacerdos fuit, *Heb.* 7. Ergo fuit caput Eccleſiæ Catholicæ. Nam non legimus præter ipſum, quod Sacerdotes fuerint Reges. *Reſp.* Fuit Rex certi loci, Salem nempe; ſimul & Sacerdos ibidem, non Eccleſiæ Catholicæ tum temporis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Obj. III. *Apoc.* 12. Inter Angelos datur unus ſupremus præ aliis, qui videtur habere imperium ſuper alios: cur ergo in Eccleſia hoc fieri non poſſet, ut unus reliquorum membrorum ſit caput? *Reſp.* 1. Conſequent. ab Angelis ad homines nulla. 2. Non convenit inter Theologos, an Michaël ille ſit creatus, aut increatus. 3. Dato quod ſit creatus, non apparet tamen, quod imperium habeat in reliquos Angelos. *Inſt.* Regimen Monarchicum eſt optimum; tale ergo convenit Eccleſiæ Catholicæ, & ſic ſtatuendum caput Eccleſiæ aliquod viſibile. *Reſp.* 1. Dicunt quidem Politici, optimum eſſe, ſed non ratione omnium. Nam prout ſunt ingenia hominum, ita convenit ipſis regimen, vel à Monarcha, vel Ariſtocraticis, vel Democraticis. 2. Dicunt, ſi ſit aliquis talis, qui poſſet eſſe Monarcha totius orbis. At nullus talis reperiri poteſt. 3. Regimen Eccleſiæ Catholicæ non eſt externum, ſed internum. 4. A regimine mundano ad ſpirituale Chriſti non valet conſequentia; quia *regnum Chriſti non eſt de hoc mundo.*

Obj. IV. Si Chriſtus ſuper Petrum, tanquam ſuper Petram, voluit ædificari Eccleſiam; Ergo ipſum conſtituit caput. Sed, ut *Matth.* 16. 18. Ergo. *Reſp.* Per Petram non intelligitur Petrus, ſed Chriſtus. *Inſt.* Si non intelligitur Petrus; Ergo non diceret Chriſtus *ædificabo*, ſed *ædifico.* Quia jam ipſe ædificabat, & colligebat ſibi Eccleſiam. *Reſp.* Eſt modus loquendi Scripturæ, ut, quando vult ſignificare perpetuitatem, in futuro loquatur, ut *Ioan.* 4. 14. *Inſt.* Si Chriſtus Petro commiſit & tradidit claves regni cælorum, Ergo ipſum etiam conſtituit caput Eccleſiæ. *Reſp.* Si tradidit claves *heriles*, non *miniſteriales.* 2. Si ſoli Petro, & non reliquis quoque Apoſtolis. *Inſt.* *Claves* in Scriptura ſignificant ſummam poteſtatem; E. etiam accepit claves heriles. Sed *Eſa.* 22. *v.* 21. E. *Reſp.* Aliud eſt, agere de clave *Politica*; aliud, de *Eccleſiaſtica*: hoc loco *Eſa.* 22, agitur de clave non Eccleſiaſtica, ſed Politica.

QUÆSTIO VIII.

An Ariſtocratia ſit forma regiminis Eccleſiæ externæ?

Reſp. Non ſimpliciter, ſed Ariſtocratico-Democratica.

Argument. I. *Rom.* 12. 8. ubi mentio fit tantum quorumdam, non ergo omnium eſt. *Reger.* Loqui de Politico Magiſtratu. *Reſp.* Refelluntur ex textu. videatur v. 6.

II. 1 *Cor.* 12. *v.* 28. Si ſint in Eccleſia qui gubernant; tum poteſtas, quæ eſt penes Eccleſiam & ejus exercitium, eſt penes aliquos tantum. *Reger.* Non poſſe hoc accipi de miniſterio Eccleſiaſtico. Quia ſi ſint aliqui gubernatores, erunt qui dominantur: quod videtur prohibere Spiritus Sanctus, 1 *Pet.* 5. 12. *Reſpond.* Iſtam gubernationem eſſe *miniſterialem*, non *imperialem.*

III. Ex praxi, *Act.* 15. 6. Si praxis Eccleſiæ oſtendit, exercitium poteſtatis penes aliquos fuiſſe; Ergo non penes omnes. Verum prius. Ergo. *Reger.* Agi ibi de Apoſtolis, penes quos utraque poteſtas fuit; neque enim ulla Eccleſia potuit præſtare Apoſtolis. *Reſp.* Falſum hoc eſſe. Nam & Apoſtoli erant pars Eccleſiæ, in qua docuerant, & ſic indigniores Eccleſia tanquam tota; & erant propter Eccleſiam ædificandam, & ſic indigniores Eccleſia propter finem.

Obj. I. Si regimen Eccleſiæ eſt Democraticum, tum in Eccleſia erit confuſio. Atqui. E. *Reſp.* Falſum, quod eſt pure Democraticum, ſed Democratico-Ariſtocraticum, ita ut mixtum ſit regimen. *Inſt.* Inauditum eſt hoc regimen mixtum, quia nulla ſocietas hominum ita adminiſtratur. *Reſpond.* Conſequentia nulla, quia regimen Chriſti non eſt ex hoc mundo. 2. Falſum eſt, quod apud Politicos etiam inter formas regiminis non detur mixtio: vide Politiam Keckerm.

Obj. II. Quia commendatur Paſtoribus cura Eccleſiæ; Ergo Paſtores ſoli ſunt capita in hoc regimine, ac proinde regiminis iſtius forma eſt Ariſtocratica tantum. vide *Act.* 20. 28. *Reſp.* Commendatur quidem cura Eccleſiæ, ſed ut ab ea ipſa ſint conſtituti. *Inſt.* Si Paſtores ſint duces, non dependent ab Eccleſia, *Heb.* 13. *v.* 7. Conſequent. quia dux non dependet ab eo, cujus eſt dux. *Reſp.* Falſum hoc. Nam poteſt aliquis communibus votis eligi in ducem eorum, quorum debet eſſe dux, ut liquet in Jephte & aliis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Obj. III. Si eſſet tale regimen Eccleſiaſticum particularium Eccleſiarum, cur Sp. Sanctus ſcribens ad Apocalypticas Eccleſias, non ſcribit ad Eccleſias, ſed ad Angelos earum? Nam ſi poteſtas eſt penes totam Eccleſiam, exercitium vero penes Presbyteros; potius ad Eccleſiam quam ad ipſos ſcriberet. *Reſp*. Per *Angelum* ibi non intelligitur Miniſter aliquis unus, ſed totum Presbyterium, ſeu rectores; quare hic falluntur Epiſcopales, neque enim in Eccleſiis iſtis ſupereminebat aliquis dignitate, ſed omnes Presbyteri erant dignitate pares. *Inſt*. *Angeli* nomen accipitur pro uno homine, *Matth*. 2. 7. *Reſp*. 1. Vox *Angeli* ibi accipitur *ſpecialiter*, non *individualiter*. 2. Voces ſignificationibus determinantur. Nam vox una, pro diverſa ſubjecta materia, diverſa ſignificat.

QUÆSTIO IX.

An poteſtas ſit penes totam Eccleſiam? Affirm.

Quæſtione proxime præcedenti probavimus, quod exercitium poteſtatis apud Eccleſiæ Miniſtros & Doctores ſit: Jam hujus quæſtionis poſterior pars probabitur, ſc. Quod poteſtas, ſeu imperium, ſit penes Eccleſiam. Argumentum I. Quia Eccleſia eſt ſponſa Chriſti, *Gal*. 4. *Eph*. 2. Omnes alii ſunt vel filii, vel ſervi. Atqui non eſt poſſibile, ut poteſtatem concedat pater filiis in matrem, aut dominus ſervulis in dominam. *Reger*. Ioſepho commiſſam fuiſſe totam curam domus Pharaonis: ipſe vero ſervus erat; E. poteſt ſervus aliquis præfici familiæ, & ſic Eccleſiæ. *Reſp*. Refelluntur ex hiſtoria eadem, quæ dicit, Omnia mihi commiſſa *exceptâ te*. Ergo non in omnes poteſtatem habuit.

II. 1 Cor. 3. v. 21, 22: *Omnia veſtra ſunt, & Paulus*, &c. Si omnia ſint Eccleſiæ; E. & Miniſtri; & ſic poteſtas erit Eccleſiæ, & non contra, Miniſtrorum. Verum prius. Conſeq. Nam qui eſt alicujus, ille dependet ab eo cujus eſt. *Reger*. Etiam Deus dicitur noſter, neque tamen dependet à nobis. *Reſp*. Deus ita dicitur Deus noſter, ut Dominus noſter. At Paulus, non ut dominum, ſed ut ſervum, ſe vocat.

QUÆSTIO X.

An Eccleſia Particularis deficere poſſit?

Reſp. Affirm. Argum. I. Eccleſia Judaïca defecit; Ergo alia quævis Eccleſia deficere poteſt. *Reger*. Majores promiſſiones accepit Eccleſia N. T. quam V. T. non ergo illinc ad Eccleſias particulares argumentari poſſumus. Minor, *Matth*. 16. *Ier*. 31. *Reſp*. Sp. Sanct. non agere de Eccleſia particulari, ſed Catholica: & tales promiſſiones Eccleſiæ Vet. Teſtam. inviſibili factæ ſunt quoque, ut infinita loca oſtendunt. *Ierem*. 33. 20, 21.

II. Eccleſiæ iſtæ, de quibus *Apoc*. 2. 3, omnes defecerunt. Ergo. *Reger*. Eccleſias iſtas non fuiſſe celebres, ſed ex quibuſdam & paucis conſtitiſſe. *Reſp*. Nulla eſt hæc exceptio. Nam fuerunt florentiſſimæ Eccleſiæ, utpote ad quas Sp. Sanctus ſingulariter literas ſcribat. 2. Detur, non fuiſſe ita celebres; certe, quod his evenit, & aliis evenire poteſt.

III. Romana Eccleſia defecit, Ergo. Minor facile patebit, ſi conferatur doctrina Eccleſiæ Romanæ in omnibus punctis cum Verbo Dei. *Reger*. Si Eccleſia Romana defeciſſet, poſſet oſtendi tempus, quo hoc factum. At non poteſt. *Reſp*. Ineptum eſt de tempore quærere, quo quid factum, cum de re conſtat: nempe perinde agunt Pontificii, ac ſi aliquis furti convictus, ſe negaret furatum, eo, quod non poſſit ſibi oſtendi, quo tempore furatus ſit. 2. Sciendum, falſitatem per Satanam occulte ſpargi, *Matth*. 13. *v*. 25.

Obj. I. Catholica Eccleſia non defecit. Eccleſia Romana eſt Catholica. Ergo. *Nego* Minorem. *Probant* ex Patribus. *Reſp*. Sed bene Cyrillus illis objicit, quod nullum ex Patribus quatuor ſeculorum, qui à temporibus Apoſtolorum vixerunt, producere poſſint. *Inſt*. Atqui Catholicam religionem profitetur: Ergo eſt Catholica. *Reſp*. Conſequentia hæc ridicula. Nam quælibet Eccleſia Chriſti profitetur religionem; imo quilibet homo Chriſtianus: non tamen propterea futuræ Eccleſiæ Catholicæ.

Obj. II. 2 *Theſſ*. 2. Utuntur hoc argumento ex ſententia noſtra: Si verum quod Adverſarii docent, Quod Antichriſtus Romæ vivat; tum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ſequitur utique, non deficere eam. Verum prius ex ſententia noſtra. Ergo. Conſeq. quia Antichriſtus ſedebit in Templo Dei. *Reſpond.* Seſſurus in Templo Dei, id eſt, in Eccleſia, non *quæ eſt*, ſed *quæ fuit* Eccleſia: quomodo dicitur, *Meretrices præcedunt in regno Dei*; non *quæ adhuc ſunt* meretrices, ſed *quæ fuerunt*. *Inſt.* Adhuc veram Eccleſiam eſſe. Quia Sacramenta legitima ſunt: baptizati enim, à Pontificiis non rebaptizantur. *Reſp.* Quod ad baptiſmum attinet, verum eſt. Quia retinentur ipſius eſſentialia. De Cœna Domini, falſum, quam illi mutilarunt. Damus ergo, hoc argumento compulſi, quod Eccleſia ſit adhuc, ſed valde deformata. Videri poſſunt Caſus Conſcientiæ Theol. noſtror. ea de re, quatenus ſcilicet Eccleſia Romana ſit Eccleſia.

Obj. III. Si poſſunt deficere Eccleſiæ particulares, & Romana imprimis; tum inepte diſputatur à noſtris de perſeverantia: ſi enim Eccleſia defecit, cur non hic vel ille fidelis deficiat? *Reſp.* Non dicimus, quod fuerint fideles, qui defecerunt à fide; ſed qui tales fuerunt, aut mortui, aut alio migrarunt: hypocritæ vero deſierunt ſequi Eccleſiam. *Inſt.* At hoc non eſt *deficere*, ſed *deſinere*. *Reſp.* Defectio duplex eſt, vel *privativa*, vel *negativa*: *Negativa*, eſt deſinere; quod in infideles cadit; & hoc ſenſu potiſſimum hæc quæſtio movetur, An Eccleſia particularis alligata ſit ad unum locum, ita ut nunquam poſſit ab illo loco ſemoveri? Eſt & defectio *privativa* quoad hypocritas, non quod à fide deficiant, quam non habuerunt: ſed quod deficiant à profeſſione fidei, quam antea ediderant.

QUÆSTIO XI.

An infideles ſint membra Eccleſiæ Catholicæ?

Reſp. Negat. Argumentum I. Non ſunt membra Eccleſiæ, quia non ſunt membra Chriſti. Conſequ. quia qui eſt membrum Eccleſiæ Catholicæ, eſt membrum Chriſti. Minor, Quia Chriſto inſiti non ſunt, cum fidem non habeant. *Reger.* At ex mente Calvini omnes prædeſtinatos eſſe membra Eccleſiæ Catholicæ: At aliquos eſſe ex prædeſtinatis, qui nondum credunt. *Reſp.* Dici membra Eccleſiæ Catholicæ *deſtinatione* eos qui nondum credunt, non *actu*; *objective*, non *terminative*: ut, oves dicuntur deſtinatione, *Ioan.* 10.16; non actu, *Habeo alias oves*.

II. Super infideles manet ira Dei, *Ioan.* 3.36. At ſuper membra Eccleſiæ Catholicæ non manet, *Rom.* 8. *v.* 1. Ergo. *Reger.* Membra Chriſti etiam peccare, ac proinde iram Dei manere ſuper ea. *Reſp.* Conſequ. nulla. Nam nulla iis condemnatio eſt.

III. Si eſſent ex Eccleſia Catholica, eſſent oves Chriſti. Ergo. *Reger.* Etiam infideles audire ſæpe Verbum Dei, uti Sacramentis. Ergo. *Reſp.* Illos quidem audire externe, neque tamen ſenſum ſalutarem capere Verbi aut Sacramentorum. Namque animalis homo non percipit, 1 *Cor.* 2.

Obj. I. *Matth.* 13. Eccleſia comparatur reti, quod extraxit tam bonos quam malos piſces. *Reſp.* Recte: videlicet ſagena reſpondet vocationi externæ, per quam ut fideles, ſic infideles vocantur. *Inſt.* Eo modo ſagena accipi debet, ut accipiendus ager, in quem ſemen conjicitur. At per agrum intelligitur Eccleſia. Ergo etiam per ſagenam. *Reſp.* Neg. Eccleſiam per terram intelligi; ſed homines, ex quibus tandem fit Eccleſia.

Obj. II. Quidam infideles hypocritæ utuntur Sacramentis; Ergo ſunt membra Eccleſiæ Catholicæ. Nam ut auditus Verbi Dei, ita & uſus Sacramentorum ſunt notæ Eccleſiæ militantis. *Reſp.* Signa tantum materialiter receperunt, non autem rem ſignatam. *Inſtant:* Atqui rei dicuntur corporis Chriſti, 1 *Cor.* 11. *Reſp.* Rei non *acceptati* corporis, ſed *ſpreti & contempti*: ut illi qui invitati ad convivium, ad illud venire recuſarunt, *Matth.* 22.

Obj. III. Si nullibi infideles ſunt in Eccleſia Catholica, tum excommunicationi nullus erit locus in Eccleſia. At eſt; Ergo. *Reſp.* Præſupp. falſa hypoth. quaſi tantum infidelis excommunicari debeat: certe Corinthiacus fidelis fuit, 2 *Cor.* 2; & tamen excommunicatus fuit. *Inſt.* Omnis excommunicatus deficit fide, & eſt infidelis; alias quomodo poſſet excommunicari? *Reſp.* 1. Non deficit quidem à fide, ſed committit aliquid tale, ob quod, accedente contumacia, merito excommunicatur: Excommunicatur autem

tem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

tem non ex Eccleſia Catholica, ſed particulari. 2. Excommunicatur, non ut pereat, ſed ut redeat ad ſe, & Eccleſiæ reſtituatur.

QUÆSTIO XII.

An infantes in Eccleſia nati, ſint membra Eccleſiæ?

Reſp. Affirm. I. Act. 2. 39: *Vobis eſt facta promiſſio & liberis veſtris*, &c.

II. *Talium eſt regnum cælorum*, Matth. 18. *Objic.* Membra Eccleſiæ debent legitime vocari. Infantes non ſunt vocati. Ergo. *Reſp.* 1. Adulti debent vocari. 2. Naſcuntur ex federatis parentibus, & in iis vocantur. *Inſt.* Si illi qui ex parentibus federatis nati, ſint membra Eccleſiæ; Ergo ſequitur, ſpurium, ex patre federato natum, eſſe membrum Eccleſiæ; quod abſurdum. *Reſp.* Spurius qui incerto patre natus erat, in Vet. Teſt. in tertia progenie arcebatur à federe; non autem filius naturalis. *Inſt.* Si infantes ſint membra Eccleſiæ; aut erunt externa, aut interna: Sed neutrum dici poteſt. *Reſp.* Affirmatur utrumque: ſunt enim quidam filii promiſſionis, quidam ſunt in federe externo per aſſociationem. *Inſt.* Si creditur, aliquando fore membrum Eccleſiæ: Ergo nondum eſt. *Reſp.* Creditur de externa aſſociatione.

QUÆSTIO XIII.

Excommunicati aliqui an ſint membra Eccleſiæ?

Reſp. Affirm. Argumentum I: Si aliqui fideles enormiter peccant; tum aliqui excommunicati, poſſunt eſſe membra Eccleſiæ. At aliqui &c. Conſeq. quia qui enormiter peccant, excommunicantur. *Reger.* Imo qui enormiter peccant, etiam non excommunicantur; ſi non ſint contumaces, & agnoſcant culpam ſuam. *Reſp.* Ut in alia ſcelera poſſunt prolabi fideles; ita & in contumaciam.

II. Inceſtuoſus, de quo 1 *Cor.* 5, erat excommunicatus. At erat membrum Eccleſiæ. Minor, Quia fuit fidelis, 2. *Cor.* 2. *Reger.* Si ille fuit membrum Eccleſiæ; Ergo poteſt eſſe membrum ſcorti, membrum Chriſti. Abſurdum. *Reſp.* Qui ſcorto agglutinatur, ille eſt membrum ſcorti; non vero qui ex infirmitate prolabitur: quod factum in iſto inceſtuoſo.

III. Excommunicatio eo fine inſtituitur, ut peccator ad pœnitentiam revocetur: Ergo excommunicatus poteſt eſſe membrum Eccleſiæ. Conſequent. Quia multi excommunicatione adducuntur ad pœnitentiam. *Reger.* Imo, quia propterea infligitur, ut pœnitentiam agant, ſi ſint impœnitentes; quomodo ergo fideles & membra Eccleſiæ Catholicæ? *Reſp.* Omnis fidelis pœnitentiam agit, ſed non quovis tempore, neque ſtatim de quovis delicto. Nam ſæpe delictum putat non eſſe delictum.

Obj. I. Si excommunicati ſint membra Eccleſiæ Catholicæ; tum nihil patientur, dum excommunicantur. Abſurd. hoc. E. *Reſp.* Imo multum patiuntur, quia excluduntur ab Eccleſia particulari. *Inſt.* At potius eſt ineſſe Eccleſiæ Catholicæ, quam particulari. Nam qui eſt in Eccleſia Catholica, ſemper ſervatur; in particulari non item. *Reſp.* Utrumque eſt bonum, & hoc, & illud; non tamen iſta bona à ſe invicem ſeparanda, ſed conjungenda.

Obj. II. Si excommunicatus ritè ab Eccleſia, habetur à Deo excommunicatus; tum neutiquam eſt in Eccleſia. Minor, *Quod ligaveris, erit ligatum in cælo*, Matth. 16. *Reſp.* Habet Deus pro excommunicato, ſcilicet ex Eccleſia particulari. Nam quæ Eccleſia excommunicat, hoc tantum agit, ut ab uſu Sacramentorum, & auditione Verbi Dei, tales excludat.

Obj. III. Non ſunt in regno Chriſti, Ergo in regno Satanæ. At Eccleſia non eſt in regno Satanæ. Ergo. *Reſp.* Non ab omni regno nec omnimode excluduntur: ut à particulari excludantur; à Catholica non poſſunt, quam diu fideles manent. *Inſt.* At traduntur Satanæ, ut ibidem explicatur. *Reſp.* Ut ſpiritus ſalvus fiat, licet intereat caro.

QUÆSTIO XIV.

An Catechumeni aliqui ſint membra Eccleſiæ Catholicæ? Reſp. *Affirm.*

Quæſtio hæc agitatur inter nos, Pontificios, & Lutheranos, qui Catechumenos excludunt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ab Eccleſia: ſunt autem Catechumeni ex Gentibus converſi, ſed nondum baptizati.

Argumentum I. Fideles ſunt membra Eccleſiæ Catholicæ. Aliqui Catechumeni ſunt fideles, *Eph*. 4. 4. Ergo. *Reger*. Non ſufficere ad hoc, ut aliquis ſit fidelis, niſi etiam Sacramenta percipiat. Quia Deus obligat ad percipienda Sacramenta. *Reſp*. Ita quidem eſt, cum hoc fieri poteſt: ſed cum non poteſt, non excludit ab Eccleſia; Quia *non privatio, ſed contemptus damnat*.

II. Latro qui in cruce mortuus, fuit Catechumenus. Latro fuit in Eccleſia Catholica. Ergo. Minor; quia qui ſalvatur, fuit membrum Eccleſiæ. *Reger*. Latronem fuiſſe baptizatum baptiſmo ſanguinis. Diſtinguunt enim baptiſmum in *fluminis*, *flaminis*, & *ſanguinis*. *Reſp*. Falſum hoc. Nam meritò pœna affectus eſt. 2. Sequeretur, Martyres bis baptizatos; ſemel fluminis, ſecundò ſanguinis.

III. Poteſt aliquis in captivitate ſedens converti vere, & non baptizari. Ergo aliquis Catechumenus in Eccleſia eſſe poteſt. Conſequent. Quia vere converſi, omnes ſunt in Eccleſia Catholica. *Reger*. Non dari talem caſum. *Reſp*. Imo datur: legantur libri Martyrum, & patebit: præterea, utut caſus deeſſet, tamen eſt caſus poſſibilis.

Obj. I. In nulla particulari Eccleſia ſunt Catechumeni: Ergo nec in Catholica. *Reſpond*. Conſequentia nulla. Nam poteſt aliquis eſſe in Catholica Eccleſia, licet in nulla ſit particulari. *Inſt. reger*. Extra omnes Eccleſias particulares non datur Eccleſia Catholica; oportet ergo eſſe in aliqua particulari, qui eſt in Eccleſia Catholica. *Reſp*. Dari extra particulares etiam membra Eccleſiæ Catholicæ, ut ſunt excommunicati fideles.

Obj. II. Ita ſe habent Gentiles ad Iudaïſmum converſi, nec circumciſi, ut ſe habent Catechumeni nondum baptizati. Sed Gentiles non pertinebant ad Eccleſiam Iudaïcam, antequam circumciderentur. Ergo nec Catechumeni ad Eccleſiam Catholicam. *Reſp*. Negat. *Inſt*. At nulla fuit Eccleſia viſibilis, niſi Iudæorum; illi vero huc non pertinebant. *Reſp*. Negat. Nam Eccleſia inviſibilis latius patebat, quam viſibilis Judæorum: erant enim fideles qui non circumcidebantur; ut liquet in deſerto, ubi per annos quadraginta Judæi incircumciſi erant.

Obj. III. Joan. 3. *Niſi quis renatus* &c. At Catechumeni non ſunt ſic renati: Ergo non ſunt de Eccleſia Catholica. *Reſp*. Aliquando in Scripturis effectum tribui cauſis diverſis, & dici dependere ab ipſis, cum tamen neceſſario ab una dependeat: vide talem modum loquendi, *Rom*. 10. *v*. 10, hic hoc obtinet. *Inſt*. At dicitur, *Docete, baptizate eos:* Ergo mandatum hoc obligat. *Reſp*. Ita eſt cum poteſt fieri: propterea etiam in hoc ipſo mandato non ſecundo repetitur, qui non baptizatus fuerit; ſed qui non crediderit, condemnabitur: ut Sp. Sanctus oſtendat, fidem ſumme neceſſariam ad ſalutem; baptiſmum vero non item.

QUÆSTIO. XV.

An Eccleſia Catholica errare poßit?

Reſp. Affirm. Argumentum I. Singuli fideles errare poſſunt; Ergo & tota Eccleſia: quia quod uni membro competit, id omnibus. *Reger*. Errare poteſt in *moribus*, ſed non in *fide*. *Reſpond*. Error circa mores major, quam circa fidem. Quia error morum eſt circa finem, error fidei eſt circa media. Nam *juſtificamur ut ſanctificemur*, non contra; ut habet regula Auguſtini.

II. Apoſtoli ſub tempus paſſionis Chriſti graviter errarunt; Ergo Eccleſia Catholica errare poteſt. Ratio conſequentiæ. Quia Apoſtoli fuerunt præcipua membra Eccleſiæ Catholicæ. Antecedens probatur: quia nec Chriſtum paſſurum ſciebant, nec reſurgere debuiſſe. *Reger*. Apoſtolos nondum accepiſſe Sp. Sanct. tum temporis. At poſtquam accepiſſent, errare non potuiſſe. *Reſp*. Non facere ad rem. Nam antequam Sp. Sanctus ſuper ipſos fuiſſet effuſus, fuerunt membra Eccleſiæ Catholicæ. 2. Etiam poſtquam Sp. Sanctus effuſus eſt, errarunt, *Actor*. 1. Quærunt ex Chriſto, quando reſtituturus eſſet regnum Iſraëlitarum: E. putabant Chriſti regnum fore mundanum. Et ad *Gal*. 2, Paulus reprehendit Petrum, quod non recto pede incederet in doctrina Evangelii.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

III. 1 *Cor.* 13. Ex parte cognoſcimus; E. errare poteſt Eccleſia Catholica. *Reger.* Utut ex parte ſciat & prophetet, minime tamen errare poteſt. *Reſp.* Non ſufficit nugari. Nam ubi medium non eſt ſufficiens ad præcavendos errores, ibi medium inſufficiens ad præcavendos errores.

Obj. I. Matth. 16, *Tu es Petrus*: Ergo *non prævalebunt portæ inferorum*, &c. Ergo errare non poteſt Eccleſia Catholica. *Reſp.* Aliud eſt, *errare*; aliud, *deficere à fide*: qui deficit à fide, contra illum prævalebunt portæ inferorum; non qui quocumque modo errat.

Obj. II. 1 *Tim.* 3. Eccleſia eſt columna & ſtabilimentum veritatis: Ergo non errat. Nam immerito hoc ipſi tribueretur. *Reſp.* Eſt fallacia compoſitionis & diviſionis: neque enim columna & firmamentum referenda ad Eccleſiam, ſed ad ſequentia, *Magnum pietatis myſterium*; ita ut hinc periodus nova incipiat, *Columna* &c. *Inſt.* Eſto, quod ſic explicandus ſit locus, tamen aliis locis jubet obedire Eccleſiæ ſimpliciter & abſolute: unde vere concluditur, eam errare non poſſe. vide Matth. 18: *Qui Eccleſiam non audit, ſit tibi Ethnicus.* *Reſp.* Nec ibi vult Sp. Sanctus, ut abſolute Eccleſiæ obediatur; ſed ſubintelligit tacite ſententiam hanc, ſi nempe ex præſtituto Dei docuerit, *Deut.* 17. 11.

Obj. III. Eccleſia eſt ſponſa Chriſti; E. non poteſt errare. *Reſp.* Conſeq. nulla. Nam omnes fideles ſunt ſponſa Chriſti, 2 *Cor.* 11. 2. *Inſt.* At nullus ſponſus errare ſinit ſponſam, ſi poſſit eam prohibere; E. multo minus Chriſtus, cum amor ejus ſit intenſior in Eccleſiam, quam cujuſquam ſponſi in ſponſam. *Reſp.* Poſſet quidem Chriſtus prohibere, ſi vellet, ne erret; ſed non vult: neque ſponſus homo poteſt eſſe regula actionum Chriſti in ſponſam, quia, ut apud Eſaïam ait c. 55. v. 8, *Non ſunt viæ ejus, ut viæ hominum.*

QUÆSTIO XVI.

An Eccleſia Catholica deficere poſſit?

Reſp. Negat. Argumentum I. Si Eccleſia deficere poſſet, mundus periret, ut Sodoma & Gomorrha, *Eſa.* 1. At non peribit uſque ad adventum Chriſti. *Reger.* Pertinuiſſe hoc ad V. T. At non obtinuit in N. T. *Reſp.* Falſitatem hujus redarguit Apoſtolus *Rom.* 9. 29.

II. Temporibus profligatiſſimis non deficiet Eccleſia; Ergo alias eo minus, *Matth.* 24. *v.* 12, 13, 38, 39, 40, 41. *Luc.* 17. 27.

III. Si Eccleſia poteſt deficere, tum ſequitur regem poſſe eſſe, & regnum non habere. Abſurdum conſequens. Quia ſublato uno relatorum, tollitur & alterum. *Reger.* Etiamſi in terris nulla ſit Eccleſia, tamen ideo non deſinet regnum Chriſti, cum in cælo ſemper ſit Eccleſia triumphans. *Reſp.* Sequeretur ſic non poſſe dici de Chriſto, quod dicitur *Eph.* 4. 13. quod tamen de Chriſto dicitur in perpetuum. 2. Sequeretur, fœdus, quod cum Eccleſia Catholica pactum eſt, deficere poſſe; quod falſum.

Objicit Socin. I. Eccleſia in ſtatu integritatis plane defecit; Ergo poteſt deficere etiam in ſtatu reſtaurationis. *Reſp.* Conſequent. Majoris nulla: quia alius eſt ſtatus *naturæ*, alius eſt *gratiæ*. Adam vixit in ſtatu *naturæ*, noſter eſt *gratiæ*; ille ſe habet *mutabiliter*, nos non item. *Inſt.* Et ibi fuit ſtatus gratiæ. Nam ibidem fuit gratia Dei. *Reſp.* Fuit gratia conſervans, ſed quæ non erat duratura in perpetuum, ut ex fœdere liquet.

Obj. II. *Gen.* 6, *Corruperat omnis caro viam ſuam.* Ergo. *Reſp.* Noachum Sp. Sanctus excipit, & familiam ejus. *Inſt.* Imo etiam ille corruptus erat, ut patet *Gen.* 9, ubi inebriatus eſt: & familia non bona, ut exemplo Cham liquet. *Reſpond.* 1. Non ideo quia ſemel peccavit, defecit. 2. De Sem & Japhet hoc non dicitur.

Obj. III. Iudic. 17. 6, *Temporibus illis non erat Rex* &c. Hic videtur defeciſſe: dicit enim, *Quiſquis* &c. *Reſp.* Solere ita Sp. Sanctum loqui, ubi multitudo eſt impiorum, & pauciſſimi pii; ut liquet *Gen.* 6. 12. *Inſt.* Expreſſe hoc repetitur *Rom.* 3. *verſ.* 11, 12. *Reſp.* Loquitur ibi Apoſtolus de hominibus, quales natura ſunt, non quales gratia Dei. At quatenus Eccleſia Dei eſt Eccleſia, minime hoc applicari poteſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

QUÆSTIO XVII.

Penes quos eſt vocatio Miniſtrorum ad munus Eccleſiaſticum?

Reſp. Adverſarii ſtatuunt, penes Presbyteros. Nos contra, penes Eccleſiam. Argumentum I: Penes hos eſt vocatio, penes quos jus vocandi. At Eccleſia tota habet jus vocandi. Quia (ut oſtendimus ante) poteſtas eſt penes Eccleſiam. *Reger.* Hoc fieri non poſſe, quia in Eccleſia multi ſunt rudes, ita ut non poſſint agnoſcere, quid idoneum, quid non. *Reſp.* Idcirco non agit tota Eccleſia quoad *actum vocandi* immediate, ſed quoad *actum approbandi*, poſtquam vocatus eſt: propterea etiam proponitur toti Eccleſiæ, antequam ad officium hoc admiſſus fuerit; ut, ſi quid habeant contra illum, vel ratione vitæ, vel doctrinæ, libere proferant.

II. *Act.* 1, liquet, penes totam Eccleſiam fuiſſe eligere, vocare ad Apoſtolatum: quod ſi in Apoſtolatu hoc obtinuit, multo magis in Miniſterio ordinario. *Reger.* Deum ibi immediate vocaſſe Matthæum ad Apoſtolatum. *Reſpond.* 1. Deus ubique vocat, ubi quis legitime vocatur, etiamſi non extraordinarie. 2. Duos hic propoſitos ab Eccleſia, quorum alteruter ſubſtitueretur in locum Judæ.

III. Servus debet ab eodem vocari ac conſtitui, cujus eſt ſervus. At Miniſtri ſunt ſervi totius Eccleſiæ. Ergo ab ea vocari debent. Conſeq. ratio. Quia ſicut ſe habet Miniſter in Politicis. cui debet miniſtrare; ſic Miniſtri ad Eccleſiam cui debent miniſtrare. *Reger.* Atqui Miniſter in Eccleſia, quorumdam magis eſt Miniſter, quam aliorum. *Reſp.* Nullum hic diſcrimen eſt, ſed omnibus ex æquo debet prædicare Verbum Domini, omnibus ex æquo Sacramenta adminiſtrare.

Obj. I. 2 *Tim.* 2. ubi vult, ut Timotheus committat hoc miniſterium hominibus ad alios docendos idoneis. Ergo Presbyteri habent jus vocandi. *Reſp.* Non dicitur excluſive, quaſi ille ſolus hoc præſtare debuerit. *Inſt.* Si excluſive non acciperetur, tum alibi in Sacris hac de re diceretur. At nullibi. Ergo. *Reſp.* Falſum hoc, ut ex aliis locis patet, ex Epiſt. etiam eadem, 1 *Tim.* 4. 14.

Obj. II. *Tit.* 1. 5, *Ejus rei gratia* &c. Ergo hic penes ſolum Titum fuit poteſtas vocandi. *Reſp.* 1. Negat. Nam nec hic excluſive accipitur. 2. Diſtinguo quoque Eccleſiæ ſtatus. Nam aut jam eſt conſtitutus, aut demum incipit conſtitui: ubi eſt conſtitutus, ibi totius Eccleſiæ eſt vocare mediantibus Presbyteris; ubi vero non conſtitutus, ſed incipit fieri, poteſt aliquis conſtituere, ſuffragantibus tamen auditoribus. *Inſt.* At Prophetæ ab uno vocabantur, ut Elizæus ab Elia. Ergo. *Reſp.* Alia eſt ratio Prophetarum, alia vero Miniſtrorum ordinariorum.

Obj. III. Ad Principem pertinet curare, ut Verbum Dei ſonet in Eccleſia; & ut idonei ad hoc conſtituantur: eſt enim Magiſtratus cuſtos utriuſque tabulæ. *Reſp.* Ita eſt, curare debet, ſed non ut immediate hoc curet, ſed mediante Eccleſia & Preſbyterio. *Inſt.* 1 *Reg.* 2. 26, 27, exemplo Salomonis, qui ejecit Abiatharem, ne eſſet Sacerdos: unde, Penes quem eſt ejicere Miniſtrum, penes eumdem vocare. *Reſp.* Major falſa. Nam Miniſter æque ſubjectus Principi ac alii; cum Abiathar crimen læſæ Majeſtatis commiſiſſet, juſtum hoc erat, & pœnæ ſubjectus erat: Princeps vero quoad regimen Eccleſiæ, caput non eſt, ſed potius regimini illi ſubjectus, perinde ac unus aliquis Miniſtrorum.

QUÆSTIO XVIII.

Vtrum ſpurius ſit admittendus ad Miniſterium? Affirm.

I. Quia filius non portabit iniquitatem patris, *Ezech.* 18.

II. Quia ſi ſpurius admittitur ad regimen populi Iſraëlitici, admittendus etiam eſt ad Miniſterium. Ratio conſequent. quia admiſſus ad regimen, admittitur ad judicium de religione. Exemplum in Jephte.

III. Omnes in Chriſto ſumus filii Dei & fratres inter nos.

IV. Spurius non poteſt excludi à regno cælorum, multo minus à prædicatione Verbi aut adminiſtratione Sacramentorum. Conſeq. certa. Nam qui non poteſt excludi à fine, non poteſt excludi à mediis, ſive paſſivis ſive activis.

V. Si meretrices non excluduntur à regno cælo-

cælorum, neque ſpurii poſſunt. Verum prius. Ergo & poſterius. Conſeq. firma. Quia meretrices plus committunt quàm ſpurii; ſpurii enim, parentum culpa ſunt infames, non ſua.

VI. Si infames ſua culpa non poſſunt excludi à regno cælorum & à Miniſterio, præſertim ſi ſint idonei; multo minus illi qui non ſunt ſua culpa infames, excludi debent. Verum prius, exemplo Petri & Pauli. Paulus, ſemet ipſo teſte, blaſphemus fuit: blaſphemi autem jure divino comburebantur.

VII. Multi Patriarchæ (qui fuere Miniſtri) fuerunt ſpurii: inter alios Phares & Zaram, qui è Tamara proſtibulo & ſcorto turpiſſimo nati.

CAPUT XX.

De Romano Pontifice.

QUÆSTIO I.

An Eccleſiaſticum Regimen debeat eſſe Monarchicum?

Bellarm. lib. 1. de Pontif. cap. 5, *affirm.*

Argum. I. Per quod regimen Eccleſia conſervatur, illud eſt optimum. Sed per Monarchicum conſervatur. Ergo. *Reſp.* Regimen eſt duplex: Aliud eſt regimen Eccleſiæ internum, & hoc eſt Monarchicum; atque per hoc maxime conſervatur Eccleſia: Aliud eſt externum, & de hoc negamus Minorem. *Minor. prob.* 1. Per quod maxime conſervatur conſenſus Eccleſiæ, per illud maxime regitur. Sed per Monarchicum. Ergo. *Min.* Si nemo poteſt à ſe ipſo diſſentire, ut plures diſſentire poſſunt, tum per regimen Monarchicum maxime conſervatur conſenſus Eccleſiæ. Atqui. Ergo. *Reſp.* 1. ad Maj. Proſyll. negando Antec., Quod unus à ſe ipſo non diſſentiat; poteſt enim à ſe diſſentire unus, quia poteſt mutare ſententiam ſuam bonam in malam; & contra. 2. Utut unus in conſenſu præſtet multis, eſt tamen majoribus malis obnoxius, ut quod facilius poſſit errare. Plus vident oculi, quam oculus.

Inſt. Si facilius contingat, ut inter multos ſint aliqui minus prudentes aut eruditi, tum multi facilius errare poſſunt quam unus. Atqui. Ergo. *Reſp.* 1. Quemadmodum contingere poteſt, ut inter multos aliqui ſint rudes, ſic etiam unus ille rudis eſſe poteſt. Quod enim contingit multis, idem uni contingere poteſt. Quod vero etiam hoc contigerit in Pontificibus Romanis, facile eſt animadvertere, qui vel unum Platinam legerit. 2. Dato, non conceſſo, quod multi errare poſſint; non tamen omnes: pars quidem errare poteſt; non tamen totum. Liquet hoc vel ex Apoſtolis: quidam eorum errabant, non tamen omnes, quia illi redarguebantur. 3. Præſupponit præterea, tales eſſe rudes, qui in ſuæ ſententiæ defenſione pertinaciter hærent. At non omnis rudis eſt talis, quia quidam rudes ſinunt ſe informari.

Argum. II. Si Eccleſiæ Vet. Teſt. regimen fuit Monarchicum, tum & Nov. T. eſſe debet. Atqui. Ergo. *Reſp.* 1. Præſupponi falſam hyp. quod eadem ratio fuerit Vet. quæ N. T. Eccleſiæ, quoad omnia. Falſum hoc, & diverſitas apparet in eo, quod Eccleſia Vet. Teſt. erat in uno Regno, in una Gente. At nunc longe aliter. Neg. igitur Conſequentia. 2. *Min.* quoque falſa, quod Eccleſiæ Vet. T. regimen fuerit Monarchicum. *Prob.* Conſeq. *Hebr.* 7. 12. Si tranſlatum eſt V. T. Sacerdotium in Novum, Ergo regimen idem eſſe debet. Atqui. Ergo. *Reſp.* Præſupponitur falſa hypoth. in loco Apoſtoli agi de regimine Eccleſiæ, ac ſi eſſet Sacerdotium aliquod in N. T. cum nullum agnoſcamus Sacerdotem præter Chriſtum, qui proprie dicitur Sacerdos Novi Teſtamenti. Alii quidem pii dicuntur Sacerdotes, ſed tantum metaphorice. Tranſlatum eſt Sacerdotium, ſed tantum ad Chriſtum. Et quod in N. T. non habeamus Sacerdotes proprie dictos, ex eo liquet, quia Scriptura, dum loquitur de Sacerdotibus proprie dictis, addit, vel Melchiſedecianos, vel Leviticos eſſe. At in N. T. nil tale.

Inſt. I. Quomodo Lex fuit tranſlata ad nos, ſic & Sacerdotium. At Lex proprie. Ergo. *Reſp.* Neg. Conſeq. & Ratio eſt; Nam nulla eſt connexio Legis, ut inferat Sacerdotium, ſcilicet Legis Moralis. Lex Ceremonialis tantum inferebat Sacerdotium; At hæc ad nos non eſt tranſlata. Lex vero Moralis Sacerdotium non infert.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Erat enim Lex Moralis etiam in ſtatu integritatis, nec tamen ullus locus Sacerdotio.

Inſt. 2. Si hic Apoſtolus tantum de mutatione Legis agit, non agit de abrogatione. Atqui. Ergo. *Reſp.* 1. Conſequentia nulla eſt: Ratio, quia mutatio eſt genus, abrogatio eſt ſpecies. Argumentatur ergo Apoſtolus à genere ad ſpeciem, Quia mutata, Ergo abrogata. 2. Vt Sacerdos abrogatus eſt, ſic & Lex, ſcil. Ceremonialis. At Sacerdotium propriè. Ergo.

Minor, ſuperius negata, *prob.* Si ſolus Aaron Eccleſiæ præfuit, tum V. T. Eccleſiæ regimen fuit Monarchicum. Atqui. Ergo. *Reſp.* Antecedens falſum, quod ſolus Aaron præfuit Eccleſiæ. *Prob.* Si ſolus Aaron fuit ſummus Sacerdos, ſolus præfuit. Atqui. Ergo. *Reſp.* Solus quidem fuit ſummus, alii tamen erant ſubordinati; & non vocatur ſummus ob regimen aliquod, ſed ideo, quod ſolus geſtabat Urim & Thumim, quod ſolus ingrediebatur Sanctum Sanctorum.

QUÆSTIO II.

An debeat eſſe unus ſupremus in Eccleſia?

Argum. I. Si debet eſſe unum caput Eccleſiæ, debet eſſe unus ſupremus in Eccleſia. Atqui. Ergo. *Reſp.* Si Minor ſumatur de capite inviſibili, tum dari poteſt, quòd ſolus Chriſtus eſt caput; ſi de viſibili, ut vult, negatur.

Prob. Qualia ſunt membra, tale eſt & caput; At membra ſunt viſibilia; Ergo & caput eſſe debet viſibile. *Reſp.* Concedimus id de capite, ſed non de Rectoribus, nempe de miniſteriali capite; nam qui præſunt Eccleſiæ, vocantur caput, ſed metaphorice: ſed an unus debeat eſſe illud caput, hoc negatur.

Inſt. Si unum debet eſſe caput; Ergo unus neceſſe ſit, qui ſit caput. Atqui. Ergo. *Reſp.* Neg. conſeq. Nam in Politicis, in Ariſtocratia, multi ſunt rectores, & tamen dicuntur unum caput. Sunt enim unum quoad poteſtatem & conſenſum. Non enim requiritur ſemper unum numero, modo ſit unum poteſtate & conſenſu.

Inſt. Si poſſunt dici unum ob conſenſum, tum etiam membra ſic dici poſſunt. Hoc eſt abſurdum. Ergo. *Reſp.* Neg. conſeq. Nam ſicut in Ariſtocratia non ſequitur, Hi ſunt unum caput, Ergo & membra unum. Non capiti membra, ſed corpus correſpondet. Corpus vero unum eſt, licet ex multis membris conſtet.

Argum. II. Si unum eſt caput in cælis, Ergo & in Eccleſia unum eſſe debet. Verum prius. Ergo & poſterius. *Reſp.* Conſequentia iterum falſa; quia non eſt eadem ratio cæleſtium & terreſtrium. *Prob.* Conſeq. *Hebr.* 8. 5. Si cæleſtia ſunt exemplar terreſtrium, tum debent terreſtria conformari ad cæleſtia. Atqui. Ergo. *Reſp.* Locus Apoſtoli conſequentiam non probat, quia ibi agit Apoſtolus de Lege Ceremoniali & de typis. Locus ergo iſte impertinenter plane allegatur ad probandum.

QUÆSTIO III.

An Petrus fuerit Monarcha Eccleſiæ?

Bell. affirm. Argum. I. Super quem ædificata fuit Eccleſia, ille eſt fundamentum Eccleſiæ. At ſuper Petrum. Ergo. *Reſp.* Eſt ignoratio Elenchi, quia quæritur de eo, an ad Petrum referatur, nec ne, quod dicebat Chriſtus, *Super Petram ædificabo Eccleſiam?* Adverſarii putant, ad Petrum referri. Sed quæram ego, cur Spiritus Sanctus mutat iſtud genus dicendi, quod concretum cum abſtracto commutet, Petrum, Petra? 2. Adhæc genus ipſum variat: nam unum eſt generis maſculini; alterum, feminini. Negatur ergo, Petrum fuiſſe Petram iſtam. Et ratio, præter datas, adhuc clarior eſt 1 Cor. 3. 11: *Fundamentum aliud nemo ponere poteſt.* *Prob.* de Petro dici: Si Chriſtus per Petram intelligeretur, tum nullus eſſet reſpectus ad nomen Petri. Atqui eſt reſpectus ad nomen Petri. Ergo. *Reſp.* Poteſt eſſe reſpectus ad Petrum, licet Petrus non intelligeretur per Petram; concreti enim ſemper eſt reſpectus ad abſtractum, & abſtracti ad concretum, neque tamen unum & idem ſunt. Sic hic eſt reſpectus abſtracti ad concretum, non tamen ſequitur, unum eſſe.

Argum. II. *Ioan.* 21. Cui mandatur paſcere oves, ei mandatur regimen Eccleſiæ. Sed Petro. Ergo. *Reſp.* 1. Argumenta iſta parabolica vel metaphorica, in rebus magni momenti, nihil concludunt: tale enim eſt hoc. 2. Neg. Conſequentia, quia ipſe Petrus, 1 *Petr.* 5. 2, 3, opponit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

paſcere & dominari. Prob. Conſeq. Cui eſt particulariter dictum, *Paſce oves meas*, illi datum majus regimen, quam aliis. Sed Petro, *Matth.* 28. & *Ioan.* 21. Ergo. *Reſp.* Eſt fallacia non cauſæ ut cauſæ. Non enim plus inde infertur, quam ſi quis dicat, Legis quædam præcepta omnibus mandantur, & in ſpecie quibuſdam; Quædam præcepta magis inculcantur aliis in ſpecie præ aliis: male quis inferret, Ergo unus plus debet obſervare Legem, quam alter. Non ſequitur: quia Lex æque omnes obligat. 2. Auguſtinus dat rationem, cur in ſpecie Petro ſit dictum ter, *Paſce oves meas*; quia abnegando ter Dominum, exciderat Apoſtolatu: terna ergo quæſtione & reſponſione Dominus eum iterum inſerit.

Argum. III. *Ioan.* 10. 16. Si unus ſit Paſtor, Ergo & unus ſit, neceſſe eſt, qui regat Eccleſiam. Verum prius. Ergo. *Reſp.* Conceditur totum, ſi de principe Paſtorum, nempe de Chriſto, ut Petrus loquitur, intelligatur.

Inſt. Si de futuro Paſtore loquitur, non poteſt intelligi Chriſtus ipſe. Atqui. Ergo. *Reſp.* Fuit quidem Chriſtus ante Paſtor; ſed poſtea, cum erit unus grex, tum dicetur unus etiam Paſtor: neque enim ſimpliciter dicitur fore eum Paſtorem, ſed unum fore Paſtorem totius Eccleſiæ.

Argum. IV. Cui datæ ſunt claves regni Cælorum, ille eſt Monarcha Eccleſiæ. Sed Petro. Ergo. *Matth.* 16. 19. *Reſp.* Neg. conſeq. Maj. Claves enim ſunt duplices; Vel herilis, de qua *Apocal.* 3: & hæc eſt Chriſti ſolius, neminique communicatur. Vel miniſteriales; eæ vero non faciunt regimen, ſed miniſterium. 2. Negatur Minor, quod ſoli Petro. *Prob.* Minor: Illi datæ ſunt claves, qui confeſſionem ediderat. At confeſſionem ſolus Petrus edidit. Ergo. *Reſp.* Petrus quidem edidit confeſſionem, verum in nomine totius Eccleſiæ; quare etiam in nomine Eccleſiæ reſponſum accepit. Vide Parkerum in Polit. Eccleſiaſtica: An Petro hoc in propria an Eccleſiæ perſona dictum?

Inſt. Si Chriſtus ſe intelligeret per Petram, tum non dixiſſet in futuro, ſed præſenti. At dixit in futuro. Ergo. *Reſp.* Illyricus optime reſpondet ad hoc, quod futurum, ſæpe non initium inferat, ſed continuationem rei cœptæ; ut Matt. 28, *Ero vobiſcum uſque ad conſummationem ſeculi*, non notatur initium, quia jam antea cum ipſis erat: ſed notat continuationem. pariter & ibi.

QUÆSTIO IV.

An Pontifex Romanus ſit Anti-Chriſtus?

Bell. Negat. Argum. I. Si Antichriſtus debet eſſe homo ſingularis, tum Papa non eſt Antichriſtus. Atqui *Ioan.* 5. 43. Qualem hominem opponit ſibi Chriſtus, talis erit Antichriſtus. At hominem ſingularem. Ergo. *Reſp.* Neg. Maj. ſyllog. & probatio ejus nihil facit, nam per *alium* ἐκεῖνον, hic non magis notatur una certa & ſingularis perſona, quam *Ioan.* 4. 37.

Inſt. 1. Chriſtus hic perſonam perſonæ opponit, Ergo ſingularis eſt. *Reſp.* Nulla Conſeq. quia poſſunt uni & certæ perſonæ multi opponi. v. g. *Luc.* 2, de Chriſto dicitur, *Is cui contradicetur*: hic uni multi opponuntur.

Inſt. 2. Si Judæi Meſſiam hominem ſingularem expectant; tunc Antichriſtus, quem Chriſtus docet eos recepturos, erit ſingularis. Atqui. Ergo. *Reſp.* Conſequentia falſa, prout prioris inſtantiæ; & eodem medio refutatur, Quod uni ſæpe opponantur multi: ut etiam Joan. 10, *Ego ſum Paſtor bonus*; ubi Chriſtus omnibus malis mercenariis ſe unum opponit.

Inſt. 3. Si Antichriſtus non erit una ſingularis perſona, tum non erunt omnes æqualiter Antichriſti. *Reſp.* Negatur conſequentia; quia omnes Romani Pontifices ſibi ſimiles, ſi non vita, attamen profeſſione.

Inſt. 4. Si non omnes æqualiter ſcelerati ſunt, tum non omnes æqualiter ſunt Antichriſti. Atqui. Ergo. *Reſp.* Neg. conſeq. quia omnes æque ſunt ſcelerati, quoad principaliora: ut, ſolvere hominum conſcientias legibus divinis; Verbum Dei abjicere & contemnere.

Inſt. 5. Si Antichriſtus non erit una ſingularis perſona, ſequetur, quod aliquando non erit Antichriſtus: vacante enim ſede Pontificia, vacat Antichriſtus. *Reſp.* Diſtinguimus inter Antichriſtum formaliter ſic dictum, & inter Antichriſtum repræſentative ſic dictum; licet enim vacet ſedes Pontificia, tamen habetur Antichriſtus ſcil. repræſentative. Nam & corpus Pontificis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ficis, manet Antichriſti corpus, licet ille obierit, atque ſic unus ſuccedit alteri ſtatim.

Inſt.6. 2 *Theſſal.*2.3. Si articulus non præfixus, determinat aliquod individuum; ſequitur, hic intelligi certam perſonam. Atqui. Ergo. *Reſp.* Neg. Minor, Quod particula ὁ, addita ſubjecto, ſemper notet individuum: ut v. g. *Matth.* 13, ὁ σπείρων, hic certe nullum notatur individuum, ſic aliis in locis, *Matth.* 2. 22. *Luc.* 4.4.

Inſt. 7. Antichriſtus, 1 *Ioan.*2. 18, cum articulo ὁ eſt ſingularis perſona. *Reſp.* Nihil inde probatur. Nam omnes quidem, qui ſeſe opponunt Filio, vocantur Antichriſti, verum Pontifex Romanus καθ' ἐξοχὴν vocatur Antichriſtus.

Argum. II. Qui ſe non opponit Chriſto, nec ſe ſupra Chriſtum effert, ille non eſt Antichriſtus. At Papa hoc facit, quia ſe dicit vicarium Chriſti, & ſervum ſervorum. Ergo. *Reſp.* Fateor quidem, quod ſeſe vicarium Chriſti & ſervum ſervorum jactet; ſed fucus eſt. Nam revera ſe opponit Chriſto, & ſupra Chriſtum effert, dum dicit, poſſe ſe de legibus Dei diſpenſare prout vult: at hoc eſt ſupra Chriſtum eſſe, & ei ſe opponere. Et ſane, qui auctoritatem ſupra Verbum Dei effert, ille profecto ipſi Deo ſe anteponit. 2. Vicarius Chriſti, vel eſt in regimine Chriſti interno, vel externo. At ille vult, in regimine interno, quod fieri nullo modo poteſt. Vt enim regimen internum infinitum, ſic etiam infinitam requirit poteſtatem, quam Papa non habet.

Argum. III. Antichriſtus debet ſedere in Templo Hieroſolymitano. Papa non ſedet. Ergo. *Reſp.* 1. Bell. ex loco, quem citat 2 *Theſſ.* 2. *verſ.* 4, intelligit Templum aliquod materialiter ſic dictum, cum Templum formaliter ſumtum intelligi debeat. 2. Diſtinguitur in Eccleſia ſedere, vel re ipſa, vel ita, ut ſe fateatur caput Eccleſiæ Dei, & quod ſibi aſſumat id quod non debebat, h.e. opinione, non autem re; vel etiam quod ibi adhuc inter Pontificios ſit aliqua Eccleſia Dei, licet ſatis corrupta: quod vel inde apparet, quod Sacramenta ibi adminiſtrata obtinent, infans enim ibi baptizatus, non rebaptizatur.

Inſt. Apoc. 11. 8. Qui ſedebit in loco ubi Chriſtus crucifixus eſt, ille ſedebit Hieroſolymis. At Antichriſtus. Ergo. *Reſp.* Crucifigitur Chriſtus tripliciter. 1. Abſolute, tum, cum fuit crucifixus tempore paſſionis ſuæ, quod factum Hieroſolymis. 2. Crucifigitur etiam Chriſtus, quando abnegatur, ut Heb. 6, *Chriſtum denuo peccatis ſuis crucifigunt.* 3. In membris ejus, dum perſecutionem patiuntur. Hinc Actor. 9. *Quid perſequeris me?* Jam probet Bellarm. quod ibi, *Apoc.* 11, agatur de loco illo, ubi Chriſtus eſt crucifixus propriè & in ſe.

Argum. IV. Si Elias & Enoch venturi tempore Antichriſti, tum nondum venit Antichriſtus. Illud probatur *Malach.* 4. 5. *Reſp.* Quod in loco Malachiæ non intelligatur Elias perſonâ, ſed officio: quem Chriſtus, *Matth.* 17, jam dicit veniſſe. 2. Vox illa quæ apud Malach. habetur, de adventu terribili intelligitur, non tantum de poſteriori, ſed & priori adventu Chriſti, ut patet *Matth.* 2. ubi Herodes & tota Hieruſalem conſternata dicitur.

Inſt. 1. De eo Elia loquitur *Matth.* 17, qui in monte viſus erat: Sed Elias perſonâ viſus eſt: Ergo non officio. *Reſp.* Compertiſſimum hoc, Chriſtum non ſemper ad ea reſpondere directe, quæ ſtulte quæſita erant, ſed quæ ſtulte quærebantur, ſæpiſſime ad veritatem revocat: *Cavete à doctrina.* Ita *Ioan.* 4, ab aqua corporali ad potum ſpiritualem, &c. Ita etiam in hoc loco de Elia ſtulte quærebant, ille ad veritatem revocat, & docet quis ſit ille Elias: vide exempla hujus rei in Ioan. Reinoldo.

Inſt. 2. Is Elias ibi intelligitur, qui omnia debuit reſtituere. Sed Ioannes non reſtituit omnia. Ergo. *Reſp.* Omnia reſtituit, ut *Luc.* 7, de eo prædictum erat, *Tu Puer* &c. Reſtituit ergo omnem veritatem Verbi Dei, & quæ corrupta erant, reparavit vi Verbi divini.

QUÆSTIO V.

An Papa poſſit errare?

Bellarm. negat. quia in officio eſt. Argum. I. Qui deſtinat ad finem, deſtinat & ad media: Sed Deus deſtinavit Petrum ad finem, ut præeſſet Eccleſiæ cum ſucceſſoribus: Ergo & ad media, ne erret. *Reſp.* Præſupponitur falſa hypoth. quod Petro aliquis ſucceſſerit in Apoſtolatu.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

latu. 2. Præſupponitur, quod Petrus errare non potuerit: quod falſiſſimum.

Inſt. 1. Quod Petro ſucceſſit unus Paſtor, unum ovile, *Ioan.* 10. Si unus Paſtor, & unum ovile, in terris eſſe debet, tum Chriſtus aliquem præfecit Eccleſiæ. Atqui. Ergo. *Reſp.* Neg. Conſeq. Nam Chriſtus non loquitur de eo quod hic futurum ſit, ſed quod in futura vita erit.

Inſt. 2. Si jam fuit ante in Eccleſia Monarchia inviſibilis, quæ erat penes Chriſtum; ſequitur, Chriſtum ibi loqui de alia aliqua. Atqui. Ergo. *Reſp.* 1. Aberrat à ſcopo: quia non dicimus, Chriſtum ibi loqui de inviſibili, ſed de futuro vitæ ſtatu. 2. Non procedit argumentum: quia poteſt aliquid dici fieri, non quod ante non fuerit, ſed quod ita non fuerit. v. g. de Chriſto dicitur, *Sedebit in ſolio David:* ſedit quidem ſemper, ſed ratione objecti latioris & modi clarioris ſic dicitur.

Inſt. 3. Si Petrus non tantum communem functionem Apoſtolatus accepit, ſed & ſpiritualem, Ioan. 21, *Paſce oves meas*, &c. Ergo fuit præfectus Eccleſiæ. *Reſp.* Negat. Conſeq. Quia non tantum Petrus, ſed & alii omnes Apoſtoli hoc acceperunt, h. e. facti ſunt omnes Apoſtoli, communiter Miniſtri Eccleſiæ.

Inſt. 4. At nullibi Apoſtolis dictum, *Paſce oves meas*, ut Petro dictum; non ergo commune eis erat cum Petro. *Reſp.* Non quidem dictum illis ut Petro, ſcil. metaphorice, *Paſce oves meas*: ſed dictum illis fuit proprie, *Ite & docete*, &c. Illa quippe verba, *Paſce oves meas*, ſunt metaphorica, &, ſi revocentur ad propria, ſignificabunt, *docete*.

Argum. II. Pro quo Chriſtus oravit, ille errare non potuit. At pro Petro. Ergo. *Luc.* 22. *Reſp.* Non dicitur in textu, quod errare non potuerit, ſed quod non potuerit deficere; & ſic damus totum. 2. Neque Petro hoc tantum promiſſum fuit, ſed & omnibus aliis: Ioan. 17, *Pro his omnibus, quos mihi dediſti.*

Inſt. Petro dictum ter, *Paſce*; plus ergo ei datum. *Reſp.* Eſt fallacia non cauſæ ut cauſæ, quia ibi trinæ abnegationi trina opponitur confeſſio, & ſic reſtituitur in Apoſtolatum. Non autem ei ter à Domino dicitur, *Paſce oves meas*, ut ei detur poteſtas in reliquos Apoſtolos.

QUÆSTIO VI.

An Papa poſſit condere leges conſcientiam obligantes?

Bell. affirm. Argum. I. Si in V. T. penes Sacerdotem fuit auctoritas leges condendi, & in tranſgreſſores animadvertendi; ſequitur, etiam in N. T. eſſe debere. Atqui, *Deut.* 17. 12. Ergo. *Reſp.* 1. Eſt ignoratio Elenchi, quia ibi nihil agitur de rebus ſpectantibus fidei dogmata, aut præcepta morum, ſed de judiciis forenſibus. 2. Dato, non conceſſo, tamen negatur, quod penes ſummum Sacerdotem fuerit ea auctoritas, quia expreſſe dicitur in textu, hoc debere eum facere ex præſtituto Legis.

Inſt. 1. At in textu dicitur, *omnia*: Ergo ibi agitur non tantum de rebus forenſibus. *Reſp.* Habetur ibi quidem *omnia*, attamen vox iſta eſt intelligenda de omnibus iis de quibus ſubjecta materia agit. Atqui agit de rebus forenſibus.

Inſt. 2. ex *verſ.* 9, Quos conſultamus, illi nos poſſunt obligare. Sed Sacerdotes jubemur conſultare. Ergo. *Reſp.* Major falſa, quia ſæpe conſulimus aliquem; & tamen, ſi non faciam ſecundum ejus conſilium, non obligatur conſcientia mea. Sic Abſolon conſuluit Chuſaï & poſtea Achitophel, & tamen, unius rejicit conſilium, alterius quidem ſequitur; non tamen inde concludendum eſt, quod Chuſaï obtinuerit imperium in conſcientiam Abſolonis.

Argum. II. Si Petro data poteſtas legum conſcientiam obligantium, etiam ſucceſſoribus data. Verum prius. Ergo, *Matth.* 16. 19. *Reſp.* Hypoth. falſam præſupponi, quod Papa Petro ſucceſſerit. 2. Negatur etiam Antecedens, quia ibi nihil agitur de legibus, ſed de peccatorum retentione & abſolutione.

Inſt. Si vocabulum *quicquid* non poteſt referri ad homines, ſequitur, quod *claves* ibi intelligantur non de abſolutione & retentione peccatorum. Atqui. Ergo. *Reſp.* Negatur Antecedens, quod non poſſit referri ad homines, uti etiam illud, *Omnia traham ad me*, de hominibus accipitur, ita etiam *quicquid*.

Inſt. Si vocabulum *ligare* non eſt idem quod reti-

retinere; ſequitur, ibi non agi niſi de legibus condendis. Atqui. Ergo. *Reſp.* 1. Negat. Conſeq. Si uno loco ita accipitur, Ergo omni in loco ſic accipiendum eſt. Verba enim accipi debent ſecundum ſubjectam materiam. 2. Fateor quidem, quod ibi apud Matthæum agatur de legibus non propriis, ſed alienis; quia illi exigebant leges latas, non condebant.

Argum. III. Si in Concilio Hieroſolymitano Petrus tanquam Præſes præfuit, & legem tulit obligantem conſcientias hominum, ſequitur, quod etiam nunc poſſit hoc Papa facere. Prius patet *Act.* 15. 18. *Reſp.* 1. Hypoth. inepta præſupponitur, Papam eſſe ſucceſſorem Petri. 2. Leges ſunt vel de dogmatibus fidei, vel de præceptis morum: illa non feruntur à quovis hominum. In rebus vero adiaphoris, ſi ab Eccleſia aliquid fertur, tum nos non obligat quidem, ſed ex accidenti, non vero per ſe; quia ſcilicet generale eſt mandatum, Omnia debere fieri ad ædificationem: & talis adiaphora lex lata fuit ab Apoſtolis *cap.* 11. 21. rurſus abrogatur, ubi neceſſitas obſervandi legem hanc ſublata fuit.

QUÆSTIO VII.

An Papa habeat ſpiritualem & civilem Poteſtatem?

Bellarm. Affirm. Argum. I. Quæ ſibi non repugnant, illa poſſunt in uno eodemque ſubjecto eſſe. Sacerdotem & Principem eſſe, non repugnant. Ergo poſſunt eſſe in Papa ſimul. *Reſp.* Dicitur aliquid pugnare, vel ex natura ſua, vel ex ordinatione divina. Poteſt aliquid non repugnare alteri ex natura ſua, attamen ex divina ordinatione poteſt: Ita Sacerdotem & Principem eſſe, non pugnant natura ſua, at pugnant ex ordinatione divina. Quod natura iſta non pugnent, patet ex Melchiſedecho, qui Rex & Sacerdos fuit. At iſta pugnant ex ordinatione Dei. Matth. 20. 26. *Vos autem non ſic.*

Inſt. Chriſtus *Matth.* 10, tantum tyrannidem prohibet, non dominatum. *Reſp.* Chriſtus ibi ſimpliciter Apoſtolatui Dominium opponit, non autem tyrannidem.

Inſt. Vox κατακυριεύειν, ſemper in deteriorem partem ſumitur, ita ut ſæpius tyrannidem notet. *Reſp.* Negatur, quod hoc loco ſic accipi debeat, licet forte in aliis locis ita poſſit interpretari, quia hic non de tyrannide, ſed de dominatu inter diſcipulos, quæſtio exorta erat.

Argum. II. Si poteſtas civilis eſt ſubjecta ſpirituali, tunc Papa etiam poteſt agere Principem ſecularem. Atqui. Ergo. *Reſp.* 1. Conſeq. eſt falſa; quia, ſi hoc ſequeretur, Ergo etiam aliquis ſic poſſet concludere: Si carnifex, ſutor, &c. ſunt ſubjecti Principi, Ergo etiam Princeps poteſt agere ſutorem, carnificem, &c. 2. Diſtinguitur inter ſubjectionem. Nam & Eccleſia & Poteſtas ſubjecta eſt, ſed diverſo ſubjectionis genere. Poteſtas quidem civilis ſubjecta eſt Eccleſiæ: ſcilicet qua Chriſtiani ſunt illi, qui in Poteſtate ſunt, eatenus ſunt ſubjecti Eccleſiæ; & hoc regimen Eccleſiæ longe eſt diverſum à regimine Politico; quia regimen hoc non niſi eſt miniſteriale, neque ad infligendas pœnas inſtitutum eſt. Princeps ergo ſubjectus eſt Eccleſiæ, ſed qua Chriſtianus eſt, & quatenus membrum Eccleſiæ: ideoque non niſi Chriſtianus Princeps Eccleſiæ ſubjectus eſt. At Eccleſia ſubjecta Principi etiam Ethnico, quia omnis Poteſtas à Deo eſt.

Argum. III. Si temporalia pendent à ſpiritualibus; tunc ſequitur, Papam habere poteſtatem etiam ſuper temporalia. Atqui. Ergo. *Reſp.* Si *pendere* illud ſumitur pro *pendere in uſu à ſpiritualibus*; tum conceſſerim. Si vero pro *pendere quoad poteſtatem*; tum hoc eſt petere principium. Temporalia quidem à ſpiritualibus pendent quoad uſum legitimum, quia temporalibus uti bene non poſſumus niſi ex fide. Sed extra hunc uſum, quomodo temporalia à ſpiritualibus dependeant, non video.

Argum. IV. Quæ finem ſubordinatum habent, eorum unum pendet ab altero. Sed temporalia. Ergo. *Reſp.* Non ſequitur, niſi quod dependeant quoad uſum legitimum, ut jam oſtenſum.

Argum. V. Si Sacerdos debet arcere lupos ſeu hæreticos, tum etiam poteſtatem ſecularem habere debet. Atqui. Ergo. *Reſp.* Præſupp. falſa hypoth. quod hæretici non poſſint coërceri niſi gladio: quod falſum. Nam prius verbo coër-

coërcendi ſunt à Miniſtris Eccleſiæ; quod ſi non obediant, non ſtatim ad gladium recurrendum: Nam Sp. Sanctus non vult, Epiſcopum eſſe contentioſum verbis, nedum verberibus.

Argum. VI. Si 2 *Chron.* 23, Joiada Sacerdos Joaſum in Regem unxit, Attaliam rejecit; Ergo & nunc poteſt. *Reſp.* Diſtinguunt Politici inter Tyrannum, qui eſt Tyrannus vel cum titulo, vel ſine titulo. Tyrannus cum titulo, qui legitime in Principem electus degenerat; & contra talem difficilius inſurgere poſſunt ſubditi, aut eum Principatu abdicare. Tyrannus ſine titulo eſt, qui ſibi illegitime uſurpat titulum Principis; & talis fuit Attalia. Sed ſi detur, Attaliam fuiſſe Principiſſam vel Reginam cum titulo, non tamen privatus aliquis eam occidit, ſed ex Magiſtratus ſententia.

Argum. VII. Si 2 *Chron.* 26. 20, Oſias ad arbitrium Sacerdotis fuit ejectus è templo, etiam nunc Papa habebit talem poteſtatem. Atqui. Ergo. *Reſp.* Neg. antecedens, quia propter lepram ejectus fuit, uti ex hiſtoria illa liquido apparet.

Argum. VIII. Moſes fuit judex in rebus temporalibus & ſpiritualibus. Ergo & Papa poteſt eſſe. *Reſp.* 1. Non ſequitur. 2. Moſes non fuit Sacerdos, ſed Aaron frater ejus.

Argum. IX. Unus Rex poteſt plures regere provincias: Ergo & Papa ſpiritualem & temporalem. *Reſp.* Conſeq. nulla. Quia Rex agit per vicarios; & alia ratio regni Chriſti, alia regni hujus mundi.

QUÆSTIO VIII.

An ad Papam pertineat indicere Concilium Generale?

Bell. affirm. Argumentum I. Ovium non eſt congregare Paſtores. Imperatores ſunt Oves, Sacerdotes, Rectores, & Paſtores. Ergo. *Reſp.* Imperatores ſunt quidem Oves Eccleſiæ, ſed non tantum, quia etiam dicuntur Curatores & Nutritores Eccleſiæ, & eatenus eorum eſt convocare Concilia.

Inſt. Cui non eſt commiſſa Eccleſia, ille non poteſt congregare Concilia. Sed Imperatoribus non; quia non Tiberio, ſed Petro. Ergo. *Reſp.* Limitanda Major. Cui Eccleſia non eſt commiſſa nullo plane modo. Sic cadit Minor. Quia Eccleſia commiſſa eſt Imperatoribus, Principibus, ſecundum protectionem & procurationem neceſſariorum. Principis enim eſt, procurare, ut Eccleſia habeat Miniſtros bonos; ſicut commiſſum, ut reſpubl. habeat bonos Medicos. Et ſic Magiſtratus Eccleſiam non quidem per interna, attamen per externa gubernat media.

Argum. II. Generale Concilium ille poteſt conſcribere, qui poteſt omnes cogere. Sed Imperator non poteſt omnes Epiſcopos cogere, Papa vero poteſt. Ergo ejus eſt Concilium conſcribere. *Reſp.* Major falſa: & enſtaſis datur ex S. Scriptura, ubi Joſaphat mittit etiam ad illos qui non pertinebant ad regnum ejus, & quos cogere non poterat, ut ad celebrandum Paſcha venirent.

Argum. III. Antiquiſſimo Canone ſtatuitur, ſine Romani Pontificis ſententia non poſſe celebrari Concilium. *Reſp.* Quis ſit iſte Canon, nos ignoramus. Apoſtolicus certe non eſt: nullus enim erat Papa tum temporis. Et licet Patres dicant, eſſe Apoſtolicum, quia non probant, nos Patribus & Conciliis in tantum auctoritatem tribuimus, in quantum conſentiunt cum Verbo Dei. Adhæc in S. Literis habemus convocata Concilia à Regibus, Salomone, Joſia, Joſaphat, & aliis, &c.

QUÆSTIO IX.

An ſoli Epiſcopi habeant jus ſuffragii deciſivi?

Bell. affirm. Argum. I. Definire in Conciliis quæ tradenda & facienda ſunt, eſt Paſtorum. Soli Epiſcopi ſunt Paſtores, quia *paſcere* eſt *docere*, ita ut omnes credere teneantur. At hoc ſoli Epiſcopi poſſunt. Ergo. *Reſp.* Præſupp. falſa hypoth. quod Epiſcopi differant à Paſtoribus; quod falſum: ſiquidem in S. Literis etiam Presbyteri vocantur Epiſcopi. 2. Definire eſt quidem Conciliorum, non tamen abſolute, ſed ex Verbo Dei.

Argum. II. Qui ſubſcribunt in Conciliis, illi habent jus ſuffragii deciſivi. Sed Epiſcopi. Ergo. *Reſp.* Conceditur totum, ſi vocem *Epiſco-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

pi accipias, prout nos paulo ante diximus, in latiori ſignificatione.

Argum. III. *Act.* 15, Apoſtoli interfuerunt tanquam judices, Presbyteri tanquam conſultatores. Ergo. *Reſp.* Falſum hoc. Nam *verſ.* 6, dicitur, *Congregati autem ſunt Presbyteri & Apoſtoli, ut diſceptarent de hac re.* Deinde etiam *verſ.* 28, dicunt, *Viſum eſt Sp. Sancto & nobis:* ubi totus cœtus congregatorum intelligitur.

Argum. IV. Negotia Eccleſiaſtica ſunt tractanda à perſonis Eccleſiaſticis & publicis. Tales ſunt Epiſcopi. Ergo. *Reſp.* Rurſum totum concedimus, ſi vocabulum *Epiſcopi* ſumatur in ſana ſignificatione, prout Spir. Sanctus accipit in S. Scriptura.

QUÆSTIO X.

An Epiſcoporum ſententiis ſit ſtandum?

Bellarm. affir. Argum. I. *Deut.* 17. Si dubitantes in Vet. Teſt. jubentur adire Sacerdotum Concilia, & ſub pœna mortis ipſorum ſtare ſententiis, tum etiam in Nov. Teſt. Atqui. Ergo. *Reſp.* 1. Non ſequitur: quia non eſt eadem ratio V. T. Eccleſiæ cum Eccleſia N. T. 2. Non ſimpliciter jubetur Sacerdos aliquid decidere, ſed ex præſtituto Legis.

Inſt. Si Conciliorum ſententiis obedire debemus, tum ſtandum eſt eorum ſententiis. Atqui. Ergo. *Reſp.* Si Minor ſumatur abſolute, id eſt, ſententiis Conciliorum abſolute, & non in tantum, in quantum ex Verbo Dei ſunt, tum negatur.

Inſt. Matth. 18. 17. *Si Eccleſiam non audierit*, &c. *Reſp.* 1. Verba illa non ſimpliciter de omnibus ſunt intelligenda, ſed ſi non audierit ſc. in re manifeſta & clara ex Lege Dei. 2. Agit ibi Chriſtus de offenſis privatorum, nihil autem de dogmatibus fidei & morum, de quibus quæſtio eſt hoc loco. 3. Non Concilium ibi intelligitur, ſed Synedrion. Si enim Concilium intelligeret; tum ſequeretur, toties adeundum eſſe Concilium, quoties te frater offendit: quod abſurdum eſt.

Argum. II. *Act.* 15. 16. Si Paulus tranſiens per varias civitates monebat obſervare ſtatuta Concilii Hieroſolymitani, tum & nunc hoc debet fieri. Atqui. Ergo. *Reſp.* 1. Diverſitas eſt longe maxima inter Concilia iſta quæ nunc habentur, & inter Concilium Apoſtolicum: hoc fiebat ab hominibus, qui à Spir. S. agebantur, & errare non potuerunt; at ubi nunc tales? 2. Neque Paulus jubebat ſimpliciter Conciliis credere, ſed cum conditione, ut explorarent, an ſit legitimum. Non enim erat major ratio, cur deberent Concilium recipere, quam ſermones ejus. At voluit, ut explorarentur ſermones ejus, *Act.* 17. Ergo & Concilii ſententia.

Inſt. Æque hodie Spir. S. adeſt Conciliis, & iis qui in nomine ejus congregantur, prout adfuit tempore Apoſtolorum. *Reſp.* Eſt quidem Sp. S. cum illis qui in nomine ejus congregantur, ſed non eodem modo & gradu, prout tum Apoſtolis adfuit, neque hoc accepit Eccleſia, quod errare non poſſit.

Argum. III. Si Concilia habent auctoritatem obligantem conſcientias, tum ſtandum decretis Conciliorum. Atqui, ex *Act.* 15. Ergo. *Reſp.* 1. Apoſtoli ibi non ſimpliciter, ſed ex Verbo Dei concludunt, & eatenus conſcientias obligant. 2. Eſto: habet quidem Eccleſia auctoritatem leges condendi, ſed eæ non obligant nos, niſi ex hypotheſi, quatenus ex Verbo Dei ſunt, idque in tantum, in quantum ex generali præcepto aliquod ſpeciale deducitur, ut Apoſtoli ex eo, ne ſcandalizentur infirmi, ſententiam illam tranſtulerunt.

QUÆSTIO XI.

An Papa debeat præſidere Conciliis?

Affirm. Bell. Argum. I. Si Petrus in electione Mathiæ præfuit; ſequitur, quod & hodie Papa debet præeſſe Conciliis. Atqui. Ergo. *Reſp.* 1. Conſeq. nulla: quia falſa hypoth. præſupponitur, Papam ſucceſſiſſe Petro. 2. Libenter concedimus, nos aliquam prærogativam dare Petro, primus quod fuerit, ſed non auctoritate, verum ordine. Quod autem illi volunt, juriſdictione fuiſſe aliis ſuperiorem, hoc nunquam probabitur. Præfuit ergo in electione Mathiæ, ſcil. ordine, quod primus fuit ordine, prout in quolibet cœtu oportet ut aliquis primus ſit.

Inſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Inſt. 1. *Act.* 15. 7. Qui primus loquitur, ille præſidet. Petrus. Ergo. *Reſp.* 1. Conſeq. nulla eſt: quia non ſemper, qui primus loquitur, omnium ſupremus eſt. 2. Deinde potius concludemus, Ille eſt præſes, qui fert ſententiam. At Jacobus tulit ſententiam. Non ergo Petrus, ſed Jacobus fuiſſet præſes dicendus.

QUÆSTIO XII.

An Concilium confirmatum à Papa, poſſit errare?

Bellarm. neg. Argum. I. In quorum medio eſt Chriſtus, illi non poſſunt errare. Sed in medio Conciliorum, in nomine Chriſti congregatorũ, eſt Chriſtus, *Matt.* 18. Ergo. *Reſp.* Major eſt falſa: Nam error eſt duplex; vel error fidei, vel error morum. Jam vero, ipſimet Pontificii concedunt, quod tales errare poſſunt errore morum: unde infero: Si errare poſſunt errore morum, multo magis errabunt errore fidei. Error autem morum eſt major, quia eſt circa finem; error autem fidei eſt circa media, ideoque minor eſt.

Inſt. Qui ducuntur à Chriſto, illi errare non poſſunt. Sed congregati in Concilio, & nomine Chriſti, ducuntur à Chriſto. Ergo. *Reſp.* Eadem reſponſione tollitur hæc inſtantia, qua primum argumentum ſublatum eſt. Hoc probandum jam: Si errant in moribus, non errant tamen in fide. Quæ enim cauſa eſt, quod Chriſtus nos ita ducat hic, ut non perfecte regenitos, & ita, ut non quævis vitia removeat, ſed linquat multa, ut in Paulo videre eſt? 2 Cor. 12, *Ter rogavi*, inquit, &c. Vt ergo male quis argumentaretur circa mores à præſentia Chriſti; Chriſtus nos ducit, Ergo errore morum non erramus; ita circa fidem: ſic enim Chriſtus nos ducit, ut non velit nos plane immunes à peccatis & erroribus.

Inſt. Si non eſſet certitudo de fide in Conciliis, tum Laïcis nulla poſſet eſſe certitudo de fide. At hoc abſurdum. Ergo. *Reſp.* Conſeq. nulla: ratio, quia præſupp. falſa hypoth. quod Laïcis de certitudine fidei potiſſimum conſtet ex Concilio.

Inſt. Si Laïci non poſſunt judicare de veritate vel falſitate, tum debent omnem fidem habere ex Concilio. Atqui. Ergo. *Reſp.* Laïcos Pontificii vocant illos quos opponunt Sacrificulis. Sunt autem Laïci duplices: vel literati, vel plane idiotæ. Ex literatis videbis plurimos, qui longe ſcientia & ſapientia ſuperant Sacerdotes & Paſtores: ut, *Act.* 17, Paulus Laïcis prædicabat, & tamen illi ex Scripturis judicabant ſermones ejus. Idiotas vero quod attinet, neque hi credunt quia Eccleſia hoc ipſis dicit, ſed quia documenta vident in re ipſa.

Inſt. Si uterque, & Concilium & Laïci, errare poſſunt, Ergo nulla erit fidei certitudo. Hoc abſurdum. Ergo. *Reſp.* Imo eſt veriſſimum, quod nulla eſt aut erit certitudo fidei, ſcil. dependens ex hominibus; quia *omnis homo mendax*, ſolus Deus verax. Non tamen inde ſequitur, nullam prorſus fore fidei certitudinem, quia eſt aliunde dependens, hæc certitudo. Si quæras, unde? Dico, Inde, unde eſt auctoritatis divinæ certitudo, à Deo nempe.

Argum. II. Qui certus eſt de rebus fidei, ille errare non poteſt. Atqui Concilium eſt tale. Ergo. *Reſp.* Quod idem Concilium poſſit eſſe certum de rebus fidei, ſi ſcil. mediis legitimis inſiſtat. Si vero rejiciat media legitima; & errat, & de rebus fidei certum eſſe nequit. v. g. ſi Scripturam aut rejiciat, aut ſi recipiat, non vero legitime interpretetur, tum nulla certe eſſe poteſt fidei certitudo.

Inſt. Si ſemper eſt dubitatio de interpretatione Scripturæ, tum non habebitur ex ea certitudo fidei. Sed ſemper eſt dubitatio de interpretatione. Ergo. *Reſp.* Neg. Minor. Nam poteſt haberi vera interpretatio Scripturæ, ſi ſcil. legitima media adhibeantur: idque etiam Laïcus, adhibitis mediis veris, aſſequi poteſt. Ita v. g. quod Concilium Tridentinum multa falſa definierit & interpretatum ſit, mox deprehenderunt Chemnitius & alii, adhibito ſcil. Verbo Dei.

Inſt. Si illi qui contrario modo Scripturam interpretantur, ſe recte interpretari, æque ac nos, putant, tum certitudo eſſe non poteſt, niſi accedat Concilium. Atqui. Ergo. *Reſp.* Aliud eſt putare; aliud, certo ſcire: Qui errat, ille putat, ſe recte interpretari; ſed qui ſcit, ille perſuaſus eſt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

certo de legitima interpretatione. Licet autem dicant Adverſarii, Et nos ſcimus, non putamus, nos recte interpretari; Agedum inſtituatur examen: vide textum, confer cum locis parallelis, lege antecedentia & conſequentia, & videbis, quiſnam recte interpretatus fuerit. Ut, v.g. quæritur, An juſtificemur ex operibus? Scriptura plane neg. Opponunt illi, Sed de operibus impiorū.

Inſtamus nos: Scriptura dicit, *Non ex operibus juſtificamur.* Opponunt *Iacob.* 2. *Reſp.* Ex conſequentibus, de fidei demonſtratione agi, quia expreſſe dicitur, *Oſtende mihi fidem tuam ex operibus.*

Inſt. Ad quos remittimur in certitudine fidei, apud eos conſtat certitudo fidei. Sed ad Concilium, *Matth.* 23. Ergo. *Reſp.* 1, Quod in loco allegato agatur de Phariſæis: Niſi ergo Adverſarii velint audiri Phariſæi, non eſt quod hoc argumentum opponant. 2. Spir. Sanctus docuit ibidem, non ſimpliciter eſſe quodvis promiſcue acceptandum & faciendum quod illi dixerunt: ſed mox reſtringit, Quod in cathedra Moſis ſedentes dixerint, h. e. *Deut.* 17, Quod ex præſcripto Moſis docuerint.

Argum. II. Si debebant Phariſæis obedire, E. multo magis Concilio. *Reſp.* Datur totum, quod obedire debeant Concilio eatenus, quatenus ex præſcripto Legis aliquid docet; prout ibi obedire debebant, quando ex præſcripto Moſis docebant.

Inſt. Si per *cathedram Moſis*, doctrina ejus intelligitur, tum ignotum per æque ignotum explicatur. Hoc abſurdum. Ergo. *Reſp.* Neg. Conſeq. Quia notum hoc eis erat.

Inſt. Si notum fuiſſet, non fuiſſet opus, à Chriſto eis hoc præcipi. Sed præcepit. Ergo notum non fuit. *Reſp.* Conſeq. plane inepta. Chriſtiana plebs certo ſcit, Biblia Sacra eſſe à Deo, interim tamen opus eſt miniſterio Verbi; debet enim in articulis fidei, morum & præceptis inſtitui: ſic & illi debebant inſtrui in articulis fidei: Ergo opus erat miniſterio.

QUÆSTIO XIII.

An Pontificii majorem auctoritatem tribuant Conciliis quam Scripturæ?

Bellarm. dicit, Scripturam per ſe eſſe ſuperiorem; ſed quoad nos, majora eſſe Concilia.

Argum. I. Si major eſt auctoritas Conciliorum quoad nos, quam Scripturæ; tum pendet Scriptura à Conciliis. *Anteced. prob.* Quia nullus Canon probari poteſt ſine Conciliorum auctoritate. Ratio eſt, quia ſine certiſſimo aliquo judicio, non poteſt ullus Canon probari. At tale eſt judicium Conciliorum, quia hoc judicio majus dari non poteſt quoad nos. *Reſp.* Judicium eſt duplex: unum eſt quod concipitur ex re; alterum, quod ex teſtimonio alterius in mente mea formatur. Judicium autem quod ex teſtimonio petitur, niſi ſit teſtimonium divinum, valde eſt debile. Majus quidem eſt judicium, quod ex re ipſa petitur, quam quod ex alterius teſtimonio concipitur: v. g. *Ioan.* 4, mulier illa dicit Samaritanis, Jeſum veniſſe, Quia, inquit, *non poteſt fieri ut quis dicat talia, qualia iſte dixit,* &c. Sic Samaritani ex teſtimonio jam habent judicium, ſed confuſum adhuc; at poſtquam rem ipſam vident, ibi jam petunt judicium & quidem longe certius ex re ipſa, & majus judicium; ideoque dicunt, *Iam non credimus, quia tu dixiſti, ſed quia audivimus.* Ita, ſi gemmarius aliquis mihi dicat, hanc eſſe gemmam: credo quidem, ſed ſi ipſe experiar, jam majus de gemma habeo judicium. Pari ratione, dum quæritur, Ex quo magis certioratur homo, an ex Scriptura, an vero ex Concilio? dico, Maxime ex re ipſa.

Inſt. Cauſa eſt præſtantior ſuo effectu. Cognitio autem teſtimoniorum Conciliorum, eſt cauſa cognitionis quæ ex Scriptura petitur. Ergo Concilia etiam ſupra Scripturam. *Reſp.* Cauſa eſt præſtantior ſuo effectu, ſc. ſi cauſa ſit principalis, non vero minus principalis. Eccleſia autem teſtans, eſt cauſa inſtrumentalis, externa & impulſiva. Ubi vero effectus aliqui, nobiliores habent cauſas, præter cauſas minus principales & minus nobiles, tum poteſt eſſe effectus præſtantior cauſa aliqua minus principali & particulari. Pariter hic fit: Sp. S. quidem dicit Rom. 10, *Quomodo credent, ſi eis non prædicatur?* Et eſt prædicatio, vel teſtimonium Eccleſiæ, cauſa externa & inſtrumentalis atque impulſiva: interim, niſi aliud quid accedat, nihil valet. Principalis ergo cauſa eſt Sp. Sanctus, quia aperit oculos

noſtros,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

noſtros, & tum videmus notas certas in Verbo Dei luculentas, ex quibus cognoſcimus, Verbum Dei, eſſe Verbum Dei. Idem plane nobiſcum hic fit, quod cum oculis Hagaræ, quæ, poſtquam oculi ejus aperti ſunt, puteum vidit: ita hic Eccleſia dicit; proponit externe, ſed non facit ut nobis ſit certo perſuaſum, Verbum Dei, eſſe Verbum Dei.

Inſt. Judicio infallibili non poteſt dari majus: Sed Concilium tale eſt: Ergo. *Reſp.* Neg. Minor. Et ratio eſt; quia Concilium illud in quo Chriſtus condemnatus, graviter erravit. Idem alia poſſe, liquet ex multis.

Inſt. Non poſſunt hodierna Concilia comparari cum illo in quo Chriſtus fuit condemnatus, quia ibi non fuit vera Eccleſia. *Reſp.* Fuit ibi quidem Eccleſia corrupta, interim tamen fuit vera Eccleſia: quod liquet ex cultu Dei & ſacrificiis, & ex eo quod Simeon, Zacharias, &c. vera Eccleſiæ membra in ea erant.

Inſt. Sed in N.T. omnia magis lucida & perſpicua ſunt, ibi autem erant obſcuriora. *Reſp.* In N. T. quidem proponuntur magis lucida omnia fidelibus: ſed infidelibus utrobique non lucida. Nam ut ibi erant obſcura infidelibus, ſic in N. Teſtamento Evangelium tectum eſt illis qui pereunt. 2 *Cor.* 4.

Inſt. At loquimur de fidelium Conciliis, quibus omnia ſunt lucidiora. *Reſp.* Nihil tamen contra nos: Nam hoc tantum ſequitur, quod fidelium Concilia in N.T. minus ſint obnoxia erroribus, non vero quod plane ſint infallibilia.

Inſt. Si fidelibus omnia ad ſalutem lucida ſunt, tum penitus errare non poſſunt. Atqui. Ergo. *Reſp.* Non poſſunt errare, ſc. circa fundamentalia. Si enim circa hæc errarent, tum jam fideles non eſſent. Tolle fundamentum, quo fides ſtat, & ſuſtuliſti fidem. Errant tamen fideles in aliis nonnullis, quæ fundamentalia non ſunt: ut, *Phil.* 3. 15, Paulus oſtendit.

Inſt. Si fideles in majoribus non ſunt obnoxii periculis, Ergo multo minus erunt obnoxii in minoribus. Verum prius ex conceſſis. Ergo. *Reſp.* Conſeq. falſa: Quia poteſt aliquis in majori non falli, in minori tamen poteſt. Ecce Enſtaſis: Certum eſt, fideles non poſſe labi in graviſſimum illud peccatum in Sp. S. de quo *Matth.* 12: interim tamen male argumentaretur aliquis, Si in hoc non poſſint labi, Ergo neque in minoribus.

Argum. II. Probantis major eſt auctoritas, quam probati. Concilium eſt probans, Scriptura probatum. Ergo. *Reſp.* Retorquetur Argumentum: Probantis major eſt auctoritas, quam probati; Scriptura eſt probans, Concilium probatum. Quæro enim, unde ſcis, Concilium errare non poſſe? Ex Scriptura, dices? Videſne, te ex Scriptura hæc probare? Dices, Unde autem ſciam, hoc verum, niſi ex Concilio? Dicam rurſus, Unde ſcis, Concilium, verum dicere, niſi quia Scriptura teſtatur? Et ſic deinceps.

Inſt. Nullum poteſt ſe ipſum probare. Ergo nec Scriptura. *Reſp.* Scriptura ſe probat dupliciter; auctoritative, & ratiocinative. Auctoritative, non niſi particulariter, hoc eſt, quod una Scriptura dat alteri teſtimonium. v. g. Si cum Judæo diſputandum eſſet, tum N. T. probarem ex V. T. & ſic Scriptura Scripturam probaret auctoritative. Ratiocinative autem tota Scriptura ſe probat, ut, quia videmus ei tanta & talia ineſſe: item, ei conjuncta eſſe miracula divina, prædictiones futurorum, contingentiam in ea haberi; & alia multa. Hinc jam concludo, hoc non eſſe creaturæ, ſed Creatoris Verbum.

Inſt. Probatio debet fieri per notius. At ſic Scriptura Scripturam probans, non fit per notius. Ergo. *Reſp.* Quod non fiat per notius, negamus.

Inſt. Si fit per notius, tum aut Scriptura erit ſe tota lucidior, aut pars ejus. At neutrum. Ergo. *Reſp.* Præſupponi, quod Scriptura ſe aliter non probet niſi auctoritative; cum dixerimus, & ratiocinative fieri.

Inſt. Omnis tamen probatio debet fieri per notius aliquod. *Reſp.* Si obſcuritatis illuſtrandæ aliquid probatur, tum ſemper debet fieri per notius; ſed ſi conformitatis oſtendendæ gratia, tum non ſemper opus eſt notius: ut, ſi conformitatem N. T. cum V. velis oſtendere.

Inſt. Epiſtolæ Pauli ſunt Scripturæ. Hæ non poſſunt probari ex Scriptura. Quomodo ergo probabuntur? *Reſp.* Probant ſe ipſas, ſc. ratiocinative: ut v. g. Gemma non acceptatur quia gem-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ma dicitur, ita Scriptura non acceptatur quia talis dicitur: ſed ſicut gemma acceptatur, quòd videtur ipſi ineſſe quod gemmæ ineſt; ſic Pauli Epiſtolæ, quia eis ineſt quod Verbo Dei: Ergo ſunt Verbum Dei.

Inſt. Nemo poteſt eſſe ſibi ipſi teſtimonium, Ergo nec Scriptura. *Reſp.* Nemo poteſt eſſe ſibi teſtimonium, ſc. *efficienter*; poteſt tamen *objective*, quia ſc. poteſt ſibi eſſe teſtis, & teſtimonium dare ſuis factis: quod certe magnum ſolet eſſe teſtimonium. Pari ratione, ut Chriſtus dicit, *Sapientia ſe ipſam juſtificat.*

QUÆSTIO XIV.

An dentur aliquæ notæ Eccleſiæ viſibilis?

Bell. negat. Argum. I. Rei viſibilis non dantur notæ. Hic diſputatur de Eccleſia viſibili. Ergo ejus non dantur notæ. *Reſp.* Maj. falſa: & enſtaſi ex S. Scriptura tollitur. v. g. *Matth.* 11, Chriſtus erat viſibilis, & tamen, cum Ioannes ad eum mitteret, notas dedit: *Surdi audiunt*, &c.

Inſt. Chriſtus, quatenus Chriſtus, non erat viſibilis, Ergo eatenus etiam ſui notas dedit. *Reſp.* Non dedit tantum qua Chriſtus, ſed etiam qua Perſona illa erat promiſſa, ſc. à Deo.

Inſt. 2. Chriſtus, qua viſibilis, non debuit cerni oculis corporis, ſed tantum fide. Eccleſia autem cerni debet qua viſibilis. *Reſp.* Chriſtus non debuit cerni oculis corporis, ſc. principaliter; ſed minus principaliter debuit: quia maxime fide principaliter cerni debet.

QUÆSTIO XV.

An profeſſio veræ doctrinæ, ſit nota Eccleſiæ?

Bell. negat. Argum. I. Res ignota & controverſa, non poteſt eſſe nota rei probandæ. Atqui profeſſio fidei, vel doctrinæ, talis. Ergo. *Reſp.* ad Maj. Res per ſe ignota, & controverſa per ſe, non in & per ſe, ſed ex malitia hominum.

Inſt. Nota debet eſſe attemperata captui eorum qui ea uti volunt. At ſi profeſſio fidei non notificat in ſe, nota eſſe nequit. *Reſp.* Quod profeſſio quidem veræ doctrinæ per ſe notificet, ſed malitia hominum controvertitur. Neque tamen, ſi malitia hominum controvertitur, ſequitur, eam deſinere eſſe notam. v. g. Quidam Philoſophus dixit, nivem eſſe nigram, non tamen ideo nix deſinit eſſe alba. Et ſi hoc ſequeretur, tunc nec Chriſtus eſſet Meſſias, quia maxime de eo controvertitur.

Inſt. Si confeſſio veræ doctrinæ eſt nota Eccleſiæ, tum Eccleſia Catholica eſt vera Eccleſia. Conſeq. probat. Quiſquis profitetur hoc axioma, Quicquid Scriptura dicit, eſt verum, ille profitetur veram doctrinam. Sed Pontificii. Ergo. *Reſp.* Limit. Major. 1. Quiſquis profitetur hoc axioma, Quicquid Scriptura dicit, verum eſt: ſi ita profitetur, ut putet, hunc eſſe vigorem Scripturæ, & ſe quoque ad omnia obliget. 2. Quiſquis profitetur hoc axioma ita, ut putet, hominem non poſſe diſpenſare contra S. Scripturam. 3. Quiſquis ita profitetur, ut putet, hoc Verbum ſufficere ad ſalutem. 4. Quiſquis ita profitetur, ut, ſi hoc aſſerat, non neget factis. At ſic jam ſecundum has limitationes Minor de Eccleſia Pontificia ſponte ſua cadit.

Argum. II. Si vera profeſſio doctrinæ, non eſt ſingulorum nota. Ergo nec totius. Atqui. Ergo. *Reſp.* 1. Conſeq. falſa; Quia juramentum aliquis Princeps poteſt facere, interim non ſequitur, eſſe omnium & totius. 2. Eſt nota etiam ſingulorum, ſed diverſa ratione, nonniſi conjecturalis & indefinita & incerta, ſingulorum; at definita, totius.

Argum. III. Si profeſſio veræ doctrinæ eſt nota Eccleſiæ; tum veſtræ Eccleſiæ Reformatorum non ſunt notæ veræ Eccleſiæ; Quia vera Eccleſia eſt Catholica. Veſtra non eſt talis, quia nec ratione temporis, nec ratione loci eſt talis. Ergo. *Reſp.* Negatur Minor. Quia revera eſt Catholica, quia ſemper fuit: nam & in medio Papatus, erant veræ doctrinæ profeſſores, ut patet ex Catalogo Teſtium Veritatis, edito à Flaccio Illyrico. Deinde ratione loci non eſt quidem Catholica, ita ut ſimul & ſemel ſit ubique; ſed eſt ſucceſſive Catholica, ut ex *Apocal.* 5, liquet: *Vidi turbam ex omni gente, tribu*, &c.

Argum. IV. Nota debet eſſe propria, non com-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

communis. Vera doctrina non eſt talis nota. Ergo non eſt nota. Min. prob. Nam revera profeſſio veræ doctrinæ & fidei, non eſt communis, ſed ſingularis nota.

Inſt. Si quilibet hæreticus dicit, ſe revera profiteri doctrinam, tum non eſt communis nota. Atqui. E. *Reſp.* ad Major. limit. Si id ſibi vere vendicet. At ſic cadit Minor; nam plus uno verum eſſe nequit.

Argum. V. Si ſincera Verbi profeſſio eſt nota veræ Eccleſiæ, tum Lutherana Eccleſia eſt vera Eccleſia. At hoc falſum. Ergo. *Reſp.* Dum dicimus puram Verbi profeſſionem, non dicimus ita puram, ut non habeat gradus aliquos puritatis. Pura quidem ibi eſt profeſſio, ſed non quoad omnes gradus pura.

Argum. VI. Notæ veræ, debent eſſe inſeparabiles. At Verbi profeſſio, & Sacramentorum adminiſtratio, ſeparantur. *Reſp.* Prior non eſt ſeparabilis: Poſterior tamen poteſt ſeparari. Nam Sacramenta non ſemper fuerunt, nec ſemper erunt. Hinc dicitur: Non privatio, ſed contemptus Sacramentorum, damnat.

Inſt. Si in Galatina Eccleſia non fuit pura Verbi prædicatio, tum ſeparari poteſt. Atqui, *Gal.* 1. 6. Ergo. *Reſp.* Si Minor intelligatur, quod plane nulla fuerit vera Verbi prædicatio, tum negatur; nam dum Sacra Scriptura indefinite loquitur, pleroſque intelligit.

QUÆSTIO XVI.

An nomen Clericorum retineri debeat in Eccleſia?

Bellarm. affirm. Argum. I. Si Apoſtolorum tempore fuerunt Clerici; Ergo & nunc eſſe debent. Atqui, 1 *Pet.* 5. 3. Ergo. *Reſp.* Fuerunt quidem Clerici, ſed Clerici non oppoſite ad Laïcos, verum abſolute ſic dicti. Et tales jam quoque ſunt: nempe ſub nomine *Clerus*, intelligitur populus Dei.

Inſt. 1. Illi intelliguntur hic per vocem *Cleri*, quos dehortatur à dominio. Sed non populum. Ergo. *Reſp.* Neg. Anteced. Quia contrarium ex textu patet: Paſtores ſc. dehortatur, ne Cleris vel gregi dominentur.

Inſt. 2. Quos vult eſſe exemplum gregi, in non dominando, illi per vocem κλῆρος intelliguntur. Sed Paſtores. E. *Reſp.* Negatur Conſequentia: quia dehortatur Paſtores; ut jam dictum.

QUÆSTIO XVII.

An Paſtores ſint à toto cœtu eligendi?

Bellarm. negat. Argum. I. Si Paulus elegit Paſtores, Ergo & nunc ab uno eligi poſſunt. Atqui, *Tit.* 1. 5. Ergo. *Reſp.* Si Minor ſumatur excluſive *ſolus*, tum negatur; quia datur enſtaſis ex 1 *Tim.* 4. 14.

Inſt. Si ita eſſet, tum antilogice eſſet accuſandus Paulus, quia 2 *Tim.* 1. 6, aliud dicit. *Reſp.* Nulla hic antilogia, quia Presbyterium eligit quidem, ſed commiſſa auctoritate Eccleſiæ hoc facit.

Inſt. Si Presbyterium hoc facit, tum debet prius colligere ſuffragia Eccleſiæ. At hoc abſurdum. Ergo. *Reſp.* Non ſequitur hoc, quia Eccleſia tota jam dat auctoritatem hanc Presbyterio, & proinde eſt, acſi ipſi elegiſſent. 2. Neque hoc abſurdum eſt: Nam dum aliquis eligitur in Miniſterium, & dum proclamatur publice, quid hoc aliud eſt, quam vota & ſuffragia petere, num dignus ſit?

Argum. II. Sicut Chriſtus Paſtores miſit, ita & illi mittere debent alios, *Ioan.* 20. 21. At Chriſtus non auctoritate omnium hoc fecit. *Reſp.* Quod Chriſtus Paſtores miſit ad Eccleſiam, ut Philipp. Melanchthon loquitur, *intuitive ad Eccleſiam.* Hinc 1 *Cor.* 3: *Et Paulus, & Apollo, & Cephas, & mundus, & omnia, veſtra ſunt:* h. e. non vos propter Paulum, ſed Paulus proter vos.

Inſt. Cui contrariabatur Eccleſia, ille non poteſt nomine ejus mittere. Sed Chriſto. Ergo. *Reſp.* Si de vera Eccleſia ſumatur Minor, tum negatur; quia falſa, non vera Eccleſia, reſtitit ei.

Argum. III. Si primi Reformatores non ſunt electi nomine Eccleſiæ, Ergo nec nunc debent Paſtores. Atqui. Ergo. Quia inviſibilis erat Eccleſia tum temporis. *Reſp.* Electio vel eſt à capite ſummo, vel à membris. Prior ſemper eſt & fit intuitu ad Eccleſiam. Deinde eligitur aliquis non tantum antecedenter, ſed & conſequen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ſequenter, h. e. ubi ſe jam obtulerit, acceptatur & recipitur.

Argum. IV. Quæ ſententia nec ratione, nec exemplis ex S. Literis probari poteſt, illa non eſt vera. Hæc talis. Ergo. *Reſp.* Minor eſt falſa: & damus rationem hujus ſententiæ, quia Eccleſia eſt mater, *Gal.* 4, omnes ſunt filii. Abſurdum autem eſt dicere, filios ſtatuere de regimine domus, non vero matrem. Item Eccleſia in Cantico Canticorum dicitur Regina: Abſurdum autem eſſet, ſervulo concedere ut agat principaliter, & Dominæ hoc ipſum negare. Exempla habemus *Act.* 1, *&* 6.

Inſt. 1, ad locum *Gal.* 4, Eſt quidem poteſtas iſta penes Eccleſiam, ſed Eccleſiam repræſentantem. *Reſp.* Falſum hoc: Nam quæro, Anne ſola Eccleſia repræſentans mater vel ſponſa dici poteſt?

Inſt. 2, ad locum *Act.* 1, Jus divinum uno exemplo probari non poteſt. Electio Mathiæ eſt talis. Ergo. *Reſp.* ad Major. Jus divinum uno aliquo incerto, dubio, & à Scriptura non approbato exemplo probari non poteſt. At ſic cadit Minor: Nam in Scriptura non qualiacumque habemus exempla, ſed talia, qualia ſunt præcepta informationis.

Inſt. 3. Hoc non tam fuit electio, quam electionis poſtulatio à Deo. *Reſp.* Negatur; quia expreſſe dicunt multitudini, ut eligant, non ut hoc poſtulent.

Inſt. 4. Ab electione Diaconorum, *Act.* 6, ad electionem Miniſtrorum, de quibus hic quæſtio, non procedit. *Reſp.* Negatur Conſeq. quia electio Presbyterorum, & Diaconorum, ad eoſdem pertinet.

Inſt. 5. Si Diaconi circa alia, Presbyteri etiam circa alia verſantur, tum horum electio pertinebit ad alios. *Reſp.* Falſa Major. Nam, v. g. Princeps habet multos miniſtros, alios duces, alios præfectos, qui omnes circa alia & alia verſantur, interim ab uno eodemque eliguntur Principe.

QUÆSTIO XVIII.

An Iure divino ſit aliquod diſcrimen inter Presbyteros & Epiſcopos?

Bellarm. affirm. Argum. I. Qui gradus jure divino in V. T. fuere diſtincti, etiam in N. T. debent eſſe diſtincti. At Epiſcopatus & Presbyterium; quia ſummus Pontifex à Sacerdotibus, hi à Levitis erant diſtincti. Ergo. *Reſp.* Negatur Conſeq. quia exhibito antitypo, ceſſat ipſe typus. At ibi erat typus N. T. Sacerdos quidem erat typus Chriſti, Levitæ autem erant typi totius N. T.

Inſt. At ſic Minor erit ſtatus N. T. quod eſt contra Paulum, *Coloſſ.* 2. *Reſp.* Non ſequitur; Imo Argumentum retorquemus: Si in V. Teſt. tantum fuerunt typi, in N. T. autem eſt ipſa rei veritas, tum ſequitur, eſſe in Nov. T. majus quid: Quæ retorſio petitur ex *Hebr.* 8.

Inſt. Res debet eſſe majori gradu in imagine ipſa, quàm in umbra. At ibi erat umbra. Ergo. *Reſp.* Conceditur totum, & revera eſt, quia jam deſiit typus, & res ipſa ſubſecuta eſt.

Argum. II. Judices Presbyterorum, ſunt jure divino Presbyteris majores. Epiſcopi ſunt judices. Ergo. *Reſp.* 1. Eſt Major falſa; Nam Prophetæ erant judices Principum, Regum, non tamen majores erant illis, ſaltem quoad poteſtatem civilem. 2. Minor etiam negatur, quia petitur principium, ſunt enim unum & idem Presbyteri ac Epiſcopi, ut, 1 *Pet.* 5, patet.

Inſt. 1 *Pet.* 5. 19. Præceptum Apoſtolicum eſt præceptum divinum. Epiſcopum eſſe judicem Presbyterorum, eſt præceptum Apoſtoli. Ergo. *Reſp.* Locus allegatus nihil probat. Quod enim unum & idem ſint, ſi dicas Epiſcopum, ſi Presbyterum, liquet ex *Act.* 20; ubi dicuntur miſſi Presbyteri, qui poſtea Epiſcopi vocantur. Item, Paulus jubet, oppidatim conſtituere Epiſcopos, Presbyteros.

CAPUT XIX.

De Monachis.

QUÆSTIO I.

Vbi de Conciliis, Votis, Spontanea Paupertate, Voto Concupiſcentiæ, & aliis, quæ Bellarm. neceſſaria & ſupererogatoria opera eſſe affirmat.

Argum. I. Si opera ſupererogationis fuerunt in

in V.T. etiam debent eſſe in Novo. Atqui; quia erat Nazareatus, de quorum votis *Num.* 6. Ergo. *Reſp.* Fuit quidem Nazareatus in V. T.; interim velle concludere inde, Ergo fuit opus ſupererogationis, plane nulla Conſequentia.

Inſt. Quod non fuit præceptum, & tamen factum legitur, & quidem cum laude, illud non fuit debitum, & ſic ſupererogationis opus. Sed Nazareatus. Ergo. *Reſp.* Minor negatur, quia *Iudic.* 13 manifeſte apparet, quibuſdam perſonis ſpecialiter hoc fuiſſe mandatum.

Inſt. Si ſpeciale fuit, tum aut Deus hoc ipſis inſpiravit, aut per aliquem mandavit. At neutrum. Ergo. *Reſp.* Neg. Minor. quia & inſpiravit procul omni dubio, & mandavit, *Iud.* 13. Et ſane non quilibet poterat eſſe Nazaræus, niſi is qui à Deo ad hoc vocatus erat.

Argum. II. Si ex Lege Dei licuit mulierem non formoſam & moleſtam dimittere, ſequitur, quod qui eam retinuit, opus ſupererogationis fecerit. Ergo dantur ſupererogatoria opera. *Reſp.* Præcepta ſunt duplicia in Sacris Literis, alia imperii, alia indulgentiæ. Imperii præcepta talia ſunt, ut, ſi quis ea non faciat, graviſſime peccet: at cum præceptis indulgentiæ ita comparatum erat, ut, ſi illa facias, bene facias; ſi non facias, non pecces. v. g. Præceptum indulgentiæ erat, quo Deus Iſraëlitis indulſerat, à peregrinis petere uſuram; Hoc ſi faciebant, non peccabant, neque, ſi omittebant, propterea male faciebant. Quod autem præceptum illud de dimittenda uxore, tale præceptum indulgentiæ ſit, patet ex eo, quod Chriſtus, *Matth.* 19, priori loco dicit, Mandaſſe hoc Moſen, & poſtea dicit, Quod Deus permiſerit.

Argum. III. *Eſai.* 56. 4, 5. Deus promittit, ſe Eunuchis daturum majorem gloriam, Ergo dantur opera ſupererogatoria. *Reſp.* Negat. Conſeq. Et ratio negationis eſt, quia ibi Deus Eunuchis promittit, ſe daturum nomen melius, quam aliis: Nomen ſcil. melius, quam eſt illud, quod homines ex generatione filiorum habere ſolent, ut Patres vocentur. In Eccleſia enim Iſraëlitica male audiebant illi qui erant abſque liberis: quare Deus hic promittit, meliorem ſe illis daturum famam, quam illa eſt quæ ex liberis provenit.

Argum. IV. Caſtrare ſe propter regnum Dei, eſt opus ſupererogationis. *Caſtrare* habetur in N. T. Ergo dantur opera ſupererogationis etiam in N. T. Minor habetur *Matth.* 19. *Reſp.* Nihil concluditur, quia eadem hic poteſt haberi reſponſio quæ ſupra, quod ſit præceptum *indulgentiæ*, non *imperii*. Nam Paulus, 1 *Cor.* 7, dicit, *qui nuptum dat, bene facit*, &c. Si ergo quis donum continentiæ habet, & ducit uxorem, non peccat; ſi non ducit, nec tunc peccat. Sed non ſequitur, Ergo meretur aliquid. Nam in actibus iſtis licitis, quales ſunt actus naturales, ita fit, ut ſæpe impediantur actus ſpirituales; interim non peccamus. v. g. Dum homo dormit, non peccat; ſed ſi oret, melius facit: interim neque tum meretur quicquam.

Argum. V. Vendere omnia & ſequi Chriſtum, eſt opus ſupererogationis. At hoc habetur *Matth.* 19. Ergo. *Reſp.* Præcepta Dei, (ut bene obſervavit Perkinſius) ſunt triplicia: Alia ſunt obedientiæ, alia explorationis, alia convictionis. Præcepta obedientiæ dantur à Deo, eo fine, ut obediamus; ſed reliqua duo non item. v. g. *Gen.* 22, explorat Abrahamum, &c. tale etiam hoc fuit, quod Chriſtus huic juveni dederat de venditione bonorum ſuorum. Neque hoc magis generale eſt, quam illud quod alibi Deus dederat Abrahæ, *Egredere è poſſeſſione tua.* Ut enim hoc ſpeciale fuit, ita & illud, licet ſine alio hoc, quam illud, datum.

Argum. VI. Quod non pertinet ad ſalutem, eſt opus ſupererogationis. Sed dilectio inimicorum, *Rom.* 12, eſt talis, quia quod eſt neceſſarium ad ſalutem, etiam fuit in V. T. At dilectio inimicorum non fuit, quia David multoties imprecatur. *Reſp.* 1. David quidem perſonas dilexit, ſed tamen facinora eorum odio habuit. Quod ita ſit, liquet vel ex eo, quod Saül erat ejus hoſtis acerrimus, & poterat eum bis interficere, tamen non interfecit. 2. Negatur in V. T. non fuiſſe dilectionem inimicorum, quia *Levit.* 19, *Exod.* 23. 5, mandatum erat, *Si videbis inimici tui aſinum ſub onere decumbentem, ſublevato ipſum.*

Inſt. Si tenebatur amare, Ergo non imprecari. Atqui imprecatus eſt. Ergo. *Reſp.* 1. Aliud eſt, hoſtibus ſuis: & aliud eſt, hoſtibus Dei & Eccle-

Eccleſiæ ejus imprecari. Sic imprecatus eſt David. 2. Et quidem cum conditione, niſi reſipuerint. 3. David id ipſum agebat Prophetico ſpiritu: at imprecari hoſtibus Eccleſiæ ſpiritu Prophetico, ſolius Dei eſt opus. Aliàs autem, quod David injurias ſibi illatas non fuit ultus, liquet ex Semei & Saüle, quos non interfecit.

Argum. VII. Viduitas & virginitas eſt ſupererog. opus, quia eſt res adiaphora. *Reſp.* Negatur, eſſe rem adiaphoram, quia Paulus, 1 *Cor.* 7, ſtatim addit, *propter neceſſitatem.*

Inſt. Atqui dicit Paulus, ſe de his nullum habere mandatum. *Reſp.* Mandatum ſe dicit non habere, ſcil. per ſcripta Moſis & Prophetarum. Opponit enim *Mandatum non habere*, Verbo ſcripto & tradito per Moſen & Prophetas: non verò opponit illi quòd à Deo non habeat; quia mox addit, *Credo, me etiam Spir. Dei habere.*

Inſt. Addit vero Paulus, *Melius facit qui non nubit.* *Reſp.* Ita eſt; melius facit qui habet donum continentiæ, ut tum maneat ſine uxore. Sed tamen non ſequitur, Ergo eſt beatior, & majus præmium accipiet: veluti *Matth.* 5, beati dicuntur hi & hi, non quod hæc faciant beatos, ſed quod ſint ſigna eorum qui beati ſunt.

Argum. VIII. 1 *Cor.* 9. Paulus abſque præmio fungebatur miniſterio Euangelii: Hoc facere, eſt opus ſupererogationis: Ergo. *Reſp.* Fateor, quod Paulus dicat ſe abſque præmio functum officio; verum & illud dandum erit nobis, cum feciſſet eo fine, ne ſcandalum aliquod præberet, & ſic ne Evangelii curſum impediret.

Inſt. Si ſic, tum ex præcepto feciſſet hoc Paulus. *Reſp.* Certe ex præcepto, licet non ſpeciali, attamen generali, ne ſcandalum præbeamus cuilibet: Et hoc ipſum quod 1 *Cor.* 9, fecit, explicat *Act.* 20. *Reſp.* 2. Falſum; & refellitur falſitas Conſequentiæ, *Matth.* 6.

QUÆSTIO II.

An Paupertas ſpontanea recte voveatur?

Affirm. Bellarm. Argum. I. Quod Deo gratum & ejus teſtimonio bonum eſt, illud recte vovetur. At paupertas ſpontanea, &c. Ergo. *Reſp.* Præclare de votis Petrus Martyr diſſerit, Vota prorſus nulla eſſe in N. T. Nam ſi ſunt aliqua vota, tum ſunt vel de rebus adiaphoris, vel de neceſſariis. De neceſſariis rebus votum eſſe non poteſt, quia quod neceſſarium eſt, illud eſt debitum. De rebus adiaphoris eſt uſus is, ut ædificationem proximi & libertatem Chriſtianam ſpectes: Atqui & hoc præceptum eſt: Ergo nullum votum datur. Sed ad argumentum jam reſpondeamus. Minor eſt falſa, quia contrariatur petitioni Prov. 30, *Paupertatem & divitias ne dederis mihi.*

Inſt. Quod beatificat, illud eſt bonum. Atqui paupertas, *Matth.* 5. Ergo. *Reſp.* 1. Loquitur ibi de paupertate ſpiritus. 2. Negatur etiam, paupertatem beatificare; quia hoc loco Chriſtus notas ponit quinam beati ſint, non vero cauſas cur beati ſint. 3. Diſtinguimus inter pauperem eſſe qui eſt inſtructus rebus neceſſariis ad vitam, & pauperem qui opponitur ſuperbiæ, qualis pauper erat ille Publicanus qui Phariſæo ſuperbo opponitur *Luc.* 18. Chriſtus vero non de paupertate oppoſita rebus neceſſariis, ſed de paupertate faſtui oppoſita agit.

Inſt. Si, qui cauſa nominis divini agros relinquunt, commendantur, tum pauperes commendantur. Atqui, *Matth.* 19. 29. Ergo. *Reſp.* Commendantur quidem pauperes, ſed non eo quod pauperes ſint ſimpliciter, ſed quod nomine Chriſti tales ſint: hoc eſt, non paupertas, ſed cauſa paupertatis Deo placet, & à Chriſto hic commendatur.

Inſt. Medium perveniendi ad perfectionem recte vovetur. Paupertas eſt talis, *Matth.* 19. *v.* 21. Ergo. *Reſp.* Jam reſponſum ad locum iſtum, quod hoc præceptum ſit ſpeciale, & quod præceptum explorationis fuerit; quia enim ſibi perfectus videbatur, ideo Chriſtus, ut eum exploret, tale quid mandat.

QUÆSTIO III.

An Continentia perpetua recte voveatur?

Bell. affirm. Argum. I. Quod in Eccleſia receptum fuit, Chriſto in terris verſante, etiam nunc obſervandum eſt. Sed votum continentiæ. Ergo. *Reſp.* 1. Falſa Major, Quod eſt in Eccleſia receptum, voveri debet. Nam etiam Decalogus

&

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

& præcepta Dei recepta ſunt, non tamen voveri poſſunt aut debent. 2. Minor negatur.

Inſt. Matth. 19, Chriſtus laudavit caſtrantes ſe propter regnum Dei. Ergo recte vovetur continentia. *Reſp.* Neg. Conſequentia: quia caſtrare ſe propter regnum cælorum, non eſt vovere continentiam, ſed donum continentiæ ſervare.

Inſt. In primitiva Eccleſia erant viduæ juvenes, quæ votum continentiæ habebant: Ergo & nunc debent eſſe. Anteced. prob. 1 *Tim.* 5. 12. *Reſp.* Nihil probat, quia tantum dicit, Si quædam viduæ ſe dedidiſſent Miniſterio, & quidem ita, ut perpetuo ſe dediſſent, poſtea tamen laſciviant; tum dicit, Satius eſſe, tales admittere: non autem ſequitur, Ergo per votum hoc faciebant.

CAPUT XXII.

De Sacramentis in genere.

QUÆSTIO I.

An in omni Sacramento ſit ſignum & res ſignata?

Reſp. Affirm. Argumentum I. ex definitione Sacramentorum: Sacramentum eſt viſibile ſignum inviſibilis gratiæ Dei: Ergo ponuntur iſta duo, ſignum, & res ſignata. *Reger.* Hic non eſt res ſignata Sacramentorum; Chriſtus enim res ſignata eſt, pro nobis in mortem traditus. *Reſp.* Gratiam in Chriſto non excludere Chriſtum, ſed inferre potius; nulla enim gratia Dei eſt extra Chriſtum.

II. 1 *Cor.* 10. 4: ubi ſigni & rei ſignatæ mentio fit: ſignum erat Manna, & aqua ex petra fluens: res ſignata Chriſtus. *Reger.* Chriſtum ibi non fuiſſe. Nam ſi ibi fuiſſet, non fuiſſent reprobati & proſtrati in deſerto plures. Nam qui Chriſti particeps eſt, ut *Ioan.* 6, vivit in æternum. *Reſp.* Iſtos non participes fuiſſe Sacramenti, qua Sacramentum, ſed illius quod ſignum erat, quoad materiale.

III. In Sacramentis Nov. Teſt. eſt ſignum in baptiſmo, aqua; & ſignatum, Chriſtus, purgans nos ſanguine ſuo à peccatis noſtris. In Cœna Domini eſt Chriſtus crucifixus, etiam paſcens nos ad vitam æternam. *Reger. Luth.* Joan. Baptiſtæ baptiſmus erat Sacramentum. At ibi non erat res ſignata, ſed tantum ſignum. Ergo. quia dicit ſe baptizare tantum aqua. *Reſp.* Neg. Conſeq. Nam in omni Sacramento Miniſter non poteſt adminiſtrare niſi externum ſignum: ſed in omni Sacramento, qui illo legitime utitur, adeſt Chriſtus per fidem, ſe ipſum ſive rem ſignatam exhibendo.

Obj. I. In Paradiſo fuit Sacramentum, arbor nempe vitæ; item arbor ſcientiæ boni & mali; ſed nulla tamen fuit res ſignata. *Reſpond.* Imo fuit. Nam arbor vitæ, erat ſymbolum vitæ æternæ. Arbor ſcientiæ boni & mali, erat ſymbolum miſeriæ; ſi à primo homine eſſet violata. *Inſt.* Omnis res ſignata in Sacramento debet eſſe bona. At miſeria non eſt bona. Ergo. *Reſp.* In omni Sacramento eſt res bona, ſi quis ea legitime utatur, non ſi abutatur. Jam, uſus arboris ſcientiæ boni & mali legitimus in eo erat, ut abſtinerent primi parentes ab ejus eſu.

Obj. II. In V. T. Sacramentis non fuit res ſignata. Ergo. Prob. Quia in V. T. erant tantum umbræ rei, *Col.* 2. Ergo. *Reſp.* Quoad typos erant umbræ, non vero quoad gratiam: jam autem hoc eſt diſcrimen inter Sacramenta & typos, quod omnis typus ſit ſignum; ſed non omne ſignum typus. *Inſt.* At non fuit adhuc in V. T. natus, nedum mactatus Chriſtus: in quantum vero mactatus eſt, eſt res ſignata Sacramentorum. *Reſp.* Non fuit mactatus, nec exiſtebat; ſed tamen præſens erat fidei. Nam fidei etiam præſentia ſunt illa, quæ ſunt futura. Hinc Sp. S. 1 *Cor.* 10, dicit, eos eamdem eſcam ſpiritualem comediſſe, & eumdem potum bibiſſe; petram autem fuiſſe Chriſtum.

Obj. III. Si in omni Sacramento eſt ſignum & res ſignata: Ergo Lutheran. ſententia vera eſt, qui ſtatuunt, corpus Chriſti ineſſe pani; vino, ſanguinem. Abſurdum. *Reſpond.* In omni Sacramento eſt, ſed ita, ut iſta duo non copulentur ſive uniantur *phyſice*, ſed *relative*; quæ unio conſiſtit in relatione unius ad alterum. *Inſt.* At ſi Sacramentum legitime percipiens, percipit non tantum ſignum, ſed etiam ſignatum: tum oportet ibi eſſe ſignatum, ubi eſt ſignum. *Reſp.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Oportet adeſſe *ſignificative* in ſigno, & fide *realiter*, quâ, ut inſtrumento, res ſignata percipi ſolet. Corpus Chriſti adeſt per fidem cœnanti, ſymbolo vero adeſt ſignificative tantum.

QUÆSTIO II.

An Sacramenti finis præcipuus ſit confirmare fidem de promiſsionibus nobis in Chriſto factis?

Reſp. Affirm. Argumentum I. Totum Miniſterium inſtitutum eſt divinitus ad hoc, ut fides ædificetur & confirmetur. Ergo & Sacramenta fidem noſtram confirmant, utpote quæ ſunt pars Miniſterii. De poſteriori nemo dubitat. Anteced. *Eph.* 1. *v.* 11. *Reger.* In V.T. non fuiſſe Sacramenta partem Miniſterii; eo quod Sacramenta adminiſtrare poterant ii, qui non erant perſonæ Eccleſiaſticæ, id eſt, Sacerdotes, & Levitæ. *Reſp.* Et tum confirmabant fideles de promiſſionibus in Chriſto Jeſu; erant enim ſigna federis Dei: fedus autem omne in Chriſto factum, prout & omnes promiſſiones, 1 *Cor.* 1. Unde retorquetur hoc argumentum hoc pacto: Si Sacramenta etiam adminiſtrata ab illis, confirmabant de promiſſionibus in Federe Veteri factis; tum multo magis confirmare cenſenda ſunt ab Eccleſiaſticis perſonis, cum hi dati ſint ad hoc, ut Eccleſia Dei ædificetur, & creſcat in fide.

II. Sacramenta ſunt ſigilla. Sed ſigilla ſunt inſtituta, ut confirment homines de fide, & eo ſunt ſigillum. Anteced. *Rom.* 4. ubi voce *ſigilli* expreſſe utitur Sp. Sanctus. *Reger. Socin.* Dici hoc tantum de circumciſione, non vero de quovis alio Sacramento. *Reſp.* Inepte hoc dici. Nam cum dicitur de uno hoc Sacramento, cur non etiam de aliis, nulla ratio afferri poteſt.

III. Deus attexuit promiſſiones ſymbolis iſtis, quæ in Sacramentis proponuntur. At quorſum, quæſo, niſi eo fine, ut, qui iſtis legitime uterentur, promiſſiones in ipſos conferrent? Ergo uſus ſymbolorum iſtorum confirmat fidem de obtinendis iſtis promiſſionibus. *Reger.* Duplicia eſſe Sacramenta; *initiationis*, & *continuationis*. At confertur prius gratia in Sacramento *initiationis*, antequam conferatur illud. In Sacramento præſupponitur gratia regenerationis. Quorſum ergo Sacramenta confirmarent fidem noſtram de eo quod jam eſt? *Reſp.* Hypoth. falſ. præſupp. Quod ad Sacramentum *initiationis*, omnes qui illo participant, antequam participant, habent regenerationis donum: habent quidem iſti in federe; ſed non ſequitur, E. omnes habent gratiam regenerationis. Nam aliqui habent, aliis poſt datur. 2. Conſeq. falſa, Habent gratiam regenerationis; E. non poſſunt confirmari iſtis ſignis.

Obj. I. Chriſtus juſſit Cœnam Domini ad memoriam mortis ſuæ celebrare; Ergo aliquod Sacramentum non eſt inſtitutum eo fine, ut fidem noſtram confirmaret. Prob. Antecedens ex inſtitutione Cœnæ Domini. *Reſp.* 1. Unius rei plures poſſunt eſſe fines. 2. Retorq. argumentum: Si in memoriam juſſit celebrare, Ergo in confirmationem fidei; cum commemorando mortem Chriſti, hoc quoque ſequatur: *Si Deus non pepercit proprio Filio, ſed dedit pro nobis* &c. Rom. 8. *Inſt.* At Dei ſolius eſt dare fidem, E. & confirmare: hinc Marc. 9, *Credo, Domine, ſed adauge fidem. Reſp.* Dei eſt *realiter* hoc facere; Verbi vero & Sacramentorum, *moraliter*.

Obj. II. Opus noſtrum non poteſt nos confirmare de gratia Dei. At uſus Sacramentorum eſt opus noſtrum. Ergo. *Reſp.* Majoris vanitas eſt 2 *Pet.* 1, qui monet, ut vocationem & electionem noſtram firmam faciamus: quod non de actu vocationis & electionis accipiendum; ſed de ſenſu fidei: ita ut nihil aliud hic ſonet, quam, Confirmate fidem veſtram de electione & vocatione per bona opera. *Inſt.* Bona opera eſſe Dei, non noſtra, ut, *Phil.* 1, docetur: Deus efficit velle & perficere. *Reſp.* Stupide inferunt hanc objectionem. Nam eodem modo uſus legitimus Sacramentorum, cum ſit bonum opus, in Deum fuerat tranſcribendum. 2. Sunt quidem iſta Dei *efficienter*, ſed non ſunt Dei *efficienter formaliter*. Verbi gratia, efficit in te Deus, ut credas; non tamen Deus credit, ſed tu credis: Efficit, ut proximum ames, ſed Deus proximum non amat.

Obj. III. *Socin.* Sacramentum nihil miri in ſe continet. Ergo &c. *Reſp.* Falſa Conſeq. Nam iris, quæ ſolet exoriri tempore pluvioſo, nihil in ſe continet miri, & tamen confirmat fidem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

noſtram de eo, quod amplius non ſit mundus periturus diluvio. *Inſt.* Si Sacramenta eo ſint Sacramenta, quia fidem confirmant: tum miracula & opera Dei, quæ aliquid miri in ſe continent, multo magis erunt Sacramenta. Abſurdum. Ergo. *Reſp.* Inepte inferre Adverſarios. Nam nos quidem dicimus, *omnia Sacramenta in legitimo uſu confirmare fidem noſtram de promiſſionibus, ſymbolis annexis, obtinendis*; ſed non dicimus; Omne hoc, quod confirmat fidem noſtram, eſſe Sacramentum. Nam etiam Verbum promiſſionis hoc ipſum facit.

QUÆSTIO III.

An Sacramenta obſignent?

Reſp. Affirm. Quia ſunt ſigilla, *Rom.* 4. 11

Objic. I. Si Sacramenta obſignant promiſſionem, Ergo erunt clariora promiſſionibus. Sed non ſunt. Minor *prob.* Si dependent à promiſſionibus; Ergo iis non ſunt clariora. *Reſp.* Major falſa; Quod omne quod dependet, non ſit clarius. Verbi gratia, effectus dependet à ſua cauſa.

Obj. II. Finis debet omnibus ſubjectis convenire. Atqui obſignatio non convenit. Ergo. *Reſp.* Debet convenire omnibus ſubjectis idoneis. *Inſt.* Non competit infantibus; Ergo non omnibus ſubjectis idoneis. *Reſp.* Negat. Minor. *Prob.* Si non intelligunt, Ergo iis non competit. Conſeq. quia obſignatio eſt actio moralis. *Reſp.* ad Majorem, Vel in præſenti, vel in futuro. At in futuro intelligunt.

QUÆSTIO IV.

An analogia inter ſignum & rem ſignatam ſit forma Sacramentorum?

Reſp. Affirm. Quia Sacramenta ſunt relata. At relatorum formale aliud dari non poteſt, præterquam mutuus ille reſpectus.

Obj. I. Quod nullam habet entitatem, non poteſt eſſe forma. Atqui iſta analogia ſeu relatio nullam habet entitatem. Ergo. *Reſp.* In accidentibus non datur proprie dicta forma. 2. Non habet entitatem in ſe, ſed in ſuo fundamento.

Obj. II. Forma Sacramenti eſt in prædicamento actionis. Atqui analogia non eſt in prædicamento actionis, ſed relationis. Ergo. Major probatur: quia dum manu percipio ſignum, & fide apprehendo meritum Chriſti; jam forma Sacramenti eſt. *Reſp.* Non in ſe, ſed ut mihi conducit uſus & actio, quodammodo forma eſt.

Obj. III. Forma exprimitur in inſtitutione Sacramenti. Analogia non exprimitur. Ergo. *Reſp.* Vel *expreſſe*, vel *implicite*: analogia implicite in inſtitutione exprimitur: verbi gratia, Panis eſt corpus.

Obj. IV. Si relatio erit forma; Ergo omnes qui percipiunt ſignum, erunt participes rei ſignatæ. *Reſp.* Qui percipiunt ſignum *formaliter*, illi participes ſunt rei ſignatæ.

QUÆSTIO V.

An Sacramenta Vet. Teſtam. fuerunt typi Sacramentorum Nov. Teſt.

Reſp. Negat. Argument. I. Sacramenta non ſunt typi, ſed ſigna. Omnis typus quidem eſt ſignum; ſed non contra. Ergo non Nov. Teſt. Sacramenta, ſed rei ſignificatæ typi, quamvis etiam quod analogice aliud refert, ſit typus ejus quod refert; ut patet in attributis Dei, quæ Deo tribuuntur κατ' ἀνθρωποπάθειαν.

II. Nunquam res corporea rei corporalis eſt typus, ſed ſemper ſpiritualis. Antecedens inductione probatur à Theol. & eſt eorumdem axioma. Ergo. *Reger.* Poſſe rem corpoream eſſe typum alterius corporeæ tanquam antitypi, ut Elias, Joannis Baptiſtæ. Hinc Joannes Baptiſta dicitur Elias, *Matth.* 11. *Reſpond.* Negat. Elias enim non fuit typus Joann. Baptiſtæ: nec ex eo probari poteſt, quod dicatur Elias; cum dicatur ideo, quod ſimili officio, ut Elias, functus fuerit.

III. Si V. T. Sacramenta fuere typi novorum; tum non erunt eadem ſignificatione. At hoc falſum. Conſeq. ratio. Quia quæ eadem ſunt ad formalitatem, illa non poſſunt ſe habere ut typus & antitypus. Minor: quia idem ſignificant Sacramenta V.T. quod noſtra; Chriſtum ſcilicet cum ſuis beneficiis. *Reger.* Negat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Nam inquiunt, Sacramenta Vet. T. ſignificare Chriſtum venturum in mundum. *Reſp.* Non ergo in re eſt diverſitas, ſed ſolum in modo. At modus non variat.

Obj. I. In Vet. Teſt. tantum erat ſignum, & non res ſignata: Ergo typi fuerunt Nov. Teſt. Major. Quia Chriſtus nondum paſſus fuit. *Reſp.* Fuit res ſignificata præſens fidei: utut enim tum nondum exſtitiſſet, tamen fidei etiam futura ſunt præſentia; alioquin homines ſervari non potuiſſent. *Inſt.* Si habuerunt rem ſignatam; cur ergo mutata ſunt Sacramenta? *Reſp.* Fuerunt moleſta, à quibus fideles Nov. Teſt. Deus liberare voluit.

Obj. II. Permutantur nomina Vet. Teſt. & N. T. Sacramentorum: ut, Baptiſmus Circumciſio vocatur, *Col.* 2. Cœna vocatur Paſcha, *1 Cor.* 5. Ergo oportet V. T. Sacramenta fuiſſe typos N. T. Nam in typicis hoc obſervatur, ut typus vocetur nomine antitypi; & contra. *Reſp.* Hinc nihil infertur. *Inſt.* Atqui hic non eſt relatio ſigni ad rem ſignificatam, ſed ſigni ad ſignum. Circumciſionis ad Baptiſmum: Paſchæ ad Cœnam. *Reſpond.* Vocari iſta eodem nomine, quod rem ſignificent eamdem; & quod unum ſubſtitutum ſit in locum alterius.

Obj. III. Vocatur typus, 1 *Pet.* 3. 2. *Reſpond.* Vocatur ideo, quod ſucceſſerit in locum alterius; ſed non ut typus antitypo: ut dictum. *Inſt.* Imo aqua diluvii videtur fuiſſe typus baptiſmi. *Reſp.* Aqua diluvii non erat Sacramentum, proinde ibi non fit comparatio baptiſmi cum Sacramento V. T. quod tamen Adverſarii intendunt probare.

QUÆSTIO VI.

An Agnus Paſchalis fuerit Sacrificium ſimul, an Sacramentum tantum?

Reſp. Affirm. Poſt. Argumentum I. Non mactabatur in Templo, ſed domi. At omnia Sacrificia debebant peragi in Templo. *Reger.* Neg. Nam dicunt, extra Templum etiam Sacrificia fuiſſe. *Reſp.* Fuiſſe Sacrificia extraordinaria, ut etiam fiebant in tentorio, antequam Templum eſſet; at poſt ædificationem Templi non item.

II. Ex omni Sacrificio cedebat aliquid Sacerdotibus. At ex hoc nihil. *Reger.* Neg. Nam dicunt, Holocauſtum totum conſumebat ignis. *Reſp.* Loquimur de talibus Sacrificiis, quæ holocauſta non erant; quale oportuiſſet eſſe Sacrificium Agnum Paſchalem, ſi Sacrificium fuiſſet.

III. Non mactabatur Agnus Paſchalis à Sacerdote; quod in Sacrificio faciendum erat. Nam non niſi Sacerdoti licebat mactare ſacrificanda. *Reger.* Abrahamum & Samuelem ſacrificaſſe, qui tamen non fuerunt Sacerdotes. *Reſp.* Fuiſſe illos perſonas extraordinarias, ut videre etiam licet in Jacobo.

Obj. I. Expreſſè agni jubentur offerri in holocauſta, idque Paſchate, *Num.* 28. 23. Ergo fuit Sacrificium. *Reſp.* Alios ab his fuiſſe agnos illos, qui domi comedebantur. *Inſt.* Agnos illos fuiſſe memoriale, quòd Chriſtus eſſet pro nobis ſacrificandus. Ergo typi. *Reſp.* Chriſtus, & verum Sacrificium eſt, & vera res ſignificata Sacramentorum. Et ſic quidam agni erant typi Sacrificii Chriſti, ſed non qui erant ſigna Chriſtum ſignificantia in Sacramentis.

Obj. II. *Marc.* 14. 12, dicitur, *Primo die azymorum, quando Paſcha ſacrificabatur:* in Græco habetur ἔθυον. ex quo concluditur, Paſcha hoc ſimpliciter mactari: vide *Gen.* 31. 4. In Hebræo textu habetur, *Sacrificavit Iacob animalia*, pro *mactavit*. *Inſt.* Æquè dubium eſt, an ibi non fuerit Sacrificium ac hîc; unde lis lite non poteſt ſolvi. *Reſp.* Non eſt hîc dubium. Nam Jacob invitavit cognatos ad comedendum, qui erant Gentiles. At hoc non licuiſſet, ſi fuiſſet Sacrificium. Nam non prius ad hoc Gentiles admittebantur, antequam circumciſi eſſent.

Obj. III. 1 Cor. 5. 7, *Paſcha noſtrum pro nobis ſacrificatum.* Ergo Paſcha erat Sacrificium. *Reſp.* ut ante, *Sacrificari* accipitur pro *mactari*. *Inſt. Exod.* 12, Deus parcebat Iſraëlitis, quorum poſtes illiti erant ſanguine Agni Paſchalis. Ergo erat Sacrificium, quia Deus nobis parcit propter Chriſtum, cujus, ſicut agni, ſanguis effuſus eſt. *Reſp.* Chriſtum crucifixum, eſſe verum Sacrificium, quatenus pro peccatis noſtris ſatisfecit, ſuſtinendo iram Dei; & verè eſſe rem ſignificatam Sacramenti, quatenus nempe proponitur nobis acceptandus per fidem.

QUÆ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

QUÆSTIO VII.

An Sacramenta tantum obſignent, an vero etiam conferant gratiam?

Bell. affirm. Argum. I. Si Scriptura deſcribens Sacramenta, tribuit ipſis vim conferendi gratiam, tum verum quod ſtatuimus. *Anteced. prob.* Si is qui baptizatur, ſalvus erit, tum Sacramenta conferunt hanc gratiam. Atqui, *Matth.* 28. Ergo. *Reſp.* 1. Negatur Conſeq. Ratio, quia ſalus non pendet ex eo, Si quis baptizabitur, ſalvabitur: ſicut non pendebit ex eo, Qui pauperibus benefaciunt, ſalvabuntur. 2. Neq; Chriſtus dicit ſimpliciter, *Qui baptizatus fuerit, ſalvabitur:* ſed, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit,* &c. Nam quod hoc baptiſmus non habeat ex ſe, & per ſe, Salvare abſque fide, liquet *Act.* 8. ubi Simon Magus baptizatus, neque tamen ſalvatus: quod ſi eis vis aliqua ſalutem conferendi ineſſet, tum certe ſalvarentur omnes, æque fideles ac infideles, qui modo baptizantur.

Inſt. Si fides requiritur ad baptiſmum, tum infantes non poſſunt baptizari. At poſſunt. E. *Reſp.* Negatur Conſeq. Quia etiam infantes propter fidem baptizantur parentum, ut cauſam remotam. Hinc in Actis Petrus dicit: *Vobis & liberis veſtris facta eſt promiſſio*: reſpexit autem procul dubio ad *Gen.* 17, promiſſionem illam Dei, Abrahæ & ſemini ejus factam: *Ero Deus tuus,* &c.

Argum. II. Si remiſſio peccatorum neceſſario ſequitur baptiſmum; ſequitur, Sacramenta habere vim conferendi gratiam. Verum prius, ex *Act.* 2. 38. Ergo & poſterius. *Reſp.* 1. Conſeq. falſa: quæ falſitas infinitis enſtaſibus tolli poteſt ex Scriptura. Studium bonorum operum neceſſario ſequitur vita æterna, non tamen propter illud datur vita æterna. 3. Dato, non conceſſo, tum dicimus. Aliud eſt baptizari in remiſſionem peccatorum ſignificandam & obſignandam; quod, ſicut per ablutionem aquæ ſordes corporis purgantur, ita ſanguine Chriſti peccata purgari: Aliud autem, purgari vel baptizari in remiſſionem peccatorum, acſi ex eo, quaſi cauſa, penderet ſalus: ſic negatur.

Argum. III. Si illi tantum agnoſcuntur pro filiis Dei, & membris Eccleſiæ, qui baptizantur, tum ex baptiſmo pendet vis conferendi hoc ipſum. Atqui. Ergo. *Reſp.* 1. Conſeq. eâdem enſtaſi tollitur, quâ prius argumentum. 2. Diſtinguo inter membra Eccleſiæ viſibilis & inviſibilis. Poteſt aliquis eſſe membrum Eccleſiæ inviſibilis, licet non ſit baptizatus. 3. Negamus & hoc, quod per baptiſmum fiat aliquis filius Dei, quia baptiſmus confertur tanquam teſſera iis qui ſunt filii Dei. Oportet enim, eum jam eſſe filium Dei, qui baptizatur. Nam qui ſunt federati, illi baptizantur: At federati non ſunt niſi illi, qui ſunt filii Dei.

Argum. IV. Si nemo ingreditur in regnum cælorum, niſi qui ex aqua & ſpiritu renatus ſit, tum conferunt Sacramenta. Atqui, *Ioan.* 3. 5. *Reſp.* Conſequentia iiſdem modis, quibus prior, tollitur. Nam poteſt alicui contingere tale, non tamen propter tale; ut contingit ſalus ſtudentibus bonis operibus, non tamen propter bona opera. 2. Illud quod *Ioan.* 3. 5 dicitur, non tribuitur baptiſmo neceſſario, ſed probabiliter. Nam ſæpe hoc fit in S. Literis, ut Sp.S. videatur innuere, effectum aliquem neceſſarium pendere à duabus cauſis, cum tamen ab una dependeat v.g. *Rom.* 10, *Corde creditur* &c. Hic effectus, ab una cauſa probabiliter, ab altera neceſſario dependet, & tamen utrique tribuitur. Quod autem effectus iſte probabiliter à baptiſmo dependeat, vel ex eo liquet, quia non omnes qui non baptizantur, pereunt: ut, latro ille in cruce, non erat baptizatus, attamen ſalvatus.

Argum. V. Si Eccleſia purificatur lavacro aquæ, tum habet vim conferendi hoc ipſum. Atqui, *Epheſ.* 5. 26. Ergo. *Reſp.* 1. Dato, non conceſſo, quod ibi accipiatur aqua proprie dicta, tum non ſequitur: quia aqua quidem non purgat realiter, ſed ſacramentaliter & ſignificative. 2. Quia ſumma eſt cognatio & analogia ſigni cum re ſignata, tum ſæpe fit, ut nomen ſigni tribuatur rei ſignatæ; & contra. v. g. Panis dicitur Corpus Chriſti; & Corpus Chriſti, *Ioan.* 6, dicitur panis.

Argum. VI. Si Sacramenta tantum ſunt ſigna ſignantia & obſignantia, non tamen conferentia, tum ſunt ſupervacanea. *Reſp.* Negatur Conſeq. Et enſtaſi falſitas ejus tolli poteſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Iris, v. g. nihil confert, non tamen eſt de nihilo, quia nos certos reddit, quod Deus nolit ſimiliter ita punire mundum, ut prius.

Argum. VII. Si Sacramenta nihil conferunt, tum bona opera erunt ipſis præſtantiora, quia hæc, 2 *Petr.* 1. 10. *Reſp.* Comparatio iſta eſt inepta, quia comparatio debet eſſe inter ea quæ ſunt ejuſdem generis: & proinde eſt, ac ſi quis inſtitueret ſcyphi & menſæ comparationem, quæ non ſunt ejuſdem generis. 2. Præſupp., nos ſtatuere, ſigna eſſe Sacramenta abſque Verbo, cum dicamus, ubi acceſſerit Verbum ad Elementum, fieri Sacramentum. Jam dicant, quid præſtet, illudne ſignum cui Verbum Dei additur, vel cui non additur?

Inſt. Si Verba habent vim conferendi, tum etiam Sacramenta Verbo adjuncta. Verum prius, *Heb.* 4. Ergo. *Reſp.* Neg. Antecedens, quod Verbum habeat talem vim, ſcilicet realem, quia non eſt efficax Verbum Dei, niſi adveniente Sp. Sancti operatione; hoc eſt, niſi in illis, qui oculos ad videndum, aures ad audiendum, habeant, ac à Deo acceperint, & cor carneum habuerint. Tum eſt Verbum Dei magis penetrans gladio, ſed non realiter, verum moraliter. Ita, v. g. dum, *Act.* 2, Petrus concionatur, Verbum fuit penetrantius gladio, ſed non realiter; verum in iis moraliter, quorum corda Deus aperuerit. Ita & 1 *Cor.* 14, Spir. Sanctus loqui jubet Verbum propria lingua, ut idiota dicat, Vere in vobis Deus eſt, hoc eſt, oportet ut prius intelligat idiota.

Argum. VIII. Si Sacramenta non ſolum debent ſignare, obſignare, ſed etiam exhibere; tum debent habere vim conferendi. Atqui. E. *Reſp.* Non conferunt Sacramenta rem ſignatam. Si enim exhibere deberent hoc, tum ſignatum in ſe habere deberent. At Sacramenta hoc non habent in ſe, nec illud conferre eſt ullius, niſi ſolius Dei. Hinc Joannes, *Ego quidem baptizo aqua, ſed in medio* &c. Duo ergo ſunt quæ nobis dantur in Sacramentis: Miniſter ſigna, Deus ſeu Chriſtus rem ſignatam.

Argum. IX. Si Sacramenta non habent vim conferendi gratiam, tum fruſtra adminiſtrantur infantibus. *Reſp.* Non ſequitur. Quia fructum & uſum ſuum habent: ſive ſpectes ipſos parentes; hi enim vident liberos ſuos confirmari in federe Dei: ſive etiam infantes ſpectes, non carent fructu ſuo Sacramenta; licet enim non ſtatim exerant vim ſuam, non tamen in vanum adhibentur. Sicut, v. g. granum in terram projectum, non ſtatim germinat; non tamen fruſtraneus eſt labor. Ita Calvinus in Scriptis ſuis Polemicis contra Weſtphalum, defenſione ſecunda, dicit: Aliquando quando ad Cœnam S. accedimus, ita ſumus ſtupidi, ut non percipiamus quicquam inde; non tamen omnis fructus perit, quia licet modo non ſentimus fructum, in futurum tamen ſentiemus.

Argum. X. Cui tribuitur ablutio peccatorum, ei & collatio gratiæ. At baptiſmo, *Act.* 22. 16. *Reſp.* Limit. Major. Cui tribuitur ablutio peccatorum realiter, ei & collatio gratiæ. Sed ſic cadit Minor, quia tribuitur quidem baptiſmo, ſed tantum ſignificative & ſacramentaliter; h. e. oſtendit, quid ſignificet hoc ſignum: nempe, quod, ſicut aqua abluit ſordes corporis, ſic & ſanguis Chriſti ſordes animæ: & ſic nomen ſigni ſæpe ponitur pro re ſignata; & contra.

Inſt. Quæ inter ſe ſunt oppoſita, eorum unum pro altero non poteſt poni. At ſignum & ſignatum &c. Ergo. *Reſp.* Maj. falſa, & in oppoſitis diſparatis; quia aliàs tollerentur omnes tropi: ut, cum dico, *Faſces* pro *Imperio*, ſunt oppoſita diſparata, & unum pro altero ponitur. Et in oppoſitis comparatis; ut, *Heus, bone vir!* pro *male vir!* per ironiam.

Inſt. Relatum unum pro altero poni non poteſt: Ergo nec ſignum pro re ſignata; & contra. *Reſp.* ad Majorem: Relatum unum, ſcil. particulare & ſpeciale, pro altero poni non poteſt. Imo ne ſic quidem ſtabit Major, quia nonnunquam etiam particulare relatum pro altero ponitur. v. g. cum de filio dico: Hic eſt ipſiſſimus pater, quia patrem refert; ibi de filio dico, quia eſt filius, quod ſit pater; & recte pono unum ſpeciale relatum pro altero.

Argum. XI. Si per impoſitionem manuum datur Spir. Sanctus; tum ſequitur, Sacramenta conferre gratiam. Atqui. Ergo. *Reſp.* 1. Negatur Anteced. quod Spir. S. detur per manuum impoſitionem. 2. Negatur & Conſeq. quia falſa hy-

ſa hypoth. præſupponitur, quod impoſitio manuum, vel ordinatio ad Miniſterium, ſit Sacramentum. *Prob. Antec.* 2 Tim. 1. 6. *Reſp.* 1. Aliud eſt, dona accipere per impoſitionem manuum; aliud etiam, Spir. S. accipere. Deinde, dona ſunt varia: eſt enim donum hoc, quando aliquis ordinatur ad Miniſterium; & de hoc loquitur Paulus. 2. *Act.* 8. 18. Ubi Simon petit Spir. Sanctum per impoſitionem manuum. *Reſp.* Particula *per* non ſemper notat cauſam inſtrumentalem, ſed ſæpe etiam ſignum: ut *Hebr.* de Chriſto dicitur, *Non per ſanguinem hircorum aut taurorum, ſed per proprium*, &c. ubi certè per particulam *per*, non notatur cauſa inſtrumentalis. Ergo loco citato, *Act.* 8, particula *per*, notabit cauſam vel principalem, vel inſtrumentalem, vel ſignum. Principalem nemo dicet. Inſtrumentalis etiam non poteſt eſſe: Quid enim, quæſo, operatur impoſitio iſthæc? Signum ergo erit, &c. Quod ſi alicui placebit dicere, cauſam; ibi notandum, quod tum erit cauſa moralis, non realis.

Argum. XII. Signa quæ ſunt ſigna non tantum theoretica ſed & practica, illa operantur propria virtute. Sed Sacramenta ſunt talia. Ergo. *Reſp.* Non concluditur quod conferant gratiam, niſi quod ſint practica, h. e. ſignificando & obſignando: quod libenter damus.

Inſt. Si non ſunt practica conferendo aliquid, tum fruſtra adminiſtratur baptiſmus infantibus. Hoc falſum. Ergo. *Reſp.* Non ſequitur. Quòd licet non conferant, tamen habent efficaciam ſuam; & in præſenti, ratione parentum; & in futuro, ratione puerorum: ut dictum.

Argumenta porro quæ Bellarminus petit ex *Eſai.* 1. *Ezech.* 28. & aliunde profert de ablutione illa, 1. non agunt de Sacramentis, de quibus hic eſt quæſtio. 2. Sunt tropica; &, ſi ad propria reducantur, tum idem erunt quod, *Convertimini ad me*: Item, *Create vobis cor novum.* Quid autem hæc ad Sacramenta?

QUÆSTIO VIII.

An Sacramenta V. & N. T. eodem genere efficaciæ operata ſunt?

Bellarm. negat. Argum. I. Si Sacramenta V. T. tantum terreſtris, N. T. autem, & terreſtris & cæleſtis ſunt gratiæ; tum non eodem genere gratiæ operantur. *Antec. Prob.* Quia Federi Dei non fuit annexa promiſſio divina. *Reſp.* Minor negatur: & probatio ejus, quia, *Gen.* 14. 16, 17, aliud teſtatur Sp. Sanctus.

Inſtant: *Prob.* quia non promittitur gratia ſpiritualis, ſed corporalis tantum: *Faciam te in gentem magnam. Reſp.* Promittitur quidem ei multiplicatio, ſed ita ut ſit typus. Typus vero ſemper habet rationem ad ſuum antitypum. Quod autem typus fuerit hæc promiſſio, patet ex *Rom.* 9. ubi Paulus nos filios promiſſionis vocat.

Inſt. Illa verba, *Ero Deus tuus*, tantum de protectione corporali ſonant. *Reſp.* Neg. quia Chriſtus ex hac promiſſione producit regnum cælorum & vitam æternam: *Annon legiſtis quod Moſi è rubo dictum, Ero Deus tuus?* Et *Gen.* 15, Deus promittit Abrahæ, *Ero merces tua*: quod certe de temporalibus non poteſt intelligi, quia ea Spir. Sanctus non æſtimat tanti; hinc ea vanitatem dicit. De ſpiritualibus ergo bonis & promiſſionibus accipiendum.

Argum. II. Sacramenta V. Teſt. non erant pro quovis ſcelere inſtituta. Sacramenta vero N. T. omnia peccata delent. Ergo non eodem genere efficaciæ operantur. *Reſp.* 1. Ineptè confunduntur ſacrificia cum Sacramentis: & diſputant quidem noſtri Doctores de his, An ſacrificia V. T., ut, Agnus Paſchalis, &c. fuerint Sacramenta? Perkinſius penitiſſime negat. Piſcator & alii aſſerunt. Et ego dem hoc, eſſe vel fuiſſe Sacramenta: tamen in hac materia non agimus de ſacrificiis, ut Sacramentis; ſed de Sacramentis propriè dictis. 2. Major & Minor falſa. *Major*, quia in anniverſario ſacrificio omnia peccata expiabantur. *Minor*, quia Sacramenta non conferunt, ſed obſignant & ſignant remiſſionem peccatorum.

Argum. III. In Sacramentis N. T. tribuitur ablutio peccatorum: At de ſacrificiis V. T. nuſquam hoc legitur. Ergo non eodem genere efficaciæ operantur. *Reſp.* Negamus quod nullibi hoc legatur de Sacramentis V. T. Ex fœdere enim hoc liquet, quod Deus cum illis pepigerat, *Ierem.* 31. 34. ubi expreſſe dicitur, *me condonare*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

nare peccata eorum; & licet non haberetur expreſſe, tamen, quia fedus habuerunt, liquet inde clariſſime, Sacramentis etiam promiſſiones has fuiſſe annexas: nam fedus eſt per Chriſtum & propter Chriſtum: qui fedus habet, habet Chriſtum; qui Chriſtum habet, habet remiſſionem peccatorum: Et contrà, ubi fedus non eſt, ibi non eſt Chriſtus, ibi eſt abalienatio à Deo; ut, *Epheſ.* 2, Apoſtolus teſtatur.

Argum. IV. Sacramenta V.T. tantum pœnam corporalem, non autem culpam remittebant. N. Teſt. autem Sacramenta utrumque faciunt. Ergo non eodem genere operantur. *Reſp.* Eſt fallacia plurium interrogationum: nam nullo modo remittunt aut remittere dicuntur Sacramenta; ſed hoc dicitur, quod in legitimo uſu annexam habeant iſta ſigna & ſigilla promiſſionem.

Argum. V. Si in Vet. Teſtam. rei ſignatæ non fuerunt participes, tum non eodem genere operantur, quo Sacramenta N.Teſt. Atqui. Ergo. *Reſp* Neg. Minor. & ratio datur 1 *Cor.* 10.4. ubi dicitur, Petram fuiſſe Chriſtum; & poſtea, eamdem eſcam nobiſcum ediſſe & bibiſſe.

Inſt. Si ita eſt, tum Sacramenta N. T. non ſunt præſtantioris pacti, quàm Vet. Teſt. Poſterius falſum. Ergo. *Reſp.* Hypoth. falſa præſupponitur, Quod, ſi fides non habeat præſentia ea quæ operatur, tum non perficiatur: quod falſum. Nam perficitur ex ſubjecto præſenti. Licet enim non habeat eodem modo, habet tamen, quia quod operatur, ei jam præſens eſt. Ex objecto ergo, quod operatur, poſito, perfectio fidei ponitur.

Argum. VI. ex 1 *Ioan.* 1: Si promiſſio quæ obſignatur N.T. Sacramentis, latuit apud Deum, tum non eodem modo operantur. At. Ergo. *Reſp.* Negatur Conſeq. quia latuit tantum quoad gradus, non quoad genus efficaciæ. Fuiſſe enim jam Chriſtum & vitam, liquet vel ex eo, quod Paulus Chriſtum prædicavit; & tamen dicit, ſe nihil docuiſſe præter illud, quod in Moſe & Prophetis eſt. Et ipſe Chriſtus ſuam Paſſionem & Reſurrectionem illis duobus probat, ex Scripturis Moyſis, Pſalmis & Prophetis.

Argum. VII. Novum fedus (inquit Apoſtolus ad Hebr.) melioribus conditionibus fuiſſe ſancitum, Ergo non eodem gradu operatur. *Reſp.* Neg. Conſequent. quia ibi Apoſtolus de graduali, non generis operatione loquitur. Idem etiam 2 *Tim.* 1, *v.* 10, & ad alia loca reſponderi poteſt, ut Camero oſtendit per hanc regulam: Tum res in Scriptura dicitur fieri, cum innoteſcit; non quod antea non fuerit, ſed quod ita clara non fuerit.

QUÆSTIO IX.

An Sacramenta animo characterem indelebilem imprimant?

Bellarm. affirm. Argum. I. Si character ſit Sacramenti effectus, tum Deus per Sacramenta indelebilem imprimit characterem animis. At. Ergo. *Reſp.* Eſt fallacia plurium interrogationũ: quia prius quæritur, An detur aliquis talis character? Nos dari, prorſus pernegamus. & poſtea, ubi probaverit, dari characterem; tum probet, imprimi animis.

Inſt. Prob. eſſe & dari characterem, ex *Eſai.* 66. 19. *Reſp.* Non poteſt ex loco allegato probari character, quia ibi de tali non agitur, ſed dicitur, *Ponam ſignum meum in ipſis.* Et quodnam hoc ſignum ſit, id *Ezech.* 9. *v.* 4, 6, dicitur eſſe ת.

Inſt. 2 Cor. 1. 22. ubi tertius effectus hujus characteris datur. *Reſp.* Dicit quidem ibi Apoſtolus de arrhabone Spiritus, interim tamen nullam facit characteris Sacramentorum mentionem.

Argum. II. *Epheſ.* 1. 13. Si obſignati fuerunt Epheſii in fide, tum datur character Sacramentorum. Atqui. Ergo. *Reſp.* Negatur Conſeq. quia non de materiali aliquo charactere loquitur Apoſtolus, ſed de Evangelii promiſſione: quid autem aliud agit Adverſarius, quam quod lapidem pro pane ſumat?

Argum. III. Si circumciſio non tantum carnem proſcindebat, ſed & cauterium in carne relinquebat; ſequitur etiam characterem imprimi in animis. Atqui. Ergo. *Reſp.* Iterum fallacia plurium interrogationum; nondum enim probavit, dari characterem, & jam de effectu argumentatur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

QUÆSTIO X.

An præter duo Sacramenta dentur reliqua quinque?

Bellarm. affirm. Argum. I, Cui competit definitio Sacramenti, illud eſt Sacramentum. Sed Matrimonio, Unctioni, Pœnitentiæ, &c. Ergo. *Minor. prob.* Si horum quinque Sacramentorum Deus eſt auctor, tum ſequitur, eſſe Sacramenta. Atqui. Ergo. *Reſp.* Negatur Major; quia ſic omnia, quæcumque ſunt, eſſent Sacramenta. Non autem ſatis eſt ad quæſtionem Sacramenti, ut Deus ſit auctor, ſed alia multa adhuc requiruntur.

Inſt. Ubi eſt ſignum & res ſignata, ibi ſunt Sacramenta proprie dicta. In his. Ergo. *Reſp.* Ubi ſunt ſignum & res ſignata, ſcil. talia, qualia in Sacramento eſſe debent. At hic nihil tale. Ergo. Nam ſignum in Sacramentis proprie dictum, propter fideles eſt inſtitutum: jam vero, in his non eſt tale, quia inter quoſvis eſt conjugium, *Heb.* 3; non tantum inter fideles, ſed & infideles.

Inſt. In Unctione, iſta ſunt, Ergo eſt proprie dictum Sacramentum. *Reſp.* Non eſt; quia ibi res ſpiritualis abeſt. Sanitas enim non eſt ſpiritualis res, ſed corporalis: in Sacramento autem ſpiritualis eſſe debet.

Inſt. Matrimonium habet ſignificationem ſpiritualem, *Eph.* 5. *Reſp.* Non habet tamen ſignum tale; quia, ut dictum, matrimonium poſſidetur etiam ab hominibus infidelibus, cum Sacramentum tantum fidelibus ſerviat.

Inſt. Pœnitentia tantum eſt fidelium, ſcilicet ſalutaris. *Reſp.* Sed ſignum ibi deſideratur. Non ſatis ergo ut unum habeat Sacramenti requiſitum, ſed omnia debet habere.

Inſt. Quibus eſt addita promiſſio Dei, illa ſunt Sacramenta. His quinque Sacramentis addita promiſſio. Ergo. *Reſp.* Major falſa; ſic enim omnia quibus addita eſt promiſſio, eſſent Sacramenta. V.g. Fidei addita promiſſio, *Qui credit, ſalvabitur*; non tamen fides eſt Sacramentum.

Argum. III. Baptiſmus & Cœna Domini referuntur ad certos fines, reliqua quinque Sacramenta itidem. Ergo. *Reſp.* Negat. Conſeq., Si baptiſmus & Cœna Domini referuntur ad certos fines, Ergo omnia quæ ad certos fines referuntur, ſunt Sacramenta: non ſequitur. V. g. nam capillus qui de capite meo cadit, ad finem certum refertur ratione providentiæ Dei, non tamen eſt Sacramentum.

QUÆSTIO XI.

An Eccleſia poſſit inſtituere novas Cerimonias?

Bellarm. affirm. Sed & nos ſtatuimus hoc; ſed certis, his nempe, conditionibus: 1. Vt non ſint pars cultus divini, neque hominum conſcientiæ ad eas obſervandas obligentur. 2. Vt non fiant ſine juſta neceſſitate. 3. Vt non multiplicentur. 4. Vt ad ordinem, & ad vitandum ſcandalum, fiant.

Bellarm. Argum. I. Ritus ſedendi ad S. Synaxin eſt neceſſarius. At Eccleſia hunc poteſt mutare. Ergo. *Reſp.* Minor negatur, quia eſt contra Chriſti mandatum.

Inſt. Debet hoc facere propter ſcandalum nonnullorum. *Reſp.* Non eſt datum, ſed acceptum ſcandalum; itaque neceſſarius eſt hic ritus, & quidem tam neceſſarius, quam ipſa fractio panis in Cœna.

Inſt. Atqui Chriſtus non ſedebat, ſed accumbebat. *Reſp.* Illud *accumbere*, reſpondet noſtro *ſedere*. Calvinus hac de re pulcre ſcribit. Illi qui tollunt ſeſſionem, tollunt hoc ipſum, quo ſignatur ſumma illa familiaritas, in quam fideles à Chriſto aſciti ſunt. Non enim illos amplius habet pro ſervis, ſed ut convivas illos accipit. Huic addi poteſt, quod requies illa æterna, ſeſſione ad S. Synaxin præfiguretur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

CAPVT XXIII.

De Baptiſmo.

QUÆSTIO I.

An Baptiſmus Chriſti fuerit idem cum Baptiſmate Ioannis?

Reſp. Affirm. Argument. I. Baptiſmus Joannis fuit in remiſſionem peccatorum: Ergo idem fuit cum baptiſmate Chriſti. Ratio; quia quorum finis idem eſt, eorum & formale, ſi ſint accidentia. *Reger.* Baptiſmus Joannis erat in venturum: At Chriſti, in eum qui venerat: Ergo diverſi iſti baptiſmi. *Reſp.* Ut non erat diverſum Paſcha V. T. à Cœna noſtra, licet rem deſignaverit futuram, Cœna vero reſpiciat rem quæ facta eſt: ita etiam baptiſmus Ioannis non differt à baptiſmo Chriſti.

II. Chriſtus à Ioanne baptizatus eſt. Ergo. *Reger.* Chriſtus alio fine baptizatus eſt, quam homines: quia homines baptizabantur in remiſſionem peccatorum; quod in Chriſto locum habere non potuit. *Reſp.* Nihil hoc ad propoſitum; fatemur, non eo fine Chriſtum baptizatum, quo nos; ſed ut baptiſmum ſanctificaret, quo fine etiam circumciſus. Ergo ideo potius eſt idem baptiſmus, quia eum Chriſtus ſanctificare voluit.

III. Una fuit circumciſio in V. T. Ergo unicus debuit eſſe baptiſmus etiam in N. T. Conſequent. quia baptiſmus ſucceſſit circumciſioni. *Reger.* Baptiſmum noſtrum non tantum circumciſionem repræſentare, ſed & alia: unde baptizari in nube, 1 *Cor.* 10. *Reſp.* Loquimur de ordinariis, non extraordinariis Sacramentis. Nam nubes iſta, in qua dicuntur baptizati Iſraëlitæ, extraordinarium Sacramentum erat, quod nec ſemper duravit, nec omnibus exhibebatur.

Obj. I. Matth. 3. 11. *Ego baptizo vos aqua, ille Sp. Sancto.* *Reſp.* Negat. Conſeq. Nam eo pacto oportet etiam Cœnam duplicem eſſe, eo quod Miniſter non det niſi elementa, panem & vinum: Deus vero rem ſignatam. *Inſt.* Imo in uſu legitimo Sacramenti, ubi ſignum, ibi res ſignata. At hic non eſt ſtatim res ſignata. Quia dicit in futuro, *baptizabit Sp. Sancto.* *Reſp.* Præſupp. hypoth. acſi demum conferantur res ſignatæ, quando legitime ſigno utimur: cum ſigno legitime uti non poſſimus, niſi re ſignata utamur. Quod vero dicitur in futuro, enallage temporis eſt.

Obj. II. Rebaptizati ſunt, ab eo baptizati. Ergo, *Actor.* 19. *Reſp.* Non dicuntur baptizati à Ioanne, ſed ipſius baptiſmate. *Inſt.* Tamen rebaptizati ſunt. *Reſp.* Non fuiſſe vere baptizatos baptiſmate ipſius, ſed à ſciolo aliquo, qui putabat, ſe ſcire baptiſmum Ioannis, cum tamen ignoraverit.

Obj. III. Ioannes non baptizavit in nomine Patris, & Filii, & Sp. Sancti. *Reſp.* Negat. Nam ſic Apoſtoli debuiſſent rebaptizari à Chriſto, qui à Ioanne erant baptizati: quod tamen non legimus. *Inſt.* Nullibi fit mentio in Scripturis. *Reſpond.* Certe *Actor.* 19. Nam, cum illi Diſcipuli dicerent, ſe baptizatos baptiſmo Ioannis, & tamen dicerent, ſe neſcire, eſſetne Spiritus, nec ne: Quærit ab eis Paulus: *In quid ergo baptizati eſtis?* quaſi diceret; Si eſſetis baptizati baptiſmate Ioannis, non poſſetis dicere, vos neſcire eſſe Spiritum, cum Ioannes quoque in nomen ejus baptizaverit. *Inſt.* Si Ioannes uſus eſt hac forma; Ergo Chriſtus baptizatus in nomine Chriſti. Ratio Conſeq. Quia Chriſtus à Ioanne baptizatus. Atqui falſum poſter. Ergo & prius. *Reſp.* Negat., falſum. Nam baptizatus etiam in nomine Chriſti; ſed diſtinguimus humanitatem à divinitate: Chriſtus, quatenus homo, baptizatus in nomine ſuo; quatenus Deus, ut non baptizatus eſt, ita nec in nomine baptizatus eſt.

Obj. IV. Si baptiſmus Ioannis fuit idem cum Chriſti baptiſmo: Ergo non eſt neceſſe ut Chriſtus baptiſmum inſtitueret. Falſum poſterius. Ergo & prius. *Reſpond.* Negatur, falſum eſſe conſequens. Nam Ioannis baptiſmus tantum in uſum Iudæorum fuit; Chriſti vero in uſum omnium Gentilium.

Obj. V. Si minoris eſt efficaciæ, per ſervum aliquid fieri, quam per Dominum; Ergo Ioannis baptiſmus quoque eſt minoris efficaciæ. Verum prius. E. & poſterius. *Reſp.* Negat. Conſequent.

ſequent.

ſequent. nam non fit hoc propter rem, quia res eadem; ſed propter adjunctam perſonam: & propterea plus eſt peccare in Dominum, quam in ſervum.

QUÆSTIO II.

An Chriſtus Baptiſmum aquæ inſtituerit?

Reſp. Affirm. Argum. I. Matth. 28. verſ. 19: *Ite & docete*, &c. Ergo. *Reger.* Non habetur in Græco textu *docete*, ſed μαθητεύσατε, id eſt, *Diſcipulos facite. Reſp.* Verbum hoc utrumque ſignificat, ut videre eſt in Lexicographis. 2. Stropha ipſorum verbis ſeqq. refutatur, *Qui crediderit & baptizatus fuerit*: ubi τὸ *credere* reſpondet τῷ *docere*; *baptizatum eſſe*, τῷ *baptizare*.

II. Diſcipuli baptizarunt; Ergo hoc fecerunt aut juſſu Chriſti, aut propria auctoritate. Sed non hoc. Nam Chriſtus hoc vult, ut ea tantum facerent, quæ ipſis præceperat. Ergo juſſu Chriſti. *Reger.* Circa adiaphora ſæpe Apoſtolos egiſſe & diſpoſuiſſe pro lubitu, probatur *Act.* 15. Ubi de ſuffocatis, & aliis ejuſmodi rebus præcipiunt. *Reſpond.* Nihil quicquam fecerunt abſque Sp. Sancti ſuggeſtione; hinc, dum ſcribunt ad Gentes, ita exordiuntur, *Viſum Spir. Sancto & nobis.*

III. In nomine Chriſti baptiſmus adminiſtrabatur; Ergo inſtituit Chriſtus baptiſmum aquæ. Nam in nomine alicujus facere, eſt auctoritate alicujus facere. *Reg.* Chriſtus nunquam baptizavit, *Ioan.* 4. 12. *Reſp.* Chriſtus neminem baptizavit immediate, ſed mediate, uſus miniſterio Apoſtolorum.

Obj. I. 1 Cor. 1. 17: *Non ſum miſſus ad baptizandum*; Si vero Chriſtus eſſet inſtitutor baptiſmi aquæ, tum hoc dicere non potuiſſet. *Reſp.* Non miſſus ut baptizarem, ſc. *principaliter*, ſed ad evangelizandum. *Inſt.* Talis loquendi modus dari nequit, ubi quid negative effertur, ut comparate intelligatur. *Reſp.* Plurimos eſſe; nos unicum adferimus, ſc. *Matth.* 12. 7.

Obj. II. Si Chriſtus inſtituit baptiſmum aquæ, tum hunc inſtituiſſet, vel *Matth.* 28, vel *Marc.* 16. Sed nullibi. Quia jubet baptizare in nomine Patris, Filii, & Sp. Sancti: cum tamen Apoſtoli aquæ tantum baptiſmo baptizarint in nomine Jeſu: vide *Act.* 10. 48. *Reſp.* Non ibi dici iſta verba excluſive. *Inſt.* Nullum innuitur veſtigium, eos ita baptizaſſe. *Reſp.* Imo vero; neque enim Apoſtoli cenſendi ſunt contra mandatum Chriſti feciſſe, quod erat, ut in nomine Patris, Filii, & Spir. Sancti baptizarent. 2. Manifeſte conſtat *Act.* 19. ubi Paulus quærit: *In quid ergo baptizati eſtis, ſi ignoretis Spir. Sanctum eſſe?* Quo ipſo oſtendit, morem hunc fuiſſe baptizandi, ut in nomine Patris, Filii, & Sp. Sancti, baptiſmus adminiſtraretur.

QUÆSTIO III.

An infantes fidelium ſint baptizandi?

Reſp. Affirm. Argumentum I. Act. 2. 38, 39: *Reſipiſcite* &c. *Nam vobis facta eſt promiſſio, & liberis veſtris.* Ergo debent baptizari; quia illis facta promiſſio, *Gen.* 17. *Reger.* Conjungi ibi cum baptiſmate reſipiſcentiam; proinde ad quos pertinet baptiſmus, illi ipſi ſunt qui reſipiſcere debent. *Reſp.* Refutat textus. Nam liberos includit cum parentibus; liberi autem omnes ſunt liberi, & ſic infantes: proinde convenit baptizare ex promiſſione facta; non tamen propterea vult liberos reſipiſcere.

II. *Act.* 10. 47. Qui habent Sp. Sanctum, illi debent baptizari. At infantes fidelium habent. Ergo. Major in textu. Minor probatur. Nam aut habent Sp. Sanctum, aut non: ſi habent, obtinet noſtrum argumentum; ſi non habent, non ſunt Chriſti; & per conſequens omnes condemnabuntur. vide *Rom.* 8. 9. *Reger.* Quod ibi agatur de Spir. Sancto, quatenus ille manifeſtatus eſt per dona extraordinaria. *Reſp.* Nihil hoc eſſe. Nam efficacius eſt argumentum Spiritus præſentiæ adoptionis ex Scriptura, quam ex extraordinariis donis. Quia dona extraordinaria cadunt etiam in reprobos; ut prophetia in Saül, Caïpham, &c.

III. Si infantes non ſint baptizandi, tum gratia N. T. erit anguſtior gratiâ V. T. At eſt amplior. Ergo. Conſequentia clara; Nam ad gratiam Dei maxime pertinet, ut promiſſiones factæ ſint parentibus & liberis, ſimulque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

utriſque per ſigilla obſignentur. *Reger.* Imo hoc ipſo gratia amplior eſt, quod non oneremur cerimoniis tot & tantis, quantis fideles ſub V. T. *Reſp.* Ergo etiam Cœna Domini pertinet ad onus: quod abſurdum. Sciendum enim eſt, aliud eſſe, loqui de cerimoniis, quæ typi erant; aliud, de Sacramentis: illæ onus erant, hæc non ſunt, utpote quibus Deus promiſſiones ſuas ſancit & confirmat.

Obj. I. Marc. 16, *Qui crediderit* &c. Hic, inquiunt, fides urgetur. Infantes fidem habere non poſſunt. *Reſpond.* Primam Sacramentorum inſtitutionem in Eccleſia neceſſario inferre hoc, ut ſtipuletur Deus ab hominibus adultis aliquid immediate, mediate ab infantibus. Sic in circumciſione poſtulat ab Abrahamo, *Ambula coram me*; non tamen, quia hoc non poterant infantes, debebant à circumciſione excludi. *Inſtant:* At ſalus conjungitur cum baptiſmo, *ſalvus erit* &c. ſalus autem non niſi in credentes cadit, juxta illud: *Qui credit, habet vitam æternam.* *Reſp.* Per hoc excludendi eſſent infantes à vita æterna, quod Pontificii quidem volunt, ſed Anabaptiſtæ non admittunt. 2. Loquuntur talia loca de adultis. Nam infantes vi fœderis Dei ſalvantur, ut liquet Gen. 17, *Ero Deus tuus, & ſeminis tui.*

Obj. II. Non intelligunt, quid ſit fœdus, quæ res ſignificata baptiſmi; Ergo non ſunt baptizandi. *Reſp.* Eo pacto nec circumciſio debebat adminiſtrari in V. T. Quia non poterant intelligere, quid circumciſio, quid res ſignata. *Inſt.* ab analogia Cœnæ: *Indigne manducant, quia non diſcernunt corpus Chriſti*, 1 *Cor.* 11. Ergo etiam indigne baptizantur. Quia non diſcernunt ſanguinem Chriſti quo abluuntur: par ratio utrobique eſt. *Reſpond.* Falſum hoc. Nam Sacramentum baptiſmi, eſt Sacramentum receptionis in Eccleſiam: Sacramentum autem Cœnæ eſt, confirmationis & nutritionis, quod ordinatum eſt, non infantibus, ſed adultis, qui ſe ipſos probare debent, & mortem Domini annuntiare.

Obj. III. Si baptizetur infans, quomodo poſſet eſſe certus in adulta ætate, ſe eſſe baptizatum? Cur ergo baptizatur? *Reſp.* Non tollitur certitudo. Nam de facto ad minimum duos aut tres teſtes habere poteſt. At vero credendum duobus, juxta mandatum Dei, *In ore duorum* &c. *Inſt.* Dari poteſt talis caſus, ut nemo ſuperſit qui teſtari poſſit, utrum fuerit baptizatus, nec ne, quid hic faciendum, ſi conſcientia fluctuet? *Reſp.* Si non conſtet; ad ipſius conſcientiam tranquillandam, rebaptizandus eſt.

Obj. IV. Sine quo infantes ſervari poſſunt, ejus non ſunt ſubjectum. Atqui ſine baptiſmo. E. *Reſp.* Negat. Minor, Quod poſſunt ſervari, ſi fiat ex contemtu.

Obj. V. Si infantibus eſt adminiſtrandus baptiſmus; Ergo etiam Cœna Domini. Falſum poſt. Ergo & prius. *Reſp.* Negat. Conſeq. Nam infantes non poſſunt annuntiare mortem Domini, non poſſunt ſeſe probare; quod in Cœna Domini requiritur.

Obj. VI. Cujus neque mandatum, neque exemplum in Scriptura extat: illud non eſt recipiendum: Atqui pædobaptiſmi. Ergo. *Reſp.* Negat. Minor. exſtat enim mandatum Chriſti univerſale: *Baptizate omnes Gentes.* 2. Quia totæ familiæ ſunt baptizatæ. *Inſt.* Chriſtus non jubet baptizari infantes. *Reſp.* Neque jubet baptizari adultos, viros, mulieres, &c.

Obj. VII. Si infantes non poſſunt regenerari, quamdiu ſunt infantes; Ergo baptiſmus, qui eſt lavacrum regenerationis, non eſt conferendus infantibus. Atqui. Ergo. *Reſp.* Negat. Minor; etiamſi enim ea ratione, iiſque mediis non regenerantur infantes, quibus adulti regenerantur; tamen regeneratio ipſorum Spiritui Sancto impoſſibilis non eſt.

Obj. VIII. Si infantes Chriſtum confiteri non poſſunt; Ergo non ſunt baptizandi. Atqui. Ergo. *Reſp.* Negat. Minor, *Pſal.* 8. 3.

Obj. IX. Baptiſmus eſt ſtipulatio bonæ conſcientiæ, 1 *Pet.* 3. *v.* 21. At hoc non eſt in infantibus. Ergo. *Reſp.* Negat. quia ſtipulatio non eſt ipſe baptiſmus, ſed ejus effectus.

Obj. X. Sacramenta N. T. ſunt ſpiritualia. At infantes ſunt toti carnales. E. *Reſp.* Nihil concludit. Quia ideo infantes recipiunt Sacramenta, ut ex carnalibus fiant ſpirituales.

Obj. XI. Si infantes reprobi poſſunt naſci ex parentibus fidelibus; Ergo non ſunt baptizandi. Verum prius. Ergo & poſterius. *Reſp.* ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ad Antecedens, Si conſtet nobis eſſe reprobos.

Obj. XII. Si illi tantum baptizandi, qui ſunt in fœdere: Ergo liberi excommunicatorum non ſunt baptizandi. Verum prius. Ergo. *Reſp*. Non tantum ratio habenda parentum, ſed & avorum, & proavorum.

QUÆSTIO IV.

An in locum Circumciſionis ſucceſſit Baptiſmus?

Reſp. Affirm. Argum. I. *Act*. 2.38, 39, Petrus utitur promiſſione illa, quæ facta eſt circumciſioni ad baptiſmum perſuadendum; Ergo baptiſmus ſucceſſit in locum circumciſionis. Conſequent. quia nulla ratio dari poteſt alia, cur à promiſſione illa argumentaretur Petrus, niſi hoc præſuppoſito, quod baptiſmus ſucceſſerit in locum circumciſionis. *Reger*. Non conſtare de hac re, utrum reſpiciat Petrus ad iſtam promiſſionem ſeu conditionem. *Reſp*. Imo vero maxime conſtat. Quia etiam repetitur ſæpe in S. Literis, & undecumque conferant promiſſionem hanc, videbunt non eſſe aliam, quam Gen. 17, *Ero Deus tuus* &c.

II. *Coloſ*. 2. 10, 11, Paulus argumentatur, nos non debere adhæreſcere cerimoniis V. T. & ſic circumciſioni; eo quod in Chriſto omnia habemus, & inter alia baptiſmum, qui hoc ipſum præſtat, quod circumciſio; Ergo circumciſioni ſucceſſit baptiſmus. *Reger*. Ideo non idem præſtare baptiſmum, quod circumciſio. Nam baptiſmus ſignificat ablutionem noſtri à peccatis per ſanguinem Chriſti: Circumciſio mortificationem veteris hominis. *Reſp*. Unius rei plures poſſunt eſſe fines; & baptiſmus etiam denotat mortificationem veteris hominis: vide verſ. 12, cum dicit, *Conſepultos nos eſſe per baptiſmum in Chriſto*.

III. A ratione: Si agno Paſchali ſucceſſit Cœna Domini, tum etiam circumciſioni baptiſmus. Ratio Conſeq. Quia non videtur, quod, cum uni Sacramento debebat ſubſtitui aliud, cur etiam non alteri; præſertim cum gratia Nov. Teſt. amplior ſit, quam gratia V. T. *Reger*. Si hoc argumentum obtinet, tum etiam debebant aliis Sacramentis ſubſtitui Sacramenta N.T. At nihil ſubſtitutum Mannæ, aquæ ex petra fluenti, &c. de quibus agit 1 *Cor*. 10. *Reſp*. 1. Illa fuerunt Sacramenta extraordinaria. 2. Sacramentum Cœnæ Domini ſuppeditat ea omnia, quæ præſtabat aqua, Manna, Paſcha, &c.

Obj. I. Non potuit baptiſmus cedere in locum circumciſionis, Quia hæc adminiſtrabatur à quovis patrefamilias, aut qui ejus vicem obtinebat: baptiſmus non item. *Reſp*. In circumciſione placuit Deo ita fieri. At non in baptiſmo. 2. Si hoc valeret, nec Cœna Domini ſucceſſiſſet Paſchæ. *Inſt*. At circumciſio etiam à feminis fuit adminiſtrata; Ergo & nunc in N.T. feminis baptizare licet. *Reſp*. Falſum; Zippora perverſo & illaudabili zelo hoc fecit. 2. Fuit hoc ante Eccleſiam conſtitutam.

Obj. II. Circumciſio adminiſtrabatur octavo die: baptiſmus autem quovis tempore. *Reſp*. Non ſequitur. Quia ſimiliter ſe habent, ut Paſcha ad Cœnam Domini. *Inſt*. At dies non erat quid adiaphorum, ſed neceſſarium: Ergo erat de eſſentia circumciſionis; Ergo & baptiſmi erit, ſi circumciſioni ſucceſſit. *Reſp*. Dies non erat adiaphorum, ſed nec abſolute neceſſarium; Ergo non de eſſentia. Quia proſelyti qui convertebantur, non octavo die, ſed infantes circumcidebantur: unde non abſolute fuit neceſſaria, quia circumcidi non potuiſſent.

Obj. III. Baptiſmus confertur maſculis & femellis, circumciſio non item. *Reſp*. Non erant aptæ ad reſectionem præputii. *Inſt*. Ergo nullum iis erat remedium adverſus Originale peccatum. *Reſp*. Falſa hypoth., Acſi Sacramentis tollerentur peccata Originalia ſimpliciter, cum tantum tollantur ſignificative. Femellæ reputabantur circumciſæ in parentibus & viro: hinc opponitur Iſraëlitica puella incircumciſo, *Gen*. 34. 14.

QUÆSTIO V.

An Baptiſmus abſolute ſit neceſſarius ad ſalutem?

Reſp. Negat. Argumentum I. Quia nullum Sacramentum eſt abſolute neceſſarium ad ſalutem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

lutem. Ergo. *Reger. Tit.* 3. *verſ.* 5. At regeneratio eſt abſolute neceſſaria ad ſalutem. *Reſp.* Eſt lavacrum regenerationis, ſed *ſignificative*, non *cauſative*; quia regeneratio eſt opus ſolius Dei.

II. Sacramenta non fuerunt ab Adamo ad Abrahamum; & Paſcha non fuit ab Abrahamo ad exitum Iſraëlitarum ex Ægypto; & tamen fideles ſervabantur, *Heb.* 11. *Reger.* Poterant ante inſtitutionem Sacramentorum homines ſalvari Sacramentis, ſed non poſt inſtitutionem, *Ioan.* 3. *Reſp.* Vanum, quia latro ſine baptiſmo ſalvatus.

III. Circumciſio, in cujus locum ſucceſſit baptiſmus, non erat præciſè neceſſaria ad ſalutem: Ratio; quia quod præſtabat circumciſio in Vet. T. hoc baptiſmus in N. Minor; Nam infantes demum octavo die circumcidebantur. Atqui multi ante octavum diem moriebantur; de quorum ſalute prorſus deſperandum non eſt. Joſua ſpatio quadraginta annorum Iſraëlitas non circumcidit; non tamen qui moriebantur, omnes peribant. *Reger.* Cur ergo à Deo inſtituta, ſi ad ſalutem neceſſaria non fuerit? *Reſp.* Neceſſariam fuiſſe, non *neceſſitate abſoluta*, ſed *ex hypotheſi divini mandati*; ſi nempe potuit fieri juſto tempore, non interveniente aliqua cauſa ſpeciali, ob quam Deus noluit circumcidi aliquos: ut factum in deſerto.

Obj. I. Ioan. 3: *Niſi quis renatus* &c. *Reſp.* Sæpe dicitur in Scripturis unus effectus pendere à duabus cauſis, cum tamen ab una tantum neceſſario pendeat, *Rom.* 10. 9, 10. *Inſt.* Chriſtum oportuit neceſſario baptizari, *Matth.* 3. 15. *Reſp.* Diverſa eſt ratio noſtri. Quia Chriſtum oportebat baptizari, ut ſanctificaret baptiſmum Joannis in ſe ipſo. At nobis hoc non competit. 2. *Oportet* in loco hoc citato non notat *abſolutam neceſſitatem*, ſed *ex hypotheſi divini mandati.*

Obj. II. Purificatur homo per lavacrum aquæ, *Eph.* 5. 26. Ergo eſt abſolute neceſſaria ad ſalutem; *Apoc.* 21. *v.* 22, *Nullum impurum ingreditur* &c. *Reſp.* Purificatur homo baptiſmo *ſignificative*, & *obſignative*; non *realiter* cauſatione phyſica.

Obj. III. 1 *Pet.* 3. 21, dicitur baptiſmus ſtipulatio bonæ conſcientiæ apud Deum. Conſequentia, Nam ſine bona conſcientia nemo ſalvatur. *Reſp.* Dicitur ſtipulatio bonæ conſcientiæ, eo quod ſit ſignum federis inter Deum & hominem initi. Hujus ſtipulationis pars una eſt, quæ exprimitur *Gen.* 17, *Ambula coram me* &c. Non vero quod baptiſmus eſſet ipſa ſtipulatio. Nam hoc eſt abſurdum. *Inſt.* Petrus abſolute monet reſipiſcere, & baptizari, *Actor.* 2. *Reſp.* Falſum eſt: ſic dicitur à Chriſto, non, Qui non crediderit & baptizatus fuerit; ſed ſimpliciter tantum, Qui non crediderit.

Obj. IV. *Gen.* 17. 14. ubi non circumciſus exſcindebatur è populo; Ergo non baptizati, ſervari non poſſunt. *Reſp.* Exſcindi è populo, non ſignificat hic, damnari; ſed non numerari inter populum Iſraëliticum.

QUÆSTIO VI.

An Baptiſmus ſit ſimpliciter, & ut medium ſalutis, neceſſarius, ita ut, ſi quis non baptizetur, pereat?

Bellarm. affirm. Argum. I. Organum ſalutem conferens, eſt ſimpliciter neceſſarium. At tale eſt baptiſmus. Ergo. *Prob.* quia *Act.* 22, ei tribuitur ablutio, remiſſio, regeneratio. Ergo. *Reſp.* Neg. Min. neque ex loco allegato probari poteſt: nam ſæpe tribuitur ſigno quod eſt rei ſignatæ; ita & hic aquæ & baptiſmo tribuitur quod ſignati eſt proprium.

Inſt. Cujus reſponſionis exemplum nullum poteſt dari, illa non eſt vera. Hæc eſt talis. Ergo. *Reſp.* 1. Major non eſt ſimpliciter vera, quia non eſt opus exemplo, ubi ratio manifeſta datur. Multa enim ſunt, & ea veriſſima, quorum exempla ex Scriptura dari non poſſunt: non dantur enim in Scriptura omnium exempla. 2. Sed data Conſequentia, negatur tamen Minor, & enſtaſi tollitur ex Sacra Cœna, quia ibi de pane dicitur, *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis traditur*; tribuitur pani quod eſt corporis, ſic etiam calici quod eſt ſanguinis. Pariter ergo & in baptiſmo.

Inſt. ex *Eph.* 5. 26. Lavacrum aquæ, de quo hic agitur, eſt baptiſmus. Lavacrum gratiæ confert gratiam. Ergo. *Reſp.* Poteſt dari, quod con-

conferat gratiam, ſcilicet ſacramentaliter & ſignificative, non vero realiter.

Inſt. Improprium ſignificatum, non ſignificat totum aliquod. Hic de baptiſmo tota ablutio dicitur. Ergo non ſignificative, ſed proprie & realiter. *Reſp.* Falſa Major, & infinitis enſtaſibus tolli poteſt. Nam, v. g. Panis dicitur corpus improprie, totum tamen corpus Chriſti ſignificat. Calix ſanguis dicitur improprie, totum tamen notat ſanguinem.

Inſt. Eodem modo tribuitur baptiſmo ſalus, quomodo Arcæ Noæ tribuitur conſervatio, 1 *Pet.* 3. At Arcæ efficienter. Ergo & baptiſmo. *Reſp.* Falſa præſupp. hypoth. Quod, ſi qualiſcumque ſit comparatio, debet eſſe per omnia membra ſimilis: quod falſum. v. g. Dicitur Chriſtus Petra, & Petra dicitur ſecuta Iſraëlitas; diverſo tamen reſpectu & modo, id de Chriſto & Petra dicitur. Nam Petra tantum paſſive in efluxione aquæ ſe habuit; at Chriſtus in diſtributione bonorum, aliter.

Inſt. Si ſalus baptiſmo tribuitur tantum ſignificative & obſignative, tum baptiſmus nihil differt à prædicatione Verbi. Hoc falſum. Ergo & illud. *Reſp.* Neg. Conſequentia: quia ſunt gradus obſignationis & ſignificationis. Verbum ſignificat & obſignat gratiam, ut Verbum; Sacramenta, ut ſigna. Perinde ſe res habet, ut in diplomate alicujus Principis: epiſtola quidem obſignat illud quod promittit Princeps; ſed ſi accedat ſigillum, tum aliquid aliud, & majorem confert auctoritatem.

Argum. III. *Sine quo in æternum pereundum*, illud abſolute neceſſarium ad ſalutem. Sine baptiſmo, quia ſine eo obnoxii ſumus mortis æternæ reatui. Ergo. *Reſp.* diſtinguendo: Sine quo, ſi haberi non poſſit, æternum pereundum, illud eſt abſolutè neceſſarium. At ſic cadit Minor, quia certiſſima eſt regula, Non privatio, ſed contemtus Sacramenti damnat; & quidem contemtus in illis qui rationis ſunt compotes, alias infantibus parentum contemtus non ita nocet.

Inſt. Quod eſt abſoluti præcepti, illius non datur limitatio. At talis baptiſmus: quia ſi non abſoluti, tum conditionalis. At non hoc. Ergo. *Reſp.* Limito Majorem: Quod eſt ita abſoluti præcepti, ut nullus caſus detur, in quo illud non obliget; tum verum. At ſic cadit Minor: v. g. Præceptum de ſanctificando Sabbato eſt præceptum abſolutum, ſi verba ſpectes; attamen dantur caſus, aut Sabbatum erit ſanctificandum, aut proximo ſuccurrendum: poſterius ſane faciendum eſt. Ita & baptiſmus ſi poſſit haberi, tum abſoluti eſt præcepti: at caſus, ubi haberi non poteſt, dantur. Hinc illa Theolog. regula: Præcepta affirmativa non omni tempore obligant. Veluti illud: Dabis eleemoſynam, ſed ſi habebis quod des, & cum dabitur occaſio: niſi enim quis habeat unde det, certe tum dare non tenetur, imo ne poteſt quidem.

QUÆSTIO VII.

An aliis, præter Verbi Divini Miniſtris, baptizare liceat?

Bellarm. affirm. Argum. I. Philippus non fuit Miniſter Verbi. Philippus baptizavit. Ergo quibuſdam, qui non ſunt Miniſtri, licet. *Act.* 8. *Reſp.* ad Majorem, quod Philippus vel fuit Propheta, vel Apoſtolus, vel Evangeliſta. Non Propheta, nec Apoſtolus, ſed Evangeliſta. Et ſic recte dicitur Verbi Miniſter. Proinde negata Majori nihil concluditur.

Argum. II. *Actor.* 8: Ananias homo privatus baptizabat. *Reſp.* Negatur, fuiſſe hominem privatum: ex eo enim quod baptizavit, liquet, cum ſaltem fuiſſe ex Diſcipulis illis 70, vel aliis Apoſtolorum Diſcipulis. Et ſufficit nobis, talem fuiſſe, qui divinitus jubebatur facere hoc: hoc autem ipſum fecit eum Miniſtrum.

Argum. III. *Actor.* 10. Quidam, qui cum Petro erant, baptizabant juſſu Petri, nec tamen fuerunt Apoſtoli. Ergo. *Reſp.* Vti in omnibus reliquis, ita & in hoc Argumento præſupponitur falſa hypoth. Quod tempore Apoſtolorum prorſus nulli Miniſtri Verbi fuerint præter Apoſtolos: quod falſum; uti liquet ex eo, quod Barnabas fuerit. Item, *Actor.* 20, Epiſcopi fuerunt: Et quia Apoſtoli ad certa loca non fuerunt obligati, ſed huc & illuc migrabant prædicando, neceſſario habuere ſuos Miniſtros, qui prædicabant in locis illis.

Ar-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Argum. IV. *Actor.* 2, dicuntur 3000 baptizati die illo. At ab Apoſtolis fieri hoc non potuit. Ergo Laïci baptizabant quoque. *Reſp.* Non ſequitur: Nam ſi hoc Apoſtoli non poterant perficere, tum aſſumſerunt Diſcipulos; quia præter illos 70, quos Chriſtus vocaverat, etiam Apoſtoli ſuos habuerunt Diſcipulos.

Argum. V. Eodem modo ſe habet baptiſmi adminiſtratio, quo circumciſionis. At ibi à quovis fieri poterat. *Reſp.* Eodem modo convenit baptiſmus cum circumciſione, ſed in eo in quo ſucceſſit ei. Atqui non in omnibus ſucceſſit. Quod autem in N. T. in eo non ſucceſſit baptiſmus circumciſioni, liquet vel ex eo, quod in N.T. eſt perſona certa à Deo deſtinata, nempe quæ prædicat.

QUÆSTIO VIII.

An baptiſmus ita tollat peccata, ut prorſus non ſint?

Bellarm. affirm. Argum. I. Si baptiſmus non tantum reatum & realem inhæſionem peccati tollit, tum non eſt vera analogia ſigni cum re ſignata. Hoc falſum. Ergo. *Reſp.* Dupliciter tolli dicitur, vel realiter, vel ſacramentaliter. Si in poſteriore ſumatur, tum concedimus; ſi prius, tum negamus.

Inſt. Si in legitimo uſu baptiſmi res ſignata confertur; tum ſequitur, in legitimo uſu baptiſmi tolli penitus peccata. Conſeq. vera. alias non conſtaret analogia hæc: Ut aqua perfecte ſordes corporis, ſic ſanguis Chriſti perfectiſſime ſordes animæ abluit. *Reſp.* Negatur Conſeq. & ratio eſt, quia hic inſtituitur analogia non in modo, ſed gradu rei: Sicut aqua abluit, ita & ſanguis Chriſti: non autem in gradu rei.

Inſt. Si reatus tollitur, tollitur pœna. Aſt peccatum in nobis eſſe, eſt pœna. Ergo hæc tollitur. *Reſp.* ad Majorem, Quod peccatum in fidelibus non ſit pœna proprie dicta, neque malum proprie dici poteſt: hinc 2 *Cor.* 12, *Sufficiat tibi gratia mea.* Nam & peccata fidelibus in bonum cooperantur: ut in fratribus Joſephi, in crucifigentibus Chriſtum, videre eſt; quanquam hoc non fit natura ſua, ſed aliunde.

Argum. II. Rom. 6. 23: *Si cum Chriſto conſepulti ſumus*, & prorſus ſumus mortui peccato; & ſic in nobis nullum manet. Atqui. Ergo. *Reſp.* Argumentum hoc eſt metaphoricum, &, ſi ad proprium revocetur, ſenſus erit, Peccatum in fidelibus non regnare: At quid hoc ad rem? Si non regnat, non ſequitur, Ergo non eſt prorſus.

Argum. III. Si peccatum fidelibus inhæret, Ergo juſtificatio non eſt perfecta. Atqui. Ergo. *Reſp.* Neg. Conſeq. quia falſa præſupponitur hypoth., Nos propria juſtitia inhærente juſtificari: & juſtitiam ſeu juſtificationem noſtram conſiſtere in ablutione peccati penitus: quod falſum, quia conſiſtit in pronuntiatione juſti, & in peccatorum noſtrorum tectione. *Pſal.* 32.

QUÆSTIO IX.

An baptiſmus Ioannis idem fuerit cum baptiſmo Chriſti?

Bellarm. negat. Argum. I. Quod erat Joannis, non erat Chriſti. At baptiſmus. Ergo. *Reſp.* ad Majorem, diſtinguendo, Quod Joannis, ut principalis cauſæ, erat, ita non poterat eſſe Chriſti: At ſic cadit Minor; quia baptiſmus, ejus erat, ut cauſæ inſtrumentalis. Hinc, *Ioan.* 1, dicit, *Qui miſit me ad baptizandum.*

Inſt. Baptiſmus Joannis nullibi baptiſmus Chriſti vocatur. *Reſp.* Falſa hypoth., Quod dicitur Joannis, & non Chriſti, id tantum Joannis fuit: quia 1 *Cor.* 10 dicitur baptiſmus Moſis, interim non erat ille baptiſmus Moſis ſimpliciter & proprie, quia, *Hebr.* 15, Moſes dicicitur *Fidelis ſervus in Domo Domini.* Et quod Minor etiam falſa ſit, liquet vel ex eo, quod *Ioan.* 1, dicitur: Dicit, ſe miſſum eſſe ad baptizandum. At Chriſtus, qui eſt Deus, mittit cum Patre & Spir. Sancto. Ergo & ejus dicitur baptiſmus ille, qui dicitur Joannis.

Inſt. Si ideo Joannis dicitur, quod adminiſtravit baptiſmum, tum etiam dici poterit baptiſmus Pauli, Petri, &c. Hoc falſum. Ergo. *Reſp.* Imo potuiſſet; ſed quia jam inde ſectæ aſſurgebant, 1 *Cor.* 3, *Ego ſum Pauli*, &c. ideo non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

non permiſerunt Apoſtoli, ut ibi Paulus oſtendit.

Argum. II. Baptiſmus Joannis & Chriſti differunt forma, quia ille in remiſſionem peccatorum, Chriſtus in nomine Trinitatis baptizavit: Ergo non ſunt unum. *Reſp.* Negat. Major: & probatio ejus nihil facit, quia baptiſmus non poteſt fieri niſi in iſtos tres, Patrem, Filium, & Spir. Sanctum. Hinc *Act.* 19, quidam cum dicerentur eſſe baptizati, Paulus eos non recipit pro baptizatis hoc nomine, quia non erant baptizati in nomine Spir. Sancti: *In quid ergo baptizati eſtis?*

Argum. III. Baptiſmus Joannis contradiſtinguitur baptiſmo Chriſti, quia Joannes dicit, *Ego aqua, ille Spiritu baptizat.* Ergo non ſunt unus. *Reſp.* Negatur Anteced. quia ibi non baptiſmi contradiſtinguuntur, ſed hoc quod Miniſter dat, nempe elementum, contradiſtinguitur à re ſpirituali vel re ſignata, quam dat Deus.

Argum. IV. Si omnes Judæi tempore Joannis baptizati fuerunt, & tempore Pentecoſtes iterum baptizati ſunt, tum baptiſmus Joannis & Chriſti non ſunt unus. At *Marc.* 1. *Act.* 2. Ergo. *Reſp.* 1. Negatur Minor. quod enim non omnes & ſinguli baptizati fuerint, liquet *Luc.* 7. 30. 2. Dato non conceſſo, omnes incolas Judeæ à Joanne fuiſſe baptizatos: tamen die Pentecoſtes non ſolum incolæ, ſed etiam ex omnibus & variis gentibus baptizati ſunt.

Inſt. Joannes, ultimus Prophetarum, pertinuit ad V. Teſt. Ergo non habuit Sacramentum Chriſti, quod eſt N. T. *Reſp.* Negatur Antecedens; quia Lex & Prophetæ uſque ad Joannem: imo ille debebat præparare viam Domini, & corda Patrum convertere. Neque autem Chriſtus minor ideo dicitur reliquis, quod fuerit V. Teſt. Miniſter; ſed eo quod, ut multi Prophetæ & Reges cupivere videre ſalutis noſtræ opus, ita & Joannes viderat quid Chriſtus: ſed complementum ejus non vidit; hoc enim eſt longe maximum, adeo ut Angeli, 1 *Petr.* 1, dicantur cupiviſſe in hoc introſpicere.

QUÆSTIO X.

An Confirmatio ſit Sacramentum?

Argum. I. In confirmatione reperiuntur omnia eſſentialia Sacramenti; quia ibi reperitur promiſſio ſpiritualis, ſignum viſibile & gratia, atque mandatum divinum. Ergo eſt Sacramentum. *Reſp.* Minor negatur. *Prob.* Quoad promiſſionem *Ioan.* 14. 26. Ubi promittitur donatio Spiritus Sancti, ibi eſt promiſſio ſpiritualis. Atqui in confirmatione. Ergo. *Reſp.* Neg. Minor, quia locus adductus plane nihil facit pro confirmatione.

Inſt. Si donatio Sp. Sancti non niſi per manuum impoſitionem fit, tum promittitur ibi in confirmatione. Atqui. Ergo. *Reſp.* Eſt fallacia plurium interrogationum. Nam 1, oſtendendum eſſet, per manuum impoſitionem denotari confirmationem: quod falſum; quia neque ipſa definitio confirmationis, quam Pontificii dare ſolent, quadrat impoſitioni manuum, neque etiam imponuntur manus, ut aliquid ſignificent, ſed ut precentur. Hinc etiam Chriſtus impoſuit manus puerulis, h. e. precabatur, & quaſi Deo eos devovebat hac cerimonia.

Inſt. Attamen legimus, ſæpe datum eſſe Sp. S. ad impoſitionem manuum. *Reſp.* Datur quidem Sp. Sanctus, ſed non ad impoſitionem manuum tanquam ſignum, ſed ad preces quæ per manuũ impoſitionem fiebant, datus eſt. Perinde eſt ac ſi quis argumentaretur, Elias precatur, *Si ſervus tuus ſum, oſtende hoc, demitte ignem,* &c. nemo certe dicet ad hoc ſignum delapſum eſſe ignem, ſed ad preces.

Inſt. Simon Magus ſi ex eo petiit impoſitionem, ut poſſet per impoſitionem manuum aliis impertiri Spir. Sanctum, tum per impoſitionem manuum datur Spir. Sanctus. Verum prius. Ergo. *Reſp.* Diſceptant Theologi inter ſe, fueritne impoſitio ſignum aliquod, an vero geſtus, quo uti ſolent precantes, ut de Jacobo & filiis Joſephi legimus? Quidam ſignum eſſe volunt: ſed hoc nulla ratione probari poteſt. Nam Spir. Sanctus ſæpius quoque conferebatur ad preces. Neque tamen ſequitur, Ergo ad preces, tanquam ad ſignum. Jam quod de Si-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

mone Mago adfertur, reſpondemus, quòd ibi tribuitur impoſitioni quod precum præcipuum eſt. Nam, ut dictum eſt, ad preces dabatur Sp. Sanctus.

Inſt. Quod conſtat ex rebus & verbis gratiam obſignantibus, illud eſt Sacramentum. At confirmatio, &c. Ergo. *Reſp.* limit. Major.: Quod conſtat ex verbis & rebus gratiam obſignantibus ex inſtituto & mandato Divino, illud eſt Sacramentum. At ſic cadit Minor.

Inſt. 1 *Ioan.* 2, 10, Minor negata probatur. *Reſp.* Nihil ibi agitur de confirmatione, ſed de unctione. Non autem ſequitur, Fit ibi unctionis mentio, Ergo confirmatio eſt. Nam ſi ubique, dum fit mentio unctionis, intelligeretur confirmatio, tum & *Hebr.* 1, *Deus tuus unxit te*, cum potius accipi debeat pro donis internis Spiritus Sancti, & metonymia effecti pro cauſa Spir. Sancti.

CAPUT XXIV.
De Cœna Domini.
QUÆSTIO I.
An Cœna Domini ſub utraque ſpecie ſit adminiſtranda?

Reſp. Affirm. Argument. I. In prima inſtitutione ſic eſt adminiſtrata. *Reger. Bellarminus:* Tantum ſolis Apoſtolis hoc à Chriſto factum eſt. *Reſp.* At ſanguis Chriſti ad omnes fideles ad Cœnam accedentes ſpectat; Ergo illis omnibus ſub utraque ſpecie eſt adminiſtranda.

II. 1 Cor. 11. *Ego accepi à Deo* &c. Ergo ſub utraque ſpecie accepit. *Reger. Tradidi* non ſignificat *percepi*. *Reſp.* Apoſtolus in his verbis reſpicit ad hoc, quod Chriſtus dicit in diſtributione panis & calicis, *hoc facite*.

III. 1 *Cor.* 11, ſub utraque ſpecie adminiſtrari mandat. *Reger.* Non ſt hic mandatum. *Reſp.* Imo: dicitur enim, *probet ſeipſum homo, & ita de pane illo edat* &c.

Obj. I. *Actor.* 2. *v.* 46, mentio tantum fit fractionis panis. *Reſp.* Non agitur ibi de Cœna Domini, ſed de communi Cœna: additur enim, *Et accipiebant cum exultatione.* *Inſt.* Imo clare fit mentio Cœnæ, *Actor.* 20. *v.* 7. ubi conveniunt ad frangendum panem. *Reſp.* Eſt locutio ſynecdochica: Nam fit mentio panis, incluſo, non excluſo calice; alioquin neque Paulus fuiſſet particeps calicis.

Obj. II. In Paſchate non fuit calix, Ergo nec in Cœna Domini eo opus eſt. *Reſp.* Falſum. Nam ibi poculum fuit, *Luc.* 22. *v.* 15. hoc v. poculum diverſum à poculo Cœnæ Domini, cujus mentio *verſ.* 20. *Inſt.* Saltem Manna erat, & nihil habebat quod poculo æquivaleret. *Reſp.* Falſum, 1 *Cor.* 10. fuit enim aqua fluens ex petra, quæ reſpondebat calici noſtro.

Obj. III. Ubi corpus, ibi ſanguis. *Reſp.* Cur vero & Sacrificuli præter panem accipiunt calicem, ſi in pane eſt per concomitantiam ſanguis? Et ſi in pane eſt per concomitantiam ſanguis, etiam in vino erit per concomitantiam corpus. *Inſt.* Non eſt hoc abſurdum. *Reſpond.* Si in Cœna Domini non datur corpus qualecunque, ſed mortuum; nec ſanguis qualiſcunque, ſed effuſus: tum corruit iſta concomitantia. Nam in mortuo corpore non eſt ſanguis, nec effuſus ſanguis eſt in corpore.

Obj. IV. Si Chriſtus & Apoſtoli Laïcis non porrexerunt poculum; Ergo jure ipſis eripitur. Verum prius. Ergo. *Reſp.* Minor falſa, 1 *Cor.* 11. *Inſt.* Toties ſolius benedicti & fracti panis fit mentio. *Reſp.* Eſt locutio ſynecdochica, qua totum indigitatur per partem. *Inſt.* Corpus Chriſti crucifixum habuit ſanguinem, *Ioan.* 19. 34. Ergo etiam corpus quod nobis traditur in Cœna Domini. *Reſp.* Corpus Chriſti nobis proponitur cum omnibus vulneribus. *Inſt.* Tale corpus nobis datur, quale dabatur Apoſtolis, cum ad menſam ſederet Chriſtus, & Cœnam inſtitueret. Atqui iis datum eſt corpus vivum. *Reſp.* Hypoth. falſa; acſi non potuiſſent eſſe participes corporis Chriſti, antequam crucifixum eſſet. *Inſt.* Si corpus Chriſti non mortuum, ſed vivum, nobis eſt cauſa vitæ; Ergo nobis traditur corpus vivum. Verum prius. Ergo. *Reſp.* Negat. Minor. *Inſt.* Oppoſitum non poteſt eſſe cauſa oppoſiti. At ſi corpus Chriſti mortuum nos vivificat, oppoſitum erit cauſa oppoſiti. Ergo. *Reſp.* Corpus mortuum conſideratur vel *realiter* & *phyſice*, vel *objective*, ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

cauſa meritoria: priori modo eſt oppoſitum; poſteriori modo non item, ſed potius ſubordinatur: ſubordinata autem non pugnant.

Obj. V. In qualibet ſpecie invenitur tota eſſentia ac ratio Sacramenti. Ergo. *Reſp.* Negat. Major: quia Chriſtus, quantum ad corpus, non ſignatur ſacramentaliter in ſpecie vini; nec quantum ad ſanguinem in ſpecie panis: perfecta refectio non eſt, niſi in utraque ſpecie.

QUÆSTIO II.

An Cœna Domini ſit Sacramentum? Reſp. *Affirm.*

Obj. I. Si lotio Chriſti, quam præſtitit Apoſtolis, non eſt Sacramentum; Ergo nec Cœna Domini. At lotio Chriſti non eſt Sacramentum. Ergo nec Cœna Domini. *Reſp.* Conſeq. nulla. *Inſt.* Quodcunque in Sacramento requiritur, hoc in lotione pedum reperitur. Nam reperitur ſignum, lotio pedum; & res ſignata, humilitas. *Reſpond.* Hæc ratio nulla; nam lotio quidem erat ſignum humilitatis, non tamen propterea lotio pedum erat Sacramentum: & ratio eſt, Quia nulla eſt analogia inter lotionem pedum & humilitatem; ſed lotiō pedum eſt effectus humilitatis. *Inſt.* Si lotio & ablutio in baptiſmo eſt Sacramentum; cur non etiam lotio pedum eſt Sacramentum? At lotio baptiſmi eſt Sacramentum. Ergo & lotio pedum. *Reſpond.* Propterea non eſt Sacramentum; quia in baptiſmo res ſignata eſt Chriſtus purgans nos ſanguine à peccatis: hoc in lotione pedum non reperitur. *Inſt.* Si in lotione pedum humilitas reperitur, reperitur Chriſtus; Quia extra Chriſtum nulla eſt virtus, ac proinde nec humilitas. At humilitas reperitur in lotione pedum. Ergo Chriſtus; Quia nulla virtus reperitur extra Chriſtum. *Reſp.* Conſeq. nulla. Nam ſic, quoties legi congruum aliquid præſtaremus, reperiretur ibi Sacramentum.

Obj. II. Si Cœna Domini eſt Sacramentum; ſequitur neceſſario, rem ſignatam eſſe Chriſtum. At non eſt ibi Chriſtus. Ergo. *Reſp.* Falſum. Nam ipſa verba inſtitutionis hoc inferunt. *Inſt.* Si Chriſtus eſt; aut vivus, aut mortuus erit. At non vivus, ut noſtri fatentur; non mortuus. Ergo nullo modo eſt. Quod mortuus non ſit, ita probo: Quod non eſt amplius, illud non eſt in Cœna Domini. Chriſtus non eſt amplius; mortuus enim eſt. Ergo non eſt amplius in Cœna Domini mortuus. *Reſp.* Eſt mortuus præſens fidei. Quia fidei ut futura præſentia, ita & præterita. *Inſt.* Fides non ita definitur in Epiſtola ad Hebr. 11. 1: *Eſt autem fides illud, quo ſubſiſtunt quæ ſperantur* &c. Hinc fides reſpicit futura, non præterita. *Reſp.* Ibi quidem definitur per reſpectum ad futura; ſed non ſequitur propterea, quod nimirum fides non reſpicit præterita. Nam in Symbolo Apoſtolorum dicimus: *Credo Chriſtum natum, paſſum,* &c.

QUÆSTIO III.

An Chriſtus in Cœna Domini revera exhibeat corpus ſuum in mortem traditum?

Reſp. Affirmativa ex inſtitutione patet.

Obj. I. Quod non eſt, non poteſt exhiberi. Atqui corpus Chriſti amplius tale non eſt, & ſanguis ipſius. Ergo. *Reſp.* Etiam hoc quod non eſt, ſed fuit, poteſt dari à Chriſto fideli, & à fideli fide percipi. *Contra:* Hoc quidem legi, quod fides percipit futura tanquam præſentia; ſed nunquam legi, quod præterita capiat. Si fides reſpicit futura, non reſpicit præterita. Atqui fides reſpicit futura. Ergo non præterita. Quod probo *Heb.* 11. 1. *Reſp.* Fides non tantum futura, ſed & præterita concernit & apprehendit, ut clariſſime oſtenditur in Symbolo Apoſtolorum: *Credo, qui natus, qui paſſus eſt.* *Contra:* Sp. Sanctus objecta fidei recenſens in Epiſtola hac, objecta fidei futura oſtendit. vide *v.* 13, 14. *Reſp.* Ita quidem; ſed ſunt etiam præterita: *Per fidem credimus, mundum eſſe compactum ex non apparentibus.* *Contra:* Ego vero ita oſtendo eſſe, ut dico. Si Chriſtus nobis dat corpus, tum dat carnem ſuam. Abſurdum poſterius. Ergo & prius. *Reſp.* Negat. *Prob.* Quod reprehendit Chriſtus in Capernaïtis, hoc & in nobis reprehendendum. At reprehendit in Capernaïtis, proprie corpus ſuum manducari. Ergo in nobis reprehendendum. Major certa.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Minor prob. *Ioan*.6. 61, 62. *Reſp.* Reprehendi Capernaïtas, quia putabant, ore corporis manducari corpus Chriſti. 2. Quia putabant, in manducatione carnem abſolute conſiderari, non vero ſpiritualiter. *Contra:* Caro non prodeſt quicquam; Ergo nobis non dat carnem manducandam. *Reſp.* Caro non prodeſt quicquam *abſolute conſiderata*; ſed caro, ut caro *Filii Dei*, illa nobis prodeſt. 2. Caro non prodeſt quicquam *ore corporis* manducata; at *ore fidei* prodeſt. 3. Caro non prodeſt quicquā *abſolute conſiderata*, ſed ut *in mortem* pro peccatis noſtris *tradita*.

Obj. II. Si Chriſtus revera nobis dat corpus ſuum manducandum, & ſanguinem ſuum bibendum in remiſſionem peccatorum: tum ſequitur, nemini contingere remiſſionem peccatorum extra iſtam manducationem. Falſum poſterius. Quia Catechumeni ſalvantur. At Catechumeni non admittuntur ad Cœnam Domini, quia non ſunt baptizati. Catechumenos quoſdam ſalvari, patet; quia quidam ſunt fideles. *Reſp.* Hypotheſis falſa eſt, quaſi tantum in Cœna Domini fiamus participes corporis Chriſti, & non etiam extra uſum Cœnæ. *Contra:* Si etiam extra uſum Cœnæ Domini poſſimus fieri participes corporis Chriſti & ſanguinis ejus; tum fruſtra Cœna Domini inſtituitur. Abſurdum poſterius. Ergo & prius. *Reſp.* Si fructus idem ſequatur per omnia. At non idem. Nam plura vincula magis ſtringunt: promiſſio tantum eſt in manducatione ſpirituali; in ſacramentali, & promiſſio, & ſigillum. *Contra:* Ex quo medio ſalus conſequitur, illo medio non eſt opus præſtantiori aliquo. At ex ſola ſpirituali manducatione ſalus conſequitur. Ergo ſacramentali opus non erit. *Reſp.* Vera Major, niſi Deus juſſerit aliud. id quod oſtendo exemplo: Fides implicita ſalvat, Ergo non eſt danda opera ut habeamus explicitam. 2. Non opus, niſi Deus mandat. At contrarium Deus mandat; vult enim ut creſcamus in pietate.

QUÆSTIO IV.

An panis mutetur in corpus, & vinum in ſanguinem?

Reſp. Neg. Argumentum I. Pugnat cum conceptione & nativitate Chriſti. Nam Symbolum Apoſtolorum, natum eſſe dicit ex Maria virgine; quomodo vero fieri poteſt quotidie ex pane? *Reger.* Non eſt abſurdum. Quia qui fit ex pane, non eſt diverſus ab eo qui natus eſt ex Virgine. *Reſp.* Contradictoria ſunt iſta, Eſſe jam natum, & quotidie fieri; quod termini iſti oſtendunt.

II. Ergo Chriſtus quotidie naſcitur mortuus. At hoc abſurdum. Conſeq. Cujus ſanguis eſt extra corpus, ille eſt mortuus. At hic, ſi ex pane fit corpus Chriſti, ſejunctum à vino; & ex vino rurſum ſejuncto ſanguis: tum ſanguis hic totus erit extra Chriſti corpus. Ergo ex pane & vino quotidie naſcitur mortuus Chriſtus. *Reger.* In ſanguine eſt corpus per concomitantiam; & contra. *Reſp.* Ineptum. Nam ſic Chriſtus quotidie bis crearetur, & fieret à Sacrificulo, 1. Ex pane. 2. Ex vino.

III. Senſus teſtatur, in Cœna Domini poſt conſecrationem panem & vinum eſſe; quod argumentum à ſenſu firmum eſt, *Luc.* 24. 39. *Reger.* Non ubique credendum eſt ſenſibus, quia ratio pluris eſt, quàm ſenſus. *Reſp.* Eſto: ſed tamen hic nullum dubium eſt, quia videmus & panes mutari, & in vermes converti: & vinum acedinem contrahere.

Obj. I. Hoc eſt corpus meum. At à proprietate verborum ſine neceſſitate non recedendum. *Reſp.* Si res ita eſt; Ergo ſic dicendum eſt, Hoc eſt corpus meum mutatum. Quia *eſt* ibi non copulabit proprie aliàs, ſed improprie. *Inſt.* *Hoc* non poteſt de pane accipi; quia panis eſt generis maſculini, *hoc* vero neutrius. *Reſpond.* Pronomen *hoc*, nunc ſumitur *ſubſtantive*, nunc *adjective:* hic vero quia ſumitur ſubſtantive, negatur Conſeq. quia vel tironibus notum illud, quod pronomen *hoc*, idem eſt, quod *hæc res*, cujuſcumque tandem generis ſit illa: vide authenticam Pontificiorum verſionem, *Zach.* 1. *verſ.* 9.

Obj. II. Verba Chriſti proprie ſunt intelligenda. Teſtamentum enim ideo datur, ut intelligatur. *Reſp.* Major eſt falſa. Nam aliàs & *poculum N. T. eſt in ſanguine meo*, deberet proprie capi: quod illi tamen negant. *Inſt.* Debent eſſe perſpicua. Quia teſtamentum Chriſti con-

tinet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

tinet dogma fidei; omnia autem fidei dogmata propriè accipienda. *Reſp.* Falſum, *Ioan.* 15, à *v.* 1, ad 8. *Matth.* 11.28, 29, 30.

Obj. III. Quia panis non differt à pane communi. *Reſp.* Imo differt, ſed non *naturâ*, verum *uſu* & *fine*. Quia utimur pane in Cœna Domini tanquam ſigno corporis Chriſti: quod non fit in quotidiano panis & vini uſu.

Obj. IV. Si panis & vinum mutatur in Cœna Domini; tum ſequitur, non manere panem, neque manere vinum. Verum prius. Ergo. *Reſp.* Si mutatur & ratione *naturæ*, & ratione *uſus*: at ratione *uſus tantum* mutatur. *Contra:* Si mutatur fine, ſeu uſu; tum ſequitur neceſſario, mutato uſu panis, mutari panem. *Reſpond.* Negatur. *Probo:* Si finis panem facit medium: Ergo mutatur natura. Atqui finis facit panem medium. Ergo mutatur natura. *Reſp.* Mutatur σχετικῶς ſeu *relative*, ſed non *phyſice*, ut panis ſit ſignum veri corporis Chriſti, & vinum veri ſanguinis Chriſti: non verò ut tranſeat; ut panis mutetur in corpus Chriſti. *Contra:* Imo verò ut mutetur. Si dicitur corpus Chriſti, tum certe eſt corpus Chriſti. Verum prius. Ergo. Majoris ratio: *Dici de aliquo, requirit ineſſe. Reſp.* Dici de aliquo *proprie:* atqui hic tropus eſt. *Contra:* In teſtamentis nullus poteſt eſſe tropus. Ratio eſt; Quia teſtamenta debent eſſe perſpicua, liquida. Cœna Domini eſt teſtamentum. *Reſp.* Major falſa, Quod teſtamenta ſemper ſint propriis verbis concepta: teſtamentum Jacobi, teſtamentum Moſis, &c. aliud evincit.

Obj. V. Si corpora noſtra participant de corpore Chriſti, tum panis mutatur in corpus Chriſti. Ergo. Major certa. Quia corpus noſtrum non poteſt eſſe particeps ſpiritus, ſed corporis. Minor certa. Nam ſi corpus noſtrum non fiat particeps corporis Chriſti, non poteſt ſalvari. *Reſp.* Non poteſt ſalvari, niſi fiat particeps, ſed *mediate*, mediante ſcilicet fide. Fides enim capit pro toto homine. *Contra:* Si impii fiunt participes corporis Chriſti, tum certe non fiunt per fidem. Atqui impii & infideles fiunt participes corporis Chriſti. Ergo fiunt non per fidem. Major certa, quia infideles non habent fidem. Minor *prob.* 1 Cor. 10. 3, 4, 5: *Et omnes eandem eſcam ſpiritualem edebant: & omnes eundem potum ſpiritualem bibebant. Bibebant enim ex ſequente Petra: Petra vero erat Chriſtus. Sed pleroſq; illorum non habuit gratos Deus.* Hinc ſi eamdem eſcam nobiſcum comedebant, tum Chriſti corporis erant participes. Verum prius. E. Quod vero reprobi fuerint, patet quia dicit, *Pleroſque eorum non habuit gratos. Reſp.* Eamdem eſcam quoad *ſignificationem* & *ſignum*, non *quoad rem ſignatam. Probo*, quoad rem ſignatam; Quia ſunt rei corporis Chriſti. Qui ſunt rei corporis Chriſti, illi participes facti corporis Chriſti. Atqui ſunt rei. Probatur 1 *Cor.* 11. 29. *Reſp.* Rei corporis Chriſti *ſpreti* & *contempti*, non verò *accepti.*

QUÆSTIO V.

An corpus & ſanguis Chriſti in, cum, & ſub *pane lateat?*

Reſp. Negat. Argumentum I. Pugnat cum aſcenſione Chriſti ad cælos. *Reger.* Non ſequitur. Quia ita Chriſtus ad cælum aſcendit, ut cælos capiat, *Act.* 3. 21. *Reſp.* Ambigua phraſis eſt in Græco textu. Nam ita ſonat, *Quem oportet cælos capere*; ita ut inde poſſit cogitari, quod vel ille cælos ceperit, vel cæli ipſum. At Sp. Sanctus ambiguitatem iſtam tollit, qui ubique in Scripturis, dum de aſcenſione agit, docet, conſediſſe ipſum ad dextram Patris in cælis. Ergo *in, cum,* & *ſub* pane non latitat.

II. Venturus eſt judicare vivos & mortuos. Si venturus eſt, Ergo non eſt in mundo. *Reger.* Tò venire Chriſtum ad extremum judicium, nihil aliud ſignificat, quam quod fiet viſibilis; cum nunc inter nos verſetur inviſibilis. *Reſp.* Nullo apice Scripturæ nititur hæc explicatio; & præterea refellit Spirit. Sanctus, quia deſcribens adventum iſtum, dicit, quod cum nubibus ſit venturus, *Apoc.* 1. 7.

III. Si eſt *in, cum,* & *ſub* pane, tum hæc propoſitio, *panis eſt corpus Chriſti*, non erit propria, ſed impropria; cum tamen nolint concedere, impropriam eſſe. Conſeq. Nam nominare continens, & intelligere contentum, non eſt proprie loqui; id quod vel ipſorum explicatio oſtendit. Nam cum quærimus, quomodo hæc propoſitio accipienda, *panis eſt corpus Chriſti?* ſic explicant: In pane eſt corpus Chriſti. *Reger.* Modi iſti loquendi ſunt uſitati: verbi gratia,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

cum porrigo alicui ſaccum cum avena, dico, Ecce avenam: Item, cum porrigo cantharum plenum vino, dico, Ecce vinum. *Reſp.* Non quia uſitati, propterea proprii. Nam uſitatiſſimi modi loquendi Scripturæ ſunt in Sacramentis, ut ſignum deſignet rem ſignatam; non tamen hi modi propterea proprii ſunt.

Obj. I. Deus eſt omnipotens; Ergo poteſt efficere, ut corpus Chriſti non tantum ſit in cælis, ſed & in pane. *Reſpond.* Ignorantia Elenchi; non enim quæritur, quid poſſit Deus; ſed, quid ſe declaraverit facere. *Inſt.* Deus poteſt quæ naturæ ſunt impoſſibilia; Ergo poteſt etiam, ut corpus Chriſti ſit in cælis, & in terra. *Reſp.* Diſtinguuntur impoſſibilia. Nam ſunt vel *natura*, vel *naturæ*: Quæ impoſſibilia natura, illa Deus non poteſt. Quia contradictionem implicant; dicunt enim idem eſſe & non eſſe: quod eſt mendacium. Quæ naturæ ſunt impoſſibilia, hæc Deus poteſt.

Obj. II. Qui ſedet ad dextram Dei, eſt ubique. At Chriſtus. Ergo. Et ſic *in, cum,* & *ſub* pane. Conſequent. Quia dextra Dei non eſt in loco, ſed ubique. *Reſp.* Dextra Dei non eſt in loco, nec tamen hoc ſequitur. Nam *dextra Dei* ſumitur vel pro *potentia Dei*; vel in complexo, *ſedere ad dextram Dei*, notatur *majeſtas dignitatis*. Quæ ergo Conſequent. ſi dicamus: Chriſtus quatenus Mediator, quoad dignitatem, ratione muneris mediatorii, ſedet ad dextram Dei: Ergo eſt ubique? *Inſt.* Non tantum dicitur ſedere ad dextram Dei, ſed & habere hypoſtaſin τοῦ λόγου, quæ infinita eſt: Ergo ubique eſt. *Reſpond.* Præſupponitur hypoth. falſa, quaſi ὑπόστασις ſit infinita vel finita τοῦ λόγου, cum non cadant iſta in modos eſſentiæ, ſed in ipſam eſſentiam.

Obj. III. Si corpus Chriſti non eſſet *in*, *cum*, & *ſub* pane; tum propoſitio, *panis eſt corpus Chriſti*, non ſtaret. *Reſp.* Evertunt iſti propoſitionem ſuam; nam, ſi *in, cum,* & *ſub* pane eſt corpus Chriſti; tum hæc propoſitio, *panis eſt corpus Chriſti*, erit impropria. *Inſt.* Promiſit Chriſtus, ſe nobis adfuturum uſque ad conſummationem ſeculi; Ergo etiam eſt *in*, *cum* & *ſub* pane. *Reſp.* Promiſit adfuturum ſe nobis ratione *divinitatis*, non *humanitatis*: id quod Apoſtolis prædixit, *Pauperes ſemper habebitis vobiſcum, me vero non ſemper.*

QUÆSTIO VI.

An ſit tropus in verbis, Hoc eſt corpus meum?

Reſp. Affirm. Quia diſparata non poſſunt de ſe invicem in caſu recto prædicari.

Objic. Verba teſtamenti proprie ſunt intelligenda. Atqui hæc ſunt verba teſtam. Ergo. *Reſp.* Major falſa. Nam multi occurrunt tropi in teſtamento Jacobi, *Gen.* 44. &. *Exod.* 33. *Inſt.* Alia ratio teſtamentorum V. T. alia N. T. Quia in V. T. omnia obſcuriora. *Reſp.* Non quæritur de eo, ſed quæritur de ratione formali teſtamentorum. *Inſt.* Teſtamentum tropicis verbis conceptum, non poteſt conſcientiam hominis reddere tranquillam. Atqui hoc teſtamentum debet. Ergo. *Reſp.* Si ita tropicis verbis conceptum, ut ignoretur, verba eſſe tropica. 2. Si non determinaretur à contextu, quo ſignificatu ſint accipienda.

QUÆSTIO VII.

Utrum tropus ſit in prædicato, ſubjecto, vel copula?

Reſp. In copula. Argumentum I. Eo modo ſe habent verba iſta, *Hoc eſt corpus meum*, ut ſe habent verba, Luc. 8. 11, *Semen eſt verbum Dei.* & Gen. 41. 6, *Septem vaccæ ſunt ſeptem anni.* At in his in copula eſt tropus. Ergo & hic. Conſeq. quia de ſimilibus eſt idem judicium. *Reger.* Diverſi generis eſſe propoſitiones iſtas. Nam poſteriores non ſunt ſacramentales, ut eſt prior. *Reſp.* Convenire in hoc, ut quemadmodum ibi *eſt* accipitur pro *ſignificat*, ita hoc loco etiam.

II. Ut ſe iſta propoſitio habet, Gen. 17, *Circumciſio eſt fœdus.* & Exod. 12, *Paſcha eſt tranſitus Iehovæ*; ita & hic. At in illis tropum eſſe in copula, patet. Ergo. *Reger.* Sacramenta differre à ſe invicem. *Reſpond.* Nos hoc fateri. ſed utut differunt in ſpecie, in genere tamen conveniunt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

veniunt in hoc, quod ſcilicet ſignum ſignificat rem ſignatam.

III. Diſparatum cum diſparato non poteſt copulari. At, *panis eſt corpus Chriſti*, ſunt diſparata. Ergo non poſſunt copulari, niſi copula tropo adjecta. *Reger.* At poteſt convenire, ſi tropus ſtatuatur in prædicato; ut ſit, *panis eſt corpus Chriſti*; id eſt, ſignum corporis Chriſti. *Reſp.* Non jam ſic diſparatum de diſparato prædicatur. Nam pani optime convenire poteſt, ut ſit ſignum corporis Chriſti; at non poteſt convenire, ut ſit corpus Chriſti.

Obj. I *Bellarmini*: Hoc verbum *eſt* habet ſignificationem ſimpliciſſimam & communiſſimam, ita ut alia verba reſolvantur in hoc, & aliquid aliud inferatur: ut, *homo ambulat*, id eſt, *homo eſt ambulans*. *Reſp.* Non ſequi: quia alia quoque verba poſſunt in hoc & aliud referri: Ergo proprie ſemper debent accipi; ut, *homo eſt ambulans*, proprie accipitur. At hæc, *Herodes eſt vulpes*, improprie. Semper ergo ſignificatio verbi eſt ex rerum natura metienda. *Inſt.* Si vox ſimpliciſſima, Ergo non niſi proprie accipi debet. *Reſp.* Si ſimpliciſſimam ita dicunt, ut non poſſit tropo affici, tum falſa eſt propoſitio iſta. Si ſimpliciſſimam dicunt ita, ut copulet quidem, ſed aliquando improprie, tum loquuntur contra ſe, & noſtram cauſam promovent.

Obj. II. Hoc verbum ſubſtantivum, *eſt*, in omni propoſitione copula eſt, conjungens ſubjectum cum prædicato; Ergo ſuam ſignificationem non poteſt amittere, & aliam admittere. *Reſp.* Non poſſe amitte ſed eam ſemper habere, licet non propriam, ſemper. *Inſt.* Atqui pudet aliquos tropum ſtatuere in copula *eſt*, ſed ſtatuunt in prædicato: unde apparet, doctrinam non eſſe ſatis firmam. Noſtrum non eſt alienam culpam propellere; dicimus ſaltem convenientius tropum locari in copula, quam in prædicato. Ratio, Quia ſi erit in prædicato, talis erit reductio ad propriam, *panis eſt ſignum corporis Chriſti.* Unde jam quærunt Adverſarii: Anne corpus in mortem traditum? Minime certe, ſed corpus quod frangitur. At ſi dixerimus, in copula; quæſtioni iſti locus non eſt. Nam ita dicendum erit: *panis ſignificat verum corpus Chriſti.*

Obj. III. *Eſt* nihil ſignificat, niſi conjunctionem unius cum altero; Ergo non eſt in eo tropus aliquis. *Reſp.* Negat. Conſequent. Nam licet conjunctionem ſignificet, poteſt tamen eſſe tropica, non propria; & hic in verbo tropus erit. Item Paulus, 1 *Cor.* 10. 16, cum dicit, *panis quem frangimus, nonne communio eſt?* &c. Hic verbum, *eſt*, non ſumitur ὑπηρετικῶς, ſed χετικῶς· & tamen conjungit extrema, ſic ut communicatio corporis Chriſti de pane prædicetur; quæ non poteſt eſſe propria prædicatio. *Inſt.* Nullus rhetor ſcripſit, tropum poſſe fingi in verbo *eſt*: Ergo hæc opinio ex imperitia ſaltem nata eſt. *Reſp.* Imo hoc argumentum ex mera inſcitia eſt profectum. Nam omnes intelligunt, in parabolis & impropriis locutionibus vocabulum *eſt* non poſſe proprie accipi, ſed habere impropriam ſignificationem: ut, verbi gratia, *Circumciſio eſt fœdus*; *Petra eſt Chriſtus*, &c.

QUÆSTIO VIII.

An fractio panis in Cœna Domini ſit adiaphorum quid, vel neceſſarium?

Reſp. Poſt. affirm. Argument. I. Chriſtus juſſit hoc fieri. Nam poſtquam accepiſſet & fregiſſet, dixit, *Hoc facite in mei commemorationem* &c. Ergo neceſſario debemus hoc facere. *Reger. Hoc* referri ad *accipite, comedite*; non ad antecedentia, *fregit, dedit. Reſp.* 1. Nulla ratione hoc probari poteſt. 2. Quomodo poſſet accipi, ſi non detur? & quomodo dabitur, ſi non frangatur? cum unus panis ſolitus ſit diſtribui utentibus Cœna Domini, 1 *Cor.* 10. 17.

II. Apoſtoli frangebant, *Act.* 2. 20. Unde per ſynecdochen *fractio panis*, vocatur *Cœna Domini. Reger.* Vocem *frangendi* ſæpiſſime uſurpari pro *diſtributione.* Adferunt locum *Matth.* 15. 36. ubi piſces dicuntur *fracti*, id eſt, diſtributi. *Reſp.* Hoc affertur contra inſtitutionem Cœnæ Domini. Nam *fregit* diſtinguitur à *dedit*, id eſt, diſtribuit: Ergo non ſunt idem.

III. A myſterio fractionis, Paulo explicante 1 Cor. 11, *quod pro vobis frangitur*; Fra-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ctio notat aliquid, quod contigit in corpore Chriſti. Ergo non omittenda. *Reger.* Nihil magis contrariari, quam hoc ipſum. Nam clariſſime loquitur de Chriſto, *Os non frangetur in eo:* quod in corpore Chriſti fuit. *Reſp.* Non ſignificat proprie, ſed analogice: omnis enim divulſio partium analogice reſpondet fractioni. Quod enim eſt fractio in partibus duris & ſolidis, id divulſio in partibus mollibus & flexibilibus.

Obj. I. Si fractio eſt neceſſaria; ſequitur, multas Eccleſias condemnandas eſſe, quæ panem non frangunt: ut Lutheranam &c. *Reſp.* Non propterea condemnandæ ſunt, ſed reprehendendæ, quod à mandato Dei hac in parte diſcedant. *Inſt.* Fractio aut adiaphora, aut neceſſaria: ſi adiaphora, tum non abſolute neceſſaria: ſi abſolute neceſſaria, condemnandæ ſunt, quod neceſſarium hunc ritum omittant. *Reſp.* Neceſſaria quoque non ſunt æqualia. Nam ex his quædam talia ſunt, quæ etſi negligantur, non tollitur fundamentum penitus; qualia plurima adferri poſſunt: ut, feminæ neceſſum eſt in Eccleſia caput operire; ſi tamen hoc non fit, non tamen propterea deſiit eſſe fidelis.

Obj. II. Quod ingreditur definitionem Cœnæ Domini, abſolute neceſſarium eſt. At Paulus dicit, *Panem quem frangimus*, &c. *Reſp.* Quod ingreditur definitionem, ut Sacramentum conſtituens, illud eſt ſumme neceſſarium, & abſque eo Cœna Domini eſſe non poteſt. At fractio non ſic eſt, ſed ut Sacramenti integrans. Quia manet eſſentia ejus ſine fractione, licet ritus patiatur defectum.

Obj. III. Si panis ideo non datur in Euchariſtia, ut nutriat corpus: Ergo licet uti placentis orbicularibus. Verum prius. Ergo non opus fractione. *Reſp.* Neg. Minor: quia requiritur vis nutriendi, non ut corpus noſtrum in uſu Cœnæ Dominicæ nutriat, ſed ut vim corporis Chriſti, in animabus noſtris ſpiritualiter nutrientis, repræſentet & obſignet. *Inſt.* Hoſtias eſſe commodiores pro ſenibus & aniculis, qui panem ſolidiorem comminuere non poſſunt. *Reſp.* Argumentum nihili; nam cibarius panis, exemplo Chriſti, poteſt adhiberi, qui etiam à ſenibus facile comminui poteſt.

Obj. IV. Panis grandioris uſurpationem verba inſtitutionis non præcipiunt: Ergo non neceſſaria eſt fractio. *Reſp.* Falſum hoc eſſe, exemplo Chriſti evincitur, qui panem cibarium in inſtitutionem Cœnæ aſſumpſit. *Inſt.* Hoſtiæ ab Eccleſia antiqua fuerunt uſurpatæ. Ergo. *Reſp.* 1. Hoc valet potius de pane, utpote à tempore Chriſti. 2. Ab Antichriſto primum contra inſtitutionem Chriſti ſunt uſurpatæ; Ergo rejiciendæ.

QUÆSTIO IX.

An hoc verum, quod noſtri Theologi dicunt, Ad quem res ſignata pertinet, ad illum & ſignum?

Reſp. Falſum. Nam res ſignata Cœnæ Domini pertinet ad infantes. Neque enim quis ſalvari poteſt, niſi credat in Chriſtum, *Joan.* 3. *verſ.* 15. Nec tamen ad illos pertinet Cœna Domini. Proinde puto, ita corrigendum illud Theologorum enuntiatum: Ad quos pertinet res ſignata, ad illos ſignum, niſi circumſtantiæ quædam impediant; jam autem, in Agno Paſchali impediebant circumſtantiæ, ne ſigno uterentur, quod ſtantes, quod lumbis accincti comedere debuerunt. Jam in Cœna Domini quod jubentur commemorare mortem Domini, jubentur ſe ipſos probare, atque ita de pane edere & de calice bibere, &c.

QUÆSTIO X.

Utrum antitypus ſemper ſignificet rem ſignatam, & non typum aliquando?

Ratio dub. Quia Theologi plerique dicunt, antitypum ſemper rem ſignatam ſignificare. *Reſp.* Hoc falſum. Nam antitypus etiam aliquando ſignum ſignificat: ita verbi gratia, 1 *Pet.* 3, Arca dicitur antitypus eſſe baptiſmi noſtri: ita *Heb.* 9, tabernaculum dicitur à Moſe conſtitutum eſſe antitypus veri Tabernaculi, id eſt, corporis Chriſti.

QUÆ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

QUÆSTIO XI.

Quomodo firmare poſſint fidem noſtram Sacramenta, cum totam fidem obtineant ex Verbo Dei; nam videtur Verbum Dei ſufficere, & Sacramentorum uſus nullus eſſe?

Reſp. Verbum quidem docet, quæ & qualia debent eſſe Sacramenta, ſed efficaciam ipſis non addit in confirmando, ſed tantum de officio teſtatur & de uſu Sacramentorum. Verbi gratia, Scriptura S. teſtatur de Sp. S. & de teſtimonio ipſius, quòd teſtatur in cordibus noſtris: attamen non dat efficaciam iſti teſtimonio; ſed teſtatur, quæ ſit illa efficacia; nam efficaciam illam nos ipſi ſentimus in cordibus noſtris; ita etiam efficaciam Sacramentorum in confirmanda fide noſtra ipſimet experimur & ſentimus.

QUÆSTIO XII.

Anne uſus Sacramentorum poſſit eſſe aliquis in iſtis hominibus, qui ſæpe obdureſcunt, etiamſi fideles ſint, ita quidem ut in ipſo uſu Sacramentorum nullo fidei ſenſu ſe affici ſentiant?

Reſp. Utut in præſenti ſæpe uſum ſuum non obtinent, attamen in futuro obtinent, cum nempe ad ſe ipſos redeunt: & ratio iſtius *prima* eſt hæc, Quia in iſtis habet uſum Verbum Dei, etiamſi non tunc cum induruerant. Ergo etiam & uſus Sacramentorum. Et ut non debent tum repelli tales; ita etiam non debent repelli ab uſu Sacramentorum. 2. Patet hoc ex circumciſione, quæ ſæpe ab hominibus perturbatiſſimis adminiſtrata, ut videre licet in Zippora & Moſe filium ſuum circumcidentibus.

QUÆSTIO XIII.

An corpus Chriſti realiter & ſubſtantialiter ſit ſub ſpecie panis & vini?

Bellarm. affirm. Argum. I. Si in Euchariſtia non eſt ſub ſpecie panis & vini, corpus & ſanguis Chriſti ſubſtantialiter, tum figurata, ſcil. Cœna Domini, non erit præſtantius figurato, ſcil. Mannâ. Hoc abſurdum. Ergo prius verum. *Reſp.* Falſa hypoth. præſupponitur, quod Manna fuerit typus Sacramenti Nov. Teſtament. *Prob.* Manna aut fuit typus ſacrificii Chriſti, aut Sacramentorum. At non Chriſti. Ergo Sacramentorum & beneficiorum ejus. *Reſp.* Eſt inſufficiens enumeratio; Neutrum horum fuit, ſed fuit ſignum. Jam autem differunt iſta, typum, &, ſignum eſſe: ut, v. g., panis eſt ſignum corporis Chriſti, ſic & manna fuit ſignum Chriſti, at non typus: latius enim patet typus, quam ſignum; neque enim omne ſignum eſt typus.

Inſt. Si Patres V. T. Manna utentes, non fuerunt participes corporis Chriſti, tum eorum ſacrificia non fuerunt typi corporis Chriſti. *Reſp.* 1. Conſeq. negando, Quia dicimus fuiſſe ſignum, & quidem ſignum legitime utentibus. 2. Minor falſa: 1 Cor. 10, *Eandem eſcam nobiſcum* &c. *Excip.* ad locum 1 *Cor.* 10: Quorum unum mortem, alterum vitam adfert, illa non ſunt eadem. Sed illorum eſca mortem; illorum, vitam adfert. Ergo. *Reſp.* 1. Major falſa; quia idem Evangelium eſt quibuſdam odor mortis ad mortem, aliis odor vitæ ad vitam: unum tamen eſt. 2. Minor negatur, ſcil. in iis qui legitime utebantur: comedebant quidem omnes eſcam ſpiritualem, ſed non ſpiritualiter omnes, ideoque non in omnibus vita ſecuta eſt.

Inſt. Si eandem eſcam ſpiritualiter omnes edebant, tum omnes eam legitime comedebant. Verum prius. Ergo. *Reſp.* Eſca ſpiritualis ſignificat vel rem ſignatam vel ſignum: quod ſignum, ratione finis ad quem deſtinatum, ſpirituale dicitur; Comedebant ergo omnes eſcam ſpiritualem, quatenus ſignum erat ſpirituale, ſed ſolum legitime utentes rem ſignatam habebant.

Inſt. Joan. 6. 58. Si Patres poſt receptionem Mannæ non fuerunt participes rei ſignatæ, tum non fuit eis ſignum. Atqui. Ergo. *Reſp.* Minor negatur, ſi de omnibus & ſingulis intelligatur: neque poteſt ex textu probari, quia eſt indefinita propoſitio, & æquipollet particulari, non vero univerſali.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Inſt. Quod nondum erat immolatum, ejus non poterant eſſe participes. Corpus Chriſti. Ergo. *Reſp.* Negatur Conſequentia. Ratio; quia etiam ea quæ futura ſunt, fidei ſunt præſentia, ſicut *Hebr.* 11, Apoſtolus fidem deſcribit, ita & hoc eis fuit præſens.

Argum. II. Quo modo quid percipitur, ita eſt. At corpus Chriſti corporaliter percipitur. E. in Cœna corporaliter eſt. *Reſp.* Major diſtinguitur, Prout quid percipitur, ita eſt, ſcil. velut hoc quod naturale eſt, tale percipitur. v. g. Cogitat aliquis de re materiata, quæ circumſtantiis veſtita eſt, iſtam certe non capit corporaliter, ſed per abſtractionem. Ridet hoc Scaliger. Intellectus noſter, inquiunt quidam, fit ſimilis omnibus, Ergo etiam, inquit Scaliger, fit aſinus. Et ſubjicit, Intellectus noſter repræſentat iſta omnia, non vero corporaliter percipit. Cum ergo Major iſta in Philoſophicis non valeat, multo minus valebit in Theologicis; & enkaſi falſitas ejus oſtendi poteſt ex 2 *Cor.* 5: *Nos neminem novimus ſecundum carnem; & ſi Chriſtum novimus, non tamen ſecundum carnem.*

Argum. III. *Ioan.* 6. 53. Si vita æterna non obtinetur niſi per manducationem carnis, potionem ſanguinis, tum corporaliter adeſt. Atqui. Ergo. *Reſp.* Diſtinguimus inter manducationem ſpiritualem & ſacramentalem. Si manducatione ſpirituali, nulli obtingit ſalus; & de hac agimus hoc capite. At in Cœna Domini non eſt ſpiritualis, ſed ſacramentalis manducatio; quod inde patet, quia ſi de ſacramentali ageretur, tum quotquot accedunt ad ſacram Cœnam, haberent vitam æternam. Præſupponitur ergo falſa hypoth. in Argument. quod *Ioan.* 6, agatur de manducatione ſacramentali, cum agatur de ſpirituali.

Inſt. Quomodo omnes auditores verba Chriſti intellexerunt, ſic intelligenda ſunt. At de corporali, &c. Ergo. *Reſp.* Major negatur, quia ſi Major eſſet vera, 1. tum illa verba quoque, Joan. 2, *Deſtruite Templum hoc*, non de corpore ejus, ſed Salomonis Templo, accipienda eſſent; omnes enim ſic intellexerunt eadem. Item illa verba, *Dico vobis, jam veniſſe Eliam*, & multa alia. 2. Proinde Minor negatur; quia certe non omnes, vel ſaltem Apoſtoli, ea non ita intellexerunt.

I. *Prob.* Major: Si aliter intellexerunt Apoſtoli, quam Chriſtus, tunc verba Chriſti irrita fuerunt. Hoc abſurdum. Ergo. *Reſp.* Si *irrita* ſumas pro eo quod *non crediderunt*, tum nulla abſurditas, quia *Ioan.* 12, Chriſtus dicit, *Quis credit ſermoni?* quaſi diceret, Quis acceptat aut credit mihi? Item *Actor.* 14, Apoſtolus de Judæis loquitur: *Poſtquam vos indignos facitis regno Dei.* Si ergo *irritum* ſumatur pro *non acceptari*, tum nihil inde abſurdi. Si verò ſumatur pro *nullum finem habuiſſe*, tum negatur Conſequentia; quia, licet non acceptarint, tamen finem habuit ſibi propoſitum, ſcilicet *ut reddantur inexcuſabiles.*

Inſt. Per illud nemo reddi poteſt inexcuſabilis, quod non intellexit. At verba Chriſti non intellexit. Ergo. *Reſp.* Major falſa de illis qui ſibi ipſis cauſa ſunt quo minus intelligant. Nam tales duplici reatu tenentur: 1. Quod debebant intelligere, non intelligunt tamen. 2. Quod non intellectum ſpernant.

Inſt. 1 *Pet.* 2. 8. Qui poſiti ad aliquid, illi cauſa ſibi non ſunt. Sed hi poſiti ad cæcitatem. Ergo. *Reſp.* Negatur Major: Nam cauſa cæcitatis hujus, vel quod ad hoc poſiti ſint, eſt peccatum, ſi non omne, tamen Adæ, quod Deus omnibus imputat. Licet ergo ipſi ſibi cæcitatem non efficiant, prout aliquis ſe viſu corporali privare poteſt, merentur tamen cæcitatem à Deo.

Inſt. Per quod quis inexcuſabilis redditur, illud debet agnoſcere. At hi non intellexerunt. E. *Reſp.* *limit.* Debet agnoſcere vel hic, vel ibi, ubi ratio danda erit: Licet ergo multi hic non agnoſcant, ibi tamen agnoſcent.

Inſt. Vbi juramentum Chriſti eſt, illud debet intelligi. At hic juramentum. Ergo. *Reſp.* 1. Præſupp. falſa hypoth. quod *Amen* ſit juramentum, cum tamen ſit aſſertio tantum. Tria enim ſunt vincula veritatis: Juramentum, aſſeveratio, aſſertio. 2. Major etiam falſa; & Chriſtus ipſe expreſſiſſimis verbis eam refutat *Ioan.* 3. 11.

II. *Prob.* Minor. Omnes auditores erant Judæi vel Apoſtoli. At neutri horum intellexerunt prout Chriſtus. Ergo. *Reſp.* Ineptè opponi Apoſtolos Judæis, cum & Apoſtoli Judæi fuerint; ſed Diſcipulos non-Diſcipulis opponi. 2. Negatur Minor. Quod enim quidam Diſcipulorum intel-

intellexerint, patet ex reſponſione Petri, *Quo ibimus, tu habes verba vitæ?*

Argum. IV. Si comedentibus datur in Cœna corpus Domini, Ergo ibi localiter adeſt. Atqui. Ergo. *Reſp.* Adeſt, concedimus; ſed adeſt cœnantibus, non autem in Cœna.

Inſt. Si corpus Chriſti adeſt corporaliter, corporaliter etiam editur. Atqui datur; quia *Matth.* 26 dicit, *hoc eſt corpus meum*, dando panem. *Reſp.* Minor negatur; neque poteſt probari ex loco allegato, quia ibi particula *eſt*, non ſumitur niſi ſignificative, prout de circumciſione dicitur, *eſt fedus*, pro *ſignificat.*

Inſt. Si panis eſt tantum ſignum corporis Chriſti, tum corpus Chriſti non debebat adeſſe in Cœna. Atqui adfuit. Ergo. *Reſp.* Adfuit quidem, ſed non in pane; quod concludendum erat: neque etiam ſequitur, Is dedit ſignum corporis ſui, tum non debuit adeſſe. Nequaquam ſequitur: quia enim corpus Chriſti nondum erat immolatum, ſanguis nondum effuſus, dat eis ſignum. Sic ſponſus dat ſignum amoris ſui ſponſæ annulum, cum tamen ipſe ſit præſens. Sunt ergo quædam ſigna, ubi res præſens adeſt: ut comparitio Angelorum in corporibus; ibi corpora nil niſi ſigna ſunt, & Angeli ſunt præſentes. Sed licet hoc demus, tum tamen negabimus, Chriſtum ibi fuiſſe præſentem, ſcil. ſub pane, vel ſub ſpecie panis & vini.

QUÆSTIO XIV.

An illa verba inſtitutionis, Hoc eſt corpus meum, *proprie ſint accipienda?*

Bellarm. affirm. Argum. I. Si hæc verba non proprie accipienda ſunt, tum tropus erit aut in verbis aut in connexione verborum. At neutrum. Ergo. *Reſp.* Tropum eſſe in copula *eſt*, quæ ſumitur pro *ſignificat*: ut in aliis multis locis: v. g. *Septem vaccæ ſunt 7 anni*: *Circumciſio eſt fedus*, &c.

Inſt. Si ita eſt, tum ſubjectum cum prædicato proprie ſumi deberent. *Reſp.* Imo dicimus, proprie ſumi debere.

Inſt. Adjectiva debent jungi ſubſtantivis. Particula *hoc* eſt adjectiva. Ergo non cum pane, ſed cum corpore jungenda erit. *Reſp.* Dicimus, particulam *hoc* ſumi ſubſtantive, prout in locutionibus ſimilibus. *Triſte lupus ſtabulis, maturis frugibus imbres.* Et ex Sacris quoque exempla dari poſſunt: ut *Marc.* 12, 42, *Injecit minuta æreola duo, quod eſt quadrans.* Item *Matth.* 1. 23. *Zachar.* 1. 9. & 4. 4.

Inſt. Res nota nunquam effertur vocabulo indefinito. Panis erat res nota. Ergo particula *hoc* non notatur panis. *Reſp.* Particula iſta *hoc* male dicitur indefinita, quia vel ex Grammaticis notum eſt, particula pronom. demonſtrativi (quod notum & ex Logicis) ſæpe poni individua ſignata, ut & *hoc*, quæ tamen revera ſunt individua definitiſſima.

Argum. II. Sacramenta propriis verbis inſtituuntur. Hoc eſt Sacramentum. Ergo non tropice. *Reſp.* Erat quidem proprie Agnus, ſed non erat proprie Paſcha ſeu tranſitus Domini.

Inſt. Nulla erat analogia inter agnum & tranſitum. Ergo male dicitur agnus ſignum fuiſſe, tranſitus vero ſignatum. *Reſp.* Negat. Antecedens Enthymematis, quia eatenus erat ſignum, quatenus ſanguis ejus poſtibus illitus arcebat & prohibebat Angelum tranſeuntem, ne ſæviret in eorum domus, quorum poſtibus illitus erat ſanguis.

Argum. III. Ubi eſt tropus, ibi additur explicatio in Sacris Literis. At hic nulla datur. Ergo. *Reſp.* Negatur Major: quia non ſemper & ubique explicantur omnia ubi dicuntur, ſed etiam tum explicantur ubi datur juſta aliqua cauſa vel occaſio explicandi. Sufficit ergo quod Scriptura materialiter proponat explicationem horum verborum, licet non formaliter. H. e. ſufficit quod talia in ſe habeat & proponat principia, ex quibus facile quilibet veram interpretationem petere poſſit, modo legitima media explicationis adhibuerit. Si enim Scriptura omnia proponeret, & ſtatim explicaret, quid eſſet opus hominum explicatione?

Argum. IV. Sacramenta N. Teſt. propriis verbis inſtituta ſunt, quia à typis liberati ſumus. Ergo & S. Cœna. *Reſp.* Negat. Major. Nam quicquid tandem dicat Bellarminus, fateri cogitur, vel in illis ſaltem verbis eſſe tropum, ubi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Calix dicitur N. T. Hanc objectionem nullo modo perrumpere poteſt.

Argum. V. Datur ſimilis illatio ex Scriptura: quæ tamen proprie ſumuntur: Ergo & hæc. Anteced. verum, quod probatur, *Matth.* 3. Columba eſt Spir. Sanctus. *Reſp.* negando Anteced. & probatio ejus falſa. Non enim erat Spirit. columba, ſed columba ſignificabat tantum ſpecialem Spir. Sancti præſentiam: ut *Act.* 2, ignis, qui Spir. Sanctus certe non erat, ſed ſignificabat præſentiam.

QUÆSTIO XV.

An panis mutetur in corpus Chriſti, & vinum in ejus ſanguinem?

Bellarm. affirm. *Orthodoxi* negant. 1. Pugnat hoc cum conceptione Chriſti & nativitate. Nam Symbolum Apoſtolicum dicit, Natum eſſe ex virgine Maria. Opinio autem hæc, vult fieri quotidie in pane. *Reſpondent*, Non eſſe hoc abſurdum. *Reſpondemus*, Contradictoria eſſe iſta, Eſſe jam natum & quotidie fieri. Termini hoc ipſi oſtendunt: nam factum eſſe ab annis duobus mille, & quotidie fieri, contradictoria ſunt. 2. Si panis mutatur in corpus Chriſti, vinum in ejus ſanguinem; tum Chriſtus quotidie moritur, ſive naſcitur mortuus. Abſurdum hoc. Ergo & illud. Conſeq. quia cujus totus ſanguis eſt extra corpus, ille mortuus eſt. At hic, ſi ex pane fit corpus Chriſti, ſeorſim à vino; & ex vino ſejuncto à corpore Chriſti, ſanguis: tum ſanguis totus erit extra corpus Chriſti. Sic ergo ex pane & vino quotidie mortuus Chriſtus: quod abſurdum. *Regerunt:* In ſanguine per concomitantiam eſt corpus, & in corpore per concomitantiam eſt ſanguis. *Reſp.* Inepte hæc dici ab ipſis. Nam ſi ita eſſet, Ergo bis fit quotidie Chriſtus ab uno Sacrificulo; ſemel ex pane, ſecundò ex vino. Habemus ergo quotidie Chriſtum duplicem. 3. Senſus teſtantur, in Cœna Domini poſt conſecrationem panem & vinum eſſe: Ergo panis & vinum non mutatur in corpus Chriſti. Conſeq. Nam Argumentum à ſenſibus, firmum eſſe, docet Chriſtus *Luc.* 24. 19. *Regerunt:* Non ubique ſenſibus credendum, neque ubique valet Argumentum ductum à ſenſibus, cum non ubique ratio valeat. *Reſp.* Eſto ita eſſet, tamen hic nullum dubium eſt. (1) Quia Paulus poſt conſecrationem, vocat panem quinquies, 1 *Cor.* 11. (2) Quia videmus & panem molleſcere. 4. Si panis mutaretur in corpus Chriſti, tunc non eſſet Sacramentum: quia ibi tantum eſſet res ſignata abſque vino; quod eſt contra jus Sacramenti & definitionem.

Object. 1. *Bellarm.* urgetque, *Hoc eſt corpus meum.* Hinc à proprietate verborum non eſt diſcedendum abſque neceſſitate. Atqui hæc verba propria ſunt. Ergo. *Reſp.* Si illud, *eſt*, debet converti in *mutatur*, tum non eſt propria. Nam *eſt* copula ibi erit improprie, non proprie.

Inſt. *Hoc* non poteſt de pane accipi, qui eſt maſculini generis; *hoc*, neutrius. *Reſp.* Pronomen iſtud *hic*, *hæc*, *hoc*, aut accipitur adjective, aut ſubſtantive. Hinc ſubſtantive *hoc*, i. e. *hæc res.* Neutro autem modo efferri de diverſis generibus talia, quæ videntur adjective accipienda, & debere ſubſtantive accipi, patet *Marc.* 12. 42.

Object. 2. Verba teſtamenti debent proprie accipi. At hæc verba ſunt verba teſtamenti. Ergo. Major, Quia teſtamentum propter hoc datur, ut intelligatur. *Reſp.* Major eſt falſa. Nam ſi vera eſſet, oportuiſſet, & iſthæc verba, *Hoc poculum eſt N. T. in meo ſanguine*, proprie etiam accipienda eſſe: quod adverſarii non concedunt.

Inſt. Imo debent eſſe verba propria. Chriſti enim teſtamentum continet dogma fidei: omnia autem dogmata debent proprie accipi. *Reſp.* Et hoc falſum eſt, & multis exemplis refutari poteſt. vide *Ioan.* 15. 1, 8. *Matth.* 11. 28, 29.

Object. 3. Niſi panis mutetur in corpus Chriſti, & vinum in ejus ſanguinem; tum ſequetur, panem, quo utimur in Cœna Domini, & vinum, non differre ulla ratione à pane & vino, quo quotidie utimur in uſu communi. Hoc abſurdum. *Reſp* Conſeq. negatur. Differt quidem, ſed non natura, verum fine & uſu. Nam utimur pane in Cœna Domini tanquam ſigno corporis Chriſti, quod nobis ſignet & obſignet corpus Chriſti: quod non fit in quotidiano panis & vini uſu.

Inſt. Hoc non ſufficit. Nam ſi non mutetur panis in corpus Chriſti, & vinum in ſanguinem Chriſti, quomodo infideles fiunt rei corporis

Chri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Chriſti? *Reſp.* Rei ſunt non *accepti*, ſed *ſpreti* & *contemti* corporis Chriſti.

CAPUT XXIV.

De ſtatu hominis poſt hanc vitam.

QUÆSTIO I.

An animæ piorum ſtatim fruantur æterna felicitate poſt hanc vitam?

Affirm. Argument. I. Latroni dixit Chriſtus, *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Ergo. Minor, *Luc.* 23. 43. *Reger.* Illud *hodie*, referri ad *dico*, non ad *eris*; adeo ut ſit ſenſus: *Amen dico tibi hodie, eris mecum* &c. ſcilicet poſt reſurrectionem. *Reſp.* Falſa eſt tortura Scripturæ: Nam Chriſtus latroni reſpondet ad illud *quando*, per *hodie*: nempe ut memor ſit ſui, quando futurus ſit in Paradiſo; & ſic Chriſtus dicit, *hodie eris.*

II. Apoc. 14. *Beati qui moriuntur amodò*: Ergo ſtatim ſunt in felicitate. *Reger.* Addi iſta, *& opera eorum ſequuntur eos.* Ergo non ſtatim ſunt beati, ſed poſt judicium. *Reſp.* Ita quidem Beza vertit, ſed Grammatici aliter vertunt. Nam habent aliud, quòd verbum ἀκολουθέω conjunctum cum præpoſitione μετὰ, non *ſequitur*, ſed *comitatur* ſignificet: quaſi dicat, Opera eorum comitantur eos; & certe niſi comitarentur opera, non eſſent beati futuri amodò ſimulac moriuntur.

III. *Hebr.* 12. *v.* 20. Ubi dicuntur eſſe in cælis ſpiritus juſtorum conſummatorum primogenitorum. Ergo. *Reger.* Scripturam ibi de Angelis loqui. *Reſp.* Valde abſurde. Nam *verſ.* 22, contradiſtinguuntur Angeli iſtis primogenitis, de quibus *verſ.* 23. Præterea in Epiſt. ad *Coloſſ.* 1. 20, dicuntur reconciliati cum Deo qui in cælo; non autem poteſt hoc accipi de Angelis, qui nunquam erant inimici Dei.

Obj. I. *Matth.* 11, Mortui non ſunt; Ergo nec fruuntur felicitate. Minor; *Propterea quod non ſint.* *Reſp.* Non erant in vivis ſcilicet; non tamen ideo poſſunt dici, non eſſe ſimpliciter. *Inſt.* Imo non poterant eſſe; quia Scriptura teſtatur, quod anima cujuſque animantis, atque adeo etiam hominis, ſit in ſanguine, *Levit.* 17. *v.* 11: ac proinde cum ſanguis non ſuperſit à morte; nec anima. Ergo. *Reſp.* Loqui Spir. Sanctum de animantibus brutis: quod inde conſtat, quia loquitur de animantibus ſacrificandis: hæc vero bruta fuerunt.

Obj. II. Anima extra corpus nihil ſentire, nihil operari poteſt: Ergo non fruitur felicitate, ſeparata à corpore. Conſeq. quia corpus eſt inſtrumentum animæ. *Reſp.* Actiones animæ duplices eſſe; quaſdam quæ ſunt organicæ, quaſdam vero ipſi peculiares, quæ non ſunt organicæ: ad priores utitur corpore, ut inſtrumento: ad poſteriores minime; ut Philoſophi docent de hac re. *Inſt.* Si ita eſt; Ergo anima ſeparata à corpore vivit, audit, ſentit; & ſic erit ſenſibus prædita extra corpus: quod abſurdum. *Reſp.* Non ſenſibus, ſed aliquibus facultatibus, quæ analogiam habent cum ſenſibus externis. Certe Angeli analogice vident, audiunt; cum tamen ſenſus exteriores non habeant, ſed aliquid his analogum: ita ſentiendum etiam de anima.

Obj. III. Totus homo moritur; Ergo & anima. *Reſp.* *Totus homo* moritur, ſed non *totum hominis.* Nam hæc diſtincta ſunt. *Inſtant:* Mors opponitur vitæ, & eſt privatio totalis vitæ, opponitur vitæ totius compoſiti: Ergo non poſt mortem vivit anima. *Reſp.* Opponitur vitæ totius compoſiti, ſed non vitæ animæ. Nam hoc notandum, vitam compoſiti eſſe vitam accidentalem; vitam animæ eſſe vitam eſſentialem, & differre has vitas toto genere: Nam vita animæ, non niſi annihilationi opponitur; vitæ compoſiti, mors tantum.

QUÆSTIO II.

An reprobi à morte ſtatim pœnas gehennales patiantur?

Reſp. Affirm. Argumentum I. 1 *Petr.* 3. 19. *Spiritibus qui ſunt in carcere*, hoc eſt, gehenna, *prædicavit*: Ergo ſtatim cruciatus patiuntur. Conſeq. quia infernus eſt locus pœnarum. *Reger.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Socin. Non conſtare de eo, quid per *carcerem* ibi intelligatur. *Reſp.* Imo facile ex eo conſtat; quod quemadmodum fideles à morte, ratione animæ, ſtatim in cælum deferuntur; ita infideles in infernum amandantur.

II. *Iudæ verſ.* 7, Ignis æterni pœnam dicuntur ſuſtinere Sodoma & Gomorrha: Ergo ſequitur, à morte ipſos pœnas infernales pati. *Reger. Socin.* ridicule, Iſta eſſe figurata; quia ignis in inferno, ex ſententia noſtra, non futurus eſt. *Reſp.* Inepta præſupp. hypoth. ut, ſi una vox in contextu figurata ſit aut tropica, oporteat omnia in eodem contextu eſſe figurata. Verum quidem eſt, quod *ignis* improprie capiatur hoc loco, ſed *pœnam ſuſtinere* proprie. Et præterea ſi ignis improprie ſumatur, debet revocari ad aliquod proprium; quod erit, *pœnas exquiſitiſſimas ferre in inferno.*

III. *Luc.* 16, de Epulone. *Reger.* Eſſe parabolam, unde nihil poteſt probari, niſi ratione ſcopi. *Reſp.* Dubium eſt, ſitne Parabola, an hiſtoria vera: & ratio dubitationis hæc eſt, quod perſona proprio nomine recenſetur in hac hiſtoria; quod in parabolis fieri non conſuevit. 2. Obtinet Argumentum ſuum pondus ex oppoſito. Quia ſi fideles ſtatim à morte æterna gaudia percipiunt; Ergo infideles, pœnas.

Obj. I. Moriuntur morte æterna, Ergo non ſuperſunt; & ſic nihil patiuntur. *Reſp.* Mors æterna non dicitur ex *defectu vitæ*, ſed *qualitate vivendi*; quod Argumenta in contrarium lata, oſtenderunt. *Inſt.* Si in æternum eſſent paſſuri reprobi pœnas; tum Deus merito injuſtitiæ argui poſſet. Ratio: Quia propter actum finitum, non eſt conveniens juſtitiæ, pœna infinita puniri. Abſurd. prius. *Reſpond.* Non fuit ex ea cauſa, quia actus finitus, ſed quia in objectum infinitum, nempe Deum, committitur.

Obj. II. *Eccleſ.* 12. Si anima reproborum ſupereſſet à morte, utique rediret ad Deum. At non redit ad Deum. Ergo & ſic nihil patitur. Conſeq. quia de omnibus ibi ſermo eſt. *Reſp.* Redit ad Deum vel miſericordem & placatum in Chriſto, vel iratum & vindicem, ut eorum, qui infideles mortui ſunt. *Inſt.* Spiritus redit ad Deum, qualem ipſe dedit. Ergo. *Reſp.* Falſa hypoth. præſuppon. Quaſi, cum Deus animam dat vel creat in homine, non imputet ei peccatum Adæ, & propterea morte ſpirituali puniat: &, ita rem habere, liquet Pſalm. 51, *In peccatis conceptus ſum.*

Obj. III. 1 *Cor.* 15. *verſ.* 16, 17, Chriſtus eſt cauſa meritoria reſurrectionis: Ergo reprobi non reſurgunt. Nam reprobis Chriſtus nihil meritus eſt. *Reſpond.* Reſurrectionis ad vitam eſt cauſa meritoria Chriſtus: reſurrectionis ad mortem non item; ſed decretum & potentia Dei: hinc Hebr. 9, *Statutum eſt omnibus ſemel mori, & poſtea judicium. Inſt.* Deus eſt ſumme miſericors, Ergo ſi eos non ſit ſalvaturus, nec excitabit; ſufficeret enim illis, gaudia cæleſtia non percipere. *Reſpond.* Eſt quidem miſericors, ſed non omnium tamen miſeretur, *Rom.* 9. *verſ.* 15. Sed etiam eſt juſtus: & quidem juſtitia ejus comparatur igni, *Deut.* 4. 24.

QUÆSTIO III.

An impii ſint reſurrecturi?

Reſp. Affirm. Argum. I. Joan. 5. v. 19: *Et prodibunt qui bona fecerunt*, &c. *Reger. Socin.* Hæc verba Chriſtum explicare per *exitium* & *τὸ perire*, *Matth.* 10. 28: unde, ſi perdet, non ſuperſunt. *Reſp.* Ita perdet, ut interim exitium & ſupplicium æternum paſſuri, *Matth.* 25. 45.

II. *Dan.* 12. 2. Ad opprobrium & contemptum æternum quidam reſurrecturi. *Reger.* Ex hoc loco evinci, non omnes reſurrecturos. Quia dicit, *multi ſurgent. Reſp.* 1. *Multos* ibi accipit pro *omnes*, ut ſæpe accipitur, *Rom.* 5. *v.* 19. 2. Certum eſt, nec omnes reſurrecturos ex pulvere terræ; neque enim omnes morituri. 1 *Cor.* 15. 51.

III. 1 Corinth. 5. *Vt unuſquiſque reportet.* Ergo. *Reger.* Si locus quoad verba debet accipi, Ergo anima non patietur, ſed ſolum corpus. *Reſp.* Non dicit tantum in corpore recepturos; ſed quæ in corpore fecerunt, id eſt, quæ in vita ſua commiſerunt.

Obj. I. *Eccleſ.* 7. 1. Melior eſt dies mortis, quam nativitatis: Ergo reprobi non reſurgent. Conſequent. Si enim ipſis reſurgendum eſſet, utique deterior dies mortis, quam nativitatis, eſſet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

eſſet. *Reſpond.* Imo vero. Nam hominem reprobatum ſatius erat nunquam naſci, aut ſtatim perire, quam diutius peccata cumulare. Ergo locus valet, non de impiis & reprobis, ſed fidelibus, cum hi multis gradibus (impii nempe) pejus poſt mortem habituri.

Obj. II. 1 *Theſſ.* 4. 16. Omnes qui reſurgent, illi fuerunt mortui in Chriſto: At illi ſoli fideles ſunt. *Reſp.* Excluſiva illa nulla eſt. *Inſt.* Excluſivam dari. Nam quemadmodum qui vivi relicti, rapiendi ſunt in occurſum Domini, ut ſint ſemper cum eo, *verſ.* 17; ita & illi qui reſurgent. At omnes qui reliqui erunt, rapientur in occurſum Domini: unde liquet, ibi inter vivos nullos impios relictum iri. *Reſp.* Particula illa, *nos*, oſtendit, Paulum non agere de reproborum reſurrectione & ſalute, ſed electorum.

Obj. III. Pœna non eſt ſublata in reprobis; Ergo manet perpetuo mors corporalis, quæ eſt pœna peccati. *Reſp.* Licet non tollatur pœna, tamen per potentiam & juſtitiam Dei excitantur, ut pœnæ æternæ locus eſſe poſſit. *Inſt.* 1 Joan. 3, *Qui non diligit fratrem, manet in morte.* Ergo. *Reſpond.* Manet in morte, ſcilicet ſpirituali. 2. Manet in morte æterna, ſcilicet quoad *reatum*, etiamſi nondum quoad *effectum*.

QUÆSTIO IV.

An reſurrecturi ſimus in iiſdem corporibus?

Reſp. Affirm. Argumentum I. *Ioan.* 19. 27. *Oculi mei aſpecturi.* Ergo. *Reger.* Oculi, ſed non iidem numero. Nam his oculis, quos nunc habemus, Deus videri non poteſt. *Reſp.* Non ſimpliciter dicit Deum, ſed Redemptorem Chriſtum, qui venturus ad judicandum: de quo *Apoc.* 1. *v.* 7.

II. 1 Cor. 15. 53. *Oportet enim* &c. Ubi expreſſe hoc idem corpus numero reſſuſcitandum dicitur; nec hic ulla mutatio, niſi in accidentibus, in corruptibilitate nempe. *Reger.* Si corpora eadem numero reſurgent; ſequitur, qui claudi nati ſunt, claudos reſurrecturos. At abſurdum. *Reſp.* Dum dicimus, idem numero; non dicimus, quoad omnes partes, ſed quoad certas, eo modo ſcilicet, quomodo Socrates infans, & Socrates adultus, unum ſunt numero.

III. *Phil.* 3. *v.* 21. Si transfigurabit corpus noſtrum humile; Ergo idem numero. *Reger.* Imo ſi reddet glorioſo corpori Chriſti conforme; humile corpus non erit idem numero. Nam nec Chriſtus habet idem in quo mortuus; ut videtur dicere Paulus, 2 *Cor.* 5. *v.* 16. *Reſp.* Loquitur, ſecundum carnem tantùm ita debere nos verſari in terra, ut humana, naturalia, & carnalia non curemus. Imo nec de Chriſto quidem quicquam nunc eſt nobis carnaliter cogitandum, ſed ſpiritualiter. Quia jam mundum reliquit. Quod vero Chriſtus eamdem carnem retinuerit, liquet *Luc.* 24, & *Ioan.* 24.

Obj. I. *Caro & ſanguis non poſſidebunt*; 1 Cor. 15. 50. *Reſp. Carnem* ibi accipi pro *depravatione naturæ*, non pro altera parte hominis. *Inſt.* Agitur hic de reſurrectione corporum; Ergo nullus locus depravationi naturæ. *Reſp.* Ita quidem; ſed agitur etiam de morte, de cauſa mortis: non repugnat ergo, hic agi de depravatione naturæ.

Obj. II. 1 Cor. 9. 13, *Eſcæ ventri* &c. *Deus autem & hunc, & illas abolebit.* Ergo. *Reſp.* Abolebitur quoad *uſum* certum particularem, non vero quoad *ſubſtantiam*: quod inde liquet; ut Chriſtus cum omnibus partibus reſurrexit, ita cum ventre. *Inſt.* Quomodo abolebuntur eſcæ, ita & venter. Nam de utroque enuntiat Sp. Sanctus eodem verbo, *abolebit*. *Reſp.* Falſa hypoth. præſupp. ſcilicet quod, ſi prædicetur idem verbum de duabus rebus diverſis, eamdem ſignificationem obtineat: Vide contrarium, Thren. 3. 41, *Attollamus* &c. Et Joël. 3, *Lacerate corda & non veſtes* &c.

Obj. III. Multa membra deputata ſunt nutritioni, multa generationi: At neutrorum horum locus in cælis. Ergo quorſum hæc membra relicta eſſent? *Reſp.* Nos parum debere eſſe ſolicitos de fine, multarum enim rerum fines hic nos fugiunt: & hoc ſufficit, illa membra retentum iri; ut liquet ex iis, quos dies Domini inveniet vivos. *Inſt.* Poſita hac doctrina, talis erit caſus: Sunt homines qui hominem devorant, & ſic caro devorati tranſit in carnem devorantis. Quæritur ergo, In reſurrectione, cujus hæc caro

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

caro erit, an devorantis, vel devorati? Nam alteruter debebit neceſſario deſtitui carne ſua. *Reſp.* Reſtituitur devoranti caro propria, & devorato ſimiliter; nec enim impoſſibile Deo, ſeparare carnem propriam cujuſque, & reddere ei qui poſſidebat.

QUÆSTIO V.

An pii judicabuntur in extremo judicio?

Reſp. Affirm. Argumentum I. *Matth.* 25. Judicatum iri: Ubi deſcribitur judicium tam de piis, quam impiis. *Reger. Socin.* Dici hoc improprie, & quaſi per parabolam. Nam quomodo poſſint judicari pii, cum non accuſentur nec poſſint accuſari; ut patet *Rom.* 8. 33? *Reſp.* Utut nemo ſit qui accuſet, futurum tamen judicium, non quidem ut *condemnentur*, ſed ut *abſolvantur* & *declarentur juſti* à Chriſto.

II. *Rom.* 14. 11, Omnes dicuntur ſiſti ante tribunal Chriſti: Ergo omnes judicandi. *Reger.* Non propterea omnes judicari, quia ſiſtentur coram tribunali; & volunt probare ex *Dan.* 7. 13. ubi Chriſtus dicitur ſiſti ante tribunal Chriſti, neque tamen judicandus eſt. *Reſp.* Ineptum. Nam clariſſime agit Sp. Sanctus de extremo judicio, ut liquet *verſ.* 12. itaque nihil ſolidi hic habent.

III. Heb. 9. 27: *Statutum eſt ſemel mori* &c. ubi indefinite omnes homines intelliguntur. *Reger.* Improprie accipi. Quia non omnes moriuntur. Ergo nec omnes judicandi. *Reſp.* Verum quidem eſt, non omnes morituros, 1 *Cor.* 15. interim omnes judicatum iri, clara res eſt.

Obj. I. Joan. 5. 24, *Qui credit in eum, non veniet in judicium. Reſpond.* Non veniet in judicium *condemnationis*, ſed *abſolutionis*. *Inſt.* Si ita res eſt, Pontificiorum ſententia erit vera, qui volunt, in altera vita peccata quorundam remitti: eo enim torquent locum Marc. 12: *Non remittetur, neque in hoc, neque in futuro ſeculo. Reſp.* Non eſt abſurdum, ibi peccata remiſſum iri, non *effective*, ſed *declarative*, 1 Timoth. 1. 18.

Obj. II. Rom. 8. 1. *Nulla eſt condemnatio.* Ergo ad quid dicuntur judicari? *Reſp.* In judicium venient, ut jam dictum, *abſolutionis*. *Inſt.* At David precatur, ne in illud judicium veniat, *Pſal.* 143. 2. Ergo nec abſolutionis, nec condemnationis. *Reſp.* Loquitur de judicio, ubi reddenda ratio factorum; jam autem, fideles non reddent rationem factorum, quia Chriſtus factus ratio vitæ ipſorum, ut illi fierent juſtitia in ipſo.

Obj. III. 1 *Cor.* 6. Judicabunt mundum: Ergo ipſi non judicabuntur. *Reſp.* Judicabunt & judicabuntur. Nam utrumque hoc teſtatur Sp. Sanctus, & judicandos & judicaturos. *Inſt.* Sunt juſtificati perfecte & abſolute: Ergo quid opus ut judicentur? Nam qui penitus abſolutus ab omni crimine, eum rurſus judicari, ſupervacaneum videtur. *Reſp.* Judicium Dei duplex; univerſale, & particulare. Particulari omnes pii abſolvuntur in morte: univerſali abſolvuntur quoad declarationē in ultimo judicio.

QUÆSTIO VI.

An infideles & impii judicabuntur?

Reſp. Affirm. Argument. I. Matth. 12. 36. *De omni verbo reddent rationem homines:* Ergo multo magis impii judicabuntur. Conſeq. Nam qui reddent rationem Deo, reddent in judicio. *Reger. Socin.* 1. Fideles etiam rationem reddere; unde hoc Argumentum non putant eſſe neceſſarium. 2. Non agi de extremo judicio: ſi enim vel minimorum peccatorum reddenda eſſet ratio, in infinitum tempus protraheretur: Ergo aiunt, hoc accipiendum de ſingulis diebus, quibus judicia Deus peragit. *Reſp.* 1. Fideles rationem non reddituros, cum non veniant in judicium *condemnationis*, ſed *abſolutionis*. 2. Dicimus, homines infideles in extremo judicio rationem reddituros, non quod ſimul & ſemel peccata iſta recogniturі, ſed quod omnia ipſis ob oculos, ſucceſſive tamen, obverſatura ſint, conſcientia ipſos accuſante.

II. *Apoc.* 20. 12, 13. ubi judicium Dei deſcribitur, & infideles etiam judicandi proponuntur. Ergo. *Reger.* Aut judicabuntur propter commiſſa jam peccata, aut committenda in futurum: ſi propter commiſſa tantum, ſubinde debet judicium repeti, quia in inferno peccabunt. Si propter committenda aliquis judicabitur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

tur, judicabitur non propter hoc quod fecit, ſed quod facturus eſt: quod abſurdum, & contrarium Scripturæ; quæ docet, nos judicandos de illis, quæ fecerimus in corpore, *2 Cor.* 5. *Reſp.* Inepte præſupp. acſi homines in inferno eſſent peccaturi. Nam ſi peccaturi, acturi. At non acturi. Ergo. Quod patet, quia infernus non eſt locus agendi, ſed patiendi: Ergo qui mortuus, liber à peccato.

III. *2 Petr.* 2. 4. ubi dicitur, Angeli qui peccarunt, judicio ſervati ſunt: Ergo ſequitur, non minus homines malos judicio ſervatos. *Reger.* Nos nolle ſenſus ſpirituales ſcrutari, ſed literis inhærere. & dicunt: quomodo hæc conciliari poſſunt, Angelos malos, qui graviter peccarunt, aſſervari judicio, & non cruciari: & impios cruciari; qui, Judæ *verſ.* 7, dicuntur ignem æternum ſuſtinere? *Reſp.* 1. Ita Deo lubet laxare fræna Satanæ, ut ſuos cribret & exerceat. 2. Præſupp. hypoth. falſa, acſi immunes eſſent ab omni pœna. 3. Utut habeant aliquid levaminis à pœna, conditio tamen eorum nequaquam melior damnatorum conditione, ſed potius deterior. Nam ſatius eſt in eo ſtatu eſſe, ut patiaris, utut moleſtum hoc, quam in eo ſtatu ut pecces. 4. Poſt extremum judicium relaxationem hanc à pœna multis modis Deus penſabit.

Obj. I. *Ioan.* 3. *v.* 18, Qui non credit, condemnatus eſt. *Reſp.* Judicatus eſt judicio *inchoativo* ſive *particulari*, quod Deus exercet in morte uniuſcujuſque; non autem *conſummativo* ſeu *univerſali*. *Inſt.* Atqui dicimus, jam pati reprobos pœnas; Ergo judicati ſunt. Conſeq. quia valde abſurdus eſſet progreſſus; pœna afficere, & poſtmodum judicare. *Reſp.* Superior diſtinctio ſolvit nodum. Unde etiam fit, ut ferant pœnas jam ex parte, non ex toto tamen.

Obj. II. *Pſal.* 1. 5. Idcirco non reſurgent impii in illo judicio; Ergo nec judicabuntur. *Reſp.* Agitur ibi de judicio *abſolutionis*, & in tali certe non ſtabunt. *Inſt.* Scriptura teſtatur, *Luc.* 16, nunquam ſimul eſſe poſſe pios cum reprobis, *Inter nos & vos ingens*, inquit, *hiatus*. Ergo. *Reſp.* Dato, ſed non conceſſo, quod ita ſit, non tamen una futuri. Nam nos in nubibus, illi relinquendi in terra, ut liquet ex collatione locorum, *Matth.* 24. *verſ.* 40, 41. 1 *Theſſ.* 4. *verſ.* 17.

Obj. III. Angeli non judicabuntur; Ergo nec homines mali. Prob. ubi tantum homines judicandi proponuntur, *Matth.* 25. item *Apoc.* 20. *Reſp.* Implicite judicantur. Nam dicetur impiis; *Ite in ignem æternum, qui Diabolo paratus & Angelis eius.* Explicite autem docetur, 1 *Cor.* 6. *verſ.* 3. *Inſt.* At in Symbolo dicitur tantum de hominibus, *Veniet judicaturus vivos & mortuos.* Ergo. *Reſp.* Symbolum Apoſtolicum non niſi propter homines eſſe ſcriptum, & ejus fundamentum eſt Verbum Dei.

QUÆSTIO VII.

An detur reſurrectio Martyrum ante reſurrectionem aliorum hominum mille annis, & an aliquod regnum Chriſtus ſit habiturus in terra.

Reſp. negat. Argumentum I. Duplicis adventus Chriſti fit mentio in Scripturis; in carne, & ad judicium; Ergo vera non eſt opinio, Chriſtum venturum & regnaturum in terris. *Reger.* ex *Rom.* 11, 16, Dari præter hos adventus aliquem tertium. *Reſp.* Eſt locutio anthropopathica: locutione autem hac intelligitur, Deum operaturum, quod antea non erat operatus; & hoc eſt uſitatum Sp. Sancto, opera ſua adventu notare & ſignificare.

II. Regnum Chriſti non niſi duplex; eſſentiale, quod illi commune eſt cum Patre & Sp. Sancto, quodque jure creationis obtinet: Et regnum mediatorium; præter hæc regna nihil uſpiam traditur: Ergo eſt vana opinio Chiliaſtarum, qui tertium aliquod regnum, quod nec eſſentiale, nec mediatorium ſit, commenti ſunt. *Reger.* Non ſtatuere ipſos aliud aliquod à regno mediatorio. *Reſp.* Imo: quod hinc conſtat, quia regnum mediatorium exercet Chriſtus in omnes fideles: hoc vero non niſi exercet in Martyres.

III. Cum Sp. Sanctus de reſurrectione agit, ſtatuit reſſuſcitatum iri omnes fideles eodem tempore, vide *Iob.* 6. 40, 44, 45. *Reger.* Non impedire hoc, quod omnes reſſuſcitandi tempore

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

judicii extremi, quemadmodum non impedivit eorum reſurrectio, quorum mentio eſt *Matth.*27.52. *Reſp.* Aliter ſe hæc, aliter illa habere. Nam expreſſe Scriptura teſtatur; omnes qui in Chriſto mortui ſunt, in die judicii reſurrecturos: Aut ergo Martyres in Chriſto mortui non ſunt; aut ſi mortui, certo reſurgent ultimo die: ſi non mortui, tum quomodo Martyres?

*Obj.*I. 1 Cor.15.25, *Oportet eum regnare* &c. Ubi videtur Scriptura innuere, regnum aliquod futurum. Non ergo hoc capi poteſt, vel de eſſentiali, vel mediatorio, in quibus jam regnat; Ergo oportet de tertio aliquo accipi, nempe de quo *Apoc.*20. *Reſp.* In Græco textu habere βασιλεύειν, præſens infinitivi, ita ut male accipiatur de regno aliquo futuro. *Inſt.* Hoc regnum ceſſabit. At eſſentiale & mediatorium non ceſſabit. Ergo diverſum ab his erit. Habetur enim 1 Cor.15, *Tradet regnum Patri.* *Reſp.* Intelligitur mediatorium hominum, quod abolendum eſt *quoad modum adminiſtrationis*, ſed non *quoad efficaciam.*

*Obj.*II. *Apoc.*19.16. Ubi Chriſtus vocatur Rex Regum, & Dominus Dominorum; hic, inquiunt, dicitur Rex; Ergo ejuſdem generis cujus ſunt iſti, quorum Rex dicitur; Ergo habebit regnum terrenum. *Reſp.* Falſum, quod tales locutiones ſemper tale quid inferant. Nam etiamſi ipſi tituli Deo tribuantur, nec ejuſdem tamen generis eſt cum aliis Regibus. *Inſt.* Chriſtus habuit typum quoad regnum tale, nempe Melchiſedechi. Deus autem non habet ullum typum quoad regnum eſſentiale. *Reſp.* Erat quidem Melchiſedech typus Chriſti, & quoad regnum, & quoad Sacerdotale regnum; at tamen regnum Melchiſedechi non erat ejuſdem generis cum regno Chriſti quotidiano. Ratio. Quia non eſt neceſſe, ut typus ſit ejuſdem generis cum antitypo, alioquin typus non eſſet typus, ſed antitypus.

III. *Apoc.*20.*v.*4. *Reſp.* Eſſe Prophetiam obſcuriſſimam, ita ut non poſſimus ſatis aſſequi, quid ſibi velit: unde etiam factum, ut quot ſint interpretes hujus loci, tot diverſas habeant ſententias: hinc, ſi obſcura eſt hæc Prophetia, etiam argumentum ex hoc loco duci non poteſt ad aliquid probandum. Nam quod producitur argumenti loco, debet intelligi, & convincere diſſentientem. *Inſt.* Omnia ad noſtram ædificationem ſunt ſcripta; Ergo ut intelligantur; alioquin nullus uſus futurus. *Reſp.* Ita quidem eſt, ſed non omnia quæ ſcribuntur, quovis tempore intelligi poſſunt. De Prophetiis eſt certiſſima regula Theologorum: *Prophetiæ ſolide non intelliguntur, niſi prius compleantur.*

QUÆSTIO VIII.

Vbi judicium extremum peragetur, in terrane, an vero in aëre?

Reſp. plurimi Theologi, In aëre. Nos, Partim in terra, partim in aëre. Argum.I. *Matth.*24.40,41. Unus rapietur, alter relinquetur. Ergo. *Reger. Ameſius:* Futurum hoc poſt, non ante judicium. *Reſp.* Implicat ſe. Nam ſi hæc reſponſio ſtaret, tum ſequeretur, poſt extremum judicium redire in terram, tum fideles, tum infideles: propterea refutatur & hinc, quod Scriptura teſtetur, duos in piſtrino, vel agro eſſe, unum rapiendum ſurſum, alterum relinquendum; quid vero in piſtrino aut agro poſt extremum judicium quiſquam ageret?

II. In Scriptura dum judicii iſtius mentio fit, dicitur reprobos dicturos: *cadite in nos, montes; & colles, operite nos.* Si vero ratione reproborum in aëre eſſet judicium, non poſſent iſta dicere; quia in aëre nulli colles, nulli montes. *Reger.* Sp. Sanctum non reſpicere ad extremum judicium, ſed quod Deus exerciturus erat per Veſpaſianum ſuper Jeruſalem; vide *Luc.*23.29,30. *Reſp.* Non negare iſta verba etiam de judicio iſto particulari. Nam etiam de extremo judicio aſſeritur.

III. 1 Theſſ.4.17. *Rapiemur ſimul* &c. Soli fideles rapientur in occurſum Chriſto in aëra. Ergo non erunt ibi infideles. Conſeq. & Minor: Quia additur, *Rapiemur ut perpetuo ſimus cum Chriſto.* *Reger.* Non tantum ipſos raptum iri, ſed & infideles. Quia nullus locus ipſis eſt convenientior illo, quam qui eſt domicilium Satanæ. Prob. *Eph.*2.*verſ.*2. Ubi Satan dicitur Princeps aëris. *Reſpond.* Locus clariſſimus eſt, nec ita poteſt eludi. Nam aperte adduntur iſta

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

iſta verba, *Et ita ſemper cum Domino erimus.*

*Obj.*I. Ameſius: *Ecce venit cum nubibus*, Apoc. 1.7. *Reſp.* Conſequent. nulla. Quia ipſe poteſt eſſe in nubibus, ut futurus eſt; neque tamen ibi judicatum iri infideles. *Inſt.* At additur: *Et videbit omnis oculus* &c. Quomodo autem eum infideles viſuri, ſi futuri in terra? *Reſp.* Ratiocinatio hæc non eſt magni momenti. Nam remotius cælum eſt quam aër, interim Stephanus vidit Chriſtum, *Act.* 7.55.

*Obj.*II. Si fideles erunt in aëre, tum ſequitur, etiam ibi fore infideles. Conſeq. quia Scriptura teſtatur, congregatum iri coram ipſo, *Matth.* 25. *Reſp.* Conſeq. negat. Nam omnes ſunt, & qui ſupra, & qui infra, coram ipſo. *Inſt.* At quidam dicuntur à dextris, quidam à ſiniſtris. *Reſp.* Nec hæc ratio multum militat. Nam & qui infra, poſſunt eſſe ad ſiniſtram, ut cuilibet notum.

*Obj.*III. Terra purgabitur igne; Ergo non in terra, ſed in ſolo aëre futurum extremum judicium. *Reſp.* Purgabitur non ante, ſed poſt extremum judicium. *Inſt.* Imo ante judicium purgabitur. Prius prob. 2 *Pet.* 3.13. Nam inquit, à judicio ſtatim in cælos rapientur. At non in cælos non repurgatos. Ergo ante judicium repurgati erunt. *Reſp.* Cæli iſti, in quos rapientur, non repurgantur. Quia cæli iſti non erant impurati, nec vanitati ſubjecti, quemadmodum cæli ſiderei.

QUÆSTIO IX.

Vtrumne mortem eſſentia æternam ſentiant electi Dei?

Ratio dubitandi. Quod Theologi plerique ſtatuunt, Deum homines ex inferis revocare, 1 *Sam.* 2. *Reſp.* Eſſe hoc quidem verum ratione quorumdam tantum: in quo maximam Dei poteſtatem videre licet, ut qui quoſdam in terrores conſcientiæ conjicit; quoſdam verò etiam deteriores aliis, tranquilla conſcientia occumbere vult: quod autem ita res ſit, videre licet in Davide, *Pſal.* 42. *Pſal.* 73. & aliis pluribus.

QUÆSTIO X.

Qua ratione illud adimpletum eſt: Quo die comederis, morte morieris, cum homo, diu poſt demum mortuus?

Reſponſ. duplex afferri poteſt. I. Hominem eo ipſo momento, quo peccavit, mortuum fuiſſe. Ad quod intelligendum, notanda diſtinctio iſta vulgaris mortis: Mors duplex, vel mors *temporaria*, vel *æterna*. Temporaria eſt animæ à corpore ſeparatio. De hac

QUÆSTIO XI.

Anne homo mortuus ſimul ac peccavit?

Reſp. 1. Hanc mortem, principalem non eſſe pœnam peccati. Namque non omnes reprobi moriuntur hac morte: ut videre licet in Verbo Dei, ubi hi, quos dies Domini reperiet, ita dividendi erunt, & à ſe invicem ſejungendi, ut, quidam rapiendi ſint in occurſum Chriſti, quidam vero relinquendi. *Reſp.* 2. Mortem iſtam temporariam habere gradus ſuos; qui ut recte intelligantur, ex oppoſita generatione rem oſtendimus. Generatio dupliciter capitur apud Philoſophos, pro diſpoſitione ad introductionem formæ, & pro ipſa introductione formæ. Illa prior admittit gradus; poſterior non item. Ergo etiam de morte dicendum fuerit. Nam quot modis unum oppoſitorum dicitur & accipitur, tot modis aliud accipi debet. Et hæc de temporali. Mors æterna iterum duplex, vel ſeparatio à Deo, & ita homo ſtatim mortuus erat, ſimul ac peccavit. Solet hanc mortem Script. vocare *Mortem in peccatis*. Alia mors æterna eſt, ſenſus iræ Dei, qui ſenſus in Scriptura vocari ſolet *Vermis*, Eſai. 66, *verſ.* 24. *Non eſt pax impiis. Eſai.* 57. *v.* 21. Inter comminationes intentatas transgreſſoribus legis, etiam una habetur iſta, irrequietudo conſcientiæ. Hac ergo morte etiam ſtatim Adam mortuus eſt, quia ſenſit iram Dei, & eam ob cauſam à facie Dei ſe abſcondere voluit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

QUÆSTIO XII.

Quomodo, ſi ſuperſtites ſint animæ poſt hanc vitam, Sancti Dei homines deprecantes mortem dicant, in morte nullam fore ipſius laudem, Pſal. 6. Pſal. 115. Eſ. 36?

Reſp. In morte ſcil. æterna & morte condemnatorum nemo laudat Deum, cum in naturam tales fere abeant diabolicam, & deſperatione adacti mali Deum blaſphement. Senſum autem iſtorum eſſe hunc, patet ex locis iſtis, quæ protulimus: iſtos autem homines Sanctos, ſæpe perculſos fuiſſe ſenſu iræ Dei, in S. Scriptura clariſſimum eſt.

QUÆSTIO XIII.

Vtrum reſurrectio aliqua ſit futura?

Ratio difficultatis, quam Adverſarii ferunt, eſt hæc, quod reperiantur ἀνθρωποφάγοι, qui humanis carnibus veſcuntur; & illi viciſſim ab aliis capti vorantur: & ita conſequenter. Quærunt ergo iſti homines: Si alimentum cedat in partem ejus, qui alimentum ſumpſit, Ergo in extremo judicio aut corpus comeſtum reſtituitur iſti cujus erat, aut non. Si reſtituitur, Ergo alter parte privabitur, & ita totus non erit. Si non, Ergo ille corpus ſuum non habebit. *Reſp.* Etiamſi hoc ipſum fiat, quod pars alterius erat pars hujus, non tamen propterea imperfectus erit; non minus quàm Adam imperfectus erat, cui coſta exempta & ex illa Eva facta: & hæc una reſponſio eſt. Altera eſt hæc, quod *partes* in homine *duplices* ſint, *diffluentes & perſiſtentes*. Diffluentes non ſunt de eſſentia, ſed perficientes tantum: Diffluentes autem partes iſtæ ſunt, quæ reparatæ ex alimento hodie, cras pereunt per laborem abſumptæ; cum ergo partes iſtæ, quæ ex alimento generantur, ſint partes diffluentes, utique non pertinent ad eſſentiam hominis.

QUÆSTIO XIV.

Vtrumne in reſurrectione corporum, corpora omnia ſint æqualia futura. Sive utrumne homo, qualis mortuus, talis reſurget, ſi infans, infans; ſi puer, puer; ſi vir, vir?

Reſp. Movetur hæc quæſtio ab Auguſtino, quæ à Theologis tanquam curioſa rejicitur, ſed ut mihi videtur, inepte. Nam certum eſt, perfecta noſtra corpora fore, & nos fore perfectos. Perfectio autem, ut notum ex Metaphyſicis, triplex eſt, *Quantitatis*, *Qualitatis*, *Finis*. Si ergo infans, aut puer, imperfectum corpus habuit ratione quantitatis, utique non reſurget in imperfecto: ut, verbi gratia, non quia morimur imperfecta qualitate, id eſt, ſanctitate, etiam imperfecte ſancti reſurgemus. Ergo etiam nec imperfecti quantitate. Sed anne æqualia ſunt futura? Non credo, poteſt enim perfectum eſſe aliquid, quod tamen alteri æquale non eſt. Vide inſuper *Apoc.* 20. 12.

QUÆSTIO XV.

Vtrumne abortus & monſtra humana ſint reſſuſcitanda?

Reſp. Quod ad abortum attinet, diſtinguendum eſt. Vel enim abortus factus, in quo nondum anima, & hic non reſſuſcitabitur, quandoquidem reſſuſcitatio eo fine futura, ut corpus cum anima conjungatur. Vel eſt abortus, in quo jam eſt anima, & hic reſſuſcitabitur, quia erat homo. Quod ad Monſtra attinet, illa ſunt in duplici differentia. Quædam enim ſunt quæ humana, & hæc ſunt, in quibus principaliora membra hominis reperiuntur: hæc reſſuſcitanda, ſed non in forma monſtri, ſed hominis. Vel ſunt quæ ex homine quidem naſcuntur, ſed ſunt beſtialia, in quibus membra præcipua bruti, unius, vel multorum: talia autem monſtra non habent animam rationalem, utpote cum anima rationalis requirat diſpoſitam ſibi materiam, quæ conſiſtit in membris, principiis, & talia non magis reſſuſcitabuntur, quam bruta.

QUÆ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

QUÆSTIO XVI.

Qua ratione judicabuntur homines, cum jam judicati ſint? vide *Ioan.* 5.

Reſp. Judicati ſunt homines *decreto Dei*, nondum vero *ſententiæ latione*; aut ſi ſententiæ latione, nondum *publice*, ſed *privatim* unicuique facta: quamvis videatur etiam Sp. Sanctus inter judicium quod eſt *inchoatum*, & inter *perfectum* ſive abſolutum, diſtinguere.

QUÆSTIO XVII.

Vtrum cum extremo judicio cæli ſint perituri plane, an vero tantum mutandi?

Socini Sententia eſt: Cælos plane perituros. cum quo etiam ſentiunt complures Theologi. Nobis tamen aliter videtur. Cujus noſtræ ſententiæ hæc Argumenta proferimus. I. Quod par ratio futura in extremo judicio, quæ fuit in diluvio, 1 *Pet.* 3. 7. At in diluvio non eſt deletus mundus, ſed ſaltem ablutus, ut nobis ſic loqui liceat; Ergo etiam in extremo judicio, quo igne omnia dicuntur conflagratum iri, non annihilabitur mundus, ſed tantum purgabitur.

Argument. II. ex *Rom.* 8. Ubi expreſſe comparatio inſtituitur inter ſuſpiria mundi, exſpectantis vindicationem à vanitate, & inter noſtra ſuſpiria, qui primitias Spiritus habemus. Atqui nos non ſumus plane interituri; Ergo nec mundus, ſed in melius mutandus, ſicut & nos; & Heb. 1, *Mutabis eos.* Si mutabuntur, Ergo permanebunt, & mutatio hæc tantum conſiſtit in qualitatibus. Sed dicet aliquis: Atqui mutatio eſt ſubſtantialis. *Reſp.* Sed nullus eſt tam abſurdus, qui dicat, mutationem hic fore ſubſtantialem, nam mutatio ſubſtantialis differt ab annihilatione, nam quæ mutantur manent. Mutatio enim paſſio eſt, & præſupponit ſubjectum in quo ſit. Nam in nihilo nihil eſt. Breviter, tale eſt Argumentum: Aut hic intelligitur annihilatio, aut mutatio. Sed non annihilatio, ut clare textus docet contrarium. Ergo mutatio. Si mutatio, erit vel ſubſtantialis, vel accidentalis, id eſt, mutabitur cælum ratione qualitatum, ratione uſus, ut, cum jam generationis & corruptionis in inferioribus ſit cauſa, deſinat eſſe talis.

At contra hoc Argumentum *objicitur*, Dici expreſſe in Scriptura, quod ſint perituri cæli: perire autem, non eſt ſecundum accidentia mutari. *Reſp.* Ineptum hoc eſt. Nam *perire*, etiam aliquando accipitur pro *mutari* ſecundum accidentia: notum enim illud, *Vino forma perit.* Ubi per τὸ *perire* non intelligitur ſubſtantialis, ſed accidentalis mutatio.

Argument. III. Dicit Chriſtus, Matt. 5. *Terra & cælum tranſibunt.* Luc. 16, explicat hoc per facilius. unde tale argumentum: Si Chriſtus tanquam impoſſibile ponit periturum cælum, tum certe non peribit. Verum prius. Ergo. Conſeq. ratio; Quia aut Chriſtus confert cum re peritura aut permanente Verbum ſuum. Si cum re peritura, Ergo nullius momenti, ut quilibet videt. Nam quid opus eſt, difficultatem oſtendere in talibus ex eo, quod periturum eſt? Sin vero cum re ſemper permanente, tum obtinemus quod volumus.

At *obj.* contra hanc ſententiam ex loco Eſai. 65. Iob. 14. 13. *Creabo novum cælum* &c. Unde infertur. Si creabit; Ergo priora peribunt. *Reſp. Creare*, aliquando accipitur pro *reformare* ratione qualitatum, non autem pro aliquid efficere, qualia ſolent proprie dicta creatione effici. In priore ſignificatione accipitur *Pſal.* 51. & hic ſic accipi debere, clarum eſt ex argumentis allatis pro noſtra ſententia.

QUÆSTIO XVIII.

An Deum viſuri ſimus immediate?

Reſp. Negat. contra Socin. & Pontif. Argumentum I. *Ioan.* 1. 18. Deum nemo vidit unquam: Ergo nec Angeli, qui tunc erant beati, cum hæc ſcribebantur à Joanne, videbant Deum. *Reger. Becanus.* Deum nemo vidit, in hac vita nempe, ſed in altera vita. *Reſp.* Fallitur Becanus. Nam cauſa quam allegat Sp. Sanctus, oſtendit, nullam creaturam poſſe videre, ſcilicet immediate: additur enim: *Filius qui eſt in ſinu Patris* &c. Ergo ſi aliquis vidiſſet Deum, tum minus convenienter illud poneretur; *Filius ille revelavit.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

lavit. Omnibus opponit hîc Filium Sp.Sanctus, ita ut verum ſit illud Matth. 11, *Nemo novit Patrem*, ſcilicet comprehenſive, *niſi Filius*: & contra.

II. 1 Tim. 6. 8. *Qui ſolus habitat* &c. Ergo. *Reger.* Conſtare ex hoc loco, Deum finitum eſſe, quod intellectu humano, qui finitus eſt, immediatè comprehendi poteſt. *Reſp.* Inepti ſunt Socin. Nam Deus dicitur inhabitare lucem inacceſſam, non proprie, ſed impropriè: Eſt enim ipſe lux, ut Sp.Sanctus teſtatur, 1 *Ioan.* 1. 5. nihil ergo per hunc modum loquendi intelligitur, quàm Deum in ſe ipſo incomprehenſibilem eſſe.

III. Inter potentiam & objectum debet eſſe proportio: ſed inter intellectum creatum, & Deum increatum, nulla eſt proportio; cum alter finitus, alter infinitus ſit. Ergo intellectus creatus non poteſt immediate videre Deum. *Reger. Becanus:* Proportio eſt duplex: 1. *Quantitativa*, quæ in eo conſiſtit, quod unum menſuret alterum, proportione duplicata aut triplicata: talis eſt proportio inter binarium & quaternarium; quia binarius bis repetitus, menſurat & adæquat quaternarium. 2. Proportio eſt *relativa*, quæ in eo conſiſtit, quod unum dicat relationem ad alterum, quomodo effectus ad cauſam. Prior non datur: ſed poſterior inter Deum & homines. *Reſp.* Et hoc eſt, quod dicimus, Deum non poſſe cognoſci immediate, ſed mediantibus effectis. Non cognoſcitur enim Deus in abſoluta eſſentia, ſed ut cauſa conſervans, ut fatetur Becanus.

Obj. I. *Matth.* 5. 8. *Reſp.* Ignorantia Elenchi. Nam non eſt quæſtio, an ſimus Deum cognituri, ut argumentum vult: ſed an immediate cognituri, comprehenſivâ ſcientiâ? *Inſt.* 1 Cor 13, *Nunc per ſpeculum* &c. *Reſp.* Quoties in Scriptura mentio fit viſionis Dei à facie ad faciem, non intelligitur eſſentiæ viſio, ſed peculiaris quædam majeſtatis revelatio. Sic, cum dicit Jacob poſt luctam, *Gen.* 32. 30, vidiſſe Deum à facie ad faciem, non profitetur, ſe vidiſſe eſſentiam Dei; quam non poſſe videri in hac vita, conſentiunt omnes. *Num.* 12, teſtatur Dominus, ſe aliter Moſen, aliter reliquos Prophetas compellare: nempe Moſen alloqui facie ad faciem; reliquos non item.

Obj. II. 1 Ioan. 3. 2, *Videbimus eum ſicuti eſt*. Ergo. *Reſp.* Sicuti eſt cognoſcibilis à creatura. Camero ex Zwinglio dicit: Deum duobus modis conſiderari poſſe; vel *ut eſt in ſe*, & ſic Deus à nemine videtur, ne ab Angelis quidem: vel conſideratur *qualis eſt erga nos*, & ſic perfecte cernemus in vita futura: in hac autem tantum in ænigmate. Puer in prima infantia patrem quidem confuſe novit, non tamen perſentiſcit, qualis ſit pater quoad effectum paternum, niſi ſit adultus: ſcilicet poſtquam perceperit, quantum fecit, vel velit facere, pater in ipſius gratiam. Ita ob imperfectionem noſtram maximam Dei bonitatem, quæ omnem ſuperat cognitionem, videre non poſſumus; ſed illi Deum vident ſicuti eſt, qui reipſa & facto tantum experiuntur Dei bonitatem, quantum creatura experiri poteſt.

Obj. III. A ratione. Felicitas ſita eſt in unione cum Deo; eam vero nullam fore, niſi intellectus creatus eſſentiam Dei videat. *Reſp.* Argumentum hoc pugnat cum regula illa: *Omne receptum recipitur ad modum recipientis.* Nam ſi eſſentia Dei videtur modo finito, tum corruit hæc regula. *Inſt.* Nemo felix eſt, niſi impleatur facultas intellectiva: non autem ſatiatur intellectus, niſi Deum immediate cognoſcat. *Reſp.* At ſi Deum immediate cognoſcat; Ergo infinitum cognoſcit & comprehendit; & ſic infinitum non erit infinitum, quia adæquatur finito. Abſurdum.

QUÆSTIO XIX.

An voluntas bonum neceſſario volet in vita futura?

Reſp. Affirm. Argumentum I. Voluntas adhæreſcet bono, quia homines, nec morte temporaria mori poterunt, *Luc.* 20. *v.* 36. nec æterna, *Luc.* 16. 26. Non ergo poterunt peccare; & ſic voluntas bono adhæreſcet firmiſſime. *Reger. Arminian.* Cur ergo ſolus Deus dicitur immortalis, 1 *Theſ.* 3. 16? *Reſp.* Immortalis dicitur *ex ſe*, nos vero *beneficio illius*.

II. Cognitio in vita futura erit perfectiſſima,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ma, 1 *Ioan.* 3. 2. Ergo appetitus ſeu voluntas boni erit perfectiſſima, & adhæreſcet immutabiliter bono. Conſeq. quia quantum ſcimus, tantum amamus. *Reger.* In homine primo fuit perfectiſſima cognitio, & tamen lapſus: Ergo etiam ibi poterunt eſſe labiles. *Reſp.* In comparatione non fuit ita perfecta; ut ex eventu liquet.

III. Perfectiſſima erit regeneratio: Ergo voluntas immutabiliter adhæreſcet bono. Ratio conſeq. petitur ex 1 *Ioan.* 3. 9. Nam ad hoc omnes Theologi reſpondent: Non poſſunt peccare, ſcilicet pro modulo regenerationis; Ergo qui perfecte erit regenitus, nullo modo poterit peccare. Ratio ulterior. Quia ut ſe habet gradus regenerationis ad gradum non peccandi; ita ſe habet perfecta regeneratio ad non peccandum plane. *Reger.* Non peccare, in homine dependens eſt; eſt enim à Deo: Ergo mutabile. Conſeq. quia omne dependens eſt mutabile. *Reſp.* Ita eſt in ſe & *in ſenſu diviſo*, ſed non *in ſenſu compoſito*, ſi conſideretur ad providentiam Dei, & ad virtutem, quæ non permittit eum peccare, vel ut voluntas de bono transferatur in malum.

Obj. I. Libertas eſt vertibilis in utrumque oppoſitorum. At ibi erit libertas. Ergo. *Reſp.* Negat. Major. Nam in Deo eſt libertas, nec tamen ſe ipſum negare poteſt: oporteret autem ita fieri, ſi major ſit vera.

Obj. II. Omnes Philoſophi cum Ariſtotele docent, non eſſe iſta opera digna laude, quæ proficiſcuntur à tali, qui non poteſt non bona facere: ſi ergo adhæreſcit voluntas immutabiliter bono in vita futura, voluntatis effecta non eſſent digna laude. *Reſp.* Falſa eſt propoſitio; ſi non poſſint non fieri; Ergo non digna laude. *Inſt.* Quæ non poſſunt ſe aliter habere; illa ſunt naturalia. Nam cauſa voluntaria à naturali differt; quod naturalis non poſſit non agere, niſi impedimenta objiciantur. Cauſa vero voluntaria poteſt agere, vel non agere. *Reſp.* Hanc differentiam inter cauſam naturalem & voluntariam non legitimam: ſed hanc, quod cauſa naturalis non poteſt non agere, nulla ratione præeunte. Cauſa vero voluntaria poteſt agere, vel non agere, præeunte nempe ratione in ſenſu compoſito. Ita Chriſtus quicquid fecit, non potuit non facere ratione præeunte; & tamen omne hoc laudabile fuit.

Obj. III. *Ioan.* 4. 18. ubi Scriptura dicit; quod in Angelis non reperit immutabilitatem. *Reſp.* Non reperit quæ ſit ex ſe, ſed ex Deo. *Inſt.* *Dan.* 10. 13, dicitur inter Angelos eſſe pugnam & diſſenſionem, ut liquet *v.* 13. ubi habetur, Angelus Perſiæ reſtitit mihi. *Reſp.* In vulgari verſione ſic habetur; ſed Hebræa *habet coram me*: ſtetiſſe autem coram ſe, non oppoſitionem ſignificat, ſed auxilium potius & opem adverſus vim. Vide ſimilem phraſin, *Dan.* 8. 15. 2. Peccatum nullum habent; Ergo nec diſſenſionem.

QUÆSTIO XX.

An gradus dentur in glorificatione?

Reſp. Affirm. Argument. I. Deus reddet unicuique ſecundum opera ſua, *Matth.* 16. Ergo futura eſt diſparitas gloriæ filiorum Dei. *Reger.* Talibus locis non inſtitui collationem piorum inter ſe; ſed inter impios & pios: ideo dicitur, alii erunt ad dextram, alii ad ſiniſtram. *Reſp.* Refutat hanc redargutionem Paulus manifeſte, 1 *Cor.* 3. 13. Ubi docet, unicuique propriam obventuram laudem.

II. *Dan.* 12. 2, dicit Propheta *fore, ut quidam fulgeant ut ſplendor firmamenti, alii ut ſtellæ.* *Reger.* Nihil concludere. Nam ſplendor firmamenti omnis fit à ſtellis: itaque hic paritas erit, non diſcrepantia in gloria. *Reſp.* Vanum hoc. Nam ſi ſplendor firmamenti eſt à ſtellis; Ergo non eſt pars ſplendoris ſtellarum. Nam participatum nunquam ejuſdem gradus eſt cum eo quod participat.

III. Deus promittit, Diſcipulos ſeſſuros & judicaturos duodecim tribus Iſraël. Ergo. Minor, *Luc.* 23. *Reger.* Hæc omnium fidelium eſſe, 1 *Cor.* 6. *v.* 2. & *Apoc.* 2. *Reſp.* Aliter tribui electis aliis, & aliter Apoſtolis; quod diſcrimen notatur *Rom.* 2. 16.

Obj. I. Omnes ſunt primogeniti, *Heb.* 12. *v.* 22. Reges & Sacerdotes, *Apoc.* 1. 6. Ergo erit paritas. *Reſp.* Et hic ſumus primogeniti, Reges

&

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

& ſacerdotes, & tamen diſpar ratio in donis, quæ Deus in nos confert; Ergo non repugnat quo minus idem teneat in cælis. *Inſt.* At omnes ſumus pariter ſponſi Chriſti; Ergo eadem gloria, par felicitas. *Reſp.* Tantundem concludit ratio, quantum prior. Nam & hic tota Eccleſia eſt ſponſa Chriſti.

Obj. II. Omnes ex æquo juſtificamur; Ergo. Nam glorificatio eſt effectus juſtificationis: itaque Apoſtolus, *Rom.* 8, à juſtificatione ad glorificationem progreditur. *Reſp.* Datur diſcrimen in juſtificatione. Nam uni plura peccata remittuntur, quam alteri, *Luc.* 7. 41. 52. *Inſtant*; Apoc. 7. 9, *Omnes incedunt ſtolis albis* &c. Ergo æqualiter juſtificantur; cum albedinem omnes acceperint à ſanguine Chriſti. *Reſp. Incedunt ſtolis albis* &c. id eſt, ſunt omnes juſtificati: ſed quæritur an eadem ratione; Et nos diverſum oſtendimus ex *Levit.* 1. 2, 3, 4. Ubi pro diverſitate peccantium, diverſa offerebantur ſacrificia.

Obj. III. Erunt omnes æque ſancti; Ergo erunt pari gloria præditi: gloria enim ſanctitatem ſequitur. *Reſp.* Conſeq. non valet. Nam omnes reprobi æque mali in inferno, nec tamen omnes æquales pœnas toleraturi. *Inſt.* 2 *Tim.* 4, Paulus ait, coronam juſtitiæ ſibi reſervari; tamen eandem coronam communem dicit omnibus iis, qui amant apparitionem Chriſti. *Reſp.* Ita quidem eſt in genere; ſed Paulus expreſſe oſtendit, peculiarem etiam ſibi coronam eſſe repoſitam, 1 *Theſſ.* 2. 19.

QUÆSTIO XXI.

An gradus pœnarum futuri in inferno?

Reſp. Affirm. Argumentum I. *Matth.* 11. 21, 22, *Reger.* His tolerabilius fore, non in inferno, ſed in die judicii. *Reſp.* Graviter hoc datur. Nam agitur ibi de judicio condemnationis, ut cuilibet videre eſt.

II. Matth. 12. 41, 42, *Surgent Ninivitæ. Reger.* Hunc locum nihil facere ad rem. Nam regina Auſtri & Ninivitæ annumerantur ſanctis, qui judicaturi ſunt mundum; de quibus, 1 *Cor.* 6. 2. Nam ſi condemnabunt Judæos, judicabunt. *Reſp.* Condemnabunt, 1. *exemplo*, non *efficienter*. 2. Condemnabunt, non quod judicaturi iſtos; ſed quod minus reprehendendi quam iſti: Vide ſimilem locum loquendi, *Ezech.* 16. 57. Ubi dicitur, Juſtificaſti ſorores tuas, hoc eſt, oſtendit via tua peſſima, ſorores tuas multo te meliores, licet malæ ſunt.

III. Peccata ſunt inæqualia; Ergo & pœnæ. *Reger.* Cur vero condemnantur omnes morte æterna, ſi ſint inæqualia. *Reſp.* Æterna quidem plectuntur, ſed ita, ut unus pœna majori afficiatur, quam alter.

Obj. I. Omnes excluduntur æqualiter regno Dei; Ergo omnes etiam æquali afficientur pœna. *Reſp.* Pœna *damni*, non *ſenſus*. *Inſt.* Si pœna damni erit æqualis, Ergo & ſenſus. Quia pœna ſenſus oritur ex pœna damni. Conſequent. Eandem cauſam efficientem idem ſequitur effectus. *Reſp.* Si ſcilicet pœna ſenſus oritur tantum ex pœna damni; at ſic cadit Minor, quia pœna ſenſus non tantum oritur ex pœna damni, ſed, 1. Ex rodente conſcientia. 2. Ex cohabitatione Satanæ. Nam pœna ſenſus eſt collectivum aliquid, conſtans ex multis pœnis aggregatis particularibus.

Obj. II. Omnes condemnati habebunt vermem rodentem, *Marc.* 9. *Eſa.* 66. Ergo æque cruciabuntur. *Reſp.* Omnes quidem habebunt, ſed non omnes æqualiter rodentur. *Inſt.* Omnes irregeniti æque ſunt mali; Quia omnes ſunt mortui in peccatis: mors vero in peccatis non admittit gradum. Ergo omnes æquali afficientur pœna. *Reſp.* Quoad naturæ corruptionem omnes quidem ſunt mali, ſed non quoad peccata actualia; quia unus magis peccat, quam alter.

Obj. III. Omnes ad eumdem ignem ablegabuntur à Chriſto. *Reſp.* Sed non omnes æqualiter cruciabuntur. *Inſtant*: At omnes idem peccatum commiſerunt. Dicitur enim, *Eſurii, & non dediſtis* &c. *Reſp.* In judicio univerſali univerſaliter propoſiturus eſt Chriſtus cauſam condemnationis: ſed in judicio particulari, quod uniuſcujuſque conſcientia exercebit; ſententia proponetur particularis ſecundum id, quod quis fecit.

QUÆ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

QUÆSTIO XXII.

An vita æterna differat à ſalute?

Reſp. Affir. Salus eſt perditorum; vita æterna, Angelorum bonorum.

Obj. I. Si vita æterna differat à ſalute; Ergo vel ſalus erit præſtantior vita æterna: vel vita æterna, ſalute. At non poteſt hoc dici, quod vel ſalus præſtet vita æterna; vel vita æterna, ſalute. *Reſp*. Salus illa præſtat vita æterna, quia plura bona continet: continet enim liberationem à malo, & propter hoc continet vitam ipſam æternam. *Inſt*. Si ſalus eſt præſtantior vita æterna; Ergo ſequetur neceſſariò, plus obtingere illis qui peccarunt, quam Angelis qui non peccarunt. At hoc abſurdum. Ergo & illud. *Reſp*. Si ſalus cum vita æterna conferatur, & integritas contra ſalutem; tum certe in integritate conſervata divinitus, plus fuit quam ſalus. *Inſt*. 2. Si plus eſt liberare ex malo, quam conſervare in bono; tum certe adhuc ſalus prævalebit vita æterna. At plus eſt liberare ex malo quam conſervare in bono. Ergo ſalus prævalebit vita æterna. Conſeq. certa. Minorem ſic probo: Si ad conſervandum in integritate non opus eſt Chriſto, & ad liberandum ex malo opus eſt Chriſto; tum ſalus difficilius reparatur, quàm integritas conſervatur. Verum prius. Ergo & poſterius. *Reſp*. Hypoth. falſa præſupp. quaſi ea quæ difficilius reparantur, ſemper ſint meliora, quam quæ in integritate conſervantur. Facilius ſanitas conſervatur, quam perdita reſtauratur, & tamen ſanitas conſervata melior reparatâ.

Obj. II. Si Sp. Sanctus non diſtinguit, nec nos debemus diſtinguere. Ratio eſt. Ubi Scriptura non diſtinguit, nec nos debemus diſtinguere. At Scriptura non diſtinguit, ſed pro eodem accipit. Nam ita dicit: *Qui credit, habet vitam æternam.* ubi per vitam æternam nihil intelligit, niſi ſalutem. *Reſp*. Intelligit ſalutem, ſed ſynecdochice; partem unam ponit, & totum intelligit. *Inſtant*: Si partem intelligit; Ergo poteſt vita æterna aliquid melius adhuc dari. At nihil poteſt melius dari. Ergo partem non intelligit. *Reſp*. Si ſeorſim ſumatur vita æterna & ſalus, tum major ſalus, quam vita æterna. *Inſt*. Summo bono non datur majus. Vita æterna eſt ſummum bonum. Ergo vita æterna nihil datur majus. *Reſp*. Summo bono nihil datur majus, *objective*; nam ita Deus eſt: ſed bono poteſt dari majus *quoad modum percipiendi*, ſive quoad effecta: plura autem ſunt in ſalute, quam in vita æterna.

QUÆSTIO XXIII.

An mors æterna deſcribenda ſit ex qualitate vivendi, an vero ex defectu vitæ?

Reſp. Affirm. Prius. Negat. Poſterius. Quia ſic mors æterna non eſſet pœna reprobis, ſed bonum quid; melius enim eſt non eſſe, quam male eſſe.

Obj. I. Si Scriptura teſtatur, improbos non reſurrecturos; Ergo non ſunt reſurrecturi. Conſeq. certa. Quia quod Scriptura dicit, hoc verum eſt: quod autem Scriptura teſtetur, clariſſimè liquet, Eccleſ. 3. v. 9, *Eventum filiorum hominum eſſe ſimilem ipſius beſtiæ* &c. *Reſp*. Loqui ibi ſecundum rationem humanam, & non in perſona hominis fidelis: & certe, ſi ita eſſet, ſequeretur, non tantum illos non reſurrecturos, qui improbi ſunt, ſed etiam pios. Nam de omnibus in genere loquitur. *Inſt*. Si homines reprobi digni ſunt extremo malo; tum certe non revocabuntur, ſed annihilabuntur. Verum prius. Ergo & poſterius. *Reſp*. Præſupp. hypoth. falſa, quaſi deterius ſit annihilari, quam morte æterna affici. *Inſt*. Certè ita Twiſſus ſentit, contra Arminium de Providentia Dei. Ita Argumentum meum formo: Quod nihil relinquit poſt ſe, hoc eſt deterius eo, quod relinquit poſt ſe. At annihilatio nihil relinquit poſt ſe; condemnatio autem relinquit poſt ſe, ſcilicet hominem. Ergo annihilatio condemnatione, ſive morte æterna, ut illam deſcribitis, eſt deterior. *Reſp*. Quod nihil boni relinquit, ita ut mala ponat. At annihilatio nihil ponit mali; condemnatio ponit malum. *Inſt*. Imo non eſſe eſt malum; Ergo annihilatio deterior eſt. *Reſp*. Non eſſe *privative*, eſt malum; non vero non eſſe *negative*.

Obj. II. Si anima reproborum non ſuperſit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ſit à corpore; Ergo reprobi non reſurgent. At non ſupereſt à corpore. Ergo reprobi non reſurgent. Minor patet, *Pſal. 6, 6. Non eſt in ipſa morte recordatio tui, in ſepulcro quis celebraret te?* *Reſp.* Utut non celebrant, qui morte æternâ puniuntur, non tamen ſequitur, quod non ſuperſint. Quia expreſſe Petrus dicit, eſſe in carcere, 1 *Petr.* 3, 19. Et Judas dicit, ignis æterni pœnam ſuſtinere. *Inſt.* Si Scriptura teſtetur, amplius nullum intellectum ſupereſſe poſt mortem, tum teſtatur, animam non ſupereſſe. At teſtatur prius. Ergo & poſterius. Minor certa. Ubi nullus intellectus, ibi nulla anima rationalis. Major, *Eccleſ.* 9. 7. Viventes enim ſciunt, ſe morituros; mortuos autem neſcire quicquam, nec amplius eſſe iis mercedem. *Reſpond.* Neſcire quicquam eorum quæ hic aguntur, non omnia plane ignorare.

QUÆSTIO XXIV.

An fides ſit ceſſatura?

Reſp. Affirm. quoad *nomenclaturam*, ſed non quoad *eſſentiam* ſeu ſubſtantiam. Verbi gratia, miſericordia quidem futura in altera vita, ſed non quoad reſpectum hunc; quia in vita futura nullus erit miſer: Interim tamen non deſinet eſſe quoad eſſentiam, hoc eſt, non deſinet eſſe caritas, quæ in hac vita vocatur miſericordia. Argumentum I. 1 *Cor.* 13. 13. Hic fides expreſſe ceſſatura dicitur; comparatio enim inſtituitur fidei, ſpei & caritatis: caritas verò eo dicitur præſtare ſpe & fide, quod hæc permanſura in vita futura, illæ non item. *Reger.* Mutatum iri quoad imperfectionem, ut videre *v.* 10. Nihil ergo differt hic fides quoad mutationem ſui à caritate. *Reſp.* Differt hoc ipſo. 1. Quod fides hic reſpicit futura, caritas autem præſentia. 2. Quod fides quoad nomenclaturam mutabitur, caritas non item. Nam caritas vocabitur caritas, etiamſi fatendum eſt, quod mutetur quoad nomenclaturam quandam, ſed non omnem, neque præcipuam; ut quòd non vocanda ullo modo miſericordia.

II. Mutabitur in aſpectum; Ergo non amplius manebit. Prob. 1 *Cor.* 13. 12. *Reger.* Dicitur mutanda in aſpectum; quia circa præſentia verſabitur. *Inſt.* Atqui etiam nunc circa præſentia occupatur; cur ergo aſpectus non vocatur, & in aſpectum non mutatur? *Reſp.* Aliud eſt præſens ſpe, aliud ex parte rerum: non ſunt præſentia poſteriori modo, ſed priori. vide *Heb.* 11. 1, 2. Et Calvini Inſtit. in Artic. de fide.

III. Objectum fidei ſunt promiſſiones in Chriſto Salvatore. Atqui amplius non erunt. Non erit ergo fides: ſublato enim objecto, ſubjectum occupans etiam tolletur. Promiſſiones non fore patet; quia omnes complebuntur. *Reger.* At vero in hac vita multæ complentur, nec tamen fides per hoc minuitur, aut ulla ex parte aboletur. *Reſp.* 1. Complentur in hac vita, ſed inchoative; excepta ſola juſtificatione, quæ in hac vita nobis perfecta confertur. 2. Promiſſio de fine, ad quem tendunt omnia beneficia, non completur in hac vita, niſi etiam inchoative. Atqui fides, potiſſimum fides dicitur, quod reſpiciat promiſſionem factam in Chriſto de fide.

Obj. I. Credemus in Deum in vita futura; Ergo erit fides. *Reſp.* Non ſub hoc formali credemus in Deum, quod impleturus ſit promiſſiones. Quia jam illæ impletæ, ſed quod eas ſit continuaturus & confirmaturus. Hinc Scholaſtici vocant hanc fidem *depenaentiæ*, prout alteram *reſtaurationis*. *Inſt.* At Deum amamus non propter bona, ſed propter ſe; Ergo non credemus in eum, in relatione ea, quod aut nobis bona daturus, aut quod dedit conſervaturus, ſed propter ſe. *Reſp.* Caſuiſtæ diſtinguunt: quod amor reſpiciat Deum abſolutè: Fides in quantum ſe habet ad nos, in bonis dandis.

Obj. II. Fides eſt cognitio. At hæc dabitur in vita futura, & quidem perfectiſſima. Ergo non ceſſatura. Minor, Ioan. 17, *Hæc eſt vita æterna* &c. *Reſpond.* Notitia iſta erit *concretiva* & *experimentalis*, ut in Scholis dici ſolet: at vero hæc, quæ in vita hac in nos cadit, eſt potius *abſtractiva* & *diſciplinaris*, quam *experimentalis*. *Inſt.* Eadem tamen erit ſpecie iſta cognitio. Ergo. *Reſpond.* Caſuiſtæ negant. Nam dicunt, hæc fides, quæ in hac vita reſpicit promiſſiones, modificatur in vita futura, ita ut non futura ſit promiſſionis. Ergo de promiſſionibus obtinendis ceſſabit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Obj. III. In Adamo in ſtatu integritatis erat fides. At nulla ratio dari poteſt, cur id in nobis non fit in ſtatu gloriæ, quod fuit in ſtatu integritatis in homine. Nam quod fuit in ſtatu integritatis in Adamo, hoc in Angelis Dei eſt, quod ad imaginem Dei pertinet. *Reſp.* Non omnia fuiſſe in Angelis, quæ ad imaginem Dei pertinent. Nam quædam virtutes in Angelos non cadunt; ut frugalitas, ſobrietas. 2. Cadebat *fides dependentiæ* in Adamum, non autem *reſtaurationis*. *Inſt.* Atqui promiſſionem habuit de vita æterna; habuit ergo veram fidem: quandoquidem fides vera circa promiſſa verſatur; & hæc ſunt ejus objectum ſpeciale. *Reſp.* Promiſſa in Chriſto facta, ſunt objecta fidei ſalvificæ; non extra Chriſtum, quale hoc ipſum fuit.

QUÆSTIO XXV.

An ignis elementaris futurus ſit in inferno?

Reſp. Negat. Argumentum I. Non eſt proprie dictus ignis, quia dicitur agere in animam, in ſpiritus. At ignis proprie dictus non poteſt agere in animam. Ratio: Quia ut regula optima Philoſophorum habet; *Spiritus non eſt receptivus qualitatum patibilium. Reger. Pontif.* Ex Scriptura poſſe hoc oſtendi, receptivum eſſe ſpiritum qualitatum patibilium; eò quòd in libro Tobiæ dicatur Dæmonium odore eſſe abactum: odor autem eſt qualitas patibilis. Ergo. *Reſp.* Theologi noſtri hinc & ex talibus colligunt, librum hunc eſſe Apocryphum. Cum Chriſtus expreſſe fateatur, *Matt.* 17, Non niſi oratione poſſe pelli Satanam & jejunio, *Marc.* 9. *v.* 29.

II. Chriſtus eſt paſſus mortem æternam, nec tamen ignem ullum expertus elementarem; Ergo in inferno non erit ignis elementaris. *Reger.* Non æternam *duratione*, ſed æternæ æquivalentem *eſſentia*. Ergo non mirum, ſi Chriſtus talem materialem non ſit expertus. *Reſp. Eſſentia* æternam tulit; ut liquet *Heb.* 2. 14. ſed non *duratione.* Ergo æquivalentem.

III. Fideles in hac vita experiuntur & guſtant mortem æternam, nec tamen experiuntur ignem materialem. Ergo. Anteced. prob. *Pſ.* 88. 6, 7, 8. Doctiſſimus Martyr iſta verba, 1 *Sam.* 2. 16, eo accommodat; ita enim vertit: Dominus ad inferos ducit & reducit; ut doceat, fideles ſæpiſſime deſtitutos gratia Dei, experiri pœnas iſtas infernales. *Reger.* Nulla condemnatio iis qui in Chriſto, *Rom.* 8. 1. *Reſp.* Sentiunt non *ut pœnam*, ſed *ut caſtigationes*; poteſt enim affligere Deus creaturam, etiam nullam ob cauſam: Vide hac de re clariſſima loca, *Ioan.* 9. 3. *Iacob.* 5. 15. ubi non obſcurè indigitat, aliquos affligi à Deo nullam ob cauſam.

Obj. I. Expedit Chriſtus hanc quæſtionem, ut liquet *Matth.* 25, ubi ſtatim à judicio, maledictos ablegat in ignem. *Reſpond.* Imo quia additur, paratum Diabolo & Angelis ejus: hinc facilè apparet, non fore ignem materialem. *Inſtat Piſcator*, In pronuntiatione ſententiæ nullos occurrere tropos: hic vero eſt ſententia. *Reſp.* In iſta ſententia occurrunt tropi; v. 33.

Obj. II. *Apoc.* 19. 21. Conjecti ſunt ambo in ſtagnum ignis. *Reſp.* Per hoc notari loca deſtinata maximis cruciatibus: Spir. Sanctus enim has pœnas metaphorice proponit; & ita ut adumbret per pœnas graviſſimas, quæ in hac vita obtingunt. *Inſt. Apoc.* 13. 11, Ibi fumus futurus; Ergo ignis materialis. *Reſp.* Et ibi improprie accipitur, eo quod dicitur fumus tormenti: Tum etiam hoc expendendum, quod fumus non oritur, niſi ignis conſumat corpora, quæ urit: at ibi nulla conſumptio, nam in æternum vivent.

Obj. III. Extra dubium eſt, quòd igne proprié dicto purgabuntur cæli terraq;: cui ergo uſui inſerviet ignis iſte, poſtquam purgaverit hæc, quam ut ad infernum demandetur ad cruciandum damnatos? *Reſp.* Ignis inferni prior eſt iſto igne. Nam in ſententiæ pronuntiatione relegabuntur ad iſtum ignem; tum ergo ibi jam erit ignis: purgatio verò per ignem omnium rerum demum futura eſt poſt diem judicii. *Inſt.* Ergo corpora damnatorum nihil patientur in inferno, ſed tantum animæ. Abſurdum. *Reſp.* 1. Falſa hypotheſis præſupponitur, acſi corpus non affici poſſit ſine elementari igne ſummis & maximis cruciatibus. 2. Ex commercio animæ corpus multa patietur, *Iob.* 33. à v. 18. ad 27.

Obj. IV. Si ignis ſimpliciter nominatur in Scri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Scriptura, dum pœna infernalis deſcribitur, ſequitur, fore materialem ignem. *Reſp.* 1. Conſequ. falſa, quia etiam dicitur *Marc.* 9. *Eſa.* 66, ſimpliciter *vermis*, non tamen ſequitur, ibi fore vermem aliquem materialem. 2. Minor quoque negatur.

Inſt. Probatur ex *Matth.* 25. 41. *Apoc.* 20. *Reſp.* Nihil his locis probatur, quia verba non tantum ex adjecto, ſed & ex ſubjecta materia debent intelligi. 2. *Retorquemus* Argumentum: Ignis talis futurus eſt, qui paratus eſt Diabolo & Angelis ejus. At elementaris non poteſt agere in Diabolum. Non ergò materialis intelligendus eſt.

Inſt. Verba Scripturæ proprie accipi, niſi aliquod abſurdum forte ſequatur. At hic nullum abſurdum. Ergo. *Reſp.* Imo eſt abſurditas, hæc videlicet, quod corpus in ſpiritum agere poſſe ſtatuitur. Actio enim corporea fit ex contrarietate qualitatum. At in ſpiritualibus tales non ſunt. Ergo.

Inſt. Corpore male affecto, afficitur & anima, Ergo poteſt etiam corpus agere in ſpiritum ſeu animam. *Reſp.* Verum eſt, quod paſſio quædam animæ oriatur à corpore, non ut à cauſa, ſed ut ab objecto, h. e. objective tantum corpus agere poteſt in animam. Nam quia anima ſcit corpori male eſſe, ideo turbata eſt. v. g. cum quis videt pios trucidari, affligitur tum quidem graviſſime; ſed hæc afflictio oritur objective, non phyſice. At cum ignis in aliquem agere dicitur, ibi oritur uſtio & dolor, non ab objectiva, ſed phyſica cauſa, quia urere eſt proprium ignis.

Obj. V. Si impii Sodomitæ & Gomorrhæi igne materiali abſumpti ſunt, & illo adhuc torquentur, ſequitur ergo ignem infernalem fore materialem. *Reſp.* Partem quidem primam Antecedentis concedimus, ſed alteram negamus; nec quicquam ex Hiſtoricis probari poteſt: Teſtantur quidem quod in eo loco ſit lacus Aſphaltites, ex quo ſemper fumus & bitumen appareat, adeò ut, dum aves prætervolant locum, à fumo illo enecentur. Non tamen ſequitur, Sodomæos in illo lacu torqueri, quia Judas in Epiſtola ſua, *v.* 7, aliud teſtatur.

CAPUT XXV.

De Sanctis.

QUÆSTIO I.

An Sancti demortui ſint invocandi?

Argum. I. Sancti ſunt venerandi vel cultu latriæ vel duliæ. Non latriæ, quia tantum Deo competit. Ergo. *Reſp.* Neg. Minor, quia vox λατρείας & δουλείας, modo pro Dei, modo pro civili cultu ſumuntur. Eſt enim cultus latriæ & duliæ unus & idem. Vide Urſinum in Catecheſi, ſupra quæſt. Dominicam 36. pag. 616.

Argum. II. Quos Deus vult honorari cultu religioſo, eos ſic venerari juſtum eſt. At Sanctos, 1 *Sam.* 2. 30. *Reſp.* 1. Negatur Antecedens, vel Minor, neque ex loco allegato probari poteſt. 1. Quia ibi Deus de ſuo loquitur honore. 2. Non loquitur de Sanctis demortuis. 3. Dicit tantum, quid ipſe velit facere erga ſuos cultores; non autem docet, quodnam ſit noſtrum erga Sanctos officium.

Argum. III. Quos Deus poteſtate & majeſtate judicandi æquali cum Filio ſuo donat, illi ſunt cultu religioſo honorandi. At Sanctos. *Mat.* 19. 28. *Reſp.* 1. Minor negatur, quod eos æquali poteſtate donavit: nam aliud eſt, judicare, ſententiam ferendo, crimina damnando, & pœnas inferendo; aliud autem, approbando. Sic, judicabunt Sancti non primo modo, ſed dicent, *Juſtus es, Domine, & juſta judicia tua.* 2. Conſequentia etiam negatur. Nam ſi ſequeretur, Sancti etiam judicabunt mundum, tum ſequeretur, omnes eſſe invocandos, quia omnes judicabunt, 1 *Cor.* 6.

Argum. IV. Si Angeli & Sancti homines in N. T. invocati & honorari ſunt, etiam nunc debent. Atqui, *Gen.* 18. 2, 3. *Reſp.* Negatur Conſeq. Quia tantum civili cultu ſunt honorandi; quod ex eo apparet, quia expreſſe dicit, *putabat Abraham eos eſſe viros.* Ergo civili cultu eos tantum honorabat.

Inſt. Atqui plus quid fecit, nam dicit, *Si inveni gratiam in oculis veſtris:* quod ſoli Deo dici ſolet. *Reſp.* Negatur. Nam & de hominibus

ſolemus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ſolemus dicere, *Det Deus mihi gratiam in oculis ejus*; ut, *Gen.* 43.14, Jacob ad Filios.

Inſt. Atqui dicitur in textu, *Invocetur ſuper eos nomen meum. Reſp. Invocetur*, vel *vocetur* potius debet verti, ſumitur non pro cultu aliquo religioſo, ſed pro denominatione ab altero; ut Dan. 9. 19, *Invocetur nomen tuum ſuper nos*, h. e. vocemur populus tuus. Ita apud Eſaïam, Septem mulieres dicent uni viro, Invocetur ſuper nos nomen tuum, h. e. nomine tuo vocemur.

Inſt. Vox קרא conſtructa cum voce שם, ſignificat *invocare*, ſcil. cultu religioſo. At hic ita ponitur. Ergo etiam ſic accipi debet. *Reſp.* Verum quidem, quod vox שם abſolute notet *Deum*, ſed cum reſtringitur, *me, te*, tum nullibi pro *Deo* accipitur, niſi fortè ad Deum plane referatur ex textu. Et ſi forte aliquando non addatur epitheton tale, *me*, *te*; tamen pro ſubjecta materia reſtringi debet.

Argum. V. Mediatores ſunt invocandi. Sancti ſunt mediatores. Ergo. *Reſp.* Minor falſa, quia 1 Tim. 2, *Unus eſt Mediator Dei & hominum, Chriſtus*, &c. Mediator eſt is proprie, qui ſatisfactionis ſuæ interventu intercedit. At talis ſolus Chriſtus. Ergo.

Inſt. Qui intercedit, ille eſt mediator. Sancti & Angeli intercedunt, *Apoc.* 5. 8. *Reſp.* Notorium hoc apud Hebræos, quod vel adjectivum competens, vel ſubſtantivum, repetant pro nomine reciprocativo: ut, pro eo quod debebat dici, Saül vocavit eum ad ſe; dicitur, Vocavit eum Saül ad Saülem. Ita & loco citato, ut ſenſus ſit, Quod Sancti preces ſuas deferant Deo.

Argum. VI. Ex *Ier.* 15. 1. Si inſtarent &c. Ergo invocandi. *Reſp.* Particula iſta conditionalis *ſi*, aliquando vel pro eo ſumitur quod nihil prorſus ponat, ſed ut magis exaggeret rei impoſſibilitatem; vel aliquando ponit aliquid. Loco citato debet ſumi in priori ſignificatione, quia ponitur pro re impoſſibili: proinde ut *Pſal.* 139, Si aſcenderem ad auroram; hic ſane nihil in effectu ponit, ſed exaggerat impoſſibilitatem.

Argum. VII. Si epulo ille intercedit pro fratribus, multo magis Sancti pro piis. Atqui, *Luc.* 16. *Reſp.* Conſeq. nulla, quia Argumenta deſumpta ex parabolis, nihil probant, niſi quatenus ex ſcopo parabolæ ſunt deſumpta. Alias ſi ex materiali parabolæ argumentari velimus, tum multa abſurda inde poſſemus inferre; ut, animam habere, linguam, digitum, &c.

Argum. VIII. Reſpondet *Bellarminus* ad Argumenta noſtra, dum noſtri dicunt, quod Sancti neſciant cogitationes noſtras, ex loco *Actor.* 5, Si Petrus Ananiæ cogitationes ſcivit, Ergo etiam nunc Sancti ſciunt. *Reſp.* Scivit Petrus, ſed ex ſingulari revelatione, qua Deus ſpiritualiter hoc ei detexit.

Inſt. Sancti ex intuitu eſſentiæ Divinæ omnia poſſunt ſcire, quia eſſentia Divina eſt quaſi ſpeculum. *Reſp.* Deus nullo modo ab ullo immediate cognoſci poteſt, quia infinitus eſt. 2. Ipſe Becanus dicit, Stultum eſſe quod quidam de hoc ſpeculo ſcripſerint; quia ſi ita eſſet, tum conſequeretur, Sanctos omnia ſcire, & proinde etiam diem Judicii: at hoc abſurdum.

Inſt. 1 *Ioan.* 3. 2, *Videbimus eum ſicuti eſt*: Ergo Sancti jam. *Reſp.* 1. Reſpondent quidam Scholaſtici, *Videbimus eum ſicuti eſt*, ſcil. comprehenſibilis à creaturis. 2. Zvinglius diſtinguit; Deus conſideratur vel abſolute, ut eſt in ſe; & ſic non eſt comprehenſibilis: vel, ut eſt erga nos affectus. Hic non poſſumus videre quomodo erga nos perfecte ſit affectus, ſed ibi videbimus: Et ſic explicari debet locus iſte allegatus.

Argum. IX. Si Sancti non ſunt invocandi, tum hoc ſit, vel quia ipſi nolunt, vel quia neſciunt neceſſitates noſtras, vel quia Chriſti honor ipſis deferretur. Sed neutrum. Ergo. *Reſp.* Neg. Minor; Nam revera nec Sancti hoc volunt, nec ſciunt quid nobis deſit, & Chriſti honor ipſis defertur, quod eſt Idololatriam exercere. *Minor prob.* per partes. I. Quod velint invocari. Si Sancti vivi volebant invocari, Ergo multo magis mortui. Atqui. Ergo. *Reſp.* 1. Conſeq. neg. quia non omne quod Sancti volebant in hac vita, volunt etiam in altera. 2. Negatur & Minor, quod Sancti volebant in hac vita cultu religioſo affici. *Minor prob.* 2 *Reg.* 4. 27, Adoratio Sanctorum eſt religioſa invocatio. Viri Sancti adorabantur. Ergo. *Reſp.* Major eſt falſa, quod adoratio ſit invocatio, quia ſæpius legimus, quod aliquis aliquem adoraverit, nec tamen

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

men invocavit: ut de Bethſabe dicitur, quod ſe incurvaverit, non tamen inde ſequitur, Adoravit Regem, Ergo invocavit.

Inſt. 1. Imo invocauit, quia auxilium ejus petiit. *Reſp*. Male dicitur, Invocavit ejus auxilium; quia *petiit*, proprie dicere debet: Nam invocamus proprie eum qui abſens eſt. Quamvis autem Deus non ſit abſens à nobis, recte tamen dicitur invocari, quia Deus invocatur à nobis eatenus, quatenus auxilium ejus à nobis abeſt.

Inſt. 2. 1 *Sam*. 7. 12. Iſraëlitæ ad Saülem accedunt & adorant eum. Ergo volebant vivi adorari. *Reſp*. Jam reſpondeo, qualis fuit adoratio, nempe civilis cultus, non vero religioſa invocatio.

Argum. X. Quod ſciant. 1. Si Angeli ſciunt preces & neceſſitates hominum, etiam Sancti in cælis degentes ſciunt. Atqui. Ergo. *Reſp*. Conſeq. falſa; & falſitas ejus ex eo oſtenditur, 1. Nam Angeli nobiſcum in hoc mundo verſantur, Sancti autem demortui non verſantur. Non ergo ſcire poſſunt, prout illi. 2. Negatur etiam ſimpliciter, Angelos noſſe neceſſitates noſtras. Nam hoc proprie eſt ſcire neceſſitates, ſcire, an ſtatus iſte in quo homo vivit, illi expediat nec ne? Sciunt quidem Angeli me, aut te in periculis verſari, ſed an expediat mihi aut tibi ſtatus iſte in periculis, hoc Angeli ſcire non poſſunt, quia hoc ſolius Dei eſt. Vident ergo Angeli & ſciunt, quoad externa & materialiter, non vero quoad interna; vel formaliter. Sic enim ignorant.

Inſt. Si Angeli ſupra converſionem peccatoris, quæ maxima eſt neceſſitas, lætantur, Ergo ſciunt neceſſitates. Prius *Luc*. 15. 10. *Reſp*. 1. Pœnitentia non eſt neceſſitas. Nam neceſſitas eſt hoc ipſum, quo opus habemus ad aliquid. V. g. dum neceſſariis quibuſdam deſtituor. 2. Dato, non conceſſo, quod neceſſitatibus annumeranda ſit pœnitentia, tamen dicimus, ne ſic quidem Angelos noſſe pœnitentiam, ſed tantum probabiliter norunt non niſi ex effectis externis. At iſta etiam poſſunt hypocritæ facere: non norunt ergo vere, quinam pœniteant ſincere.

Inſt. Si homines Sancti, in terra viventes, cogitationes hominum norunt, multo magis in cælis degentes. Antecedens probatur. 2 *Reg*. 6. *v*. 9. Elizæus inſidias ſcivit. *Reſp*. Negamus, Elizæum hæc ſciviſſe ex ſe, quia divinitus ex revelatione divina ſcivit: id quod inde patet, quia cogitationes hominum noſſe, ſolius Dei eſt. Is enim ſolus eſt, & nullus præter eum, qui ſcrutatur corda & renes hominum.

Inſt. *Act*. 5. Petrus ſcivit cogitationes Ananiæ. *Reſp*. Scivit non ex ſe, ſed ex revelatione Sp. Sancti: quod quanquam ibi non dicatur, ſufficit nobis, quod Sp. Sanctus in Sacris Literis documenta dederit clariſſima, ex quibus deduci poteſt, quod Sancti homines talia non ex ſe, ſed ex revelatione habuerint. Tale autem documentum eſt illud, 1 Cor. 2, *Nemo novit cogitationes hominum*.

Inſt. Sancti eadem gloria fruuntur, qua Angeli; Quod ſi Angeli ſciunt, Ergo & Sancti. *Reſp*. Præſuppon. falſa hypoth. quod Angeli ſciant noſtra facta ex viſione Dei: quod falſum; nam ſciunt, quia nobiſcum verſantur.

Inſt. *Luc*. 15. Si Angeli in cælis lætantur ſuper peccatore in terris converſo, ſequitur, eos hoc non ex ſe habere, ſed quod nobiſcum converſantur. Atqui. Ergo. *Reſp*. Falſo allegatur textus, quia ibi non habetur, *in cælis*. 2. Dato, non conceſſo, in cælis lætari; non ſequitur tamen, Ergo nobiſcum converſantur. Nam non converſantur ita nobiſcum Angeli, ut aliquando in cælum non redeant. Converſatio iſta non excludit hoc: neque nos hoc diximus.

QUÆSTIO II.

An honor Chriſti Sanctis deferatur?

Bellarm. negat. Argument. I. Si Chriſti honor non defertur Sanctis, tum nulla fit injuria Chriſto. Anteced. prob. Si Sanctis non tribuitur honor ille qui Chriſto tribuitur, tum &c. Verum prius. Ergo. *Reſpondeo* ad Majorem, limitando: Si honor Chriſti non defertur Sanctis, neque per hoc Chriſti honor violatur, tum ſequitur, quod in quæſtione eſt. At ſic cadit Minor. Nam poteſt Chriſti honor Sanctis non deferri, interim tamen licet eis alius honor deferatur, Chriſti honor per id violatur. Quia enim

enim Chriſtus eſt unicus mediator, nec vult ad Patrem iri per alium niſi per ſe, illi tamen alios quærunt mediatores, oſtendunt, Chriſtum non eſſe mediatorem illum, de quo *Hebr.* 2 agitur, quod ſit miſericors, qui velit & poſſit omnibus ſuccurrere.

Inſt. Nulla fit injuria Chriſto, quia interceſſiones Sanctorum non valent, niſi vi interceſſionis Chriſti & meriti ejus. *Reſp.* Non ſequitur; Nam eo ipſo, dum alios quærunt præter Chriſtum unicum, violatur Chriſti honor. 2. Neque hoc ex præſcripto faciunt; At quod non ex præſcripto Verbi Divini fit, fit contra Deum & Verbum ipſius.

Inſt. Matth. 28. *Quicquid uni horum feciſtis, mihi feciſtis.* Ergo & honor Sanctis datus, eſt Chriſti honor. *Reſp.* Non ſequitur: quia Chriſtus loco citato non agit de rebus quibuſlibet, multo minus de rebus contrariantibus Verbo Dei, qualis eſt religioſa Sanctorum invocatio, ſed agit tantum de beneficiis in proximum à nobis collatis.

Inſt. Propter quorum merita Deus benefacit hominibus in hac vita, illi ſunt honorandi, invocandi. At propter merita Sanctorum. Ergo. Anteced. *Probat.* 1 Reg. 15. 2 Reg. 19: *Propter Davidem ſervum meum liberabo eos.* Ergo Sancti mortui invocandi. *Reſp.* Neg. Antecedens. *Prob.* autem ejus nihil probat, quia non dicitur propter merita Davidis, ſed propter David, hoc eſt, propter fœdus quod cum eo pepigi.

Inſt. Fœdus cum Davide factum, refertur ad Meſſiam. Hæc promiſſio de liberatione ad Meſſiam non refertur. Ergo promiſſio illa fœdus illud Dei cum Davide non reſpicit. *Reſp.* Si illud *refertur ad Meſſiam*, accipiatur quod promiſſio illa non fuerit fundata in meritis Meſſiæ, tum negatur Minor, quia 2 *Cor.* 1, *Omnes promiſſiones in eo Etiam, Amen.* Si autem non refertur ad Meſſiam, dicatur h.e. facta cum Meſſia, tum conceditur, ſed nihil ad rem.

Inſt. Ego priori modo accipio; Liberatio ab obſidione urbis, non fundatur in promiſſione Meſſiæ. Hæc talis. Ergo. *Reſp.* Neg. Major. Nam manifeſte reſpicit hæc liberatio ad fœdus Dei, quia enim promiſerat, quod Sceptrum à Juda non debeat auferri, ideo liberare debebat Judæos, quia Siloh nondum venerat, ut ſic eſſet perpetuo aliquis ſuper ſolium Davidis.

QUÆSTIO III.

An imagines Dei, Chriſti, crucis Chriſti, & Sanctorum, ſint faciendæ?

Bellarm. affirm. Argum. I. Quod in Vet. Teſtam. debuit eſſe, illud etiam in N. Teſt. debet eſſe. Atqui imagines. Ergo. *Reſp.* 1. Major falſa, quæ infinitis Enſtaſibus ex Scriptura oſtendi poteſt. Nam Paſcha, Circumciſio, Sacrificia, Serpens æneus, &c. erant in V. Teſt. non ſequitur tamen, Ergo adhuc eſſe debent in N. Teſt. 2. Negatur Minor, fuiſſe tales imagines.

Inſt. Si imago Chriſti in V. Teſt. fuit, Ergo etiam in N. Teſt. eſſe debet. At fuit, nempe Serpens, *Num.* 21. Ergo. *Reſp.* Inepte iſta confunduntur, typus & imago. Serpens fuit typus Chriſti, at non imago ejus. Non ſequitur autem, Fuit typus, Ergo & in N. Teſt. eſſe debet. Sed hoc ſequitur, Ergo in N. Teſt. debet eſſe antitypus.

Argum. II. Si imagines in N. Teſt. eſſe non debent, tum fiet, quia lege Dei prohibitum eſt. At non ſunt prohibitæ imagines, ſed idola. Ergo debent eſſe imagines. *Reſp.* Docte reſpondet Urſinus in Explicat. Catech. *quæſt.* 91. *pag.* 596, quod idolum & imago unum idemque ſit.

Argum. III. Deus viſus eſt corporea ſpecie, Ergo poteſt pingi. *Reſp.* Non ſufficit, Deum ſic eſſe viſum, ſed etiam oportet, hic adſit, ſi ita pingi debet, ut idem juſſerit: jam vero contrarium docet in promulgatione legis.

Argum. IV. Si homo poteſt pingi, etiam Deus. Ratio, quia homo eſt imago Dei. *Reſp.* Homo, qua eſt imago Dei, nullo modo pingi poteſt. Nam imago Dei cum ſit in naturæ integritate, ſanctitate, intellectu, & voluntate, quomodo hæc poterunt pingi?

Argum. V. Scriptura depingit nobis Deum habentem membra, Ergo poterit pingi. *Reſp.* Omnia iſta de Deo metaphorice dicuntur, & ſignificant longe aliud: ut, per naſum ſignificatur

catur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

catur ira & juſtitia ejus puniens: per brachium, potentia ejus, &c. Non ſequitur ergo, eo fine nobis proponi, quod debeat ſic pingi: imo ſi ita pingendus eſſet, prout eum Scriptura depingit, tum monſtrum pingeretur: quod *Apocal.* 1 liquet.

Argument. VI. Quicquid Chriſtum ſignificat, eſt adorandum. Crux Chriſtum ſignificat. Ergo. *Reſp.* 1. Committi ignorationem Elenchi, quia non de eo quæritur, an ſit adoranda; ſed hoc prius eſt probandum, quod in quæſtione eſt, an ſit erigenda vel facienda? 2. Major etiam eſt falſa, quia etiam Melchiſedec & alii ſummi Sacerdotes Chriſtum ſignificabant; male tamen quis eos adoraret. 3. Minor etiam limitanda: Nam ſignificat aliquid Chriſtum vel ex inſtituto Divino, vel humano. Sed ex inſtituto humano Chriſtum crux ſignificat. Ergo ineptè.

QUÆSTIO IV.

An Peregrinationes votivæ & religioſæ probandæ ſint?

Bell. Affir. Argument. I. Si Deus in V. T. inſtituit peregrinationem ad urbem Sanctam; Ergo & in N. T. eſſe debent peregrinationes. Atqui, *Deut.* 16. *Reſp.* Negatur Conſeq. Ratio Joan. 4, *Veniet tempus, ubi neque in hoc monte, neque* &c.

Argument. II. Quod facit ad Dei gloriam, illud eſt faciendum. Sed peregrinationes ad loca ſancta. Ergo. *Reſp.* 1. ad Majorem. Quod facit ad gloriam Dei, & eſt inſtitutum Divinum, illud eſt faciendum: alias quando eſt inſtituti humani, ibi valet illud Chriſti, Matth. 15. 9, *Fruſtra me colunt*, &c. Deinde iſtæ peregrinationes non faciunt ad gloriam Dei, quia eas faciunt ex ſuperſtitione & opere operato.

Argument. III. Faciunt ad devotionem. Ergo. *Reſp.* Neg. Minor: quia illud quod ex inſtituto Divino non eſt, non poteſt ullo modo ad veram devotionem facere; imo fruſtra agitur ſecundum ſententiam Chriſti, *Matth.* 15. 9.

QUÆSTIO V.

An reprobi ſint peccaturi in inferno?

Negat. Argumentum I. Qui mortuus eſt, liberatus eſt à peccato, *Rom.* 6. 7. *Reger.* Agitur ibi non de quavis morte, ſed qua morimur peccato. *Reſp.* Univerſalis eſt propoſitio iſta, & cuivis morti accommodari poteſt.

II. Creſcerent ſic pœnæ in infinitum: quod abſurdum. *Reger.* Imo in infinitum durabunt. *Reſp.* Aliud eſt, in infinitum durare; aliud, eſſe in infinitum extenſive, & pœnas infinitas habere intenſive.

III. Infernus non eſt agendi locus, ſed patiendi. *Reger.* Scotus: Reprobi aut patienter tolerant pœnas, aut non. Si prius; Ergo virtutem habent. Si poſterius; Ergo peccant. *Reſp.* Impatientia in inferno non habebit rationem peccati, ſed pœnæ, quam Chriſtus explicat per fletum & ſtridorem dentium.

Obj. I. In cælis Sancti edunt opera bona. Ergo reprobi in inferno mala. Conſequent. Quia oppoſitorum ratione generis & communium accidentium eadem eſt ratio. *Reſp.* Argumentum ab oppoſitis non eſt firmum; & in inferno non eſt agendi, ſed patiendi locus. *Inſt.* Imo agendi. Quia Diaboli tortores erunt. *Reſp.* Quomodo tortores ſint, non liquet; probabile tamen eſt objective hoc futurum, eo quod converſabuntur cum hominibus.

Obj. II. Apoc. 16. 11, *Et blaſphemarunt Deum cæli* &c. *Reſp.* Non agitur ibi de extremo judicio, ſed de judicio particulari in terra; Nec enim voluntas amplius peccandi ibi erit, cum metus pœnæ majoris, homines, ut à peccando in genere, ita & à blaſphemando deterrebit.

Obj. III. Deſperabunt impii in inferno; Ergo peccabunt. *Reſp.* Ut ſpei non erit locus in inferno, ita nec deſperationi. Quia mala jam præſentia erunt. *Inſt.* Ubi nulla ſpes, ibi deſperatio. *Reſp.* In hac vita quidem ſpei opponitur deſperatio *negative*; ſed illic, *privative.* Ergo non ſequitur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

QUÆSTIO VI.

An pœnæ & ſupplicia eadem ſint futura in Inferno omnium?

Reſp. Diſtinguendo, quædam enim ſunt pœnæ, quæ ſunt effecta iræ Dei *privativa*; quædam quæ ſunt *poſitiva* effecta. Scholaſtici hæc ita efferre ſolent, Eſt *pœna*, inquiunt, *damni*, & eſt *pœna ſenſus*. Privativa effecta ſunt, excluſum eſſe à regno cælorum, privatum communione Dei. In his omnes ferent pœnas; nam omnes æqualiter privabuntur. In poſitivis autem pœnis diſcrimen erit; nam unus altero majori torquebitur pœna; hæc autem pœna erit morſus conſcientiæ ob admiſſa peccata, & dolor ob amiſſam vitam æternam; de quo, *Matth.* 10, & 11.

Objici hic ſolet: Cum dolor iſte oriatur ob amiſſa bona, & vero æqualiter omnes iſtud bonum amiſerunt, conſequens videtur, pœnas iſtas æquales etiam fore. *Reſp.* Dolorem iſtum oriri, partim ob amiſſum bonum, partim ob peccata commiſſa: quoad prius, dolor hic iſte etiam erit æqualis: quoad poſterius, dolor non erit æqualis; ſed, ut unus altero gravius peccaverit, ita etiam unus altero, propter graviora peccata, gravius torquebitur.

QUÆSTIO VII.

Utrum in vita æterna nos ſimus invicem agnituri?

Sciendum, *Cognitionem* vel eſſe rei antea uſæ, vel rei nondum uſæ: utraque futura. *Primum* probatur hinc; Quia expreſſe Chriſtus agnoſcetur ab iis, qui ipſum pupugerunt: & hoc ipſum oſtenditur ex eo, quod judicium futurum eſt, & videbit unuſquiſque eos, cum quibus vel ſocietate inita peccaverat, vel à quibus injuria afficiebatur, vel ex aliqua ſimili cauſa; Ergo ſe invicem cognoſcent.

II Argument. ex *Eccleſ.* 5. ubi iſti qui ſtabunt à ſiniſtris, dicturi iſtis, qui à dextris ſtabunt; *Ecce quos nos pro infimis habebamus:* &c. quod ipſum manifeſte oſtendit, eos ſe invicem agnituros.

Objici poteſt: Qua ratione poſſunt ſe agnoſcere, cum, verbi gratia, monſtroſa ſæpe aliqua parte fuerint, aut etiam mutila, & hi defectus ibi jam non erunt. *Reſp.* Ut iſti agnoſcebantur, qui à Chriſto & à Diſcipulis ſanabantur, ita & hi agnoſcendi. Cauſa eſt autem in plerorumque membrorum cognitione.

Objici 2 poteſt: Si ſe agnoſcent in vita æterna; Ergo videtur nulla beatitudo fore in vita æterna. Ratio, quia ibi multi patres videbunt filios condemnatos, & multi filii patres &c. At qua ratione poterit hoc ferri æquo animo; aut quomodo poterit ibi eſſe lætitia? *Reſp.* Omnes quotquot erunt, ibi acquieſcent in voluntate Dei, nec ulla ratione movebuntur pœnis ſuorum cognatorum, ex juſtiſſimo Dei judicio proficiſcentibus. Id quod vel in hac vita ſæpe evenit, ut ita acquieſcant in voluntate Dei homines pii, ut dolorem ex eo non hauriant, ſi quid ad eos mali redundet. Exemplum in Rebecca, cui conſtiterat ex oraculo Dei, Eſau rejiciendum, Jacob aſſumendum in gratiam.

Quod ad ſecundam *cognitionem* attinet, illa nos etiam ſumus cognituri: quod patet ex cognitione Adæ, qua cognovit, Evam ex coſta à ſuo latere exempta factam fuiſſe, quam tamen ille antea nunquam viderat. Et hoc eſt argumentum Lutheri apud Sleidanum *lib.* 16, *circa finem*: ſed quod per ſe efficax non eſt; proinde ad ſtabiliendum illud afferimus nos clarius, ex *Matth.* 17. ubi Petrus & filii Zebedæi agnoſcunt Eliam & Moſen cum Chriſto loquentes, quos tamen antea nunquam viderant. Quod ſi quæras rationem unde hoc fiat, hanc damus: Quod nempe hæc ipſa cognitio futura ſit donum Dei immediate hominibus infuſum, ut Adæ cognitio infuſa erat, ita ut quævis animantia & ipſorum naturam noſſet, & unicuique ipſorum nomen ex natura indidiſſet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

INDEX
Capitum & Quæſtionum Theologiæ Polemicæ.

CAPUT I.
De Scriptura Sacra.

QUÆST.

I. *Unde conſtat Scripturam eſſe Verbum Dei?* Pag. 61
II. *Anne quis ex interno Spiritus Sancti teſtimonio ſibi perſuadere & probare poſſit, Verbum Dei eſſe Verbum Dei?* 62
III. *An aliquis ex Scriptura ſibi ipſi probare poteſt, Verbum Dei eſſe Verbum Dei?* 63
IV. *An ex teſtimonio Eccleſiæ probetur, Verbum Dei eſſe Verbum Dei?* 64
V. *An libri Apocryphi ſint Canonici?* ibid.
VI. *An Scriptura ſit neceſſaria ad ſalutem?* 65
VII. *Qua lingua Scriptura ſit authentica?* 65
VIII. *An Latina vulgata verſio ſit authentica?* 66
IX. *An Scriptura debeat transferri in alias linguas?* 67
X. *An Scriptura ſit perſpicua, à quibus & quomodo poſſit ſalutariter percipi?* 68
XI. *An Scriptura ſit tam aperta per ſe, ut ſine explicatione ſufficiat ad controverſias fidei determinandas?* 70
XII. *Quis ſit Iudex Controverſiarum?* 71
XIII. *An ex Scriptura poſſint decidi controverſiæ ſine judice corporaliter præſente?* 72
XIV. *An tanquam medium ad perſpicuitatem Scripturæ obtinendam debeat adhiberi interpretatio?* 73
XV. *An Scriptura ſit perfecta?* 74
XVI. *An quædam ſcitu neceſſaria ad ſalutem deducantur & deduci poſſint per bonam conſequentiam?* 77
XVII. *Qua ratione Scriptura dicatur eſſe primæ veritatis, cum prima veritas ſit ipſe Deus?* 78
XVIII. *Qua ratione dicatur tantum Verbum Dei immediate profectum à Spiritu Sancto?* 78
XIX. *Si omnes libri Canonici ſint ejuſdem auctoritatis, quare auctor Epiſt. ad Hebr. dicit: Sermonem per Chriſtum firmiorem fuiſſe, quam qui allatus fuit per Angelos. Dum autem dixit per Angelum allatum, reſpexit ad Legem, quæ per manus Angelorum ordinata*, Gal. 3. v. 19. 79
XX. *An Scriptores ſacrorum librorum errare potuerint in doctrina, & ſi hoc, quomodo illa quæ proponunt, ſunt certæ auctoritatis?* 79
XXI. *Quomodo ſi ſcriptores N. Teſtam. afflati à Spiritu Sancto docuerint, qua ratione, inquam, potuerit examen de doctrina ipſorum fieri, ſine contumelia in Spiritum Sanctum? Nam hoc erat ſubjicere regulæ alicui opera Sp. Sancti. Debuiſſe autem examinari quæ docebant, certum eſt, quia obligamur ad hoc, ut omnia probemus, & quæ bona ſunt, teneamus, tum quod factum hoc à Beroënſibus commendatur ab ipſo Spiritu Sancto*, Act. 17. 11. 79
XXII. *Quomodo Scriptura dici poteſt perfecta, tum ratione materiæ, tum ratione formæ.* 1. *Cum multi libri Canonici perierint, ut videre eſt*, 1 Reg. 23. 33. 2. *Cum videantur Ethica ſcripta magis methodice conſcripta, quam hæc, ubi plane videtur nulla methodus?* 80
XXIII. *Qua ratione homini irregenito Scriptura dicatur obſcura, cum & lex innata ipſi ſit, & ſi quid ex Evangelio dicatur, intelligat?* 80
XXIV. *Quid de punctis vocalibus in Scriptura Hebræa ſtatuendum?* 80
XXV. *Vox* Jehova, *cum ſcripta ſit, quæritur, an illa legenda necne?* 81
XXVI. *An ſenſus Scripturæ ſit unicus?* 82

CAPUT II.
De Lege.

Et quidem primo

De Lege Morali.

I. *An lex moralis nunc ſit perfectior quam olim fuit per Moſen tradita?* 82

De Lege Cerimoniali.

I. *An lex cerimonialis ſit doctrina Evangelii, an vero peculiarem legis ſpeciem conſtituat?* 84

De Lege Forenſi.

I. *An apud Chriſtianos in Iudiciis Politicis nullæ aliæ Leges obſervari debeant, quam hæ ipſæ Leges Moſaicæ?* 85
II. *An Magiſtratus Chriſtianus ſupplicio debeat afficere ſontes?* 86
III. *An Deus ſit cauſa Decalogi?* 87

IV.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

IV. *An Decalogus poſſit dici lex moralis?* ibid.
V. *An lex Moſis ſit perfecta?* ibid.
VI. *An lex Moralis fuerit abrogata?* 88
VII. *An Legem moralem ſervare poſſimus?* ibid.
VIII. *An omne quod præcipit lex, ſit bonum?* ibid.
IX. *An omne quod lex prohibet, ſit malum?* 89
X. *An lex irregenitis nota ſit ſalutariter?* ibid.
XI. *An lex Gentilibus nota ſit ad hoc, ut ſint inexcuſabiles?* 90

Caput III.
De Evangelio.

I. *An Evangelium repugnet Legi?* 91
II. *An dentur opera Evangelii, quæ Legis non ſunt?* ibid.
III. *An Evangelii locus fuerit in V. Teſt.* 92
IV. *An reprobi vocentur eo fine ut reſipiſcant?* 93
V. *An Evangelium aliquibus ſit occultum?* ibid.
VI. *An doctrina Evangelii natura nota ſit?* 94
VII. *An doctrina Evangelii nota ſit practice?* ibid.

Caput IV.
De Deo in genere.

I. *Cum dicatur Deus analogice Ens, & analogice hæc & illa ipſi tribui, quid ibi per analogiam intelligatur, quæritur? Nam ſi dicas, Ens proprie analogice de Deo dici, tum participabit de Ente & erit ſpecies analogati; quod abſurdum, ut ex ipſa doctrina de genere analogo patet?* 95
II. *Cum creatura cum Creatore commune nihil habeat, præter nomen, quomodo ex illis, quæ de creaturis dicuntur communiter, & de Deo, à creatura ad Deum argumentari liceat?* ibid.
III. *Anne, cum tot attributa ſint in Deo, Deus ſit ſimpliciſſimus?* ibid.
IV. *An quicquid in Deo eſt, ſit ipſe Deus?* 97
V. *An Deus ſit infinitus?* 98
VI. *An ſolus Deus ſit æternus?* 99
VII. *An Deus ſciat futura contingentia?* 100
VIII. *An Voluntatis Dei cauſa externa dari poſſit?* 101
IX. *An Voluntas ſigni & beneplaciti pugnent?* 102
X. *An Deus ſit omnipotens?* ibid.
XI. *Quomodo Deus dicatur aliquid potuiſſe vel poſſe facere?* 103
XII. *An Deus ſit mutabilis vel ratione Eſſentiæ, vel Voluntatis?* 104
XIII. *An Iuſtitia & Miſericordia ſint in Deo naturalia?* ibid.
XIV. *An juſtitia puniens Deo ſit eſſentialis?* 105
XV. *An Deus neceſſario puniat peccata?* 106
XVI. *An Deus remittat peccata, nulla ſatisfactione accepta.* 107
XVII. *An Miſericordia Deo ſit eſſentialis?* 108
XVIII. *Quid per affectus, quos Scriptura attribuit Deo, intelligatur?* 109

Caput V.
De Deo in ſpecie.

I. *An ſint tres Perſonæ in Eſſentia Dei?* 109
II. *An Chriſtus genitus ſit à Patre ab æterno?* 112
III. *An Pater ſit principium, Filius vero principiatum?* 114
IV. *An Chriſtus ratione modi ſubſiſtendi ſit genitus, & non ratione eſſentiæ?* ibid.
V. *An Chriſtus ſit verus Deus?* 115
VI. *An Chriſtus ſit omniſcius?* 116
VII. *An anima Chriſti ab ipſo conceptionis momento fuerit omniſcia?* 117
VIII. *An Spiritus Sanctus à Patre & Filio procedat?* 119
IX. *An Spiritus Sanctus ſit Perſona?* 119
X. *An Sp. S. ſit verus & æternus Deus?* 121

Caput VI.
De Decretis Dei in genere.

I. *An Decreta Dei ſecundum eſſe abſolutum ſint ipſe Deus?* 124
II. *An decretum ſit immutabile?* ibid.
III. *An quæ eveniunt, Deus fieri decrevit?* 125
IV. *An opera Dei ad extra ſint indiviſa?* 126
V. *An cognitio Dei per opera ſit otioſa ſpeculatio?* 127

Caput VII.
De Prædeſtinatione.

I. *An Prædeſtinatio ſit diverſum quid à Deo?* 127
II. *An Chriſtus ſit cauſa meritoria electionis?* 128
III. *An ſingulares perſonæ eligantur?* ibid.
IV. *An ex fide præviſa eligamur?* 129
V. *An electi totaliter deficere poſſint?* 130

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

CAPUT VIII.

De Reprobatione.

I. An reprobatio fiat ob præviſa peccata? 131
II. An peccatum neceſſario ſequatur reprobationem tanquam effectus ſuam cauſam? 132
III. An reprobatio fiat ad gloriam Dei? 133
IV. Qua ratione poſſit Deus juſte hominem rejicere, & ordinare ad interitum, ſine præcedente culpa, cum juſtitia ejus non poſſit eſſe rata, niſi iis mala infligat, qui peccarunt? ibid.
V. Illos, quos Deus reprobat, qua ratione poteſt dici odiſſe, ſi non propter peccata? ibid.
VI. An ſit duplex reprobatio, & quid unaquæque ſit? 134
VII. Vtrum Deus voluerit primo pœnam quam culpam? 134
VIII. Quis ſit ordo Decretorum Dei? ibid.
IX. Cum Deus reprobos condiderit ad æternum exitium, & non dignatus ſit ipſos gratia ſua, quæritur, anne teneantur Deum celebrare, eique gratias agere, quod facti ſint & creati, quandoquidem ſatius fuiſſet, eos nunquam factos fuiſſe, quam factos ad interitum æternum? ibid.

CAPUT IX.

De Creatione.

I. Quid ſit Creatio? 135
II. An omnes Dei actiones ad extra ſint ipſe Deus? ibid.
III. An creatio ſit actio ſolius Dei propria? 136
IV. Vtrum Deus in creatione uſus inſtrumento aliquo? 137
V. An creatio differat à miraculis. 138
VI. An ex creatione ſapientia & bonitas Dei cognoſci poſſit? ibid.
VII. An ex nihilo Deus omnia fecerit. ibid.
VIII. An Deus omnia fecerit propter ſe. 139
IX. An Angeli ſint creati? ibid.
X. Vtrumne Deus ea quæ condidit, meliora condere potuerit? 140
XI. An Deus potuerit mundum creare, antequam creavit? ibid.
XII. Quomodo hoc vere dicatur à Theol. quod Deus in momento condiderit omnia, cum interim expreſſe Spiritus Sanctus teſtetur in Geneſi, ſpatio ſex dierum facta eſſe, quæ facta ſunt? ibid.
XIII. An Deus condiderit hominem in juſtitia & ſanctitate? ibid.
XIV. Vtrum homo cum aliquibus donis ſupernaturalibus creatus ſit? 142
XV. An homo ſine aſſiſtente gratia Dei potuerit perſiſtere in integritate? ibid.
XVI. An homo moriturus fuiſſet, ſi non peccaſſet? ibid.
XVII. An animam hominis Deus creet, vel vero ea educatur ex traduce vi ſeminis? 143
XVIII. Si anima hominis non traducitur, ſed creatione infunditur, unde ergo peccatum in animam devenit, anne peccatum per propagationem à primo homine ad poſteros derivatur, an vero per imputationem tranſmittitur? 144
Diſputatio de propagatione peccati Originalis; à N. A. defenſa. 146

CAPUT X.

De Libero hominis Arbitrio.

I. An pugnet cum libertate voluntatis neceſſitas? 148
II. An voluntas ſequatur ductum intellectus? ibid.
III. An homo in ſtatu lapſus poſſit velle ſui converſionem? 149
IV. An gratia regenerationis ſit irreſiſtibilis? 150
V. An homo opus habeat ad ſui converſionem peculiari Dei gratia? 151
VI. Quæ cauſa ſit quod aliqui Theologorum horreant dicere, neceſſario hoc evenit, ſed pro eo utantur τὸ infallibiliter hoc evenit? ibid.

CAPUT XI.

De Providentia Dei actuali.

I. An providentia Dei actualis differat ab æterna, ut executio à decreto? 152
II. An providentia Dei ſe extendat ad omnia? ibid.
III. An providentia Dei verſetur circa contingentia? 153
IV. Anne Dei providentia ita verſetur circa vitam & mortem hominis, ut de vita cujuſvis ſtatuerit, certumque terminum vivendi cuique præfixerit, quem nec antevertere, nec tranſgredi poſſit? 154
V. An providentia Dei etiam verſetur circa mala? 157
VI. An Deus permittat peccata? ibid.

CAPUT XII.

De Peccato.

I. An detur peccatum originale? 158
II. An peccatum originale ſit nativæ vitioſitatis? 159

III.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

III. *An peccatum originale ſit in omnibus?* ibid.
IV. *An peccatum originale conſiſtat non tantum in carentia juſtitiæ Dei, ſed etiam in pravitate?* 160
V. *An peccatum originale realiter tollatur per baptiſmum?* 161
VI. *An concupiſcentia, quæ poſt baptiſmum in regenitis manet, ſit peccatum?* ibid.
VII. *An mors temporaria ſit propter peccatum?* 162
VIII. *An mors æterna ſit pœna peccati?* 163
IX. *An peccatum in Spiritum Sanctum ſit irremiſſibile ex decreto Dei, vel ex alia cauſa?* ibid.
X. *An peccatum aliquod ſua natura ſit veniale?* ibid.
XI. *An omne peccatum diſcrepet à lege?* 165
XII. *An Deus ſit cauſa peccati?* ibid.
XIII. *An peccatum ſit in voluntate tantum & iis, quæ voluntati ſubſunt, quoad actus imperatos, an etiam in intellectu?* 166
XIV. *Anne fiat aliquid contra voluntatem Dei, & an peccatum ſit voluntatis divinæ transgreſſio?* ibid.
XV. *Quomodo concilianda ſint loca Scripturæ,* Exod. 23. 18, *quorum quædam dicunt, Deum etiam parentum ſcelera punire, in tertiam & quartam generationem, imo etiam Principum peccata in ſubditis; & tamen,* Ezech. 18, *dicitur,* Anima quæ peccaverit ipſa morietur. *Et,* filius non portabit iniquitatem patris? 167
XVI. *An Deus prohibendo aliquid, contrarium ejus facere ſine peccato ipſemet poſſit?* 169

Caput XIII.

De Fœdere Dei.

I. *An fœdus ab initio mundi cum omnibus fuerit ſancitum, an tantum cum quibuſdam?* 169
II. *An legale fœdus obſervatum fuit ab aliquo hominum obedientia tali, quali Deus requirebat?* 170
III. *An fœdus Evangelicum Deus ita paciſcitur cum fœderatis, ut etiam hoc ipſum quod ſtipulatur, in ipſis efficiat?* 171
IV. *An fœderati fœdere Evangelico excidere poſſint?* 172

Caput XIV.

De Perſona & officio Mediatoris.

I. *Vtrum duæ naturæ ſint in una Chriſti perſona, humana & divina?* 172
II. *An Chriſtus ſolus aſſumpſit humanam naturam?* 173
III. *An Chriſto quædam data in tempore?* 174
IV. *Vtrum proprietates naturarum ſibi invicem communicentur?* ibid.
V. *Vtrum Chriſtus Mediatorem agat pro omnibus & ſingulis?* 175
VI. *An Chriſtus ſit Mediator ſecundum utramque naturam:* 176
VII. *An Chriſtus ſit adorandus qua Mediator?* 177
VIII. *Vtrum Chriſtus munus Propheticum exercuerit in Veteri Teſtamento?* 178
IX. *Vtrum vi ſatisfactionis Chriſti & meriti ejus ſalvati ſint homines Veteris Teſtamenti?* 179
X. *Vtrum Chriſtus ſit proprie dictus Sacerdos?* 180
XI. *An Chriſtus in terris ſe obtulerit ſacrificium?* 181
XII. *Vtrum mortem temporalem Chriſtus vice noſtri ſuſtinuerit?* 181
XIII. *Vtrum Chriſtus mortem æternam vice noſtri ſuſtinuerit?* 182
XIV. *An Chriſtus deſcenderit ad Limbum Patrum?* 184
XV. *An Chriſtus ſibi gloriam corporis & exaltationem nominis ſui morte ſua meruerit?* 185
XVI. *An Chriſtus pro ſe paſſus ſit?* ibid.
XVII. *Vtrum Chriſtus pro omnibus & ſingulis ſit mortuus?* 186
XVIII. *An Chriſtus Rex fuerit ante reſurrectionem?* 187
XIX. *An Chriſtus regnum Mediatorium depoſiturus ſit, poſt extremum judicium?* 188
XX. *An Angeli opus habebant Chriſto Mediatore?* ibid.
XXI. *An Angeli eguerint novo auxilio, ut perſiſterent?* 189

Caput XV.

De Juſtificatione.

I. *An tota SS. Trinitas ſit cauſa juſtificationis?* 190
II. *An juſtificatio activa antecedat fidem?* ibid.
III. *An juſtificemur morte Chriſti; & an juſtificemur obedientia Chriſti?* 191
Morte Chriſti nos juſtificari probatur. ibid.
Obedientia Chriſti imputatur nobis quoad juſtificationem. 192
IV. *An juſtificatio interrumpi poſſit, ut qui fuit juſtificatus, deſinat eſſe juſtificatus?* 193
V. *An juſtificationis actus hoc ipſo differat à regeneratione, quod hic ſimul & ſemel perficiatur, regeneratio non item?* ibid.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

CAPUT XVI.

De Regeneratione.

I. *An ad regenerationem dentur præparationes internæ in homine mortuo in peccatis?* 194
II. *An in momento primo regenerationis habeat ſe homo mere paſſive?* 195
III. *An regeneratio fiat per Verbum Dei?* ibid.
IV. *An regeneratio perfecta detur in hac vita?* 196
V. *An gradus dentur regenerationis in hac vita, ita ut unus ſit magis regenitus, quam alter?* 197
VI. *An gratia regenerationis ſit reſiſtibilis?* ibid.
VII. *An fides actualis ſit cauſa regenerationis?* 198
VIII. *Anne, dum Deus dicitur, præmovere, promovere, ſuccurrere, tres diverſi notentur actus, quos Scholaſtici præcurſum, concurſum, ſuccurſum vocant?* 199

CAPUT XVII.

De Fide.

I. *An fides conſiſtat in notitia & fiducia?* 200
Fidem in fiducia conſiſtere, probatur. ibid.
II *An fides poſſit deficere?* 201
III. *An juſtificemur per fidem, an ex operibus?* 202
IV. *An unusquiſque in ſua fide ſeu religione ſalvari poſſit?* ibid.
V. *Quid per librum vitæ intelligatur, dum dicitur aliquis deleri de libro vitæ, ſcribi in eo, & an hæ phraſes inferant, fidelem fide ſua excidere poſſe?* 206

CAPUT XVIII.

De Bonis Operibus.

I. *An doctrina de bonis operibus ſit clara?* 208
II. *An detur meritorium opus aliquod hominis ratione Dei?* 209
III. *An opera bona in hac vita ſint imperfecta?* ib.
IV. *An bona opera fiant ex vera fide?* 210
V. *An opera irregenitorum ſint ex fide?* ibid.
VI. *An homo plus boni poſſit facere, quam facit; & plus mali omittere, quam omittit?* ibid.
VII. *An ſit locus aliquis in quo animæ purgantur?* 211

CAPUT XIX.

De Eccleſia.

I. *An detur Eccleſia Triumphans?* 213
II. *An fuerit Eccleſia aliqua in Lymbo?* ibid.
III. *An aliqua Eccleſia detur in Purgatorio?* 214
IV. *An Eccleſia Catholica ſit viſibilis?* 215
V. *An detur aliqua Eccleſia inviſibilis?* ibid.
VI. *An notæ Eccleſiæ Dei Catholicæ propriæ ſint, profeſſio Verbi Dei, & legitimus Sacramentorum uſus?* 216
VII. *An regimen ſit Eccleſiæ Catholicæ; & an caput ejus extra Chriſtum detur?* 217
VIII. *An Ariſtocratia ſit forma regiminis Eccleſiæ externæ?* 218
IX. *An poteſtas ſit penes totam Eccleſiam?* 219
X. *An Eccleſia particularis deficere poſſit?* ibid.
XI. *An infideles ſint membra Eccleſiæ Catholicæ?* 220
XII. *An infantes in Eccleſia nati, ſint membra Eccleſiæ?* 221
XIII. *Excommunicati aliqui an ſint membra Eccleſiæ?* ibid.
XIV. *An Catechumeni aliqui ſint membra Eccleſiæ Catholicæ?* ibid.
XV. *An Eccleſia Catholica errare poſſit?* 222
XVI. *An Eccleſia deficere poſſit?* 222
XVII. *Penes quos ſit vocatio Miniſtrorum ad munus Eccleſiaſticum?* 224
XVIII. *Utrum ſpurius ſit admittendus ad Miniſterium?* ibid.

CAPUT XX.

De Romano Pontifice.

I. *An Eccleſiaſticum regimen debeat eſſe Monarchicum?* 225
II. *An debeat eſſe unus ſupremus in Eccleſia?* 226
III. *An Petrus fuerit Monarcha Eccleſiæ?* ibid.
IV. *An Pontifex Romanus ſit Antichriſtus?* 227
V. *An Papa poſſit errare?* 228
VI. *An Papa poſſit condere Leges conſcientiam obligantes?* 229
VII. *An Papa habeat ſpiritualem & civilem poteſtatem?* 230
VIII. *An ad Papam pertineat indicere Concilium generale?* 231
IX. *An ſoli Epiſcopi habeant jus ſuffragii deciſivi?* 231
X. *An Epiſcoporum ſententiis ſit ſtandum?* 232
XI. *An Papa debeat præſidere Conciliis?* 232
XII. *An Concilium confirmatum à Papa, poſſit errare?* 233
XIII. *An Pontificii majorem auctoritatem tribuant Conciliis quam Scripturæ?* 234
XIV. *An dentur aliquæ notæ Eccleſiæ viſibilis?* 236
XV. *An profeſſio veræ doctrinæ ſit nota Eccleſiæ?* 236

XVI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

XVI. *An nomen Clericorum retineri debeat in Eccleſia?* 237
XVII. *An Paſtores ſint à toto cœtu eligendi?* 237
XVIII. *An jure divino ſit aliquod diſcrimen inter Presbyteros & Epiſcopos?* 238

CAPUT XXI.

De Monachis.

I. *Vbi de Conſiliis, Votis, Spontanea Paupertate, Voto Concupiſcentiæ & aliis*, quæ Bellarmin neceſſaria & ſupererogatoria opera eſſe affirmat. 238
II. *An Paupertas Spontanea recte voveatur?* 240
III. *An Continentia perpetua recte voveatur?* ibid.

CAPUT XXII.

De Sacramentis in genere.

I. *An in omni Sacramento ſit ſignum & res ſignata?* 241
II. *An Sacramenti finis præcipuus ſit confirmare fidem de promiſſionibus novis in Chriſto factis?* 242
III. *An Sacramenta obſignent?* ibid.
IV. *An analogia inter ſignum & rem ſignatam ſit forma Sacramentorum?* 243
V. *An Sacramenta V. Teſt. fuerint typi Sacramentorum N. Teſt.* 243
VI. *An Agnus Paſchalis fuerit Sacrificium ſimul, an Sacramentum tantum?* ibid.
VII. *An Sacramenta tantum obſignent, an vero etiam conferant gratiam?* 245
VIII. *An Sacramenta V. & N. Teſt. eodem genere efficaciæ operata ſunt?* 247
IX. *An Sacramenta animo characterem indelebilem imprimant?* 248
X. *An præter duo Sacramenta dentur reliqua quinque?* 249
XI. *An Eccleſia poſſit inſtituere novas cerimonias?* 249

CAPUT XXIII.

De Baptiſmo.

I. *An Baptiſmus Chriſti fuerit idem cum Baptiſmate Ioannis?* 250
II. *An Chriſtus baptiſmum aquæ inſtituerit?* 251
III. *An infantes fidelium ſint baptizandi?* 251
IV. *An in locum circumciſionis ſucceſſit baptiſmus?* 253
V. *An baptiſmus abſolute ſit neceſſarius ad ſalutem?* ibid.
VI. *An baptiſmus ſit ſimpliciter, & ut medium ſalutis neceſſarius, ita ut, ſi quis non baptizetur, pereat?* 254
VII. *An aliis, præter Verbi Dei Miniſtris, baptizare liceat?* 255
VIII. *An baptiſmus ita tollat peccata, ut prorſus non ſint?* 256
IX. *An Baptiſmus Ioannis idem fuerit cum Baptiſmo Chriſti?* 256
X. *An Confirmatio ſit Sacramentum?* 257

CAPUT XXIV.

De Cœna Domini.

I. *An cœna Domini ſub utraque ſpecie ſit adminiſtranda?* 258
II. *An cœna Domini ſit Sacramentum?* 259
III. *An Chriſtus in cœna Domini revera exhibeat Corpus ſuum in mortem traditum?* ibid.
IV. *An panis mutetur in Corpus, & vinum in Sanguinem?* 260
V. *An Corpus & Sanguis Chriſti* in, cum, *&* ſub *pane lateat?* 261
VI. *An ſit tropus in Verbis,* Hoc eſt Corpus meũ? 262
VII. *Vtrum tropus ſit in prædicato, ſubjecto vel copula?* ibid.
VIII. *An fractio panis in cœna Domini ſit adiaphorum quid vel neceſſarium?* 263
IX. *An hoc verum, quod noſtri Theologi dicunt, ad quem res ſignata pertinet, ad illum & ſignum?* 264
X. *Vtrum antitypus ſemper ſignificet rem ſignatam, & non typum aliquando?* ibid.
XI. *Quomodo firmare poſſint fidem noſtram Sacramenta: cum totam fidem obtineant ex Verbo Dei; nam videtur Verbum Dei ſufficere, & Sacramentorum uſus nullus eſſe?* 265
XII. *Anne uſus Sacramentorum poſſit eſſe aliquis in iſtis hominibus, qui ſæpe obdureſcunt, etiamſi fideles ſint, ita quidem ut in ipſo uſu Sacramentorum nullo fidei ſenſu ſe affici ſentiant?* ibid.
XIII. *An Corpus Chriſti realiter & ſubſtantialiter ſit ſub ſpecie panis & vini?* 265
XIV. *An illa verba Inſtitutionis,* Hoc eſt Corpus meum, *proprie ſint accipienda?* 267
XV. *An panis mutetur in Corpus Chriſti, & vinum in ejus Sanguinem?* 268

CAPUT XXV.

De ſtatu hominis poſt hanc vitam.

I. *An animæ piorum ſtatim fruantur æterna felicitate poſt hanc vitam?* 269

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

II. *An reprobi à morte ſtatim pœnas gehennales patiantur?* 269
III. *An impii ſint reſurrecturi?* 270
IV. *An reſurrecturi ſimus in iiſdem corporibus?* 271
V. *An pii judicandi in extremo judicio?* 272
VI. *An infideles & impii judicandi?* ibid.
VII. *An detur reſurrectio Martyrum ante reſurrectionem aliorum hominum mille annis, & an aliquod regnum Chriſtus ſit habiturus in terra?* 273
VIII. *Vbi judicium extremum peragetur, in terrane, an vero in aëre?* 274
IX. *Vtrumne mortem eſſentia æternam ſentiant electi Dei?* 275
X. *Qua ratione illud adimpletum eſt:* Quo die comederis, morte morieris, *cum homo diu poſt demum mortuus ſit?* 275
XI. *Anne homo mortuus ſimul ac peccavit?* ibid.
XII. *Quomodo ſi ſuperſtites ſint animæ poſt hanc vitam, ſancti Dei homines deprecantes mortem, dicant, in morte nullam fore ipſius laudem*, Pſal. 6. Pſal. 115. Eſaï.36? 276
XIII. *Vtrum reſurrectio aliqua ſit futura?* ibid.
XIV. *Vtrumne in reſurrectione corporum, corpora omnia ſint æqualia futura: Sive, utrumne homo, qualis mortuus, talis reſurget, ſi infans, infans; ſi puer, puer; ſi vir, vir?* ibid.
XV. *Vtrumne abortus & monſtra humana ſint reſſuſcitanda?* ibid.
XVI. *Qua ratione judicabuntur homines, cum jam judicati ſint? Vide* Joan.5. 277
XVII. *Vtrum cum extremo judicio cæli ſint perituri plane, an vero tantum mutandi?* ibid.
XVIII. *An Deum viſuri ſumus immediate?* ibid.
XIX. *An voluntas bonum neceſſario volet in vita futura?* 278
XX. *An gradus dentur in glorificatione?* 279
XXI. *An gradus pœnarum futuri in Inferno?* 280
XXII. *An vita æterna differat à ſalute?* 281
XXIII. *An mors æterna deſcribenda ſit ex qualitate vivendi, an vero ex defectu vitæ?* ibid.
XXIV. *An fides ſit ceſſatura?* 282
XXV. *An ignis elementaris futurus ſit in Inferno?* 283

CAPUT XXVI.
De Sanctis.

I. *An Sancti demortui ſint invocandi?* 284
II. *An honor Chriſti Sanctis deferatur?* 286
III. *An imagines Dei, Chriſti, crucis Chriſti, & Sanctorum, ſint faciendæ?* 287
IV. *An peregrinationes votivæ & religioſæ probandæ ſint?* 288
V. *An reprobi ſint peccaturi in Inferno?* ibid.
VI. *An pœnæ & ſupplicia eadem ſint futura in Inferno omnium?* 289
VII. *Vtrum in vita æterna nos ſumus invicem agnituri?* ibid.

FINIS.

IOAN-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

FRAGMENTA
PRÆLECTIONVM
JOANNIS MACCOVII,
CONTRA
ARMINIVM
PRO
PERKINSIO.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

PRÆLECTIONES JOANNIS MACCOVII,

Quibus refutavit quædam ex Scripto Arminii contra Perkinſium.

Ad diſtinctionem Arminii, inter Decretum Efficax *&* Permiſſivum.

ANtequam judicium noſtrum de hac diſtinctione ponamus, ſciendum, Decretum Dei unicum & ſimpliciſſimum eſſe de rebus omnibus. Ratio eſt, quia Deus omniſcius, & unico individuo actu intelligit omnia, eaque diſtinctiſſime; itemque uno actu omnia vult, immutabiliter. Dicitur autem multiplex, ratione objectorum & effectuum variorum. Sicut enim attributa Dei multa ſunt, & dicuntur propter objecta varia & effecta diverſa. Nam idem Deus, quatenus generis humani miſeretur, dicitur miſericors; quatenus propter peccata mundum punit, vocatur juſtitia. Sic etiam eſt in decretis Dei, quæ etiamſi quoad eſſe abſolutum ſint ipſe Deus; tamen quatenus reſpiciunt objecta varia, circa quæ verſantur, vocantur tum decreta ſalvandi, condemnandi, ſalvationis, reprobationis.

Quod ergo ad diſtinctionem ipſam attinet, vana eſt, eo ſenſu ſcilicet accepta, quo ille ſumit. Accipit enim ille, & aliter accipi non poteſt, pro decreto tali, quod non eſt irritum. Quaſi vero decretum aliquod Dei irritum reddatur. Quod autem non poſſit reddi irritum decretum, patet ex *Pſal.* 33. 11. *Eſai.* 46. 10. Vocat vero decretum *efficax*, quod verſatur circa res bonas. Quaſi decretum Dei circa mala non eſſet efficax, ſed otioſum. An non decretum Dei, quo debebat vendi Joſeph, erat efficaciſſimum, itemque decretum Dei de crucifigendo Chriſto? *Act.* 4. Sed hæc eſt vera diſtinctio: *Decretum*, aliud eſt *effectivum*, aliud *permiſſivum*. Ratio eſt, quia Deus decrevit quædam quæ ipſe effecit, quædam quæ fieri permittit ab aliis.

Obſervandum præterea quod dicit Arminius, Actus liberos non decerni, ſive non eſſe decretos à Deo, hoc eſt, obedire, vel non obedire. Nam inquit, Si ſunt, non eſſent liberi, ſed relinquerent hominem ſuo arbitrio, unde ille gloriam ſuam captat. *Reſp.* Non quovis modo velle manifeſtare gloriam ſuam, ſed ut expreſſit Apoſtolus, *Rom.* 9, declarando vel juſtitiam, vel oſtendendo miſericordiam. Jam vero juſtitiam non potuit manifeſtare, niſi in homine peccatore; neque miſericordiam, niſi in homine miſero. Voluit ergo & decrevit hominem lapſurum. Falſum ergo, quod non decreverit alterutrum, ſed reliquerit ipſum arbitrio ſuo, & ex eo captaverit ſibi gloriam Deus.

Dicit etiam Arminius, quod Deus moveatur hominum interitu, & quod Chriſtus moveatur. Sed falſum hoc eſſe, inde patet, quia Deus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

non vult omnes & ſingulos ſalvos fieri, neque Chriſtus hoc vult. Nam ſi voluiſſet, ſequitur, quod cum omnibus fœdus iniiſſet, quod omnibus patefeciſſet voluntatem ſuam, quod omnibus dediſſet cor novum, quod communicaſſet ipſis Spiritum Sanctum. Jam autem hæc abſurdiſſima ſunt, ut conſtat ex Pſal. 75: *Notus in Iſrael Deus*. Act. 14. *verſ.* 16. Noluit igitur omnes ſalvos fieri; nec movetur hominum interitu, qui ſua culpa pereunt. At dicat aliquis: Non dat ipſis hæc, quia prævidit eos non credituros; at vero ſi hæc ipſis danda eſſent, omnino erant credituri. Nam quibus annuntiatur Evangelium? Qui ſpiritum adoptionis percipiunt, qui accipiunt cor novum, illi non poſſunt non credere; quia fides horum effectum neceſſarium eſt.

Quæ eſt cauſa, inquit, quod Deus omnes invitet, ſi non vult omnes ſalvos fieri? Hypocrita ergo erit. Antequam ad hæc reſpondeam, quæram ex Adverſario: Annon Deus vobis hypocrita ex eo eſt, quod vult dimittere Pharaonem populum ſuum, & interim eum indurat, & non vult dimitti? Vult Achabum, 1 *Reg.* 21, ire in Ramoth Gilead, & non vult? Item de Chriſto legimus, *Ioan.* 12, quod voluerit prædicari Judæis; interim dicit, quod occæcavit oculos eorum, & obduravit corda eorum, ne videant & intelligant. Hæc ſunt Scripturæ exempla & dicta: qui vero Deum ex his hypocriſeos inſimularet, blaſphemus is utique eſſet.

Reſp. ad Argumentum: Deum invitare omnes, mittere ad omnes miniſtros, & omnibus omnia ſalutis media offerre cum conditione fidei, Joan. 3. 18, *Qui credit in eum, non condemnabitur*. & Joan. 6. 40, *Hæc eſt voluntas ejus qui miſit me*, id eſt, Patris, *ut quiſquis crediderit in Filium, habeat vitam æternam*. Gal. 3. 22, *Concluſit illa omnia ſub peccatum, ut promiſſio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus*. Jam autem quæritur, utrum Deus iſtam conditionem in omnibus velit impletam? *Reſpond.* Non: Quia, ut oſtendimus, non omnibus dedit cor novum.

Quod Deus moveatur interitu hominis, probat Arminius, ex Eſai. 5, *Vtinam obtemperaſſet mihi populus meus*. *Reſp.* Deo iſta attribui per anthropopatheian. Nam homines, quando alicui ſubminiſtrant omnia media, quæ ad finem aliquem ordinata ſunt, illi deſiderant finem ſibi propoſitum. Hic etiam Deo ἀνθρωποπαθικῶς hæc competunt: quod autem hic ſit ſenſus, confer, Actor. 20. 27, *Annuntians vobis omne conſilium Dei*. 1 Cor. 3, *Neque Paulus qui plantat, neque Apollo qui rigat*, &c.

Pergit Arminius, & dicit: Homini fieri injuriam, qui comparatur à Perkinſio cum pecore: quod probat *verſ.* 8. ubi dicitur, quod Deus delectetur homine. *Reſp.* Hominem quidem eſſe nobiliſſimam creaturarum, ſed hoc non deberi ſibi ex ſe, verum Deo; ſic etiam homo nonnunquam comparatur cum Deo: Ergo etiam homo magis ſua natura conſideratus comparari poterit cum pecore.

Notatio ſexta, in qua ſtatuitur à Perkinſio, quod Deus concurrat ad electorum liberos actus bonos ſpeciali ſuo auxilio. Negat hoc Arminius; & dicit, Cum conditione præſtare auxilium ſuum. Verum quæram ex ipſo: utrumne Deus iſtam conditionem velit ſimpliciter, vel conditionaliter? Si cum conditione; quæro iterum idem, donec ſtatuendum ipſi tandem ſit, Deum ſimpliciter velle. Si autem hoc dederit, debet concedere, Deum ſimpliciter præſtare auxilium ſuum ſpeciale, cum, quod Deus ſimpliciter vult, non poſſit non fieri. Exempli gratia, quæram: Quomodo Deus electis ſuis vult adeſſe auxilio ſuo ſpeciali? Reſpondet ille, Cum conditione, *ſi crediderint*. Quæro porro: An velit iſtam conditionem impletam? Dicent, Non ſimpliciter, ſed cum conditione, *ſi audierint verbum Dei*. Quæro rurſus: an Deus velit hæc ab ipſis fieri? Non poſſunt amplius dicere, Cum conditione; dabitur enim ſic proceſſus in infinitum: Nec poſſunt ſemper dari conditiones. Ergo dicendum ipſis, Vult abſolute. Bene igitur eſt; Si Deus ipſis vult largiri hoc medium ſalutare, etiam conferat neceſſe eſt ipſis præcedentia omnia.

Notatio ſeptima: *Deus concurrit per omnipotentiam ſuam ad actus omnes liberos bonos*. Duo ſunt Arminii fundamenta, quæ vehementer urget, & quibus ſtatutis multa evertuntur religionis dogmata: quæ obſervanda ſunt.

I. Quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

I. Quod ſtatuat, Deum non concurrere ad actus liberos per omnipotentiam ſuam: quo conatur evertere doctrinam de perſeverantia Sanctorum, item expreſſe tollitur peccatum originale & liberum arbitrium, ut infra audiemus. Secundum dicit: Nullam neceſſitatem ſtare cum libertate,

Primum falſum eſſe patet, quia ſic ſtatus in altera vita erit incertus, & beati Dei homines poſſent recidere. Ratio, quia homo in ſua natura conſideratus poteſt labi, ut dicunt noſtri Theologi; quod autem ſtet, ſit gratia Dei ſpeciali, id eſt, quod Deus per omnipotentiam ſuam ad actus ipſorum liberos concurrat. Hinc apparet, quod perſeverantiam Sanctorum evertere conetur. Sed hoc miſerrimum eſſet. Iſta enim doctrina tam certa, ut vel unicus ille locus, *Rom.* 8. 30, ſufficiat, *Quos ſanctificavit, glorificavit.*

Porro ex hac doctrina Arminii ſequi, Nullum eſſe peccatum originis, ſic demonſtro: Si Deus non concurrat ad hominis voluntatem flectendam, ſequitur, quod homo in ſtatu miſeriæ conſideratus, id eſt, homo irregenitus, poſſit acceptare bona quæ ipſi à Deo offeruntur. Hoc autem falſum, quia in ipſo ineptitudo ad bonum, & aptitudo ad omne malum. Si ergo Deus ſpeciali auxilio non concurrit ad hominem tali modo conſtitutum in converſione, & tamen aliqui convertantur, & acceptent beneficia oblata, ſequitur, quod aut in illis hæc ineptitudo, quam peccatum originale neceſſario includit, non ſit, ac proinde peccatum inhærens non ſit; aut quod homo irregenitus, qua talis, poſſit bona oblata ſibi applicare. Quod autem ineptitudo ſit in homine irregenito ad omne bonum, probatur Rom. 5. 7, *Quod ſapit caro.* 1 Cor. 2. 14. Eph. 2. 1, *Mortui in lapſibus.*

Notatio 8. *Omne quod in tempore venit, Deus ab æterno voluit.* Hoc negat Arminius ob duplicem rationem.

1. Quia ſic actio & permiſſio confunderentur. 2. Peccatum revolveretur in Deum affirmative, & Deus conſtitueretur auctor peccati. Antequam reſpondeam, demonſtro; Quod Deus omnia decreverit, quæ ſiunt immutabiliter: Hoc autem ex eo patet, quia immutabiliter omnia præſcit; præſcit autem, quia eſt omniſcius. Sequitur ergo, quod omnia ab ipſius decreto pendeant. Cum enim præſciat immutabiliter, ſequitur, quod aliquid ſit immutabile, cui iſtud præſcire conveniat. Creatura non poteſt eſſe; hoc enim Deus ſibi tanquam peculiare attribuit: vult ergo omnia immutabiliter.

Quod ad primam ejus rationem, *Reſp.* Nullam eſſe conſequentiam. Nam in decreto Dei hæc duo concurrunt; Non tantum enim illa, quæ ipſe efficere vult, decrevit; ſed etiam illa quæ ab aliis fieri permittit. Verbi gratia, decrevit omne illud factum malum & malevolum Joſephi fratrum. Iterum hic actio Dei & ejus permiſſio diſtinguuntur. Peccatum enim fratrum Joſephi permiſit fieri, non impediit: verum ipſe aliud bonum, ſcilic. illud maximum, ſervationem nempe domus Iſraël tempore anguſtiæ intendebat & efficiebat. Sic decrevit facinus Judæorum in crucifigendo Chriſto: dicit enim Scriptura, nihil factum fuiſſe, niſi quod manus & conſilium Dei ante decreverant; interim tamen Deus ad peccatum Judæorum concurrebat tantum permittendo.

Ad II *Reſp.* limitando: Revolvetur peccatum in Deum affirmative, ſed ſubtractione gratiæ ſuæ; non autem ſua actione: & ita auctor peccati non erit. Negative ergo peccatum Deo tribuitur. 2. Dato, quod affirmative revolvatur; tamen revolvi, in eum tanquam in antecedens neceſſarium, non vero tanquam in cauſam: Quædam enim etiam in rebus extra Deum ſunt, quæ præcedunt alteram, cujus tamen non ſunt cauſæ. Exempli gratia: Ad ſolis receſſum neceſſario ſequuntur tenebræ, nec tamen eorum cauſa eſt, ſic etiam Deus neceſſarium antecedens peccati.

Notatio 9. Dicit Perkinſius: *Omnia bona ſunt Dei effecta.* Arripit hoc Arminius; & dicit, Verum hoc eſſe. Ergo Adamo non tantum dedit poſſe, ſed etiam uſum iſtius poſſe. Ratio, quia alias fruſtra iſtud poſſe. 2. Habenti dabitur. *Reſp.* 1. Adverſarium ire contra demonſtrabilem veritatem & experientiam. Si enim hoc verum, omnino Adam perſtitiſſet in integritate; cujus tamen eventus, ſi Scripturæ credamus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

damus, contrarium oſtendit, Gen. 3, *Morieris, quia rapuiſti* &c. *Reſp*. Adamum lapſum fuiſſe ſubtractione gratiæ ſuæ & auxilii ſui ſpecialis. *Dicunt* Adverſarii, hoc injuſtum eſſe, & Deo adſcribi non poſſe, quod requiſiverit ab Adamo, quod non dedit, aut ſaltem fruſtra illud poſſe dedit. Prius quam reſpondeam ad Argumentum, demonſtrandum, quod iſta hypotheſis Arminii ſit vana, Quod ſcilicet Deus ſine injuſtitiæ crimine repetere ab homine non poſſit, quod ipſi non dedit. Nam ex. gratia: requirit in nobis fidem in Chriſtum redemptorem, quam nobis in Adamo non dederat. Secundo, requirit ab omnibus hominibus fidem, non tamen omnibus dat, Matth. 28: *Euntes docete omnes gentes* &c. 3. Nonnullis gentibus non vult annuntiari Evangelium, & tamen ab ipſis exigit fidem & pœnitentiam, & juſte eos condemnat propter peccata ſua. 4. Ex judiciis divinis idem manifeſtum eſt. Nam, ſi Deus injuſtus non eſt, quod aliquem propter alterius peccatum puniat, ſequitur, etiam ob præſens de quo controvertitur, Deum injuſtitiæ argui non poſſe; quia iiſdem ambulant paſſibus. Jam vero Scriptura ubique demonſtrat antecedens Nam *Exod*. 20. 5, dicit Deus, *ſe viſitaturum* &c. Matth. 13. 35, *Veniet ſuper vos omnis ſanguis injuſtus* &c. Exempla ibidem varia ſunt, quæ unicuique nota. Si ergo propter hoc, injuſtitiæ accuſari Deus non poteſt, utpote qui juſtiſſimus eſt, ſequitur, etiam propter hoc, quod requirat ab aliquo, quod ipſi non dedit; utut hæc, ratiocinatio noſtra non capiat. *Reſp*. ad Argumentum, *Fruſtra illud, quod finem non conſequitur*: Jam vero hoc modo negandum eſt, quod ex eo conſequatur, Poſſe illud Adami eſſe fruſtra. Nam, utut nobis iſti fines non ſunt noti & revelati; Deus tamen habet aliquos, & ſine dubio multos, ſibi ſoli notos: &, utut hunc vel illum finem aliquid non conſequatur, negandum tamen non eſt, aliquem conſequi. Ex. gr. Curat Deus, etiam impiis, annuntiari Verbum ſuum, utut proprium finem Verbi prædicati non aſſequantur illi; non tamen fruſtra annuntiari illis vult Deus. Sunt ergo multi fines nobis non manifeſtati, ſed quos Deus ſibi ſoli reliquit.

Ad Argumentum; Quod dicitur, *Habenti dabitur*; Ergo Deus etiam Adamo daturus erat uſum iſtius potentiæ, quam habebat: *Reſp*. Duplicia eſſe dona, quæ dantur homini à Deo, quædam electis propria, quædam communia reprobis & electis, & horum ſi habeat aliquis quædam, non ſemper accipit plura. Ex gr. qui dives eſt, non raro pauper redditur. Idem verum eſt de bonis internis; ex. gr. qui quibuſdam virtutibus Ethicis donatur, non ſtatim ad ſummam perfectionem deducitur. De donis ergo communibus hoc falſum eſt. De donis autem electis propriis veriſſimum. Nam qui vocatus, juſtificatus, qui juſtificatus, etiam glorificatus; quod eſſe complementum omnium bonorum ſpiritualium, *Eph*. 1, docet Apoſtolus, quod qui in nobis incepit, ipſe ſit conſummaturus.

Pergit Perkinſius ad definitionem Prædeſtinationis: *Prædeſtinatio eſt hominum qui ſunt peccatores* &c. Duo dicit. 1. Quodnam ſit objectum prædeſtinationis, ſcilicet homo peccator. 2. Quod qui electi ſint ad finem, ad media etiam deſtinati ſint. Quoad primum eſt hic levis diſſenſio inter Theologos noſtros de objecto Prædeſtinationis. Quidam enim dicunt, Eſſe hominem peccatorem: quidam vero, Hominem condendum, & conditum, & lapſum. Cui ſententiæ & nos adſtipulamur. Ejus veritatem ſic demonſtramus.

Si Deus non potuit ad finem ſui decreti, ſcilicet prædeſtinationis, pervenire, niſi per hæc media, quod conſideraverit hominem condendum, conditum, lapſum, ſequitur, quod hoc modo homo conſideratus, ſit objectum Prædeſtinationis. Verum prius. Ergo. Prius demonſtro. Deus voluit gloriam ſuam illuſtrare, iſque eſt finis Prædeſtinationis, idque declarando miſericordiam ſuam, & oſtendendo vel exequendo juſtitiam ſuam. Non potuit autem miſericordiam declarare niſi in miſerum, nullus miſer niſi fuerit juſtus, nullus juſtus niſi fuerit condendus, ſaltem in Adamo hoc valet, etiam in nobis, quatenus in Adamo tanquam in origine & capite conſideramur. Idem dicendum de juſtitia, quam non potuit exercere niſi in peccatorem, non eſt & peccator niſi fuerit juſtus, non juſtus niſi conditus. Ergo objectum Prædeſtinationis eſt homo conditus, condendus, & lapſus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

lapſus. Quod ad primum attinet, notandum eſt, Quod Deus ad finem prædeſtinavit, etiam deſtinavit ad media. Eſtque hoc ſcutum impenetrabile adverſus multa Adverſariorum objecta ſolvenda. Nam perpetuo hoc hominum vulgus in ore gerit: Si Deus mihi ſalutem decrevit, tum ſive dormiam ſive vigilem, omnino perveniam ad finem iſtum, ſicque ad exitium æternum non poſſum pervenire. *Reſp.* Non tantum Deus deſtinavit ad finem, ſed etiam ad media iſti fini ſubordinata, Rom. 8. 30, *Quos præſcivit, eos prædeſtinavit* &c. Id evidenter oſtendit, Eph. 1. 4, *Sicut nos elegit in Chriſto* &c. poſtea omnia media iſti fini ſubordinata ordine enumerat; ut v. 5, *Qui prædeſtinavit nos quos adoptaret in filios*: ecce ibi eſt adoptatio. *v.* 7, In illo dilecto, in quo habemus redemptionem & remiſſionem, lapſuum verbi gratia: poſtquam notum feciſſet nobis myſterium voluntatis ſuæ &c. Ibi prædicatio verbi Dei tanquam primum medium.

Porro reprehendit in definitione Perkinſii, quod definierit Prædeſtinationem per *conſilium Dei.* Ratio ejus, quia eſt cauſa Prædeſtinationis: cauſa autem non poteſt eſſe effectus. *Reſp.* Si proprie *conſilium* capiat Adverſarius, dicimus, nullum conſilium in Deum cadere. Ratio, quia ſubinfert ignorantiam, quando enim conſilium quis capit, neſcit primo intuitu quid ſit facturus; ſed per deliberationem circa media, quæ ſcilicet accipienda, quæ rejicienda ſint, conſultat. Quando autem in Scriptura Deo attribuitur, ſignificat, Vel ſapientiam Dei, Rom. 11. v. 33, *O profundas divitias!* &c. Pſal. 34, *Quis fuit ei à conſiliis?* Vel ſignificat voluntatem ejus determinatam. Nam ſcimus quod determinetur Dei voluntas, vel per naturam ejus, vel per decretum ejus, vel per promiſſiones: Eſa. 46, *Conſilium meum ſtabit.* Vel tertio, voluntatem determinatam per decretum, Act. 2. & 4. 28. *ut facerent* &c. *Reſp.* Ergo non proprie hic capi debere *conſilium*, ſed per ἀνθρωποπάθειαν. Sic igitur reſp. Conſilium per decretum hoc Prædeſtinationis determinatum (ut hoc conſilium capi debet) eſſe idem cum ipſo decreto: cauſam vero iſtius determinationis, in conſilio ſive voluntate determinatam.

Poſtquam Arminius definitionem Perkinſii examinavit, ipſe ſubſtituit ſuam, quæ eſt hæc: Prædeſtinatio eſt hominum peccatorum crediturorum ad æternam ſalutem præordinatio; & contra, peccatorum in peccatis perſeveraturorum ad æternum exitium prædeſtinatio.

Hanc definitionem ordine examinabimus. *Primò*, Dicit Arminius, objectum Prædeſtinationis eſſe peccatores. Quam ſententiam in priori rejecimus, allato argumento unico & firmiſſimo. Jam vero ſecundum etiam afferemus, quod ducimus ex ipſis Arminii verbis. Hoc autem eſt ejus principium: Quod gloria Dei conſiſtat in explicatione attributorum divinorum. Bene ſane dictum, & eſt veriſſimum hoc. Quæro autem ex Adverſario, utrum conſiſtat in explicatione omnium attributorum divinorum, vel unius alicujus? Si poſterius dicit, falſum dicit. Ratio, quia Deus non voluit gloriam ſuam imperfecte & mutile manifeſtare, ſed perfecte & integre. Non potuit autem perfecte, niſi per explicationem omnium attributorum divinorum. Si prius dicat, habemus quod volumus. Nam hac ratione non tantum voluit declarare miſericordiam & juſtitiam, ſed etiam ea, quæ ad hoc erant neceſſaria, nempe omnipotentiam ſuam in condendo homine, item liberam poteſtatem in ſubtrahendo homini gratiam, atque adeo permittendo lapſum. Videmus ergo hic manifeſte, quod homo condendus, conditus, & lapſus, ſit objectum Prædeſtinationis.

Secundò, Ineptit in eo, quod addat in definitione, *crediturorum*, ponens objectum Prædeſtinationis credentes, quod item propria hypotheſi evertitur. Nam dicit alicubi, & eſt in ea ſententia, Infantes non habere fidem, fides enim ex auditu, auditus autem per Verbum Dei. Infantes vero, quia deſtituuntur uſu rationis, non poſſunt Verbum Dei audire. Hinc ergo ſic argumentamur: Infantes aliqui fœderati ſalvantur, qui nempe ſunt filii promiſſionis. At iidem non credunt. Ergo aliqui qui ſervantur, non ſunt objectum Prædeſtinationis. 2. Non ſunt prædeſtinati, quod certò ex adverſo repugnat iſti loco, Rom. 1. 30, *Quos prædeſtinavit* &c.

2. Hæc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

2. Hæc ejus ſententia evertitur etiam altera ejus hypotheſi. Arminius enim docet, credentes poſſe vera fide excidere, ita ut vere credens, non maneat credens, ſed totaliter fidem excutiat, atque ſic pereat. Quod ſi hoc verum, ſequitur, quod hæc ipſius opinio labatur. Nam ſi objectum prædeſtinationis ſunt credentes, hi ipſi, de quibus dicit Adverſarius, quod crediderint, & poſtea fide exciderint; ſalvati ergo ſunt. Nam quos juſtificavit & fide donavit, eos glorificavit: quod ex adverſo opinioni iſti, Quod credentes poſſint excidere, eſt contrarium.

Quod gloria Dei conſiſtat in explicatione omnium ejus attributorum. Quamvis hoc etiam limitate accipiendum eſt. Dicere hic aliquis poſſet: Falſum tamen eſt, quod Deus omnia ſua attributa omnibus explicuerit. Intellige ergo omnia limitate, in quantum ſibi placuit; & in iis, in quibus ſe Deus non explicuit, ſuſpiciendus eſt. Secundo explicat ſe nobis, quoad creatura capax eſt.

Pergit, & dicit: Decrevit Deus hominem condere, & dare vitam æternam cum conditione, ſi perſtiterit. Sed vanum hoc eſt. Nam præſcivit utique Deus, quod homo ſit perſtiturus, vel non; ipſe enim hoc donum perſeverantiæ hominibus vel largitur, vel denegat; & præſcivit, quod Adam non eſſet in integritate perſtiturus.

Adfert Perkinſius duo Argumenta contra hanc ejus ſententiam, Quod Deus peccatum non decreverit. 1. Eſt hoc: Si peccatum non eſt decretum à Deo, ſequitur, quod Deus decretum ſuum ſuſpenſum habeat ex peccato, vel ex peccatore. Hoc autem eſt abſurdum. Nam decretum Dei non pendet ex re mutabili, nec à libertate voluntatis hominis, qui poteſt in utrumque tendere oppoſitum. 2. Eſt hoc: Si Deus decrevit omnes ad ſalutem, & interim tamen non decrevit media ipſis conferre, ſed ponit hoc in libero hominis arbitrio, ſequitur, quod Deus incerto fine hominem condiderit. Ratio, quia à mediis tota res pendet; &, ſi media ſint incerta, incertus ipſe finis. Jam autem ex hujus hypotheſi media ſunt incerta, utpote fundata in libera hominis voluntate.

Progreditur Armin. & objicit nobis tale Argumentum: Miſericordiæ & juſtitiæ divinæ declaratio, non poteſt eſſe medium, quia eſt finis; Vos ergo, dum medium eſſe dicitis, falſum dicitis. *Reſp.* Duplex eſt finis. Unus partialis, alter totalis. Partialis alicujus rei finis poteſt eſſe ſæpe medium finis totalis. verbi gratia: Cognitio Theologiæ plena & perfecta, eſt finis totalis: partialis autem, cognitio legis & Evangelii; qui finis quidem, ſed reſpectu finis totalis, id eſt, plenariæ cognitionis Theologiæ, eſt medium. Nam per partium iſtarum cognitionem, tanquam per medium, devenimus in cognitionem Theologiæ totalem. Item Dei juſtitiæ cognitio eſt finis partialis; nec tamen hoc impedit, quominus ſit medium finis totalis, ſeu cognitionis omnium Dei attributorum.

II. Argumentatur: Omnis actus eſt natura ſua poſterior objecto. Jam vero creatio, ſive res creatæ, erant objectum actus divini. Ergo priores erant res creatæ, ſive prior erat creatio, quam actus Dei. *Reſp.* Vanum hoc Argumentum; & prius falſum eſſe; Quod actus ſit poſterior objecto. Nam objectum duplex eſt: Unum quod factum eſt, & jam exiſtit; & hoc eſt prius actu, quia circa illud poſtmodum occupatur. Aliud vero eſt objectum quod fit; & hoc objectum non eſt prius actu, ſed poſterius natura ſimul & tempore. Ex. gratia: Intellectus & voluntas Dei, ſunt prima cauſa omnium, & ſunt actus; illi autem actus ſunt priores rebus, quæ fiunt & factæ ſunt.

Per quod aliquid obtinetur, & ſine quo aliquid non poteſt eſſe, illud omnino eſt medium ad hoc.

Progreditur Arminius ad definitionem creationis à Perkinſio traditam. Dicit in ea Perkinſius, quod homo factus fuerit mutabilis. Arminius ad hæc: Veriſſimum hoc, & non potuit non condi mutabilis, cum immutabilitas ſolius Dei ſit proprium attributum. Per hanc Adverſarii largam conceſſionem, in aliis ita conſtringendus eſt. Dicit Arminius: Quod nulla libertas poſſit ſtare cum immutabilitate. Quod ita converto: Si Angeli & homines per ſe & natura ſua ſunt mutabiles, & tamen reſpectu decreti divini immutabiles, eo quod nunquam gratia

Dei

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Dei poſſint excidere, ſequitur eodem modo neceſſario, non eſſe abſurdum actus hominis eſſe liberos, & tamen neceſſario elici ratione decreti divini. Sicut diverſo reſpectu mutabilitas, poteſt ſtare cum immutabilitate, ita etiam diverſo reſpectu libertas ſtat cum immutabilitate.

Addit de permiſſione, quod quando Deus aliquid ab aliquo requirit, etiam vires confert ad hoc præſtandum. Sed vanum hoc eſt in Scriptura. Exempli gratia: Requirit Deus ab unoquoque homine, ut ſe ad eum convertat, nec tamen omnibus dat gratiam converſionis, Deut. 29. 4, *Nondum dederat* &c. Requirit ergo aliquid Deus ab homine, quod non dat. Hæc enim ab ipſis quoque requirebat, *Matth.* 13. 7.

Regerit ille: Non quidem jam dat unicuique vires, ut ſe convertat, ſed tamen dederat in Adamo; ſequitur ergo, quod cum dederit in Adamo, merito requirat & requiſiverit. *Reſp.* Gladium rurſus nobis præbet, quo juguletur, idque in alia controverſia; docet enim ille, quod Deus velit omnes homines ſalvos fieri; jam vero ſi Deus non conferat unicuique media ad ſalutem ducentia, ſequitur omnino, quod non ſingulos ſalvari velit. Nam quos deſtinavit ad finem, deſtinavit ad media: quod eſt contra Arminianiſmum. Quod autem non velit unicuique conferre media ad ſalutem, fatetur ipſe, dum ait; Deum non omnibus largiri & conferre vires ſe ipſos convertendi ad Deum.

Permiſſio peccati porro definitur à Perkinſio, quod ſecum inferat ſubtractionem gratiæ. Ad hoc Adverſarius reſpondet, & dicit: Si Deus ſubtrahit gratiam, & ex ea ſequatur peccatum, certe Deus auctor eſt peccati. *Reſp.* Vana Conſeq. Nam utrumque legimus in S. Scriptura. Et Deum ſubtrahere gratiam ſuam, & peccati auctorem non eſſe, Eſai. 29. verſ. 10, *Occæcavit Iehova oculos* &c. Hic expreſſe audimus ſubtractionem gratiæ divinæ, Joan. 12. 39, *Non poterant credere, quia dixerat Eſaias* &c. 2 Cor. 3. 14, *Velamen cordi eorum impoſitum.* Quod tamen Deus hinc auctor peccati non ſit, patet Pſal. 5. 5, *Nolens iniquitatem Deus es tu.* Gen. 1. 31, *Omnia erant valde bona.* Secundo Deus peccatum in lege prohibet, imo omne peccatum ſevere punit. Ergo quæcumque Deo adſcribuntur in S. Scriptura, iis debemus acquieſcere, & non poſſunt non eſſe ſanctiſſima & juſtiſſima.

Dicit porro Arminius, *quod permiſſio non ſit velle, nec etiam nolle, ſed medius quidam actus.* Verum falſiſſimum hoc. Nam voluntatis actus duo ſunt, unus quo fertur in aliquid, ſive quo acceptat aliquid: alter quo rejicit & repudiat aliquid. Quo acceptat, vel eſt ſpontaneus ſimpliciter & mere ſpontaneus, vel qui aliquid coactionis admixtum habet. Sic mercator periclitans in mari, vult ſponte ejectionem mercium, ut vita ſervetur, ſed non mere ſponte: tertium non datur. Omnia ergo quæ ſunt, cadunt ſub Dei voluntatem, aut non. Si dicat aliquis Adverſarius, aliquid non ſubeſſe voluntati Dei, ſequitur, quod hoc Deo curæ non ſit, ac proinde quod ad hoc providentia divina ſe non extendat: quod eſt abſurdum. Si dicat omnia ſubeſſe, quæram, an ita ſubſint, ut ad ea voluntas Dei feratur ſpontaneo nutu, ſimpliciter, an mixte? Poſterius dicere non poteſt; quia motus ille mixtus coactionem admixtam habet: coactio autem in Deum non cadit. Prius ergo dicat neceſſe eſt: Nempe quod Deus ſponte velit peccata fieri, ſed fieri ab alio, non à ſe: medius ergo, quem iſte affingit, actus, nullus eſt. Definit autem actum eum, *quo Deus aliquid quodammodo vult, & quodammodo non vult.* Sed quæro ab Adverſario: utrum Deus non velit ſerio & ſimpliciter, ut omnes omnino homines ei obediant? non poteſt negare: &, an non ſimpliciter contrarium nolit? Imo hoc veriſſimum. Nam ipſe in Verbo ſuo teſtatur, ſe deteſtari ac abominari peccatum. Si ergo ſimpliciter non velit, peccatum non poteſt quodammodo dici velle. Hæc enim ſunt contradictoria.

Progreditur Arminius de malo, & dicit, *quod peccatum non poſſit eſſe medium ad illuſtrandam Dei gloriam.* Ratio, inquit, *quia malum non poteſt eſſe per ſe cauſa boni. Reſp.* Diſtinguendum inter medium, quod eſt per ſe tale, & per ſe inſervit executioni finis; & tale medium non eſt peccatum; non enim ſua natura ordinatum eſt ad hunc finem: & inter medium, quod ordinatione divina tale eſt; quod utut per ſe & ſua natura non ſit aptum inſervire iſti fini, ordina-

dinatione tamen divina aptum redditur, quale medium eſt peccatum illuſtrandæ gloriæ Dei. Ex. gr. ſerpens in deſerto erat medium reſtituendæ ſalutis, at non per ſe & natura ſua, verum ordinatione divina. Sic igitur & peccatum, quod utut in ſe & ſua natura conſideratum non ſit medium, per accidens tamen & ratione diſpenſationis & ordinationis divinæ eſt medium.

Arguit porro Perkinſium in eo, quod dicat, *Deum permittere malum, ut conſequatur bonum.* Quod eſt veriſſimum: Nam gloria Dei debebat illuſtrari: non potuit autem perfecte, niſi in juſtitiæ manifeſtatione; juſtitia autem non potuit manifeſtari ac declarari, niſi permittatur lapſus. Dicit Perkinſius: *Quod permiſſio lapſus diſtinguatur à lapſu.* quod manifeſtum eſt: nam permiſſio utique eſt actus Dei; lapſus autem, quod ex iſta permiſſione conſequitur. Quod autem hæc idem ſint, probat Arminius hac ratione; quia & permiſſio & lapſus ſunt media illuſtrandæ gloriæ Dei. Sed vanitas hæc mera, quaſi vero non poſſint plura eſſe media unius rei, & quaſi non poſſint unius rei media eſſe proxima & remotiora.

Arminii Principium, *Quicquid Deus vult facit*, falſum eſt, & proprias hypotheſes evertit, *Deum velle omnes homines ſalvos fieri, Velle ab hominibus fidem, converſionem*; nec tamen hoc facit. 2. Deus quædam vult quæ mala ſunt, & hoc fieri vult ab alio, non autem ipſe facit. Voluit enim Joſephi venditionem, convitium Semei, afflictionem Jobi; nec tamen ipſe facit hoc. Iterum quædam poſtulat, quæ non vult fieri: quod patet ex Scriptura, 1 *Reg.* 22. Poſtulat ab Achabo, & eum monet per Prophetam, ne eat in Ramoth Gilead; & interim voluit eum ire. Item in Exodo poſtulat à Pharaone per Moſen, ut dimittat populum, ſed cor ipſius induravit; hinc diſtinctio inter voluntatem beneplaciti & ſigni.

Dicit porro, quod iſta diſtinctio, qua noſtri utuntur; *Quod Deus velit peccatum quoad eventum*, non quoad *ipſum peccatum*, ſit nulla; quia eventus, & ipſe lapſus, vel peccatum, non diſtinguuntur. *Reſp.* Hanc eſſe noſtram diſtinctionem, & hunc eſſe ſenſum, quod Deus velit aliquid per ſe & propter ſe. Eſtque bonum tantum qua tale aliquid, etiamſi velit non propter ſe, ſed propter aliud, quia nempe ad aliud acquirendum medium eſt. Hoc modo etiam vult peccatum. Falſum hoc, quod Arminius dicit, eventum & lapſum idem eſſe. Nam eventus finis eſt: finis autem diſtinguitur omnino à re cujus eſt finis.

Pag. 39. Conatur probare Arminius, *Deum non amare nos citra Mediatoris ſatisfactionem*: idque hac ratione. 1. Si enim Deus vellet noſtram ſalutem citra Mediatoris ſatisfactionem, ſequeretur quod poſſet nos ſalvare ſine Chriſto. Hoc autem falſum. 2. Quoſcunque Deus amat, non niſi in Chriſto amat, quia ſine fide nemo poteſt Deo placere.

Reſp. in genere, amorem Dei eſſe duplicem, unus qui conſpicitur in ſalute nobis conferenda ſimpliciter, abſque reſpectu ad media; hic eſt quem præmonſtrat nobis in præordinando fine. Alter qui conſpicitur in ordinandis huic fini mediis; ſeu in dandis & conſervandis nobis mediis. Prius probat Scriptura, Joan. 3, *Sic Deus dilexit mundum*, &c. Hic igitur amor eſt cauſa Chriſti miſſi in mundum, atque hunc dederat nobis Deus citra meritum Chriſti. Sic Rom. 3, *Commendat ſuam erga nos caritatem.* Joan. 4. 9, *Per hoc manifeſta facta eſt caritas Dei.* Quod autem hic amor ſit ad vitam æternam tanquam finem, ex eo liquet, quia hic amor eſt cauſa collationis mediorum. Quod ad alterum membrum diſtinctionis attinet, hoc etiam amore amat nos citra meritum Chriſti; dum enim nobis dat Chriſtum, donat fidem, non dat propter Chriſtum, tum enim eam nondum habemus. Nunc in ſpecie ad I Argumentum, quod tale erat: *Si Deus vult ſalutem citra* Chriſtum & ejus ſatisfactionem, poteſt nos ſine Chriſto ſalvare: hoc autem in Theologia abſonum. *Reſp.* Velle quod fertur in finem, duplex eſt, abſolutum abſque mediis: Primo ergo intendimus finem, nulla habita ratione mediorum. Alterum quo voluntas deliberat de mediis, & ad finem tendit per media, ita ut media includat: Vult Deus ſalutem noſtram, id eſt, finem; citra Chriſtum, id eſt, ſimpliciter & abſolute Deus apud ſe ſtatuit, aliquos ad hunc finem producere; verum poſteriori voluntate,

quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

quæ ſcilicet ad finem non tendit, niſi per media, Deus vult ſalutem noſtram, ſed non niſi per Chriſtum. Hi autem actus utut diſtingui debeant, ita tamen in intentione & executione ſunt connexi, ut hic ab illo nunquam ſeparari poſſit.

Argumentum alterum vanum eſt, & Scripturæ contradicit, *Ioan.* 10. *v.* 16. Ubi Chriſtus oves ſuas dicit eſſe eos, qui nondum in communionem ſui vocati ſunt, dum dicit, *Alias etiam oves habeo, quæ non ſunt ex ovili hoc.* Joan. 11. 52, *Nec tantum pro ea gente, ſed etiam ut filios Dei diſperſos* &c. Act. 18. 10, *Populus eſt mihi* &c. Cum itaque illi qui nondum ſunt vocati ſint populus Dei, oves Chriſti Filii Dei, certe falſum eſt, neminem amari à Deo niſi in Chriſto jam exiſtente, atque adeo objectum amoris Dei eſſe fidelem.

Illud etiam, nempe, objectum prædeſtinationis eſſe fidelem, in hoc impingit fundamentum omnium certiſſimum: Quod executione eſt poſterius ſeu ultimum, illud intentione eſt primum. Nam ſi fidelis eſt objectum prædeſtinationis, illud quod executione prius, eſt etiam primum intentione. Sic dico, Deus in decretis ſuis intendit finem, ipſe enim finis ultimus eſt executione, id eſt, ad finem ſuum per antegredientia media progreditur: prius autem intentione, quia de mediis non conſultamus, niſi præſtituto certo fine. Media autem quæ ſunt intentione poſteriora, priora ſunt executione, hoc eſt, ad finem non pervenitur, niſi per media antecedentia, ſicut fieret ſi fidelis eſſet prædeſtinationis objectum. Prius autem de mediis Deus fuiſſet ſolicitus quam de fine cogitaſſet, & media quæ executione priora, ſunt intentione poſteriora, in Dei mente poſteriora fuiſſent executione, priora intentione.

Quod in executione ultimum, eſt intentione primum: & contra. Ratio, quia ad iſtud quod intentione primum eſt, oportet pervenire per illa quæ poſteriora ſunt: non agitur de ordine executionis decretorum Dei, ſed de ordine intentionis.

Pag. 38. Lombardum reprehendit, quod ad fidem prædeſtinari dicat, verum cauſam non habet unius gloriæ divinæ manifeſtatio, interim plures ſunt fines ſubordinati, qui reſpectu ultimi media ſunt, ut & beneficium redemptionis, ſanctificationis, & omnia dona gratiæ.

Dicit ibidem, quod amor Dei ſit propoſiti cauſa. & probat. 1. Ex ordine prædicamentorum. Propoſitum enim in prædicamento *Actionis*, amor in prædic. *Qualitatis*. 2. Ex loco *Eph.* 5. *v.* 6. ubi dicitur Deus nos deſtinaſſe ad laudem ſuæ gratiæ. *Reſp.* Prius ineptum. Nam affectus in Deo ſunt effectus; hi vero conſequuntur actiones. Hinc ergo contrarium colligi poteſt. Amorem ſcilicet Dei eſſe effectum.

Quod ad II attinet, committit ignorationem Elenchi; nam cum efficientem cauſam debebat quærere, ponit pro efficiente finalem.

Pag. 39. Arguit Perkinſium, quod objectum prædeſtinationis hominem creandum ponat: idque tribus argumentis. 1. Quia homo objectum Deo decernenti & prædeſtinanti, jam vero actus non eſt niſi circa illud quod revera exiſtit, homo ergo ſpectatur non creandus, ſed creatus, & peccator. 2. Quia omnis amor Dei erga nos eſt in Chriſto: in Chriſto autem non conſiderantur niſi creati & exiſtentes. 3. Quia amor extra Chriſtum & erga creandos eſt uniformis erga omnes. Antequam ad refutationem veniamus, ſententia his duabus rationibus eſt ſtabilienda, quod nempe objectum Dei decernentis ſit homo creandus, creatus, permittendus in lapſum, & lapſus. 1. Si Deus non habuit ſibi alios fines propoſitos in decreto prædeſtinationis, quàm ad quos homines perveniunt (alios autem non habuiſſe hinc patet, quia aliàs Deus fruſtratus eſſet ſuo fine) ſequitur, quod ſpectaverit hominem condendum, conditum, integrum, & lapſum, per hæc media, ad fines ad quos perveniunt, eos deducit Deus. Secundum eſt: Si ſcil. Deus propoſuerat declarare gloriam ſuam in miſericordia & juſtitia, ad hunc autem finem non potuit pervenire (de potentia autem Dei ex hypotheſi loquitur, qua ſcilicet voluit ad hunc finem pertingere) niſi per hæc media, nempe creandum hominem, creatum, permittendum in lapſum, & lapſum. Ergo.

Ad *obj.* 1. *Reſp.* Objici prædeſtinanti aliquid, vel ut ei debet aliquid conferri, vel tanquam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

quam hoc quod debet fieri. Quod ita objicitur prædeſtinanti, tanquam cui debet aliquid, illi omnino præſupponit eſſe: quod vero ita, ut ipſum debeat fieri, non præſupponit eſſe; quod enim debet fieri, non eſt. Deus autem ſpectat hominem, non tantum cui aliquid voluit conferre, ſed etiam tanquam qui debuit fieri, hoc eſt, decrevit non minus hominem condere, quam alia ſalutis & interitus media conferre.

Ad 2 *Reſp.* Falſam hypotheſin eſſe, quod amor Dei omnis ſit in Chriſto. Nam, ut ante probavimus, amor Dei, qui conſpicitur in danda nobis ſalute æterna, & in eligendo nos ad finem noſtrum, non eſt propter Chriſtum. Ratio, quia prius intendit ſalutem noſtram (prius autem ordine naturæ, non tempore) quam media ad hanc, id eſt, Chriſtum & fidem. Quod enim eſt intentione primum, executione ultimum eſt; & quod executione primum, ut media, intentione ultimum. Si ergo prius amabat nos ad ſalutem, iſto amore non amabat nos in Chriſto. 2. Amor Dei, qui eſt cauſa miſſi Chriſti in mundum, de quo, Joan. 3. 16, *Sic Deus dilexit* &c. Rom. 5. 8. &c. *Cum inimici eſſemus.* 1 Joan. 4. v. 9, *Per hoc manifeſta* &c. Iſte amor non eſt propter Chriſtum, nec eſt cauſa ejus Chriſtus meritoria.

Ad 3 *Reſp.* Falſum eſt, quod amor Dei ſit uniformis erga omnes. Nam amor Dei, qui in deſtinatione electorum ad finem conſpicitur, eſt cauſa ſalutis: hic autem non eſt uniformis erga omnes, non enim omnes perveniunt ad ſalutem.

Diſtinguit, *pag.* 40, inter mediatorem *conſervantem* & *confirmantem*, & inter mediatorem *redimentem* & *inſtaurantem*; ſed quia hoc ſuum commentum non probat, pro non poſito habemus.

Pag. 41, Cauſa movens factæ electionis & reprobationis, quæ ſit, inquiritur. Perkinſius dicit, eſſe liberam Dei poteſtatem in quamvis creaturam. Quod Arminius ſic conatus infringere, dicit, omne Dei jus in creaturas niti, vel ipſius Dei in creaturas ſuas beneficiis, vel creaturarum in Deum maleficio; Id eſt, Deus jus habet in creaturas, vel quia benefacit creaturis, vel quia creaturæ male faciunt, id eſt, peccant in Deum. Fundamentum autem ipſius ſic evertitur: Jus Dei, & poteſtas Dei, unum idemque ſunt. Poteſtas autem eſt attributum Dei. Attributa autem non ſunt accidentia in Deo, ſed ſunt ipſe Deus. Sic juſtitia eſt ipſum Dei eſſe, reſpectum habens ad objectum, circa quod occupatur, vel ad effectum quem producit. Ita & poteſtas eſt ipſe Deus cum reſpectu ad extra. Hujus jam poteſtatis fundamentum, & cauſa, non poteſt eſſe beneficium creatoris, & maleficium creaturæ, ut ipſe dicit, cum Deus extra ſe cauſam & fundamentum nullum habeat. Sed poteſt maleficium creaturæ, & beneficium Dei eſſe cauſa quorumdam effectorum, nempe legalium; ut, quod addicit creaturæ peccatrici pœnam, proficiſcitur ex maleficio creaturæ; quod imponat ei præmium pro præſtatione in lege, proficiſcitur ex beneficio Dei. Eorum ergo quæ lex requirit, hæ cauſæ eſſe poſſunt. Dixi autem, quorumdam effectorum hujus liberæ poteſtatis cauſas eſſe beneficium & maleficium. Nam quod poſteros propter parentum peccata puniat, non proficiſcitur ex maleficio poſterorum, ſed ex libera poteſtate Dei, qua hanc legem propter ſocietatem arctam, quæ in familiis eſt, tulit. Poteſtatis igitur & juris Dei hæ cauſæ eſſe nullatenus poſſunt, neque etiam omnium effectorum hujus liberrimæ poteſtatis. Diſtinguendum ergo eſt inter cauſam & effectus, quæ poſſunt eſſe beneficium Dei & maleficium creaturæ; & inter cauſam cauſæ effectus, quæ eſſe non poſſunt. Unde enim poteſtas illa, qua Deus dignatur hunc hoc dono, alterum alio; hunc aliquibus, alterum nullo? Certe non ex beneficio & maleficio, ſed ex liberrima poteſtate. Fundamentum ergo facti hujus propoſiti eſt libera Dei poteſtas & voluntas.

Pag. 42, dicit, hominem lapſurum non poſſe eſſe objectum prædeſtinationis: Quia Deo omnia ſunt præſentia; lapſurus autem in futuro. *Reſpond.* Vanum hoc. Nam diſtingui debet. Verum enim eſt, ipſi omnia eſſe præſentia quod ad *præſcientiam* & præcognitionem æternam, non vero præſentia quod ad realem *coexiſtentiam*.

Pag. 43, docet, Chriſtum eſſe fundamentum electionis, non qua medium tantum, ſed qua

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

qua cauſa etiam meritoria. Hanc ejus hypotheſin & ſententiam his argumentis refuto. 1. Quicquid meritus nobis eſt Chriſtus, meritus obedientia legali, paſſione, & morte crucis: hanc autem præſtitit in tempore; electio autem ab æterno facta eſt: non itaque cauſa ejus eſſe poteſt. 2. Hinc ſequeretur, prius nos juſtificari, quam eligi: hoc autem falſum, Rom. 8, *Quos prædeſtinavit, hos vocavit* &c. Et per fidem juſtificamur, electio autem præcedit fidem; præcedit ergo & ipſam juſtificationem. Ratio, quia quod antecedit antecedens, antecedit etiam ipſum conſequens, Act. 14, *Crediderunt* &c. Prius ordinatos ponit, poſtmodum credidiſſe, Joan. 6, *Non credidiſtis, quia non eſtis ex ovibus meis.* 2. Probatur hoc ex æquipollentibus vocabuli hujus (*electus*) ut vocantur oves, Joan. 10, *Alias oves habeo* &c. Vocantur itaque oves, qui nondum erant vocati & juſtificati, vocantur etiam filii ante vocationem. Jam vero duplices filii ſunt, vel *adoptione*, vel *electione*. Hi non adoptione filii ſunt, quia nondum erant vocati. Ergo electione; Electi igitur, Act. 18. v. 10, *Populus mihi multus* &c. Ubi populus vocantur, quibus nondum annuntiatum erat Evangelium; jam vero Scriptura diſtinguit genus humanum in domeſticos ſeu concives, & extraneos. Populus autem Dei non ſunt extranei à republ. Iſraelis: Sunt ergo jure vocationis concives; Ergo ratione electionis. Tertio Deus decrevit ſalutem aliquibus conferre, idque per Chriſtum, tanquam per medium: ſi tanquam per medium, omnino non poteſt iſtius decreti eſſe cauſa; nullum enim deſtinatum poteſt eſſe ſui deſtinantis cauſa. Quod autem aliquibus conferat media ſalutis, manifeſtum eſt, *Ioan.* 10, dicitur pro ovibus mortuus tantum. *Marc.* 1, liberavit populum ſuum. Act. 20. 28, *Eccleſiam proprio* &c.

Pag. 45, diſtinguit inter promiſſionem mediatoris nudam, & cum beneficiis. Quæ diſtinctio inepta, quia contradictionem crudam infert, mediatorem habere, & nulla beneficia accipere: ubique autem illud Scriptura refellit, cum promittit talem mediatorem, qui ſit futurum remedium malis iſtis, quæ nobis inhærent, Geneſ. 3. verſ. 15, *Semen mulieris.* Geneſ. 17, *Dabo tibi ſemen* &c.

Pag. 46, docet Arminius promiſſionem latius patere, quam mandatum. Quod falſum eſt. Promiſſio enim tantum ad electos pertinet, mandatum vero extenditur ad omnes, Joan. 3. 16, *Sic Deus* &c. Gal. 3. 23, *Concluſit omnia* &c. Matth. 11, *Qui onerati eſtis.*

Hinc ſolvitur objectio, quam ubique circumferunt multi: Quodcumque tenetur quis credere, hoc verum eſt. At unuſquiſque tenetur credere, Chriſtum pro ſe mortuum eſſe. Ergo hoc verum eſt. Minorem probant; quia ad unumquemque extenditur mandatum. Sed Major ſyllogiſmi inepta; Non enim ad quemcunque mandatum, ad eum promiſſio. Dicit in eadem pagina: Imo ad omnes promiſſio, ſed aliqui ſe indignos faciunt promiſſione, & inde non obtinent promiſſionem. *Reſp.* Verum hoc, quod ſe indignos faciant, atque hoc ipſo fatentur, promiſſiones ad ſe non pertinere: verum ideo promiſſiones ipſis non factæ ſunt, quia indignos ſe faciant. Promiſſio enim facta aliquibus, extra reſpectum vel dignitatis, vel indignitatis. Ex *Luc.* 7, adfert hoc, quod ſpreverint conſilium Dei, & ita ſpernendo indignos ſe fecerint promiſſione. *Reſp.* Conſilium Dei aliquando accipi pro decreto Dei, *Eph.* 1. *verſ.* 11. hoc modo hic accipi non poteſt. Aliquando pro doctrina, ut Act. 20. 27. Apoc. 3. 18, *Conſilium do tibi* &c. Et hoc modo accipitur in præſenti.

Pag. 47, dicit, non omnes peccatores æque eſſe indignos; atque ita ponit gradus in indignitate. Quod magnum ſphalma eſt. Nam Scriptura, dum de irregenito loquitur, omnes dicit eſſe inimicos Dei, omnes in peccato mortuos, omnes filios iræ &c. In his autem gradus nullus conſtitui poteſt: ſed ſi gratiam ſpectes, meritum ſcilicet Chriſti, non omnes æque indigni. Nam peccatores qui Chriſto inſiti, & beneficia ejus ſibi applicant, placent Deo, verum non in natura ipſorum, ſed gratia & merito Chriſti.

Eadem pagina dicit, Mandatum non latius patere, quam promiſſionem: ſed æque late, inquit, patent promiſſio facta & mandatum credendi. Nam ſi promiſſio non ſit omnibus, quibus mandatum datur credendi, jam iniquum eſt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

mandatum & inutile. Iniquum, poſtulat enim ab homine ut fidem habeat, promiſſione non generali, ſed ſpeciali, quod & tibi facta ſit promiſſio. Vanum, quia eſt de nihilo. Inutile, præſtari enim nullo pacto poteſt ab eo, ad quem promiſſio facta non pertinet.

Reſp. ad hoc. Primo demonſtrabimus theſin noſtram, quod mandatum latius pateat, quam promiſſio; idque ex Adverſariorum hypotheſi. 1. Fatentur ipſi & dicunt, non omnes electos eſſe ad vitam æternam ex prævilione fidei, ſed illi tantum, quos Deus prævidit credituros. Si ergo hoc, quomodo promittit vitam iis, quos non eligit ad vitam? Certe intelligibile non eſt. Hoc enim pacto promittit aliquid contra decretum ſuum, & facit aliquid contra naturam: imo promittere alicui aliquid, quod daturus non es, eſt mentiri: quod in Deum non cadit. 2. Deus decrevit, aliquibus ex præviſa fide media ad ſalutem inſervientia conferre, aliquibus autem denegare, iis videlicet, quos prævidit non credituros; quomodo ergo promittere dicitur omnibus ſalutem, cum non omnibus media ad hanc ducentia largiatur? Inſipiens certe ille eſt, qui tendit ad finem abſque mediis, vel rejectis mediis. 3. S. Scriptura diſtinguit inter filios promiſſionis, & carnis, ad quos promiſſio non pertinet; *Rom.* 1. Si ergo ſunt aliqui filii promiſſionis, & ad hos etiam pertinet mandatum; ſequitur quod promiſſio non tam late extendatur, quam mandatum.

Ad objectiones ejus tollendas una diſtinctio ſufficit, quod nempe mandati duplex ſit finis, unus ratione electorum, eſtque promiſſionum obtentio: alter ratione reproborum, & eſt inexcuſabilitas. Quod autem hic etiam finis ſit mandati, teſtatur Scriptura, Luc. 2. 34, *Ecce poſitus eſt hic caſui multorum*, &c. 1 Pet. 2. 7, 8, lapis dicitur, &c. Quod ad loca ejus, quæ adfert, ac primo, Act. 2. 38. *Reſipiſcite* &c. Ad hoc dicimus, Argumentum retorquendum eſſe. Nam tantum abeſt, ut his locis probet univerſalitatem promiſſionis, ut contrarium manifeſte inde eluceat. Nam promiſſionem, factam dicit domui Iſraëlis. Jam vero conſtat, gentes eo tempore vixiſſe abſque Deo in mundo, *Eph.* 2. *verſ.* 13. Deinde nec ad illorum omnes quos appellat, promiſſio pertinebat, videlicet non ad omnia individua & ſingulares homines; fuerunt enim aliqui filii carnis. 2. Quod ad Matt. 11. verſ. 28. ubi vocat ad ſe, & promittit &c. Jam vero non omnes ſitiunt, ſed credentes tantum.

Pag. 50. Reprehendit Perkinſium, quod electos opponat impiis; & quidem hoc bene. Nam aliquis poteſt eſſe impius, & tamen electus, impius ante juſtificationem. Quod autem hoc ita ſit, patet Rom. 4. 5, *Qui credit in eum, qui juſtificat impium.* cap. 5. v. 6, *Chriſtus mortuus pro impiis.* At pro quibus Chriſtus mortuus, illi ſunt electi. Paulus certe, cum perſequeretur Eccleſiam, erat electus; & nos, dum eramus filii iræ, *Eph.* 2, electi fuimus. Cautela ergo hic adhiberi debet, ut dicamus, impium talem opponi electo, qui finaliter impius eſt, non autem qui ad tempus talis eſt. Male ergo dicit Perkinſius, ſi hanc diſtinctionem non ſubintellexit: non autem male dicit, ex ea quam Arminius putat cauſa. Non enim impius opponitur electo qua impius, ſed qua reprobus, talis enim impius qui finaliter impius manet, eſt reprobus. Ibidem dicit; Quod Perkinſius aſſerat miniſtrorum officium in ſola hortatione ad pœnitentiam conſiſtere, excluſa promiſſione: quod falſe ei affingit. Hoc enim dicit; & cum eo omnes noſtri Doctores, Miniſtrum debere verſari circa mandatum, ſimpliciter injungendo obedientiam ei præſtandam, circa promiſſionem etiam, ſed non ſimpliciter, verum ſub conditione fidei, ut primo dicat, *Crede*: deinde addat promiſſionem ſub conditione obtinendam, *Si credideris, ſervaberis.*

Reſumit *pag.* 61 iſtam quæſtionem: Quod promiſſio & mandatum æque late pateant. & potiſſimum oſtendit hoc (ſub cujus obtenti conditione à nobis largiebantur omnia) quod nempe inexcuſabilitas ſit finis per ſe mandati reſpectu reproborum. Hujus ergo contrarium conatur ſic probare. Primo inquit, mandatum non per ſe, ſed quatenus rejectum, facit inexcuſabilitatem. 2. Finis iſte non eſt præcipuus, utut eſſet per ſe. Nam aliud eſt, ſcilicet ut officii ſui admoneantur, & ad fidem converſionemque invitentur ac incitentur, ut Rom. 2. 4, *An*

igno-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ignoras &c. Item ut Deus ſibi ſuoque erga creaturas amori, etiam iſto longanimitatis exercitio ſatisfaciat, *Rom.*9. Iſti autem duo fines ſunt præſtantiores. 3. Conceſſo, *verſ.*22, Quod ſit finis per ſe, mandati non eſt tamen.

Antequam ad hæc *Reſp.* Sententiam noſtram his argumentis ſtabilimus. Sciendum autem, 1. Diſtinguendum eſſe inter finem per ſe, qui talis eſt vel ſua natura & in ſe, vel ordinatione divina. Dicimus ergo, utut mandati finis per ſe non eſt inexcuſabilitas ſua natura, eſt tamen ordinatione divina. Quod autem hæc diſtinctio ſit ſana, patet ex eo, quod peccatum ſit medium inſerviens fini bono, verum non ratione ſuæ naturæ, ſed divinæ diſpenſationis & ordinationis. Nunc ergo quod inexcuſabilitas ſit finis talis per ſe mandati, demonſtro, 1, Exemplis. 2, Scriptura. 3, Ratione. Exemplum habemus in gentibus, de quibus, *Eph.*2.11, dicitur, *quod quondam fuerint abſque Chriſto* &c. Hæ gentes eo etiam tempore obligabantur ad mandati præſtationem, idque addita comminatione pœnæ æternæ. Jam vero Deus decreverat non omnes aſſumere, & ex communi exitio eximere. Quis ergo alius poteſt eſſe finis, niſi inexcuſabilitas, cum mandatum acceperint, illi vero ei non obediverint? Sic *Rom.* 11.7, aliqui dicuntur occalluiſſe, & in ſenſu &c. qui tenebantur ad mandatum. Scriptura idem docet, *Luc.*2. Ubi dicitur Chriſtus poſitus in ruinam. 1 *Pet.*2.7, dicitur lapis &c. Rom. 1. v. 20, *Ipſius enim inviſibilia jam inde* &c. ad hoc ut ſint inexcuſabiles. Non enim hoc facit per accidens, quod facit cum intentione Deus. Ratio hæc eſt, quia alium finem non intendit Deus, quam aſſequitur: aſſequitur autem hunc, i. e., inexcuſabilitatē. Si enim alium haberet propoſitum, eſſet fruſtratus ſuo fine: pugnat autem hoc cum omniſcientia Dei. Deinde in dubium vocatur ejus omnipotentia, dum finem quem intendit, non poteſt attingere. 2. Deus non decrevit ipſis pœnitentiam & fidem conferre, & per hæc media ad finem, videlicet ad ſalutem, deducere. Ergo decrevit contrarium, nempe per oblationem mandati inexcuſabiles eos reddere.

Ad Argumentum *Reſp.* 1. Quod dicit, ex ſpreto mandato hæc conſequi, atque adeo finem eſſe per accidens reſpectu mandati: ad hoc dixi, diſtinguendo inter finem per ſe, qui talis eſt, vel ratione naturæ propriæ, vel ratione ordinationis. Dicit Arminius *pag.*56. Quod, quia repulſio mandati eſt inevitabilis, excuſat. Sed falſum hoc eſſe demonſtratur, tum in irregenitis, de quibus dicit Scriptura, 1 Cor. 2, Quod non percipiant &c. Eſt certe hoc inevitabile: quis vero excuſari hos adfirmaverit? Et *Rom.*8.7, iterum inevitabilitas innuitur: ſed quis hanc inimicitiam adverſus Deum, coram Deo excuſari dixerit? Demonſtratur idem ex regenitis, qui non quod volunt faciunt, *Rom.* 7. & *Gal.* 3. ſed quod nolunt hoc agunt: & certe hoc inevitabile, & tamen non excuſat. Diſtinguendum itaque inter inevitabilitatem, cujus nos ipſi cauſa ſumus, vel cujus non ſumus: prior non excuſat; de poſteriori dubium.

Arminius, *pag.*57. Dationem fidei & pœnitentiæ fieri per modum ſuaſionis, & Deum eſſe cauſam fidei & pœnitentiæ moralem, non phyſicam. Deum non producere hæc ipſa in homine, ſed tantum ſuadere, ut credant & pœnitentiam agant. *Reſp.* Falſum hoc; ſi enim fides ſit aliquid, quod negari non poteſt, erit vel creatura, vel creator. Si creatura, prout dicendum eſt, qua ratione diceretur talis, cum non pendeat à creatore, & ſit producta ab hoc tanquam à cauſa phyſica? 2. Scriptura præter ſuaſionem iſtam requirit & aliud, videlicet oculos ad videndum & aures ad audiendum, quæ dari debebant à Deo. Deut.29. 4. Matth. 13, *Vobis datum eſt* &c. Datio ergo requiritur.

Diſtinguit ibidem ſuaſionem, in internam, & externam, & dicit, has ſemper eſſe conjunctas: quod falſiſſimum evincitur ex eo, quod Scriptura dicat, Deum indurare, obcæcare aliquos, & in reprobum ſenſum tradere: hos vero vocat externa vocatione, non interna. Prius probatur, *Ioan.*12.40. *Eſai.*28. *Deut.*28, dicit, ſe percuſſurum Iſraëlem tanta cæcitate, ut quivis doctus inter eos dicturus ſit, *liber clauſus eſt.* Joan.6, dicitur, *nemo veniet ad me* &c. ubi de interna vocatione loquitur Chriſtus, quam ſolam eſſe efficacem Sp. Sanctus teſtatur. Si ergo hæc eſſet conjuncta cum externa, omnes omnino qui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

no qui vocantur externe, credituri eſſent. Probat autem inſtantiam ſuam. 1. Quia alias inutiliter prædicaretur Verbum. 2. Quia expreſſe dicuntur reſiſtere Spiritui Sancto: at qua ratione poſſunt ipſi reſiſtere, quem non habent? Sequitur ergo. *Reſp.* ad primum, retorquendo. Nam ſi inutile redditur aliquibus Verbum Dei, ſequitur, quod non omnes qui externe vocantur, ſimul Spiritu donentur. Ad alterum *reſp.* Non reſiſtimus Spiritui S. cum *interne* vocamur, ſed quando *externe* vocamur.

Diſtinguit poſtea inter ſuaſionem *ſufficientem*, & *efficacem*: ſed inepte. Nam ſi aliqua ſit ſuaſio ſufficiens, quæ non ſit efficax, erit illa vel ſufficiens ratione mediorum, vel virium & mediorum. Si ratione mediorum tantum, non autem virium, hæc nulla eſt, & perinde, ac ſi mortuo panem dares ut ederet. Si ratione virium & mediorum ſimul, non diſtinguitur ab efficaci.

Providentia & prædeſtinatio diſtinguitur ratione objecti & finis: quia illa ſe extendit ad omnia, hæc ad creaturas rationales: ratione finis, quod hæc ſit de fine rationalis creaturæ. Arminius vero dicit, *Providentiam occupari circa fines naturales, prædeſtinationem circa fines ſupernaturales hominis. Reſp.* Falſum. Annon Deus in deſerto aluit populum Iſraëliticum mannâ, quod fuit medium ſupernaturale? Sic excuſſio aquæ ex petra fuit ſupernaturale medium & providentiæ Divinæ objectum. Sic in Sacramentis res naturales ad fines ſupernaturales ordinantur. Hominis finis, qui in ſtatu integritatis, erat naturalis; in ſtatu defectionis, eſt ſupernaturalis.

Reſpondere nititur Arminius ad duo argumenta noſtra, quæ demonſtrant, inexcuſabilitatem eſſe finem per ſe mandati, ratione ordinationis divinæ. *Primum* hoc erat: Quibus Deus certo decreto ſtatuit pœnitentiam & fidem non dare, illos ad fidem & pœnitentiam non hortatur in alterum finem, quam ut inexcuſabiles reddantur. At Deus decreto reprobationis ſtatuit, reprobis pœnitentiam & fidem non dare. Ergo quod Deus reprobos hortetur ad fidem, &c. in hunc finem facit, ut inexcuſabiles reddantur. *Alterum* erat hoc: Deus nullum ſuo facto habet finem propoſitum, niſi quem aſſequitur, nunquam enim ſuo fine fruſtratur. At Deus hortatione ad reprobos facta nullum finem alium ſibi habet propoſitum &c. Ergo. Ad hoc *Reſp.* Arminius: Falſam ſibi videri Majorem. Ratio; quia Deus non omnia facta ſua inſtituit ſecundum ſuam voluntatem antecedentem, quæ non ſemper impletur. *Reſp.* Vana eſt diſtinctio: Probatur hoc tribus argumentis. 1. Innititur peſſimo aut potius nullo fundamento, dum dicit, *Deum omnibus velle ſalutem*: verum, *quia providet, aliquos fore, qui oblatam gratiam ſint repudiaturi, non velle omnes ſalvos, ſed aliud apud ſe ſtatuere.* Hoc vero fundatur in iſta falſa hypotheſi: Quod homo animalis poſſit vel gratiam oblatam acceptare, vel rejicere. Sed falſum hoc. Quia certum, quod Deus ita finem velit, ut media ſimul velit: illa autem velit, non tantum ſuadendo, ut *cauſa moralis*; ſed etiam efficiendo, id eſt, ut ſimul *cauſa* eorum *phyſica* ſit: ita ut quos ex decreto ſuo æterno vult ſalvos, iis ſimpliciter largiatur media ad hunc finem ducentia, neque illa tantum offerat, ſed etiam efficaciter conferat, ita ut reſiſtentiam hominis animalis tollat, quæ circa ſpiritualia in tali homine eſt, *Rom.* 8. 7. 1 *Cor.* 2. 14.

Excipiunt ad hoc: *Si reſiſtentia tollitur, etiam voluntatis libertas tollitur: hoc autem non admittitis ipſi. Reſp.* Nulla conſequentia: & fundamentum falſum, quod neceſſitas non conſiſtat cum libertate voluntatis; quod præſupponitur. Nos autem diſtinguimus inter neceſſitatem *immutabilitatis*, & *coactionis*; & illam dicimus optime convenire cum voluntatis libertate; hanc autem non. Ratio. Nam Diaboli & homines animales neceſſario peccant, & tamen libere. Sic quæ Deus agit ex decreto & promiſſionibus abſolute exhibitis, neceſſario agit, & tamen liberrime.

Alterum argumentum eſt hoc: Deus dum voluiſſet omnibus & ſingulis finem voluntate antecedente; quæram, utrum, ita voluerit, ut ſciverit, omnes ad finem iſtum deventuros, vel non ſciverit? Si hoc ſcivit, fruſtra voluit: ſi non ſcivit, non eſt omniſcius. Secundo, vult aliquid ſine ratione; velle enim aliquid quod

non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

non ſcimus,eſt ſine ſcientia & ratione velle, ſic autem velle non competit naturæ rationali. Arminius autem videtur dicere, Deum aliquando non ſcire quod vult, *pag.*60. *lin.*26.

Argumentum III, eſt Piſcatoris: Iſtæ voluntates, inquit ille, aut ſunt ſimul tempore, aut non. Si non ſunt ſimul, ſequitur, voluntatem ejus mutabilem, utpote quæ hoc tempore aliquid vult, alio tempore idem non vult. Si ſint ſimul tempore, ſibi repugnant, & Deus uno eodemque tempore, unum idemque ſimul & volet & nolet. Arminius probat falſitatem Majoris, Scripturæ locis, pag.60, Eſai.5, *Vvas exſpectavi* &c. ad quam ſupra diximus eſſe ἀνθρωποπάθειαν, *Luc.* 7. Phariſæi conſilium Dei ſpreviſſe dicuntur; ubi etiam monuimus, *conſilium* ibi capi pro doctrina: quod probavimus.

Quod ad Matth. c.23, *Quoties volui* &c. *Reſp.* Quod Chriſtus voluerit vocationem eorum qua homo, non qua Deus, nec qua mediator. Nam ſi ſpectes ejus officium propheticum, legimus, alios docuiſſe per parabolam, alios aperte & manifeſte. Item ſi Sacerdotium ejus ſpectes, certum eſt, non oraſſe pro ſingulis, *Ioan.*17. & *Matth.*11.25.

Regeritur: *Hic eſſe contradictorias voluntates. Reſp.* Illud non poteſt probari, utpote cum illud Chriſtus non velit ſecundum humanam naturam abſolute, ſed ſub conditione, Si Deo placuerit. *Exod.* 32, Moſes voluit deleri de libro vitæ, ſi Deo ſic viſum fuerit. *Ierem.* 7, Intercedit pro populo & vult parci ipſis: ſed divina majeſtas reſponſum ad hoc dedit, Noli invocare, non enim exaudieris. Sub conditione ergo hoc voluit. Secundo probatur: Nam ſi voluit omnes congregare qua mediator etiam eſt, ſequitur quod pro omnibus ſit mortuus: hoc autem falſum. Nam, *Ioan.* 10, pro ovibus. *Eph.*5, pro Eccleſia. *Ioan.* 17, pro populo ſuo ſe mortuum dicit. Reſpondent quidam, mortuus eſt *ſufficienter* pro omnibus, non *efficaciter*: ſed vana diſtinctio & plena offenſionis. Equidem confitemur hoc, imo etiam anathema dicimus eum, qui ſecus ſtatuit, Chriſti λύτρον eſſe tanti valoris, ut, ſi Deo viſum fuiſſet, omnes, imo ipſos Diabolos ſalvare, per hoc ipſum ſufficiens eſſe poſſet; verum inde dicere, Chriſtum mortuum eſſe pro ſingulis, abſurdum eſt, idque propter has conſequentias, quod, quia ſufficiens erat meritum Chriſti ad omnes juſtificandos, omnes juſtificaverit, omnes regenuerit, redemerit &c.

Verum ſunt & alia argumenta. 1: Mortuus pro iis etiam, qui nec ſunt, nec futuri ſunt unquam, ſed per omnipotentiam Dei potuerunt eſſe. 2. Non omnes elegit ad finem, Ergo nec ad media, id eſt, mediatorem. 3. Non cum omnibus fœdus iniit; Ergo nec ad omnes fœderis promiſſio pertinet, & ex conſequenti nec fœderis mediator.

Quod ad locum, 2 Petr.3.9, *Deus patiens eſt erga nos. Reſp.* Duplex eſt genus hominum; unum eorum, qui dati ſunt Chriſto, ut ſunt oves Chriſti: eos autem non vult perire, Joan. 17.24, *Pater, quos dediſti mihi, velim ut ibi ſint* &c. Alterum, eorum, qui non ſunt dati Chriſto: hos vult perire. Diſtinctionem hanc eſſe probam demonſtro ex natura Dei. Voluntas Dei eſt vel *approbans*, vel *reprobans*. Approbante voluntate vult illa, quæ vel ipſe efficit, vel ab alio fieri permittit. Reprobans voluntas eſt voluntas, qua quædam non vult, quæ nempe non eveniunt: ex horum numero autem cum hæc ſint, quod non omnes ſalventur, ſequitur, quod hoc Deus abſolute nolit. Quod autem illa ſint ex eorum numero, quæ ſubjiciuntur voluntati Dei, ex eo manifeſtum eſt, quia ſi approbante voluntate vellet omnes & ſingulos ſalvos fieri, omnes fierent ſalvi. Non ergo generaliter hoc accipiendum puto, ſed de iis, qui dati ſunt Chriſto. Item Deus quædam vult cum conditione impleta, omnibus autem dare ſalutem, ejuſque media, non evenit. Ergo non abſolute illud vult, ſed cum conditione, quæ non impletur in ipſis, niſi Deo implente.

Innuit *pag.* 60, Arminius, Deum poſſe fruſtrari ſuo fine, verùm hoc non poteſt cadere in Deum, ut qui eſt ſapiens. Illud autem inſipienti competit. Nam ratio quæ fertur in impoſſibile, inſana eſt. Jam autem ex eorum ſententia præſcivit, aliquos non credituros, & quia præſcivit, etiam credituri non ſunt, tum quia præ-

ſcientia falli nequit, tum quia immutabilis eſt; aliàs, ſi hoc eventurum fuiſſet, mutaretur ipſius voluntas. Ad illud ergo non fertur Dei voluntas & intellectus.

Idem probatur ex ordinatione mediorum. Qui enim media ordinat, ipſi ſpes eſt obtinendi finem; alioqui enim non adhiberet media. Ergo, cum Deus media ſuppeditet, & finibus ſuis præordinet, ſequitur, non poſſe fruſtrari ſuo fine. Philoſophorum axioma eſt: *Datio in finem non poteſt eſſe, niſi quia finis eſt poſſibilis*; Hoc enim parit in creaturis ſpem, in Deo eſt certa præſcientia, ex ſpe proficiſcitur datio mediorum.

Quæritur pag. 61. *Vtrum mandatum poſſit pugnare cum decretorum ejus aliquo?* Illud autem probat ex noſtra inſtantia. 1. *Quia mandatum non ſemper annexam promiſſionem habet, atque ita vult ut omnes credant*, mandat enim: Decreto autem ſuo non ſtatuit omnibus fidem dare. 2. Deus aliquid vult, ad quod præſtandum vires non largitur, atque adeo idem non vult. *Reſp.* Probatur ex Scriptura, mandare Deum multa, quæ non vult, ut in Abrahamo exemplum habemus, cui Deus mandabat offerre in victimam filium ſuum, & tamen non voluit hoc. *Ier.* 33. 5, mandatur Rechabæis ut vinum bibant, quod Deus tamen noluit. Diſtinguendum igitur inter mandata *obedientiæ*, *explorationis*, & *convictionis*. *Obedientiæ* mandatum eſt, cum illud, quod mandatur, in eventum deducitur. *Explorationis*, quod explorandi cauſa proponitur; quale datum erat Abrahamo. *Convictionis* eſt reprobis proprium, quod eo fine datur ipſis, ut convincantur & omnis iis excuſationis prætextus præſcindatur. Quod ad ſecundum eadem eſt reſponſio, requirit à reprobis fidem & pœnitentiam, ut convincantur.

Dicit pag. 62, *Quod negatio concurſus Dei neceſſarii ad fidem præſtandam promiſſioni, habeat rationem impedimenti, quominus fidem & pœnitentiam apprehendat. Reſp.* Falſum hoc eſſe. Nam impedimentum hoc eſt, quod aliquem inhibet, quominus illud ad quod propendet, in actum deducat. Ejuſmodi autem propenſionem habere nequit homo irregenitus ad ſui converſionem, ut 1 *Cor.* 2. *Rom.* 8, Paulus teſtatur.

Eadem pagina examinat Reſponſionem Perkinſii, qui dicit, Deum in mandatis & promiſſionibus non omne id docere, quod decrevit, ſed voluntatem ſuam tantum ex parte proponere: quod veriſſimum eſt. Et hinc diſtinctio illa Theologorum inter voluntatem Dei *arcanam* & *revelatam*. Ad quam monendum, non eſſe diſtinctionem *generis* in *ſpecies*, ſed *ambiguæ vocis* in *ſua ſignificata*. Quando ergo dicunt Theologi noſtri, aliam eſſe voluntatem Dei beneplaciti, aliam ſigni; nihil aliud dicunt, quam unam eſſe voluntatem, quam mandato revelavit ex parte, ex parte reticuit. His præmiſſis veritatem aſſertionis Perkinſii ſic probabo. Equidem mandat, ut omnes credant, & non revelat in quibus hoc ſit effecturus, nec revelat in quibus mandati finem vult, obedientiam, & in quibus vult inexcuſabilitatem; quamvis hæc voluntas poſtea ex eventu pateſiat, ut revelata eſt in Pharaone & in Juda. Locum iſtum, *Matt.* 11. 25, penitus depravat, ubi textus ſic habet, *Gloriam tibi tribuo, Pater, Domine cæli & terræ*, ad finem iſtius verſ. Ille ſic intelligendum dicit: *Ago tibi gratias, Pater, quod myſteria cæleſtia parvulis revelaveris*: & dicit, εὐδοκίαν proprie referendum ad id, de quo gratias agit Chriſtus Patri ſuo: illud autem eſt, quod myſteria cæleſtia parvulis revelaverit, non autem quod myſteria à ſapientibus abſconderit. Hoc autem probatur, quia Chriſtus pro iis mundi ſapientibus oravit, qui ipſum crucifixerunt.

Reſp. Precatio hæc Chriſti indefinita erat, & legimus *Act.* 2, eorum aliquot millia converſa eſſe, qui crucifixerant Chriſtum. 2. Precatur, ne Pater iis imputet hoc peccatum, non ex toto, ſed in tantum, quia ex ignorantia commiſſum fuit.

Dicit Arminius, *pag.* 66, ad locum iſtum Matthæi, quo Chriſtus Patrem rogavit ut tranſiret calix; Quod diſtinguendum ſit, inter *affectu & deſiderio velle*, & inter *volitionem*: & dicit, quod quidem affectu voluerit liberari à morte inſtanti, ſed non voluntate. 2. Voluit ſecundum hominem qui eſt corpus, non voluit ſecundum internum hominem, ſed ſubjecit ſe volun-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

voluntati divinæ. Sed prius falſum. Nam omnis affectus qui non dependet à voluntate, nec ab ea ordinatur, eſt inordinatus ac peccato inquinatus: talis autem in Chriſtum non cadit. Poſterius ineptum, corpori nempe tribuere voluntatem.

Multum, *pag.* 67, diſſerit de efficacia & ſufficientia lytri Chriſti, quam diſtinctionem ſtabilit, *pag.* 69, tandem ad duo Perkinſii Argumenta reſpondet. Primum hoc eſt: Chriſtus non ſacrificat pro iis, pro quibus non orat. At non orat niſi pro electis & credentibus, *Ioan.* 17. 9, & orando ſe offert Patri. Ergo non ſacrificat pro omnibus, ſed pro electis & credentibus. Ergo mors ejus non eſt λύτρον pro omnibus. Reſpondet: Propoſitionem ſibi videri falſam; ſacrificatio enim prior eſt interceſſione; non enim potuit cælos penetrare, ut intercederet pro nobis in conſpectu Dei, niſi per ſanguinem carnis ſuæ; atque ita prior, ut ſacrificatio pertineat ad meritum, interceſſio ad meriti applicationem. *Reſp.* Vanitas eſt in verbis, conjunctum enim aliquid eſt, vel *fine*, vel *ſubjecto*, vel *tempore*. Sacrificatio & interceſſio, utut conjuncta *tempore* non ſint, *fine* tamen & *ſubjecto* conjuncta omnino ſunt; quia ad unum finem tendunt; cui enim in bonum cedit ſacrificium, eidem & interceſſio. *Subjecto* etiam conjuncta ſunt; quia cui unum competit, alterum etiam competere neceſſum erit. Duplex enim eſt, vel quæ fit per modum precationis ſeu precum, vel per modum præſentationis λύτρȣ. Prior tempore præceſſit oblationem ſeu ſacrificium in ara crucis oblatum: poſterior autem ordine naturæ poſterior eſt ſacrificio.

Pag. 70. *Sacrificatio pertinet ad meritum; interceſſio, ad meriti applicationem.* Falſum; vel addendum, non tantum ad meriti applicationem, ſed etiam ad ipſum meritum. Hujus namque finis eſt, dare animam ſuam, *Matth.* 20. 1 *Tim.* 1. 15. Ut redimeret & ſervaret peccatores, Gal. 1. 4. *Qui dedit ſemet ipſum*, &c. Applicatio igitur eſt finis meriti.

Pagina eadem dicit & reſpondet ad Argumenti allati Minorem, Chriſtum oraſſe pro non electis: Nam, inquit, oravit pro iis qui crucifixerunt eum. *Reſp.* ut ante, indefinitam eſſe hanc propoſitionem & precationem, & aliquos etiam converſos fuiſſe. 2. Precatur ne hoc peccatum ipſis imputetur ratione gradus, quia ignorantiâ erat commiſſum.

Pag. 71, dicit, λύτρον Chriſti prius eſſe electione. Cujus refutatio ex præcedentibus liquida eſt. Supervenit etiam hoc: Chriſti mors non eſt de nihilo, ſed propter aliquid; habet ergo finem; medium ergo eſt. Si hoc, ſequitur neceſſario, quod prius quidem ſit executione, non autem intentione, quia propter finem voluit medium.

Progreditur ad alterum Argumentum Perkinſii *pag.* 72. Erat autem hoc: Chriſtus tantum eorum mediator eſt, quorum perſonam ſuſtinuit in cruce. At electorum tantum perſonam ſuſtinuit. Ad hoc reſpondet, non eſſe de eſſentia vel natura mediatoris, ut alicujus perſonam ſuſtineat. Eſt enim mediator inter duas partes diſſidentes conſtitutus. *Reſp.* In officio mediatoris diſtingui ſic actus: Primus eſt diſcretio & dijudicatio cauſæ inter partes diſſidentes, quomodo arbitri vocari ſolent mediatores. 2. Referre pacta & conditiones utriuſque partis, ut *Hebr.* 9. 11, 12. 3. Interceſſio & ſupplicatio pro ea parte quæ læſit. 4. Solvere & ſatisfacere uni parti pro altera. 5. Satisfactionem illam efficaciter applicare. 6. Eos pro quibus ſatisfactum eſt, contra hoſtes tueri & in parta ſalute conſervare. Quando ergo Perkinſius agit de mediatore, omnes hujus officii gradus & actus complectitur. In Minore ſyllogiſmi dicit Arminius: *Duplex mihi occurrit obſervatio, una falſitatis, altera ἀκυρολογίας. Falſitas in eo eſt, quod dicatur, Chriſtum electorum tantum perſonam ſuſtinuiſſe in cruce. Hoc probo*, inquit: *Quia Scriptura nuſquam dicit, imo contrarium dicit plurimis locis.* Chriſtus dicitur Agnus Dei, qui tollit peccata mundi, 1 Joan. 1. 29. *Deus mundum dicitur ita dilexiſſe* &c. *Ioan.* 3. 16. Chriſtus dicit ſe carnem ſuam dare pro mundi vita, Joan. 6. *Deus erat mundum ſibi reconcilians* &c. 1 *Cor.* 2. 5, 9. Chriſtus propitiatio pro totius mundi peccatis, 1 *Ioan.* 2. 2. Samaritani dicunt, Ioan. 4. v. 42, *Nos ſcimus, hunc eſſe vere Salvatorem* &c. Dicitur Chriſtus pro omnibus alibi mortuus, *Hebr.* 2. 9. & dicitur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Servator omnium, 1 *Tim.*4. *Reſp.* Hæc omnia loca ſunt inconvenientia & per alia Scripturæ teſtimonia debent explicari. Eſt enim hoc certum ubique: *Particularis propoſitio derogat univerſali; & definita, indefinita.* Exempli gratia, Rom.11. v.32, *Concluſit Deus omnes illos* &c. hæc eſt indefinita: definitur autem & reſtringitur, Gal.3. 22, *Concluſit omnia illa ſub peccatum, ut promiſſio ex fide Chriſti daretur credentibus.* Idem fit in hiſce ab Adverſario allatis locis. Illa enim in quibus vocabulum *mundi* legimus, reſtringuntur per illud Joan.11.33, *Nec tantum pro ea gente, ſed ut etiam filios Dei* &c. Joan.10.verſ.15, *Animam ſuam ponit pro ovibus.* Rom.8.verſ.27, *Secundum Deum intercedit pro Sanctis.* Eph.5.25, *Expoſuit ſe pro Eccleſia.*

Quod ad locum, 1 *Ioan.*2. 2, quem maxime urgent: Dicunt enim, hæc non dici tantum *pro noſtris*, ſed *pro mundi peccatis*; nec tantum *mundi*, ſed *totius mundi.* *Reſp.* Eſſe hic antitheſin duplicem. 1.Inter Gentes, & Judæos, *Ioan.*11.52. 2. Inter eos qui credunt, & credituri adhuc erant, Joan.17.20, *Non tantum oro pro his qui credunt* &c. Quod ad *alterum*, dicimus, eſſe ſynecdochen; ut Rom.1.8, *Gratias ago Deo meo per Ieſum Chriſtum, quod fides veſtra annuntiatur in toto mundo.* Luc.2.1, *Prodiit edictum, ut totus orbis.*

Arminius *pag.*75, dicit, propriam & immediatam mortis paſſioniſque Chriſti effectionem non eſſe actualium peccatorum ablationem, non actualium peccatorum remiſſionem, non juſtificationem, quæ abſque fide & Chriſti Spiritu nemini contingunt: ſed reconciliationis, remiſſionis, juſtificationis apud Deum impetrationem, atque adeo dicit, effectum paſſionis Chriſti, etiam impetrationem boni, non autem applicationem. Impetratio autem ad omnes pertinet, applicatio non ad omnes. Illud autem probat ex eo, quia dicit: Si ſtatuamus, ullum hominem ab iſto effectu excludi, ſtatuimus ſimul, Deum illi peccata non remittere, non quia nolit cum poſſit, ſed quia non poſſit, utpote juſtus, & quia voluit non poſſe. *Reſp.* Hallucinari hominem manifeſte. Nam cum impetrationis finis ſit applicatio, & non impetraverit; iſta impetratio fine ſuo deſtituitur, & ex parte iſta, qua non omnibus applicatur, fit fruſtranea. Hoc vero abſurdiſſimum. Nam hoc modo officium Chriſti mediatorium, atque adeo tota diſpenſatio mediatoris erit vana, quod Chriſtus fruſtra pro aliquibus mortuus ſit. Quod autem applicatio ſit finis impetrationis, docet ubique Scriptura, dum ad hoc dicit miſſum eſſe, ut diſperſas oves Iſraël congregaret; & omnes qui in eum credunt, non pereant; ut nos ex poteſtate Diaboli eximeret; item ad remiſſionem peccatorum obtinendam.

Quod ad probationem ejus, quo dicit: non pro omnibus mortuum eſſe, quia inde ſequeretur, Deum non propterea ſalvare, quia nolit cum poſſet, ſed quia juſtitia Dei obeſt: hoc autem eſt contra nos. *Reſp.* Noluit cum poſſet, in decreto reprobationis, cum enim ab æterno quoſdam, qui reprobati ſunt, ad finem, nempe ſalutem & media ei ſubordinata, hoc eſt, remiſſionem peccatorum, ordinare potuiſſet, noluit tamen, quia non placuit: ſed in executione eſt alia res. Nam non potuit ſalvare extra fidem, atque adeo peccata ipſis remittere non potuit extra Chriſtum, ſine violatione juſtitiæ. Ratio, quia Deus noluit, pro iis dependi λύτρον, non voluit pro iis Chriſtum mori.

Progreditur porro, & probat effectum immediatum mortis Chriſti, non eſſe actualem peccatorum remiſſionem, ex eo, quia hoc modo fides eſt fruſtra. Nam ſi ſint ablata peccata, non opus habemus fide, per quam apprehendere docemur juſtitiam Chriſti. *Reſp.* Certum hoc eſſe, quod actu ſuſtulerit noſtra in cruce: quâ ratione autem, antequam fide donati ſumus, hæc beneficia noſtra ſint, hoc patebit, ſi vocabulum (*noſtrum*) diſtinguamus. Noſtrum igitur quid dicitur tripliciter, vel *jure*, vel *poſſeſſione*, vel *uſu*. Quæ Chriſtus nobis eſt meritus in ara crucis, noſtra nondum ſunt *poſſeſſione* & *uſu* (non enim ſumus juſtificati): ſunt tamen noſtra *jure* & *merito*, quia Chriſtus hoc nobis paravit, non autem *poſſeſſione.*

Secundo probat, *pag.*77, hoc ex eo, quia inquit, juſtitia Chriſti eſt noſtra, non *qua præſtita*, ſed *qua applicata.* *Reſp.* Eſt noſtra juſtitia. 1. *Deſtinatione*, quia certo ab æterno ali-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

quibus Chriſtus deſtinatus. 2. *Acceptione*, quia hoc, quod Chriſtus præſtitit, Pater acceptat, proinde acſi à nobis ipſis præſtitum fuiſſet. 3. *Imputatione*: atque in his omnibus non requiritur fides. De tribus prioribus modis certum eſt; de quarto etiam non eſt dubium, cum Scriptura dicat, *juſtificare Deum impios*, Rom. 8. Et his modis noſtra eſt juſtitia Chriſti *jure*, antequam fidem habeamus. Quintus autem modus includit fidem, eſtque, quando Deus, dum nobis imputat juſtitiam Chriſti, donat ſimul fidem, qua tanquam manu illam apprehendimus, ac nobis applicamus, & ſic fit noſtra etiam *applicatione*, ac tum habemus *poſſeſſione* & *uſu*, quando nempe fidei fructus proferimus.

Pag. 77, Hoc argumento utitur pro univerſali gratia: *Si Chriſtus non eſt pro omnibus mortuus: Ergo nullo jure Deus poteſt ab iis poſtulare fidem in Chriſtum & converſionem ad ipſum.* Reſponſum antea: Exigit aliquid ab aliquo, vel ut *obediat*, vel ut *exploretur*, vel ut *convincatur*: hoc eſt mandatum *convictionis*, non *obedientiæ*.

Ἀκυρολογίαν in iſta phraſi eſſe, quod Chriſtus electorum perſonam dicatur ſuſcepiſſe in cruce, probat hac ratione, quia mors Chriſti eſt cauſa electionis. *Reſp.* Ut in iſtis Scripturæ locis, ubi dicitur Chriſtus depoſuiſſe animam ſuam pro ovibus ſuis, *Ioan.* 10. Et pro Eccleſia tradidiſſe ſemet ipſum, *Eph.* 5. Sicut ergo, *Rom.* 8; Ita in hâc nulla ἀκυρολογία, cum plane ſint æquipollentes phraſes. Quod ad ejus probationem, nulla eſt, eamque, ut hypotheſin falſam, antea rejecimus & refutavimus.

Argumentum Perkinſii eſt hoc, quod addit: Quicquid Chriſtus paſſus eſt, & egit, quatenus redemptor, idem cum illo & in illo paſſi ſunt omnes redempti. At Chriſtus, ut redemptor, eſt mortuus, reſurrexit, aſcendit, ſedet ad dextram Patris. Ergo in illo & cum illo mortui ſumus. Subſumit deinde: At ſi electi & cum Chriſto moriantur, reſurgant, aſcendant &c. Ergo illi tantum ſunt redempti. Dicit ad hoc Argumentum: Majorem eſſe falſam. Quia actiones redemptionis cum ipſa confunduntur: & dicit præterea multas ineptias; ideo iis omiſſis Argumentum ita probamus, ex natura vadis, quæ hæc eſt: Quod hic perſonam eorum, pro quibus vas eſt, ſuſtineat; & ipſi in ipſius perſona ſatisfaciant: quicquid ergo Chriſtus noſter vas fecit, nos dicimur feciſſe in ipſo.

Corrigit *pag.* 27, Argumentum Perkinſii. Verum data correctione ejus, ſed non conceſſa, Propoſitio Perkinſii defenditur ex duplici cauſa. 1. *Ex eventu*, quia in quibus Chriſti mors, reſurrectio, aſcenſio &c. obtinebant, his tantum parabantur hæc bona. 2. *Ex inſitione.* Nam ſi mors Chriſti, reſurrectio ejus &c. ſit cauſa, cur aliqui inſerantur, ſequitur quod iſtis tantum parata ſint mortis beneficia, mortis, inquam, Chriſti. Ratio patet ex natura inſitionis. Nam antequam inſerimur, non eſt in nobis vita; quod ſoli electi inſerantur, patet, quia hi ſoli vivunt vitam ſpiritualem.

Pag. 80, Chriſtum mortuum eſſe, & reſurrexiſſe, quatenus eſt redemptor, officii *impoſitione* & *ſuſceptione*, non ejuſdem *præſtatione.* Nam actio, inquit, præſupponit eſſe. *Reſpond.* Res in natura duplices ſunt, quædam quæ ab actionibus ſuis præſupponuntur, quædam quæ tales ſunt ab actionibus & propter eas, & hæ ab aliis dependent, & à termino ad quem, ſortiuntur naturam ſuam. Ille ergo eſt perfectus redemptor, qui redimit actu. Actio ergo in quibuſdam non præſupponit eſſe, ſed dat eſſe, ut in talibus.

Pag. 81. Reſpondet ad tertiam rationem Perkinſii, quæ hæc eſt: *Victima expiatrix ſanctificat eos, pro quibus eſt victima*, ad eoſdem enim & pertinet victima & ſanctificatio. At Chriſtus ſolos electos ſanctificavit. Ergo pro iis tantum eſt victima. Dicit ad Majorem, victima expiatrix ſanctificat, non qua oblata, ſed qua applicata. *Reſp.* Nihil ad rem: & petit principium. Nam nervus Argumenti Perkinſii eſt hic, Quod victima cadat in bonum ejus, pro quo offertur, tum ex neceſſitate & ratione Dei procurantis, tum ratione offerentis Chriſti. Nam per hujus victimæ oblationem intendit eorum, pro quibus oblata eſt, ſanctificationem. Jam autem ex Adverſarii ſententia pro omnibus oblata eſt, attamen non in omnibus aſſequitur finem ſuum. Ergo ſequeretur, Deum, & Chriſtum, fruſtrari ex parte ſuo fine, dum quibus procuravit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

curavit hanc victimam, & quibus meritus, hi ipſi hunc finem non aſſequuntur, id eſt, non ſanctificantur. Deinde dicit: Non agitur hic de apprehenſione victimæ Chriſti, ſed de oblatione tantum, quam ſimpliciter Scriptura factam dicit pro hominibus, *Hebr.9.10.* *Reſp.* Agitur certe hic de oblatione, ſed non in incertum præſtanda, ſed quæ conſequutura ſit ſuum finem; habitura enim erit ſuum finem, tum ratione offerentis victimam, Chriſti nimirum, tum ratione Dei procurantis; Quod ad locum, *Hebr.9.* ubi indefinita eſt propoſitio, quæ reſtringenda eſt, & determinari debet per definitam, ſicut univerſalis ſemper per particularem (ſi exiſtat) determinanda eſt. Iam autem ubique in Scriptura exſtare definitas & particulares propoſitiones, nullum eſt dubium. Nam *Ioan.10*, pro ovibus; *Rom.8*, pro electis; *Eph.5*, pro Eccleſia dicitur Chriſtus datus.

Ibidem dicit: *Oblatione victimæ electionem eſſe poſteriorem*: & ratio potiſſima ad hoc probandum poteſt hæc eſſe: *Eph.1.v.4*, dicimur electi in Chriſto, unde Chriſtus eſt fundamentum electionis. Cum ergo fundamentum eſt prius eo, quod innititur ipſi, ſequitur, Chriſtum eſſe priorem electione, etiam qua mediator. Reſpondent aliqui ad hoc: Electos nos eſſe in Chriſto tanquam medio, non autem in eo tanquam cauſa. Sed hanc reſponſionem non uſque adeo probamus. Ratio hæc eſt, quia in decreto electionis duo diſtinguendi ſunt actus. Prior eſt, quo Deus elegit abſolute aliquos ad finem, nulla habita ratione mediorum; & hic actus Dei liber eſt à cauſa & etiam à mediis. Secundus autem actus eſt, quo Deus ab æterno præordinavit quædam media propter hunc finem; & hic actus abſolutus à cauſa, ſed non à mediis: verum dico, à mediis conſecuturis, non autem antecedentibus, hoc eſt, utut actus hic Dei, quo finem voluit non niſi per certa media, non poſſit concipi ſine conceptu mediorum, tamen hæc eſſe media ita conſiderantur, & ſunt tanquam ſecutura, non vero tanquam coëxiſtentia ante factum hoc decretum ad media. *Reſp.* autem poteſt, particulam *Et* denotare cauſam principalem & ſignificare *per ipſum*, ita ut dicatur Chriſtus nos elegiſſe æque ac Pater; ſive ſicut Pater omnia agit per Filium, ita per Chriſtum nos elegiſſe. Cum hoc conſentiunt loca, Joan. 13.18, *Scio quos elegi.* Joan.15.19, *Vos elegi de mundo.* *Reſp.* Ergo ad hunc locum eſſe trajectionem verborum. Nam verbum ἐξελέξατο, debet referri ad alterum verbum infinitivi modi, quod ab eo regitur, videlicet ab εἶναι, non vero ab ἐν αὐτῷ· ita ut hic ſit ſenſus: Elegit nos, ut eſſemus ſancti in Chriſto. Ne autem hæc interpretatio videatur inſolens, conferatur cum aliis Scripturæ locis, ubi eadem penitus trajectio inſtituenda, verbi gratia, Joan.15.v.2, *Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollit.* ubi manifeſta trajectio eſt. Nam κλῆμα non referendum ad ἐν ἐμοὶ, ſed ad καρπὸν, ut ſit ſenſus, Omnem palmitem non ferentem fructum in me tollit.

Dicit pag. 85, *Etiamſi aliqui ſint qui ſtatuunt, dilectionem Dei non extendere ſe ad omnes, nullam tamen faciunt gratiæ univerſali injuriam.* *Reſp.* Ineptum hoc eſſe; & idem hoc plane fundamentum cum Lutheranis & Ubiquitariis, qui dum aliquod dogma ſtatuunt, volunt hoc defendi poſſe, modo omnipotentia Dei poſſit ſtare. Verum ſi hoc non ſit in Scriptura; imo ſi ipſi potius repugnet, tolerari hoc ipſum non debet. Quod autem gratia talis univerſalis pugnet cum verbo Dei patet. Quia eſt fruſtranea, tum ex natura Dei intendentis qui procurat, tum Chriſti qui offert.

Dicit ibidem, *Gratiam univerſalem non pugnare cum particulari.* Quod eſt falſum. 1. Quia gratia univerſalis ſuſpendit ſalutem ab aſſenſu & viribus noſtris. Deus enim vult omnes homines ſalvari: quod autem omnes non ſalventur, ex eo fit, quia illi gratiam oblatam rejiciunt, & Deo volenti non aſſentiuntur, ac ita totum negotium ſalutis noſtræ ſuſpendunt à poteſtate hominis; ſed particularis gratia electorum in ſolidum Deo tribuitur: nam ex ſe idonei non ſunt ad cogitandum quicquam boni: ſunt enim mortui in lapſibus, atque adeo nullos actus vitales edere poſſunt.

Altera pugna in eo eſt, quod univerſalis gratiæ eventus ſit incertus; particularis autem certiſſimus; quod univerſalis ducat ad deſperationem, particularis ad perſuaſionem de remiſſione pec-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ne peccatorum & vita æterna. Et hinc iſti homines non poſſunt conſolari conſcientias. Nam ſi quis dicat ægroto: Non debes te affligere hoc modo, Deus enim ita bonus eſt, ut velit omnes ſalvos fieri, & Chriſtus pro omnibus animam dedit. Replicabit: Quî ſciam, hæc bona ad me pertinere, cum Judas, & alii multi, ſint damnati?

Tertio univerſalis gratia Deum inſimulat ignorantiæ & imprudentiæ. Nam cum Deus decernat omnibus ſalutem, non ſcivit aliquos rejecturos hanc gratiam, atque adeo ignoravit Deus aliquid; aut ſi ſcivit, imprudenter egit, quod aliquid deſtinavit futurum, quod futurum non eſſet. Particularis autẽ gratia hoc non facit.

Quarta pugna: Particularis gratia illuſtrat liberam Dei poteſtatem in ipſius creaturas, qua videlicet ille acceptat aliquos, aliquos autem præterit. Univerſalis autem gratia, hanc Dei perfectionem obſcurat; dum Deum teneri ad æqualia æqualibus tribuendum ſtatuit.

Dicit pag. 85. *Non ſine offenſione dogma de electione in Eccleſiis doceri poſſe*, quia *aliqui eo ipſo, quod audiant, de ſalute ſe certos eſſe poſſe, niſi de electione credant, dubitare incipiunt, an ſenſus, quem aliquando percipiunt, Spiritus Sancti teſtimonio tribuendus, vel cuidam perſuaſioni & præſumptioni.*

Reſp. Electi Dei homines omnino certi eſſe poſſunt, & optime etiam diſcernere inter perſuaſionem à Spiritu Sancto excitatam, & inter perſuaſionem aliam. Nam *Rom.* 8. 16, Sp. Sanctus teſtatur ſpiritui noſtro. *Eph.* 1. *v.* 11, 13. 2. De iſta præſumptione utrum ſit à Sp. Sancto, inde dignoſci debet, quando fundamentum habet verbum Dei, quando ex audito verbo proficiſcitur; qualis eſt perſuaſio electorum.

Reprehendit ibidem in definitione reprobationis à Perkinſio tradita, quod generis vice *opus* poſuerit, quoniam inquit, decretum ut immanens Deo, nullo modo *opus* dici poteſt. Sed quam hoc ſit frivolum, patet ex diſtinctione operum Dei ad intra & ad extra. Opera ad intra nihil ſunt niſi actiones immanentes. Ibidem dicit: *Peccatum eſſe conditionem requiſitam in homine per reprobationem prætereundo.* Hoc autem falſum eſſe hinc evincitur. 1. Quia nec reprobatio à gloria, nec reprobatio à gratia, cauſam ullam habet. Non prior; quia decretum de fine, prius decreto de mediis, nempe reprobatione à gratia, quam ſequitur neceſſario peccatum. Non poſterior; quia hujus cauſam Scriptura dicit beneplacitum Dei, *Matth.* 11. *v.* 25.

2. Aut originale, aut actuale, erit cauſa reprobationis. Non originale, quia omnes eſſent reprobati. Nec actuale, quia negat Spiritus Sanctus Rom. 9, *Antequam quicquam feciſſent* &c.

3. Peccatum Deus decrevit ſaltem permittere, Ergo aliquo fine decrevit: habet igitur ſe inſtar medii; & per conſequens decreto reprobationis poſterius, ac proinde ejus cauſa eſſe nequit.

Pag. 88, dicit, *Male tribui à Perkinſio permiſſionem decreto reprobationis.* Ratio; Quia inquit, *actus ille permiſſionis, quo Deus permiſit hominem cadere in culpam, eſt generalis, & ad omnes homines ſe extendit.*

Reſp. Diſtinguo inter illa quæ ſunt propria electioni & reprobationi, & inter illa quæ utrique ſunt communia. 1. Permiſſio in lapſum alia eſt cum relictione in lapſu iſto; & hæc eſt propria reprobationi: alia eſt cum propoſito vindicandi & liberandi ex lapſu; & hæc electioni competit.

Pag. 89, ait: *Deſertionem omnem eſſe propter peccatum ut cauſam.* Sed cum deſertio multiplex ſit, hoc ita indiſtincte proferri non poteſt. Eſt autem alia *negativa*, qua Deus non confert alicui beneficium, quod tamen alteri confert. Alia eſt *privativa*, qua bonum alicui collatum, eidem ſubtrahit & aufert. Prior peccatum non habet cauſam: verbi gratia, in decreto prædeſtinationis, quod hunc elegerit, illum non, nequaquam eſt ex prævìſione peccati vel fidei, ſed ex libertate voluntatis. Sicut enim Deus nulla motus cauſa extra ſe aliquibus voluit gloriam; ſic nulla motus cauſa aliquibus denegavit. Privativæ autem alicujus datur cauſa, alicujus non. Prioris exempla plurima in Scriptura; Et primo, quod Deus reprobum deſtituat auxilio ſuo generali, quo ipſum cohibet ne in horribilia, in qua alias pronus eſt, peccata prolabatur. Hoc auxilium quando Deus ita ſubtrahit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

trahit, deſerit eum; ac tum in quævis peccata graſſatur: & hæc eſt illa deſertio, cujus datur cauſa, videlicet peccatum. Deſerit aliquando etiam pios propter ipſorum peccata: ſed hæc eſt particularis & temporalis, non totalis & finalis;ut in Decalogo videre eſt. Hæc ergo privativæ deſertionis ſpecies præſupponit peccatum. Altera ſpecies privativæ deſertionis perſpicua eſt in Protoplaſtis noſtris, quos Deus deſerebat gratia ſua ſpeciali, quam ſubtrahebat: in qua deſertione non ſupponebatur peccatum. In deſertione ergo negativa, & hac ultima privativæ deſertionis ſpecie, cauſa locum habere nequit.

Pag.90, *Iuſtitiam priorem eſſe voluntate Dei.* Sed falſum. Juſtitia enim eſt voluntas Dei cum reſpectu; ſic miſericordia eſt voluntas cum reſpectu: præterea omnia attributa Dei ſunt ipſius Dei eſſentia, cum reſpectu ad externa objecta & effecta. Jam autem hoc, quod eſt abſolutum, eſt prius ordine naturæ, etiamſi non ſit ordine temporis, eo, quod eſt reſpectivum. Si ergo hoc, prius eſt voluntas, quam juſtitia.

Quæri hic poteſt, *An omnia ſint juſta ex eo, quia Deus voluit, an quædam, quia juſta ſunt, Deus voluerit? Reſp.* Quod ſic, ſed diverſa ratione. Præcepta enim quædam Dei ſunt, quæ fluunt ex natura Dei, quædam quæ fluunt ex beneplacito & voluntate Dei libera. Prioris ordinis ſunt,præceptum 1, 2, 3, 7, 9. Quæ à voluntate ejus dependent,ſunt 4, 5, 6, 8, 10. hæc juſta ſunt, quia & quando, & quamdiu Deus vult. Illa vero,quia à natura Dei fluunt,juſta ſunt, & hoc ipſo, quia non poſſunt non eſſe juſta,ideo Deus illa vult,& non poteſt non velle, quia non poteſt velle, quod eſt naturæ ſuæ contrarium. Si ergo quædam, quia Deus vult, juſta, &, hac ipſa conditione interveniente,aliqua mutari poſſunt. Vt quinto præcepto jubemur honorare parentes,quia Deus vult ſub conditione,niſi nos in malum ducant, tum enim non ſunt honorandi.

Locum illum Rom.9, *Antequam quicquam,* &c. Ex quo decretum prædeſtinationis non factum eſſe ex præviſione peccati probamus. Arminius ita interpretatur dicens: *Intelligendum hoc de peccato actuali, non autem originali*; ita ut hic ſit ſenſus, *antequam quiſque peccatum actuale commiſiſſet, decreto Dei ſancitum eſt, hunc odio obnoxium, alterum dilectum.* Quod quam abſurdum ſit,ex prioribus ipſius hypotheſibus patebit. Statuit ille omnes homines Deum velle ſalvare, quod ex hujus loci interpretatione à ſe data falſum eſt. Nam ſi propter peccatum originale reprobati ſunt qui reprobati, atque decretum ſtabile & conſtans, ſequitur, non omnes Deum velle ſalvos; cum omnes potius reprobet, quippe, quia peccato originali ſunt infecti omnes. 2. Idem liquet ex altera ipſius hypotheſi, qua aſſerit, Deum, poſtquam voluntate antecedente voluit omnes ſalvos, interim prævidentem non omnes accepturos oblatam gratiam Evangelii, ex præviſione iſtius rejectionis, non velle omnes ſalvos voluntate conſequente. Nam ſi non omnes vult ſalvatos ex eo, quia prævidet aliquos rejecturos, atque iſta rejectio ſit peccatum actuale; ſequitur quod aliquos noluerit ſalvos, id eſt, reprobaverit ob peccatum actuale: Non ergo propter originale tantum, prout ille hoc effugium quærit. Analyſis autem noſtra hujus loci patet ex contextu, ubi introducitur objectio illa humana, *quis reſiſtet ei* &c. Quod ad locum *Ierem.* 18, quem pro ſe affert, *pag.* 91, præpoſtere allegatur; Nam illud quidem fatemur, eſſe varias ſpecies figulationis; eſt enim quædam *creationis*, quædam *corruptionis*, vel *inſtaurationis*. Sed hoc nihil ad rem; cum loco, *Ierem.* 18. 6, ſermo ſit de figulatione *creationis*, non autem ſic, *Rom.*9.

Pag. 90, dicit: *Peccatum non eſſe cauſam pœnæ*; quia neceſſe eſt, ait, intercedere voluntatem Dei; Verum hoc Socinianum eſt, niſi recte explicetur. Videtur enim hiſce verbis involvere, quod Deus non naturâ ſuâ puniat peccata, atque adeo juſtitia vindicatrix non ſit ipſi eſſentialis; ſed quod ex voluntate Dei hoc pendeat. Quod Deus natura ſit juſtus, hoc modo probatur. 1. Quia omne ens voluntarium eſt juſtum, creatura quidem juſta *qualitate*, Deus *eſſentia*, vel *eſſentialiter*. Ergo naturâ vel naturaliter ſcil. hoc non poteſt non punire. 2. Peccatum eſt meritum; opera bona ſunt debita; nam per hoc,quod debemus,nihil meremur; ſed

per

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

per illud, quod non debemus, ſive ſit bonum, ſive malum, omnino meremur; cum ergo peccatum commereatur pœnam, injuſtitia eſſet, ſi huic ſuum proprium non detur. Cum autem Deus natura ſit juſtus, non poteſt eſſe injuſtus, & propterea natura ſua punit peccata.

Quod non ex prævisa infidelitate reprobati ſint reprobi, probat Perkinſius ex eo; *Quia ſic nulli infantes, qui extra fœdus ſunt, atque ita extra gratiam moriuntur, eſſent reprobati.* Ad hoc Arminius.

Pag. 92, *Quod ſi infantes in parentibus, avis, abavis, Evangelii gratiam repudiaverint?* Cui nos hac vice reſpondemus, non propagari iſta actualia peccata parentum in liberos, ſed vitium illud naturæ. Et diverſa eſt ratio noſtri & Adami. Nam quod Adamus nos fecerit reos, eo eſt, quia illa integritas homini erat naturalis; Ergo propagari debebat. & ſecus fit in nobis. Nam dona iſta in juſtificatione & regeneratione nobis exhibita, ſunt gratuita, & gratis nobis conceſſa; Ergo non poſſunt propagari.

Pag. 93, *Peccatum*, dicit, *conditionem in objecto prædeſtinationis requiſitam.* Ad quod ſciendum, non convenire inter Theologos noſtros de hoc ipſo. Aliqui enim dicunt, hominem ſine ulla qualitate conſiderari, aliqui lapſum, aliqui condendum, conditum, & lapſum. Nos dicimus diverſo reſpectu eſſe hominem cum qualitate conſideratum, diverſo etiam ſine ullis qualitatibus conſideratum. Ratio, quia decretum Dei eſt duplex, unum de fine; ut eſt de homine abſolute ſine ullis qualitatibus conſiderato. Alterum de mediis, quatenus voluntas Dei quidem fertur in finem, ſed non niſi per media; ut eſt de homine non abſolute conſiderato, ſed integro & permittendo in lapſum, & lapſo. Ratio hujus eſt, quia iſtæ qualitates ſunt media prædeſtinationis.

Ibidem diſputatur de duplici actu reprobationis; unus eſt, quod Deus decrevit aliquos deſerere & præterire. Secundus, quod aliquos prædeſtinavit ad pœnam, vel potius præordinavit. Prior vocatur *reprobatio negativa*; poſterior, *poſitiva.* De hac poſteriore quæritur, utrum ejus detur cauſa? at de priori manifeſtum eſt; quod nullam habeat. Ad quod dicimus, præordinationem Dei ad pœnam habere reſpectum ad peccatum, ſed non tanquam ad cauſam, verum tanquam ad medium. Ratio, quia omne decretum Dei à cauſa immune eſt; utraque autem reprobatio, & negativa, & poſitiva, eſt decretum Dei.

Pag. 94, *Vtrum Deus potuiſſet perdere genus humanum, ſi non peccaſſet; & ſi perdidiſſet, poſſetne injuſtitiæ accuſari?* Huic quæſtioni utut ad ædificationem non faciat, quia tamen movetur ab Adverſario, eſt ſatisfaciendum. *Reſp.* Quod non. Probatur. 1. Quia Deus juſtiſſime poteſt ordinare homines ad culpam ſine culpa. E. multo magis poteſt ad interitum. Ratio, quia malum culpæ majus malum eſt, quam malum afflictionis. Si ergo poteſt aliquem præordinare ad majus malum ſine crimine injuſtitiæ, poteſt etiam ad minus malum. Quod autem malum culpæ majus malum ſit, patet inde, quia opponitur bono honeſto, malum autem afflictionis bono jucundo: jam autem quorum oppoſita ſunt meliora, ea ſunt pejora & magis mala. Altera ratio ſumenda eſt ex judiciis Dei ſingularibus, quale eſt, *Ioan. 9. 2.* Quærentibus Diſcipulis ex eo de cæco, an ille ipſe peccaſſet, num parentes ipſius, ut cæcus naſceretur? Reſpondit Chriſtus, nec iſte, nec parentes ejus, ſed cæcus iſte natus, ut opera Dei manifeſta fierent in eo. Quandoquidem ergo hoc ex judicio Dei ſingulari profluxit, & Deus potuit ſine injuſtitia hunc gradum incommodi alicui infligere, poteſt etiam gradus plures. Ratio, quia ſi abſolute ille injuſtus, qui affligit ſine culpa prægreſſa, ſequitur, quod, ſive in gradu minori ſive majori affligat, injuſtus ſit habendus: hoc autem prius cum Scriptura Deo attribuat, etiam poſterius ipſi tribui poteſt, quod videlicet abſoluta ſua potentia, humanum genus potuiſſet perdere. Ratio 3. Dicit Arminius: *Deum quidem poſſe annihilare creaturam, ſed non perdere:* ex quo etiam confirmamus hanc ſententiam. Nam ſi poteſt extra crimen injuſtitiæ, annihilare, quod majus malum eſt quam perdere, poteſt etiam ſine injuſtitiæ crimine perdere. Quod autem ſit majus malum annihilari, quam perdi ſeu miſerum eſſe,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

patet, quia annihilatio opponitur & bono phyſico & jucundo: miſerum autem eſſe opponitur jucundo tantùm.

Objicit Adv. *Imo annihilari melius eſſe quam perdi*, patet ex Matth. 16. 24. *Bonum*, inquit, *erat homini illi non naſci. Reſp.* Diſtingui inter *malum abſolute*, & *malum alicui*: poteſt enim aliquod malum eſſe homini majus malum, non tamen abſolute majus malum. 1. Quia pœnæ rationem habet; Sic autem loquimur ſimpliciter de afflictione. 2. Per accidens ex ſenſu, quia miſerum nobis videtur eſſe majus malum, quia ſentimus hoc malum, quam annihilatio.

Dicit pag. 96, *Deum non poſſe punire ſine culpa.* Concedimus. Nam omnis pœna relationem dicit ad peccatum. Sed tamen poteſt affligere. Nam in judiciis Dei ſingularibus, quod ad particulares iſtos defectus afflictio eſt, ſed non pœna. Pœna quidem omnis afflictio eſt, ſed non omnis afflictio eſt pœna. 2. Diſtinguo inter *abſolutam* Dei potentiam, & *ordinariam*. Ratione ordinariæ non vult infernalem afflictionem niſi propter peccatum; ſed ratione potentiæ abſolutæ poterat Deus cruciatum iſtum infligere ſine ulla culpa. 3. Decrevit iſtam afflictionem ſummam, non abſolute talem, ſed quatenus erat demonſtranda pœna, id eſt, cum iſta relatione ad peccatum antegreſſum.

Pag. 97, 98. Tria hic tractat, quæ ſunt explicanda. 1. *Vtrum Deus poterat deſerere hominem extra rationem culpæ?* &, *ſi potuit, utrum non eſſet peccati iſtius, quod ex derelictione ſequitur, auctor?* 2. *Adhibet diſtinctionem gratiæ ſufficientis & efficacis.* 3. *Vtrum Dei auxilium ſpeciale poſſet ſtare cum libero arbitrio?* Hæc dicit Arminius, quæ ſunt explicanda. Ad prius ergo explicandum, faciet enodatio iſtius quæſtionis: *An prius eguerit ſpeciali Dei auxilio, quo denegato non potuit ſtare?* Hujus autem veritas illuceſcet, ſi dicamus ex noſtrorum ſententia, hominem habuiſſe quidem facultatem præſtandi legem, ex eo, quia fuit juſtitia & ſanctitate præditus, ſed hanc facultatem in actum producere non potuit, ſine auxilio Dei ſpeciali; prout is, qui in tenebris eſt conſtitutus, etiamſi potentiam & facultatem videndi habeat intrinſecam, non tamen videre poteſt, quia medium abeſt idoneum. Hæc eſt noſtra ſententia, cui ſe opponens Arminius dicit, hominem non eguiſſe hac gratia ſpeciali. Nos autem affirmativam probamus.

1. Quia homo in integritatis ſtatu conſtitutus, in quo ſcilicet facultatem habuit obediendi legi, quicquid erat boni facturus, erat omnino futura creatura. At creatura fieri nequit, niſi ex omnipotentia, quæ cum in homine non fuit, neceſſarius fuit concurſus Dei, auxilio ergo opus habuit ad actus iſtos bonos edendos: quia autem illi defuerunt, peccavit; defuit etiam concurſus Dei ſpecialis; ſi defuit, eguit. Ratio II. Ad perſeverantiam in bono condito, non tantum requirebatur poſſe obedire legi, hoc eſt, facultatem habere ad præſtandam obedientiam, à lege requiſitam, ſed etiam perpetuo velle, id eſt, habere perpetuam voluntatem ſtandi. Hanc autem cum non habuerit, indiguit ſpeciali Dei gratia ad ſtandum, & in ſtatu hoc perſeverandum. Utut ergo facultatem habuerit omnia faciendi, tamen ut facultas iſta poſſet deduci in actum, opus erat auxilio Dei ſpeciali.

Arminius inſtat: *Atqui hoc ſi eſſet verum, ſequeretur, Deum eſſe auctorem peccati, quando denegata gratia homo neceſſario labatur.* Sæpe hæc inculcata & à nobis refutata. Dicimus autem, hujuſmodi argumentis, quæ ex noſtra doctrina tanquam abſurda colliguntur, etiamſi nobis abſurda videantur, occurri melius non poſſe, quam ſimili ex Scriptura allato. Sic in præſenti caſu: Teſtatur utique Scriptura, *Rom.* 1, 2. *theſ.* 2, Quod Deus puniat aliquos propter ſcelera ſua, ita ut mentem eis eximat, ut tradat eos cupiditatibus cordium ipſorum ad impuritatem &c. Ex quo deinde graviſſima peccata ſequuntur. Hic quæri ex Adverſariis poteſt; quandoquidem homo non poteſt non labi, anne exinde Deus ejus lapſus auctor eſſet?

Quod ad diſtinctionem inter gratiam *ſufficientem*, & *efficacem*, illa vana eſt: quod ex everſis ejus fundamentis, quæ duo ſunt, patebit,

Pri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Primum eſt hoc, quod dicunt gratiam ſufficientem eſſe illam, qua quis poteſt & non vult. Efficientem qua poteſt & vult. Sed ad hoc dicimus: Iſtam gratiam, qua quis poteſt tantum, non eſſe ſufficientem, quia Deus non requirit ab aliquo tantum poſſe, ſed etiam velle: fundamentum ergo hoc vanum.

Fundamentum alterum eſt, quod dicunt, Sufficiens gratia eſt, quando Deus omnia offert, & dat, quæ dari poſſunt, ut homini relinquat liberum arbitrium, quo poſſet gratiam acceptare. Sed quæro; an non requiratur etiam, ut non tantum Deus offerat, ſed etiam facultatem accipiendi conferat? Si hoc non eſt ſufficiens, & nullo bono offert gratiam; ut, in vidente non tantum requiritur, ut medium ſit lucidum, ſed etiam ut videndi facultatem habeat.

Tertium quod explicandum eſſe diximus, eſt: *Vtrum auxilium Dei, quod illi vocant Efficax, ſtare poſſit cum libero Arbitrio?* Quod affirmamus; Quia fideles perſeverant, & quidem hoc ex ſpeciali Dei gratia & concurſu: quod patet, Ioan. 10. 19, *Pater meus major omnibus, & nemo oves è manu Patris mei eripere poteſt.* ubi ex omnipotentia Dei, qua oves ſuas defendit, neminem erepturum eas ait. Item, Ezech. 36. 27, *Dabo vobis cor novum, & ſpiritum novum in medio veſtri ponam.* Quod autem ſimpliciter fideles perſeverent, patet Rom. 8, *Quos prædeſtinavit, hos vocavit.* Jam autem ſi perſeverent, idque ex concurſu Dei ſpeciali, & libere circa objectorum electionem verſentur, ut in Angelis & hominibus beatis manifeſtum eſt, ſunt enim rationales creaturæ; ſequitur, quod auxilium Dei ſpeciale ſit cum libero arbitrio. Ille infert: *Libertas ſtare non poteſt cum auxilio Dei, quia infert neceſſitatem. Reſp.* Non eſſe abſurdum, libere aliquid fieri, & tamen neceſſario evenire. Sed diſtinguo ut ante ſæpius, inter *neceſſitatem coactionis & immutabilitatis.* Sed præterea aliqui Scholaſtici addunt, aliquam etiam neceſſitatem coactionis poſſe ſubſiſtere cum libertate; ut, cum Deus præcipit aliquid, & ad hoc impellit. Item, quando Paulus & reliqui Apoſtoli & Evangeliſtæ monent, rogant cum quadam coactione, & inter coactionem *compellentem*, quæ non poteſt ſtare &c.

Pergimus ad quæſtionem hanc, *Vtrum auxilium Dei ſpeciale poſſit ſtare cum libero arbitrio, ita ut reſiſtentia tollatur?* Hic eſt ipſorum diſcurſus circa hanc quæſtionem; Quandoquidem, inquiunt, ex veſtra ſententia, auxilium Dei ſpeciale neceſſitatem auferat obediendi, ſequitur, quod reſiſtentia hominis irregeniti tollatur. Hoc autem eſt impoſſibile, quia, dum homo eſt indifferens ad utrumque, non neceſſario determinatur ad alterutrum. Ratio, quia libere ſe habet: libertas autem conſiſtit in potentia ad utrumque &c.

Reſp. Commentum hoc ipſorum frivolum de reſiſtentia eſſe, & fundari in eo totum, quod nulla neceſſitas poſſit conſiſtere cum libertate; quod, cum antea ſit refutatum, vix operæ pretium hic refutare. Illud autem monſtrum nulla meliori via poſſe expugnari, quam probando, neceſſitatem poſſe ſtare cum libertate. Illud autem probatur exemplis, & primo quidem, *Gen.* 37, legimus de Joſepho, quod libere eum fratres ejus vendiderint. Nam *v.* 20, 21, 22, conſultant invicem, utrum eum eſſent interfecturi, & in ciſternam præcipitaturi, an vero vendituri; interim neceſſario vendiderunt, ut poſtea Joſephus profeſſus eſt, *non vos*, inquit, *me miſiſtis, ſed Deus patrum noſtrorum.* Item, 2 *Sam.* 12. 15, dicit Deus per Prophetam Nathan, *Ecce ego ſum ſuſcitaturus contra te malum è domo tua.* At hoc erat neceſſario futurum & libere, ut *cap.* 16. 16, ab Abſolone conſilio Achitophelis factum legimus. Ita, 1 *Reg.* 12, Rechabeam habito conſilio cum ſenioribus, & poſtea cum pueris ſuis, id eſt, juvenibus, abalienat à ſe decem tribus: & hoc factum fuiſſe neceſſario teſtatur *v.* 15, *Erat enim cauſa à Iehova, ut præſtaret verbum ſuum.* Sic, *Actor.* 4, Judæi libere convocatis conſiliis Sacerdotum, crucifixerunt Chriſtum; hoc etiam neceſſario factum fuiſſe ibidem legimus: *Fecerunt quæcumque manus tua & conſilium prædefinierat faciendum.* Sequitur itaque, quod neceſſitas ſtat cum libertate, ac proinde, reſiſtibilitas iſta, merum figmentum eſt.

Obj. Sed liberum non poteſt non eſſe indifferens. *Reſp.* Certum hoc eſt, quod ſua natura non poſſet non eſſe tale, verum poteſt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

etiam eſſe neceſſarium ratione externæ cauſæ neceſſitatem imponentis. Exempli gratia: Juvenes in fornace Babylonica erant ſua natura combuſtibiles, ſed incombuſtibiles ratione externæ cauſæ conſervantis & ſuſtentantis. Ibidem, Daniel immiſſus in antrum leonum erat devorabilis, verum indevorabilis quod ad vim conſervatricem ipſi aſſiſtentem.

Obj. Si hoc ita eſt, nulla ratione juſtus poteſt excidere gratia Dei. Atqui poteſt. Ergo. Minor probatur, *Ezech.* 18.24, *Si juſtus* &c. *Reſp.* ad hunc locum ex viſceribus ipſius textus Biblici, 1, Hic non agi de juſto, qui interne juſtus eſt, ſed externe tantum & politice. 2, Non agi de morte æterna, neque temporali, ſed afflictionis. Quod autem afflictiones vocentur in Scriptura mors, probatur, *Exod.* 10.7: ita 2 Reg. 4. 20, *Mors eſt in olla*. Quod juſtus accipiatur pro externe juſto & apparenter juſto, patet ex Scripturæ locis: ut, Matth. 9, *Non veni vocatum juſtos*; quibus indigitantur tales juſti, qui externe ſunt juſti. Nam *Matth.* 11, vocat eos, qui onerati ſunt.

Quod vero hic locus, *Ezech.* 18, de afflictionibus accipi debeat, patet ex eo, quia non de morte æterna; nulli enim Judæorum conſtiterat de eo, quis eſſet morte æterna puniendus, neque etiam de temporali: quod manifeſtum ergo de afflictionibus. Illud autem ex contextu Biblico colligitur. Nam hæc impleta fuiſſe legimus, *Iudic.* 3. Ubi ſæpe populus peccavit, & venit in manus inimicorum ſuorum, ex quibus liberatus eſt per liberatorem.

Pag. 100, Criminationes ponit Perkinſii, quas objiciunt nobis Adverſarii.

Prima eſt: *Doceri à nobis, certos homines, eoſque paucos eligi.* Quod ad hoc, certe criminatio hæc eſt non proprie: criminatur enim aliquis aliquem, 1, Quando quis perſonæ alicui impingit, quæ falſa ſunt. 2, Quando non tam perſonam criminatur alicujus, quam doctrinam: quod tamen falſo ei imputatur. Hoc fit vel directe, quando quis doctrinæ alicui imputat aliquid, quod ex diametro ipſi adverſatur; vel indirecte, quando per conſequentias doctrinæ falſæ imponit. Hoc hic fit.

Dicit Arminius ibidem, *Se etiam confiteri, paucos eſſe electos.* Secundùm illud Matth. 12, *Multi vocati, pauci electi.* Quod propria ejus hypotheſi evertitur. Nam dum dicit, Deum velle omnes ſalvos fieri; ex conſequentia dicit, omnes Deum elegiſſe, alias enim voluiſſet aliquid contra decretum ſuum. Reſpondet Arminius: Voluit omnes ſalvos fieri voluntate antecedente, vel in decreto ſuo, ſed non vult conſequente, quia poſtea in executione videt, non omnes oblatam gratiam accipere. *Reſp.* Dato, quod hæc abſurda abſurdiſſima non ſint, ſequeretur tamen inde, voluntatem Dei eſſe fruſtraneam & mutabilem, quia quod vult in primo decreto voluntate antecedente, in omnibus aſſequitur. Mutabilis etiam voluntas, quia quod voluit in primo decreto, non voluit in tertio. Diſtinguit autem hæc decreta ita, ut, 1, Voluerit & decreverit omnibus ſalutem. 2, His etiam Chriſtum præordinaverit quod ad impetrationem donorum. 3, Non his omnibus, ſed aliquibus voluit ſalutem, qui erant acceptaturi bonum oblatum.

Criminatio *ſecunda, Docere nos, Deum ordinaſſe homines ad ignem infernalem, & creaſſe ut perderet.* Quod ex parte verum, ex parte falſum eſt. Ordinavit Deus aliquos homines ad inferorum ignem non ſimpliciter, ſed ut ad pœnam. Creavit ad perdendum non ſimpliciter, ſed tanquam ad pœnam: unde Rom. 9.21, *Vaſa quædam* &c. Et Prov. 16, *Improbus dicitur factus ad diem mali.* Item Judæ verſ. 4, *præſcripti* dicuntur aliqui *ad damnationem.* Ratio etiam ad hoc ſtabiliendum firma eſt. Nam Deus qui condidit, condidit in certum finem & non fruſtra; condidiſſet autem incerto fine & fruſtra, ſi non intendiſſet eum, quem aſſequitur, finem, hunc videlicet, aliquorum æternum exitium. Si enim hunc ſibi non habuiſſet propoſitum, fruſtraretur ſuo fine, atque ita ignorantia in Deum caderet ac imprudentia. *Ignorantia*, quia neſcivit certo, qualis ſit propoſiti ſui eventus. *Imprudentia*, quia propoſuit ſibi aliquid, quod, utrum futurum ſit, dubitat. *Tertio, impotentia*, quia non potuiſſet intentum exequi, & invito ipſo factum fuiſſet.

Reſpondet Arminius, verum hoc eſſe, ſi ſcilicet finem hunc abſolute poſuiſſet, ſed Deus pro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

propoſuit hunc finem conditionaliter. *Reſpond.* Hoc commentum de voluntate conditionali antea refutatum. Nam ita inferimus: Si Deus vult finem aliquem, etiam vult hoc, ſine quo finis obtineri non poteſt; &, ſi hoc non vult abſolute, ſine quo finis obtineri non poteſt, etiam non vult finem, quia qui vult finem, vult media. 2. Evertitur ex collatione ſcientiæ divinæ cum ejus voluntate. Quæritur ergo: utrum Deus hunc finem ſciverit conditionaliter, vel categorice. Si conditionaliter, tum neſcit finem; quomodo enim ſciet, de quo utrum futurum, dubium eſt. Si categorice ſcit, quomodo volet conditionaliter. Quod enim certo Deus præſcit, certo decrevit: quod certo decrevit, vult; quia præſcientia fundatur in eo, quod decrevit.

Obj. Adverſ. contra hæc: *Si Deus abſolute decreverit, ut aliqui perderentur, tum neceſſario eveniunt peccata. Atqui non neceſſario.* Ergo. Ratio, *quia ſi finis ſit futurus certo, etiam media ad hunc neceſſario erunt.* Reſponſum eſt antea. Demonſtramus autem nunc, nullum eſſe abſurdum, Deum ordinaſſe peccatum ſive homines ad peccatum: idque, 1. Ex ſpecialibus argumentis] quibuſdam, vel potius exemplis: Ut, Deus deſtinaverat filios Jacobi, ut venderent Joſephum, ut Joſeph teſtatur, dum dicit, *ſe à Deo miſſum eſſe ante ipſos.* Hoc tamen magnum fuit ſcelus. Sic, *Actor.* 4, dicuntur, *Pilatus & primarii Sacerdotes congregati, ut facerent quæcumque manus Dei & conſilium Dei decreverant.* Interim conſtat, hoc malum fuiſſe, & Deum ejus cauſam non fuiſſe. 2. Ex prædictionibus; prædicitur enim aliquod malum à Prophetis, quod non poteſt non evenire, & interim prædictio non eſt ejus cauſa: ut, *Eſai.* 29. 10, 14, prædicit, quod domus Iſraëlis ſit obturatura aures ſuas, quod peritura ſit ſapientia ſapientum ejus, &c. Hoc autem conſecutum fuit neceſſario, Ioan. 12. 40, *Excæcavit oculos eorum, & obduravit corda eorum.* Sic, *Matth.* 11. 12, prædicit Chriſtus, multos Pſeudoprophetas exituros, & ſeducturos multos; item, iniquitatem abundaturam: interim Chriſtus prædicens, horum cauſa non eſt, quæ tamen neceſſario evenerunt. 3. Idem ex ſubtractione gratiæ probatur, *Eſai.* 29, minitatur Deus Iſraëlitis, ſe ablaturum ſapientiam à ſapientibus. & *Iob.* 12. 17, facit ut juriſconſulti veniant in dementiam, & judices ſtultos reddit. Hæc neceſſario eveniunt ex eo, quia Deus ſubtraxit iis mentem, nec tamen hujus mali Deus cauſa eſt. Nam iſtius ſubtractionis cauſa eſt, non autem iſtius conſequentis. Sic Roboam labitur, cum ſequitur judicia puerorum; & hoc quidem, quia Deus ademerat ejus mentem, 2 *Sam.* 24. David vult numerari populum, ut de eo gloriaretur in corde, monitus à Propheta Nathan non auſcultavit, quia Deus ei gratiam ſuam ſubtraxit. Hanc ergo ſubtractionem gratiæ, utut neceſſario & infallibiliter conſequatur peccatum, Deus tamen ejus cauſa non eſt.

Obj. 2. Si Deus ordinavit ad malum, tum homo patrans hoc malum, non peccat, quia facit voluntatem Dei. *Reſp.* Falſum hoc eſſe; utrumque enim verum, Deum ordinare ad peccatum, & hominem tamen inde non excuſari, ſed peccare patrando hoc, ad quod ordinatus eſt. Hoc ex Scriptura probatur: Abſolomum Deus ordinavit ad hoc, ut inceſtum patraret cum uxoribus patris, 2 *Sam.* 22. 11. Quo ipſo graviter peccavit, non autem Deus, utut conſtituerit Abſalomum ad hoc, auctor. Idem de Roboam legimus. Reſpondet ad hoc Arminius: *Non erant ordinati ad hoc abſolute, ſed quia Deus prævidit, eos fore propria ſua rebellione tales, ideo permiſit, non tamen ordinavit. Reſp.* Vanum hoc: quod ex phraſibus Scripturæ liquet, quæ non nudam permiſſionem indigitant, ſed majus quid inſinuant: & dicit Scriptura, *Deum jubere peccatum*, 2 Sam. 16. 11. 2. Dicuntur ſuſcitati ad hoc vel illud, 1 *Reg.* 11. 19, Suſcitavit Deus Adverſarios Salomoni. Ita, 2 *Sam.* 24, Deus excitavit Davidem ad numerandum populum &c. Ordinatio ergo hæc ad malum, non eſt tantum nuda permiſſio. Sic, ad *Rom.* 9, dicitur: *Ad hoc ipſum excitavi te, ut oſtendam in te potentiam meam:* vanum ergo utrumque. Reſpondeo etiam hoc modo, Deum ordinare peccatum in alium finem plane, quam homo ſibi peccando habet propoſitum, ac proinde Dei actionem eſſe bonam, ho-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

minum autem malam. Fundamentum diſtinctionis, Eſai. 10. 5, *Væ Aſſyrio virga iræ meæ*, &c.

Arminius pag. 103, dicit, *Omne peccatum eſſe voluntarium.* quod falſum. 1. Peccatum originale non eſt voluntarium, niſi dicatur ratione radicis Adami eſſe voluntarium, quia ſcilicet voluntario peccavit; ſed tantum habet rationem pœnæ. 2. Actualium ſunt quædam cum lucta, quædam ſine lucta; quæ omnia non ſunt voluntaria. Cum lucta non eſt voluntarium, ex teſtimonio Pauli, Rom. 7. 15, *Non facio bonum quod volo*: & rationem hujus dat, Gal. 3. 17, *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum.* Sine lucta diſtingui poteſt, in *caſuale*, & quod *ex ignorantia.* Quod caſu fit, etiam involuntarium, *Num.* 35. 11. Ubi jubet Deus conſtitui ſex Civitates, quo ſe reciperent homicidæ, & ita in tuto manerent, qui per errorem & imprudentiam aliquem occiderant. Hoc etiam peccatum fuit, prout ex fuga, quæ pœna erat iſtis peccatis conſtituta, patet; & tamen involuntarium, quia per imprudentiam. Peccatum quod ex ignorantia committitur, eſt duplex, vel *ex ignorantia accerſita* propria culpa, ut fuit Noachi, quod per ebrietatem, quam ille tamen non intendebat, fuit introductum. Vel *ex ignorantia ſimplici.* Prioris generis peccata etiam ſunt involuntaria. Ac tale peccatum fuit Noachi, cum denudaſſet ſe inſcienter coram filiis. Tale etiam peccatum Lothi, cum ſuis filiabus inceſtum committentis. Ex ignorantia etiam ſimplici peccata ſunt involuntaria, ut fuit Abimelechi, cum raperet uxorem Abrahami, *Gen.* 20. & Jonathan, 1 *Sam.* 16, cum contra præceptum &c. quod autem fuerit peccatum, patet ex textu, quia Iſraëlitæ, qui primo fugarunt hoſtes ſuos, hoc ipſo in fugam verſi ſunt.

Pag. 104, dixerat Perkinſius, in reprobatione duos actus conſiderari. Primum eſſe *negativum*, quo ſcilicet aliqui ſunt præteriti & deſerti, quod ad gratiæ & gloriæ communicationem. Alterum *poſitivum*, quo hi ipſi ſunt ordinati ad pœnam. Jam quæro, utrum hic actus poſterior, videlicet ordinatio ad pœnam, ſit factus propter peccatum? Quod nos cum Calvino & Piſcatore negamus, utut enim reſpiciat peccatum ut medium, cauſa tamen non eſt. At punitio quidem, quæ eſt actus Dei externus & temporalis, cauſam habet peccatum, ſed ordinatio ad pœnam, quæ eſt actus Dei internus & æternus, nullam cauſam extra Deum habet. Quod probamus. 1. Ex electione æterna. Si enim electio ad vitam æternam eſt talis Dei actio, quæ eſt æterna, non eſt facta propter Chriſtum, nec ob fidem prævifam aliaque media, itidem & eadem ratione reprobatio non eſt facta, etiam quod ad actum poſitivum, propter peccatum. In executione autem notum ſecus fieri; propter finem enim media ordinantur, ſed propter media finis obtinetur. 2. Ex eo, quia quod generatione prius, intentione poſterius; quod intentione prius, executione poſterius. Si ergo quemadmodum in electione media omnia, ut Chriſtus, fides, perſeverantia, ſunt priora generatione, intentione poſteriora, atque adeo non poſſunt eſſe cauſæ intentionis. In reprobatione media ut peccatum, quia ſunt priora intentione, ac ideo hæc non poſſunt eſſe cauſæ intenti finis: quod autem Scriptura Deo tale jus in creaturas tribuat, antea probatum.

Ibidem reprehendit Perkinſium, quod non diſtinguat deſertionem; quam duplicem dicit, *Providentiæ, totum genus humanum ſpectans, qua videlicet hominem in peccatum labi permiſit.* Sed alia eſt, *qua patitur, nonnullos finaliter à beatitudine excidere*, quæ eſt *reprobationis*, *cujus datur cauſa peccatum. Reſp.* Vanum hoc. Non enim ſunt ullæ deſertionis ſpecies diverſæ, ſed eſt una deſertio continuata Dei. Sic legimus de Saüle, 1 *Sam.* 16, quod rejecerit ipſum à gratia ſua Deus, & quod noluerit Samuelem deprecantem pro ipſo exaudire, atque iſtam deſertionem continuavit, donec mors conſequeretur. Ita omnes reprobi deſeruntur. Involvit autem ibidem Adverſarius falſam hypotheſin, videlicet quod Deus omnes permiſerit labi in Adamo, poſtea univerſalem electionem fecerit, & omnes aſſumpſerit, ex quo ſtatu poſtea aliqui excidunt. Sed vana omnia, quod nempe Deus fecerit univerſalem electionem. Ratio, 1. Quia pugnat cum electione; conſtat enim, Deum aliquos tantum elegiſſe,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Actor. 13, *Crediderunt* &c. Ubi particula *quotquot*, reſtringit electionem ad aliquos. Rom. 8, *Quos prædeſtinavit*, *hos vocavit.* ubi particulæ, *quos*, *hos*, determinant electionem. *Regerit*: Deum omnes velle eligere, ſed quia prævidet in aliquibus futuram inobedientiam, ideo non vult. Sed antea hoc fuſe eſt refutatum. 2. Ex fœdere Dei, quod non iniit cum omnibus, *Rom.* 9, diſcrimen ponit inter filios carnis & promiſſionis. *Ierem.* 31. 33, Fœderati illi indigitantur, qui ambulant in viis Dei, in quorum cordibus indita eſt lex Dei. Neque eſt quod dicat, conditionaliter hæc Deum in nobis velle. Rationem vide ſupra. 3. Ex officio Chriſti Mediatoris hæc inſtantia refellitur. Ad Propheticum enim munus quod attinet, certum eſt, Deum non vocare omnes interne, nec omnes illuminare, Matth. 13, *Vobis datum* &c. Matth. 11, *Ago tibi gratias*, *Pater.* Quod ad Sacerdotale Chriſti munus attinet, ex collatione typi cum antitypo evincitur, quod hoc reprobis non ſerviat. Sicut enim typici Sacerdotes non tantum ſacrificabant pro peccatis populi, ſed etiam intercedebant; ſic etiam antitypus Chriſtus non tantum ſacrificat pro his, quibus eſt Sacerdos, ſed etiam intercedit. Sed pro reprobis non ſacrificat. *Ioan.* 10, pro filiis, pro ovibus. *Eph.* 5. 25, pro Eccleſia. *Rom.* 8, pro electis Dei. Nec pro iis orat; hæc enim duo conjuncta ſunt. Ioan. 17, *Non oro pro mundo*, *ſed pro iis quos dediſti mihi.* Quod ad officium Regium, nec hoc reprobis competit. Non enim regit eos Spiritu & Verbo, nec tuetur contra hoſtes internos & externos, non ornat eos gloria, nec liberat ab omnibus malis, prout illos quos elegit. Inde ergo ſequitur, tollendas eſſe duas diſtinctiones noſtratium, quibus non tam Adverſariis reſiſtunt, quam occaſionem dant firmius contra nos procedendi. Una hæc eſt, quod Chriſtus ſit pro omnibus mortuus *ſufficienter*, ſed non *efficaciter.* Altera, quod Deus velit omnes ſalvos, quod ad *approbationem*, non quod ad *effectionem.* Quod ad priorem, fatemur, ſi dignitatem λύτρου Chriſti reſpicias, illud eſſe tanti valoris, utpote Perſonæ θεανθρώπου, ut potuiſſet omnium hominum peccata expiare, ſi Deo viſum fuiſſet, hanc victimam omnibus præparare, & ſibi offerri; verum hinc inferri non poteſt, Deum pro omnibus eſſe mortuum. Hinc enim neque eſſet abſurdum, Chriſtum pro omnibus orare; hæc enim ſunt conjuncta: nec eſſet abſurdum, omnes juſtificare, regenerare, glorificare; hæc enim indiſſolubili nexu cohærent. Alterum falſum etiam, quod omnium ſalutem velit quod ad approbationem. Nam cum approbatione eſt, quando non tantum volumus aliquid, ſed cum delectatione aliqua: Deus autem non vult tantum cum delectatione, ſed ne ſimpliciter quidem, omnium ſalutem.

Ordinationem ad pœnam, non tantum eſſe bonam ex eo, quod ſit propter bonum finem, nempe declarationem juſtitiæ; ſed etiam ex eo, quia ejus cauſa Deus eſt: atque adeo bonitatem etiam accipit à cauſa efficiente, quæ peccare & male agere neſcit. Quod autem Deus non poſſit peccare, probatur his argumentis. 1. Quia omne peccatum eſt defectus: Deus autem, utpote bonum infinitum, deficere non poteſt; quia, qui in agendo deficit, recedit à perfectione agenti debita. 2. Omne peccatum quod fit à voluntario agente, eſt error; voluntas enim in apprehendendo objecto falſo cognito aberrat: error autem in Deum non cadit. 3. Ex ultimo fine, à quo peccatum eſt averſio; tam enim Deus non poteſt averti ab ultimo fine, quam hic finis eſt ipſe Deus. 4. Peccatum eſt receſſio à lege æterna, quæ ipſa Dei ſapientia eſt: Deus autem ſibi ipſi lex eſt; jam autem Deus non poteſt recedere à ſapientia ſua. Cum ergo hæc in Deum non cadant ſine naturæ deſtructione, dicendum, omnia hoc ipſo eſſe bona & juſta, quia Deus facit; ac proinde peccare non poſſe.

Pag. 106, dicit Arminius, peccandi neceſſitatem & inevitabilitatem, à peccando excuſare, & à pœna eximere peccatorem. Fundamentum autem hujus ibidem ſubjungit: *Quia*, inquit, *fieri nequit*, *ut quis libere faciat*, *quod neceſſario facit.* Quod vanum eſſe demonſtro.

1. Ab exemplis. 2. Ex eo, quod iſta quæ ſunt voluntaria, Deus non tantum dicitur perſuadere moraliter, ſed inclinare corda hominum

num &c. Exempla ſunt, 1 *Sam.* 2, legimus de filiis Heli, quod peccaverint contra Jehovam concumbendo cum mulieribus, quod monenti patri non auſcultarint, quia (inquit textus) *volebat Iehova morte afficere eos*, v. 25. Hoc neceſſario fiebat & libere. Ita Roboam peccat libere, dum ſequitur conſilia juvenum, & neceſſario, quia Deus ademerat ei mentem. 2. Voluntatem hominis inclinat Deus, unde quidem neceſſitas reſpectu Dei, & libertas reſpectu hominum. Ita, *Exod.* 11, Ægyptii dederunt Iſraëlitis argentea vaſa & aurea inſtrumenta libere, *v.* 2. & neceſſario, *v.* 3. quia Deus reddiderat populum illum gratioſum in oculis eorum. Sic de Eſthera c. 4, & 5. quæ impetravit ab Ahaſphero Rege ſalutem & incolumitatem Judæis, neceſſario, quia Deus flectebat animum Regis, ac etiam libere Rex aſſentitur, & concedit petitionem Reginæ.

Obj. Libertas & neceſſitas ſunt contradictoria, & contradictoria non poſſunt de uno eodemque affirmari; de quolibet enim vera affirmatio, & negatio. *Reſp.* Mera eſt vanitas. Nam utrumque in Scriptura habemus. Et certe poſſe aliqua, quæ ſpeciem habent contradictoriorum, de uno eodemque diverſo reſpectu affirmari docet Scriptura. De nobis certe verum eſt, quod ſimus injuſti & juſti; injuſti ratione noſtri & natura, juſti ratione gratiæ & Dei, quia per imputationem juſtitiæ Chriſti reputamur juſti. Ita homo mendax, inquit Scriptura, & quidam non ſunt mendaces, videlicet qui aguntur Spiritu S. Sic Prophetæ & Apoſtoli dicuntur agi Spiritu Dei, ac ita errare non poterant, natura autem poterant.

Arminius dicit, *à nonnullis, dum volunt ſententiam diſtinctionis propugnare, adferri exemplum Dei, quem dicunt neceſſario & libere bonum eſſe: at perperam*, inquit, *Adeo enim falſum eſt, Deum eſſe libere bonum, ut non procul abſit à blaſphemia; Deus enim neceſſario bonus eſt.*

Reſp. Imo hoc dicere blaſphemum. Deus enim conſideratur vel *in ſe*, vel *ad extra*. In ſe ſpectatus Deus non poteſt non eſſe bonus, quia eſt ens maxime neceſſarium; libere tamen non eſſe deſinit, quia eſt liberrimum ens, ut quicquid perfectionis eſt in creaturis, in ipſo eſt, tanquam in fonte & prima cauſa. Si enim non eſſet *ad ſe* & *in ſe* liber, non eſſet ens voluntarium, non haberet voluntatem: omnis enim voluntas libera, & omne liberum præditum eſt voluntate. *Ad extra* etiam Deus neceſſario agit, quia quæ agit, ex decreto agit: decretum autem Dei omne eſt neceſſarium; jam autem decreta non poteſt mutare, nec nova condere; hæc enim infirmitatem in Deo ponunt, & liberrime quæ decrevit, exequitur.

Pag. 107, dicit Arminius, *Deum etiam obnoxium eſſe legi iſti, qua nemini licet pœnam inferre immerenti; eſt enim hæc lex æterna & immota juſtitiæ Divinæ. Reſp.* Falſum eſſe, quia aliquando punit propter ſcelera aliorum, imputando videlicet peccatum unius alteri. Quod eſſe verum, probo, *Exod.* 20. 5, ubi dicit, ſe viſitaturum iniquitatem patrum in filiis, &c. *Matth.* 22. 35. Hoc autem fit ob ſocietatem quæ eſt inter peccantem, & eos qui puniuntur. Eſt autem hæc duplex; una, *Oeconomica*; altera, *Politica*. In Oeconomica ſunt rurſus tres combinationes. 1. Inter maritum cum uxore. 2. Parentes cum liberis. 3. Dominos cum ſervis. Prioris exemplum habemus in Salomone, qui punitus eſt propter uxorem Ægyptiam. Fuit enim ipſi hæc ipſa intendiculum, ita ut receſſerit à Jehova. Et in Achabo, cui Ieſabel cauſa fuit, quod punitus ſit graviter. Alterius ſocietatis exemplum, 1 *Sam.* 2, de Heli, qui ipſe & tota ejus poſteritas punita fuit propter ſcelera filiorum ſuorum. Sic *Ioan.* 7, propter ſcelus Achanis omnes filii & filiæ ejus, boves & aſini, obruti ſunt lapidibus, & igne combuſti. Tertiæ ſocietatis, inter dominum & ſervum, exemplum habemus, 2 *Sam.* 13, de Jonadabo, propter quem Ammon punitus eſt. Item Roboam propter conſilia juniorum. In ſocietate *Politica* idem evenit. Nam ſubditi propter delicta Principum; & 2 *Sam.* 22, populus peſte affligitur propter peccata Saülis. & *cap.* 24, propter peccata Davidis puniuntur Iſraëlitæ.

Obj. Ezech. 18, *Anima quæ peccavit, morietur*; quare igitur Deus peccatum alterius alteri imputaret? *Reſp.* Duplici modo hoc Deus agit: vel faciendo, quòd poteſt; & tum imputat peccatum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

catum alterius alteri, inter quos talis eſt ſocietas; vel non faciendo, utut poſſit, idque quia ita ſibi placet ob certas cauſas. Ita hic Propheta exponit, quid Deus tunc voluerit facere, ſcilicet non punire eos propter ſcelera patrum, quamvis jus habeat ad hoc. Non autem vult dicere, ſemper quid faciat, aut quid juris habeat in nos. Quod autem Deus in nos non ſemper ſuo jure utatur, patet tum ratione electorum, cum quibus diverſimode agit. Hos affligit per totum vitæ ſpatium, ut Paulus, 2 *Cor.* 11. Alios non affligit, ſed pacate ſinit vivere, ut Simeonem, de quo non legimus quicquam ei adverſi accidiſſe. Sic etiam de Propheta Nathane non legimus, quod perſecutiones & alia incommoda paſſus ſit, prout Eſaïas, Jeremias. Ratione reproborum Deus etiam non ſemper ſuo jure utitur: Divitem epulonem Deus ſivit omni gaudio & voluptate frui, cum tamen ſtatim poſſit eum perdere.

Criminatio 3: *Pag.* 109, dicit Arminius: *Nos, quia dicimus omnia neceſſario evenire, Fatum Stoïcum introducere. Reſp.* Falſum. Fatum enim Stoïcum talem infert neceſſitatem, quæ & ipſum Deum obliget, ſive à quo cauſa prima dependeat. Nos autem non abſolute talem neceſſitatem introducimus; ſed illam quæ dicitur ex hypotheſi, quæ non ipſum Deum afficit, ſed à decreto Dei fluens, efficit decreti Dei immutabilem eventum, ac neceſſitatem imponit. Quod autem neceſſitas talis ſit, patet ex Scriptura, *Gen.* 3, promittit Deus ſemen benedictum, quod erat neceſſario eventurum neceſſitate ex hypotheſi; Deus enim mentiri neſcius.

Porro ita eſt progrediendum cum Adverſariis. Quæritur ex aliquo ipſorum, an quæ eveniunt, Deus præſciverit eventura? Negare non poſſunt. Si hoc: An præſciverit ea ex voluntate effectiva, id eſt, eo quod voluit efficere; an permiſſiva, id eſt, quia permittere voluit; an ex utraque voluntate? Si aliquid horum dicant, neceſſitatem hypotheticam concedunt. Quod enim Deus vult, eo ipſo, quod vult, neceſſario futurum eſt. Si dicant, neutrum eſſe neceſſarium, tum ſequitur, Deum aliquid præſcire futurum independenter, id eſt, exſtiturum à ſe ipſo.

Pag. 110, Arminius dicit: *Permiſſionem mali, prout noſtri ipſam explicant, coïncidere in energeticum Dei decretum.* Quod ita probat: *Dicimus nos*, inquit, *quod Deus non impedit, ideo evenit, quia Deus non impedit: unde concludo; ergo impeditio & eventus copulantur ut cauſa & effectus. Reſp.* Nihil minus, quam hoc, hinc conſequi. Nam particula *ideo* dupliciter accipitur, vel *antecedenter ad rem*, vel *conſequenter ad rem.* Antecedenter ad rem quando ſumitur, eſt in duplici diſcrimine: Vel enim habet ſe ut *antecedens* ad *conſequens*; Joan. 5. 12, 39, *Ideo*, inquit, *non poterant credere* &c. hic *non credere* erat conſequens. Vel habet ſe *ut cauſa* ad *effectum*: ut Joan. 19. 11, *Ideo qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.* Hic traditio habet ſe ut cauſa majoris peccati, ita ut ſit nota cauſæ. Cum conſequenter ad rem conſideratur, tum eſt nota effectus: ut Luc. 7. 47, *Remiſſa ſunt ei multa peccata, quia dilexit multum*; ubi dilectio eſt effectus remiſſionis.

Duplex cauſa, quare illa quæ mala ſunt, dici poſſunt opus Dei. 1. Quod ad materiale, cujus Deus effector eſt. 2. Quod ad formale, non autem qua tale, ſed quatenus boni reſpectum habet, videlicet qua pœna eſt.

Diverſimode Deus ſubtrahit gratiam in peccato commiſſionis & omiſſionis. Circa peccatum commiſſionis ita occupatur, ut gratiam ſuam ſubtrahat à modo rei, non autem à re; res enim bona, modus autem malus. In peccato autem omiſſionis eſt denegatio gratiæ à re & à modo rei; ibi enim nihil fit.

Pag. 111, dicit: *Peccatum, & peccati eventum, eſſe unum & idem.* Sed falſum. 1. Legimus in Scriptura poſt peccatum patratum longe ſecutum finem, ita ut tempore etiam ſeparentur. Venditio Joſephi facta fuit longe antequam conſequeretur finis.

Pag. 112, dicit: *Deum non impediri omnipotente & phyſica actione, quia non decuit. Sic enim impediiſſet homini uſum libertatis ſuæ.* Ibidem dicit: *Deum permittere ut exploret.* Quod verum quidem eſt, ſi bene explicetur. Non enim explorat propter ſe, hoc enim pugnaret cum ejus omniſcientia; Pſal. 139, *Tu cognoſcis ſedere meum* &c. Explorat autem vel noſtri cauſa,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ſa, vel aliorum. Prioris exemplum poteſt eſſe Paulus, 2 *Cor*. 12. 2, cui datus erat ſurculus infixus carni, nempe Angelus Satanæ, qui ipſum colaphis cederet; & ideo non ſupra modum efferatur. Poſterioris exemplum eſt, *Ierem*. 35, Ubi Deus per Jeremiam explorat Rechabæos, an eſſent bibituri vinum, quod erat à patre ipſorum Jonadabo ipſis prohibitum, idque ob Iſraëlem, ut Iſraël hac obedientia compelleretur ad obedientiam Deo præſtandam.

Pag. 113, ad loca reſpondet, *Act*. 2. 13. *Act*. 4. 18. Et dicit: *quod Iudæi non ſimpliciter fuerint ordinati, ſed quia præviderat, eos fore tales, qui crucifigere Chriſtum debebant, ideo ordinavit. Reſp*. Hoc ex Scripturæ phraſibus patet. 1. Quia dicit Scriptura, Deum *ordinare*, *excitare* homines ad hoc vel illud ſcelus. 1 Reg. 9. 2. Sam. 12. 11, *Ego ſuſcitaturus ſum contra te malum è domo tua* &c. 2. Ex iſto genere phraſeologiæ, cum dicuntur aliqui *poſiti*, *præſcripti*, *facti* in hoc: prout 1 Petr. 2. 8, *Vt impingant ad ſermonem*. Prov. 16. 14, *Improbi facti ſunt ad diem mali*. Rom. 9, *Ad hoc ipſum excitavi te* &c. 3. Ex his phraſibus, quibus dicuntur *indurari* à Deo: ut in Exodo, *Ego indurabo cor Pharaonis*. ita *Deut*. 2. 30, Rex Sichem non ſivit tranſire Iſraëlem per agrum ſuum, quia Deus *obduravit ſpiritum ejus*, & obfirmavit animum.

Pag. 114, Occurrit denuo hic iſte controverſiæ ſtatus: Utrum Deus in converſione impii ſit cauſa phyſica, vel moralis tantum? Quod poſterius ille defendit. Contrarium autem ita probatur. 1. Cauſa moralis alicujus rei eſt cauſa minus principalis, quia impulſiva ſeu externa impellens: unde ſequitur, ſi Deus in impii converſione eſt cauſa tantum moralis, eum non concurrere ad hoc opus niſi minus principaliter, atque adeo nos ipſos primas tenere: At Scriptura dicit, hominem animalem non poſſe intelligere, quæ ſunt Spiritus Dei. 2. Vi cauſæ moralis non producitur res. Sic Eva non peccavit vi Diaboli, qui tantum ſolicitavit ipſam; nec Adam vi Evæ, ſed ſuaſu tantum ejus. Jam autem hic eſt proprius cauſandi modus, ſeu in eo conſiſtit cauſalitas agendi, ut ejus videlicet vi effectum producatur. Hinc ergo ſequitur, converſionem impii non tantum effici ſuaſu divino. 3. Idem ex phraſibus Scripturæ colligitur, quæ agunt de initio, incremento & fine converſionis. Quod ad initium phraſes Scripturæ tales reperiuntur, quæ phyſicam cauſalitatem inferunt.

Pag. 119, carpit Perkinſii Argumentationem: *Quæcumque Deus non impedit, ideo non impedit, vel quia vult fieri, vel quia penitus non vult fieri, vel quia nolit fieri*. Arminius dicit ad hæc: *Nullam eſſe duorum poſteriorum differentiam. Nam nolle fieri, eſt non velle fieri. Particula autem* penitus, *quia eſt negans pars, in contradicentibus non capit incrementum. Reſp*. Res quæ veniunt in contradictionem, ſive quæ contradictorie poſſunt opponi, ſunt duplicis generis. Quædam quæ admittunt diminutionem & augmentum, quædam vero quæ non admittunt. Exempli gratia, *rationale eſſe animal*, & *non eſſe rationale animal*, non admittunt magis & minus, diminutionem & augmentum; ſed *odiſſe* & *amare*, ſeu *non odiſſe*, ſunt contradictoria talia, quæ gradus admittunt, id eſt, quæ primo ratione ſuæ naturæ opponuntur, ut ſunt contradicentia abſolute: ſecundo, ratione graduum, quos admittunt; & hujus generis contradictoria admittunt hujuſmodi particulas *penitus*, & *valde*.

Pag. 120, cauſam cur Deus aliquid non impediat, dicit eſſe, *quia neque velit ut fiat, neque ut non fiat; quia*, inquit, *quod Deus vult ut fiat, hoc efficaciter efficit; quod vult ut non fiat, hoc efficaciter impedit; quod nec vult ut fiat, nec vult ut non fiat, hoc creaturæ permittit. Reſp*. Suppoſitum quod dicit, *quod Deus vult, efficaciter efficit*, falſum eſſe. Dicimus enim quod voluntas Dei circa mala efficax ſit, ſed non efficiens. Efficax enim eſt, quod non eſt irritum. Ratam autem eſſe Dei voluntatem teſtatur, *Pſal*. 33. & *Eſaï*. 46. 10.

Quod Deus mala velit efficaciter, ita probo. 1. Deus aliquando ordinat peccatum, ut ſit pœna, id eſt, Deus vult peccatum eſſe pœnam, prout legimus de peccato Pharaonis, Abſolonis, Semeï. Quomodo autem Deus velit peccatum eſſe pœnam, ſic oſtendo. 1. Deus voluit declarare juſtitiam & miſericordiam, Ergo etiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

etiam media ad hæc neceſſaria. Medium autem valde neceſſarium, eſt peccatum. 2. Certo fine permittit peccatum, Ergo vult. Nam quod permittit, permittit vel certo fine ad quem res devenit, vel aliquo ad quem res non devenit, vel nullo. Non duobus modis poſterioribus, quia imperfectionem in Deum apportant, & quod imprudenter agat, non ſit omnipotens, omniſcius. 3. Ex phraſeologia Scripturæ: Quæcumque enim eveniunt voluntate Dei, decreto & conſilio dicuntur eveniſſe, ut in Jobo, *Dedit Deus & abſtulit, ſit nomen ejus benedictum.* Quomodo velit peccatum, explicatum eſt ſupra. 1. Vult ut malum ſit in mundo, id eſt, *permittit*, non *efficit*. 2. Non propter ſe, ſed propter aliud, id eſt, ut ei ſerviat, in finibus conferendis, quos conſtituit. Arminii objectio, quæ magni momenti non eſt, hæc,

Pag. 123, *Si Deus vult mala, voluntas ejus erit mala, quia voluntas dicitur mala à volitione mala, volitio mala ab objecto malo. Reſp.* Dupliciter voluntas fertur in malum, vel ita, ut ſibi velit malum, vel ita ut alteri velit; qui ſibi vult malum, ejus voluntas eſt mala. 1. Quia afficitur ab objecto, & ita mala fit. 2. Quia peccat in legem, *Diliges te ipſum*; &, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Affici autem potentiam ab objecto, certum eſt. Sicut enim objectum bonum, eſt perfectio potentiæ; ita objectum malum, cum in eo ſit defectus, eſt depravatio potentiæ. Hæc à voluntate Dei alieniſſima ſunt. 1. Enim ſibi nihil penitus vult, quia eſt ſufficientiſſimus, nec quærit perfectionem aliunde. 2. Quod alius velit malum, non ex eo peccat in Legem, quia Deus illa non tenetur.

Pag. 123, *Non datur ſummum malum. Reſp.* Summum duplex: Unum abſolute ſummum, & tale non datur, prout ſummum bonum dicitur. Alterum comparate. Ut, ſummum malum dicitur peccatum Originale *extenſive* vel ratione extenſionis; & peccatum in Spiritum S. *intenſive*, quia irremiſſibile. Dicuntur autem hæc mala comparative ſumma, reſpectu reliquorum malorum. Quod autem hæc abſolute ſumma mala non ſunt, probo. 1. Quia ſummum excludit contrarium, nec quicquam communionis habet cum ſuo contrario. 2. Non poteſt ullo modo fieri contrarium. Jam autem tale ſummum, quod hæc habet requiſita, nullo modo datur. Nam omne malum eſt in aliquo bono; unde datur ſocietas. 3. Hæc mala non ſunt à ſe, ſed ab alio; unde iterum commune. 4. Peccatum in Spiritum S. Deus poteſt abſoluta ſua potentia abolere penitus, quamvis ordinaria non poſſit, qui nunquam ſe facturum conſtituit. Hæc autem duo includere ſummum malum, patet ex ſummo bono. Deus enim, qui eſt ſummum bonum, excludit & contrarium & potentiam ad contrarium.

Quomodo voluntas tendat in malum, & quotupliciter, nunc explico. Actus voluntatis vel fertur in *bonum male*, vel in *malum bene*, vel in *malum male*. Prioris exempla ſunt: Poſtulaſſe puellam, quæ erat nubilis, non erat malum: ſed hoc modo poſtulaſſe, prout fecerunt filii Principis Sichemitæ, erat malum, quia vi ipſam rapiebant. Hic voluntas *volebat bonum*, ſed *male*. Ita Abſolon, dum cupiebat Regnum Patris ſui, *bonum* cupiebat: ipſi enim debebatur regimen, utpote filio natu maximo; ſed *male* cupiebat, quia ante tempus & contra patris voluntatem. Secundum probo: Malum duplex eſt, *naturæ*, vel *pœnæ*. Eſt enim aliquod naturæ malum, quod non eſt pœna, ſed afflictio. In utrumque bene poteſt ferri voluntas. In naturæ malum tum, quando ex duobus malis unum eligimus. Sic Paulus cum cupit diſſolvi, expetit *malum*, id eſt, mortem, & tamen non *male*, ſed *bene*. In malum pœnæ fertur voluntas bene, quando promerita eſt, idque vel *ratione agentis*, vel *patientis*. Sic David ſibi elegit pœnam, ſcil. peſtem, & *bene*. Tertium explico hoc modo: Malum duplex, unum quod eſt *ſimpliciter* malum; alterum quod eſt *malum alicui*: in utrumque ſi voluntas feratur, in malum fertur. De *malo alicui* exemplum habemus in Saüle, cui non erat bonum ſacrificare: unde malum faciebat ſibi, cum ſacrificabat, non quod ſacrificare ſimpliciter malum ſit, ſed quod *ipſi* eſſet *malum*. In *malum ſimpliciter* ſi voluntas feratur, *male* fertur. Sic Achitophel, cum ſe vellet ſuſpendere, *male volebat malum*, ut & Judas.

Pag. 124, diſputat Arminius: *Virum bonum*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

poſſit malum eſſe? Reſp. Ex parte verum, ex parte falſum eſt. Verum ex ſuppoſitione finis alicujus certi; falſum autem, ſi in ſe & ſua natura conſideretur. Sic Joſephi venditio mala erat in ſe; ſed ex hypotheſi finis, cujus gratia à Deo erat permiſſa, erat optima. Sic crucifixio Chriſti ratione finis erat bona, in ſe mala; ſic omnia media ratione declarandæ gloriæ Dei optima ſunt. Hunc duplicem reſpectum reprehendit Arminius; ſed fruſtra. Certum enim eſt, peccatum conſiderari vel *in ſua natura*; & hoc modo Deus abominatur illud: vel *in relatione qua medium*; & ita bonum: medium enim qua tale, non poteſt non eſſe bonum; illud autem non *ex natura ſua*, ſed *ex ordinatione Dei*.

Ibidem dicit Perkinſius; *quod duplex ſit peccati reſpectus.* 1. Eſt, *qui in ſe ſpectatur, eſtque malum. Alter qui apud Deum habet reſpectum boni vel rationem boni.* Dicit Arminius: *Nego quod peccatum habeat rationem boni apud Deum.* Explicamus autem Perkinſii inſtantiam hoc modo: Actus Dei circa peccatum eſt, 1. Permiſſionis, quia homini gratiam ſubtrahit, ac ita peccatum evenire vult. Vult autem evenire non propter ſe, ſed propter certum finem cujus reſpectu ordinat peccatum, & ſic boni rationem habet peccatum coram facie Dei. Secundus Dei actus eſt, quod dirigat peccatum ad finem ordinatum, eſt etiam hoc reſpectu apud Deum optimum, ordinat enim Deus, non tantum peccatum cum eſt perpetratum, qui actus directio dicitur, ſed etiam cum nondum eſt. 3. Peccatum apud Deum bonum quidem eſt, quia vult eſſe pœnam, ut cum peccata peccatis punit, cujus ſunt exempla in Scriptura: his ergo reſpectibus bonum eſt peccatum.

Quæritur I, *Utrum peccatum ſui ipſius pœna eſſe poſſit? Reſp.* Quod ſic. Peccatum duplex, vel *quod fit*, vel *quod factum eſt.* De priori, quod poſſit eſſe pœna, patet in electis regenitis: exemplo eſt Paulus, *Rom.* 7. *Gal.* 5, qui dolet, quod cum videat bonum, non tamen velit; ubi peccatum hoc ipſi pœna eſt, in eo, quod ideo affligatur. Afflictio autem pœna eſt. Sic quando electi peccant, in ipſo actu ſentiunt ſtimulos conſcientiæ, qui certe pœnæ ſunt. Peccatum *quod factum eſt*, ſui ipſius quoque pœna eſt duobus modis. Primus eſt extraordinarius, cum Deus extraordinarie homini peccata ſua exprobrat, ut Caïno fecit; cum ei Deus exprobraſſet fratricidium, mordebat & torquebat ipſum conſcientia, ita ut profugerit, Ita extraordinarie monet Deus Davidem peccati ſui, quod fecit, ut fere deſperarit, *Pſal.* 36. Ubi peccatum erat ſui pœna. Modus alter ordinarius, iſque triplex: unus *ex lege*, Rom. 7, *Ex lege agnitio peccati*: alter *ex dictamine conſcientiæ*; dum enim recordamur peccatorum, hæc ipſa peccata fiunt pœnæ, afflictio enim ſunt, & cruciatum in nobis cient: tertius eſt *ex effectis notoriis*, ut in primis noſtris parentibus, quibus recordatio peccati maximo eſt dolori ex conſpectu nuditatis ſuæ, ac adeo fuit peccatum, & ſui ipſius pœna.

Quæritur II, *Qua ratione Deus poſſit eſſe auctor pœna, qua mala eſt, & qua ratione mala ſit, & qua bona? Reſp.* Eſt bona moraliter, idque vel ratione agentis, vel ratione patientis. Ratione agentis, quia ab eo infligitur ut judice; idque ſecundum præſcriptam juſtitiam. Ratione patientis bona etiam eſt moraliter; quia qui punitur, ex præſcripto legum punitur. Ergo juſte mala etiam merebitur, quia merito ſuo punitur & ex transgreſſa lege. 2. Naturaliter bona eſt pœna ratione agentis, quia lex Naturæ imitatur legem Divinam, & ſimul cum hac vult juſtitiam adminiſtrari. Ratione autem patientis, naturaliter mala eſt pœna, quia eſt deſtructio creaturæ.

Quæritur III, *An Deus velit malum propter conjunctum bonum?* Arminius negat, & dicit, *malum nunquam conjunctum habere bonum. Reſp.* Bonum alicui malo vel *naturaliter*, vel *ſupernaturaliter* conjunctum. Naturaliter, 1, ratione *ſubjecti*; eſt enim alicujus. 2, ratione *objecti*; eſt enim in aliquid commiſſum. Supernaturaliter, dupliciter conjunctum eſt bonum malo, vel ita *ut hæc duo coëxiſtant*; & ſic non ſemper: vel ita *ut unum ex altero dependeat neceſſario*; & ſic ſemper. Exempli gratia: Salvatio domus Iſraëlis tempore famis erat certe magnum bonum, & erat conjunctum cum peccato fratrum, id eſt, venditione in Æ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

in Ægyptum, ſed non fuit conjunctum ratione actualis coëxiſtentiæ utriuſque, ſed neceſſariæ dependentiæ.

Quæritur IV, *Anne Deus ſecum pugnet, dum voluntate beneplaciti quadam vult, quæ voluntate ſigni non vult, ſed prohibet? Reſp.* Negando. Nam 1. Voluntas ſigni non eſt diverſa voluntas à voluntate beneplaciti, ſed metonymice ita dicitur; eſt enim ſignum voluntatis Dei. 2. Nulla eſt hic repugnantia. Mandatum enim non ſemper datur ut ei *obedias*, ſed ut homines Deus etiam *exploret*, ut Abrahamo; vel ut homines *convincantur*. Ergo nulla repugnantia. Mandat enim mandato *obedientiæ*, ut in lege obedientiam præſcribit electis, & efficaciter vult ipſos obedire legi: item ut *exploret* homines: item ut *convincantur*.

Quæritur V, pag. 129, *Quomodo peccatum ad decretum conſequatur, an ut effectus; vel ut conſequens neceſſarium?* Poſterius affirmamus; & probamus. 1. Ex providentia Dei, cujus partes duæ ſunt. 1. Quia ab æterno Deus certos fines conſtituit, & ad hos certa quoque media ordinat, vocaturque providentia decreti. 2. Quia in tempore res ita curat, ut ad fines conſtitutos per media conſtituta deveniant, quæ vocatur providentia actualis. Jam peccatum, utut non ſit extra providentiam Dei priori & poſteriori modo acceptam, tamen ita ad decretum & decreti executionem conſequitur, ut non ſit ejus effectus. Sic enim peccati cauſa eſſet Deus.

Quod peccatum conſequatur ad decretum Dei, probatur ex neceſſitate eorum quæ fiunt. Fundatur autem hoc, tum in immutabilitate, tum in dominio Dei. In immutabilitate, quia præſcivit conſequuturum; quod autem certo Deus præſcivit, certo decrevit: Quod ſi enim ordinando aliquid ad hunc vel illum finem hoc ipſum neſciret, eſſet neſcius alicujus: quod eſſet abſurdum. Ex dominio Dei patet; omnia enim ipſi ſubjecta ſunt, & potentiſſimus eſt: nec aliter poteſt fieri, quam ille vult. Qua autem ratione decretum ſubſequatur peccatum, jam declarandum eſt. Dico igitur, non ut *effectum*, ſed ut *conſequens neceſſarium*, *ad antecedens neceſſarium*: quod probo, 1, Quod neceſſario conſequatur ad permiſſionem & gratiæ ſubtractionem, nec tamen cauſæ rationem habeat; ut ante probatum. 2, Ex peccatis ortis à primo, quæ Deus etiam permittit fieri, non tamen permiſſio cauſa eſt. Item ſubtrahit gratiam peccanti, idque ex juſtiſſimo ſuo judicio, quia ſæpe peccata peccatis punit, ita ut iſta ſubtractio ſit pœna, propter præcedens peccatum inflicta.

Quæritur VI, *An peccatum ſit ens reale, an rationis? Reſp.* Utrumque diverſa ratione dicitur. *Ens reale* per accidens, 1, ratione ejus à quo fit, & in quo eſt. 2, ratione ejus in quod fit. Ratione ejus à quo fit & in quo eſt per accidens, videlicet propter cauſam & ſubjectum: ut, cum dicimus peccatum Davidis, Salomonis. Ratione ejus in quod fit, dicitur ens reale, propter *objectum*, quod eſt vel Deus, vel proximus. *Ens rationis* dicitur, quando concipitur peccatum (quod in ſe nihil aliud eſt, quam privatio & defectus) ad modum entis realis. Aliquando ei in Scriptura attribuuntur prædicata realia & poſitiva: ut Rom. 3, *Peccatum introiit in mundum.* Rom. 7, *Quod in me habitat.* Jac. 1, *Concupiſcentia quando concepit, parit peccatum.* Hac ergo ratione dicitur peccatum ens rationis, quatenus concipitur per modum talis rei, cui tribuuntur prædicata realia.

Quæritur VII, *Vtrum peccatum poſſit dici quod fiat? Reſp.* Ita. Probo ex locis Scripturæ, Rom. 2. 9, *Afflictio vero & anguſtia in omnem animam perpetrantem malum* &c. Rom. 38, *Faciamus mala* &c. Matth. 4, *Diſcedite à me, qui operamini iniquitatem.* Matth. 13, *Vocantur operatores iniquitatis.* Joan. 3, *Veniet tempus, quo judicabuntur, qui faciebant mala.* Pſal. 15, Qui non *fecit* malum proximo; quod autem aliqui *faciunt*, hoc certe bene dicitur *fieri*. Sed quærunt jam, *qua ratione peccata fiant, cum non ſint factibilia, utpote entia privativa? Reſp.* Fit aliquid *vel per ſe*, vel *per accidens*: Quod *per ſe fit*, proprie dictam cauſam habet, & eſt ens poſitivum: quod autem *per accidens*, non poſitivum, ſed defectus, id eſt, malum, conſideratur, *concrete*, & habet cauſam per ſe, ut, homo generat hominem cum ἀταξίᾳ· vel *abſtracte* pro malitia, quæ non habet cauſam, niſi per accidens.

Quæritur VIII, *Vtrumne Deus poſitive inclinet ad peccatum? Reſp.* Triplex ejus inclinationis modus. 1. Qui fit ex ſubtractione gratiæ, ad quam, ſimul ac gratiam internam Deus homini ſubtraxit, conſequitur peccatum. Hic modus inclinandi eſt per accidens. *Secundus modus*, cum Deus proponendo Verbum ſuum hominibus, & moraliter ſuadendo obedientiam, non dat eis gratiam ſpecialem, nec mentem ad intelligendum, nec voluntatem ad obediendum, nec aures ad audiendum. Tum enim homines ex naturæ pravæ inobedientia offenduntur, irritantur Verbo ſalutis, & magis indurantur; & hoc etiam eſt per accidens. *Tertius modus* petitur ex lege Decalogi: Quædam præcepta fluunt ex natura Dei; ut ſunt, 1, 2, 3, 7, 9. Quædam ex beneplacito Dei; in quibus poteſt pro arbitrio diſpenſare; ſuntque reliqua quinque, 4, 5, 6, 8, 10. Hæc vocantur poſitiva, quia nobis poſita ſunt, non autem Deo. Contra harum legum præcepta ſi quis agat, peccat. Interim Deus ſæpe ad ea peccata inclinat poſitive, & non peccat. Verbi gratia, Deo licet poſitive ad furtum inclinare, ut Iſraëlitas; ad homicidium, ut Judæos: qui hoc ipſo peccabant; Deus autem non: hic autem modus *per ſe* eſt talis.

Quæritur IX, *Qua ratione Deus concurrat cum creatura ad agendum? Reſp.* Ad hoc antequam reſpondeam, probandum id eſt, quod concurrat. Illud autem patet ex duplici fundamento. 1. Quia Deus irreſiſtibiliter agit, & *phyſice*, non *moraliter* cooperatur. Ratio, quia vis ipſius eſt omnipotens & infinita, ac ideo irreſiſtibilis. 2. Quia creatura non agit niſi acta, non movetur niſi mota. Quod ſi hoc, conſequitur, ſi moveatur, quod per concurſum Dei moveatur. His præſuppoſitis, *Reſp.* Quod concurrat Deus cum creaturis & cauſis ſecundis in bonis irreſiſtibiliter & phyſica actione, in malis ſubtrahit gratiam & non impedit. Concurrit autem hic non per modum cauſæ, ſed antecedentis neceſſarii, & habet ſe non *privative* tantum, ſed *poſitive* etiam, dum, antequam peccata fiant, ea ordinat, & poſtquam facta ſunt, dirigit ad finem conſtitutum.

Quæritur X, *Vtrum actus aliquis ſit vitioſus?* Ad hoc dicit Perkinſius, *Actus quidem bonus, ſed vitium malum.* Arminius autem dicit: *actus aliquis eſt malus.* Sed delirat cum ratione. Sic enim ens aliquod per ſe eſſet malum, ac Deus peccati auctor.

Inſtat: Actus vetatur, non autem ἀνομία. *Reſp.* Actus vetatur, non ſimpliciter, ſed reſpectu circumſtantiarum, quæ ſunt tres. 1. Ut iſte actus fluat à cauſa legitima & bona. Sic ſacrificium erat bonum in ſe, & malum, quia fiebat à perſona illegitima, & quæ ad hoc ordinata non erat. 2. Ut fiat ſecundum menſuram debitam, id eſt, ne plus vel minus faciamus quam debemus. 3. Ratione finis vel objecti, ut actus tendat in objectum bonum & non vetitum. Sic peccavit Eva, dum promoveret manum in objectum malum, id eſt, accipiendo pomum vetitum. De actu non quæritur, ſed de modo agendi.

In converſione Arminius dicit, *Hominem vocatum efficaciter, reſiſtere & non reſiſtere poſſe.* Nos autem, irreſiſtibiliter homines vocari dicimus; Quod probatur ex gratia juſtificationis, ſanctificationis, conſervationis, & glorificationis. Nam ſi fideles efficaciter vocati acceptant, & non acceptant, tum hoc Chriſti erit falſum: *Portæ inferorum adverſus fideles non valebunt.*

Quod Deus non velit omnes ſalvos fieri. Argumentum I. Qui vult finem, vult media. Jam non omnibus dat media. Ergo impoſſibile eſt, eos pervenire ad finem, id eſt, gloriam, ſine vocatione Dei efficaci; 1 Cor. 2, *Animalis homo non* &c. II ſumitur ex gradibus Mediatoris, qui quatuor ſunt. 1 eſt, quo Mediatorem agit inter utramque perſonam: jam autem poſitus eſt *quibuſdam in ruinam.* 2. Quia orat pro nobis: jam autem, *Ioan.* 17. 9, non orat *pro mundo.* 3. Eſt ſatisfactio, qua intercedit pro nobis & ſatisfecit Deo: Eph. 5, *pro Eccleſia.* Joan. 10, *pro ovibus animam tantum poſuit.* 4. Eſt applicatio, *dedit Spiritum Sanctum arrhabonem fidelibus.*

Pag. 148, Rom. 14. 15, *Ne eſca tua illum perdito, pro quo Chriſtus eſt mortuus.* 1 Cor. 8. 11, *Et tua iſta notitia, frater qui infirmus eſt*, peribit. Euge, inquit Arminius, *Chriſtus pro nobis omnibus eſt mortuus, etiam pro perditis. Reſp.* In

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Græco ſignificat, *ne deſtruas*; & vox illa ſignificat deſtructionem *totalem* & *partialem*. Hic autem partialem, Gal. 4, *quæ deſtruxi, reparavi.* item 1 Cor. 8, *Ne offendas fratrem ut pereat.* Nam eodem capite dicitur τὸ perire, *vulnerare conſcientiam*: vulnerare autem, & occidere, diverſa ſunt.

Obj. Arminius, *Quod Chriſtus mortuus ſit pro toto mundo.* Reſpondet Auguſtinus: *Mundus eſt vel fidelis, vel hoſtilis.* Mortuus pro toto mundo *fideli.*

Obj. Non eſſe electum, qui non eſt fidelis. *Reſp.* Falſum. 1. Indirecte probatur, *Rom.* 9, Quoſdam condidit in juſtitiam; quoſdam, ut miſericordiam declararet. Actor. 13, *Crediderunt, quotquot erant ordinati ad vitam æternam*: jam ordinatio præcedit. 2. Probatur ex mediis; ordinavit enim nos ad media, id eſt, ad fidem, Eph. 1, *Elegit nos, quos adoptaret in filios.* 3. Ex executione. Chriſtus mortuus non propter ſe, ſed propter nos. Ergo eſt medium, propter quod enim aliquid eſt, illud eſt medium.

Pag. 185, Chriſtus non eſt mortuus pro omnibus dicimus nos, quia non vult omnium ſalutem. Probo autem ex his fundamentis. 1. Voluntas Dei ſumitur pro decreto Dei, quia voluntas eſt immutabilis; jam autem ſi omnes ſalventur, ejus decretum erit irritum. Porro in voluntate Dei eſt connexus mediorum cum fine, id eſt, non vult finem ſine mediis; jam autem infidelibus non confert media. Ergo. 2. Sine gratia Dei homo nihil poteſt, & Deus omnibus gratiam non largitur; 1 *Cor.* 2.

Pag. 189, *Quod omne mandatum non cadat in bonum*; probo, 1. Quia promiſſio non pertinet ad omnes iſtos, ad quos mandatum pertinet, Ioan. 5, *Qui credit, habet vitam æternam.* Ergo promiſſiones, ad credentes vel credituros pertinent; Gen. 17, *Ero Deus tuus & ſeminis tui in æternum.* Rom. 9. 2. Qui ſunt in fœdere, ad ipſos promiſſio pertinet. 3. Veracitas Dei, quod promittit, illud præſtat; jam ſi ad omnes pertinet promiſſio, Deus erit mendax.

Pag. 193, diſtinguit Arminius *inter voluntatem Dei antecedentem, & conſequentem. Antecedentem*, id eſt, qua omnium decrevit miſereri: *Conſequentem*, qua, cum vidit aliquos velle, aliquos non velle, eorum qui nolunt in Chriſtum credere, non miſeretur. *Reſp.* Diſtinctionem eſſe falſam. 1. Ex præſcientia Dei; Deus enim ſi præſcivit ab æterno aliquos non credituros, fruſtra ergo miſereretur eorum. 2. Voluntas Dei irrita redderetur, ſi haberet talem voluntatem antecedentem, & conſequentem: quod eſt abſurdum, Rom. 9, *Voluntati ejus quis reſiſtet?* 3. Mutabilis eſſet Deus, ſi ejus voluntas eſſet mutabilis. Nam eſt ipſe Deus, in quem ne umbra quidem mutationis cadit, teſte Jacobo.

Pag. 196, docet Armin. *Voluntatem conditionalem in Deum cadere. Reſp.* Hoc falſum eſſe: quod quatuor fundamentis probamus. 1. Voluntas Dei nunquam poteſt eſſe irrita. E. non conditionata. 2. Ex præſcientia Dei hoc probatur. Nam Deus aut præſcivit iſtam conditionem, aut non; ſi præſcivit iſtam conditionem impletam iri, E. non conditionaliter; Si non præſcivit ab æterno, tum non eſt omniſcius. 3. Ex voluntate Dei. Nam & rem & conditionem in iis quæ ſunt, abſolute vult. 4. Ex natura hominis animalis. Si Deus non vellet abſolute conferre fidem tali homini, homo ita conſideratus nunquam aliquid boni poſſet præſtare. Debet deinde hominem regenitum conſervare; nam quod ſtet, non à ſe, ſed à Deo eſt.

Obj. At Deus vult, ſi credas. Ergo habet voluntatem conditionatam. *Reſp.* Deus non vult tibi hoc vel illud dare ſine mediis: ut, dedit tibi vitam æternam, ſed non ſine mediis, id eſt, non ſine fide; & iſtam conditionem & media abſolute vult.

Actus juſtificationis eſt, vel ex parte Dei, id eſt, *imputare*; & præcedit fidem: vel ex parte noſtri, id eſt, *applicare*; & ita ſequitur, Rom. 4, *Credidiſtis in eum, qui impium juſtificat.* Juſtitia Dei non æſtimanda eſt ex dato & accepto. Nulla enim lex illi poſita eſt, nec ulla juſtitia diſtributiva in Deo ratione boni, 1 *Cor.* 11, Quis dedit illi, ut ipſi retribueretur? Deus punit reprobos juſte pœna æterna. Ratio. 1. quia à fœdere excluduntur, & tales abalienant ſe à vita cæleſti, Eph. 2, *Erant ſine ſpe, ſine Deo,* &c.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Pœna vero temporali punit, quia aufert Verbum ſuum, Apoc. 3, *Tollam candelabrum*, ob ingratitudinem.

Decreta Dei verſantur circa non ens, quia ex nihilo omnia condidit.

Deus homines non propter ſe explorat, ſed propter me, te, &c.

Reprobatio ratione Dei ordinantis bona eſt; at ratione hominis non eſt bonum, *vas fieri ad dedecus*. Cum Deus reprobat homines, hoc facit in bonum electorum, ut ſciant, Deum habere ſummam poteſtatem in creaturas, ut & grati ſint ipſi, quod ſe elegerit.

Saül habuit Spiritum S. *metaphorice* ſeu *communiter*, non *operative*.

Perfecti ſumus ratione *partium*, non ratione *graduum*; Deus ineſt omnibus hominibus, non tamen omnes ſalvat; ut, ſol lutum indurat, ac ceram liquefacit. Angeli intelligunt Deum *apprehenſive*, non *comprehenſive*, id eſt, per *ſimilitudinem*, non *in re*; ſimilitudo enim Angelorum cum Deo, non eſt analogice univoca.

Attributa Dei non ſunt ab ipſo diverſa, niſi ratione objectorum.

Malum pœnæ, eſt malum naturaliter, bonum moraliter.

Obj. Deus neminem amat, niſi in Chriſto. *Reſp*. *Ordinarius* amor ad finem, non propter Chriſtum; deinde Deus media libere dat propter Chriſtum.

Obj. At electio ſine Chriſto eſt abſurda *Reſp*. Elegit nos ad finem ſine reſpectu ad Chriſtum; ſed hic finis acquiritur per media.

Obj. Chriſtus eſt caput omnium electorum. Ergo in ipſo electi. *Reſp*. Verum hoc de *executione*, non idem de *intentione*.

Obj. Electi diligunt Deum perfecte. *Reſp*. *Voto*, non *opere*.

Objic. Opera Sp. Sancti ſunt abſoluta. E. perfecta. *Reſp*. Conſeq. *neg*. Dat enim Deus ſecundum menſuram, uni plus, alteri minus, idque ex beneplacito, non autem ex defectu potentiæ.

Objic. Quæ Deus vult, refert ad ſuam gloriam. Ergo ſibi vult. *Reſp*. Finem propter ſe vult, non media.

Obj. Fruſtra Deus dedit poſſe Adamo. *Reſp*. Fruſtra eſt, quod non aſſequitur ſuum finem; jam autem potentia iſta non fuit fruſtra, quia, utut hunc vel illum finem non eſt aſſecuta, aliquem tamen eſt aſſecuta.

Habenti dabitur. Hoc verum de bonis internis vel adoptionis, non externis. Fit enim ut dives aliquis pauper reddatur.

Obj. Si elegit nos extra Chriſtum. Ergo etiam citra Chriſtum. *Reſp*. Velle quod fertur in finem, duplex: Abſolutum abſque mediis, & reſpectum per media. Prius voluntas fertur in finem, deinde cogitat de mediis. Vult igitur dare ſalutem citra Chriſtum ratione finis, qui expetitur à voluntate abſoluta.

Eſſentia Dei eſt infinite perfecta. Ergo includit in ſe omnes perfectiones; creatas, *eminenter*; increatas, *formaliter*.

Etſi prædicata negativa de Deo dicantur; materiale tamen ſignificatum verum eſt; eſt enim aliqua perfectio poſitiva, per quam Deo convenit talis negatio. Verbi gratia: Incorporeum ſignificat negationem corporis, perfectio tamen materialiter ſignificata eſt ratione Spiritus, qui Deo convenit ſine ordine ad corpus.

Prædicata relativa, *Creator*, *Salvator*, *Redemptor*, dupliciter ſumi poſſunt; ut externe ſumuntur, notant *actualem cauſalitatem*, & ſic nullam perfectionem notant in Deo, ſed externam tantum relationem. 2. Ut ſignificant *potentiam ſeu virtutem creandi*. Et ſic dicunt perfectionem in Deo.

FINIS.

JOAN-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

IOANNIS MACCOVII,
SS. Theol. Doct. & Profeſſoris,

THEOLOGIA QUÆSTIONUM,

Captui novitiorum in Theologia accommodatarum; ad cujus normam commode Collegia examinatoria inſtitui poſſunt. Antehac multo labore à multis deſcripta; jam typis exſcripta,

Studio

NICOLAI ARNOLDI, SS. Theol. in Acad. Franck. Doct. & Profeſſoris.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

IOANNIS MACCOVII,
SS. Theol. Doct. & Profeſſoris,

THEOLOGIA QUÆSTIONUM.

Locus I.
De Sacra Scriptura.

Quæstio I.
Quid eſt Verbum Dei?

RESP. Eſt quod Deus, *2 Tim.3 v.16. 2 Pet.1. v.21*, per Patriarchas, Prophetas, & Apoſtolos propoſuit, *Rom.1.v.2. 2 Pet.1.19.* de vero Dei cultu, & æterna hominum felicitate, *Rom. 15. v.4. 1 Tim.4. v.16. 2 Tim.3. 15,16, 17. Ioan.20. 31.*

II. *Quomodo hoc Verbum differt à Scriptura?*

Reſp. Ut *ſubjectum* à ſuo *accidente*; erat enim Verbum Dei, antequam Scriptura eſſet, & erit, dum nullus amplius Scripturæ uſus eſt futurus, in vita nempe futura. Cælum enim & terra præteribunt, Verbum autem Dei permanebit, *Matth.5. 18. & 24. 35. 1 Pet.1. 23.*

III. *Eſtne Scriptura neceſſaria?*

Reſp. Eſt, ſed ea neceſſitate, quæ dicitur ex *hypotheſi mandati divini*, non autem abſolutâ; ut oſtenſum in quæſtione proxime præcedente. Ceterum neceſſariam eſſe patet, *Rom.* 15.4. 2 Tim.3. 16, *Tota Scriptura divinitus eſt inſpirata, & utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad diſciplinam in juſtitia.* Eo fine ſcribi voluit, ut ad poſteros propagaretur.

IV. *In qua lingua Scriptura eſt authentica?*

Reſp. In Hebræa, quod ad Vet. Teſt. ut liquet, ex *Pſal.147.20. Act.14.16. Rom.3. verſ.2.*

Obj. Atqui fuerunt multi proſelytæ in omni gente, qui tenebantur ſcire dogmata fidei & præcepta morum: atque adeo oportebat ita ipſis propria lingua tradi.

Reſp. Illi omnes tenebantur diſcere linguam Hebræam, & ter in anno comparere Hieroſolymis ad celebrandum Deum: ut liquet *Deut.16. 16.*

V. *In qua lingua N. Teſt. eſt propoſitum à Spiritu Sancto?*

Reſp. In Græca. quod oſtendit diſtinctio iſta, qua omnes homines diſtinguuntur in *Iu-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

daos, & *Græcos*, *Act.*16. 1. *Rom.*1. 16. 1*Cor.* 1. 14. *Gal.*3. 28. Cauſa autem, quare omnes, qui ſunt extra Judæos, vocentur Græci, nulla eſt, & nulla dari poteſt, quam quod omnibus extra Judæos, Verbum Dei ſit ſcriptum Græce.

VI. *Annon Verbum Dei eſt corruptum in Lingua Hebræa & Græca?*

Reſp. Neutiquam; cum Spiritus S. voluerit ſcribi Verbum ſuum hoc pacto, ut ad poſteros propagaretur, neutiquam divina providentia paſſa fuit, ut ab aliquo corrumpi poſſit; quandoquidem Deus nunquam fine ſuo excidere poteſt propoſito.

VII. *Anne licet Laïcis legere Scripturam?*

Reſp. Utique. 1. Ut patet, *Ioan.*5. 39. *Col.* 3. 16. 2. Hinc commendantur etiam Beroënſes, *Act.*17. 11. Denique Spiritus Sanctus jubet omnia examinare ad legem & teſtimonium, *Eſai.*8. 20.

Obj. Atqui Laïci ſunt porci (ut dicunt Pontificii): porcis autem non ſunt objiciendæ margaritæ, *Matth.*7. 6.

Reſp. Non omnem Laïcum eſſe *porcum*, nec omnem Clericum eſſe *hominem*: hic enim per porcos intelliguntur deriſores; de quibus, *Pſal.* 1. *verſ.*1.

VIII. *Annon Verbum Dei, tranſlatum in alias linguas, retinet eandem auctoritatem divinam?*

Reſp. Etiam; verum, non *originariam*, ſed *derivatam*. Idcirco ſemper revocandæ erunt tranſlationes Scripturæ in linguas alias ad Verbum Dei ſcriptum in Hebræa & Græca lingua.

IX. *Quæ eſt auctoritas Verbi divini?*

Reſp. In eo conſiſtit, quod ſit immediate à Deo profecta, 2 *Tim.*3. 2. *Pet.*1. 21.

X. *Quomodo poteſt dici immediate, cum Deus uſus ſit Prophetis & Apoſtolis in illo propagando?*

Reſp. Immediate à Deo, quod ad *conſtitutionem*, non quod ad *promulgationem*; quia Deus uſus eſt mediis in ipſo promulgando: perinde ac princeps aliquis, qui ipſemet decreti alicujus auctor eſt, decretum iſtud curat promulgari per præcones.

XI. *Quidnam eſt, quod nobis perſuadeat, Verbum hoc à Deo eſſe profectum?*

Reſp. Extra Verbum eſt quoddam teſtimonium Spiritus Sancti. In Verbo vero quædam, quæ iſti Verbo inſunt.

XII. *Anne datur tale teſtimonium Spiritus Sancti?*

Reſp. Certe; ut liquet 1*Cor.*2. 12, 13. *Ioan.* 2. 27. *Ioan.*16. 13.

XIII. *Quod eſt illud Spiritus Sancti teſtimonium; Eſtne* ἔκστασις, ἐνθουσιασμός, *aut etiam illuminatio mentis noſtræ?*

Reſp. Non. ſed eſt lux quædam, mentem ita leniter perfundens, ut eam leniter afficiat, oſtendatque rationes ipſi rei inſitas, ſed antea occultas: exempli gratia, Hagar non vidit antea puteum in proximo, ſed poſtquam oculi ipſi adaperti ſunt, tum demum vidit puteum, *Gen.* 16.

XIV. *Quid vero reſp. Pontificiis ad argumentum, quod contra hanc doctrinam noſtram adferunt: Si,* inquiunt, *conſtet ex teſtimonio Spiritus Sancti, hoc Verbum, Dei eſſe Verbum, quæ ergo cauſa eſt, quod non omnes Evangelici in omnibus dogmatibus conſentiant, Lutherani Calviniſtas, Calviniſtæ Lutheranos impugnant?*

Reſp. Ratio hæc eſt, quod non eâdem menſurâ Spiritus Sanctus detur omnibus. Vide ad *Phil.*3. *v.*15. Attamen in fundamento omnes conveniunt, *Phil.*3. 16.

XV. *Quid vero reſpondes Pontificiis de circulo, quem putant nos committere in hac materia: Quærenti,* inquiunt, *quomodo Verbum internoſci poſſit? ſolenne nobis reſpondere eſt, Teſtimonio Spirit. Sancti: Et viciſſim quærenti, quomodo Spiritus Sancti et-*

cti teſtimonium agnoſcamus? Reſpondemus, Ex Verbo Dei?

Reſp. Non utimur teſtimonio Spiritus Sancti, ut *argumento*, ſed id tantum proferimus, dum profitemur cæcitatem noſtram, & cui acceptum debeamus, quod veritatem agnovimus: Quemadmodum ſi quis à ſapienti viro quærat conſilii, ſententiæ, aut aſſenſus ſui rationem; non proferet is quidem, tanquam argumentum, ſui animi motus, ſed inſita veritatis agnitæ argumenta. At vero, ſi ab eodem quæras, quomodo illa deprehenderit? reſpondebit, id omne à mentis luce profectum. Cujus auctorem, niſi omnino impius fuerit, Deum agnoſcet.

XVI. *Anno ergo ſe probabit ipſa Scriptura?*

Reſp. Ita; ſed non argumento externo, ſed interno, hoc eſt, ut in Scholis dici ſolet, non *auctoritative*, ſed *ratiocinative*, hoc eſt, quod ipſi talia inſint, ex quibus certe agnoſcitur Verbum eſſe Dei. Exempli gratia: Nobilis gemma probat ſe ipſam natura & proprietatibus inſitis; & vir ſapiens probat ſe ſapientiæ effectis, non à priori, ſed à poſteriori.

XVII. *Qualia vero iſta ſunt, quæ inſunt Scripturæ, eamque Verbum Dei eſſe oſtendunt?*

Reſp. 1 Cæleſtis ipſius doctrinæ majeſtas 2 orationis puritas, ſimplicitas & divinitas 3 partium omnium inter ſe conſenſio 4 admiratio in quam nos rapit 5 ipſorum librorum antiquitas: 6 tot ac tam inſignia miracula 7 vindicatio divina horum librorum contra rabiem hoſtium 8 mirabile prophetiarum complementum 9 conſenſus Eccleſiæ 10 ſanguis Martyrum 11 ipſorum denique ſcriptorum naturalis & humana conditio.

XVIII. *Quid ergo de Eccleſiæ teſtimonio judicandum, Annon ab illo dependet quoad nos auctoritas Verbi divini?*

Reſp. Non. Nam non jubemur credere Eccleſiæ, niſi cum Scriptura conveniat. Vide de hoc, *Deut.* 17. *v.* 9, 10. & *Eſai.* 8. *v.* 20. & paſſim.

XIX. *Quid ergo Eccleſia habet præ privato homine; namque etiam privato obedire debemus, cum Scriptura loquenti?*

Reſp. Plurimum differt: Privatus enim facit ex *officio*; Eccleſia vero ex *auctoritate*. Hæc autem plurimum inter ſe differunt: Nam gravius peccatur in eum, qui aliquid facit ex auctoritate, quàm qui ex officio. Si privatus moneat aliquem de re aliqua fugienda, minus peccat admonitus, ſi non obtemperet iſti, quam ſi non obtemperet apparitori à magiſtratu miſſo: & ratio eſt, quia privatus facit tale quid ex officio; apparitor, ex auctoritate.

XX. *Quid ergo reſpondes ad Argumentum illud, quod Pontificii perpetuo in ore habent, ex* 1 Tim. 3. v. 15, *ubi Eccleſia vocatur columna & fundamentum veritatis?*

Reſp. Columna dupliciter capitur, vel ut ſit columna *Architectonica*, vel *Politica*. Eccleſia non eſt *Architectonica* columna, namque Eccleſia eſt ſuperſtructa ſuper fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum, *Eph.* 2. 20, 21. Ergo relinquitur, ut ſit columna *Politica*, hoc eſt, quemadmodum ad columnas Politicas affigi ſolent decreta & ſententiæ Principum, ita Deus voluit Verbum ſuum ſonare in Eccleſia.

XXI. *Quid vero reſpondes ad illud, quo Pontificii, tanquam firmiſſimo Argumento utuntur: Auguſtinus*, inquiunt, *dicit*, Ego vero non crederem Evangelio, niſi me Eccleſiæ moveret auctoritas.

Reſp. Evangelium ſe duobus poteſt commendare modis, vel ipſa inſita veritate: continet enim omnia, quæ faciunt vel ad comparandam animo quietem & tranquillitatem, vel ad acquirendum ſenſum veræ pietatis: ſed hoc argumentum infirmioribus non uſque adeo obvium eſt. Itaque huc accedit Eccleſiæ auctori-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

tas, quia commoventur; ut, cum vel pietate eorum qui profitentur veram religionem, vel etiam propenſis argumentis divinæ providentiæ in Eccleſiæ ſuæ reſtauratione, vel reſtauratæ conſervatione, adducantur, ut agnoſcant hic eſſe digitum Dei. Breviter; Auctoritas Eccleſiæ, qua movetur aliquis, ut credat Evangelio, non eſt *imperium* & jus quoddam, ſed Eccleſiæ *dignitas*, magnis & illuſtribus providentiæ divinæ notis in Eccleſia conſervanda comprobata.

XXII. *Quid eſt perfectio Scripturæ?*

Reſp. Nihil aliud, quam quod Scriptura ſit ſufficiens, quoad omnia dogmata fidei & præcepta morum.

XXIII. *Quomodo probatur hoc, quod Scriptura ſit perfecta?*

Reſp. Patet hoc, *Deut.*4.*v.*2. *Pſal.*19.8. *Ioan.*20.31. 2 *Tim.*3.16. Probatur quoque, quia eſt regula fidei. vide, *Gal.*6.16. & *Phil.* 3.16. Omnis autem regula adeo perfecta eſt, ut nullam diminutionem vel adjectionem admittat; alioquin non eſſet regula.

XXIV. *Dum dicis, Scripturam eſſe perfectam, ſive omnia perfecte continere, quæ ad ſalutem ſcitu neceſſaria; Anne hoc intelligitur ita, quod omnia per expreſſum contineat?*

Reſp. Nequaquam; Nam quædam per *expreſſum* continet; quædam, *implicite*.

XXV. *Sed forte illa, quæ implicite continet, & per bonam conſequentiam deducuntur, non ſunt ſcitu ad ſalutem neceſſaria?*

Reſp. Imo quædam talia ſunt; ut, *Matt.*22. *v.*31, 32. & 34.35. *Rom.*10.5,6,7,8,9,10.

XXVI. *Forte ea ratio fuit Veteris Teſtamenti: At Novi Teſtamenti alia ratio eſſe videtur; Nam quæ implicite continebantur in Veteri Teſtamento, illa per expreſſum tradita ſunt à Chriſto & Apoſtolis in Novo Fœdere?*

Reſp. Omnino falſum hoc; Nam ubi per expreſſum legitur in Scriptura, quod mundus ex nihilo ſit factus? Ubi hoc legitur per expreſſum, quod in una eſſentia divina ſint tres perſonæ? Ubi de hoc per expreſſum, quod Chriſtus ſit incarnatus? Quod in ipſo duplex natura, divina & humana? Quod Deo Patri pro noſtris peccatis ſatisfecerit? Quod nobis vitam æternam ſit meritus? Et tamen hæc omnia ad ſalutem ſcitu ſunt neceſſaria.

XXVII. *Anne illa, quæ per conſequentiam ex Scriptura deducuntur, ſunt ejuſdem auctoritatis cum illis, quæ per expreſſum habemus?*

Reſp. Utique. Hinc Chriſtus, quod per conſequentiam deduxit, *Matth.*22, ex Scripturis, vocat Scripturas, *verſu* 29. & *Act.* 2, Petrus quod deduxit per bonam conſequentiam ex Propheta Davide, illud dicit locutum eſſe Davidem, *verſ.*31. Prout ad *Rom.*10, quod Paulus deduxit per bonam conſequentiam ex Moſe, illud Moſen dicit dicere, *v.* 5,6,7,8,9,10.

XXVIII. *Dixiſti, quod quædam, quæ ſcitu ſunt neceſſaria ad ſalutem, non niſi per bonam conſequentiam ex Scriptura deducantur. Quomodo ergo hæc poterunt ſciri ab hominibus idiotis: Certe, quæ ſunt ſcitu neceſſaria ad ſalutem, non tantum à doctis, ſed & ab indoctis cognoſci debent?*

Reſp. Duplex eſt conſequentiarum genus, unum *remotum*, quod difficulter cognoſcitur (nempe hic ita comparatum eſt, quemadmodum oculus è longinquo videns, minus bene videt, aut plane non videt). Alterum vero *proximum* (nempe quemadmodum oculus videt, quæ proxima ſunt): hoc genus conſequentiæ capiunt idiotæ; alterum non item.

XXIX. *Anne ergo ea quæ ſcitu ſunt neceſſaria ad ſalutem, quæque non continentur per expreſſum in Scriptura, ita ſunt comparata, ut conſequentia proxima deduci poßint?*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Reſp. Utique. Quod inductione probari poteſt; & quod (Deo volente) in ſingulis articulis probaturi ſumus.

XXX. *At in conſequentia intelligenda, opus eſt ratione; myſteria autem Scripturæ libera ſunt, ut ab argumentis philoſophicis, ita etiam à ratione?*

Reſp. Opus eſt ratione ad intelligendam conſequentiam, eo modo, quo opus eſt ratione ad intelligendam Scripturam, non ut *argumento*, ſed ut *inſtrumento*, quo ſcilicet percipi poſſit Scriptura; hinc homines ratione deſtituti, & infantes, Scripturæ non ſunt capaces.

XXXI. *Fuitne perfecta Scriptura, dum tantum libri quinque Moſis eſſent propoſiti?*

Reſp. Utique. Nam Spiritus Sanct. noluit, ut ab iſta Scriptura vel dextrorſum, vel ſiniſtrorſum diſcederetur; ut liquet ex locis citatis pro perfectione Scripturæ.

XXXII. *Ad quid ergo ſcripta Prophetarum, itemque N. T. ſunt?*

Reſp. Duplex eſt Scripturæ perfectio; una quæ vocatur *eſſentialis*, quæque conſiſtit in omnibus dogmatibus Fidei neceſſariis & præceptis morum: & hæc perfectio fuit, cum quinque libri Moſis traditi eſſent. Altera autem perfectio eſt *accidentalis*, quæ conſiſtit in perſpicuitate, quæ certe perfectio eo gradu non fuit tum temporis, cum libri quinque Moſis dati ſunt, ſed facta eſt & acceſſit, poſtquam ſcripta Prophetarum & Apoſtolorum acceſſerunt; quamvis N. T. ſcripta in modo etiam varient à ſcriptis V. T. Quia V. T. ſcripta promittebant Chriſtum exhibendum. N. T. docent Chriſtum jam exhibitum, *Rom.* 1. 1, 2, 3. Vetus Teſtamentum eſt fundamentum Novi; Novum vero Veteris complementum.

XXXIII. *Quid vero reſpondendum putas ad Argumentum, quo aliqui probant, Scripturam non eſſe perfectam, eo quod multi libri Canonici perierint; ut videtur liquere ex* 1 Reg. 4. 32, 33?

Reſp. Quod canon & perfectio Scripturæ non æſtimetur ex multitudine librorum, ſed ex ſufficientia dogmatum & præceptorum morum, ea perſpicuitate traditorum, ut ab hominibus piis percipi poſſint. 2. Libri ſunt ſcripti vel à Propheta qua homine, vel qua Propheta: ex prioribus perierunt quidam libri, non ex poſterioribus.

XXXIV. *Quæ eſt Scripturæ perſpicuitas?*

Reſp. Eſt qualitas Scripturæ, ſecundum quam in ſe & hominibus perſpicua eſt, *Pſal.* 19. 9: 119. 105. 2 *Pet.* 1. 19.

XXXV. *Annon dividitur iſta perſpicuitas à Theologis?*

Reſp. Utique. diſtinguitur enim in *objectivam*, ſecundum quam hominibus eſt perſpicua: & *ſubjectivam*; ut, 1 *Cor.* 2. 15. ſecundum quam in ſe ipſa eſt perſpicua.

XXXVI. *Eſtne in ſe ipſa perſpicua Scriptura?*

Reſp. Utique ſumme perſpicua eſt. Hinc in Scriptura comparatur Luci, *Pſal.* 19. 9. Candelæ, *Pſal.* 119. 105. Vocatur Lumen, 2 *Cor.* 4. 3. 2 *Pet.* 1. 19.

XXXVII. *Eſtne hominibus æque perſpicua ac in ſe?*

Reſp. Neutiquam. Idque non vitio ſuo, ſed vitio hominum, qui lucem iſtam tantam non capiunt, eo quod aut mens eorum cæca ſit, aut ſi mens videat (quod in regenitis contingit), ex parte videat: hinc illud, 1 *Cor.* 13, *Ex parte cognoſcimus.*

XXXVIII. *Quæ eſt illa diſtinctio, quando diſtinguitur Scriptura à re ipſius Scripturæ; & dicitur* Scriptura perſpicua, *ſed non ſemper* res Scripturæ?

Reſp. Utiliſſima eſt diſtinctio; quia hoc vult Spiritus Sanctus, quod dicit de rebus abſtruſis in Scriptura, hoc eſſe perſpicuum, ſed non omnia dicere, verum ea tantum, quorum capaces ſumus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ſumus, & quæ nobis ſcire expedit: verbi gratia, de Trinitate quæ agit, perſpicue agit; ſed non omnia agit, quia omnium non ſumus capaces, ſed quorum ſumus capaces, & quæ ſcire expedit.

XXXIX. *Eſtne Scriptura omnibus perſpicua?*

Reſp. Nequaquam; ſed ſolis fidelibus, 1 *Cor.* 2. 15. Quod irregenitis non ſit perſpicua, probatur, 1, Ex 1 *Cor.* 1. 22, 24. Si enim externe vocatis eſt offendiculo; Ergo ſolis fidelibus eſt perſpicua ſalutariter. Conſequentia certa; nam qui ſalutariter cognoſcunt, illis non eſt ſtultitia. Probatur, 2, Ex 2 Cor. 4. v. 3, 4, *Quia opertum eſt Evangelium iis, qui pereunt.* Atqui ſoli infideles pereunt. Ergo.

XL. *Atqui etiam homines irregeniti norunt Legem, cum Lex ſit ſcripta in cordibus ipſorum*, Rom. 2. *Item aliqui ſaltem norunt doctrinam Evangelii, ut liquet*, 2 Pet. 2. 20. *&* Hebr. 10. 26.

Reſp. Quod ad doctrinam legis attinet, norunt legem *materialiter*, non *formaliter*, hoc eſt, norunt quidem præcepta, ſed finem præceptorum non norunt. vide de hoc, *Rom.* 9. 31, 32. 2. Neque ipſa præcepta norunt cognitione quæ eſt *ſalutaris*, ſed cognitione *dijudicativa*; & hinc etiam fit, ut contra ac ſciunt, faciant. 3. Ne præcepta quidem ſciunt, illi præſertim, quibus Scriptura non innotuit; & hinc tribuitur ipſis ignorantia Legis, *Epheſ.* 4. *v.* 18. Quod ad Evangelium attinet, illi qui non audiverunt Verbum Dei, plane illud ignorant: qui vero audiverunt, illi quidem convinci poſſunt de veritate ejus, ſed perſuaderi illud ipſis non poteſt; hinc tribuitur ipſis cognitio qua convinci poſſunt, non ex qua ipſis perſuadeatur, ut loca iſta, quæ allegata ſunt, teſtantur.

XLI. *Quomodo Scriptura fidelibus eſt perſpicua?*

Reſp. In tantum, in quantum ipſis ſufficit ad ſalutem, *Ioan.* 20. 30. Nam Scriptura data eſt eo fine, ut nos ſapientes poſſit reddere ad ſalutem, per fidem, quæ eſt in Chriſto Jeſu, 2 *Tim.* 3. 15. Eſt regula tum *Fidei*, tum *vitæ*, *Luc.* 16. 29. 2 *Pet.* 1. 19. *Pſal.* 102. 19. *Rom.* 15. 4. 2 *Tim.* 3. 16.

XLII. *Eſtne eodem pacto perſpicua Scriptura omnibus fidelibus?*

Reſp. Neutiquam; ſed aliis magis, aliis minus. Certe magis perſpicua eſt Scriptura hominibus N. T. quam V. T. hinc Chriſtus ad hoc reſpiciens, *Matth.* 11. 11, dicit: Qui minimus eſt in regno cælorum, major eſt Joanne Baptiſta. 2. Magis perſpicua in N. T. eſt illis, qui vocantur adulti, quam infantibus, 1 *Cor.* 3. 1, 2. *Heb.* 5. 13, 14.

XLIII. *Si Scriptura eſt perſpicua, quæ cauſa eſt, quod non omnes illam capiant?*

Reſp. Cæcitas hominum, 2 *Cor.* 4. 3.

XLIV. *Cur ergo aliqui homines illam intelligunt?*

Reſp. Deus hoc ipſum illis revelat, *Matth.* 11, 25, 26. *&* 13. 11.

XLV. *Si Scriptura eſt perſpicua, ad quid opus eſt interpretatione?*

Reſp. Ita quidem eſt; perſpicua eſt fidelibus, ſed non ſine mediis: medium autem eſt interpretatio Scripturæ. 2. Hoc ſciendum eſt, non omnem partem Scripturæ egere interpretatione; nam quædam ita clara ſunt, ut plane non egeant: idque inde liquet, quia, cum Scriptura per Scripturam explicanda eſt, oportet aliquam eſſe ita claram, ut non egeat aliqua interpretatione; niſi velimus admittere proceſſum in infinitum.

XLVI. *Quis eſt ille interpres Scripturæ, ad cujus interpretationem acceptandam per conſcientiam ſumus obligati?*

Reſp. Ille qui eſt auctor Scripturæ, hoc eſt, Spiritus Sanctus, *Eſai.* 59. *v.* 21. Neque enim quiſquam melius Scripturam explicare poteſt,

teſt, quam ille, qui eſt auctor ejus, *2 Pet.* 1. *v.*20,21.

XLVII. *Quomodo vero hoc facit Spiritus Sanctus?*

Reſp. Utique hoc facit per Scripturam, hoc eſt, illuminat mentes noſtras, ut videamus loca Scripturæ alia, quæ alia explicant.

XLVIII. *Quid vero judicas de Eccleſiæ aut Patrum interpretatione?*

Reſp. In illa conſcientia noſtra acquieſcere non poteſt, niſi conſentiat cum Verbo Dei; omnia enim probanda,& quod bonum retinendum, 1 *Theſſ.*5.21. Ergo non creditur illis, niſi in quantum cum Verbo Dei conſentiunt illorum interpretationes.

XLIX. *Anne media aliqua ſunt adhibenda ad interpretationem Scripturæ?*

Reſp. Utique.

L. *Quæ illa ſunt?*

Reſp. Primum, analogia Fidei, hoc eſt, omnis interpretatio dicitur convenire cum analogia Fidei, ſi illa interpretatio bona ſit.

LI. *Quæ eſt illa analogia Fidei?*

Reſp. Eſt nihil aliud, quam conſtans & perpetua ſententia Scripturæ in apertis locis & minime obſcuris, quales ſunt articuli Fidei in Symbolo, quæque continentur in Oratione Dominica, & in toto Catechiſmo; ſingulæ enim partes Catechiſmi totius apertis Scripturæ locis confirmari poſſunt.

LII. *Anne iſta analogia Fidei ſit ſufficiens medium ad explicandam Sacram Scripturam?*

Reſp. Neutiquam; quia poteſt aliqua explicatio eſſe analoga Fidei, quæ tamen non eſt analoga contextui, hoc eſt, poteſt explicatio aliqua non peccare in analogiam Fidei, & tamen non quadrare ad textum: hinc fit, ut de uno loco multæ ſint explicationes, quæ non pugnant cum analogia fidei, quarum tamen una tantum textui conveniens eſt; plus uno enim verum eſſe nequit.

LIII. *Quæ ſunt reliqua iſta media?*

Reſp. Iſta. 1. Ad lectionem & meditationem S. Scripturæ accedendum eſt, cum hac perſuaſione, quod quicquid in ea traditur, verum ac ſanctum ſit, cum auctorem habeat Deum, qui verax & ſanctus eſt. 2. Accedendum item cum deſiderio veritatem cæleſtem cognoſcendi. Rationes autem tales eximias refert D. Piſcator in Exeg. *Loc.*2, de S. Scriptura, *Aphor.*16.

LIV. *Anne iſta media ſingula facere poſſunt ad quamvis Scripturam explicandam?*

Reſp. Neutiquam; nam quædam adhibenda ſunt ad hæc, alia ad alia, nonnulla ſimul ſumpta ad quædam.

LV. *Poſtquam egiſti de Scriptura, oſtende mihi, an etiam aliquid operetur iſta Scriptura?*

Reſp. Certe; ut liquet, *Hebr.*4.12. Vivus enim eſt ſermo Dei & efficax, & penetrantior quovis gladio ancipiti, & pertingit uſque ad diviſionem animæ ſimul ac Spiritus, compagumque & medullarum: & dijudicat cogitationes & conceptus cordis.

LVI. *Sed qualis eſt iſte modus operandi?*

Reſp. Moralis; qui conſiſtit in docendo, redarguendo, & corrigendo. *Realis* modus agendi apud Logicos dicitur, qui conſiſtit in hoc, ut rem efficiat, & res neceſſario ſequatur, ſi non impediatur aliunde; ita dum ignis in ligna agit, realiter agit: *Moralis* vero modus agendi conſiſtit in hoc, quod non faciat aliquid, ſed quod impellat aliquem ad agendum, præcipiendo, docendo; qui modus agendi Scripturæ eſt.

LVII. *Annon per Scripturam regignimur? videtur enim tribui Scripturæ,* 1 Pet.1.23.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Reſp. Regeneratio eſt opus proprium Dei, non minus quam creatio; dum ergo tribuitur Verbo Dei, perinde tribuitur ac Diſcipulis miracula, qui quidem nihil conferebant ad illa præſtanda; nam miracula opus ſolius Dei ſunt, ſed tamen tribuuntur illis, quia non ſine interventu ipſorum fiebant. Ita & regeneratio tribuitur Verbo Dei, quia non eſt ſine interventu Verbi Dei.

LOCUS II.

De partibus Sacræ Scripturæ in genere.

In ſpecie vero

DE LEGE.

EGimus hactenus de Scriptura, jam nobis agendum de partibus Scripturæ.

QUÆSTIO I.

Quot ſunt partes S. Scripturæ?

RESP. Duæ; *Lex*, & *Evangelium*, Joan. 1. *verſ.* 17. Hoc autem totum Lege & Evangelio continetur.

II. *Quid eſt Lex?*

Reſp. Lex eſt doctrina à Deo, *Exod.* 20. 1, 2. cum per Angelos, *Act.* 7. 53. *Gal.* 3. 19. tum per Moſen data, *Ioan.* 1. 17. *Gal.* 3. 19. Populo Iſraëlitico, *Pſal.* 119. 19, 20. qua teſtatus eſt, quomodo ab illis coli velit, *Deut.* 12. *verſ.* 32.

III. *Quomodo dividitur Lex?*

Reſp. Dividitur vulgo in Moralem, Ceremonialem, & Judicialem, *Deut.* 5. *verſ.* 37. *Rom.* 9. *verſ.* 4.

IV. *Quid ſunt Leges Morales?*

Reſp. Morales Leges ſunt de moribus ſeu officiis ſingulorum perpetuis, cum erga Deum, tum erga proximum.

V. *Vbinam iſtæ Leges proponuntur?*

Reſp. Summa iſtarum continetur in Decalogo, *Exod.* 20. 1. *Deut.* 5. 6. Explicationes ſparſæ ſunt per Moſis & Prophetarum ſcripta.

VI. *Sed, annon Chriſtus legem Moſis correxit & perfectiorem reddidit?*

Reſp. Neutiquam. Id quod oſtenditur ex eo. 1. Quod agens de lege Paulus, ex qua cognoſcitur peccatum, nullam aliam alleget, niſi legem Moſis, *Rom.* 3. 20. 2. Quod agens de operibus legis, nulla alia ponit, niſi quæ ſunt ex lege Moſis, *Rom.* 10. 3. 3. Quod agens de execratione Legis, qua nos Deus redemit, nullius alius mentionem facit, quam legis Moſis, *Gal.* 3. 10, 11, 12, 13.

VII. *Quid eſt ergo, quod* Matth. 5, *dicitur: Audiſtis dictum fuiſſe veteribus, non occides?* à verſu 21, uſque ad 45.

Reſp. Chriſtum ibi agere de corruptelis Phariſæorum, & Legem ab ipſis vindicare. Quod his probamus Argumentis. 1. Quia reprehendit ibi ſententias iſtas, quas ibi refert. Atqui Moſen nunquam reprehendit. 2. Quia juſtitiam, quam ibi dicit proficiſci ex iſtis, quæ ibi refert, non vocat juſtitiam Legis, ſed Scribarum & Phariſæorum. Quod vero dicitur, *dictum veteribus*; hoc ipſo oſtenditur, ipſum neque hic agere de Lege Moſis, ſed de traditionibus Phariſæorum; nam alioquin Chriſtus non dixiſſet, *audiſtis dictum*, ſed, *audiſtis ſcriptum.*

VIII. *Eſtne idem finis Legis Moralis in ſtatu lapſus & reparationis, qui fuit in ſtatu integritatis?*

Reſp. Neutiquam; in ſtatu enim integritatis hunc finem habuit, ut ex Lege juſtificaretur homo: in ſtatu autem lapſus, tam in regenitis, quam in irregenitis finis eſt agnitio peccati, *Rom.* 3. 20. finis legis eſt caritas, 1 *Tim.* 1. 5. Porro finis mandati, eſt caritas ex mundo corde, & conſcientia bona, & fide minime ſimulata.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

IX. *Atqui dicitur*, Lex juſto non eſt poſita, 1 *Tim.* 1. 9.

Reſp. Non eſt ipſi poſita ut *puniatur*, ſed ut *dirigatur*; ſeu, non poſita ipſi ad *pœnam* ſive *maledictionem*, Gal. 3. 16. Rom. 8. 1. ſed *directionem*, quæ perpetuo manet, 1 *Cor.* 13. 8.

X. *Imo vero dicitur in Scriptura, quod non ſimus ſub Lege*, Gal. 5. 18.

Reſp. Ambiguitas in voce ſive phraſi *eſſe ſub Lege*: vel enim *eſſe ſub Lege* opponitur *Gratiæ*; & ſic notat nihil aliud, quam eſſe ſub maledictione Legis: aliquando vero ſignificat abſolute eſſe ſub Lege; & ſic nihil aliud ſignificat, quam ſubjectum eſſe Legi. Vide de ſignificato priori, *Rom.* 6. *verſ.* 14. de poſteriori, *Rom.* 8. *verſ.* 7.

XI. *Atqui tamen dicitur, Liberati ſumus à lege, imo Lex dicitur abrogata, à Theologis.*

Reſp. Lex Moralis æterna eſt, ideoque recte abrogata dici non poteſt, etſi interim verum ſit, fideles ab illius cum maledictione, tum rigida exactione, per Chriſtum eſſe liberatos,

XII. *Suntne omnia præcepta eadem?*

Reſp. Non ſunt omnia eadem. Nam ſunt, 1, Alia, quæ concernunt omnes & ſingulos; alia vero, quæ quoſdam tantum: ita præceptum, 1, 2, 3, 4, generalia ſunt præcepta; At vero quintum præceptum non eſt generale, ſed ſpeciale. 2, Diſtinguuntur præcepta ex fine, quod alia ſunt *obedientiæ*, quæ ſcil. Deus eo fine dat, ut ipſi obediatur: alia ſunt *explorationis*, quæ ſcilicet Deus dat eo fine, non ut fiant, ſed ut homines explorentur: Quale præceptum erat illud, quod datum erat Abrahamo de immolando filio: Alia ſunt *convictionis*, quæ eo fine dantur, ut homines ſuæ malitiæ convincantur, quale illud erat datum Pharaoni de dimittendis Iſraëlitis. 3, Et alia ſunt *indulgentiæ*: alia vero *imperii*: Eſt autem hoc diſcrimen inter hæc, quod quæ ſunt mandata indulgentiæ, illa ſi faciamus, non peccemus; ſi non faciamus, itidem non peccemus: tale mandatum eſt de uxore dimittenda, ſi adultera ſit: Præceptum vero imperii non poſſumus tranſgredi, quin peccemus; talia ſunt quæ in Decalogo continentur. 4. Sunt quædam præcepta *negativa*; quædam *affirmativa*. Alia autem eſt ratio præceptorum, quæ locutionibus affirmativis efferuntur; alia, præceptorum quæ formulis negativis proponuntur. Nam horum hæc eſt ratio, ut ſint perpetua; illorum non item (de virtute, inquam, ſermonis, ut loquuntur Scholaſtici): nam fieri poteſt, ut quædam præcepta formula affirmativa concipiantur, quæ eadem ſunt perpetua, ſed rem ita ſe habere colligitur, non ex vi formæ, ſed ex vi materiæ: ut, verbi gratia, jubemur erogare eleemoſynam, non eſt hoc præceptum perpetuum, neque enim omni loco, vel omni tempore, vel omnibus, vel ab omnibus poteſt erogari eleemoſyna.

XIII. *Eſtne hæc Lex perpetua Moſis?*

Reſp. Certe ita eſt; ut ex ſumma Legis colligi poteſt, *Marc.* 12. 29, 30, 31.

XIV. *Sed annon eſt alia aliqua Lex Evangelii, quandoquidem Spiritus Sanctus*, Rom. 3. v. 27, *teſtatur talem aliquam eſſe?*

Reſp. Nequaquam. Abuſive enim dicitur doctrina Evangelii & Fides, Lex, non quod Fides proprie ſit Lex, ſed quia Evangelium ſectatoribus juſtitiæ legalis, niſi perire velint, in locum Legis ſubrogandum eſt: ita *Ioan.* 6, dicit Chriſtus, Fidem eſſe opus Dei; non quidem innuens, Fidem eſſe opus, ſed oſtendens tantum, Fidem eſſe, quia illi potius, quam operibus, niti deberent.

XV. *Atqui ſunt multa opera, quæ Lex non præcepit, ut pœnitentia ſalutaris, uſus Sacramentorum, & quæ talia.*

Reſp. Eorum, ad quæ Lex Dei nos adſtringit, duo ſunt genera. Quædam debentur abſolute ab omnibus, & omni tempore, imo & ab iis, quibus Lex Moralis per Moſen tradita non innotuit, qualia ſunt, amare Deum & proximum; horum enim cognitione Adam erat induitus ante lapſum, & hæc præſtare tene-

batur: Sed quædam ſunt, ad quæ obſervanda tum demum Lege adſtringimur, quando actu jubemur, & eorum cognoſcendorum nobis à Deo facta eſt copia; ſic Iſraëlitæ non tenebantur egredi ex Ægypto, antequam Moyſes miſſus fuiſſet; attamen ſi quis non paruiſſet, quando Deus id præcepit, merito violator dici potuiſſet. Ita ſe habet Fides in Chriſtum, pœnitentia ſalutaris, uſus Sacramentorum.

XVI. *Quomodo iſta regula Theologorum intelligenda eſt de Lege Morali, cum dicunt, Lex una eſt copula?*

Reſp. Hoc explicat Spirit. Sanctus, *Iac.* 2. 10. Quiſquis enim totam Legem ſervaverit, impegerit autem in uno, damnas factus eſt omnium.

XVII. *Quomodo hoc intelligendum, quod qui reus ſit unius præcepti, damnas ſit omnium?* Jac. 2. 10.

Reſp. Senſus eſt, Qui offendit in uno, illum reum eſſe factum omnium; nempe quod ad evitandam Dei maledictionem, & obtinendam vitam æternam, attinet: non autem quod reus ſit omnium quod ad pœnas, quæ ſingulis peccatis debentur; ad illa enim reſpicit hoc dictum, Qui fecerit hæc, vivet in illis; qui non permanſerit in omnibus, maledictus erit.

XVIII. *Annon Lex perfecte poteſt præſtari?*

Reſp. Plane non; nam ut docetur, 1 *Reg.* 8. *v.* 46, non eſt in terra, qui non peccet. & *Eccleſ.* 7. 20, Non eſt juſtus qui non peccet. Docet hoc præterea doctrina de juſtificatione, nam Spirit. Sanctus docet, ex operibus legis neminem juſtificari: *Gal.* 2. 21. *Rom.* 3. 20.

XIX. *Ad quid ergo proponitur?*

Reſp. Eo, ut ſciamus quid debeamus, & quid noſtri ſit officii: non autem ut oſtendatur quid poſſimus.

XX. *Qua ratione hoc accipiendum, quod dicitur,* 2 Cor. 3. v. 7, *Lex eſt miniſterium mortis?*

Reſp. Quia nihil agere poteſt apud homines perditos & condemnatos, quam augere & intendere deſperationem: ut, ſi quis ægrum ita ſoletur, ut prædicet laudes firmæ & integræ valetudinis, contraque exaggeret ſignificantibus verbis miſeriam iſtorum, qui coguntur decumbere & conflictari cum lethali morbo. Ac talis eſt doctrina Legis, ſolos enim prædicat beatos, qui non ſunt peccatores, reliquos, quotquot ſunt & quicunque ſunt, denuntiat non modo miſeros, ſed etiam maledictioni obnoxios.

XXI. *Quare ergo Lex vocatur litera?* 2 Cor. 3. 6.

Reſp. Quia Lex habet quædam, quod ad præcepta attinet, illuſtria & conſentanea rationi.

XXII. *Quorſum vero iſtud, hoc eſt, quo conſilio appellat Spiritus Sanctus literam?*

Reſp. Ut moneret, in hominibus mortuis, Legem nullam habere vim ad eos commovendos, ut ea præſtent, quæ in Lege præſcripta ſunt. Quo Apoſtolus reſpexit, *Rom.* 8, ubi docet, quid Legi impoſſibile, & cujus vitio Legi id fuerit impoſſibile; nempe non vitio Legis, quæ juſta & ſancta eſt, ut docetur, *Rom.* 17. Sed vitio carnis, hoc eſt, vitio naturæ corruptæ & depravatæ: Nam Lex eſt inſtar cibi; porro cibi non eſt curare ægritudinem, ſed ſanitatem conſervare; imo vero cibi, niſi adhibeantur loco & tempore, fiunt noxii, nullo ciborum vitio, ſed illius morbo, cui offeruntur.

XXIII. *Quænam ſunt in præceptis conſideranda potiſſimum, ut eorum ſenſum aſſequamur?*

Reſp. Sciendum eſt, præcepta illa maxima ex parte eſſe ſynecdochice concepta, ita ut cum interdictis vitiorum, mandata contrariarum virtutum; & contra, una cum mandatis virtutum, interdicta contrariorum vitiorum; itemque ex ſpecie una univerſum genus: denique una

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

una cum factis externis conſilia & cupiditates internæ, nec non occaſiones & cauſæ impulſivæ ſimul ſint intelligendæ.

XXIV. *Annon Deus aliquando contraria præcepit Decalogi præceptis?*

Reſp. Certe quibuſdam; ita Deus prohibuit in Decalogo res alienas auferre, & interim tamen juſſit Iſraëlitas ab Ægyptiis mutuo petere aurum & argentum, ſibique retinere, *Exod.* 12. 35. Itemque prohibuit homicidium in Decalogo, & tamen juſſit, Abrahamum immolare filium ſuum, *Gen.* 22. 2.

XXV. *Ergone Deus poteſt contraria jubere præceptis Decalogi?*

Reſp. Poteſt; ſed non omnibus: ſunt enim quædam quaſi naturalia præcepta, quibus contrarium Deus nunquam jubet; & talia ſunt præcepta, 1, 2, 3, 7, 9.

XXVI. *Annon Deus aliquando diſpenſat de peccatis?*

Reſp. Nequaquam. Nam diſpenſat ille, qui Legem tulit & ignoravit, quod hæc ipſa Lex non poſſit aut prorſus omnibus accommodari, aut æqualiter.

XXVII. *Atqui videtur tamen Deus de illa Lege diſpenſaſſe, quam tulit in Paradiſo,* Quocumque die comederis, morte morieris; *namque hoc effectum ſuum non obtinuit in fidelibus hominibus, imo in ipſo Adamo.*

Reſp. Hæc non erat diſpenſatio, ſed Legis ex mente Dei explicatio: neque enim Deus omnia expreſſit, quæ ad Legis perfectam intelligentiam pertinebant; namque hoc modo Lex intelligenda fuerat ex mente Dei, Quo die comederis, morte morieris, ſive infidelis in propria perſona, ſive electus in Chriſto Vade & Redemptore.

XXVIII. *Quid ſunt Leges Iudiciales?*

Reſp. Leges judiciales ſunt de jure contractuum & pœnis eorum qui deliquerint, in hunc finem latæ, ut juſtitia inter cives, & tranquillitas vigeat publica, & Leges Dei cum Morales, tum Cerimoniales, à contemptu vindicentur.

XXIX. *Suntne Iudiciales Leges abrogatæ?*

Reſp. Leges judiciales ſunt duplices; quædam quæ erant *peculiares* populo Iſraëlitico, quales fuerunt de Aſylo, Jubilæo, ſervorum emancipatione, & id genus aliæ. Quædam vero ſunt *communes* omnibus, neque oriuntur ex aliqua cauſa peculiari pertinente ad ſolos Iſraëlitas; *priores* ſunt abrogatæ; *poſteriores*, non item.

XXX. *Ergone putas, Leges ſufficientes dari in Scriptura, ex quibus omnes controverſiæ Politicæ decidi poſſint?*

Reſp. Utique; Neque ſtatuendum eſt, quod Deus, qui officia privatis præſcripſit, quomodo ſe in omni vitæ curſu gerere debeant ex parte, itemque illis, qui in œconomia vivunt, cenſendus erit ita neglectim habuiſſe Magiſtratum & judices, ut illos quoque non inſtruxerit, quomodo ipſis procedendum ſit in controverſiis his vel illis decidendis, in hoc vel illud præceptum delinquentibus puniendis.

XXXI. *Anne debeant omnes controverſiæ, quæ agitantur apud Iudices, ex Verbo Dei decidi?*

Reſp. Certe; Nam non de nihilo Deus judicibus ſufficientes in Scriptura Leges propoſuit.

XXXII. *Forte ſunt aliquæ controverſiæ, quæ jam emergunt, quæ olim non fuerunt, atque adeo opus eſt forte aliis legibus?*

Reſp. Ita Deus proſpexit, ut Leges contra omnia vitia fuerint, & ſint.

XXXIII. *Quid ſunt Leges Cerimoniales?*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Reſp. Non poteſt reſponderi ad hanc quæſtionem, antequam diſtinguantur Leges. Sciendum ergo eſt, Leges Cerimoniales fuiſſe duplices; quædam quæ pertinebant ad ordinem ſervandum in Eccleſia; quædam vero pertinebant ad doctrinam de ſacrificiis, & id genus aliis umbris & typis Chriſti.

XXXIV. *Suntne ejuſdem generis iſtæ Leges?*

Reſp. Non; Nam prius genus conſtituit per ſe ſpeciem legis contradiſtinctam Legi Morali & Judiciali: Poſterius autem genus proprie dicendo non pertinet ad doctrinam Legis; ſed Evangelii; ut liquet ex eo, quod doctrina de Sacerdotibus, ſacrificiis, & id genus aliis typis, erat doctrina de Chriſto. Hæc autem omnia præſignificabant Chriſtum. vide *Hebr. à cap.* 7, *uſque ad* 11.

LOCUS III.
De Evangelio.

ACtum eſt de una parte Scripturæ S. nempe de Lege; jam nobis agendum de altera, nempe de Evangelio.

QUÆSTIO I.
Quid eſt Evangelium?

RESP. Evangelium eſt doctrina de gratia & reconciliatione noſtri cum Deo per & propter Chriſtum, de imputatione Juſtitiæ Chriſti, remiſſione peccatorum, ſanctificatione ſeu regeneratione per Spirit. Sanctum, atque ita de converſione ad Chriſtum, reſipiſcentia, & vita æterna gratis danda per & propter Chriſtum credentibus.

II. *Quare Evangelium miniſterium vocatur Spiritus?* 2 Cor. 3.

Reſp. Quia Spiritus S. conſolator eſt, & idem ſanctificator noſtri; quæ duo Evangelium complectitur, ut ſoletur miſeros, & peccatores adducat ad pœnitentiam: Lex vero vocatur miniſterium mortis, quia omnes pronuntiat maledictos, *Deut.*27.26.

III. *Atqui eadem eſt ratio Legis & Evangelii, tam enim non ſunt homines qui pareant Evangelio, quam non ſunt idonei qui pareant Legi.*

Reſp. In hoc quidem convenit Lex cum Evangelio, quod homines natura ſua neutri parere poſſint; attamen diverſitas eſt in doctrina: Lex invenit peccatores; itaque nullo pacto fieri poteſt, ut quando ſolis juſtis pollicetur vitam æternam, ullum ſoletur, aut ab ullo impetrare poſſit, ut in poſterum ſtudeat bonis operibus: At Evangelium pollicetur vitam æternam, etiam peccatoribus ſceleratiſſimis, & tamen exigit in poſterum fidem & pœnitentiam, itaque ſummam adfert conſolationem. Neque in poſterum quidem aufert occaſionem indulgendi peccato, quando relicta eſt ſpes veniæ.

IV. *Anne Evangelium aliam viam ſalutis oſtendit, quam Lex?*

Reſp. Ita eſt; Nam Lex urget opera; Evangelium, fidem. 2. Lex requirit juſtitiam propriam; Evangelium, juſtitiam Chriſti.

V. *Fuitne Evangelium in Veteri Teſtamento?*

Reſp. Utique. 1. Quia una & eadem fuit ſalutis conſequendæ ratio: Abel per fidem accepit teſtimonium, quod eſſet juſtus coram Deo, Hebr.11.4,7. & 13.8, *Ieſus Chriſtus, heri, hodie, & in ſecula idem.* ideo *Apoc.*13.8, dicitur, *Agnus occiſus, non actu* ſcilicet, ſed *potentia.* vide *Act.*10.43. *Rom.*1.2. 2. Nam fuit doctrina juſtitiæ ex fide, doctrina de regeneratione, & vita æterna.

VI. *Proba mihi ſigillatim iſta omnia.*

Reſp. Doctrinam de Juſtificatione fuiſſe, liquet ex *Pſal.*32.2. quem locum citat Spiritus Sanctus, *Rom.*4.6,7,8. item probatur ex *Rom.* 10,6,7,8,9.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

VII. *Atqui promittit Deus in V. Teſt. remiſſionem peccatorum, quæ futura erat demum in Nov. Teſt.* Jer. 31. 34.

Reſp. Quod fuit remiſſio peccatorum in V. Teſtamento, à nobis oſtenſum eſt: locus autem hic citatus nobis non officit; namque ſæpe in Scriptura, quod & hoc loco fit, dicitur aliquid fieri vel fore, non quod primum fiat, aut demum futurum ſit, ſed quod clarius fiat manifeſtum, aut quod clarius futurum manifeſtum; nam certe ut omnia, ita & doctrina de remiſſione peccatorum clarius in N. quam in V. Teſtamento proponitur.

VIII. *Proba mihi, quod in V. Teſt. doctrina fuerit de regeneratione noſtri.*

Reſp. Certe fuit. 1. ut liquet *Deut.* 30. 6. Qui locus conferatur cum *Rom.* 2. *v.* 28, 29. 2. Idem liquet, *Ezech.* 36. 26, 27. 3. *Ier.* 31. *v.* 8. & *Thren.* 5. 21. 4. *Oſeæ* 2. 19, 20.

IX. *Atqui regeneratio eſt donum ſeu beneficium Dei, quod confert Deus in homines quoſdam N. T. ut dicitur,* Joan. 3, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu &c. Ergo ubi regeneratio, ibi baptiſmus inſtitutus. Atqui hoc demum in N. Teſt. Ergo.*

Reſp. Dicimus, vanum hoc eſſe, quod tum demum homines regenerari cœperunt, cum baptiſmus fuit primum inſtitutus; namque contrarium plane oſtenſum in quæſtione proxime præcedenti.

X. *Proba mihi, quod vita æterna fuerit promiſſa in V. T.*

Reſp. Probatur hoc ex Epiſt. ad *Hebr.* 11. 10, 11, 12, 13, 14, 15. ad *Rom.* 10. *v.* 8, 9, 10, 11. ex *Dan.* 12. 2.

XI. *Atqui Chriſtus dicitur vitam & incorruptibilitatem in lucem prius produxiſſe per Evangelium,* 2 Tim. 1. 9, 10. *Ergo antehac non fuit doctrina propoſita de vita æterna.*

Reſp. Quemadmodum antea diximus, rem fieri, cum clarius manifeſtatur; ita hoc loco etiam id ipſum accipiendum fuerit. Namque oſtendimus, notam fuiſſe & promiſſam in V. Teſt.

XII. *Atqui dicitur,* Rom. 1. 1, 2, *Evangelium in V. T. fuiſſe promiſſum, Ergo tum Evangelium non fuit.*

Reſp. Dicitur quidem promiſſum fuiſſe Evangelium, per metonymiam ſubjecti occupantis; nam ſubjectum nominatur, & objectum intelligitur, hoc eſt, dicitur Evangelium, & Chriſtus exhibitus intelligitur. Vide *Rom.* 1. *v.* 3. *Objicitur* ex *Eph.* 3. *v.* 5, 6, 7. Datum eſt Paulo, ut revelaret, quod antea non innotuerat. *Reſp.* Vide ad cap. 1. *Eph.* *v.* 7, 8, 9. & 10. tacita dicitur doctrina Evangelii non *abſolute*, ſed *comparative*. *Reſp.* 2, Eſt fallacia compoſitionis, vel diviſionis: addit enim Apoſtolus *ut nunc*; quod omnimodo non eſt omittendum.

XIII. *Annon Evangelii doctrina aliter ſe habet in Veteri, aliter in Nov. Teſtamento?*

Reſp. Certe: Nam primo Evangelii doctrinæ in V. T. adjuncta erant ſacrificia, & id genus aliæ cerimoniæ, quæ jam non obtinent, ut liquet ex Epiſtola ad Hebr. incipiendo *à* 7 *cap. uſque ad decimum.* 2. Hoc ipſo differebat doctrina V. T. à N. T. doctrina, quod doctrina V. T. obſcurius ſonaret: Novi autem clarius. 3. Quod doctrina V. T. ageret de Chriſto exhibendo: Novi autem de Chriſto jam exhibito. 3. Quod doctrina Evangelii in V. T. pertineret communiter & ordinarie ad ſolos Judæos, *Pſal.* 147. 19, 20. *Act.* 14. 16. Cum N. Teſt. doctrina pertineat ad omnes Gentes, *Eph.* 2. 12, 13, 14. *Matth.* 28. *Marc.* 16. Ergo diverſitas iſta non eſt in re, ſed in modo rei, hoc eſt, non eſt aliud *quoad rem*; nam unum eſt Evangelium in V. & N. T. ſed aliud quoad *modum objecti*, quia illud verſabatur circa Chriſtum exhibendum; hoc, quoad doctrinam de Chriſto exhibito.

XIV.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

XIV. *Quid eſt, quod dicis* communiter & ordinarie, *anne fuerunt aliqui extra Iudæos, ad quos doctrina Evangelii pertinebat?*

Reſp. Ita eſt; ſed illi erant proſelytæ; ut videre eſt, *Act.* 2. 5, 6, 7, 8, 9, 10. 11. *Act.* 8. *v.* 27. Sed hoc erat extraordinarium.

XV. *Quid eſt quod dixiſti* ad omnes Gentes, *an hoc intelligendum eſt de omnibus & ſingulis?*

Reſp. Neutiquam; Nam Spiritus S. teſtatur; 2 Cor. 4. 3, *Quod ſi quibus opertum eſt Evangelium, iis qui pereunt, opertum eſt.*

XVI. *Atqui Deus vult, omnes ſalvos fieri,* 1 Tim. 2. 4.

Reſp. Id eo modo accipiendum eſt, quo Chriſtus dicitur ſanaſſe *omnem morbum*, Matt. 4. 23. Et Phariſæos decimaſſe *omne olus*; hoc eſt, hic intelligi *genera ſingulorum*, non *ſingula generum*, ut explicat Spiritus S. *Apoc.* 7. 9.

XVII. *Atqui promiſſiones Evangelii ſunt univerſales.*

Reſp. Univerſales ratione Electorum; hinc enim non omnes filii promiſſionis dicuntur in Scriptura, ſed quidam, *Rom.* 9. 8.

XVIII. *Vocantur tamen omnes & ſinguli.*

Reſp. Duplex eſt vocatio, una, *externa*; alia, *interna*: Deus non omnes vocatione externa vocat, ne dum interna; quam multi enim ſunt, qui ne fando quidem de Chriſto audiverunt? Multi ſunt qui externe vocantur, qui tamen non interne vocantur. vide de hac re, *Rom.* 8. 30. & 1 *Cor.* 1. 23, 24.

XIX. *Annon ergo vocat Deus aliquos externe, quos non vult venire ad Chriſtum?*

Reſp. Utique. ut videre licet, *Ioan.* 12. *v.* 39, 40, 41. *Matth.* 13. 13, 14, 15.

LOCUS IV.
De Deo.

QUÆSTIO I.
Quid eſt Deus?

RESP. Deus eſt Spiritus, æternus, infinitus, omnipotens, atque optimus, 1 Tim. 1. 17, *Regi autem æterno, incorruptibili, inviſibili, ſoli ſapienti Deo, ſit honor & gloria in ſecula ſeculorum, amen.* Rom. 1. 20. Gen. 17. v. 1, *Ego ſum Deus fortis, omnipotens.* cap. 35. v. 11, *Propterea dixit ei Deus, ego ſum Deus fortis omnipotens.* Deut. 10. v. 17, *Iehova Deus veſter, Deus Deorum, Dominus Dominorum, Deus fortiſſimus, maximus, potentiſſimus, ſummeque formidabilis, qui non accipit perſonam, neque recipit munus*, Apoc. 1. 4, 8, 17. & 4. 9. Jer. 23. 23. & 31. 2. Pſal. 139. 9. 2 Cor. 6. 16. Matth. 19. 17.

II. *Annon vocantur aliqui* Dii *præter verum Deum?*

Reſp. Ita eſt; vocantur metaphorice Magiſtratus *Dii*, Pſal. 82. καταχρηστικῶς etiam Diabolus, 2 *Cor.* 4. 4. Idola, 1 *Cor.* 8. 5, 6. venter vocatur *Deus*, Philip. 3. 19.

III. *Eſtne vox iſta* Dei *communis?*

Reſp. Neutiquam; ſed propria, nemo enim proprie vocatur *Deus*, niſi ſolus Deus; hinc in Scriptura vocatur *verus Deus*, Joan. 17. 3. & vocatur *natura Deus*, Gal. 4. 8, *Tum quidem ignorantes Deum, ſerviebant iis, qui natura Dii non ſunt.*

IV. *Annon Magiſtratus poſſunt dici veri* Dii?

Reſp. Neutiquam; ſunt enim metaphorice *Dii*: quod autem metaphorice eſt tale, non eſt proprie, ut cum dicimus *prata ridere*, vere non rident prata.

V. *Annon vox* Dei *poteſtatem in Deo, non autem naturam, denotat?*

Reſp.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Reſp. Hoc Socinus vult, quod poteſtatem, non naturam: ſed ineptus eſt, & refellitur ex eo, quod Deus in Scriptura ſæpius vocetur *Rex*; At ſi Deus notabit poteſtatem, non naturam, tum erunt iſtæ tautologicæ propoſitiones, *Deus eſt Rex*, idem enim ſonabunt, ac, *Rex eſt Rex*.

VI. *Vox* Jehovah *tribuiturne alicui extra Deum?*

Reſp. In caſu recto non tribuitur, neque extra complexionem.

VII. *Quid intelligis per hoc*, in caſu recto?

Reſp. Hoc, quod nihil vocetur *Iehova*, ſed dicitur aliquid eſſe *Iehovæ*; ut, *Angelus Iehovæ*, *populus Iehovæ*.

VIII. *Quid vocas* complexionem?

Reſp. Hoc eſt quando additur aliquid voci *Iehovæ* in caſu recto poſitæ; ut cum, verbi gratia, Hieruſalem vocatur *Iehova*, Ezech. 48. *verſ.* 35.

IX. *Sed quomodo probare potes, quod vox* Jehovæ *nulli tribuatur in caſu recto extra complexionem?*

Reſp. Ex ipſa etymologia, nam *Iehova* dicitur à radice הָיָה, *fuit*, id eſt, *à ſe fuit*: neque enim quocunque modo dicitur Deus eſſe; ſed dum dicitur eſſe, à ſe ipſo eſſe intelligitur: quemadmodum igitur nihil eſt à ſe ipſo, ita nihil poteſt dici *Iehova*.

X. *Annon Angelis aliquando hoc nomen tribuitur?*

Reſp. Certe uni Angelo tribuitur, qui vocatur *Angelus faciei Dei*, Jer. 63. 9. vocatur *Angelus fœderis*, Mal. 3. 1. hoc eſt, Chriſtus vocatur iſte Angelus.

XI. *Annon legatis tribuitur illius nomen à quo legari ſolent?*

Reſp. Neutiquam. Suſtinent quidem perſonam illius à quo legantur: certe legatus Imperatoris non vocat ſe Cæſarem.

XII. *Quomodo Deus cognoſcitur?*

Reſp. Per Naturam & Scripturam.

XIII. *Quæ eſt iſta naturalis cognitio?*

Reſp. Quæ ſe in adultis, ſana mente præditis, ſponte exerit, ita ut, nemine etiam docente, perſuaſi ſunt, eſſe aliquod Numen potentiſſimum, ſapientiſſimum, quod Mundum, & quæ in eo ſunt, condidit; quodque Mundum gubernat; Numen, inquam, quod religioſe ſit colendum.

XIV. *Daturne ergo talis aliqua cognitio?*

Reſp. Utique: ut liquet, *Rom.* 1. 19, 20. *Rom.* 2. *v.* 14.

XV. *Atqui ſi cognitio iſta omnibus eſt naturalis, cur aliqui igitur negant eſſe Deum?* Pſal. 14. 1.

Reſp. Sermo duplex eſt; *externus*, vel *internus*: Externus, quo animi noſtri ſenſa proferimus. Internus ſunt ſenſa ipſa animæ. Externo quidem negare poſſunt, ſed non interno.

XVI. *Anne iſta cognitio Dei ſufficit ad verum Dei cultum, & veram hominis felicitatem?*

Reſp. Nequaquam: ſed ſufficit tantum, ut homo reddatur inexcuſabilis, *Rom.* 1. 20. Neceſſe autem eſt accedere ex Verbo Dei cognitionem ut redemptoris, eamque cum filiali fiducia conjunctam.

XVII. *Atqui dicitur in textu ad* Rom. 1. verſ. 19, *quod id, quod de Deo cognoſci poteſt, hac cognitione manifeſtum fiat.*

Reſp. Quod ſcilicet naturaliter de Deo cognoſci poteſt, non autem ſimpliciter cognoſci poteſt. Hinc 1 *Cor.* 2. 14. Animalis homo dicitur capax non eſſe eorum, quæ ſunt Spiritus Dei.

XVIII. *Qualem ſe Deus declaravit in Scriptura?*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Reſp. Talem, qui ſit Infinitus, Omniſcius, Juſtiſſimus, Sanctiſſimus, Omnipotens, Verax, Miſericors, Pater qui ab æterno genuit Filium, & Filius qui ab æterno à Patre genitus eſt, & Spiritus Sanctus qui ab utroque procedit.

XIX. *Eſtne Deus ex accidentibus & ſubjecto compoſitus?*

Reſp. Neutiquam: ſed ſimpliciſſimus eſt, hinc Scriptura in abſtracto efferre ſolet, 1 Joan. 4.8, *Deus eſt Caritas.*

XX. *Anne attributa Dei non differunt à Deo?*

Reſp. Certe non; ſed omnia attributa ſunt ipſe Deus: hinc regula illa Theologorum veriſſima: *Quicquid eſt in Deo, eſt ipſe Deus.*

XXI. *Anne etiam attributa erunt inter ſe unum?*

Reſp. Certe ita eſt; Hinc regula iſta Theologorum veriſſima: *In Deo non eſt aliud & aliud, ſed alius & alius.*

XXII. *Si ſint unum & idem, cur ergo inter ſe dividuntur?*

Reſp. Nos Deum infinitum capere non poſſumus ſub una notione, ſed oportet, ut capiamus ſub multis notionibus. Quemadmodum, ut ſimili rem illuſtrem, ruſtico alicui craſſo & ſtupido valorem nummi alicujus aurei oportet declarare per nummos minutiores.

XXIII. *Atqui hæc attributa Dei definitioni non conveniunt, quomodo poſſunt ergo dici unum eſſe in Deo?*

Reſp. Ita quidem eſt: ſed ſciendum eſt, tum Deum definiri in ratione ad creaturam, tum in ratione ad effecta, quæ edit circa creaturam: verbi gratia; aliter Deus Creator definitur, aliter Redemptor; & tamen unicus eſt Deus ſimpliciſſimus. Ita aliter definitur Juſtitia Dei, aliter Miſericordia Dei; & tamen unus idemque ſimpliciſſimus Deus.

XXIV. *Annon Deus eſt mutabilis, quod varia ſortiatur nomina?*

Reſp. Nequaquam; hoc Scriptura de ipſo negat ratione eſſentiæ, *Iac.* 1. *v.* 17. *Mal.* 3. 6. neque quoad voluntatem, *Eſaï.* 14. 27. & 46. *v.* 10. Notanda vero hic regula venit Theologorum: *Nomina quæ Deo in tempore competunt, non mutationem in Deo, ſed in creatura ſignificant*; quale eſt nomen *Creatoris* & *Redemptoris.*

XXV. *Quomodo probari hoc poßit, quod Deus ſit infinitus?*

Reſp. Probatur 1. ex ipſius potentia, quæ infinita eſt. Nam cujus potentia infinita, illius eſſentia eſt infinita, cum attributum latius non poſſit patere ſuo ſubjecto; ac potentiam infinitam eſſe, inferius (Deo volente) probabitur. Probatur 2. Nulla enim ratio dari poterit, ſi Deus non ſit infinitus, cur peccatum mereatur infinitam pœnam; non enim poteſt hoc provenire ex actu peccati, qui finitus eſt; oportet ergo ex objecto: tertium enim hic dari non poteſt, ex quo proficiſcatur.

XXVI. *Annon eſt abſurdum, Deum dicere infinitum, nam ſi ubique erit, erit in obſcœnis locis, cloacis: quod abſurdum?*

Reſp. Neutiquam; ſed tamen hic diſtinguendum fuerit, quod infinitum eſſe, dupliciter accipiatur, vel ut ſignificet ἀόριστον, hoc eſt, indefinitum, indeterminatum; & hoc modo infinitus non eſt (Verbi gratia, quantitas diſcreta, potentia naturalis): vel ut ſignificet ἄπειρον, & hoc modo Deus eſt infinitus, hoc eſt, quod non habeat terminos eſſentiæ ſuæ.

XXVII. *Bene vero, Deus totus dicitur eſſe ubique, quandoquidem partes non habet; & ſi totus ſit in una re, non poteſt eſſe in altera.*

Reſp. ad primum: *Totum*, dupliciter dicitur; vel *abſolute*, & idem ſignificat quod *perfectum*; vel *relate* ad partes. Priori modo Deus dicitur totum quid; non poſteriori. Quod ad poſterius attinet, *Reſp.* Deum eſſe totum ubique, quia Spiritus eſt; & in ſingulis rebus eſſe *totum*, ſed non *totaliter.*

XXVIII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

XXVIII. *Eſtne diſcrimen inter totum & totaliter eſſe?*

Reſp. Certe; nam *totaliter eſſe*, ſignificat ita eſſe in aliquo, ut extra hoc non ſit.

XXIX. *Anne Deus dicitur eſſe in rebus, ut locatum in loco?*

Reſp. Neutiquam; ſed ut cauſa conſervans in ſuis effectis.

XXX. *Quid ergo eſt judicandum de iſta diſtinctione Scholaſticorum*, corpus eſt in loco, *circumſcriptive*, ſpiritus *definitive*, Deus *repletive?*

Reſp. Diſtinctionem non eſſe accuratam, ſed Deum ἀκυρῶς dici eſſe in loco, nimirum ut cauſam conſervantem in effectis, non ut locatum in loco.

XXXI. *Eſtne Deus etiam extra mundum; & ubinam eſt?*

Reſp. Certe; quia infinitus eſt: eſt autem in ſe ipſo.

XXXII. *Eſtne Deus æternus?*

Reſp. Ita eſt; ut aliàs, ita ex *Gen.*21.*v.*33. 1 *Tim.*1. 17. & *Apoc.*1. 8. Hinc dicitur antiquus dierum, *Dan.*7. 9. Annos ejus non deficere, *Pſal.*102. 17, 18.

XXXIII. *Sed qua ratione Deus vocatur* Primus & Ultimus?

Reſp. Eo quod ex ſe ſit, reliqua ex ipſo.

XXXIV. *Eſtne Deus ſolus æternus?*

Reſp. Imo; Nam ex ipſo, per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, quæ ſunt. Accedit, quod ſit ens independens; hinc, *Matth.*19. 17, dicitur, quod ſolus ſit bonus, bonitate ſcilicet *independenti:* ut autem quid bonum eſt, ita eſt.

XXXV. *Quid vero judicandum de iſta diſtinctione æterni, quando æternum diſtinguitur, & triplex dicitur*, à poſteriori & priori, *ut Deus:* à priori, *ſed* non à poſteriori, *ut decreta Dei:* à poſteriori, *ſed* non à priori, *ut Angeli Dei, itemque homines?*

Reſp. Multis modis eſt hæc diſtinctio vitioſa; nam, 1. Decreta Dei ſunt ipſe Deus, ut (Deo volente) poſtmodum oſtendemus: Angeli vero proprie dicendo non ſunt æterni, ſed æviterni, itemque homines. vid. *Luc.*20. 28.

XXXVI. *Quid differunt inter ſe*, tempus, ævum & æternitas?

Reſp. Tempus habuit initium, & finem habiturum eſt, ut in extremo Judicio; itemque ſucceſſivum eſt: Ævum habuit initium, ſed non habebit finem, ſucceſſivum tamen etiam eſt: Æternitas non habuit finem, nec initium, & omnis ſucceſſionis expers eſt; hinc definitur à Boëtio: *Æternitas, eſt tota vitæ ſimul interminabilis poſſeſſio.*

XXXVII. *Sed quomodo probas mihi, quod æternitas ſit omnis ſucceſſionis expers?*

Reſp. Probatur hoc facile; Nam, 1. Si eſſet ſucceſſivum quid, tum Deus eſſet ens ſucceſſivum, quia omne attributum Dei eſt ipſe Deus. Atqui Deus non poteſt dici ens ſucceſſivum, hoc enim imperfectiſſimum eſt; ut quod terminum ad quem nondum obtinet. 2. Si Æternitas eſſet ens ſucceſſivum, tum ſequeretur, mutationem in illa exiſtere, atque eſſe in illa aliquid alio magis antiquum, atque ita Deum fieri ſingulis momentis antiquiorem, hoc eſt, mutabilem.

XXXVIII. *Quid vero reſpondes ad hoc, quod dicitur, Apoc.* 1. 8, Qui eſt, qui erat, qui venturus eſt; *annon ibi manifeſta ſucceſſio?*

Reſp. Minime; Spirit. Sanctus ſe ad captum noſtrum accommodans, deſcribit quodammodo æternitatem per iſta, *qui eſt, qui erat, qui venturus eſt.*

XXXIX. *Annon æternitati coëxiſtunt res creatæ, & quomodo?*

Reſp. Ita eſt; coëxiſtunt, ſed inadæquate, ut dicere ſolent Theologi & Philoſophi.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

XL. *Quibus verbis ſolet deſcribi æternitas in V. T.*

Reſp. Per hæc verba: *Antequam montes eſſent, antequam colles eſſent.* Vide *Pſal.* 90. 2 *Prov.* 8. *v.* 23, 24, 25, 26, 27, 28, & 29.

LOCUS V.
De Omniſcientia Dei.

Actum eſt de Infinitate & Æternitate, ſequitur Omniſcientia Dei.

QUÆSTIO I.
Eſtne Deus omniſcius?

Reſp. Utique: ut patet, *Pſal.* 147. 5. *Ioan.* 21. 17. *Hebr.* 4. 13.

II. *Quomodo iſta Scientia deſcribi ſolet in Scripturis?*

Reſp. Per ſcrutinium cordis. vide *Ier.* 17. 10. *Apoc.* 2. 23.

III. *Quomodo dividitur Scientia Dei?*

Reſp. In Scientiam *viſionis*, ſive futurorum; & *ſimplicis intelligentiæ.*

IV. *Quid eſt Scientia viſionis?*

Reſp. Quando Deus præſcit futura, quæ decrevit, *Ier.* 44. 2. 1 *Pet.* 1. 2.

V. *Anne Deus præſcit futura contingentia?*

Reſp. Utique: vid. 1 *Reg.* 22. 34, 38. *Luc.* 5. 4, 5, 6. Et Prophetiæ potiſſimum ſunt de rebus contingentibus; Et liquet hoc idem, ex *Pſal.* 139. 2, 3, 4.

VI. *Atqui dici ſolet à Philoſophis,* Contingentium non eſt determinata veritas.

Reſp. Ita eſt ratione *intellectus creati*; at non, *increati*: Hinc ipſi Philoſophi dicunt, quod intellectus divinus ſit norma & regula rerum. At res ſunt regula intellectus creati: cum dicuntur res eſſe, quia Deus ſcit, intelligitur ſcientia Dei *practica*, non *theoretica.*

VII. *Vtrumne Deus res ſcit, quia ſunt: an vero ſunt, quia ſcit & decrevit?*

Reſp. Quæſtio hæc utiliſſima eſt in doctrina de Prædeſtinatione; & reſpondemus, res ſunt quia ſcit, ſcientia ſcilicet practica; ſi enim res quia eſſent, ſciret, conformaretur intellectus ejus ad rem, & ita potentiam paſſivam haberet ad perfectionem acquirendam à re, & perficeretur à re: quod abſurdum.

VIII. *Anne Deus omnia quæ ſcit, novit unico actu intelligendi?*

Reſp. Utique. Nam Deus eſt ipſe ſua ſcientia, & ſcientia ipſe actus ſciendi: ut ergo unus Deus, ita unus actus ſciendi, *Act.* 15. *verſ.* 18. *Heb.* 4. 13.

IX. *Atqui diviſiſti paulo ante, ſcientiam Dei, in* ſcientiam viſionis *&* ſimplicis intelligentiæ.

Reſp. Ita eſt, ſed iſta diviſio eſt unius rei, ratione diverſi objecti; quemadmodum ſi quis diſtinguat Creatorem à Redemptore; res quidem una eſt Creator ac Redemptor; at vero diſtinguitur una res à ſe ob diverſa effecta.

X. *Quid eſt fundamentum hujus ſcientiæ practicæ?*

Reſp. Decretum ſive voluntas Dei; ideo enim præſcit eventurum, quia decrevit: hinc in S. Literis pro æquipollentibus accipiuntur, prædefinitum eſſe & ſcriptum ſive prædictum eſſe. *Matth.* 26. 24. *Luc.* 22. 22.

XI. *Quid eſt ſcientia ſimplicis intelligentiæ?*

Reſp. Qua ſcilicet quid ſibi poſſibile, etſi nunquam facturus eſt: ita Salvator dicit, *poteſt Deus ex lapidibus facere filios Abrahæ.*

XII. *Quid eſt ſcientiæ Dei poſſibilium fundamentum?*

Reſp. Potentia ejus; novit omnia quæ poteſt, etſi non omnia quæ poteſt, facturus eſt.

XIII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

XIII. *Quid vero de ſcientia media dicis, quam vides uſque adeo propugnare Arminianos, & Pontificios?*

Reſp. Eſt figmentum; pugnat enim cum natura Dei & creaturæ.

XIV. *Declara mihi, quæſo, quidnam intelligant per ſcientiam iſtam mediam?*

Reſp. Dicunt, Deum, ſi Petrus, Paulus, tali circumſtantia temporis, talibus cauſis impulſivis exiſtentibus, hoc vel illo modo affectus, moveatur (puta lætus, triſtis) hoc vel illud faciat, providere Deum, illum facturum, vel non facturum.

XV. *Quomodo probas, quod hæc doctrina pugnet cum natura Dei?*

Reſp. 1. Pugnat cum ipſius providentia, quia ſtatuit, quod aliquid evenire poſſit, quod Deus nec velit efficere, nec velit permittere. 2. Pugnat cum natura Dei; quia ſtatuit aliquod ens eſſe independens præter Deum; namque ſtatuit, poſſe aliquid fieri quod Deus nec decrevit, & quia non decrevit, nec vult efficere. 3. Pugnat cum immutabilitate Dei, & ejus perfectione; ſi enim Deus aliquid providet quod non decrevit, ſcit res quia ſunt, non vero res ſunt quia ſcit & decrevit; atque ſic ſcientia Dei dependens erit à creatura: & quia ſcientia Dei, perfectio Dei; & quia perfectio, ideo Deus mutabilis erit.

XVI. *Quid cauſæ eſt, quod induxerint iſtam ſcientiam mediam?*

Reſp. Doctrina de Prædeſtinatione Dei; quia perpetuo refugiunt ad hoc, quod Deus ex præviſa fide eligat. Quærimus nos, unde eſt, quod ex fide præviſa eligat? Certe quia prævidet futuram, prævidet quia voluit vel permittere, vel efficere: illi negant hoc, & dicunt, poſſe aliquid prævidere quod non decrevit.

Locus VI.
De Voluntate Dei.

Quæstio I.
Quid eſt Voluntas Dei?

Resp. Eſt, ſecundum quam quædam vult permittere, quædam efficere.

II. *Quid eſt Decretum Dei?*

Reſp. Eſt definita Dei voluntas; ut liquet, *Act.* 2. 23. & 4. 28.

III. *Quomodo alias vocatur Decretum Dei?*

Reſp. Conſilium Dei; *Ieſ.* 14. 26. & 46. 10.

IV. *Anne Conſilium Dei cadit in Deum?*

Reſp. Non proprie; nam Conſilium conſultatio eſt de mediis illiquidis, ac proinde ignorantiam præſupponit: Deus autem eſt omniſcius. Ergo tribuitur Deo per ἀνθρωποπάθειαν.

V. *Si decretum Dei eſt voluntas Dei, annon hoc pacto decreta erunt Deus, quandoquidem quicquid eſt in Deo, eſt Deus?*

Reſp. Utique ita eſt; nam decretum nihil aliud eſt, quam τὸ velle Dei. τὸ autem velle Dei eſt ipſe Deus: nam τὸ velle increatum eſt; Nam Scriptura τοῦ velle nullam aliam cauſam, quam τὸ velle ponit. Ergo cauſa nulla τοῦ velle Dei eſt: nihil enim ſui ipſius cauſa eſt; quod autem nullam cauſam habet, increatum eſt. Rurſus adhibita hac cautione; nam ſecundum id, quod ponit in Deo perfectionem, eſt attributum eſſentiale, & idem quod eſſentia Dei: ſecundum vero terminationem & extenſionem ad hoc vel illud objectum, ſicut nullam perfectionem in Deo ponit, ſed relationem duntaxat, ita non eſt eſſentiale Dei attributum, & ſine iis Deus eſſe potuit.

VI. *Atqui Decreta Dei poterant non eſſe,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

eſſe, Deus autem non poterat non eſſe, Ergo videntur non eſſe unum & idem.

Reſp. Poterant non eſſe quoad relationem ad extra, & quoad iſtam nomenclaturam, ut voluntas decreta vocarentur: at non poterant non eſſe voluntas Dei, quemadmodum Deus, qui eſt creator, poterat non creare res, & non vocari creator, & tamen non poterat non eſſe Deus.

VII. *Atqui Deus unus eſt, decreta autem multa; nam aliud eſt decretum electionis, aliud reprobationis.*

Reſp. Voluntas Dei unica ſimpliciſſima eſt, ſed diverſas nomenclaturas ſortitur ob diverſa effecta, & diverſa objecta, ut jam vocetur electio & reprobatio: quemadmodum unicus ſimpliciſſimus Deus eſt, & tamen diverſa nomina ſortitur ob diverſa objecta & effecta; ut jam vocetur Creator, jam Conſervator, jam Redemptor, jam Judex univerſæ terræ, jam Pater.

VIII. *Habetne Deus aliquam cauſam impulſivam extra ſe, cur aliquid velit?*

Reſp. Nullam omnino; alioquin voluntas ipſius fuiſſet dependens: ſi hoc, ergo caderet in Deum potentia paſſiva: abſurdum hoc; nam ita Deus dici poſſet mutabilis. Conſeq. prob. nam quod movetur, illud ab alio movetur; fuit ergo potentia paſſiva ad hoc, ut moveretur.

IX. *Quid ergo de quorundam Theologorum ſententia, qui ſæpe dicunt, Deum habere cauſas impulſivas extra ſe, cur hoc vel illud faciat?*

Reſp. Illos falſo iſta ponere; etiamſi aliqui velint hoc excuſare, quod populariter hoc faciant, nec accurate.

X. *Quid judicas de diſtinctione voluntatis Divinæ, quando diſtinguitur voluntas ſcilicet, in* ſigni, & beneplaciti?

Reſp. Non eſt illa diſtinctio *rei*, ſed *vocis* tantummodo ambiguæ explicatio; voluntas enim ſigni, proprie dicta voluntas non eſt, cum ſit Verbum duntaxat Dei.

XI. *Annon aliquando voluntas ſigni pugnat cum voluntate beneplaciti: verbi gratia, Deus ſæpe homines ad ſe vocat, quos tamen venire non vult?*

Reſp. Nequaquam; neque enim Deus eo ſine ſemper vocat, ut velit venire, ſed ut inexcuſabiles reddat.

XII. *Anne quæ eveniunt, ex illa eveniunt voluntate, quæ dicitur beneplaciti?*

Reſp. Utique; modo diſtinguatur, quod quædam eveniant ex voluntate *permittente*, quædam vero ex *efficiente* voluntate.

XIII. *Si illa, quæ eveniunt ex voluntate permittente, eveniunt ex voluntate beneplaciti, annon ergo placebunt ipſi peccata, quæ permittit?*

Reſp. Voluntatem beneplaciti dici non ex ipſo, quod ipſi omnia placeant, circa quæ verſatur; ſed ex eo, quod quæcumque velit, ideo velit, quod ita ipſi placeat. Trelcatius in Loc. Comm. de Deo, negat, omnia evenire ex voluntate beneplaciti, quocirca etiam diſtinguit in *beneplacitum*, & *placitum*; dicitque, bona priori, mala poſteriori modo velle Deum; idque ex eo, quod putaret, ſi Deus vellet mala voluntate beneplaciti, Deo placere peccata: ſed fallitur; Dicitur enim voluntas beneplaciti *non ab objecto*, quod ſcilicet referatur circa illa quæ ipſi placent; *ſed ex modo volendi*, quia quæcumque vult ſive efficere, ſive permittere, ejus cauſa eſt nulla præter ipſius beneplacitum.

XIV. *Eſtne ergo voluntas Dei abſoluta?*

Reſp. Utique; ſi cauſam impulſivam ſpectes, quæ eſt extra Deum, *Prov.* 6. 4. at non ſæpe abſoluta eſt à mediis & fine: nam quæ vult, propter certum finem vult; & quæ vult, ſæpe per certa media exequitur.

XV. *Quid judicas de diſtinctione voluntatis*

luntatis divinæ, quando nempe dividitur in antecedentem, *&* conſequentem?

Reſp. Hæc diſtinctio pugnat cum natura Dei; namque ſtatuit, Deum antecedente voluntate quædam voluiſſe, quæ poſtmodum conſequente non vult: Unde 1. In Deo neceſſario ponenda erit ignorantia, ut qui voluit, quod neſciebat fruſtra ſe velle. 2, Neceſſario in Deo ponenda erit mutabilitas; nam quæ volebat voluntate antecedente, illa cum videt fruſtra ſe velle, non vult voluntate conſequente, atque ita mutat voluntatem ſuam.

XVI. *Quid judicas de diſtinctione iſta, quando voluntas divina diſtinguitur in* abſolutam, *&* conditionatam?

Reſp. Etiam hæc vitioſa eſt quoad poſterius membrum. Certe tam blaſphemum eſt dicere, voluntatem Dei eſſe dependentem & mutabilem, quam eſt impium dicere, Deum eſſe ens dependens.

XVII. *Quomodo vero arridet tibi diſtinctio illa voluntatis Dei, in* approbativam, *&* effectivam *ſimul, vel in* approbativam *tantum*?

Reſp. Eſt & hæc diſtinctio vitioſa quoad poſterius membrum; nihil enim Deus approbat, quod non velit; ut videre eſt, *Pſal.* 115. *verſ.* 13.

XVIII. *Quid porro de hac diſtinctione ſtatuendum, qua voluntas Dei diſtinguitur in* efficacem, *& in* inefficacem?

Reſp. Nulla voluntas Dei eſt inefficax, *Eſai.* 14. 27. & 46. 10. *Thren.* 3. 37.

XIX. *Anne ergo per hoc non ſtatuenda erit omnis Dei voluntas efficiens?*

Reſp. Nequaquam; neque enim *inefficax* opponitur *efficienti*, ſed potius opponitur *rato*, ut *inefficax* nihil aliud ſignificet, quam *irritum*.

XX. *Anne hæc diſtinctio, quando voluntas Divina diſtinguitur in efficientem & permittentem, bona eſt?*

Reſp. Omnino.

XXI. *Quotupliciter accipitur* permiſſio *in Scriptura Sacra?*

Reſp. Dupliciter: *phyſice*, vel *ethice*; quæ nihil aliud eſt, quam conceſſio, *Matt.* 19. 8, 14.

XXII. *Quomodo hic accipitur* τὸ permittere?

Reſp. Phyſice pro *non impedire*. vide *Act.* 14. *v.* 16.

XXIII. *Quid eſt hoc?*

Reſp. In peccato omiſſionis eſt ſubtractio Gratiæ Dei: quod probatur, 1. Quia ſi Gratia Dei aſſiſtens efficit, ne Angeli Dei labantur; & ſi Gratia Dei aſſiſtens efficiat, ne in vita futura labamur, tum eadem præſente homo labi non poſſet.

XXIV. *Qualem Gratiam hic intelligis?* inhærentem, *an* aſſiſtentem?

Reſp. Aſſiſtentem, quæ alias vocatur, *Derelictio.* ut videre eſt, 2 *Chron.* 32. 31.

XXV. *Annon durum eſt dicere, permiſſionem eſſe ſubtractionem Gratiæ, quandoquidem Deus permiſit primum hominem labi, neque videtur ipſi ſubtraxiſſe Gratiam; quandoquidem ſubtrahitur Gratia propter peccata, homo autem primus ante primum peccatum, nullum habuit peccatum?*

Reſp. Præſupponitur falſa hypotheſis, quaſi Deus non ſubtrahat Gratiam aſſiſtentem, niſi propter peccata: namque fidelibus ſubtrahit Gratiam; ut vidimus, 2 *Chron.* 32. *v.* 31. & tamen non propter peccata; namque fidelibus peccata non imputantur; ut liquet, *Rom.* 4. *v.* 7, 8. & propterea fidelibus nulla condemnatio, quia in Chriſto Jeſu ſunt.

XXVI. *Quid vero permiſſio in peccato commiſſionis?*

Reſp.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Reſp. Præter ſubtractionem gratiæ aſſiſtentis eſt præmotio ad agendum, ſive concurſus Dei ad vetitum actum, quoad ſubſtantiam actus, non quidem *formaliter*, ſed *concomitanter*, & *conſequenter*; niſi enim Deus præmoveret cauſam ſecundam, neutiquam moveri poſſet, atque adeo non committeret peccatum commiſſionis.

XXVII. *Eſtne peccatum commiſſionis motus?*

Reſp. Neutiquam; ſed defectus motus; Defectus autem motus eſſe non poteſt, niſi motus: Jam Deus eſt cauſa iſtius motus: Defectus autem iſtius motus eſt cauſa ſecunda: Exemplo hæc res explicari poteſt; exempli gratia, qui agit equum claudum, cauſa eſt motus, hoc eſt, cur equus moveatur, at non eſt cauſa claudicationis in equo, ſed pes corruptus equi.

XXVIII. *Anne Deus omnia quæ vult, unico actu volendi vult?*

Reſp. Omnino; Nam 1. Actus volendi Deus ipſe eſt, neque in Deo propria facultas eſt, ſed actus, utut à nobis concipiatur per modum facultatis; Si ergo actus volendi, qui in Deo eſt, Deus eſt, ergo unus eſt, & per conſequens unico actu vult omnia, quæ vult. 2. decrevit ab æterno, quæ decrevit; Ergo omnia ſimul voluit, & unico actu volendi. Conſeq. certa; in æternitate enim nulla ſucceſſio. Minor patet ex eo, quod ipſi nota ſint ab omni ævo opera ejus, *Act.* 15. *v.* 18. Si vero omnia novit ab æterno, omnia ab æterno decrevit; ſcientia enim futurorum pendet à decreto Dei.

LOCUS VII.

De Dei Potentia.

Sequitur Dei Potentia.

QUÆSTIO I.

Quid eſt Potentia Dei?

Reſp. Eſt vis Dei, qua omnia poteſt, quæ contradictionem non implicant, *Pſal.* 91. 1. 2 *Cor.* 6. 18. *Apoc.* 4. 8.

II. *Anne per hoc detrahitur potentiæ Dei aliquid, quod non poſſit contradictoria?*

Reſp. Certe non. Nam contradictoria mendacium implicant; Statuunt enim idem eſſe & non eſſe; atqui Deus mentiri non poteſt, *Tit.* 1. 2. neque enim mendacium eſt *potentiæ*; ſed *impotentiæ*.

III. *Anne Deus omnia facit, quæ poteſt?*

Reſp. Non; & hinc diſtinguitur potentia Dei in *abſolutam*, & *ordinariam*. Abſoluta, qua poteſt omnia, quæ non implicant contradictionem, *Matt.* 5. 9. & 19. 26. *Luc.* 1. 37. Ordinaria eſt, qua poteſt omnia quæ decrevit, *Pſal.* 115. 13. *Epheſ.* 1. 11.

IV. *Unde agnoſcitur Dei potentia infinita, quandoquidem quæ fecit, omnia ſunt finita; ſunt enim omnia in certo numero, menſura & pondere facta?*

Reſp. Omnipotentia Dei colligitur ex modo, quo fecit omnia: utique ex nihilo fecit. Nam nihil & ens aliquod infinito diſtant, oportet ergo eſſe infinitam vim, quæ ex nihilo facit aliquid.

V. *Dicebas antea, Deum eſſe actum puriſſimum; quomodo ergo in ipſo dari poterit potentia?*

Reſp. Improprie profecto ipſi potentia tribuitur, quia eſt actus puriſſimus: dicitur autem poſſe hoc vel illud, quia res poſſunt ipſius actum ſubire: exemplo aliquo hoc declarabimus; dicitur ignis poſſe urere hoc vel illud lignum, non quod non urat actu, ſed quod hoc vel illud lignum poſſit ſubire actum ipſius.

VI. *Doce me, quomodo liceat & non liceat argumentari à potentia Dei in Theologicis?*

Reſp. Obſervandæ ſunt iſtæ regulæ Theologorum.

Prima regula: *A potentia Dei ad illud quod contradictionem implicat, non licet argumentari*; & ratio eſt, quia contradictionem implicat, & eſt mendacium. Secunda: *A potentia Dei non eſt argumentandum ad ponendum aliquid, niſi conſtet ſimul de voluntate Dei*: & ratio eſt; Quia Deus multa poteſt, quæ non vult; & Chriſtus certe, *Matth.22.v.29*, conjungit iſta, dum dicit Sadducæis: *Erratis neſcientes Scripturas neque potentiam Dei.* Tertia: *Non eſt argumentandum à potentia Dei, ad id, cujus contrarium extat in Scriptura.* Contra hanc regulam multum peccant Lutherani, dum Chriſtum ratione humanæ naturæ volunt probare eſſe ubique à potentia Dei; cum contrarium tamen extet in Scriptura, quod oporteat, ut cæli ipſum capiant uſque ad reſtitutionem omnium, *Act.3.20.*

Locus VIII.
De Immutabilitate Dei.

Quæstio I.
Quid eſt Immutabilitas Dei?

Resp. Eſt ſecundum quam omnis mutabilitatis expers eſt. Vide *Iac.1.17. Hebr.1.11,12.* Cum ratione eſſentiæ, *Pſal.102.26. Hebr.1.v.11,12. Iac.1.17.* Tum etiam voluntatis, *1 Sam.15.29. Eſai.46.10. Matt.3.6. Rom.11.29.*

II. *Quomodo non mutabitur Deus, cum antea non fuerit Dominus, jam autem Dominus factus ſit; cum antea non fuerit Creator, jam ſit Creator factus & Redemptor?*

Reſp. Nomina, quæ Deo in tempore accedunt, non notant in Deo mutationem, ſed in creatura; & ratio eſt, quia Deus actus puriſſimus eſt: creatura autem cum fit, vel deſit, ſubit actum hunc & mutatur.

III. *Saltem accedit Deo relatio ad creaturam, atque ita mutabitur; namque creaturæ relatum eſt Creator, ſervi Dominus.*

Reſp. Relatio quæ inter Deum & creaturam eſt, conſideratur vel *ex parte Dei*, & eſt *rationis*; vel *ex parte creaturæ*, & eſt *realis*: Exemplo hæc res aliqua ratione illuſtrari poteſt; ut ſi me obvertam ad columnas duas, ita ut uni obvertam manum dextram, alteri ſiniſtram, hic columnæ ad me erit reſpectus rationis, at mei ad columnam erit realis.

IV. *Saltem negare non potes, mutationem accidiſſe in perſona Chriſti; nam ille in hypoſtaſin ſuam aſumpſit humanam naturam, & iſta humana natura ipſi eſt unita perſonaliter.*

Reſp. Nihil dicit mutationis unio iſta in λόγῳ, ſed mutationem tantummodo in humana natura; ac proinde relatio hic ſimilis erit, ex parte λόγȣ, *rationis*; ex parte humanæ naturæ, *realis*: etiamſi effecta λόγȣ ex iſta unione alia in Chriſti humana natura, quam in ulla alia creatura.

Locus IX.
De Immortalitate Dei.

Quæstio I.
Quomodo Deus dicitur immortalis ſolus, 1 Tim.6.15, *cum & Angeli, & homines, futuri immortales?*

Reſp. Deus ex ſe immortalis, nos ex ipſo. Hinc recte diſtinguunt Scholaſtici, quod nos, & Angeli, futuri immortales *privative*, Deus autem ſit, *negative*.

II. *Atqui immortalitas non videtur poſſe cadere, niſi in eum qui poteſt mori, habitus enim & privatio ſunt circa idem ſubjectum.*

Reſp. Immortalitas *privativa*, non *negativa*, præſupponit hoc, non poſſe mori: & non negativa, quemadmodum viſus ſecum in-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

fert poſſe eſſe cæcum; at non viſus infert negative, non videns aliquod, qualis lapis eſt.

III. *Atqui adhuc reſtat difficultas, nam Angelus non poteſt dici ullo modo mortalis, nam mortale eſſe, præſupponit ex anima & corpore eſſe compoſitum.*

Reſp. Immortale dupliciter capitur, vel pro non poſſe annihilari; & hac ratione in ſe ſunt mortales, hoc eſt, ut Scholaſtici loquuntur, annihilabiles ſunt vi Dei: vel mortale accipitur pro eo, quod mori proprie poteſt; & hoc modo homines ſoli ſunt mortales.

LOCUS X.
De Inviſibilitate Dei.

QUÆSTIO I.
Quomodo Deus eſt inviſibilis?

RESP. Negative.

II. *Annon poterit Deus aliquando videri? quandoquidem Scriptura videtur hoc innuere,* 1 Cor. 13. 12.

Reſp. Viſio eſt multiplex. 1. Viſio per *creaturas*, Rom. 1. 20. 2. Viſio *in ſomniis*; ita viſus eſt Jacobo, *Gen.* 28. 12, 13. 3. Viſio eſt *in ſignis*; ita viſus eſt Moſi, *Exod.* 33. 23. 4. Viſio eſt *in carne*; de tali loquitur *Ioan.* 1 & 2 *capp.* item de hac viſione agitur 1 *Tim.* 3. 16. 5. Viſio eſt per fidem, *Ioan.* 14. *v.* 9, de hac agitur. 6. Viſio eſt per aſpectum, de qua 1 *Cor.* 13. 12.

III. *Attamen Scriptura teſtatur, nos viſuros Deum ad aſpectum; Ergo perfecte videbimus eum oculis corporeis.*

Reſp. Phraſis iſta, *per aſpectum*, notat perfectiorem cognitionem, quæ in hac vita nobis non contigit: Non autem viſionem oculorum. vid. *Num.* 12. 8. & conf. cum *Exod.* 33. 20.

IV. *Dicitur tamen,* 1 Joan. 3. v. 2, *quod viſuri ſumus eum ſicuti eſt.*

Reſp. Videlicet non qualis eſt *eſſentia*, ſed qualis eſt *affectu* erga nos.

V. *Quali cognitione Deus cognoſcitur;* comprehenſiva, *an* apprehenſiva?

Reſp. Certe non *comprehenſiva*, ſed *apprehenſiva*; nam comprehenſiva illa eſt, qua cognoſcimus aliquid conceptu adæquato; nam hoc modo nemo novit Deum, niſi ſolus Deus, qui cum ſit infinitus, ſe ipſum intelligere poteſt.

VI. *Annon eadem cognitio eſt, qua Deum & qua creaturam apprehendimus, quandoquidem nullam creaturam agnoſcimus, niſi apprehenſive; nunquam enim cognoſcimus vel minutiſſimam, niſi conceptu inadæquato?*

Reſp. Neutiquam; nam apprehenſiva cognitio duplex eſt, *proprie dicta*, & *analogica*: proprie dicta cognoſcimus creaturam; analogica, Deum.

VII. *Qualis eſt iſta analogia?*

Reſp. Non *rei* certæ, qualia ſunt iſta, quæ dicuntur genus habere analogicum, ut amicitia honeſta, utilis & jucunda; ratio eſt, quia Deus & creaturæ nihil commune habent, niſi nomen aliquando; ut, quia Deus vocatur juſtus, homo etiam vocetur juſtus: ſed analogia iſta *conceptus* erit, quando ſcilicet concipimus ſub notione aliqua perfecta, quæ in creatura, ſed ita, ut omnes imperfectiones, quæ notioni iſti adſunt, qua creaturæ ſunt, removeantur.

LOCUS XI.
De Immenſitate Dei.

QUÆSTIO I.
Eſtne Deus Immenſus?

RESP. Eſt; ut liquet, 1 *Reg.* 8. 27. *Ier.* 23. *v.* 23, 24.

II. *At-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

II. *Atqui dicitur in Oratione Dominica,* Matt.6, *Qui es in cælis.*

Reſp. Excluſive non dici; ut liquet *Ioſ.* 2. *v.*11. Dicitur autem in cælis potiſſimum eſſe, quod ibi maximis effectis manifeſtet ſuam præſentiam, & præterea quod ibi habitet immediate in omnibus, & ibi immediate regat omnes.

III. *An erit ergo Deus in locis obſcœnis, in cloacis? nam videtur hoc Deus negare,* Deut.23. 12, 13.

Reſp. Dum dicit Deus, ſe non fore cum Iſraëlitis, cum immundi fuerint, nihil aliud vult, quam non proſequuturum ipſos ſua benevolentia ob immunditiem; dum vero dicitur Deus adeſſe *effectu*, non notat hoc quod ibi non fuerit, ſed quod effectum aliquem effecerit, quem antea non ediderat: dum dicitur Deus abeſſe, non notat hoc quod non fuerit, ſed quod non effecerit, quod antea faciebat: Nec periculum eſt, ut adverſarii volunt, quod Deus contaminetur, ut radii ſolares in loca obſcœna ſparſi non contaminantur, multo minus Deus, qui in rebus eſt, non ut locatum in loco, ut antea dictum, ſed ut cauſa conſervans in effectis.

Locus XII.
De Iuſtitia Puniente.

Quæstio I.
Eſtne in Deo Iuſtitia vindicativa naturalis?

Reſp. Omnino; neque enim punit peccata ex beneplacito ſuo, ſed quia merentur puniri; alioquin ſi ex beneplacito puniret peccata, potuiſſet illa non punire, & potuiſſent peccata non eſſe peccata.

II. *Annon Deus peccata dimittit impunita?*

Reſp. Non; vid. *Exod.*34.4.7. *Num.*14. *v.*18. *Deut.*29.20. *Hab.*1.13.

III. *Annon Deus nulla accepta ſatisfactione poteſt condonare peccata?*

Reſp. Nequaquam: vid. *Ieſ.*24. 19. *Hab.* 1.*v.*13. Ratio eſt; quia Deus non poteſt non odiſſe peccatum, *Pſal.*5.6. odium autem peccati in Deo eſt voluntas puniendi; non poteſt ergo non velle punire peccata.

IV. *Annon Deo hic minus tribuitur, quam homini, qui poteſt de jure ſuo remittere quantum vult?*

Reſp. Non eſt natura Dei æſtimanda ex hominibus; nam homo & poteſt manumittere ſervum ſuum, & ita renuntiare juri, quod in ipſum habet; Deus vero non poteſt efficere, ut ſit creatura, & non dependeat ab ipſo; eſſet enim contradictio.

V. *Atqui Deus dicitur omnia quæ ſunt ad extra, facere ex beneplacito voluntatis ſuæ,* Eph. 1. 11. *Unde ſequitur, quod poterat non punire peccatum.*

Reſp. Deus neceſſario punit peccata ex hypotheſi, ſi peccatum ſit; quemadmodum neceſſario conſervat creaturam, ſi creatura ſit; itaque ſi Deo viſum fuiſſet non permittere peccata, peccatum non exſtitiſſet, atque adeo non neceſſe erat punire: at poſtquam permiſit peccatum, non poteſt illud non punire.

VI. *Si non poteſt non punire peccatum, tum certe & peccatorem non punire: quod tamen falſum videmus eſſe; namque fideles, qui peccatores ſunt, ipſi non in ſua perſona, ſed in vade Chriſto puniuntur.*

Reſp. Aliter ſe habet Juſtitia Dei circa peccatorem, aliter circa peccatum; nam circa peccatorem, per *accidens*, non prout opponitur illi quod dicitur per ſe, id eſt, *fortuitum*; ſed ut opponitur ei quod eſt *immediatum*, dicitur alias κατ᾽ ἄλλο Græcis; idcirco circa hoc agere poteſt, ut vult, vel punire in propria perſona, vel in vade Chriſto: at vero peccatum non poteſt non punire in quocumque ſit, ſeu in peccatore, ſeu in vade Chriſto.

VII. *Anne Iuſtitia hæc vindicatrix differt à Iuſtitia, de qua agitur* Rom. 9. v.14?

Reſp. Omnino differt; nam Deus Juſtitiam vindicatricem non exercet, niſi in peccatores: at vero Juſtitia altera ordinat etiam homines ad peccatum, *Rom.*9. 23. vocatur autem prior *juſtitia* (vindicatrix) ſeu juſtitia *judicii*: altera vero, *dominii*.

LOCUS XIII.
De Miſericordia Dei.

QUÆSTIO I.
Eſtne Miſericordia Deo eſſentialis?

Reſp. Utique; nam Miſericordia Dei, nihil aliud eſt, quam Bonitas ejus. vid. *Rom.*2. *v.*4. 2 *Theſſ.*1. 11. *Tit.*3. 4, 5.

II. *Quid differt Miſericordia à Gratia Dei?*

Reſp. In hoc, quia omnis Miſericordia eſt Gratia, at non omnis Gratia eſt Miſericordia: verbi gratia, Deus, dum benefacit Angelis bonis, Gratiam iſtis exhibet, ſed non Miſericordiam, quia Miſericordia exhibetur iis qui miſeri ſunt; at vero Angeli nunquam miſeri fuerunt: at vero iſta Gratia quæ hominibus eſt exhibita, eſt Miſericordia, quia hominibus miſeris exhibetur.

III. *Quid differt Bonitas à Gratia Dei?*

Reſp. Hoc ipſo, quia omnis Gratia eſt Bonitas, at non omnis Bonitas eſt Gratia; nam Bonitatem exhibet omni creaturæ, dum eam creat, gubernat & conſervat: at Gratiam ſoli creaturæ rationali.

IV. *Quomodo illud accipiendum, quod Scriptura dicat, Deum eſſe tardum ad iram, & pronum ad Miſericordiam, cum tamen plures puniat, quam quorum miſeretur?*

Reſp. Propterea, quia nunquam aliquem punit ſine cauſa & ſine merito ejus; at vero quorum miſeretur, illorum ſemper miſeretur abſque ullo eorum merito.

LOCUS XIV.
De Decretis Dei in genere.

Actum eſt de Attributis Relatis, quæ per modum Qualitatis concipiuntur, agendum jam de Relatis, quæ per modum Actionis concipiuntur, talia ſunt Decreta Dei.

QUÆSTIO I.
Quid eſt Decretum Dei?

Reſp. Eſt definita Dei voluntas, *Act.*2. 23: 4. 28. Vocatur alias Beneplacitum Dei, *Eph.* 1. *v.*9.

II. *An Decretum Dei aliud eſt* generale; *aliud*, ſpeciale?

Reſp. Si ſumatur diſtinctio ex objecto, bona eſt.

III. *An omne Decretum Dei eſt immutabile?*

Reſp. Affirmatur, *Ieſ.*46. 10.

IV. *An Decretum Dei bene diſtinguitur in* abſolutum, *&* conditionatum?

Reſp. Minime. Promiſſiones Dei poſſunt eſſe conditionatæ, at non Decretum; quia Decretum Voluntas Dei eſt; Voluntas autem Dei Deus ipſe eſt.

V. *Annon recte dicitur Decretum generale, Decretum Providentiæ?*

Reſp. Recte; quia executio illius Decreti dicitur Providentia Actualis.

VI. *Vtrumne Decretum de fine ſit prius Decreto de mediis?*

Reſp. Affirmando, *prioritate ordinis naturæ*, non *temporis*; omnia enim in Deo ſimul ſunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

VII. *Quomodo iſta prioritas explicanda?*

Reſp. Hoc pacto, quod Deus ordinavit media ad finem, non finem propter media, etſi ſimul iſta omnia ordinaverit.

VIII. *Quomodo illud Adverſariorum accipiendum, ut Deus decrevit ab æterno, ita facit in tempore?*

Reſp. Non intelligendum eſt de ordine, quod eo ordine, quo uſus eſt in decernendo, utatur in exequendo. Nam finem prius, poſtea media ordinavit; media vero prius exequitur, poſtea finem: ſed intelligendum eſt de modo operandi.

IX. *Quomodo dicuntur abſoluta Dei Decreta?*

Reſp. Abſoluta non *à fine*, ſed *à cauſa impulſiva externa.* Omnia Deus operatus eſt propter ſe ipſum, *Prov.*16. 4. Abſoluta non *à mediis*, ſed itidem à cauſa *externa.* ut videre eſt in ſpeciali Decreto de Prædeſtinatione; Rom. 8, *Quos prædeſtinavit.*

X. *Anne Decretum Dei eſt circa omnia, bona, mala, maxima, minima, contingentia & neceſſaria?*

Reſp. Affirmando, ex *Thren.*3. 37.

XI. *Anne aliud Decretum* effectivum; *aliud*, permiſſivum?

Reſp. Ita: Videre eſt hoc in Attributis Voluntatis Divinæ.

XII. *Quomodo vocatur Decretum ſpeciale Dei, concernens creaturam rationalem, & finem ejus ſupernaturalem?*

Reſp. Vocatur *Prædeſtinatio*, Rom. 8. 30.

XIII. *Quotuplex alias à Scholaſticis conſtituitur Decretum Dei?*

Reſp. Formale, vel *virtuale*; vel quod Deus vult hoc, ſed non ſine hoc: Exemplum in naufragio Pauli, *Act.*27.

Locus XV.
De Prædeſtinatione in genere.
Et in ſpecie
DE ELECTIONE.

Quæstio I.
Quid eſt Prædeſtinatio?

RESP. Eſt rei ad ſui finem deſtinatio, *Rom.* 8. 19. *Eph.*1. 5.

II. *An vox* Prædeſtinationis, *tam electioni, quam reprobationi tribui poteſt & debet?*

Reſp. Sic. 1. Quia electio expreſſe vocatur Prædeſtinatio, *Rom.*8. *Eph.*1. 2. Mala dicuntur prædeſtinata, *Act.*2. *v.*23. & 4. *v.*27, 28. 3. Patet hoc ex æquipollentibus, quæ occurrunt in Scriptura, *Poſiti ad hoc, ut ad ſermonem impingant*, 1 Pet.2. 8. Judæ 4.

III. *Quomodo accipiendum illud*, Rom.8, *Quos prædeſtinavit, vocavit?*

Reſp. Quos prædeſtinavit conformandos imagini Filii ſui, *Rom.*8. 29.

IV. *Quodnam eſt objectum Prædeſtinationis in genere?*

Reſp. Aliud eſt ratione *finis*, prout eſt in *intentione*; & ita eſt homo creabilis, ſive abſolute conſideratus, *Rom.*9. 20. & 11. 25. Deus finem non decrevit de nihilo, nec de homine, quem decreverat creare, quia alias decreviſſet aliquid nullo fine; Ergo de homine creabili. Ratione *finis*, *prout eſt in executione*, eſt homo condendus, conditus, in lapſum permittendus & lapſus, *Ieſ.*54. 16. *Rom.*9. 22. 1 *Theſſ.*5. 9. Quia Deus non potuit pervenire ad finem ſuum, quem propoſitum habuit in creatione hominis, qui erat declaratio Miſericordiæ & Juſtitiæ Dei punientis.

V. *Quomodo dicitur Deus non poße ad ſuum*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ſuum finem pervenire, anne ex eo non arguitur in Deo impotentia?

Reſp. Nequaquam; nam non notat *defectum potentiæ*, ſed *objecti*; Deus enim non potuit benefacere creaturæ, ſi creatura non eſſet; ſic dives non poteſt erogare eleëmoſynam, ſi non ſit pauper: non *defectu potentiæ*; poteſt enim hoc facere: ſed *objecti*, cum nullus ſit pauper.

VI. *Quid eſt Electio?*

Reſp. Eſt Decretum Dei, ſecundum quod Deus decrevit aliquorum lapſorum miſereri, atque adeo ordinavit Chriſtum ipſis in Mediatorem, & decrevit ipſos fide donare, ut eo pacto Miſericordiam in ipſis declaret.

VII. *Quodnam eſt objectum Electionis?*

Reſp. Homo lapſus, *Rom.* 9. 16. Non autem omnes & ſinguli homines; non enim omnes electi, *Matth.* 20. 16. benedicti in Chriſto, *Eph.* 1. 3, 4. nec fides eſt omnium, 2 *Theſſ.* 3. 2. Deinde Scriptura indicat quemdam eſſe cœtum reproborum, *Ioan.* 6. 44. *Rom.* 9. 18. & 11. 7.

VIII. *Anne cauſa meritoria Electionis eſt Chriſtus?*

Reſp. Non: quia eſt medium, per quod Deus nobis electionem & ſalutem exequitur, *Rom.* 3. 25. *Ioan.* 3. 16.

IX. *Quomodo dicimur Electi in Chriſto*, Eph. 1?

Reſpondet Auguſtinus: Non quia *eramus*, ſed ut *eſſemus*.

X. *Annon Salus noſtra præſtat Chriſto, quia finis præſtat mediis?*

Reſp. Diſtinguendum inter eſſe *abſolutum* & *relatum* alicujus: poteſt ratione reſpectus alicujus aliquid inferius eſſe alio, ſive ſecundum naturam relatam; quod tamen eſt præſtantius ſecundum naturam abſolutam. Tales ſunt Angeli Dei, qui propter hominem dicuntur creati, adeoque catenus hominibus indigniores; ſed abſolute conſiderati, præſtantiores ſunt homine, *Hebr.* 1. 14. Talis eſt incarnatio Filii Dei, munus ipſius Propheticum, Sacerdotale & Regium, quæ majorem habent perfectionem, quam hominis Redemptio, etſi hujus gratia omnia hæc fuerint ſuſcepta.

XI. *Annon ex prævisa Fide ſumus electi?*

Reſp. Non. 1. Quia ex Electione Fides ſequitur, *Rom.* 8. *v.* 30. *Act.* 13. 48. *Iac.* 2. 5. 2. Quia Fides eſt medium obtinendi finem Electionis, 2 *Theſſ.* 2. 13. 3. Quia Scriptura diſerte Fidem ab ordine cauſandi Electionem excludit, *Rom.* 9. 11.

XII. *Quomodo illud intelligendum*, Hebr. 11, *Sine fide impoſſibile placere Deo?*

Reſp. Aliud eſt, *placere*; aliud, *amari* à Deo; nos ſumus amati, antequam placeremus illi, *Rom.* 5. 6, 8. Amore ſcilicet *benevolentiæ*, Joan. 3. 16. Eph. 1. 5, 6.

XIII. *Annon propter prævisa bona opera ſumus electi?*

Reſp. 1. Rotunde hoc negat Spiritus Sanctus, *Rom.* 9. 11. 2 *Tim.* 1. 9. *Tit.* 3. 5. 2. Quia opera ſunt finis & effecta electionis, & tempore poſteriora, *Eph.* 1. 4. & 2. 10. 3. Quia non ſunt cauſa vocationis & juſtificationis; Ergo nec electionis, *Rom.* 3. *v.* 20, 28. *Gal.* 2. 16. 2 *Tim.* 1. 9.

XIV. *Bene-ne diſtinguitur* Electio *ad* Gloriam, *& ad* Gratiam?

Reſp. Unum quidem in Deo ſunt, ſed ex noſtro concipiendi modo diſtinguuntur. Nam Electio ad Gratiam, eſt Electio ad media: Electio ad Gloriam, eſt Electio ad finem.

XV. *Quomodo, ſi Chriſtus medium Electionis ſit, dicimur prædeſtinati conformandi Filio ejus; nam hoc pacto Filius, primo prædeſtinabitur: quod repugnat medio; nam medium poſterius eſt intentione, quam finis*, Rom. 8. 29.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Reſp. Chriſtus eſt medium omnium primum, ac proinde nos, ratione mediorum, quæ in nobis exſurgunt, debemus conformari Filio ejus. Non ergo hic agitur de fine, ſed de comparatione medii primi ad media orta.

Locus XVI.
De Reprobatione.

Quæstio I.
Quid eſt Reprobatio?

Resp. Eſt decretum Dei, ſecundum quod Deus ſtatuit aliquos in lapſu relinquere, & eos propterea punire ad manifeſtandam ſuam juſtitiam, *Rom.* 9. 22.

II. *Quomodo reprobatio dicitur eſſe cum odio, cum odium ſit peccatum.*

Reſp. Odium eſt duplex: *negativum*, & hoc nihil aliud eſt, quam nolle bonum alicui; & de hoc odio agit Spirit. Sanct. *Rom.* 9. *v.* 22. aliud, *poſitivum*, quo Deus perſequitur peccatores; & de hoc odio agit Spirit. Sanctus *Pſal.* 5. 6.

III. *Quodnam eſt objectum Reprobationis?*

Reſp. Homo lapſus, *Rom.* 9. 22. & permittendus in lapſum.

IV. *Anne peccata ſunt cauſa Reprobationis?*

Reſp. Non. Si enim peccata eſſent cauſa Reprobationis, nullus eſſet electus; cum Deus omnes homines peccatores eſſe prævideri; ante enim oſtenſum in genere, decreti Dei nullam eſſe cauſam externam; Reprobatio autem decretum Dei eſt.

V. *Eſtne bona diſtinctio inter reprobationem* poſitivam, *&* negativam? *& quid ſunt?*

Reſp. Eſt bona; nam *Reprobatio negativa*, nihil aliud eſt, quam non eſſe electum ad vitam æternam; quod effertur Apoc. 20. v. 15, *Non eſſe ſcriptum in libro vitæ.* Poſitiva eſt ordinatio ad mortem æternam, *Rom.* 9. 21.

VI. *Vt Deus facit in tempore, ita ab æterno decrevit. At condemnat propter peccatum ab æterno. Ergo decrevit condemnare ab æterno.*

Reſp. Particula iſta *propter*, non conſtruenda eſt cum *decrevit*; ut ſenſus ſit, propter peccatum decrevit, ſive decretum facit propter peccatum: ſed cum *condemnavit*; ut ſenſus ſit, propter peccatum fit condemnatio.

VII. *Eſtne bona iſta diſtinctio Reprobationis, in* Abſolutam, *&* Comparativam: *Abſoluta illa dicitur, qua quis ordinatur ad æternam condemnationem; efferri ſolet his phraſibus*, præſcriptum eſſe ad æternam damnationem, *Iudæ* 4. Vaſa compacta ad interitum, *Rom.* 9. 22. *Comparativa, quâ quis ad graduum majorem & minorem pœnam reprobatur; Ex. gr. Illi qui graviores pœnas ſubituri ſunt, reprobati ſunt comparate ad minores pœnas?*

Reſp. Utique: *Thren.* 3. 37.

VIII. *An ſi ordinavit aliquos ab æterno ad æternum exitium, ordinarit etiam ad peccatum?*

Reſp. Ita eſt: 1 *Pet.* 2. 8. *Iudæ* 4.

IX. *Quandoquidem neceſſario ſequitur peccatum Reprobationem, an non Reprobatio eſt cauſa peccati?*

Reſp. Non; quia ſaltem eſt iſtius *antecedens*: ut Solem neceſſario ſequuntur tenebræ, quarum tamen non eſt cauſa Sol, ſed antecedens.

Locus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

LOCUS XVII.
De Attributis Dei impropriis.

QUÆSTIO I.

Tribuuntur Deo Attributa, deſcendere, obliviſci, venire, iraſci, contriſtari, pœnitere, *& quæ talia, quæ Deo proprie non competunt, quomodo cognoſcitur, hæc Deo non proprie tribui?*

RESP. Quia pugnant cum ipſius Attributis proprie ipſi competentibus; ut, *deſcendere, venire*, cum immenſitate Dei; *obliviſci*, cum omniſcientia, quia unico & individuo actu novit omnia; *iraſci, pœnitere*, cum ipſius immutabilitate.

II. *Quomodo igitur hæc Deo tribuuntur?*

Reſp. In genere per ἀνθρωποπάθειαν, ſicut membra humana per ἀνθρωπομόρφειαν, hoc eſt, per metaphoram ab homine deſumptam. Ita, *deſcendere, venire*, nihil aliud notant, quam præſentiam ejus ſanctiſſimam, non quod veniat aut deſcendat, ſed quod homines ſoleant hoc facere, cum dicuntur præſentes eſſe alicui rei. *Obliviſci* notat in Deo, nolle punire; quia cum homines, eos qui pœnam merentur, non puniunt, cum poſſint, id plerumque ex oblivione faciunt. *Pœnitere* dicitur, non quod ipſum pœniteat, ſed quod ſicut homines quos pœnitere ſolet alicujus rei, faciunt, ut rem mutent, ita Deus ipſe immutabilis mutare res ſolet. *Amor, ira, & alii affectus*, notant in Deo voluntatem & effecta.

LOCUS XVIII.
De S. S. Trinitate.

QUÆSTIO I.

Quæritur an in una Eſſentia ſint plures Perſonæ?

RESP. Affirmatur, *Gen.*3.*v.*22: 11.7: 12.26. *Eſaï.*48.16.

II. *An iſta pluralitas debeat referri ad numerum quaternarium?*

Reſp. Non: *Ieſ.*48.12, 16. & 63.7, *ad* 11. *Matth.*28.19.

III. *An iſta vocabula toleranda in Scriptura, quia non haberi videntur?*

Reſp. At res ipſa habetur in Scriptura; ubi autem de re conſtet, in verbis faciles eſſe debemus. Æquipollens perſonæ extat, *Heb.*1.3. Ubi Chriſtus ὁ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως τοῦ πατρός. Idem de vocabulo *trinitatis* cenſendum; hujus enim ſynonymum à lege conjugatorum eſt; vide, 1 *Ioan.*5.7.

IV. *Anne tres Dii hoc pacto ſtatuendi, cum Theologi noſtri docent, vocem Dei dupliciter accipi in S.Scriptura*, ὑποστατικῶς, *&* οὐσιωδῶς· ὑποστατικῶς, *pro perſona ipſa*; οὐσιωδῶς, *pro eſſentia; cum ergo tres ſint* ὑποστάσεις, *tres etiam erunt Dii* ὑποστατικῶς;

Reſp. ὑποστατικῶς dum dicitur, non *abſtractive*, hoc eſt, pro ipſo modo: ſed pro modo cum eſſentia eſt accipiendum, ut Pater, Filius & Spiritus Sanctus: non ergo tres erunt Dii ὑποστατικῶς, quia utut tres hypoſtaſes, una tamen eſſentia.

V. *Quæ eſt definitio Patris?*

Reſp. Eſt prima Perſona Deitatis, quæ Filium ab æterno genuit, *Pſal.*2.*v.*7. *Prov.*8.22, 24. *Mich.*5.2. Ideo vocatur Filius unigenitus Dei, *Ioan.*1.14. Proprius, *Rom.*8.3, 32. Generatio hæc activa dicitur, eſtque characteriſtica & interna proprietas Patris, qua à Filio & Spiritu Sancto ὑποστατικῶς diſtinguitur: Etſi ſpiratio activa Patri conveniat, ea tamen characteriſtica ejus proprietas non eſt, quia ei cum Filio eſt communis.

VI. *Quomodo Pater dicitur Principium Divinitatis?*

Reſp. Non *cauſalitatis*, ſed *originis*.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

VII. *Annon Filius & Spiritus S. poſſunt dici Principiata?*

Reſp. Nequaquam; quia Eſſentiæ ejuſdem cum eo ſunt: De Filio vide, *Ioan.* 5. 18, 20. & 10. 30. *Phil.* 2. *v.* 6. De Spiritu S. prob. ex iiſdem locis, ex quibus Spiritus Sancti divinitas aſtruitur.

VIII. *Annon ergo Filius & Spiritus Sanctus erunt* αὐτόθεος, *quandoquidem Filius ex Patre, Spiritus Sanctus ex utroque?*

Reſp. Omnino ſunt αὐτόθεος, quia eandem habent Eſſentiam cum Patre.

IX. *Quænam eſt deſinitio Filii?*

Reſp. Eſt ſecunda Perſona Deitatis, à Patre ab æterno genitus, & unigenitus dicitur, *Ioan.* 3. 16; & proprius, *Rom.* 8. 3, 32.

X. *Vtrumne Filius Dei ab æterno ex eſſentia Patris genitus?*

Reſp. Prius prob. hiſce rationibus. 1. Quia Filius Dei vocatur proprius, *Rom.* 8. 32. Filius autem proprius eſt è ſubſtantia alicujus; hoc enim diſtinguitur à Filio adoptivo. 2. Quia dicitur Filius unigenitus, *Ioan.* 3. *v.* 16. Quod autem ſit genitus, probatur *Prov.* 8. 22, *ad* 26.

XI. *Quare ergo dicitur*, quaſi unigenitus? *Ioan.* 1. 14.

Reſp. Particula *ſicut*, *quaſi*, vel expreſſiva veri eſt, vel aſſimulativa. *Quaſi* hic eſt expreſſiva veri, ut veritatem rei notet; ſicut cum dicitur, Luc. 22. *v.* 44, *Erat autem ſudor ejus quaſi grumi ſanguinis.* non aſſimulativa.

XII. *Anne Deus deſiit gignere, an vero adhuc active gignit: quod utrumque videtur abſurdum; Nam ſi non deſiit gignere, imperfecta eſt generatio Filii; Si vero deſiit, mutatio in ipſo eſt facta?*

Reſp. Calvinum quidem malle dicere, quod deſierit gignere; & aſpernari hoc, tanquam ſophiſticum. Nos cum Zanchio dicimus: non magis abſurde dici eſſe generationem adhuc, quam procedere Spiritum Sanctum à Patre & à Filio; quod clariſſime docet Scriptura, *Ioan.* 15. 26. Quod autem affertur, imperfectam eſſe generationem, hoc nec in Philoſophia quidem obtinet; nam ſunt aliqui actus, qui continuantur, & tamen ſunt perfecti, ut viſio, radiorum ex ſole ſparſio; ſi hoc non valet in Philoſophia, multo minus in Theologia.

XIII. *Proba, Filium Dei eſſe æternum Deum.*

Reſp. 1. Ab attributis Dei, quæ ipſi tribuuntur, ut quod ſit Omniſcius, *Ioan.* 2. *v.* 25. & 21. 17. Quod ſit Omnipotens, *Col.* 1. *v.* 17. *Hebr.* 1. 3. 2. Ab operibus Deo propriis, qualia ſunt, Creatio, *Ioan.* 1. Regeneratio, 2 *Cor.* 5. 17. 3. Ab illis locis, quæ Deo attribuuntur in V. Teſtamento, Chriſto tribuuntur in N. T. *Eſai.* 6. Confer, *Ioan.* 12. 28. & 42. *Hebr.* 1. 4, 5, *uſque ad* 14. conferatur cum locis iſtis, in quibus expreſſe vocatur Deus, *Ioan.* 1. *v.* 1. *Act.* 20. 28. *Rom.* 9. 5. *Tit.* 2. 13. 1 *Ioan.* 5. *verſ.* 20.

XIV. *Cum dicitur*, Joan. 1. v. 3, *Omnia per Chriſtum facta, annon potius Chriſtus cauſa inſtrumentalis, quam principalis, ſtatuitur?*

Reſp. Negatur; quia eodem modo ipſi tribuitur Creatio, quo Patri, *Pſal.* 102. 26, 27. *Hebr.* 1. *v.* 10. Et propterea, quia apud *Ioan.* Omnia dicuntur per ipſum facta, abſolute enuntiatur, *Hebr.* 1. 10.

XV. *Annon particula* per *ſemper denotat cauſam inſtrumentalem, an vero etiam principalem?*

Reſp. Affirmatur poſterius, *Rom.* 11. 36. 1 *Cor.* 1. 9.

XVI. *Quare ergo dicitur*, Joan. 5, *Quod Chriſtus non poſſit à ſe ipſo operari?*

Reſp. Fit hoc, non ex *defectu potentiæ*; ſed ex *inſeparabilitate naturæ*; quod Chriſtus, *Ioan.* 10, urget, *Ego & Pater ſumus unum.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

XVII. *Quare Chriſtus dicit*, Joan. 15, *Pater eſt major me?*

Reſp. Major, reſpectu *naturæ humanæ*, tum ratione *officii mediatorii*; de quo iſta regula Theologorum: *Inæqualitas officii non tollit æqualitatem naturæ.*

XVIII. *Vtrumne Sp. Sanctus tam à Filio, quam à Patre procedit?*

Reſp. Imo. 1. Quia vocatur Spiritus Chriſti & Patris, *Rom.*8. 9. *Gal.*4. 6. 2. Quia dicitur non à ſemetipſo locuturus, *Ioan.*16. 13. Sed hoc intelligendum ratione ordinis. Quod vero Filius alibi à Spiritu Sancto mitti dicatur, *Eſai.*61. 7. *Luc.*4. 18, id non *qua filius*, ſed humanæ naturæ reſpectu, ut & *unctus*, intelligendum eſt.

XIX. *Quare ergo dicitur à Patre emanare?* Joan.15. 16.

Reſp. Non dicitur *excluſive*, ſed *incluſive*.

XX. *Annon duplex proceſſio?*

Reſp. Nequaquam; quia iſti duo unum ſunt eſſentia, Joan.10, *Ego & Pater unum ſumus.*

XXI. *Quid eſt Spiritus Sanctus?*

Reſp. Eſt tertia Perſona Divinitatis, quæ à Patre & Filio pariter procedit; hinc Spiritus tam Patris, quam Filii appellatur.

XXII. *Anne Spiritus Sanctus eſt Perſona?*

Reſp. Imo; ratio, quia ipſi tribuitur intellectus, 2 *Cor.*11. Voluntas, 1 *Cor.*12. *v.*11. Vita, tam *ſubjectiva*, *Gen.*1. 2; quam *effectiva*: eſt enim auctor vitæ, tam animalis, *Iob.* 33. 4; quam Spiritualis, *Ioan.*3. *v.*5. Dicitur etiam in nomine ipſius aliquid fieri; quod non competit niſi perſonæ, *Matth.*28. 19.

XXIII. *Annon Spiritus Sanctus eſt Deus?*

Reſp. Eſt; quia ipſi attribuuntur attributa veri Dei: ut, 1, Immenſitas, *Pſal.*139. 6, 7. Omniſcientia, 1 *Cor.*2. 15. Æternitas, *Hebr.* 9. *v.*14. Abſoluta poteſtas agendi quæ vult, 1 *Cor.*12. *v.*11. 2, Operationes Dei propriæ: ut, Creatio, *Iob.*33. 4. Regeneratio, *Ioan.* 3. 5. Rerum omnium Conſervatio, *Gen.*1. 2. 3, Ea quæ tribuuntur vero Deo in Vet. Teſtamento, ipſi accommodantur in N.T. *Eſai.*6. 9. *Act.*28. 25. & quæ citantur, *Hebr.*3, ex Vet. Teſtamento, accommodantur Spiritui Sancto. 4, Quia vocatur Deus abſolute, 2 *Sam.*23. 2, 3. *Act.*5. Confer *tertium* verſum cum *quarto*.

LOCUS XIX.
De Creatione.

EGimus hactenus de Deo abſolute, jam nobis agendum de Deo Creatore.

QUÆSTIO I.

Num Deus imperfectus & mutabilis eſt, qui nomen accipit ab effectis, ut vocetur Creator; nam videntur hæc imperfectionem & mutationem importare?

Reſp. Sciendum ex hoc nihil mutationis in Deo, ſed in Creatura, quæ cum antea non fuerit, cœpit eſſe: nec exinde quod Creator dicitur, inde ad ipſum imperfectio; quia non eſt reſpectus Dei ad creatorem, ſive relatio realis, ſed rationis: unde enim hoc nomen habet, quod vocetur Creator?

II. *An Deus ſolus eſt Creator omnium rerum?*

Reſp. Utique; Quia Scriptura nulli alteri tribuit Creationem, niſi ſoli Deo, *Exod.*20. 11. Perfecit, *Ioan.*1. 3. *Gen.*2. 2. vide & *Eſai.*42. 5.

III. *Annon Deus uſus inſtrumento, dum Scriptura dicit*, Omnia per Chriſtum facta?

Reſp. 1. Neutiquam; nam Filius æqualiter operatur ac Pater, *Ioan.*5. 19. & propterea etiam ipſi Spiritus Sanctus omnium rerum Creationem attribuit, eo plane modo, quo Patri. confer *Hebr.*11. 10. cum *Pſal.*102. 26, 27. Particula autem illa *per* non ſemper notat cauſam inſtrumentalem, ſed principalem, *Rom.* 11. 36. 1 *Cor.*1. 9.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

IV. *Vtrumne Deus omnia ex nihilo fecit?*

Reſp. Imo; *Rom.*4. 17. *Hebr.* 11. 3. *Nihil* dupliciter capitur; vel *privative*, vel *negative*: *Negative*, de *primaria* creatione ſive *immediata*: *Privative*, de *mediata* ſive *ſecundaria*.

V. *Quorſum ergo diſtinguitur Creatio in mediatam, & immediatam?*

Reſp. Ex eo, quod Deus quidem omnia fecit ex nihilo primum, poſtea tamen quædam ex illis creavit, quæ antea ex nihilo fecerat, ut è terra hominem, è coſta feminam.

VI. *Quid eſt Creatio?*

Reſp. Eſt actio, qua Deus omnia ex nihilo creavit, aut etiam è materia indiſpoſita & inhabili, quam prius condiderat, ad patefaciendam, potentiæ, ſapientiæ, & bonitatis ſuæ gloriam, *Gen.*1. 1, 2. *Malach.* 2. 10. 1 *Cor.* 8. 6. *Col.*1. 16. *Pſal.*19. 3. & 33. 6. *Rom.*4. 17. *Hebr.*11. 3. *Act.*17. 24. *Rom.*1. 20.

VII. *Quotuplex eſt Creatio?*

Reſp. Duplex: *Immediata*; ad hanc pertinent Creaturæ primo die productæ, cælum (intellige cælum illud ſupremum): & terra (intellige molem craſſiorem, quæ omnibus rebus ſubcæleſtibus præbuit materiam). vide *Gen.*1. 2. His adde & animam hominis, quæ licet ſexto die, immediate tamen in primi hominis creatione corpori ex pulvere formato à Deo indita, *Gen.*2. *v.*7. Addantur & Angeli. vide *quæſt.* 26. Et *mediata*; ad hanc vero omnes iſtæ creaturæ, quæ reliquis quinque diebus divinæ virtutis efficacia prodierunt. *Immediata* eſt, quando Deus omnia ex nihilo fecit. *Mediata*, ex materia inhabili.

VIII. *Annon ex materia dicuntur omnia creata, cum dicantur omnia facta ex nihilo?*

Reſp. Particulam iſtam *ex nihilo*, non eſſe notam *materiæ*, ſed *termini à quo*.

IX. *Vtrumne Deus omnia propter certum finem creavit?*

Reſp. Imo, *Prov.*16. 4.

X. *Annon Deus eguit iſtis quæ creavit, quia dicitur propter ſe feciſſe?*

Reſp. Diſtinguendum inter finem *perfectionis*, & *indigentiæ*: Deus operatus eſt omnia propter ſe, tanquam finem *perfectionis*, hoc eſt, ut ſe communicaret creaturis; non *indigentiæ*. Non tamen cadere in Deum *formalem* communicationem æſtimandum; ſed *effectivam*, cum *generalem*, tum *ſpecialem*.

XI. *Quotupliciter accipitur vox* creandi?

Reſp. Dupliciter; vel ex nihilo aliquid producere, vel ex materia indiſpoſita: illud prius, vocatur Creatio immediata; poſterius, mediata.

XII. *Quomodo differunt* creare, & facere?

Reſp. Aliquando iſta æquipollentia ſunt, ut ex hiſtoria Creationis apparet; quæ enim Deus dicitur creaſſe, eadem etiam dicitur feciſſe; aliquando vero latius patet, ut notet omne opus Dei; & hoc modo accipitur, *Ioan.*1. 3.

XIII. *An Creatio ex natura monſtrari poteſt?*

Reſp. Utique. docet hoc Spiritus Sanctus, *Rom.*1. 19, 20.

XIV. *Quid reſpondes ad illud*, Heb. 11. 3, *Per fidem intelligimus*?

Reſp. Cognitio alia *diſtincta*, alia *confuſa*: diſtinctam non habemus, niſi ex Scriptura; confuſa vero ex natura eſt.

XV. *Qualis eſt iſta materia, quam Deus creavit, ex qua omnia producta?*

Reſp. Quoad *ſubſtantiam*, partim terrea, partim aquea; quoad *quantitatem*, magna & ſine fundo moles, ſeu, ut ait Moſes, *tohu bohu*; quoad *qualitatem*, tenebroſa & obſcura.

XVI. *Quomodo illam materiam informavit?*

Reſp. Diſtinctione, & exornatione; diſtinctio in eo, quando Deus lucem à tenebris diviſit, terram ab aquis, *Gen.* 1. Exornatio autem conſiſtebat tum in productione herbarum, tum in productione animalium omnis generis, ſive in aëre, ſive in aquis, ſive in terris; tum denique productione luminarium magnorum, Solis, Lunæ, aliarumque ſtellarum.

XVII. *Anne Deus omnia fecit in inſtanti?*

Reſp. Videtur hoc Scriptura innuere, cum ad juſſum Dei dicuntur omnia extitiſſe, dixit, fecit & fuit, Eſto Lux, & fuit lux, *Gen.* 1. 3. *Pſal.* 33. *v.* 9.

XVIII. *Quare ergo dicitur ſex diebus feciſſe terram?*

Reſp. Non quod toto die crearit, ſed quod momento ſingulorum dierum, quod iſto die creaſſe dicitur, *Gen.* 1, creaverit.

XIX. *Quomodo dicitur Deus quieviſſe die ſeptimo? an jam non creat?*

Reſp. Utique: ut apparet, *Ioan.* 5. 17. cum autem dicitur quieviſſe, intelligendum eſt de novis ſpeciebus creandis (non autem quievit à ſpeciebus creatis conſervandis & propagandis) quia ſcilicet nullas poſt tempus hoc ſex dierum novas ſpecies creat.

XX. *Si ita res ſe habet, cur ergo Deus minatur ſpinam & carduum primo homini?* Gen. 3. 18. *Item, annon multa mirabilia eveniunt, quæ antea non ſunt facta, ut ſtellæ aliquæ novæ?*

Reſp. Quoad ſpinam & carduum attinet, illa poterant antea eſſe facta, etſi in agris ipſis nullus locus eſſet; ſed tum cœpiſſent, poſtquam Adam peccaſſet. Quod ad alteram quæſtionem attinet, notandæ ſunt diſtinctiones Theologorum, quod Deus non faciat tale quid *ordinarie*, ſed *extraordinarie*; item, quod corpora iſta non ſint *regularia*, ſed *irregularia*: Scriptura autem loquitur de regularibus.

XXI. *Quomodo illud intelligendum,* Gen. 1. 31, *Erant valde bona?*

Reſp. Intelligitur ibi bonitas cuique rei conveniens: & ſenſus verborum eſt, quod Deus fecerit omnia ita, ut bonitatem, quæ ipſis debebatur, haberent.

XXII. *An Angeli ſunt facti boni?*

Reſp. Imo: *Gen.* 1. *verſ.* 31. *Ioan.* 8. *v.* 44. *Iudæ* 4.

XXIII. *Quomodo illud accipiendum,* Fuit homicida à principio?

Reſp. Non à principio *ſuæ exiſtentiæ*, ſic enim à Deo factus fuiſſet malus; ſed à *principio hominis conditi*, quem ita ſtatim aggreſſus peſſundebit.

XXIV. *Quid eſt peccatum Diabolorum, ſive Angelorum malorum?*

Reſp. Scriptura de eo non dicit; veriſimile tamen eſt, eum peccaſſe ſuperbia, idque ex eo, quod hominem ad ſuperbiam inſtigaverit.

XXV. *An Angelus aliquis primo lapſus, reliquos Angelos poſtea ad peccandum induxit?*

Reſp. Videtur probabile, *Matth.* 25. *v.* 41. Ubi ſermo de Diabolo & Angelis ejus.

XXVI. *Quo die Angeli facti ſunt?*

Reſp. Factos eſſe, clarum eſt, *Col.* 1. 16. Quo autem die, non conſtat; plerique tamen Theologi conſentiunt, & putant, die ſecundo. Probabilior tamen videtur illorum ſententia, qui primo die una cum cælo ſupremo, cujus ſunt incolæ, creatos eſſe ſtatuunt; hinc Angeli cælorum dicuntur, *Matth.* 24. *v.* 36. *Gal.* 1. 8. Vide & locum *Iob.* 38. *v.* 7. ubi *aſtra matutina* vocantur.

XXVII. *Annon Angeli conſtant ex materia & forma?*

Reſp. Neutiquam; quia ſunt Spiritus, *Hebr.* 1. 14. Spiritus autem corpora non habent.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

XXVIII. *Quot modis Angeli hominibus apparuerunt?*

Reſp. Vel in ſomniis, vel in viſione, ut Prophetis. de priori, vide *Matth.* 1. 20.

XXIX. *Anne Angeli aſſumptis corporibus apparuerunt?*

Reſp. Utique: ita apparuerunt Abrahamo, Iſaaco, Jacobo.

XXX. *Vnde iſta corpora?*

Reſp. Vel à Deo creantur, vel mortuorum corpora aſſumuntur; unde illa, quæ ex nihilo creantur, in nihilum rediguntur, alia vero in terram?

XXXI. *Anne moventur loco Angeli?*

Reſp. Moventur, *Luc.*16, de Lazaro; item *Luc.*1. 26. Sic Jacob vidit è cælis deſcendere, & in cælos aſcendere, *Gen.*28. 12.

XXXII. *Qualis cognitio cadit in Angelos?*

Reſp. Triplex. 1, *Naturalis* ſive habitualis, *Ioan.*8. 44. quæ cum ipſa natura ipſis indita. 2, *Experimentalis* ſeu acquiſita, *Dan.*8. 16. & 9. 21. quam per experientiam habent. 3, *Revelata*, Eph.3. 10. Luc.15. 10. qua ipſis hæc vel illa divinitus revelantur.

XXXIII. *Anne ſingulorum hominum actiones norunt?*

Reſp. Non: *Hebr.*4. 13. ſed eorum tantum quorum cura ipſis demandata, *Act.*10. 4.

XXXIV. *Anne cogitationes noſtras norunt?*

Reſp. Non: ſolus enim Deus καρδιογνώστης, 1 *Cor.*2. 11.

XXXV. *Anne in Angelos cadunt affectus, lætitia, triſtitia?*

Reſp. Cadunt; *Luc.*15. 10. Sed eo modo, quo Angelicæ naturæ competit.

XXXVI. *Anne Angeli loquuntur?*

Reſp. Loquuntur: ſed lingua nobis incognita; modo vero loquendi inter ſe noto, 1. *Cor.* 13. 1.

XXXVII. *Cur Deus vult uti miniſterio Angelorum?*

Reſp. Non ex *neceſſitate*, ſed ex *beneplacito*; non ob *indigentiam*, ſed *complacentiam*.

XXXVIII. *Vtrumne Angeli boni confirmati in bono, ut labi nequeant?*

Reſp. Affirm. *Matth.* 22. 30, Similes erimus Angelis in cælo; atqui nos tum non poterimus mori, morte temporaria, *Luc.*20. 36. nec morte æterna, *Luc.*16.26.

XXXIX. *Vtrumne Angeli Dei ad imaginem Dei conditi?*

Reſp. Imo: quod patet ex definitione imaginis Dei & partibus ejus; Nam etiam intellectus & voluntas, itemque rectitudo eſt longe præſtantior quam in homine.

XL. *Anne ordo inter Angelos?*

Reſp. Imo: *Col.*1. 16. Sed ratione *officiorum*, quia aliis majora, aliis minora demandata ſunt; Non autem ratione *naturæ*.

XLI. *Quæ cauſa iſtius ordinis?*

Reſp. Hæc ignoratur, ſed tamen aliqui Theologi putant, iſtum ordinem variari, prout ad hoc vel illud mittuntur, & ad hæc vel illa officia obeunda legantur.

XLII. *Vtrumne Angeli, qui ſunt Spiritus miniſtratorii, multi unum hominem cuſtodiunt, an ſinguli ſingulum?*

Reſp. Et multi aliquando unum; & unus unum, *Pſal.* 91. 11. *Actor.*12. 15.

XLIII. *An homo ad imaginem Dei factus, & in quo illa conſiſtat?*

Reſp. 1. Affirm. *Gen.*1. *v.*27. 1*Cor.*11. 7. *Col.*3. 10. 2. Conſiſtit imago Dei, ut bene à noſtris Theologis docetur, in tribus iſtis. 1, In *Natura*, Gen.9. 6. 2, In *Rectitudine*, Eph. 4. 24. Col.3. v.10. 3, In *Dominio*, Gen. 1. verſ.26.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

XLIV. *Quid eſt imago Dei?*

Reſp. Eſt ſecundum quam homo ſimilis eſt Deo ratione voluntatis, intellectus, ſanctitatis, juſtitiæ & dominii in omnia.

XLV. *Vtrumne homo duo tantum habet principia interna, animam & corpus?*

Reſp. Imo; ut videre eſt, *Eccleſ.* 12. *v.* 9. *Matth.* 10. 28.

XLVI. *Quid reſpondes ad objectionem, ex* Theſſ. 5. v. 23. *Item* Heb. 4. v. 12. *Vbi tria nominantur, corpus, anima & ſpiritus?*

Reſp. Unam ibi ſignificari animam, ſed ex facultatibus denotari: nam per animam oppoſitam ſpiritui, notatur facultas ſenſitiva; per ſpiritum vero oppoſitum animæ, notatur facultas rationalis.

XLVII. *Quanam materia fuit hominis?*

Reſp. Terra; eaque materia fuit non naturalis, ſed obedientionalis.

XLVIII. *Quotuplex vita hominis?*

Reſp. Duplex; *animæ*, & *compoſiti*: Hæc *accidentalis*; illa *eſſentialis* vocatur. Huic mors opponitur, non illi.

XLIX. *Annon etiam conſiſtit imago Dei in imperio viri in uxorem?*

Reſp. Imo: 1 *Cor.* 11. Eſt autem hoc ſpeciale; in aliis generalibus convenientia eſt: gradus quippe eſt imaginis Dei in viro, qui non eſt in femina.

L. *Exciderruntne homines dominio in creaturas & alia?*

Reſp. Exciderunt: reſtituuntur autem per fidem. 2. Non in *totum*, ſed in *tantum*.

LI. *Annon ergo habet Turca jus in ſua?*

Reſp. Uſurpator ſaltem eſt, ſpirituale autem jus non habet; Fidelium proprie omnia, *Rom.* 4. 16. 1 *Cor.* 3. 22.

LII. *Quotuplicia ſunt jura?*

Reſp. Vel *in rem*, vel *ad rem*: In rem, ut, poſſeſſores; ad rem, dum poſſumus nobis comparare eam. Tale jus habemus.

LIII. *Vtrumne rectitudo, ſive integritas, futura fuiſſet homini naturalis, ſi in ſtatu integritatis perſtitiſſet?*

Reſp. Affirm. 1. Quia ſine hac, natura dicitur corrupta. 2. Quia dicitur in ſumma Legis, ubi non oſtenditur quid poſſis, ſed quid debeas; quid vero debes, ex eo, quia accepiſti in ſtatu integritatis: dicitur, inquam, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*, Luc. 10. 27.

LIV. *An Deus cum iſta rectitudine hominem creavit?*

Reſp. Affirm. Negant hoc quidem Sociniani: ſed ineptiſſime; nam præter loca illa, quæ docent, imaginem Dei, ad quam homo conditus eſt, fuiſſe ſitam in rectitudine, etiam hoc probat, quod Diabolus uſus fuerit omni dolo, quum parentes noſtros aggreſſus eſſet; prius Evam, quam ſciebat infirmiorem, poſt Adam per Evam demum retibus ſuis impedivit.

LV. *Annon fuit gradus in iſta integritate, ut major fuerit in Adamo, quam in Eva?*

Reſp. Utique: liquet hoc ex tentatione Satanæ.

LVI. *Cum omnis integritas acquiratur actionibus, & Adam & Eva recens facti fuerint, quomodo in ipſis integritas eſſe potuerit?*

Reſp. Fuit iſta *infuſa*, non *acquiſita*; etſi ita infuſa eſſet, ut promanaret à principiis naturalibus ſimul.

LVII. *Si homo integer ſit factus, quomodo labi potuit?*

Reſp. Fuit bonus factus, ſed *mutabiliter*, non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

non *immutabiliter*; ut ex eventu apparet.

LVIII. *An primi parentes cum defectu non ſunt facti, quandoquidem Eva ignoravit, ſerpentem loqui; Adam vero ignoravit, fructui vetito tantam ineſſe vim, quam Satan Adamo & Evæ falſo prædicavit?*

Reſp. Cum defectu *negativo*, hoc eſt, cum tali defectu, quo cum omnis creatura eſt; at non cum *privativo*, hoc eſt, omnia habebat, quæ debebat habere ut homo; attamen non poterat omnia ſcire: nec hoc erat peccatum; ſunt enim quædam quæ non tenemur ſcire: & talis ignorantia cadebat in Chriſtum Servatorem, qua homo, *Matt.* 11. 23. & 13. 32.

LIX. *Vtrumne anima ſit ex traduce (ſemine), an à Deo infundatur?*

Reſp. De Adami conſtat, *Gen.* 2. 7. De iſtis vero qui ex Adamo propagantur, diſceptatio eſt; ſed & hæ etiam dicuntur in Scriptura, quod non ex traduce propagentur, ſed à Deo creentur, *Eccleſ.* 12. 9. *Zach.* 12. 1. *Hebr.* 2. *verſ.* 19.

LX. *Ergo homo non generat totum hominem.*

Reſp. Generat non quidem *totum hominis*, ſed *totum hominem*. Exempli gratia, faber conficit quidem totum ſcamnum, ſed non totum ſcamni, id eſt, lignum.

LXI. *Annon hac ratione brutorum generatio nobilior?*

Reſp. Non: quia ſine iſto ſpeciali concurſu cauſæ primæ fit.

LXII. *Vtrumne homo moriturus fuiſſet, ſi non peccaſſet?*

Reſp. Nequaquam; quia mors ſtipendium peccati, *Rom.* 6. 23: 8. 10. 1 *Cor.* 15. *v.* 22. *Gen.* 2. *Rom.* 5. *conditione naturæ*, non *gratiæ*, mortalis erat.

Locus XX.
De Libero Arbitrio.

Quæstio I.
Quomodo diſtinguitur Libertas?

Resp. Libertas triplex eſt. 1. *A jure*, id eſt, quæ ita libera ſunt, ut nulli ſint ſubjecta; & hæc libertas cadit in Deum. 2. *A miſeria*; & hæc cadit in Angelos Dei bonos: in hominem in hac vita non cadit, ſed cadet poſt hanc vitam, non in omnes quidem, ſed in eos duntaxat, qui cum Chriſto regnaturi. 3. *A coactione*; quæ cadit in creaturam voluntarie agentem, id eſt, in Angelos, bonos, malos; homines, regenitos & irregenitos.

II. *Quid eſt liberum arbitrium?*

Reſp. Eſt facultas libertatis, ſecundum quam voluntas objectum, ipſi ab intellectu monſtratum, poteſt rejicere & acceptare. Communiter definitur: Eſt naturalis potentia ſive facultas animæ, ſuo ac proprio motu ſine coactione eligendi vel repudiandi bonum aut malum, quod voluntati à mente ſeu intellectu eligendum aut repudiandum proponitur.

III. *Quotuplex eſt libertas?*

Reſp. Eſt vel *contradictionis*, vel *contrarietatis*. Contradictionis eſt, quod eſt de uno eodemque ſubjecto; ita poſſum velle unam rem, & eandem nolle. *Contrarietatis* eſt, quando poſſum velle bonum, omiſſo malo; vel omiſſo bono, velle malum: ſive quando poſſum eligere ex malo & bono alterutrum. Eſt & *diverſitatis* libertas, ut circa bona æqualia.

IV. *Poteſtne libertas ſtare cum neceſſitate?*

Reſp. Poteſt: Neceſſitas enim eſt vel *coactionis*, vel *immutabilitatis*: Cum hac poteſt ſtare libertas, cum illa non item; ita verbi gratia, liberrime vendiderunt fratres Joſephum, & tamen neceſſario ratione providentiæ divinæ, *Gen.* 45. 5. Item liberrime Judæi Chri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Chriſtum crucifixerunt, & tamen neceſſario, quia fecerunt definito conſilio & voluntate Dei, *Act.*2. & 4.

V. *Vtrumne de omnibus quæ libere agimus & voluntarie, eſt deliberatio?*

Reſp. Non: quia de fine ultimo nulla eſt deliberatio, finem volumus ſine deliberatione, nec de mediis liquidis ulla eſt deliberatio: Exempli gratia, Si quis excidat è navi, & funem videat, quem apprehendere poſſit, & eo modo ſe ſalvare, non deliberat, utrum funem apprehendere debeat, nec ne, ſed recta apprehendit; ita & de ceteris liquidis mediis.

VI. *Vtrumne liberum arbitrium pro diverſis hominum ſtatibus diverſe ſe habet?*

Reſp. Ita eſt: ſunt autem ſtatus iſti quatuor. 1. Status *Integritatis.* 2. *Lapſus.* 3. *Regenerationis.* 4. *Glorificationis.*

VII. *Quomodo ſe homo habebat in ſtatu* integritatis?

Reſp. Potuit ſtare, & potuit non ſtare, *Eccleſ.*7. 29. Ut ex eventu patuit.

VIII. *Quomodo autem homo ſtare potuit, cum decretum Dei eſſet ut laberetur; neque credendum eſt, hominem labi potuiſſe, ſi Deus hoc ipſi non permiſiſſet?*

Reſp. Spectatur homo vel in ſe, & ita labi potuit, & non potuit; erant enim qualitates in ipſo, per quas ſtare potuit: vel ſpectatur in ordine ad decretum Dei, & ita ſtare non potuit. In Scholis dici ſolet, potuit ſtare in *ſenſu diviſo*; non potuit, in *ſenſu compoſito.*

IX. *An liberum arbitrium in ſtatu lapſus eſt liberum, aut ſervum peccati?*

Reſp. Gravis eſt controverſia inter Lutherum, & Eraſmum. Nam Lutherus putat non eſſe vocandum liberum, ſed ſervum peccati: Eraſmus contra contendit eſſe liberum. Sed oritur illa diſputatio ex vocabulis male intellectis utrinque. Nam Lutherus accipiebat libertatem prout opponitur *miſeriæ*, & ita eſt liberum arbitrium ſervum peccati, *Ioan.*8. *v.*34. *Rom.*6. 17. Eraſmus autem accipiebat liberum arbitrium & libertatem, prout opponitur *coactioni*, & ita liberum arbitrium cadit in hominem lapſum.

X. *Anne liberum arbitrium in homine lapſo ad bonum & ad malum?*

Reſp. Nequaquam: Nam ad malum perſequendum & acceptandum liberrimum eſt, *Gen.* 6. 5. & 8. 21. *Rom.*8. 7. 1 *Cor.*2. 14.

XI. *An homo lapſus, vel animalis, poſſit velle ſuam converſionem?*

Reſp. Non: 1 *Cor.*2. 14. 2 *Cor.*3. 5. *Phil.* 1. *v.*6.

XII. *Poteſtne aliquid conferre ad ſui converſionem?*

Reſp. Non: nam non poteſt velle, quanto minus operari? quia mortuus eſt in lapſibus, *Ier.*13. 23. *Thren.*3. *Eph.*2. 5. converte nos.

XIII. *An ergo homo in primo momento regenerationis ſuæ ſe habet mere paſſive?*

Reſp. Affirm. Hinc in Scriptura dicitur *naſci*, Joan. 3. v. 5. Quemadmodum autem qui naſcitur, nil confert ad ſui generationem: ita & hic nihil ad ſui regenerationem. Vocatur *nova creatura*, 2 Cor. 5. 17. Quemadmodum autem creatura nihil ad ſui generationem; ita animalis homo nihil ad ſui regenerationem confert. Dicitur vivificatus ex mortuis, *Eph.* 2. 5. Quemadmodum qui reſſuſcitantur, nihil ad ſui reſſuſcitationem, ita animalis homo nihil ad ſui regenerationem præſtat; Et modus quidem hoc idem probat, quo Spirit. Sanctus regenerat, & quem proponit, *Ezech.* 36. *v.*26, 27.

XIV. *Ergo ſe habet in primo momento converſionis, ut rupes aut lapis?*

Reſp. Si *vim operandi* ſpectes, tum ſe certe habet ut lapis; nam nihil ad ſui regenerationem confert, & propterea vocatur cor lapideum, *Ezech.*36. Si vero ſpectes *ſubjecti habilitatem*, tum certe ſe non habet ut lapis, nam lapis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

lapis & rupes non regenerantur, ſed homo.

XV. *Quomodo liberum arbitrium non eſt in homine lapſo ad bonum, quandoquidem Deus bona ab ipſo exigit?*

Reſp. Præcepta oſtendunt non *quid poſſis*, ſed *quid debeas*; oſtendunt quid noſtri ſit officii, ſed non quid præſtare poſſimus: quod patet ex eo, quia Scriptura perfectam à nobis legis obſervationem poſtulat, & interim expreſſe docet, quod ex Lege non ſit juſtitia, *Rom.* 3. *verſ.* 20.

XVI. *Anne videtur potentia ſequi in homine lapſo ad regenerationem, quia regeneratur?*

Reſp. Eſt; ſed paſſiva, & quidem talis, qualis eſt in mortuo ad vitam, hoc eſt, talem quam Theologi & Philoſophi vocant *ſubjectivam*, & *obedientionalem*, qualis ſcilicet fuit in tenebris, ut ex illis lux fieret; proinde etiam Sp. Sanctus utrumque eadem vi effici affirmat, 1 *Cor.* 4. 6.

XVII. *Vtrum homo regenitus habeat liberum arbitrium; & quale?*

Reſp. Habet: ut patet, *Rom.* 6. *v.* 13. Sed imperfectum, *Rom.* 7. 7, *ad finem. Gal.* 5. 17. confer etiam, *Rom.* 3. 14.

XVIII. *Anne hominibus irregenitis ulla eſt libertas ad bonum ſpirituale?*

Reſp. Eſt: ſed ad illud repudiandum, non vero acceptandum.

XIX. *Anne irregenitus poteſt ſe diſponere ad ſui regenerationem?*

Reſp. Nullo modo: Nam 1. Homo irregenitus, eſt homo animalis, 1 *Cor.* 2. At homo animalis ita ſe habet, ut non poſſit facere bonum, *Matth.* 7. 18. *Ier.* 13. 23. & tantum omne malum, *Gen.* 6. *v.* 5. & 8. 21. 2. Homo irregenitus qui eſt, caro eſt *Ioan.* 3. Atqui tales qui ſunt, quæ carnis ſunt ſapiunt, *Rom.* 8. 5, 6, 7. 3. Quia in quibus peccatum regnat, illi non poſſunt ſe diſponere, *Ioan.* 8. 34. At in irregenitis, *Rom.* 6. 7. 4. Omnes tales dicuntur mortui in peccatis, *Eph.* 2. *verſ.* 1, 2, 3, 4. *Col.* 2. 13. Atqui in talibus nulla diſpoſitio ad regenerationem. Ergo.

XX. *Quid vero judicas de eo, quod aliquis poſſit eſſe diſpoſitus materialiter, qua fini producitur ad hanc rem exemplum de corpore formato Adami?*

Reſp. Similia non probant, ſed illuſtrant; probatio ergo debet præcedere. 2. In iſtis exemplis non erat potentia naturalis, ſed obedientionalis; ratione enim Dei non eſt majus nec minus, hoc eſt, tam facile erat Deo ex nihilo facere hominem, quam ex oſſibus carne indutis. Non repugnantia rerum Deo æqualis eſt.

XXI. *Vtrumne voluntas noſtra in ſtatu glorificationis tantummodo feretur ad bonum, nec ferri poſſit ad malum?*

Reſp. Sic. Quia erimus ſimiles Angelis Dei; hi autem confirmati in bono, non poterunt peccare, *Luc.* 20. 36. Nec morte æterna mori poterimus, *Luc.* 16. 16. & 20. 36.

XXII. *An liberum arbitrium poſſit ſtare cum neceſſitate?*

Reſp. Affirm. Quia 1. Libere Chriſtus & neceſſario crucifixus. 2. Angeli libere & neceſſario non peccant; Diaboli contra. 3. Chriſtus libere & neceſſario non peccavit. 4. Sic nos in ſtatu glorificationis.

XXIII. *Annon ergo Ethnici habuerunt liberum arbitrium ad bonum?*

Reſp. I. Habuerunt ad bonum, ſed non bene operabantur: Etenim ad bene operandum requiritur, 1, ut ſit ex fide, Heb. 11, *Sine fide,* &c. 2, Legi conforme, Deut. 4. *Non addes.* 3, ad gloriam Dei, 1 Cor. 10, *Sive editis ſive bibitis*, &c. II. Fecerunt opus morale quoad *ſubſtantiam*, non vero quoad *circumſtantias*, hoc eſt, non faciunt de eſſentia, ſeu formale bonorum operum.

XXIV. *Anne Gentiles talia ſine gratia Dei facere potuerunt?*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Reſp. Non: gratia autem Dei eſt duplex; *coërcitionis*, & *reparationis*, ſeu *regenerationis*: coërcitionis ergo gratia id faciebant, quia alioquin omnes eſſent ut illi, de quibus agitur, *Rom.*3. 10, *ad* 19.

XXV. *At ſcriba*, Marc. 12, *non procul aberat à regno Dei; ergo habebat ad bonum, liberum arbitrium?*

Reſp. Confeſſione, non *regeneratione*; opinione, non rei veritate.

XXVI. Matt. 19, *Amavit Chriſtus juvenem.*

Reſp. Amor Chriſti duplex; *naturalis*, vel *ſupernaturalis*: priori amavit, non contra.

XXVII. *Quale ergo eſt hominis reparati arbitrium?*

Reſp. Partim ad bonum, partim ad malum. cauſa eſt imperfecta noſtra regeneratio in hac vita, Rom. 7. 9, *Malum quod nolo; facio. Ex parte prophetamus*, 1 Cor. 13.

XXVIII. *Cur ergo Deus nos non regignit perfecte?*

Reſp. Quia ipſi placet, 2 *Cor.*12. 9.

Locus XXI.

De Providentia Dei actuali.

Quæstio I.

Quid eſt Providentia Dei?

Reſp. Eſt æternum, ſapientiſſimum, juſtiſſimum & immutabile Dei decretum, quo res ſingulas à ſe conditas ad ſuam gloriam, electorum ſalutem, liberrime gubernat.

II. *Quomodo vocatur Providentia Dei actualis?*

Reſp. Varia habet nomina; vocatur inter alia voluntas Dei, *Matt.*10. *v.*29. cura Dei, 1 *Cor.*9. 9.

III. *Annon Providentia Dei fuerit nota Ethnicis?*

Reſp. Ita; quod patet, *Act.*17. 27. *Rom.* 1. 20. & 2. 14, 15.

IV. *Quare ergo dicitur*, Pſal. 14, *quod ſtultus dicat, Non eſt Deus?*

Reſp. Dicit, non eſſe Deum, quoad *conatum*, non quoad *effectum*; hoc eſt, non quod *poſſit* anticipationem iſtam de Deo ex animo ſuo evellere, ſed quod *velit*, fruſtra tamen, *Rom.*2. 16. 2. Negat, eſſe Deum, *ore*, non *corde*; *in corde*, non *ex corde*. 3. Negat quoad *providentiam*, non quoad *eſſentiam*.

V. *Non omnia ſub Providentiam Dei cadunt, quandoquidem*, 1 Cor. 9. v. 9, *boves dicuntur non eſſe Deo curæ, & Chriſtus*, Matth. 7, *non omnes ſit agniturus.*

Reſp. Ad prius; particulas iſtas negantes, ſive propoſitiones negativas, ſæpe *comparative* accipiendas eſſe, 1 *Cor.*1. 17. quod autem iſta loca comparative ſint accipienda, patet, *Matt.* 6. 26. & 10. 29. Ad ſecundum reſpondemus: ſcientiam Dei eſſe duplicem; vel *nudam*, vel *approbativam*: Nuda eſt, qua etiam novit reprobos; quomodo enim eſſet judex univerſæ terræ & orbis, niſi improbos noſceret? Alia autem *approbativa* eſt; de qua agitur, Pſal. 1. v. 6. 2 Tim. 2. v. 19, *Novit Dominus qui ſunt ſui.*

VI. *Quomodo ſtare poteſt libertas cum Providentia Dei, ſi Providentia Dei promovet efficaciter?*

Reſp. Optime; libertas enim non conſiſtit in eo, ut quod facis, facere non poſſis, ſi velis; ſed in eo, ut quod agis, ſponte agas, ratione præeunte.

VII. *An Providentia Dei verſetur circa viliſſima ſingularia?*

Reſp. Utique: Quid enim vilius eſſe poteſt herba, quæ demetitur? *Matth.*6. *v.*30. Quid vilius paſſerculo? *Matth.*10. 24. Quid vilius capillis noſtris? *Matth.*10. *v.*30. Quid vilius ſorte, quæ in gremium conjicitur? *Prov.* 16. *v.*33. Imo Theologi aſſerunt, pulviſculos cadaveris

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

daveris noſtri, & omnia & minima cadere ſub Dei Providentiam ſanctiſſimam. Priora patent ex Scripturis: Poſterius ex eventu patebit, ubi qui corpus noſtrum reſſuſcitabit, omnes pulviſculos, in quos reſolvitur, numeratos habet.

VIII. *Anne etiam Providentia Dei verſatur circa contingentia?*

Reſp. Affirm. *Matth.*10. 30. Quin imo circa hoc, quod maxime contingens videtur, ſortem videlicet, *Prov.*16. 33. 1 *Reg.*12, Roboam, Achitophel.

IX. *Quomodo neceſſitas ſtare poteſt cum contingentia?*

Reſp. In *ſenſu diviſo*, eſt contingentia; in *ſenſu compoſito*, neceſſitas. Res ipſa in ſe & aptitudo ejus eſt contingens: res vero in ordine ad Dei Providentiam eſt neceſſaria; liquet hoc in oſſibus Chriſti non fractis, *Ioan.*19. 39. Chriſti oſſa natura ſua frangi poterant, at ſi ſpectes Providentiam Dei, frangi non poterant.

X. *Quomodo Providentia Dei occupatur circa malum culpæ?*

Reſp. 1. Permittendo. 2. Terminos malos ponendo. 3. Ad bonum finem dirigendo. Prius patet omnium confeſſione; quia malum non eſſet, niſi Deus permiſiſſet. Secundum patet *Gen.*37; Joſephum fratres volebant interficere, tamen ita Deus moderatus eſt ipſorum conſilium, ut ipſum venderent mercatoribus. In cruribus Chriſti confringendis, *Ioan.*19. Tertium patet ex finibus generalibus, *Rom.*9. 21, 22, 23. *Gen.*45. 5.

XI. *Anne Providentia Dei verſatur circa mala?*

Reſp. Utique: ut patet, *Act.*2. 23. & 4. 27.

XII. *Quid eſt illa Providentia Dei?*

Reſp. Eſt ipſiſſimus Deus; differt autem à Deo, ut Creator à Deo, ut Conſervator omnium rerum à Deo, *nomine* tantum, & *reſpectu rationis* ad extra.

XIII. *Quæ ſunt, quæ conjuncta ſunt Providentiæ Dei?*

Reſp. 1. *Præcurſus* ab initio. 2. *Concurſus* ad media. 3. *Succurſus* ad finem. Dicitur autem concurſus cum benedicit: alias, *Pſal.*127. 1, 2, ad finem etiam dirigit; ut patet, Rom. 11. 36, *Ex eo, & per eum, & in ipſum ſunt omnia*, &c.

XIV. *Quotuplex eſt permiſſio Dei?*

Reſp. Duplex: vel *phyſica*, hoc eſt, τὸ non *impedire*; vel *ethica*, præmovendo, peccata peccatis puniendo.

XV. *Annon Deus tantum permittit, ſed & immittit peccata; & quomodo?*

Reſp. Imo; facit autem hoc. 1. Auferendo gratiam. 2. Occæcando, ſeu immittendo efficaciam erroris. 3. Indurando.

XVI. *Annon Deus hoc pacto cauſa peccati?*

Reſp. Abſit; qui enim agit claudum equum, non eſt claudicationis cauſa, ſed vitioſus pes.

Locus XXII.

De Peccato.

Quæstio I.

Quid eſt Peccatum?

Resp. Eſt Legis transgreſſio, 1 *Ioan.* 3. *verſ.* 4.

II. *Eſtne aliquod peccatum originale?*

Reſp. Utique: *Pſal.*51.

III. *Vnde dicitur originale?*

Reſp. Quia cum natura noſtra incipit. *Pſal.* 51. 7. *Eph.*2. 3.

IV. *Quid eſt originale peccatum?*

Reſp. Eſt vitioſitas illa nativa, omni & toti homini naturaliter ex Adamo deſcendenti, propter reatum primi peccati commiſſum, adhærens, qua, libertate ad bonum penitus amiſſa, tantummodo ad malum proclivis exiſtit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

V. *Quotuplex eſt hoc peccatum?*

Reſp. Duplex: *imputatum*, & *inhærens.*

VI. *Quid eſt peccatum imputatum?*

Reſp. Eſt defectio Adami nobis imputata, proinde acſi à nobis commiſſa eſſet, *Rom.* 5. 12.

VII. *Quomodo imputari nobis hoc peccatum poteſt, cum Deus juret,* Ezech. v. 18. 20, *Se nolle punire, niſi animam, quæ peccavit?*

Reſp. Deus hoc promittit *quibuſdam*, non *omnibus*. Idcirco hoc non eſt generale; ſicut promittit Abrahamo, ſi decem inveniret juſtos, ſe Sodomæ velle parcere: ſed ſpeciale ad hunc cœtum pertinens. alioquin Deus imputat aliis peccata aliorum, & propter illa punit illos, *Gen.* 20. 17. 2 *Sam.* 21. 9. & 24. 17. Agitur ergo loco citato, non de *judiciis Dei ordinariis*, ſed *extraordinariis*. Ordinarie enim Deus peccata horum aliis imputat. Extraordinarie vero quandoque parcit.

VIII. *Annon propterea peccatum Adæ nobis imputatur, quia eramus in lumbis ipſius? quandoquidem Spiritus Sanctus hoc videtur innuere?* Rom. 5. 12.

Reſp. Si peccavimus, quia in lumbis ejus eramus, tum omnia peccata, quæ parentes commiſerunt, etiam noſtra erunt, quia proxime in illorum lumbis eramus. At hoc falſum. Quoad illud: *in quo peccavimus*; non eſt accipiendum *ſubjective*, ſed *cauſaliter*, hoc eſt, quod per ipſius contumaciam conſtituti ſumus peccatores, *Rom.* 5. *v.* 19. 1 *Cor.* 15. 22. In hoc enim loco ſimili phraſi utitur Spiritus Sanctus: *In Adamo mori.* At ineptum eſt hoc explicare *in lumbis Adami mori*; ſed cauſaliter explicandum eſt, *Rom.* 5. 17. Ideo morimur, quia Adami peccatum eſt cauſa mortis noſtræ.

IX. *Anne Adam peccavit, & anne peccatum ipſius nobis imputatur? videtur hoc negare Spiritus Sanctus,* 1 Tim. 2. 14.

Reſp. Adam non fuit *immediate* ſeductus, ſed *mediate*; nam Eva primum ſeducta fuit: quod ex Hiſtoria creationis patet.

X. *Anne peccatum Adami & Evæ nobis imputatur?*

Reſp. Scarphius & alii negant, Evæ peccatum imputari, ſed tantum Adæ; & adducunt locum, Rom. 5, *Unius offenſa.* *Reſp.* Adamum ibi conſiderari ut caput, & non excludi Evam, tanquam carnem ejus: & quod hoc ita ſit, patet ex pœna mulieri inflicta, *Gen.* 3. 16. quæ pœna omnibus mulieribus eſt inflicta. Non potuit ergo infligi pœna, niſi ipſius peccatum eſſet ipſis imputatum.

XI. *An peccatum imputatum meretur mortem æternam?*

Reſp. Aliqui ex noſtris Theologis negant; ſed inepte. Nam ſi unius offenſa conſtituemur omnes injuſti, non patebit omnibus via in cælum; quomodo ergo non merebitur mortem æternam? propterea peccato iſti, quod nobis imputatur, minitatus erat Deus, *Morte morieris:* & in iſta comminatione non tantum intelligit Deus *mortem temporariam*, ſed & *æternam.* Imo omnes Theologi noſtri dicunt, non incidiſſe in iſtam comminationem niſi ob Adami peccatum; meretur ergo hoc peccatum mortem æternam.

XII. *Quomodo Adæ peccatum imputatur?*

Reſp. Sciendum eſt, imputationem eſſe actum *moralem*, & proinde non requirere, ut ſubjectum ſit præſens, ſed ut certe futurum; itaque dicimus imputatum omnibus naturali propagatione ex Adamo naſcituris, quemadmodum ex parte Dei juſtitia tribuitur omnibus in Chriſtum credituris.

XIII. *Quomodo potuerunt peccare primi parentes, cum fuerint arbor bona?*

Reſp. Fuerunt arbor bona, ſed *mutabiliter*; ut ex eventu apparet.

XIV. *Quomodo hoc potuit ſtare cum integritate naturæ, quod ignoraverint, ſerpentem loqui, Deum eſſe veraciſſimum, & fructui vetito tantam ineſſe vim, quam Satan promittebat?*

Reſp.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Reſp. Ad *primum* & *tertium*, ſunt quædam quæ ſcire non tenemur, & illorum ignorantia poteſt ſtare cum integritate & ſumma perfectione, *Matth.*11. *v.*13. & 13.32. Quod ad *ſecundum*, dico, poſtquam Eva cœpit dubitare de veritate Dei, peccatum hoc jam fuit.

XV. *Quomodo dicitur Diabolus ſeduxiſſe Adamum, cum in Geneſi nihil tale dicatur, ſed tantum ſerpenti adſcribatur?*

Reſp. Manifeſte hoc apparet, quod ſerpens non potuerit loqui, & præterea quod Chriſtus expreſſe dicat, ipſum fuiſſe principalem auctorem, *Ioan.* 8. 44. Ubi dicitur homicida noſtrorum parentum. Præterea, dum peccatum per Chriſtum tollitur, dicuntur diſſolvi opera Diaboli, 1 *Ioan.*3. 8.

XVI. *Vtrumne eſt aliquod peccatum inhærens?*

Reſp. Imo: *Ioan.*3. *v.*6. & 14. 5. Hinc jam fluit, quod tales natura naſcimur, & non ſimus capaces Spiritus Dei; *Gen.*6. *v.*5, 8, 21. *Rom.*8. 7. 1 *Cor.*2. 14. *Eph.*2. 3.

XVII. *Anne hoc peccatum originale pœna debet dici imputati peccati?*

Reſp. Affirm. Nam Deus propter peccatum imputatum morte ſpirituali afficit homines, quæ mors ſpiritualis etiam continetur in comminatione Adamo facta, *Morte morieris*; quanquam ſita ſit in privatione imaginis divinæ, & in perverſitate naturæ.

XVIII. *An ergo non tales homines condiderat Deus, quales naſcimur?*

Reſp. Non; quia naſcimur animales natura, 1 *Cor.*2. Animales autem Deo non placent. Naſcimur homines veteres, *Col.*3. *v.*9. Tales autem Deo diſplicent. Naſcimur caro, *Ioan.* 3. 9. Caro autem & ſanguis Regnum Dei non poſſidebunt, 1 *Cor.*15. 50.

XIX. *Quid eſt peccatum originale inhærens?*

Reſp. Eſt carentia juſtitiæ originalis & pravitas naturæ, ſecundum quam ad omne malum proni ſumus.

XX. *Vtrumne in hoc peccato duæ partes recte conſtituuntur, una*, poſitiva; *altera*, negativa: *& quomodo quod malum eſt, dici poteſt poſitivum?*

Reſp. In Scholis Theologorum dici ſolet hoc ipſum, quod dicitur de homine, quod non ſit capax eorum, quæ ſunt Spiritus Dei, 1 *Cor.* 2. 14. Quod non ſubjiciatur Legi, nec poſſit, *Rom.* 8. 7. Quod non poſſit bene facere, *Ier.* 13. 23. Hæc eſt pars negativa. Quoad alterum, illud in eo conſiſtit, quod tantummodo dicatur ad malum ferri omni die, *Gen.*6. *v.* 8. Dicitur autem qualitas *poſitiva*, non *ethice*, alioqui bonum quid eſſet; nec etiam *phyſice*, quia etiam ſic bonum quid eſſet; ſed *logice*, quia hoc ſcilicet affirmatur de homine.

XXI. *Vtrumne peccatum inhærens, ſit omnium peccatorum actualium cauſa, & ſi ſit, quæ cauſa eſt, quod non in omnibus peccata actualia æqualia ſint?*

Reſp. Prius affirm. *Rom.*7. 17. Quod ad poſterius attinet, fit hoc duplici de cauſa. 1. Quod regenitos concernit, quod in ipſis peccatum originale mortificetur, *Col.* 3. 5, 8, 9, 10. 2. In irregenitis cauſa eſt gratia Dei *inhibens* & *coërcitionis*, cujus exemplum apparet, *Gen.*20. 6. alioquin ſi hoc non eſſet, omnes irregeniti eſſent, quales deſcribuntur, *Rom.* 3. 10, *ad* 18.

XXII. *Annon in regenitis peccatum originale tollitur plane in hac vita?*

Reſp. Nequaquam, *Rom.*7. 17. *Gal.*5. 17. 2. *Reſp.* tollitur quoad *reatum*, non quoad *naturam*, Rom.8. 1.

XXIII. *Anne hoc peccatum originale inhærens derivetur in ſobolem, vel per corpus, vel per animam?*

Reſp. Neque per corpus, neque per animam; ſed per peccatum Adæ ſeu per culpam; quod peccatum Adæ ubi Deus imputat, punit etiam peccato originali inhærente, *Rom.*5. *verſ.*19.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

XXIV. *Vtrumne hoc peccatum tam eſt in corpore, quam in anima?*

Reſp. Omnino: quia & anima & corpus puniuntur; quia & anima & corpus juſtificantur, regenerantur & glorificantur.

XXV. *Vtrumne in homines omnes peccatum derivetur?*

Reſp. In omnes, qui ex Adamo naturaliter propagati ſunt: hinc dicitur, Rom. 5. 12, *In quo omnes peccarunt:* & Gal. 3. 26.

XXVI. *Anne Maria virgo fuit abſque peccato originali, quia ſi non fuiſſet, tum ignominia matris redundaſſet in Filium?*

Reſp. Quod ad primum attinet, ex præcedenti quæſtione liquet, quod Maria etiam in peccato concepta ſit. Quod ad ſecundum, ineptum eſt. Nam in judicio Dei non nocet iniquitas Patris Filio, *Ezech.* 18. 20. niſi imputetur, quod Chriſto factum non eſt; neque Mariæ virginis peccatum ipſi imputatum eſt, niſi quatenus ipſi omnium hominum peccata imputata ſint, ut illa tolleret.

XXVII. *Vtrumne Peccatum originale ſit omnium graviſſimum, quandoquidem actualia ex ipſo fluant?*

Reſp. Maximum eſt *extenſive*, quia ad omnes homines extenditur, non *intenſive*. Eatenus enim peccatum in Spiritum Sanct. maximum eſt, ut pote, quod nullo modo remitti poteſt.

Locus XXIII.

De Peccato actuali.

Quæstio I.

Quid eſt peccatum actuale?

RESP. Eſt omnis actio interna & externa pugnans cum Lege Dei, tam in mente, voluntate & corde, quam externis actionibus.

II. *Quænam eſt diſtinctio peccati actualis?*

Reſp. Aliud eſt peccatum per ſe; aliud, per accidens.

III. *Quid eſt peccatum* per accidens?

Reſp. Omne opus, quod Lex præcipit, ſi fiat abſque fide, *Rom.* 14. 23. Talia ſunt opera Ethnicorum, quæ congruenter ad Legem faciunt.

IV. *Quid eſt peccatum* per ſe?

Reſp. Omne opus quod eſt prohibitum Lege Dei, aut Legis tranſgreſſio, 1 *Ioan.* 3. 4.

V. *Quomodo peccatum per ſe dividitur?*

Reſp. Dividitur vel ex *objecto*, vel ex *accidente*, vel ex *gradibus*. Ex *objecto*, quod aliud ſit in Deum, ſive quod committitur contra præcepta primæ tabulæ; Exempli gratia, in Deum peccavit David per ſuperbiam numerando populum, 2 *Sam.* 24. Contra, 2, Iſraëlitæ adorantes aureum vitulum, *Exod.* 32. Contra, 3, Iſraëlita ille, qui blaſphemavit Deum, *Lev.* 24. Contra, 4, Iſraëlita ille, qui collegit ligna in Sabbato, *Num.* 15. Aliud, in *proximum*, dum eum occidimus, vel lædimus: Sic Abſolon in patrem peccavit, ipſum Regno expellendo, 2 *Sam.* 15. 17, 18. Caïn cum Abelem occidit, *Gen.* 4. 8. David committens adulterium cum Berſabea, 2 *Sam.* 11. Aliud, in *ſe ipſo*, ſic in ſemet ipſos peccant, qui ſcortantur, 1 *Cor.* 6. *v.* 18. Sic Saül in ſemet ipſum peccavit, dum ſibi mortem conſcivit, 1 *Sam. ult.* Dividitur autem 2, ex *objecto*, in peccatum *commiſſionis*, & *omiſſionis*.

VI. *Quid eſt peccatum omiſſionis?*

Reſp. Quando omittitur quod Lex præcipit, *Matth.* 25. 42. *Luc.* 12. 47. *Iac.* 4. 17 Commiſſionis, quando aliquid committitur quod Lex prohibet. Utrumque autem hoc peccatum prohibetur, *Deut.* 4. 2; & 12. 32, *Apoc.* 22. 18, 19.

VII. *Quomodo dividuntur peccata ex accidentibus?*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Reſp. Quod aliud ſit *regnans;* aliud, non *regnans.* Regnans eſt, quando auſcultamus peccato, *Rom.*6.12,13. Et peccatur plena voluntate nulla antecedente lucta, nullo ſubſequente dolore, nulla comitante voluntatis fractione. Non regnans, quando crucifigimus peccatum una cum cupiditatibus, *Gal.*5.24. & ubi omnia contraria reperiuntur peccato regnanti.

VIII. *Quomodo dividuntur peccata ex gradibus?*

Reſp. Quoad gradus peccata duplex diſcrimen admittunt. Gravius enim peccat qui peccat *ſcienter*, quam qui *ignoranter*, *Luc.*12.47. Aliquando à ſciente peccatur, ſed ex *infirmitate*, quemadmodum Petrus abnegavit Chriſtum, David adulterium & homicidium commiſit. Aliquando ſcienter, volenter, & ultro: Hoc poſterius gravius eſt priori; nam hoc peccatum regnans eſt, de quo, *Rom.*6.12. Illud vero quod ultro committitur, vel committitur in genere in Legem Dei, vel in ſpecie in doctrinam Evangelii agnitam; & hoc poſterius etiam priori eſt gravius. Nam fit ſæpe, ut prius tollatur, *Rom.*6.17. Poſterius nunquam tollitur, *Heb.*10.26. Nam non eſt reliqua hoſtia pro eo. Et hoc poſtremum κατ᾽ ἐξοχὴν vocatur *peccatum in Sp. Sanctum.*

IX. *Quid eſt peccatum in Spiritum Sanctum?*

Reſp. Eſt, cum quis convictus de veritate Evangelii, eam aut non agnoſcit, aut agnitam rejicit, cum ſummo ejus odio.

X. *Num peccatum hoc cadit in eos, qui agnitam & acceptam veritatem rejiciunt?*

Reſp. Non tantum in hos, ſed etiam in illos, qui veritatem Evangelii de qua ſunt convicti, non acceptant, *Matth.*12.31.

XI. *Quare hoc peccatum irremiſſibile vocatur?*

Reſp. Non quod Deus non poſſit, ſed quod remittere non decrevit; Deus omnia poteſt quæ contradictionem non implicant.

XII. *Anne ex eo, quod dicitur,* Matth.12.v.23, Non remittetur ei, neque in hoc, neque in futuro ſeculo, *colligi poteſt, aliquod peccatum in illo ſeculo remiſſum iri?*

Reſp. Nequaquam; Eſt enim hic modus loquendi talis, quo intelligitur nunquam remiſſum iri, ſicut hoc exprimitur, *Marc.*3.*v.*29. Ceterum modi iſti loquendi occurrunt in Scriptura, *Gen.*31.24. *Deut.*5.18.

XIII. *An non remittentur peccata in futuro ſeculo?*

Reſp. Utique; ſed diſtinctione opus eſt; remittentur, *declarative*, non *effective*, 2 *Tim.* 1.*v.*18.

XIV. *Anne peccatum in Sp. Sanctum cognoſci poteſt; & unde?*

Reſp. Spirit. Sanctus docet, cognoſci poſſe, 1 *Ioan.*5.16. Cognoſcitur autem potiſſimum ex odio, quo agnitam veritatem, & ejus ſequaces, ultro proſequuntur.

XV. *Anne ergo, cum dicitur* peccatum ad mortem, *quædam peccata venialia ſunt, ita ut Pontificii obtineant ſuam diſtinctionem, qua peccatum in* veniale *&* mortale *diſtinguunt?*

Reſp. Omne peccatum ſua natura eſt mortale, *Deut.*27.26. Ex eventu vero in fidelibus omnia peccata dicuntur venialia, quia illis condonantur per & propter mortem Chriſti, 1 *Ioan.*1.7. In improbis autem omnia peccata ſunt mortalia, quia nullum iis remittitur.

XVI. *Anne omne peccatum eſt voluntarium?*

Reſp. Non; Præceſſit enim error mentis, ut in Adamo, qui omnino eſt peccatum. 2. Etiam per ignorantiam homines peccant, idcirco pro ejuſmodi peccatis Deus olim exigebat ſacrificium, *Num.*6.9,11,14. Denique etiam imputatum peccatum non eſt voluntarium. Ergo omne peccatum male voluntarium eſſe dicitur.

XVII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

XVII. *Quot ſunt gradus peccati?*

Reſp. Quatuor. 1. Dubitatio. 2. Deliberatio. 3. Propoſitum. 4. Perpetratio. Hi autem gradus peccati ita ſunt comparati, ut prior ſemper ſit poſteriore levior, *Iac.* 1. 14, 15.

XVIII. *Anne voluntas ſequitur intellectum?*

Reſp. Sunt aliqui abſurdi mortales ſtatuentes, quod voluntas non ſemper ſequatur ductum intellectus: quod falſum eſt. Nam, 1, Si non ſequitur ductum intellectus, tum feretur in ignotum: quod eſt contra naturam; nam ignoti nulla cupido. 2, Feretur in malum ſub ratione mali, quod etiam contra naturam; nam quodlibet ſe ipſum amat inſtinctu naturali.

XIX. *Anne voluntas ſemper fertur in bonum ſub ratione boni?*

Reſp. Omni modo; ſed bonum eſt duplex, vel *verum*, vel *apparens*; nam ſæpe aliquid videtur bonum intellectui, quod alias malum eſt; & in hoc fertur voluntas.

XX. *Anne gravius peccant fideles, quam infideles?*

Reſp. Gravius, & non gravius. Gravius, 1. quia majorem habent cognitionem, quam infideles. 2. Quia habent vires reſiſtendi. Non gravius, ſi ſpectes modum agendi, quia infideles pleno appetitu peccant; fideles vero, fracta voluntate; fideles dolent ob peccata commiſſa, illi vero ſibi ob eadem commiſſa placent.

LOCUS XXIV.
De Pœna peccati.

CONſequens peccati eſt vel *reatus*, vel *pœna*, vel *macula*.

QUÆSTIO I.
Quid eſt Reatus?

Reſp. Eſt meritum, ut perſona, quæ peccavit, puniatur, *Deut.* 27. *verſ.* 26. *Galat.* 3. *verſ.* 10.

II. *Vtrumne reatus totaliter tollitur in fidelibus?*

Reſp. Tollitur; ut patet, *Rom.* 8. 1.

III. *Vtrum pœna bonum quid ſit?*

Reſp. Pœna bonum quid eſt *moraliter*, quia congruit, cum legibus: ſed bonum non eſt patienti *phyſice*.

IV. *Cum Deus Adamo minatus ſit,* Quo die comederis, morte morieris, *an eodem ſtatim die mortuus eſt?*

Reſp. Mori, vel conſiſtit in *qualitate vivendi*, vel in *defectu vitæ*; non occupavit mors ipſum poſteriori, ſed priori modo, *Gen.* 2. *verſ.* 17.

V. *Quandoquidem Deus ipſi homini minitatus eſt mortem, qui peccavit, annon mutavit ſententiam, dum Chriſtum vice ejus morte punivit, & vice fidelium omnium?*

Reſp. Theologi alii hic dicunt, quod Deus ſententiam mutaverit: quod plane abſurdum eſt: Nam Deus ſcientiam non mutat, etſi videatur contrarium facere rei, quam ſe facturum prædixit, quia quod prædixit in tali caſu, conditionatum erat, ut cum minitatus fuit Ninivitis, fore ut intra quadraginta dies interirent, cum hoc non ſit factum, Deus non eſt cenſendus mutaſſe ſententiam, quia hæc ſententia conditionalis fuit, etſi conditio à Deo reticetur. Alii vero *Reſp.* ad hoc, Deum non omnia dixiſſe, ſed quædam quæ facturus erat; reticuiſſe: quod ex eventu patuit; verbi gratia: In hunc ſenſum, *Quo die comederis, morieris*, hoc prolatum fuit; hoc vero reticebatur, *aut in propria perſona, aut in vade.* Hæc reſponſio eſt Oecolampadii, Petri Martyris; cui & nos adſtipulamur.

VI. *Cum Deus minitatus fuit homini mortem indefinite, quid per mortem intellexit?*

Reſp. Theologi noſtri dant iſtam regulam, Quotieſcunque mors in Scriptura indefinite poni-

ponitur, toties intelligitur mors *afflictionum* & *calamitatum*, mors *ſpiritualis*, mors *temporaria*, & mors *æterna*; omnia iſta minitatus Deus eſt Adamo.

VII. *Anne calamitates poſſunt dici mors?*

Reſp. Utique: *Exod.*10. 17. 2 *Reg.*4. 40. Mors calamitatum eſt propter peccatum, quia paupertas eſt propter peccatum, 2 *Cor.*8. 9.

VIII. *Quid eſt mors ſpiritualis?*

Reſp. Nihil aliud eſt, quam mortuum eſſe in peccatis, *Eph.*2. 5. *Col.* 2. 13. *Apoc.*3. 1.

IX. *Anne datur in iſta morte incrementum?*

Reſp. Utique: *Ioan.*12. *verſ.*40. 2 *Cor.*3. *verſ.*14, 15.

X. *Cum hæc mors ſpiritualis ſit peccatum, anne Deus iſtius auctor?*

Reſp. Deus eſt auctor ejus, non quatenus *peccatum*, ſed quatenus *pœna*.

XI. *Anne talis pœna eſſe poteſt, quæ ſit & peccatum, & pœna peccati?*

Reſp. Affirm. *Eſai.*29. *v.*10. *Iob.* 12. 17. *Rom.*1. *v.*24. 2*Theſſ.*2. *v.*11. & hoc eſt, quod Theologi dicunt, Deus peccata peccatis punit.

XII. *Quid eſt mors temporaria?*

Reſp. Eſt ſolutio animæ à corpore.

XIII. *Anne mors temporaria, eſt propter peccatum, cum etiam Martyres moriantur, qui non poſſunt dici propter peccatum mori?*

Reſp. Si cauſam ſecundam ſpectes, non moriuntur propter peccata; nam homines, ipſos necant propter cauſam bonam, ut videre eſt in Stephano, *Act.*7. Si vero ſpectes cauſam primam, nempe Deum, moriuntur propter peccata, quemadmodum Judæi Chriſtum crucifixerunt propter nullum malum opus, ſed Deus ipſum morte affecit propter peccata in ipſum conjecta, ſive peccata noſtra.

XIV. *Quomodo in fidelibus mors temporaria poteſt eſſe pœna, cum Chriſtus illam ſuſtulerit?*

Reſp. In fidelibus pœna non eſt, ſed tranſitus à morte ad vitam, ſive eſt porta ad vitam, & abolitio corporis peccati. de hac morte dicitur, Eccleſ. 7. 1, *Melior eſt dies mortis, quam nativitatis.*

XV. *Cum Deus omnibus minitatus ſit mortem temporariam, cur non omnes ſunt morituri,* 1 Cor. 15. 51.

Reſp. Theologi reſpondent ad hoc, eſſe pœnam talem, de qua Deus diſpenſat pro ſuo beneplacito; ut quos vult, ei ſubjiciat; quos vult, eximat.

XVI. *Quid eſt mors æterna, eſt-ne ſeparatio animæ à corpore in æternum, vel abolitio & interitus plenarius, qualis eſt beſtiarum?*

Reſp. Neque hoc, neque illud; ſed eſt ſeparatio à Deo, & ſubjectio æternis cruciatibus, *Matt.*25. *v.*41. Itaque hæc mors æterna dicitur, non ex *defectu vitæ*, ſed ex *qualitate vivendi*.

XVII. *Quomodo æterna pœna Deus potuit afficere hominem, ſi peccatum, quod committit, non ſit æternum?*

Reſp. Pœna æſtimatur æterna ex objecto infinito, ut quia peccatum in infinitum objectum eſt commiſſum, pœna in infinitum ſit duratura.

XVIII. *Vtrumne Deus præter has pœnas communes, alias peculiares habet, quibus non omnes, ſed aliquos peccatores puniat?*

Reſp. Omnino. Morbi ſingulares, *Ioan.*5. *v.*10. Pericula varia, *Luc.*13. 12.

XIX. *Quid eſt pœna in genere?*

Reſp. Eſt quæcunque tandem incommodatio peccatoris, ob peccatum ipſi inflicta.

XX. *Vtrum majus eſt, malum culpæ, an vero pœnæ?*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Reſp. Culpæ; quia homo quidvis pati debet potius, quam vel minimam culpam admittat.

XXI. *Vtrumne facienda mala, ut eveniant bona: verbi gratia, mendacium officioſum committendum, ut proſis viro bono?*

Reſp. Negat hoc Sp. Sanctus ad *Rom.* 3. 8.

XXII. *Annon Deus injuſtus, qui tot pœnis hominem afficit?*

Reſp. Si ſint adæquatæ: hæ autem ſunt inadæquatæ, adæquantur vero ſimul ſumptæ.

XXIII. *Quomodo differt caſtigatio à pœna?*

Reſp. Caſtigatio provenit à Deo placato, & amante Patre, in bonum ejus qui caſtigatur: pœna ab irato Deo & Judice, in malum ejus, qui punitur.

Locus XXV.
De Fœdere Dei.

Quæstio I.
Quid eſt Fœdus Dei?

Resp. Eſt pactum Dei, in quo Deus aliquid promittit homini, ut viciſſim ab ipſo aliquid ſtipuletur; patet hoc ex inductione fœderis, ut infra patebit.

II. *Anne duæ ſunt fœderis partes, promiſſio Dei, & ſtipulatio ex parte noſtri?*

Reſp. Affirm. ut patet ex inductione ſpecierum fœderis legalis, ubi Deus promittit vitam æternam, ſtipulatur vero obedientiam, Rom. 10. *Hoc fac, & vives:* & fœderis Evangelici, *Gen.* 17. 1, 2. promittit ſe Abrahamo in Deum fore, ſed vult viciſſim ut ambulet coram eo, & ſit integer.

III. *Quotuplex eſt fœdus?*

Reſp. Duplex; *ſpirituale*, & *corporale*: Spirituale eſt, in quo Deus promittit immortalitatem & vitam æternam, & viciſſim aliquid ab homine ſtipulatur; ut in fœdere Legali & Evangelico vidimus.

IV. *Quotuplex eſt fœdus Spirituale?*

Reſp. Duplex; *Legale*, & *Evangelicum*.

V. *Quid eſt fœdus Legale?*

Reſp. In quo Deus promittit vitam & immortalitatem Legem præſtantibus, *Lev.* 18. *verſ.* 5.

VI. *Vbinam Deus hoc fœdus iniit & cum quibus?*

Reſp. In Paradiſo cum primis noſtris parentibus, quod illi non præſtiterunt, ſed ob transgreſſionem rei facti ſunt mortis, *Gen.* 2. & 3.

VII. *Anne Deus poſt lapſum repetiit idem fœdus?*

Reſp. Omnino: *Deut.* 5. *v.* 2. *Exod.* 19. 5. 1 *Reg.* 8. 21.

VIII. *Quorſum Deus hoc idem fœdus Legale repetiit?*

Reſp. 1, Ut oſtenderet, quid ipſi debeamus, & ut excitaret nos ad obedientiam. 2. ut omne os obſtruatur & obnoxium fiat Deo. 3. ut ex lege peccata cognoſcamus, *Rom.* 3. 21. 4. ut nos ad inſtaurationem quærendam impellat.

IX. *Quid eſt fœdus Evangelicum?*

Reſp. In quo Deus promittit, ſe Deum noſtrum fore in Chriſto, hoc eſt, benedicturum omni benedictione ſpirituali, *Eph.* 1. 3. & viciſſim à nobis poſtulat, ut ambulemus integre coram ipſo, 2 *Cor.* 1. 20.

X. *In quo conſiſtit illud* ambulare coram Deo, Gen. 17, *quod Deus ſtipulatur à nobis in fœdere ſuo?*

Reſp. In fide & nova obedientia, 2 *Cor.* 5. *v.* 7. *Eph.* 2. 10.

XI. *Anne ſanguis Ieſu Chriſti ſanguis fœderis dicitur, tum quia fœdus per illud ſtabi-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ſtabilitum eſt, tum quia fœderati illo ſanguine mundantur à peccatis?

Reſp. Utique. ut liquet, *Heb.6.14, ad 18.*

XII. *Vtrumne Chriſtus Mediator omnium eſt, & pro omnibus ſanguinem effudit?*

Reſp. Dictum eſt antea, in fœdere duo contineri, *promiſſionem*, & *ſtipulationem*: jam autem promiſſio non eſt omnium; hinc Spiritus Sanctus diſtinguit inter filios carnis, & filios promiſſionis, *Rom.9.8,9. Eph.2.12.*

XIII. *Anne fœdus hoc bene diſtinguitur in Vetus & Novum; & quid intelligit Spiritus Sanctus per Vetus & Novum?*

Reſp. Bene ita diſtingui docet Spiritus Sanctus, *Heb.9.15.*

XIV. *Anne unum & idem erat fœdus quoad ſubſtantiam?*

Reſp. Utique: quod probatur, *Heb.9.15, ad 20.* Ubi ſanguis fundamentum utrobique eſt: ſed tamen hoc quatenus Vetus & Novum differunt circumſtantiis quibuſdam, ut 1. quod in V.T. Chriſtus exhibendus erat, in N. Teſt. autem exhibitus. 2. Vetus, obſcurius: Novum, clarius. 3. Vetus ſigna habuit magis moleſta ſibi adjuncta, ut Circumciſionem, & Paſcha. Novum vero minus moleſta, Baptiſmum, & S. Cœnam.

XV. *Cum Deus in omni fœdere aliquid promittit, quid nobis in Evangelio promittit?*

Reſp. Promittit nobis quædam bona *neceſſaria*, quædam *acceſſoria*; Neceſſaria remiſſionem peccatorum, *Act.10.34.* Vitam æternam, *Ioan.3.16.* Acceſſoria ſunt bona temporaria, quæ Deus dat, prout videt nobis illa expedire.

XVI. *Quodnam fœdus intelligit Spiritus Sanctus*, Jer.31.32?

Reſp. Nihil aliud, quam fœdus Legale repetitum. confer cum *Deut.5.42.*

XVII. *Quodnam eſt illud fœdus corporeum & temporarium, contradiſtinctum fœderi Legali & Evangelico?*

Reſp. Illud, de quo, *Gen.9.9.* In quo Deus obligat, ſe non perditurum genus humanum diluvio; & ſtipulatur, ut homines fœtificent & augeſcant, tradita lege & pœna in homicidas.

XVIII. *Quæ ſacramenta fuerunt fœderis Legalis?*

Reſp. Arbor vitæ & Arbor ſcientiæ boni & mali.

XIX. *An ſoli fœderati jus habent in bona hujus vitæ temporalia?*

Reſp. Jus eſt, vel *civile*, vel *ſpirituale*; Jus civile etiam impii habent, ſed ſunt tantum uſurpatores. Piis vero jus ſpirituale & ad rem acquirendam competit.

Locus XXVI.
De Perſona Mediatoris.

Quæstio I.
Quid eſt Perſona Chriſti?

Resp. Eſt verus Deus, & verus Homo. Deus qui aſſumſit humanam naturam in ſuam ὑπόστασιν, *Ioan.1.v.14. 1 Tim.3.v.16. Gal.4.v.4.*

II. *Quare Chriſtum oportuit Deum eſſe & Hominem?*

Reſp. Hominem oportuit eſſe, quia homo commiſit peccatum; Homo ergo pro peccato ſatisfacere debuit, *Heb.2.14,15.* Deum eſſe oportuit, ut valor tantus accederet ſatisfactioni, ut unius mors tanti haberetur, quanti omnium, *2 Cor.5.15.* Nam hic valor pendet ex eo, quod hæc perſona fuerit æternus Deus, *Act.3.15,20,28. 1 Cor.2.8.*

III. *Si valor accedit ex natura, annon inde ſequitur, quod minima Chriſti*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

paſſio ſatisfacere potuit pro peccatis noſtris?

Reſp. Ad hanc quæſtionem reſpondet Paræus de Juſtificatione contra Bellarminum. Si ſpectes naturæ & perſonæ dignitatem, ſatisfacere potuit. Si vero ſpectes comminationem veritatis divinæ, tum non potuit, quia Deus minitatus erat homini mortem, *Gen.* 3. Hæc reſponſio tamen non eſt vera, nec Chriſtus in eadem perſona, in qua homo fuit, Deus erat, ut de pœna aliquid diminueret, ſed ut iræ Dei, & pœnis, quæ nobis debebantur, ferendo par eſſet. Reſpondet Camero: illos qui ita cavillantur, confundere ſatisfactionis ἔκτασιν ſive *extenſionem* cum ἐπιτάσει ſive *intenſione.* Poteſt aliquid perſonæ dignitas ἐκτάσει ſatisfactionis detrahere, ἐπιτάσει non poteſt: cujus rei hæc eſt ratio, quod ἐπίτασις ſatisfactioni ſit eſſentialis, ἔκτασις non item.

IV. *Anne caro Chriſti in cælo formata, & in uterum Mariæ immiſſa, an vero ex Mariæ ſubſtantia aſſumpta?*

Reſp. Ex ſubſtantia Mariæ. ut liquet, *Heb.* 2. *v.*14. Et hinc dicitur *ex patribus ſecundum carnem*, *Rom.*9.5. Semen mulieris, *Gen.* 3. Et Angelus hoc teſtatur, *Luc.*1.31.

V. *Quare ergo dicitur*, 1 Cor. 15. v.47, *primus homo è terra pulvereus; ſecundus vero homo, ipſe Dominus è cælo?*

Reſp. Dicitur hoc per communicationem idiomatum, hoc eſt, tribui perſonæ ab altera natura denominatæ, quæ unius naturæ tamen ſunt, ſcilicet divinæ. Tales locutiones paſſim occurrunt, *Act.*20.28.

VI. *Anne hæc phraſis, Chriſtus eſt nobis per omnia ſimilis, excepto peccato, continetur* κατὰ ῥητὸν *in Sacra Scriptura?*

Reſp. Non: ſed deducitur, ex *Heb.*4.17: & 4.15.

VII. *Anne cum dicitur nobis per omnia ſimilis, non ſequatur, quod habeat propriam ſubſiſtentiam?*

Reſp. Nequaquam; nam dicitur nobis per omnia ſimilis quoad φύσιν, non quoad ὑπόστασιν, *Heb.*2.16.

VIII. *Vtrumne Chriſtus humanam naturam aſſumpſerit cum omnibus infirmitatibus, ſicut hoc videtur affirmare Spiritus Sanctus*, Heb.4.15.

Reſp. Infirmitates duplices ſunt: vel *culpabiles*, ut peccatum; has non aſſumpſit: vel *inculpabiles*, quales ſunt, defatigatio, fames, ſitis; & illas aſſumpſit. Deinde infirmitates, quæ ſunt pœna *peccati communis*; has aſſumpſit, ut, potuiſſe mori: infirmitates vero, quæ ſunt *pœna particularis* peccati, ut, morbi; illas non aſſumpſit. Ergo vel, ut Auguſtinus vocat, aliæ miſerabiles ſimpliciter; aliæ vero damnabiles, ſive, ut Damaſcenus inquit, ἀδιάβλητοι, ſeu *deteſtabiles*: illas Chriſtus aſſumpſit, *Ioan.*1.14. 1 *Tim.*3.16. *Heb.*5.7. has vero non item.

IX. *Anne, cum in Chriſto duplex ſit natura, utraque perſonam conſtituit?*

Reſp. Negatur; nam perſonam iſta conſtituit, cujus eſt poſſibilitas, hoc eſt, divina natura. nam quod aſſumptum eſt in perſonalitatem, qualis humana natura, illud eſt poſterius perſonalitate; non conſtituit igitur ut perſonalitatem, ita perſonam. Conſtat perſona Chriſti ex divina & humana natura, tanquam partibus quibuſdam analogice ſic dictis, non proprie.

X. *Quid eſt humana natura in perſona Chriſti?*

Reſp. Aliqui Theologi dicunt eſſe adjunctum ἐνυποστατικὸν, alii inſtrumentum ἐνυπόστατον. Eodem res redit, verbis tamen differunt.

XI. *Annon, cum in Chriſto ſint duæ naturæ, erunt etiam duæ perſonæ?*

Reſp. Non: quod prob. *Rom.*1. *v.*3,4. & 9.5. 1 *Tim.*3.16. Ubi utrumque ſub una perſona comprehenditur. Atque hinc jam eſt, quod Scriptura denominet perſonam ab altera natura in concreto, & ipſi tribuat propria alterius naturæ; *Ioan.*3.13. *Act.*20.28.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Locus XXVII.
De Vnione Duarum Naturarum in Chriſto, Proprietatibus, & Effectis.

Quæstio I.
Quid eſt unio illa?

Resp. Eſt indiſſolubilis nexus, quo divina natura ſibi aptavit humanam & aſſumpſit in hypoſtaſin, *Heb.* 2. 16. & 10. 5.

II. *Eſtne mutatio facta in divina natura, quod humanam aſſumpſit?*

Reſp. In humana facta eſt, ſed non in divina; Nam mutatio omnis eſt vel *generatio* vel *corruptio*, *augmentatio* vel *diminutio*, *alteratio* vel *localis motus*. Horum autem cecidit in divinam naturam ex illa unione nullum. Mutatio eſt vel *activa*, vel *paſſiva*; prior cadit in Deum, non vero poſterior.

III. *Quomodo uniri poteſt humana divinæ, quæ eſt infinita?*

Reſp. Modo nobis incomprehenſibili & ineffabili; nam ſi unio inter Chriſtum & Eccleſiam etiam nobis incomprehenſibilis eſt, *Eph.* 5. *v.* 32. quanto minus hoc myſterium nobis comprehenſibile erit?

IV. *Annon humana Chriſti natura habet propriam hypoſtaſin?*

Reſp. Si propria hypoſtaſis accipiatur pro humana hypoſtaſi, non habuit propriam: ſed ſi propria accipiatur pro ea, quæ opponitur alienæ, tum ipſius eſt propria, etſi eadem propria quoque ſit τȣ̃ λόγȣ.

V. *Annon eſt perfectior humana natura in aliis hominibus, quam in Chriſto; cum alii homines ſubſiſtant in propria perſona, Chriſti vero humana natura non ſubſiſtit in propria hypoſtaſi?*

Reſp. Antea quomodo in hypoſtaſi ſubſiſtat, dictum: Hoc etiam tanto perfectiorem eſſe Chriſtum hominem, quod ſubſiſtat in hypoſtaſi divina, quanto perfectior ſit hypoſtaſis divina natura humana.

VI. *Anne iſtæ duæ naturæ ita ſunt unitæ, ut nunquam à ſe invicem ſeparari poſſint?*

Reſp. Omnino: 1. Quia Chriſtus eſt unus & idem, *Rom.* 1. 3: 9. 5. 2. Quia Chriſtus eſt particeps carnis, & frater noſter perpetuo, *Heb.* 2. 11.

VII. *Quomodo non poſſunt à ſe invicem ſeparari, cum in cruce clamaverit* Deus mi, Deus mi, quare dereliquiſti me? *Matt.* 27. 46.

Reſp. Derelictus fuit quoad *ſenſum favoris* divini, non autem deſertus fuit, quoad *unionem* perſonalem, *Pſal.* 88. 14, 15, 16, 17.

VIII. *An in morte ſeparatio facta fuit naturarum?*

Reſp. Nequaquam; quia dicitur princeps vitæ interemptus, *Act.* 3. 15. & non poſſet ſic dici, niſi in unione eſſet: Tribuitur enim perſonæ denominatæ in altera natura, quod alterius naturæ eſt. Idem dicitur, 1 *Cor.* 2, Dominum gloriæ crucifixerunt. In morte fuit Chriſtus homo *naturaliter*, licet non fuerit *formaliter*, utut enim ſejuncta erant à ſe, conveniebant tamen in uno tertio, in unione nimirum hypoſtatica. Exemplum in vagina ſeparata à gladio eſt. Ubi gladius eſt ſeparatus à vagina, cohærent tamen iſta & unita ſunt in homine, qui vaginam una, gladium altera manu tenet. Sic etiam partes naturæ humanæ, anima puta & corpus, ſeparatæ fuerunt à ſe invicem, unitæ tamen fuerunt in hypoſtaſi divina, quæ utramque partem ſuſtentavit.

IX. *Vtrumne ita unitæ naturæ, ut proprietates invicem communicentur?*

Reſp. Nequaquam. nam ut naturæ non confunduntur, ſed manent in unione diſtinctæ, ita

& proprietates: Itaque in Chriſto duplex eſt ſapientia; una *creata*, altera *increata*: duplex voluntas; *divina*, & *humana*: ſic duplex potentia, *divina*, & *humana*.

X. *Vtrumne ex iſta unione in Chriſto ſequuntur infinita dona in humana natura, quandoquidem dicitur*, Joan.3. v.3, 4, *quod Deus Spiritum admetiatur huic ſine menſura?*

Reſp. Non admetitur ita Sp. ſicut nobis, ut 1 *Cor*.12. *v*.11. Interim tamen omnia dona, quæ in Chriſto ſunt, infinita in ſe non ſunt, etſi nobis incomprehenſibilia.

XI. *Vnde hoc ſit, quod eſt, natura alterius ut tribuatur perſonæ ab altera natura denominatæ?*

Reſp. Ob unionem iſtam: *Act*.3. *verſ*.15. & 20.28.

XII. *Quid eſt illud, quod Theologi vocant* concretum *&* abſtractum, *in doctrina de perſona Chriſti?*

Reſp. Abſtractum vocant divinitatem, humanitatem: concretum Chriſtus homo, Chriſtus Deus, Chriſtus Filius hominis, Chriſtus Filius Dei; Quemadmodum autem abſtracta notant *naturas*, ita concreta *perſonam*.

XIII. *Quid eſt communicatio idiomatum?*

Reſp. Eſt ſynecdoche; ubi quod partis eſt, toti tribuitur.

XIV. *Vtrumne iſta communicatio verbalis, an realis?*

Reſp. Realis eſt quoad *perſonam*, verbalis quoad *naturas*: verbi gratia, Deus redemit Eccleſiam ſuo ſanguine, *Act*.20; realis eſt communicatio, quia quod eſt humanæ naturæ, tribuitur perſonæ in concreto: at verbalis, ſi conſideretur ratione naturarum; nam hæc perſona quidem quæ Deus eſt, redemit Eccleſiam proprio ſanguine *realiter*; at qua Deus eſt, non *realiter*, ſed *verbaliter*.

XV. *Quomodo illud accipiendum*, *Col*.2.9, Plenitudo Deitatis habitat in ipſo corporaliter?

Reſp. Per unionem ὑποστατικήν. hic enim nihil aliud dicitur, quam quod in Evangelio dicitur, *Verbum caro factum eſt*, Joan.1.

XVI. *Annon humana Chriſti natura ob unionem iſtam adoranda eſt cultu religioſo?*

Reſp. Theologi noſtri plerique valde perplexi ſunt, qui dicunt non ſeparare ſe naturas, ac proinde adorare una adoratione Deum & hominem: ſed inepte, ut obſervat Sohnius; nam ſi non ſeparamus naturas, cum non tribuimus humanæ naturæ, quod divinæ eſt, ut omnipotentiam, immenſitatem: ita non ſeparamus naturas, ſi non tribuamus humanæ, quod humanæ non eſt, quia ipſi non tribuitur cultus religioſus, *Deut*.6.13. *Matth*.4.10.

XVII. *Quali ergo cultu adoranda eſt humana Chriſti natura?*

Reſp. Cultu *civili*, ſed qui infinitis fere modis ſuperior eſt omnium hominum cultu.

XVIII. *In quonam conſiſtit iſte cultus?*

Reſp. In æſtimatione naturæ ejus & donorum, quæ in ipſo ſunt, itemque effectis, quæ ab illo profecta, tum in celebratione Dei, qui hunc nobis procuravit, in quo reconciliamur, 2 *Cor*.8.4.

XIX. *Annon Chriſtus eſt ubique ſecundum humanam naturam, cum ὑπόστασις ejus ſit divina?*

Reſp. Nequaquam: nam hypoſtaſis non eſt ubique; ſi enim hypoſtaſis eſſet ubique, eſſent tria infinita realiter diſtincta in Deo; cum ſint tres hypoſtaſes realiter diſtinctæ.

XX. *Anne* ὑπόστασις *eſt finita, an infinita?*

Reſp. Neque finita, neque infinita: finitudo enim & infinitudo ſunt affectiones entis; Perſo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Perſona autem qua perſona, ſeu quatenus modus exiſtendi, non eſt ens, ſed *modus entis*; modi autem nec finiti ſunt, nec infiniti.

XXI. *Quid eſt Mediator in ſpecie?*

Reſp. Eſt perſona reconcilians Deum iraſcentem peccatis, & genus humanum mortis æternæ propter peccatum reum agentem, deprecans pro iis, & ſatisfaciens juſtitiæ divinæ moriendo, applicans credentibus & credituris in eum, ejus meritum per fidem, regenerando eos per Spiritum Sanctum, efficiens ut peccare deſinant, denique vocantium preces & gemitus exaudiens.

Locus XXVIII.

De Mediatore in genere.

Quæstio I.

Quid eſt Mediator in genere?

Resp. Is dicitur, qui reconciliat duas partes diſſidentes, interponens ſe, & placans offenſum, vel deprecando, vel etiam ſatisfaciendo & cavendo ne amplius offendatur.

II. *Fuitne in Vet. Teſtamento Chriſtus etiam Mediator, cum homo nondum natus & factus eſſet?*

Reſp. Chriſtus eſt Mediator, *potentia*, *merito*, & *exemplo*. Atqui ratione potentiæ non erat neceſſe, ut eſſet homo, quia hæc à divinitate fluit. Ratione meriti non erat neceſſe, ſi effectus debeat ſequi, ut exiſteret, ſed ſufficiebat ſi futurus eſſet; quia meritoria cauſa non eſt neceſſe ut exiſtat, ſi effectus debeat ſequi, ſed ſufficit ſi aliquando futura, & ipſius eſſe ſit cognitum. Idem judicandum de cauſa exemplari.

III. *Anne unicus tantum eſt Mediator, quandoquidem Moſes dicitur mediator,* Gal. 3. 19?

Reſp. Mediator erat, vel typicus, vel verus: Typicus erat Moſes & ſummi Sacerdotes: Verus autem eſt unicus, nim. Chriſtus, 1 *Tim.* 2. *verſ.* 5.

IV. *Anne Chriſtus, qua Mediator, inferior eſt hominibus; eſt enim Mediator propter hominem?*

Reſp. Secundum iſtam relatam naturam ita eſt, ſed non ſecundum abſolutam. Ita Angeli, quatenus miniſtri, inferiores & indigniores ſunt nobis, quanquam ſecundum abſolutam naturam ſint præſtantiores nobis.

V. *Bonane diſtinctio Pontificiorum eſt, alium ſcilicet eſſe Mediatorem* reconciliationis *&* redemptionis, *qui Chriſtus eſt; alios autem* interceſſionis *&* impetrationis, *quales ſunt Sancti?*

Reſp. Vaniſſima; quia præſupponit hoc, quod Sancti pro nobis in cælis intercedant, quod à Simlero & Paræo, magnis Theologis, negatur. 2. Dato quod orent, quod à multis Theologis conceditur, non orant tamen in *particulari*, ſed in *genere*. 3. Falſum hoc eſt, quod ſi quis pro altero roget, eo ipſo ſit ipſius mediator; nam hoc pacto omnes eſſemus mediatores, quia unus pro altero orare tenetur.

VI. *An Chriſtus poteſt eſſe Mediator, cum ſit offenſus?*

Reſp. Poſſe eſſe mediatorem, qui offenſus eſt, patet, *Matth.* 18. 15. *Luc.* 20. 13.

VII. *An Chriſtus inter ſe ipſum & homines Mediatorem agere poteſt?*

Reſp. Affirm. Quod probant loca præcedentis quæſtionis. *Proprie* quidem eſt Mediator apud Patrem & Spiritum Sanctum. *Analogice* vero apud ſe ipſum.

VIII. *An Chriſtus ſit Mediator Angelorum?*

Reſp. Negatur; quia quorum Chriſtus eſt Mediator, illi ſunt peccatores, *Matth.* 26. 18. *Hebr.* 9. *v.* 15. Quia dicitur inter hominem & Deum Mediator, 1 *Tim.* 2. 5.

IX. *An omnium hominum eſt Mediator?*

Reſp.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Reſp. Nequaquam; quia eſt tantum Mediator eorum, qui ſunt in fœdere: omnes autem non eſſe in fœdere, oſtenſum eſt in loco De Fœdere.

X. *Anne inde ſequitur, eum eſſe omnium Mediatorem, quia naturam communem aſſumpſit & ſuſcepit?*

Reſp. Non aſſumpſit naturam *communem*, ſed *ſanctificatam*, *Luc.* 1. 35.

XI. *Vtrumne Chriſtus Mediator eſt Dei quoad nos, vel noſtri apud Deum?*

Reſp. Socinus prius arbitratur; ſed abſurdiſſimus eſt; nam contrarium teſtatur Sacra Scriptura, 1 *Ioan.* 2. 1, 2. Nam noſtrum advocatum agit apud Deum, non Dei apud nos; eſt propitiatio pro noſtris peccatis apud Deum, non Dei apud nos.

XII. *Anne Chriſtus, quatenus Mediator, inferior ſit Deo ſecundum hoc officium?*

Reſp. Inferiorem eſſe Deo reſpectu officii mediatorii, probat iſta regula Theologorum. 1. Inæqualitas officii non tollit æqualitatem naturæ. 2. Officium Chriſti mediatorium eſt tantum relatio. 3. Poteſtas mediatoria eſt tantum Chriſto conceſſa, *Matth.* 28. 18. 4. Hoc Chriſti officium temporarium, 1 *Cor.* 15. 28. Manebit quidem Chriſtus Mediator quoad *efficaciam*, non autem quoad *adminiſtrandi modum.*

XIII. *Vtrumne Chriſtus Mediator ſecundum utramque naturam unctus eſt ad officium illud?*

Reſp. Unctum eſſe patet, *Heb.* 1. *verſ.* 8, 9. Aliter tamen hoc dicitur de divina, aliter de humana Chriſti natura; Nam ratione donorum neceſſariorum, quæ accepit ad hoc munus obeundum, dicitur unctus quoad humanam naturam. Ratione autem divinæ nihil aliud notat, quam ordinationem ad hoc munus obeundum.

XIV. *Anne Chriſtus eſt Mediator ſecundum utramque naturam?* Bellarminus *dicit eſſe* principium quo *ſecundum Divinam,* principium autem quod *ſecundum humanam naturam?*

Reſp. Nos affirm. Secundum utramque naturam. Quod probatur ex actis officii mediatorii; nam interne docere pertinet ad Chriſtum, qua Deus; item ſe offerre Deo, *Heb.* 9. 14. in regio munere poteſtatem exercere in cælo & in terra, pertinet ad regium Chriſti munus, qua Deus eſt.

XV. *An eadem ratione Chriſtus Mediator eſt ſecundum utramque naturam?*

Reſp. Non: quia ſecundum Divinam naturam eſt *efficienter*; ſecundum humanam, *meritorie.*

LOCUS XXIX.
De Officiis Chriſti.

QUÆSTIO I.
Quare oportuit Chriſtum eſſe Prophetam, Sacerdotem & Regem.

RESP. Quia nos ſubjecti eramus ignorantiæ, reatui, impotentiæ Legis, dolo & fraudibus hoſtium. Oportebat Chriſtum eſſe Prophetam, qui noſtræ ignorantiæ ſuccurreret; Sacerdotem, qui reatum tolleret, & juſtitiam acquireret; Regem, qui nos adverſus hoſtium fraudes tueretur.

II. *Quid eſt munus Chriſti Propheticum?*

Reſp. Eſt officium ejus, ſecundum quod ordinatus eſt, ut externe doceat, & interne illuminet corda fidelium.

III. *Vtrum Chriſtus ſit Propheta, & ubi ſic vocetur?*

Reſp. Deut. 18. 18, 37. *Act.* 3. 22.

IV. *Quinam ſunt actus muneris Chriſti Prophetici?*

Reſp.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Reſp. Docere interne, & externe.

V. *Quomodo externe docuit Chriſtus?*

Reſp. *Mediate* in Prophetis & Patriarchis, 1 *Pet.*1.*v.*10, 11: & 3. 19. *Immediate* vero, cum eſſet exhibitus in carne, *Heb.*1. 1*Cor.*10.

VI. *Anne Chriſtus, quoad munus illud externe docendi, differt à reliquis Prophetis?*

Reſp. Differt; tanquam Dominus à famulis, *Heb.*3.5.

VII. *Anne Chriſtus munus Propheticum exercuit in Apoſtolis, & etiamnum exercet mediate in Miniſtris Verbi Dei?*

Reſp. Utique; *Matth.*28.20.

VIII. *Anne etiam ſunt Prophetæ in N. Teſt. qui ſubordinantur muneri Chriſti Prophetico, an vero omnes ſubordinantur muneri Chriſti Regio, quandoquidem Miniſtri ſunt Chriſti, ut Regis, in eo quod prophetant?*

Reſp. Dari Prophetas, in lata ſignificatione acceptos, *Eph.*4. 11. Subordinari vero muneri Chriſti Prophetico & Regio, ſed diverſa ratione: Muneri Regio, quemadmodum Miniſtri Verbi Dei Magiſtratui Politico: Muneri Prophetico, quatenus Prophetæ ſunt. Breviter, Regio tanquam *heterogeneo*; Prophetico tanquam *homogeneo*.

IX. *Docetne etiam Chriſtus interne?*

Reſp. Ita; ut apparet, *Luc.*24.*v.*45. *Act.* 16.*v.*14.

X. *Quid eſt Sacerdos?*

Reſp. Definitio extat, *Hebr.*5.1.

XI. *Quotuplex eſt Sacerdos?*

Reſp. Duplex: *Proprie* dictus, & *metaphorice*: Metaphorice dicti Sacerdotes, iſti ſunt, qui nullius ordinis eſſe dicuntur, ſed ſimpliciter vocantur Sacerdotes; & ſunt omnes fideles, *Apoc.*1.6. & 5.10.

XII. *Quare tales vocantur Sacerdotes?*

Reſp. Habetur id, 1 *Pet.*2. 5.

XIII. *Quinam ſunt proprie dicti Sacerdotes?*

Reſp. Illi qui dicuntur alicujus ordinis: & ſunt duplices, *typici*, & *reales*: Typici ſunt vel *Melchiſedechiani*, vel *Aaronici*; de prioribus, *Gen.*14.18. de poſterioribus, *Heb.*7.1.

XIV. *Qua ratione dicitur typus fuiſſe Chriſti ſine Patre, ſine Matre, an ratione naturæ, an vero ratione officii?*

Reſp. Sociniani poſterius volunt: ſed inepte; nam dicitur ratione naturæ, *Heb.*7.*v.*3. Quod enim de vita eſt, hoc etiam de natura eſt.

XV. *Quomodo hoc in Melchiſedecho verum & in Chriſto?*

Reſp. In Melchiſedecho, hiſtorice & per *reticentiam*; in Chriſto, *re vera*; cum Chriſtus ſine Patre ratione humanæ naturæ, ſine Matre ratione Divinæ eſt.

XVI. *Quid eſt Pontifex Aaronicus?*

Reſp. Ex Aarone ortum ducit, qui Sacerdotalia munera obiit ſumma; unde etiam Sacerdos ſummus & maximus vocatur.

XVII. *Annon ſummus & maximus vocabatur, quia habebat imperium in reliquos Sacerdotes, ut Pontificii volunt?*

Reſp. Nequaquam; ſed quia ſumma ſacerdotalia munera obibat, ut ingrederetur Sanctum Sanctorum, & ſolus illic ſanguinem inferret, *Heb.*7. & 9.

XVIII. *Quis eſt Sacerdos realis?*

Reſp. Eſt Chriſtus Jeſus; ut liquet, *Pſal.* 110.4. *Heb.*5.5, 6.

XIX. *Eſtne Chriſtus proprie dictus Sacerdos?*

Reſp. Imo. 1. Quia eſt ordinis Melchiſedechi. 2. Quia Spiritus Sanctus illi applicat definitionem proprie dicti Sacerdotis, *Heb.*5. *verſ.*5, 6.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

XX. *Fuitne Chriſtus etiam Sacerdos in his terris?*

Reſp. Utique; quia in his terris ſe ipſum obtulit. *Eph.*5.3. *Heb.*10.12.

XXI. *Quodnam eſt diſcrimen inter Aaronicos Sacerdotes & Chriſtum?*

Reſp. Aaronicus,	Chriſtus,
1. Erat Typus.	Revera antitypus.
2. Erat nudus homo.	Verus Deus, & verus homo.
3. Erat homo peccator.	Sine peccato.
4. Erat unctus communiter.	Unctus oleo lætitiæ ultra conſortes.
5. Habebat Tabernaculum manu fact.	Cæleſte & Æternum.
6. Erat miniſter V. Teſt.	Dominus N. & Vet. Teſt.
7. Ingrediebatur ut mactator.	Ut ſe ipſum offerens & mactatus.
8. Ingreſſus cum ſpeciebus aromaticis igne flagrantibus & fumantibus.	Ingreſſus eſt cum aromatibus ardentis amoris erga homines.
9. Cum pecudibus mere placatoriis, & ex ſe non meritoriis.	Cum precibus meritoriis per ſe.
10. Cum ſanguine alieno, ſc. bruti.	Cum ſanguine proprio.
11. Intravit quolibet anno.	Simpliciter & ſemel tantum.
12. Sanguis bruti valuit ad purificationem carnis.	Sanguis Chriſti ad purificationem conſcientiarum ab operibus malis.

LOCUS XXX.

De Sacrificiis.

QUÆSTIO I.

Quotuplicia ſunt Sacrificia?

RESP. Typica, & realia.

II. *Quotuplicia ſunt typica?*

Reſp. ἱλαστικά, & εὐχαριστικά.

III. *Quid ſunt Sacrificia* ἱλαστικά *ſeu expiatoria?*

Reſp. Sunt actus cerimoniales, ubi intervenientibus terrenis rebus, per certos ritus ad mandatum Dei oblatis, ſuo modo hominum peccata expiantur.

IV. *Quid illud eſt, quod dicitur ſuo modo?*

Reſp. Typice; Realiter enim ſanguis Chriſti purgat nos à peccato.

V. *Vtrumne omnia ſacrificia* ἱλαστικά *erant typi Chriſti & Sacrificii illius?*

Reſp. Utique; neque enim putandum Deo placuiſſe hæc à ſe, ſed in quantum reſpectum habebant ad Chriſtum; præterea apparet, typos Chriſti fuiſſe, quia erant futurorum bonorum umbræ, & Chriſto exhibito ceſſarunt, *Heb.*8. 5: 13. 10. *Col.*2. 17.

VI. *Anne omnia ſacrificia erant typi Chriſti adæquata?*

Reſp. Non; & propterea tam multa erant, ut adæquarent hoc ſacrificium Chriſti reale: Nam nihil fuit in ſacrificio, imo in ipſa perſona Chriſti, quod hic non expreſſum; verbi gratia, mors temporaria ſignificabatur jugulatione pecudum; mors æterna combuſtione ſignificabatur; Chriſtum ſecundum humanam naturam mortuum, ſecundum divinam vixiſſe ſignificabatur per turtures, quorum unus mactabatur, alter dimittebatur; Chriſtum hominem ſuſtentatum fuiſſe à divina natura, ne plane abſorberetur ab ira Dei, ſignificat altare, ſuper

ſuper quod ponebantur holocauſta, quod obductum erat ære, *Exod.*27.

VII. *Vtrumne ſacrificia fuerunt mactationes pecudum, etſi ſanguis eorum non ferretur in Sanctum Sanctorum?*

Reſp. Negat Socinus: ſed inepte; nam ſacrificia iſta erant omnia, de quibus, *Levit.* 2. Quæ peragebantur quotidie, quorum ſanguis tamen non inferebatur in Sanctum Sanctorum; nam ſanguis ſacrificii anniverſarii tantummodo inferebatur, *Heb.*9.7.

VIII. *Anne omne ſacrificium quod expiabat, fuit cruentum?*

Reſp. Ita arbitrantur multi noſtri Theologi in dicto loco, *Heb.*9.22. Unde rident ſacrificium incruentum Pontificiorum: ſed valde inepte; nam dapalia ſacrificia etiam expiabant; dapalia autem vocantur cibi, aut ex quibus cibus fieri poterat, *Lev.*5.12.

IX. *Quomodo autem locus iſte,* Heb. 9, *intelligendus?*

Reſp. Sacrificia conſiderantur ut inadæquati typi ſacrificii Chriſti: loquitur autem Spiritus Sanctus de ſacrificiis collectim ſumptis, non de ſacrificiis ſigillatim ſumptis; ut ſenſus ſit, ſacrificia typica non expiant plene abſque ſanguine.

X. *Quomodo ergo reſiſtendum Pontificiis?*

Reſp. Hoc modo: quod ubi ſacrificium ſit vivum, ibi ſanguinis effuſio; quod inductione probari poteſt: cum ergo Chriſtus vivum quid fuerit, ut pote homo, ſacrificari non poterit abſque ſanguinis effuſione.

XI. *Anne ſacrificia* ἱλαστικὰ *erant inſtituta pro peccatis, quæ quis ſciens volenſque commiſerat?*

Reſp. Negat Socinus: at Scriptura clariſſime affirmat, *Num.*5.6,7.

XII. *Anne pecudes ſacrificiales vice hominum mactabantur, & an expiabantur à peccatis homines iſti, quorum vice mactabantur?*

Reſp. Affirm. prius, *Lev.*1. *& ſequentibus capitibus;* Poſterius vero, *Lev.*17.10,11.

XIII. *Anne pro gravioribus peccatis, homicidio ſcilicet, adulterio, & id genus aliis, fuit inſtitutum ſacrificium?*

Reſp. Duplex ſacrificium fuit. Vel cum confeſſione particularis peccati: & hoc modo nullum erat inſtitutum ſacrificium; cum enim in lege juberentur plecti tales capite, Deus noluit neceſſitatem imponere miſeris ſe ipſos accuſandi, & in mortem præcipitandi. Alterum vero erat anniverſarium, quod generalem tamen confeſſionem poſcebat omnium; & hoc pro quibuſvis peccatis (excepto in Spiritum Sanctum, pro quo nulla hoſtia, *Heb.*10.) inſtitutum fuerat, *Heb.*10, ſemel quotannis.

XIV. *Quomodo iſta ſacrificia diſtinguuntur?*

Reſp. In *dapalia*, Lev.2.1,2,3,4. & *victimas*: quæ iterum ſunt triplices; aliæ *holocauſta*, quæ comburebantur; aliæ vero, quarum aliquæ partes comburebantur, aliquæ vero Sacerdotibus cedebant; aliæ quarum una comburebatur, ſecunda pars cedebat Sacerdotibus, tertia pars ſacrificantibus.

XV. *Quid eſt ſacrificium Euchariſticum?*

Reſp. Eſt actus cerimonialis intervenientibus terrenis rebus, per certos ritus ad Dei mandatum oblatis, quibus teſtabantur homines gratitudinem erga Deum, *Lev.*3.1,2,3,4.

XVI. *Anne omni ſacrificio euchariſtico adhibebatur ignis, & quid iſte ignis ſignificabat, quid item ſacrificium euchariſticum?*

Reſp. Ita hoc intelligendum eſt, quod pars comburebatur, pars vero cedebat Sacerdoti vel ſacrificanti in eſcam, *Lev.*1.17. Euchariſticum ſacrificium ſignificabat preces noſtras, ſive erat typus precum noſtrarum, 1 *Pet.*2. *verſ.*5.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Ignis vero ſignificabat ſatisfactionem Chriſti, ut hoc ipſo ſignificetur, preces noſtras non eſſe acceptas Deo, niſi per Chriſtum, ſive ſatisfactionem ejus; hinc offerimus Deo hoſtias ſpirituales, acceptas per Jeſum Chriſtum, 1 *Pet.* 2. *verſ.* 5.

XVII. *Quodnam eſt illud ſacrificium?*

Reſp. Chriſtus Jeſus, verus Deus & verus homo, quatenus ſe ipſum obtulit in mortem ſecundum humanam naturam pro peccatis noſtris, *Heb.* 9. 15.

XVIII. *An ergo oblatio tribuitur Chriſto Deo & Homini?*

Reſp. Ita: ſed diverſa ratione; nam homini tribuitur paſſiva, hoc eſt, oblatus eſt homo; Deo activa, hoc eſt, ſe ipſum obtulit, *Heb.* 9. *verſ.* 14.

XIX. *Quinam ſunt actus ſacerdotales Chriſti?*

Reſp. Mori vice hominis, legem præſtare ſancte vivendo, & intercedere pro nobis.

XX. *An Chriſtus vice noſtri ſit mortuus?*

Reſp. Utique; nam certe, cum mors ſit ſtipendium peccati, *Rom.* 6, oportet aut mortuum eſſe pro ſuis; quod abſurdum; aut pro noſtris peccatis: accedit, quod hoc typi oſtendant; nam ſicut pecudes vice hominum mori debebant, qui erant typus Chriſti, ita & Chriſtus vice noſtri eſt mortuus, attamen non pro omnibus, Joan. 17. v. 9, *Non rogo pro mundo. Nulla condemnatio*, Rom. 8. 1.

XXI. *Quomodo ergo locus iſte intelligendus*, 1 Joan. 3. v. 16, *Chriſtus pro nobis animam ſuam depoſuit, nos oportet & animas noſtras deponere pro fratribus noſtris?*

Reſp. Particula iſta *pro* duo ſignificata habet. 1. Ut notet Chriſtum noſtro bono eſſe mortuum. 2. Ut notet, Chriſtum vice noſtri pro nobis eſſe mortuum. Priori ſignificatione poſſunt etiam alii pro aliis mori; ſed non poſteriori: Hinc nullus hominum qui moritur pro altero, dicitur dare redemptionem animam, ſive redemptionis pretium pro alio, quemadmodum de Chriſto dicitur, *Matth.* 20. *v.* 28. 1 *Tim.* 2. 6.

XXII. *Vtrumne Chriſtus tantum mortem temporariam, an vero etiam æternam ſuſtinuit?*

Reſp. Non tantum temporariam, ſed etiam æternam: quod patet, *Gal.* 3. 13. Sic & *Luc.* 22. ubi ſudavit ſudorem ſanguineum: quod non cogitandum profectum fuiſſe propter mortem temporariam, quam multi homines nudi non exhorruerunt, ſed intrepide & cum gaudio adierunt; ſed propter æternam. confer hoc cum, *Pſal.* 22. 2, 3, 4. & 88. 14, 15, 16, 17. *Ieſ.* 53. 9, 12.

XXIII. *Vtrumne mortem æternam ſuſtinuit, quandoquidem æternum eſt, quod finem non habet?*

Reſp. Æternam, quoad *eſſentiam*, non quoad *durationem*.

XXIV. *Quomodo hoc intelligi debet?*

Reſp. Declaratur à Theologis noſtris exemplo iſtorum, qui vita æterna fruebantur, & iterum vocabantur ad vitam; qualis erat Lazarus, *Ioan.* 11. 44. Tabitha, *Act.* 9. 39, 40. Illi enim fruiti ſunt æterna felicitate *eſſentia*; ſed tamen *duratione* non item, quia vocabantur ad vitam.

XXV. *Quare ergo dicitur à Theologis, non eſſe iſtam pœnam æternam, ſed æternæ æquivalentem?*

Reſp. Aut male aliqui utuntur hoc vocabulo, aut ſi utantur bene, hoc intelligendum eſt de *duratione*, quod hæc pœna Chriſti æquivalens pœnæ æternæ in æternum duraturæ.

XXVI. *Anne Chriſtus ex illo tempore, ex quo cœpit iſtam pœnam pati, iſtam continuo, an per intervalla paſſus eſt?*

Reſp.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Reſp. Per intervalla; idque patet ex eo, quod cum pateretur hanc, *Luc.*22.44, & ipſe conſtitutus in angore intentius orabat; erat autem ſudor ejus quaſi grumi ſanguinis decidentes in terram: poſt tamen videtur remiſiſſe, dum captus circumducitur; & tandem ipſum iterum invaſiſſe, dum clamavit in cruce, *Deus mi, Deus mi, quare dereliquiſti me?* Matt.27. verſ. 46.

XXVII. *Quomodo mors Chriſti unius ſufficere poteſt pro tot mortibus, & unius non infinitum durans pro mortibus infinitum duraturis?*

Reſp. Eo quod hæc perſona quæ mortua eſt, Deus erat, *Act.*20. Princeps vitæ, *Act.*3.15. & Dominus Gloriæ, 1 *Cor.*2.8.

XXVIII. *Quomodo tamen hæc doctrina conciliari poteſt cum eo, quod Theologi docent, quod omnia ſint infinita valore; num igitur unum infinitum valore, qualis eſt mors Chriſti, poteſt facere pro multis valore infinitis?*

Reſp. Omnino; quædam peccata ſunt infinita valore, quia in Deum committuntur, & dicuntur infinita *objecto*: atqui mors Chriſti infinita dicitur non tantum *objecto*, ſed & *ſubjecto* ſimul, quia hæc perſona eſt æternus Deus.

XXIX. *Si Chriſtus pro nobis pœnas ſuſtinuit & proprie dictas pœnas, ergo oportet, Deum ipſi fuiſſe iratum; at quomodo Deus potuit iraſci illi, in quo ipſi complacitum eſt?*

Reſp. Ira Dei eſt juſtitia ejus puniens, ita ut quæratur hoc, anne ipſum punire potuit, qui ipſi dilectus? certe potuit, ſed non propter propria peccata, verum propter aliena, quemadmodum teſtatur Spiritus Sanctus. *Eſai.*53.

XXX. *Si Chriſtus vice noſtri mortuus eſt, quare ergo fideles moriuntur?*

Reſp. Nos quidem liberati ſumus à morte, quatenus illa maledicta: interim hoc quod maledictum erat nobis, eſt converſum in bonum; & quod janua erat ad mortem æternam, illud eſt factum janua ad vitam æternam: & Spiritus Sanctus dicit, mortem præſtare diei nativitatis, *Eccleſ.*7.*v.*1. Moriuntur ergo fideles, non ut morte ſua pro peccato pendant, ſed ut corpus peccati aboleatur, & per mortem tranſeant ad vitam æternam, *Rom.*6. *Ioan.*6. Verbo; mors abolita, non *ut non ſit*, ſed *ut mala non ſit*.

XXXI. *Quomodo Chriſtus nos redemit, propriene an improprie? Nam aliquando ſumitur redemptio pro ſimplici liberatione.*

Reſp. Quotieſcunque dicimur redempti, & nominatur hoc quo redimimur, intelligenda eſt proprie dicta redemptio; talis autem redemptio per Chriſtum facta, *Matth.*20.*verſ.*28. 1 *Tim.*2.6. Propria ergo iſta redemptio.

XXXII. *Anne Chriſtus loco noſtri Legem ſancte vivendo implevit?*

Reſp. Ut homo non propter ſe factus eſt, ſed propter nos, *Eſai.*9.6. ita non propter ſe Legem implevit, ſed propter nos; propterea etiam dicitur Legi ſubjectus, ut redimeremur & adoptionem acciperemus, *Gal.*4.5.

XXXIII. *Quibus terminis uti ſolent Theologi in hac materia?*

Reſp. Diſtinguunt juſtitiam, in *activam*, & *paſſivam*. Paſſivam vocant, per quam redemit nos ab execratione Legis: Activam, per quam adoptionem in filios nobis acquiſivit.

XXXIV. *Qua ratione dicitur Chriſtus pro nobis intercedere, an hoc intelligendum eſt* formaliter, *eo modo, quo Chriſtus fecit*, Joan. 17. *An vero* objective, *hoc eſt, quo ſe ipſum præſentat coram facie Dei pro nobis?*

Reſp. Poſterius verum eſt; quia per τὸ *comparere* explicatur, Heb.9. 24, *Vt compareat.* Item, *Propitiationem eſſe pro peccatis*, 1 Joan. 2. verſ.2.

XXXV. *Quotuplex eſt Regnum Chriſti?*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Reſp. Duplex. 1. Quod ipſi commune eſt cum Patre & Spiritu Sancto, & quod jure obtinet creationis; vocatur autem alias hoc Regnum *eſſentiale:* & Regnum quod ipſi proprium eſt; de quo ut paſſim, ita *Matth.* 18. 18.

XXXVI. *Fuitne Rex, antequam paſſus eſſet?*

Reſp. Utique; *Matth.* 2. *v.* 2. *Ioan.* 18. 36: & 19. 19.

XXXVII. *Quomodo hoc accipiendum eſt,* Act. 2. v. 36, *quod Deus hunc Dominum fecerit?*

Reſp. Non fecit eum Dominum, cum crucifixus eſſet, ſed antequam crucifixus eſſet.

XXXVIII. *Quid eſt ſedere ad dextram Dei?*

Reſp. Eſt eſſe Perſonam Deo æqualem potentia & gloria, per quem omnia agit & gubernat immediate. Vulgo definimus, Quod ſit æquali cum Patre potentia & gloria regnare.

XXXIX. *Annon Chriſtus, cum ſedeat ad dextram Patris, erit ubique?*

Reſp. Nequaquam; nam ita dicitur conſediſſe ad dextram Dei, ut ſimul ſit in cælis, *Col.* 3. 1. *Heb.* 1. 13.

XL. *Quodnam eſt Regnum iſtius Regis?*

Reſp. Duplex; *Gratiæ*, quod eſt *Eccleſia militans*: & *Gloriæ*, quod eſt *Eccleſia triumphans.*

XLI. *Annon eſt Rex Diabolorum, bonorum Angelorum, imo hominum, quos condemnaturus eſt?*

Reſp. Eſt Rex, ſed eodem modo, quo caput: Caput autem Chriſtus eſt dupliciter, vel quaſi politicum, & ita eſt Rex bonorum malorumque Angelorum, & reproborum hominum: & eſt quaſi caput naturale, quale eſt reſpectu fidelium, *Eph.* 4. 12, 13.

XLII. *Annon Chriſtus aliquando regnaturus eſt, idque more aliorum Principum?*

Reſp. Nequaquam; id quod ex ſecundo ipſius adventu apparet in carne: Nam triplex eſt ipſius adventus; *Spiritualis*, de quo, *Ioan.* 14. *v.* 23. *In carnem*, de quo, *Heb.* 10. 9. *In carne*, cum venturus eſt judicare vivos & mortuos. Conjungetur ergo extremum judicium cum adventu ſecundo in carne, ut videre eſt *Matth.* 24. 30, 31, 32. 2. Quia Regnum Chriſti non eſt de hoc mundo, *Ioan.* 18. 36.

XLIII. *Quomodo concilianda Scripturæ loca, quæ de hoc Regno loquuntur,* Luc. 1. v. 33, *ubi Angelus dicit, Regni illius nullus finis futurus: & illud,* 1 Cor. 15. 24, *cum tradiderit Regnum Patri?*

Reſp. Quoad *rem* (efficaciam) manebit Regnum; ſed quoad *modum adminiſtrandi* (officium) abolebitur: Non enim mediis externis, quales ſunt Miniſtri Verbi Dei, opus habebit in hoc Regno adminiſtrando.

XLIV. *Quotuplex eſt Regnum hoc in Eccleſia?*

Reſp. Duplex: *internum*, quod potentiam infinitam requirit: & *externum*, quod per media externa fit; quomodo regit Eccleſiam per Rectores Eccleſiæ ſive per Presbyteria.

LOCUS XXXI.

De Iuſtificatione Activa.

QUia Chriſtus redemit nos ab execratione Legis, in adoptionem nos acquiſivit, idcirco ſequitur Juſtificatio.

QUÆSTIO I.

Quot modis accipitur juſtificari *in Sacra Scriptura?*

RESP. Quintupliciter. 1. Deus nos juſtificat *imputando* juſtitiam Chriſti. 2. Chriſtus, *ſatisfaciendo* & *merendo*. 3. Spiritus Sanctus, *manifeſtando* & *obſignando*. 4. Fides, *apprehendendo* & *applicando*. 5. Bona opera, *declarando*.

II. *Quo-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

II. *Quomodo diſtinguitur à Theologis Iuſtificatio?*

Reſp. In activam reſpectu Dei qui juſtificat: & paſſivam reſpectu hominis qui juſtificatur. Vide Trelcatium.

III. *An iſtæ ſunt ſpecies juſtificationis?*

Reſp. Nequaquam; ſed eſt vocis ambiguæ diſtinctio, quemadmodum omnia verbalia in *io* deſcendentia à verbis activis, & active & paſſive capiuntur, ut, *frigefactio*, *calefactio*.

IV. *Quid eſt iſta Iuſtificatio activa?*

Reſp. Eſt non imputatio peccatorum, & imputatio juſtitiæ Chriſti activæ.

V. *Quando illa facta eſt?*

Reſp. Cum Deus ordinaret & promitteret Chriſtum in Mediatorem, tum enim omnia noſtrorum peccata in ipſum conjecta ſtatim, & tum hoc, quod præſtiturus erat legem ſancte vivendo pro nobis, implere, imputabatur.

VI. *Quomodo hoc probari poteſt?*

Reſp. 1. Ex eo, quia ſimul ac vas aliquis fit pro altero, alter ſtatim liberatur, ſi vas iſte acceptatur. 2. Ex effectis, quia homines in V. Teſt. antequam Chriſtus natus eſſet homo, vi iſtius ſalvabantur, *Act.* 15. *Col.* 1. 20.

VII. *De qua juſtificatione hoc accipiendum:* Bona opera non præcedunt juſtificandum, *ſed* ſequuntur juſtificatum?

Reſp. De hac ipſa; Namque paſſivam juſtificationem præcedit regeneratio, fides & opera, nam utut fides juſtificet apprehendendo, eſt tamen natura prius quid. Omnis enim actio præſupponit aliquid, à quo iſta actio fluit.

VIII. *Sed inde videtur ſequi, eos, qui nondum nati erant, jam juſtificari; quod tamen videtur valde abſurdum.*

Reſp. Non videtur magis abſurdum, quam ſi dicatur, pro eorum, qui nondum nati ſunt, peccatis Chriſtum eſſe paſſum in cruce; quod negari non poteſt: Nam Chriſtus pro omnibus electis, qui eſſent, qui fuerant, & qui futuri ſunt, paſſus eſt; quod Adverſarii non negabunt: Non hoc magis abſurdum, quam illud, Chriſto nondum nato imputata peccata illorum, qui fuerant & futuri erant: Nec hoc Adverſarii negare poſſunt, ſimul ac Chriſtus vas factus eſt, vadem eſſe factum pro omnium electorum debitis. Fuit vero hoc ex eo, quod juſtificatio ſit actus moralis, qui non requirit, ut ſimul ſit ſubjectum exiſtens: ſed ſufficit, ut aliquando exiſtat.

IX. *Annon ex eo ſequitur, juſtificationem eſſe priorem fide?*

Reſp. Utique; ut patet, *Actor.* 26. *v.* 18. Jam autem omne objectum eſt prius actu, quam circa quod verſatur: Et hoc docet Paræus, quando dicit, per actum credendi remisſio peccatorum non efficitur, ſed acquiritur.

X. *De quanam juſtificatione accipiendum, quod ſiat unico actu individuo?*

Reſp. De hac activa; nam ut Deus ſimul & ſemel omnia peccata in Chriſtum conjecit, ita ſimul & ſemel abſolvit à reatu electos omnes.

XI. *Annon inde ſequitur, aliquos qui nondum credunt, ex parte juſtificatos eſſe?*

Reſp. Certe ita eſt.

XII. *Quomodo ergo illud accipiendum*, Joan. 3, Ira Dei manet ſuper ipſum qui non credit: *Hæc videntur contradictoria, iram Dei manere, & eſſe juſtificatum ex parte Dei?*

Reſp. Calvinus reſpondet ad hoc in Inſtitutionibus, dum de electis iſta dicuntur, dici de eo quid peccatis debeatur, non vero exprimere ſtatum electorum.

XIII. *Quotuplex Iuſtificatio?*

Reſp. Duplex: *forenſis*, vel *phyſica*: priori juſtificamur.

XIV. *Anne gratis Redemptio facta?*

Reſp. Imo; quod oſtenditur, *Eph.* 1. *v.* 9. *Tit.* 3. 4, 5.

XV. *An-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

XV. *Anne mors Chriſti juſtitia noſtra?*

Reſp. Non; quia in diverſis prædicamentis. Mors, in *paſſione*: juſtitia, in *qualitate*.

XVI. *Anne remiſsionis peccatorum Chriſti mors eſt cauſa; & qualis?*

Reſp. Eſt adæquata; 1 Joan. 1. 7, *Sanguis* &c. Per ſynecdochen partis, *Act.* 20. *v.* 28. *Rom.* 5. 9. *Heb.* 9. 22. 1 *Pet.* 1. 18, 19.

XVII. *Anne in Chriſto poſſumus juſtificari?*

Reſp. 1. Poſſumus, 2 *Cor.* 5. 19, 21. 2. Lex pro nobis impleta, *Rom.* 10. 4. 3. Idem probatur, *Zach.* 3. 4. *Eſai.* 62. *Phil.* 3. 9.

XVIII. *An in ſola remiſſione peccatorum conſiſtit juſtitia? Videtur quod ſic ex* cap. 4, *ad* Rom. *Ubi expreſſe in remiſſione peccatorum juſtificationem conſiſtere docet Spiritus Sanctus*, verſ. 5, 6, 7.

Reſp. Non; ſed etiam in imputatione juſtitiæ Chriſti. Quod probatur. 1. Ex *Rom.* 5. 10. Qui locus diligenter notandus, utpote, in quo duæ hæ partes conjunguntur. Probatur & idem, *Zach.* 3. 4.

LOCUS XXXII.

De Regeneratione.

QUÆSTIO I.

Quid eſt Regeneratio?

RESP. Definitio extat, *Eph.* 2. 5. *Col.* 2. *verſ.* 13.

II. *Quæ eſt cauſa Regenerationis noſtræ?*

Reſp. Deus per Spiritum Sanctum, *Ioan.* 3. *v.* 5. Eadem potentia efficit Regenerationem, qua Creationem, 2 *Cor.* 4. 6.

III. *Anne ita Deus regenerat hominem, ut ipſo volente poſſit non regenerari; ſive ut in Scholis loqui malunt, num Deus reſiſtibiliter, num vero irreſiſtibiliter regeneraret?*

Reſp. Non poſſe non regenerari eum, quem Deus vult regenerare, *Ier.* 31. 33: & 32. 39. *Ezech.* 36. 26, 27. *Ioan.* 4. 45. *Rom.* 8. 30. *Eſ.* 54. 13.

IV. *Anne per hoc libertas tollitur eorum, qui convertuntur?*

Reſp. Ineptum poſtulatum, quod à nobis ſupra refutatum, ubi libertatem poſſe conſiſtere cum neceſſitate docuimus.

V. *Anne Deus in Regeneratione utitur, præter Verbum, vi aliqua interiori?*

Reſp. Imo; dicimus quod Verbum Dei nullam efficaciam habeat, antequam interna vis aliqua hominem immutet & regeneret, *Matt.* 13. 11: & 16. 17. *Act.* 16. 14.

VI. *Quomodo Spiritus Sanctus exprimere ſolet hanc vim internam & ejus effecta?*

Reſp. Vim ipſam vocat Regenerationem, *Ioan.* 3. Vivificationem, *Eph.* 2. 5. *Col.* 2. 13. Novam Creationem, *Pſal.* 51. 12. 2 *Cor.* 5. 17. *Eph.* 2. 19. Vocationem, *Rom.* 8. 30. 1 *Cor.* 1. 24. Doctrinam, *Ioan.* 6. 54. Effecta autem, quod det oculos ad videndum, *Deut.* 24. 4. Cor carneum, *Ezech.* 36. 26. *Act.* 16. *Phil.* 2. 13.

VII. *Quænam cauſa impulſiva iſtius, quod in quibuſdam ita operetur, in quibuſdam non?*

Reſp. Merum Dei beneplacitum, *Gal.* 1. 15, 16. *Eph.* 2. 5.

VIII. *Quomodo ſe habet homo animalis in Regeneratione?*

Reſp. Mere paſſive. Quod patet. 1. Quia homo vivificatur, *Eph.* 2. Quemadmodum ergo ille, qui revocatur ad vitam ex mortuis, non confert quicquam ad ſui vivificationem; ita & in Regeneratione. 2. Dicitur gigni homo, *Ioan.* 3. Quemadmodum qui gignitur, nihil confert ad ſui generationem, ita &c. 3. Ita etiam dicitur nova creatura, 2 *Cor.* 5.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

IX. *Anne verum eſt, quod dicitur à Theologis, Regenerationem hic eſſe inchoatam?*

Reſp. Utique: quod docet Spiritus Sanctus, *Rom.* 8. 23. 1 *Cor.* 13. 12. *Prob.* idem ex *Iac.* 3. 2. Bona opera noſtra ſunt peccatis coinquinata, *Eſai.* 64. 10. Ergo in regenitis, dum in hac vita ſunt, eſt caro, *Gal.* 5. 16, 17. 1 *Pet.* 2. 11. *Rom.* 13. 14.

X. *Quomodo hoc conſiſtere poteſt cum illo Theologorum, quod erimus perfecti perfectione partium, non graduum?*

Reſp. Optime conſiſtere poteſt; nam ut infans perfectus eſt perfectione partium, non graduum &c. & hoc ſimili utitur Spiritus Sanctus, 1 *Cor.* 13. *v.* 12. Et ſi hic inchoative ſe habet ad molem, quæ adulto viro debetur, ita de regenitis.

XI. *Quomodo hoc verum eſſe poteſt, cum Scriptura diſtinguit inter adultos & infantes*, Heb. 5. 13, 14?

Reſp. Unus præ altero quidem magis regignitur in hac vita; nemo tamen illud excedit, quod dicitur, 1 *Cor.* 13. 12. Comparate ergo hoc dicitur, perinde ac ſi alicui decurrendum eſſet ſpatium decem milliarium, & unus à meta promovit decem paſſibus, alter quadraginta, alter quinquaginta. Omnes inchoative currunt, quia vix à meta promoverant, etſi unus præ altero promovit.

XII. *Quare ergo dicitur in Scriptura, quod qui Chriſti ſunt, crucifixerunt carnem cum affectibus*, Gal. 5. 24?

Reſp. Utut dicantur carnem crucifixiſſe, non ut non ſit, ſed ut non dominetur; non tamen ita crucifixerunt, ut morti dederint, quia quandiu homo eſt, crucifigenda caro eſt, *Col.* 3. 5. *Rom.* 8. 13. Non eſt ergo intelligendum, crucifixionem iſtam fieri in momento, ſed continuandam eſſe, dum ſumus in hac vita, *Eph.* 2.

XIII. *Si ita res ſe habet, quare ergo Spiritus Sanctus dicit, quod regeniti non ambulent ſecundum carnem, non ſint in carne?* Rom. 7. 5: 8. 5.

Reſp. Aliud eſt, eſſe *in carne*, & ſecundum carnem ambulare; aliud eſt, eſſe *carnalem*. Nam eſſe in carne, totaliter carnalis intelligitur; at regenitus, in quo caro adhuc eſt, vocatur quidem carnalis, ſed ex parte tantum, 1 *Cor.* 3. 1.

XIV. *Quid ergo efficacius in homine regenito, caro, an Spiritus?*

Reſp. Caro major eſt *mole*; Spiritus, *efficacia* (comparant Theologi carnem Goliatho, Spiritum autem Davidi): quia homo regenitus, à Spiritu vocatur *nova creatura*, ex Spiritu genitus, vivificatus, ſpiritualis: à carne vero non denominatur.

XV. *Vter vincit ſæpius, caro an Spiritus, quandoquidem de pugna iſtorum dicit Spiritus Sanctus*, Gal. 5. 17?

Reſp. Dupliciter eſt ſuperior Spiritus. 1. *Redintegratione* curſus ſui in bono, quia utut labitur; ſurgit, & pergit, quotieſcunque tandem labatur: regenitus enim ſemper agit pœnitentiam. 2. Vincit *plenarie* in fine vitæ, quia perfecta noſtra regeneratio, quoad animam, fit in exitu vitæ; de quo inferius dicemus.

XVI. *Quomodo Spiritus noſter poteſt dici vincere, cum Spiritus Sanctus ſoli Deo & Chriſto attribuat*, Rom. 8. 17, 19, 20?

Reſp. Tribuitur hoc Chriſto principaliter, nobis minus principaliter; imo quod Chriſti eſt, tribuitur nobis.

XVII. *Cum dictum ſit de carne, quid per carnem intelligitur? num altera pars eſſentiæ noſtræ, quod corpus eſt, ut Anabaptiſtæ volunt?*

Reſp. Neutiquam; ſed ſignificat depravationem noſtram. 1. Quia fideles non dicuntur eſſe in carne, cum de hac carne agitur; at ſunt certe in carne, ſi caro corpus eſt: Quod non ſint in carne, probatur, *Rom.* 8. 9. 2. Quia carnem, quæ eſt altera pars eſſentiæ noſtræ, Deus ſanctificat & conſecrat in Filii ſui adventum, 1 *Theſſ.* 5. 23. At vero carnem, de qua nos hic agimus, non ſanctificat, ſed abolet. 3. Quia caro, quæ eſt altera pars naturæ noſtræ, futura

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

particeps æternæ beatitudinis, *Ioan.*19. *v.*26. At vero caro, de qua hic ſermo eſt, non poſſidebit regnum Dei; ut liquet, 1 *Cor.*15. 50.

XVIII. *Anne fides eſt pars Regenerationis noſtræ; & qualis fides ibi intelligitur?*

Reſp. Verum eſſe patet ex prioribus; nam ſi ſumus perfecti partibus, fides ibi non deeſt; intelligitur fides autem hic *habitualis*, nam *actualis* eſt ex Regeneratione fluens.

XIX. *Qualis eſt iſte habitus*, infuſuſne, *an* acquiſitus?

Reſp. Ut tota Regeneratio infuſa eſt, ita & pars: Nam quod aliqui negent habitus infuſos, quales Arminiani, inſulſi ſunt, & confundi poſſunt ex dono linguarum, *Act.* 2.

XX. *Quum homo ſe habeat in initio Regenerationis mere paſſive, quomodo ſe habet in progreſſu?*

Reſp. Cooperatur Deo; hinc bona opera tribuuntur hominibus fidelibus, quod Deo cooperantur, 1 *Reg.*15. 5.

XXI. *Vtrumne Paulus*, Rom. 7, *agit de ſe ut regenito, an vero ut irregenito?*

Reſp. Quod agit de ſe ut regenito, oſtenditur, *verſ.*14. Quia dicit. 1. Ego animalis homo, non dicit *fui*, ſed *ſum* (prob. hic Paulum de ſe agere, ut & patet, *verſ.*15, *& ſic conſequenter ad finem*, nec vero ſub alia perſona, ut volunt Sociniani): 2. Quod diſtinguit interiorem hominem in ſe, prout ille carni opponitur: internus autem homo notat regenitum, *Eph.*3. 16. 3. Quod hic homo delectatur Lege Dei; quod eſt proprium electorum, *Pſal.* 1. 2. 4. Quod ipſe homo agat Deo gratias per Jeſum Chriſtum; quod non eſt irregeniti, ſed regeniti.

XXII. *Quomodo ergo de hoc homine dicitur, quod peccatum in ipſo efficiat cupiditatem?*

Reſp. Quia caro, quo magis conſtringitur eo magis efferveſcit in fidelibus, *Gal.*5. 17.

XXIII. *Quomodo ergo accipitur de iſto homine, quod vivus fuerit abſque Lege, præcepti autem illius adventu peccatum revixerit?*

Reſp. Vivus erat, ut qui non ſenſit maledictionem Legis; nam ex Lege agnitio peccati, *Rom.*3. At vero ubi Lex ipſi nota, mortuus eſt, & cognovit ſe ſubjacere & ſubeſſe maledictioni.

XXIV. *Quomodo dicitur abſque Lege, cum Paulus nunquam fuerit abſque Lege, utpote ad Gamalielis pedes inſtructus?*

Reſp. Fuit abſque Lege, quod ſenſum Legis ignoraret; Non fuit abſque Lege, quod literam Legis haberet. vide *Matth.*5. 26, 27.

XXV. *Quomodo ergo homo iſte dicitur* carnalis?

Reſp Ex *parte* tantum, non *ex toto*; nam ex parte homo regenitus eſt, ut patet, *v.*22.

XXVI. *Quomodo ergo dicitur non agnoſcere quæ fecit, & non facere quæ vult?*

Reſp. Non omne quod agnoſcit, ſed quod proficiſcitur ab eo, quatenus peccati reliquiæ in ipſo, *v.*20.

XXVII. *Quare ergo homo iſte dubitat de eo, quis ipſum liberaturus eſſet ex corpore mortis?* verſ.24.

Reſp. Talis loquendi modus non dubitationem ſemper infert, ſed votum ſæpius, *Cant.* 7. 5. *Ier.*9. 1. Hoc loco votum ſignificare apparet ex *v.*25.

XXVIII. *Quare iſte homo venditus ſub peccatum dicitur; & quid ſignificat, venditum eſſe ſub peccatum?*

Reſp. Dicitur venditus, quia Deus omnes ſub peccatum concluſiſſe dicitur, *Rom.*11. 32. *Gal.*3. 22. Quare vero Deus concluſerit, id pendet ex beneplacito.

Locus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Locus XXXIII.

De Fide actuali.

Quæstio I.

Quid eſt Fides actualis?

Resp. Qua ſubſiſtunt quæ ſperantur, & quæ demonſtrat quæ non cernuntur, *Heb.* 11. *v.* 1.

II. *Quale ens, ſive qualis res eſt fides?*

Reſp. Eſt ens aggregatum, ut Logici vocant, hoc eſt, non unum ens, ſed duo, *notitia* nimirum, & *fiducia.*

III. *Vbi de hoc, quod ſit notitia?*

Reſp. 1 *Cor.* 13. *v.* 9. *Heb.* 11. 3. Dum dicimus fidem notitiam, non intelligimus qualemcunque, ſed *practicam*, Joan. 17. 3.

IV. *Quid per fiduciam intelligis?*

Reſp. Perſuaſionem certam.

V. *Vtrumne fides in ea conſiſtit?*

Reſp. Utique; *Matth.* 9. *v.* 2. *Rom.* 8. 38, & 39.

VI. *Quomodo fides dici poteſt ens aggregatum, cum unum tantum producat effectum?*

Reſp. Duarum cauſarum partialium unus eſſe poteſt effectus, & tamen duæ cauſæ partiales non ſunt una: verbi gratia, Duo homines generant unum hominem, & tamen non ſunt unus homo.

VII. *Qualis eſt notitia, quæ in fide dicitur eſſe?*

Reſp. Talis, quam ſequitur voluntas, & eſt cum effectu conjuncta, *Ioan.* 6. *verſ.* 45. & 17. 3.

VIII. *Qualis eſt fiducia illa, quæ dicitur fides?*

Reſp. Fiducia quæ in Deo eſt, per operationem Spiritus Sancti.

IX. *Quænam cauſa efficiens fidei actualis?*

Reſp. Remota, habitus; proxima, Deus & Verbum Dei. De Deo, *Phil.* 1. *v.* 19. De Verbo Dei, *Rom.* 10. 14. Interim hæ cauſæ diſtinguendæ ſunt: Nam Deus cauſa principalis; Verbum autem minus principalis.

X. *Quodnam eſt objectum fidei ſalvificæ & juſtificantis?*

Reſp. In genere omne Verbum Dei, in ſpecie vero Chriſtus cum omnibus ſuis beneficiis. Alii objectum fidei ſalvificæ diſtinguunt in objectum *fiduciæ*; & eſt credere in Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum: & *notitiæ*; qua reliqua creduntur quæ in Symbolo continentur.

XI. *Eſtne diſcrimen inter has phraſes,* Credere in Deum, Credere Deum, *&* Credere Deo?

Reſp. Apud Hebræos quidem confunduntur iſtæ phraſes, ſed confunduntur non in circumſtantia textus: Apud Latinos ſunt iſta diſtinctiſſima; nam *credere in Deum*, ad ſolos fideles pertinet: *credere* vero *Deum*, & *Deo*, etiam ad reprobos, imo ipſum Diabolum, pertinet, *Iac.* 2. 19.

XII. *Quodnam objectum particulare fidei juſtificantis?*

Reſp. Promiſſio de remiſſione peccatorum, & ipſa remiſſio.

XIII. *An ergo poſſumus & debemus eſſe certi de remiſſione peccatorum ob tentationem?*

Reſp. Poſſumus eſſe, *Rom.* 8. 16, 17. Debemus eſſe certi, quia jubet Scriptura, ut credamus, *Ioan.* 14. 11.

XIV. *Ergone debemus eſſe certi de vita æterna?*

Reſp. Utique; *Ioan.* 3. 16, 18.

XV. *Quomodo ergo hoc conſiſtere poteſt cum illo*, Eccleſ. 9, Neſcit homo an amore, an odio dignus ſit?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Reſp. 1. Textus Hebræus nihil tale habet. 2. Dato, diſtinguimus cognitionem, quæ triplex eſt. 1. *Cognitio Dei de nobis*; & illa certiſſima eſt, 2 *Tim*. 2. 19. 2. *Noſtri de nobis*; & illa eſt certa, *Rom*. 8. 38. 3. *Noſtra de aliis*; & illa eſt probabilis tantum, & quæ non niſi ex effectis cognoſcitur Hic, ſi quid tale eſt, non loquitur Spiritus Sanctus niſi de cognitione noſtra quæ eſt de aliis. Hæc autem certa eſſe nequit, ſive ex operibus, ſive ex adjunctis judices.

XVI. *An ſola fides juſtificat; & quomodo?*

Reſp. Juſtificat *ſola*, ſed non *ſolitaria*: nam illa diſtinguuntur, *ſolum*, & *ſolitarie*; ſolum enim notat hoc ſolum efficere; at ſolitarium eſſe, notat, dum hoc efficit, non eſſe conjunctum cum aliis virtutibus: quod fidei non competit; nam ſolitaria non eſt cum juſtificat, etſi ſola juſtificet, quemadmodum oculus *ſolus* videt, licet non *ſolitarie*.

XVII. *Quomodo probatur quod ſola juſtificet?*

Reſp. Quia. 1. Contradiſtincte dicitur ad opera juſtificare, *Rom*. 3. 20, 21. 2. Quia dicitur tantum ex fide juſtificare, *Gal*. 2. 16.

XVIII. *Quomodo ergo dicit Iacobus ex operibus etiam juſtificari hominem*, Jac. 2. verſ. 21.

Reſp. Ex operibus *declarative*: quod oſtendit Spiritus Sanctus hoc capite, *verſu* 18.

XIX. *Anne fides dicitur proprie nobis imputari ad juſtitiam?*

Reſp. Nequaquam; nam ſi proprie imputetur ad juſtitiam, erit noſtra juſtitia, qua coram Dei tribunali conſiſtimus: At hoc falſum, quia juſtitia unius eſt noſtra juſtitia, *Rom*. 5. *v*. 19. 2. Fides imputatur nobis ad juſtitiam, ergo non eſt noſtra, *Phil*. 3. 9. 3. Quia juſtitia, cum qua comparebimus, erit perfecta; at fides eſt imperfecta, 1 *Cor*. 13. 9.

XX. *Vtrumne fides poteſt deficere, & deficit?*

Reſp. Natura ſua deficere poteſt; at gratia Dei fit, quod non deficiat, *Matth*. 12. *v*. 20. *Luc*. 22. 32. *Ioan*. 15. 42. & 17. 20. 1 *Petr*. 1. 5.

XXI. *Anne ſemper ut fides eſt in fidelibus, ita & ſenſus fidei?*

Reſp. Utique; ubi enim vita ſpiritualis, ibi & ſenſus eſt.

XXII. *Atqui ſæpe non ſentimus fidem in nobis*, Pſal. 7. 77. & 42. 6.

Reſp. Senſus quidem eſt, ſed non ſentimus non ſentire; quemadmodum in iſtis qui deliquium animi patiuntur, aut qui in ἐκστάσει ſunt, eſt ſenſus, ſed non ſenſus in ſe reflexus, hoc eſt, non ſentiunt ſe ſentire.

XXIII. *Quomodo eſſe poteſt, ut ſit fides, & non ſentiatur?*

Reſp. Explicatur hoc à Theologis ſimili; quod in homine qui patitur deliquium animi, eſt vita, & tamen nullus ſenſus reflexus vitæ; & in hominibus in ἐκστάσιν raptis vita eſt, & tamen nullus ſenſus in ſe reflexus: & propterea David precatur, ut ſenſus ſibi reſtituatur, *Pſal*. 51. *v*. 10, 14.

XXIV. *Anne fides iſta, qua juſtificamur, eſt* actualis, *an* habitualis?

Reſp. Actualis, ut patet, *Act*. 26. 18.

XXV. *Si Fides eſt actualis, ergo cum homo dormit, non eſt juſtificatus?*

Reſp. Actus moralis non requirit, ut perpetuo duret, ſed ſufficit ut ſemel fiat, & poſtmodum ipſius applicatio, cum debet, applicetur: non autem tempus ſomni eſt, quo applicari debet; nam ut peccatum imputatum ſemel, manet peccatum, etſi non ſentiatur, ſic etiam ſentiendum de fide.

XXVI. *Vtrumne fides ſemper habet bona opera conjuncta?*

Reſp. Semper habet (hinc in Scriptura fideles & Sancti pro eodem ponuntur, 2 *Theſſ*. 1. *v*. 10. Vide & locum *Luc*. 18. 8, ubi fides pro pietate ponitur): ſed non ſemper eo modo con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

conſpicua. Theologi declarant hoc ſimili ab arbore petito, quemadmodum arbor fructifera effectus ſuos vitales habet tempore hyemis, veris, æſtivo & autumno, interim tamen magis perſpicui ſunt actus iſti tempore æſtivo, quam hyemali & autumnali; ita ſe res habet in fide.

XXVII. *Annon deficiet in vita futura? ut videtur hoc innuere Spiritus Sanctus*, 1 Cor. 13.

Reſp. Manebit quoad *eſſe* ſuum, ſed non quoad *reſpectum ad objectum*, ex quo nomen hoc habet, ut quæ reſpicit ea quæ non apparent, & quæ futura ſunt, *Heb.* 11. 1.

XXVIII. *Quomodo ergo fides vocabitur tum temporis?*

Reſp. Aſpectus; 1 *Cor.* 13. 12.

XXIX. *Quomodo diſtinguitur fides in S. Scriptura?*

Reſp. 1. In fidem *hiſtoricam*, *miraculorum*, *temporariam*, *juſtificantem*, ſeu ſalvificam. 2. In fidem quæ creditur, *Rom.* 1. *v.* 8. & qua creditur, *Heb.* 11. 1.

XXX. *Quænam ſunt diſtinctiones fidei juſtificantis; & unde petuntur?*

Reſp. 1. Petitur ex gradu, linum fumigans, *Matth.* 12. 20. Candela ardens, *Ioan.* 5. *v.* 35. Quædam robuſta & firma; de qua, *Heb.* 11. *v.* 29, 30. Alia infirma; de qua, *Marc.* 9. 24. *Matth.* 10. *v.* 24. 2. Diſtinguitur etiam in *explicitam*, & *implicitam*: Explicita eſt *adultorum*; implicita, *infantium*.

XXXI. *Annon fides, quam Pontificii jactant, implicita, & quam vocant* fidem carbonarii, *quam definiunt per ignorantiam, eſt vera fides?*

Reſp. Nequaquam; nam Scriptura definit fidem per notitiam, *Ioan.* 17. 3. 1 *Cor.* 13. 9.

XXXII. *Quodnam eſt oppoſitum fidei?*

Reſp. Incredulitas.

XXXIII. *Quotuplex eſt incredulitas?*

Reſp. Duplex. 1. *Negativa*, qualis eſt in iis qui nunquam audiverunt Verbum Dei, & non credunt. 2. *Privativa*, eorum qui audiverunt Verbum Dei, & non credunt; quæ majus peccatum eſt, quam negativa, *Ioan.* 15. 24.

XXXIV. *Quotuplex eſt cura?*

Reſp. Duplex; vel *diffidentiæ*, vel *proſpicientiæ* ſeu cautelæ: prior cum fiducia pugnat, non autem poſterior.

XXXV. *Quotuplex ſecuritas?*

Reſp. Vel *carnalis*, vel *ſpiritualis*.

XXXVI. *Quid differunt ſpes & fides?*

Reſp. Fides præſentium eſt; ſpes, futurorum.

Locus XXXIV.

De Iuſtificatione Paſſiva.

Quæstio I.

Quid eſt Iuſtificatio Paſſiva?

Resp. Eſt Applicatio juſtitiæ Chriſti in particulari, *Act.* 26. 18.

II. *Anne fides juſtificat principaliter?*

Reſp. Neutiquam; ut ſupra dictum eſt.

III. *Quomodo ergo fides dicitur imputata ad juſtitiam?* Rom. 4.

Reſp. Dicitur imputata ad juſtitiam improprie & tropice, ubi ſcilicet ponitur ſubjectum occupans, & objectum intelligitur, *Rom.* 5. 19.

IV. *Quomodo illud accipiendum in Oratione Dominica*, Matt. 6, Dimitte nobis peccata noſtra; *quandoquidem unico actu juſtificamur?*

Reſp. Dicitur de paſſiva, non activa juſtitia; dicitur de ſenſu & applicatione iſtius juſtitiæ per Chriſtum factæ, non de actione juſtificandi.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

V. *Anne aliquando deſtituimur juſtificationis iſtius ſenſu?*

Reſp. Terna ſunt tempora iſtius: primum, momentum Regenerationis, *Act.* 2.37. 2. Homines fideles ſæpiſſime quodam ſtupore corripi, ſegneſcere & obdormitare, *Pſal.* 4. & 77. 3. Tempora tentationum, ubi homines ſe non ſentiunt ſentire, *Pſal.* 77.

VI. *Vtrumne aliquis incidens in peccata graviſſima, juſtificatione careat, donec reſipiſcat?*

Reſp. Nequaquam. 1. Nam in fidelibus nunquam deficit fides; ut ſupra probatum eſt. 2. Nunquam quod membrum eſt Chriſti, deſinit eſſe membrum, *Eph.* 5. 29.

VII. *Quomodo in juſtificato poteſt eſſe peccatum? anne ubi ſanctitas, ibi peccatum? at duo contraria non poſſunt eſſe in uno ſubjecto.*

Reſp. Non poſſunt quidem gradibus *intenſis*, ſed *remiſſis*.

VIII. *At Scriptura teſtatur, nullam luci cum tenebris communionem;* 1 Cor. *6. v.* 14.

Reſp. Nulla eſt conſenſio; poſſunt tamen cohabitare, ita ut pugna perpetua inter ipſos maneat, *Gal.* 5. 12.

IX. *Cum omnes modi juſtificandi à nobis ſint explicati, quomodo Miniſtri dicuntur juſtificare?* Dan. 12. 3.

Reſp. Explicat hoc Spiritus Sanctus, *Iob.* 33. *v.* 23.

X. *Anne remiſſionis peccatorum cauſa adæquata eſt mors Chriſti?*

Reſp. Utique; quod docet Spiritus Sanctus, 1 *Ioan.* 1. 7.

XI. *Anne in ſola remiſſione peccatorum noſtra conſiſtit juſtitia?*

Reſp. Nequaquam; etiam in adoptione juris ad vitam æternam, ſive adoptione noſtri.

XII. *Quomodo hoc probari poteſt?*

Reſp. Quia Lex, quæ ſolvi non poteſt; *Ioan.* 10. 35, non tantum requirit, ut peccator pro peccatis puniatur, *Deut.* 27: ſed etiam, ſi vitam æternam obtinere velit, ut Legem præſtet, *Lev.* 18. 5.

XIII. *Atqui homo obligatur, vel ad pœnam, vel ad obedientiam, disjunctim.*

Reſp. Ad pœnam obligatus quidem eſt homo irregenitus pro præterito peccato, ſed obligatur porro ad obedientiam in futurum; quia ſi peccet in futurum, tranſgreditur Legem Dei, & ita peccata peccatis cumulat: proinde non eſt verum, quod ab Adverſariis dicitur, quod disjunctim obligemur ad alterutrum.

XIV. *Cum Chriſtus nos ab omni peccato commiſſionis & omiſſionis ſanguine ſuo liberavit,* 1 Joan. 1. 7, 8, *Ergo propter eum perinde habemur, acſi Legem Dei perfecte impleviſſemus: Quæritur anne opus eſt impletione Legis ad juſtificationem, vel quid opus eſt igitur juſtitia activa Chriſti?*

Reſp. Non idem eſſe, *non eſſe injuſtum*, & *eſſe juſtum*: Adam in ſtatu integritatis non erat nocens, non erat injuſtus; neque tamen juſtus: pari ratione poteſt quis non habere ullum peccatum, & tamen non juſtus eſſe; propterea hinc diſtinguunt Theologi *non eſſe nocentem*, & *eſſe innocentem*, non eſſe injuſtum, & eſſe juſtum.

XV. *Quomodo hoc intelligi debet?*

Reſp. Diſtinguendo, non eſſe nocentem *negative*: talis Adam fuit, antequam quicquam feciſſet; & hoc differt à juſto eſſe: & non eſſe nocentem *privative*, quales Angeli Dei jam ſunt; & hoc eſt eſſe juſtum.

XVI. *Anne ergo juſtitia Chriſti tam activa, quam paſſiva, nobis imputatur?*

Reſp. Utique; quia Chriſtus, ut ſupra docuimus, ut non propter ſe paſſus, ita non ſancte propter ſe vixit, *Rom.* 5. 19.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

XVII. *An neceſſe erat propter ſe implere Legem, cum creatura eſſet?*

Reſp. Nequaquam; nam ut erat creatura, ita Legem debuit implere; atqui non fuit creatura propter ſe, ſed propter nos. *Eſai.9.v.6.* Ergo etiam non propter ſe, ſed propter nos debuit Legem Dei implere, ſancte vivendo.

XVIII. *Annon Chriſtus debuit ſanctus eſſe, ſi debeat ſacrificium eſſe pro peccatis noſtris, atque ideo non debuit implere Legem?*

Reſp. Debuiſſe eſſe ſanctum, patet *Heb.7. v.26.* Ad Argumentum autem reſpondetur, unius rei poſſe eſſe multos fines, *unus principalis*, qualem prius dedimus: alter *minus principalis*, de quo hoc loco; interim tamen & hoc propter nos, quia ſacrificium obtulit propter nos, ſanctus ergo & propter nos fuit.

Locus XXXV.

De libertate Chriſtiana.

Quæstio I.

Quid eſt Chriſtiana libertas?

Resp. Eſt liberatio à ſervitute ſpirituali, *Rom.6.14.*

II. *Qui ſunt effectus hujus libertatis?*

Reſp. Sanctimonia vitæ, *Rom.6.v.18,19, 1 Pet.4.14.*

III. *Quodnam eſt conſequens iſtius libertatis?*

Reſp. 1. Fiducia in Chriſtum recumbens, *Ioan.16.33.* παῤῥησία ingrediendi ſacrarium cum vero corde, *Eph.3.12. Heb.10.19.*

IV. *Quomodo diſtinguitur iſta Chriſtiana libertas à Theologis, vel quotuplex eſt?*

Reſp. 1, In liberationem à *rigore Legis*, hoc eſt, quod non requirat Lex à fidelibus exactam obedientiam, ſed obedientiam puram, & non fucatam. 2. Quod liberati ſumus à maledictione Legis, *Gal.3.13.&5.18.* 3. Conſiſtit in liberatione à dominio peccati, *Rom.6.v.12, 13,14.* 4. In liberatione à traditionibus humanis. *Matth.15.9.*

V. *Quæ eſt propria libertas Chriſtiana in N. Teſt.*

Reſp. Libertas à cerimoniis V. Teſt. quæ abolitæ in N. Teſt. Chriſto exhibito, *Rom.10. v.4. Gal.3.24. Eph.2.14,15. Col.2.14, 15,16,17. Heb.10.1.*

VI. *Anne ullæ cerimoniæ obſervandæ ſunt in N. T. Veteris Teſtamenti, quandoquidem videtur, nos alligari ad ſervandas quaſdam?* Act.15.20.

Reſp. Hæ habitæ fuerunt pro adiaphoris, quæ ſervari debebant ad ſcandalum vitandum infirmiorum ad tempus, *Act.22.13. Gal.2. v.2,3,4,5.*

Locus XXXVI.

De Adiaphoris, Scandalo & Adoptione.

Quæstio I.

Quid eſt illud, quod dicitur Adiaphorum?

Resp. Quod neque prohibitum, neque præceptum in particulari; in genere vero indultum, præceptum ex hypotheſi, ſi non offendatur frater.

II. *Quæ ſunt requiſita ejus, quod dicitur adiaphorum?*

Reſp. 1. Quod in definitione datum. 2. Non debet in Eccleſiam introduci temere. 3. Non niſi totius Eccleſiæ conſenſu, *Act.15.v.21.* 4. Non debet obſervari cum obſervatione cultus divini, quaſi ſcilicet eſſet pars cultus divini. 5. Eſt neceſſarium ex hypotheſi, non abſolute; de quo inferius.

III.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

III. *Quomodo poſſunt dici neceſſaria ex hypotheſi?*

Reſp. Propter ſcandalum evitandum, *Rom.* 14. *v.* 14, 15, 16, 17, 18, 19, 20. 1 *Cor.* 8. *v.* 9, 11, 12.

IV. *Quid ſi autem ſcandalizandus eſt frater, aut reprehendendi iſti, qui opinionem cultus adiaphoris affingunt; utrumne præſtat ſervare adiaphora in gratiam infirmiorum, aut omittere propter ipſos, qui male ſentiunt de adiaphoris?*

Reſp. Hoc poſterius liquet, *Gal.* 2. *v.* 4, 5. tenenda igitur regula Theologorum: *Libertas Chriſtiana cedit caritati in proximum; ſed caritas in proximum cedit puritati fidei.*

V. *Quotuplex eſt ſcandalum?*

Reſp. Duplex; *datum*, & *acceptum*: datum ſcandalum dicitur, cujus culpa ab ipſius rei auctoritate profectum eſt; ſeu ſcandalum datum, eſt dictum aut factum impium repugnans dilectioni Dei & proximi, ac proinde ſua natura ac per ſe afficiens & contriſtans pios, ac infirmos ſeducens.

VI. *Quid eſt ſcandalum acceptum?*

Reſp. Eſt dictum aut factum per ſe non impium, ſed cui accidit, ut tanquam impium accipiatur, ſive id fiat per calumniam, ſive errorem. Mixtum eſt, quod partim datum, partim acceptum, & tamen quis libertate Chriſtiana utitur intempeſtive. *Infirmiorum ſcandala cavenda ſunt; Phariſæorum, negligenda.*

VII. *Quid eſt adoptio?*

Reſp. Eſt beneficium Dei, quo adoptamur in filios Dei in Chriſto, & heredes vitæ æternæ, *Rom.* 8. 14, 15.

VIII. *Quotuplex eſt adoptio?*

Reſp. Duplex; alia proprie dicta, de qua, *Rom.* 8. 15. Alia metaphorice, quæ accipitur pro liberatione, *Rom.* 8. 23.

LOCUS XXXVIII.
De bonis Operibus.

QUÆSTIO I.

Quid eſt bonum opus?

RESP. Quod ſecundum Legem Dei, ex vera fide, ad ſolius Dei gloriam refertur.

II. *Quæ ſunt requiſita boni operis?*

Reſp. 1. Ut ſit mandatum à Deo, *Matth.* 15. 8, 9. 2. Ut ſit ex fide, *Rom.* 14. 23. 3. Ut ſit ad gloriam Dei, 1 *Cor.* 10. 31. *Col.* 3. 17.

III. *Quomodo illa Theol. regula intelligenda: Non* nomina, *ſed* adverbia *faciunt bona opera?*

Reſp. Hoc illud eſt, quod dicitur ex fide.

IV. *Utrumne perſona placeat Deo propter bona opera, an vero opera propter perſonam?*

Reſp. Quæſtio hæc ardua, de qua diſputatum inter Sanctiſſimos viros, ex una parte inter Bucerum & Melanchthonem; & impios ex altera parte: ſed Spiritus Sanctus hanc quæſtionem decidit, Gen. 4. 4, *Reſpexit Deus ad Abel & ad ſacrificium ejus.*

V. *Qua ratione hoc fieri poteſt?*

Reſp. Ea ratione; qui in Chriſto Jeſu eſt, placet Deo, *Matth.* 3. 17. Jam autem primum eſt homo in Chriſto Jeſu, poſtea opera; primum ergo homo placet Deo, poſtea opera ejus: quod autem primum ſit homo, patet, *Ioan.* 15. *v.* 5.

VI. *An ergo homo regenitus ex operibus juſtificatur, quandoquidem opera hominis regeniti placent Deo?*

Reſp. Nequaquam; nam ut perſona placet Deo propter Chriſtum; ita & opera, non propter ſe, ſed propter Chriſtum, Deo placent.

VII. *Suntne bona opera* meritoria?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Reſp. Nequaquam. 1. Probatur, *Luc.* 17. *v.*10. 2. Quia ex operibus non juſtificatur ulla caro, *Rom.*3. 3. Quia opera noſtra imperfecta; nam ut fides imperfecta, 1 *Cor.*13, ita & opera. *Effectus enim non excedit virtutem ſuæ cauſæ.*

VIII. *Suntne quædam opera ſupererogatoria?*

Reſp. Bene intelligendum, quid per ſupererogatoria Pontificii intelligant; bona autem opera ea intelligunt, quæ homines non debent & faciunt, & bona ſunt. Sed inepte, nulla enim talia bona opera ſunt. Nam cum homo debeat Deum diligere ex toto corde, ex tota anima, quicquid fecerit, debet; prӕterea tollit hæc Chriſtus, *Luc.* 17. 10.

IX. *Quid illud eſt in Pſalmis?* judica me ſecundum juſtitiam, & cauſam meam? *annon inde probatur juſtificatio ex operibus?*

Reſp. Nequaquam; diſtinguunt enim inter *juſtitiam cauſæ* & *perſonæ:* poteſt eſſe alicujus juſtitia cauſæ, ut juſtitia Nabothi, qui in juſta cauſa periit; 1 *Reg.*21. & tamen non eſſe juſtitia perſonæ, *Rom.*3. 19, 20.

X. *Suntne bona opera cauſa ſalutis, quandoquidem dicuntur eſſe merces*, Matt. 5. v.12?

Reſp. Merces duplex: alia ex *gratia*, alia ex *debito:* hæc merces eſt ex gratia, *Rom.*4.4.

XI. *Quænam ſunt requiſita meriti?*

Reſp. 1. Ut ſit indebitum. 2. Non fiat viribus iſtius, de quo dicimur mereri. 3. Ut cedat in commodum illius, de quo dicimur mereri. 4. Ut merces non excedat meritum. Jam vero ſi opera noſtra ad id revocentur, deprehendentur omnimodo non eſſe meritoria. Quoad primum, *Luc.*17. *v.*10. 2. 1*Cor.* 5. 3. Non eſſe meritum ratione Dei, *Iob.* 35. 6, 7, 8. *Pſal.*50. 9, 10, 11, 12. 4. *Rom.*8. 18.

XII. *Quid ergo iſtud eſt, quod opponitur merito; & quomodo vocatur meritum malum?*

Reſp. Eſt vox technologica, & vocatur *demeritum.*

XIII. *Anne ergo propter opera datur nobis vita æterna, ſicut dicitur*, Matth. 25, *Eſurivi enim?*

Reſp. Vitam dari *bene operantibus*, ſed non *propter* bona opera, *Eph.*2. 8, 9. *Tit.*3. 5.

XIV. *Anne ſine operibus poſſumus ſalvari?*

Reſp. Nequaquam; vide *Heb.*12. 14.

XV. *Anne bona opera ſunt media ad ſalutem?*

Reſp. Ita vulgo ſolent dicere Theologi, ſed ſi res accuratius perpendatur, ſunt tantum *antecedentia*, & non *media*; ratio, quia omne medium eſt etiam cauſa.

XVI. *Quomodo non erunt cauſæ, quandoquidem bona opera dicuntur eſſe cauſæ remiſſionis peccatorum?*

Reſp. Particula ὅτι eſt vel *impulſiva*, vel *declarativa*, ſive ut terminis Græcis efferri ſolet, σημαντικὴ, vel *ἀποδεικτικὴ*. hoc loco eſt σημαντικὴ, declarativa, ſignificativa, ut patet, 1 *Ioan.*4. 10.

XVII. *Si non propter bona opera datur vita æterna, quare ergo dicitur*, Apoc. 3. 4, *Mecum ambulabitis?*

Reſp. Digni non *in ſe*, ſed *in Chriſto*, & *propter* Chriſtum, *Ioan.*15. 5. 2 *Cor.*5. 17.

XVIII. *Annon homo irregenitus poteſt facere bona opera?*

Reſp. Moralia, non vero *ſpiritualia*, Rom. 2. 14, 15.

XIX. *Quomodo diſcriminantur moralia & ſpiritualia?*

Reſp. Differunt vero. 1. In eo, quod ea quæ Lex jubet & doctrinæ Evangelii ſunt, ea ſpiritualia ſint: quæ vero jubet, quæ doctrinæ Legis ſunt, ea moralia ſunt. 2. Quod illa quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ſunt ex fide, ſpiritualia ſint: econtrario, quæ Lex jubet ratione ſuæ doctrinæ, moralia ſint.

XX. *Quomodo irregeniti illa dicuntur facere, quæ Legis ſunt,* Rom. 2?

Reſp. Quoad *ſubſtantiam operis*, non vero quoad *circumſtantias*. Circumſtantiæ autem (ut dictum eſt) ſunt tres. *Prima*, ut fiant eo gradu, quo Lex præcipit; quod cum non poſſunt regeniti, multo minus irregeniti. 2. Ut fiant ex fide. 3. Ad Dei gloriam fiant.

XXI. *Poſſuntne opera iſta præſtare ſine ſpeciali Dei gratia?*

Reſp. Gratia ſpecialis duplex; vel *renovationis*, vel *coërcitionis*; ſive *renovans*, vel *inhibens*. De priori nullum dubium inter Chriſtianos. De poſteriori multa ſunt Scripturæ teſtimonia; unum tamen proferimus, Gen. 20. v. 6, *Tum dixit ei Deus* &c.

XXII. *Quomodo ergo opera irregenitorum dicuntur eſſe hypocritica?*

Reſp. Opus hypocritarum duplex eſt; vel *ſimulate*, vel quando aliquis facit aliquid non *ſimulate*, ut videtur, propter bonum finem, cum tamen non ſit; & hoc dicitur hypocriticum *ratione naturæ*. Hoc modo poſteriori dicuntur opera irregenitorum hypocritica.

XXIII. *Anne bona opera ſunt pars ſalutis noſtræ?*

Reſp. Sunt pars ſalutis *paſſivæ*, non vero *activæ*; ſalus enim noſtra, vel activa, vel paſſiva eſt.

XXIV. *Anne datur opus ex condigno?*

Reſp. Non; vide *Rom.* 11. At dicitur, 1 *Phil.* 4, Omnia valeo per eum, qui me corroborat; ergo etiam perfecta opera præſtare. *Reſp.* Valeo omnia, non *operari eſt ſalutem*, ſed ut textus determinat, *ſitim pati*. 2 Col. 1. 24, Adimpleo reliquias afflictionum Chriſti in corpore meo. *Reſp.* Non ad *redimendam*, ſed *ædificandam* Eccleſiam. 3. Nullius mihi conſcius ſum, dicit Paulus, 1 *Cor.* 4. *v.* 4. *Reſp.* Quoad *prædicationem Evangelii* attinet, non quoad lapſus peccati. Profitetur enim, ſe ſincerum geſſiſſe in hoc munere. 4. 1 *Reg.* 14, David fecit omnia, imo *tantummodo* urgetur, ſicut nos idem vocabulum urgemus, *Gen.* 6. ubi idem *tantummodo*. *Reſp.* David omnia dicitur feciſſe in *promovendo Dei* cultu, non vero in *ſtatutis Dei privatim ambulando:* Exprobrat Deus enim ibi Jeroboamo, quod extruxerit altare, & in hoc cum Davide confert, dicitque ipſum tale nihil unquam feciſſe. Ipſum enim peccaſſe certo certius liquet, cum ex numeratione populi, 1 *Sam.* 24, tum etiam è judicio illius de Mephibozeth, 2 *Sam.* 19. Nihil ergo inde concluditur. 5. Vocantur aliqui perfecti. *Reſp.* Perfectum opponitur, vel *imperfecto*, vel *hypocritico:* Poſteriori modo hic ſumitur, non priori. *Inſtantia:* Dicitur de illis, quod toto corde Deum dilexerint; E. non hypocritice ſolummodo, ſed omnimodo perfecti. Ratio conſequentiæ, quia hæc eſt ſumma Legis, *Matth.* 22. *Reſpondet* Auguſtinus, in Lege *totum* accipi, quale accipimus in ſtatu integritatis, & habere debemus: Hic vero vocabulum illud accipi, quale nobis conceditur per gratiam Dei in ſtatu lapſus, 6. *Luc.* 1. ubi perfecta regeneratio. 1. Enim dicitur quod juſti fuerint. 2. Quod ambulaverint in viis Domini. 3. Inculpate. *Reſp.* Inepta ſunt. Nam quod ad *primum* attinet, dicuntur quidem juſti, idque *inhærenter*, ſed non *plenarie*, verum inchoative ſolummodo, ſicut fideles dicuntur non peccare, nimirum pro menſura iſta regenerationis. *Reſp.* ad 2. Aliud eſt incedere in mandatis Dei; aliud, mandata Dei perfecto opere complere. Deinde perfectio eſt duplex, vel *partium*, vel *graduum:* de priori hic agitur, non poſteriori. *Reſp.* ad 3. Aliud eſt eſſe ἄμεμπτον, inculpatum, irreprehenſibilem eſſe, quod & ſibi Paulus tribuit, *Phil.* 3. *v.* 6. Aliud vero eſſe ἀναμάρτητον, expertem peccati; quod nulli hominum (excepto Chriſto) competit, 1 *Ioan.* 1. 8. De priori agitur in textu, non poſteriori.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Locus XXXVIII.

De Pœnitentia & Iejunio.

POenitentia Evangelica exprimitur voce μετανοίας. Legalis vero voce μεταμελείας.

Quæstio I.

Quotuplex eſt Pœnitentia?

Reſp. Duplex; *Legalis*, & *Evangelica.*

II. *Quid eſt Pœnitentia Legalis?*

Reſp. Eſt dolor ob peccatum admiſſum, cognitum ex Lege, abſque fide, conjunctus cum deſperatione; qualis fuit pœnitentia Judæ, Saülis, & aliorum.

III. *Quid eſt pœnitentia Evangelica?*

Reſp. Dolor ob admiſſum peccatum, conjunctus cum fiducia remiſſionis, & propoſito amplius non peccandi.

IV. *Anne fiducia iſta neceſſario requiritur?*

Reſp. Utique; *Matth.*9. 2.

V. *Quomodo ergo intelligenda iſta ſunt, quæ Sancti Dei homines de pœnitentia dicunt*, Quis ſcit an reverſum pœniteat ipſum, Joël.2. 14? *ut quæ particula eſt dubitantis, & pugnat cum fiducia?*

Reſp. Particula iſta adhibita in S. Literis in doctrina de pœnitentia, non notat dubitationem de remiſſione peccatorum, ſed notat dubitationem de eo, utrum Deus caſtigaturus propter peccatum, quandoquidem id ſoleat facere, 2 *Sam.*12. 9, 10, 11, 12. Ubi David à Deo caſtigatur, quod Uriam occiderat, & uxorem ejus ſtupraverat. confer cum *verſu* 13.

VI. *Vtrumne propoſitum non peccandi poſſit eſſe pars pœnitentiæ Evangelicæ, quandoquidem homo ſæpius in idem peccatum prolabitur?*

Reſp. Utique; etſi talis caſus hominis ſit miſerabilis, tamen deſperare non debet, *Luc.* 17. 4. Nam ſi homo debet toties, quoties hic intelligitur (ſepties, numerus finitus pro infinito) remittere proximo ſuo agnoſcenti culpam & reſipiſcenti, quanto magis hoc facit Deus?

VII. *Quid ſentiendum de partibus pœnitentiæ, quas Pontificii numerare ſolent,* 1. *De Contritione.* 2. *Confeſſione.* 3. *Satisfactione?*

Reſp. Triſtitiam & dolorem, duplicem eſſe; unam quæ ex Deo, alteram quæ ex Deo non eſt, 2 *Cor.*7. 10. Nam quæ ſecundum Deum eſt triſtitia, ea reſipiſcentiam ad ſalutem efficit, cujus nunquam pœniteat; mundi vero triſtitia mortem efficit: *illa* quæ ſecundum Deum, efficit reſipiſcentiam ad ſalutem, & eſt pars pœnitentiæ: *ea* vero, quæ à Pontificiis ſtatuitur, talis non eſt.

VIII. *Quid vero ſentiendum de confeſſione auriculari?*

Reſp. Nullum de ea præceptum in Verbo Dei, nec exemplum illius ullum eſt, ſed contrarium potius exemplum, *Pſal.*38. *v.*19. Pii homines ſoli Deo confitentur peccata.

IX. *Quomodo ergo illud accipiendum*, Matth.3. 6, *Et baptizabantur ab illo in Iordane*, confitentes peccata?

Reſp. Non confitentes Joanni in particulari; nam impoſſibile erat, Joannem omnes audiviſſe, cum tota Hieroſolyma & Judæa egreſſa ad ipſum, *Ioan.*5. 5. Sed confitebantur in genere, ſe miſeros peccatores, dum baptizabantur, quia baptiſmus fit in remiſſionem peccatorum.

X. *Quid vero de ſatisfactione judicandum?*

Reſp. Tota quæſtio iſta quæſtione deciditur, Utrumne juſtificemur ex operibus Legis? Quod à Spiritu Sancto negatur, *Rom.*3.4. Nam ſi non juſtificemur, quomodo ſatisfacere poſſumus?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

XI. *Si non poſſumus ſatisfacere pro peccatis, quomodo illud intelligendum, Col.1.v.24, Quod impleat, quod deeſt afflictionibus Chriſti?*

Reſp. Diſtinguo inter ſupplere quod deeſt afflictionibus Chriſti: vel *pro Eccleſia redimenda*, & hoc pacto hoc non poteſt accipi, quia ſolus Chriſtus eſt redemptor ſuæ Eccleſiæ: vel pro *Eccleſia ædificanda*, & ſi ita accipiatur, nihil juvat hic locus Pontificios.

XII. *Anne pœnitentia, de peccatis voluntarie admiſſis, poteſt eſſe ſalutifera?*

Reſp. Utique; ut patet ex latrone, in cruce cum Chriſto pendente; ex Davide homicidium & adulterium committente.

XIII. *Quomodo ergo explicandus locus,* Heb.10. 26, Nam ſi ultro *&c?*

Reſp. Agi ibi de peccato in Spiritum Sanct. & omne peccatum in Spiritum S. eſſe quidem voluntarium, ſed non omne voluntarium peccatum, eſſe peccatum in Spirit. Sanctum.

De Jejunio.

XIV. *Quid eſt Iejunium?*

Reſp. Eſt abſtinentia à cibo & potu ad certum tempus, ut eo melius & ardentius poſſimus vacare cultui divino.

XV. *Eſtne bonum opus jejunium?*

Reſp. Eſt adiaphorum; Nam ſi bonum opus, omnibus faciendum eſſet, ad quod tamen per Verbum Dei non adſtringimur.

XVI. *Quotuplex eſt jejunium?*

Reſp. Duplex; *privatum*, cujus exemplum vide *Luc.*2.37. Et *publicum*, Eph.4.16.

XVII. *An in delectu ciborum conſiſtit jejunium?*

Reſp. Nullo modo; nam jejunium eſt abſtinentia à cibo & potu.

XVIII. *Quid ergo de Pontificiorum jejunio, ubi delectus ciborum inſtituitur?*

Reſp. Hoc, quod de talibus ſentit Spiritus Sanctus, 1 *Tim.*4. 1, 2, 3, 4.

XIX. *Vtrumne, quod Pontificii dicunt, piſces contradiſtingui carnibus, verum ſit?*

Reſp. Judicandum eſt hoc, ſecundum vulgatum loquendi modum; alioqui ſi velimus accurate loqui, & piſcibus ſua caro eſt, 1 *Cor.* 15.*v.*35.

LOCUS XXXIX.
De Honore Dei.

QUÆSTIO I.
Quid eſt honor Dei?

RESP. Eſt affectus ortus ex conſideratione naturæ & proprietatum Dei?

II. *Quotuplex eſt honor?*

Reſp. Duplex; *celebrationis*, & *invocationis*.

III. *Quid eſt celebrationis?*

Reſp. Eſt quando Deum celebramus ſupra omnia; ſive, quando laudes Dei & Deum ſupra omnia in infinitum extollimus.

IV. *Quid eſt invocationis?*

Reſp. Eſt petitio à vero Deo, illorum bonorum quæ Deus à ſe peti juſſit, profecta à vero ſenſu neceſſitatis noſtræ, & deſiderio beneficentiæ divinæ, facta in vera ad Deum converſione, & fiducia promiſſionum divinarum per mediatorem, *Pſal.*105.*v.*1. *Matth.*7.7. *Ioan.*4.14.

V. *Anne invocatio in V. T. à fidelibus facta eſt per Chriſtum?*

Reſp. Utique; *Pſal.*34.10. *Dan.*9.17.

VI. *Annon iſte honor invocationis debetur alicui creaturæ?*

Reſp. Nulli; quemadmodum patet, *Deut.* 6. *Matth.*4.

VII. *Quid judicandum de iſta diſtin-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ctione Pontificiorum, δουλείας, λατρείας, *&* ὑπερδουλείας;

Reſp. Voces quidem δουλείας & λατρείας haberi in Scriptura, ſed ὑπερδουλείας eſſe confictam à Pontificiis; notant enim iſta vocabula cultum ſive civilem ſive religioſum promiſcue, ita ut quando divinum, quando civilem notent, è ſubjecta materia intelligendum ſit. Nec magis differunt, quam Latinis *gladius* & *enſis*.

VIII. *An ergo Pontificios male accuſamus, quod cultum Deo proprium, tribuant creaturis; cum illi hoc negent?*

Reſp. Illorum proteſtatio eſt contraria facto, nam ut Chemnitius oſtendit in examine Concilii Tridentini, eundem cultum deferunt Mariæ, quem ipſi Deo: Pſalterium totum convertunt ad Mariam Virginem, & omnia quæ de Deo dicuntur Mariæ Virgini applicant, ut liquet è Pſalterio Bonaventuræ.

IX. *Quid ergo reſpondendum Socinianis, qui dicunt in V. T. prohibitum fuiße, ne cultus religioſus deferretur ulli, in N. T. autem hoc abolitum eſſe?*

Reſp. Ineptum hoc eſt; nam Chriſtus utitur in N. T., ex *Deut.* 6, teſtimonio, quod de hac re agit. 2. Docet hoc Spirit. Sanctus, *Gal.*4. 8. *Apoc.*19. 10.

X. *Quandoquidem dicitur per Chriſtum in V. T. Deum fuiſſe invocatum, an hoc etiam præcipit Sp. Sanctus in N. T. faciendum?*

Reſp. Omnino; 1 *Pet.*2. 5.

XI. *Sed num Apoſtoli rite Deum invocarunt, qui non invocarunt in nomine Ieſu Chriſti?*

Reſp. Affirm. Illi quidem petierunt in nomine Chriſti, licet hoc non intellexerint diſtincte; confuſe autem illos noviſſe, non dubium eſt: loquitur ergo hic Chriſtus, ut de diſtinctis precibus, ita & de diſtincta cognitione. vide Calvinum ſupra hunc locum.

XII. *An ſemper precari debemus in nomine Chriſti, dum precamur?*

Reſp. Non ſemper, dicimus; ut in precibus iſtis, quæ vocantur *ejaculatoriæ*, non *ſtatæ:* Sed tamen apud nos fixum eſt, nos non exaudiri, niſi per & propter Chriſtum: in ſtatis autem precibus utendum eſt, ut Deus nos exaudiat per & propter Chriſtum.

XIII. *Quandoquidem Deus invocatur per Mediatorem, & credimus in ipſum per Chriſtum*, 1 Pet. 1. 21, *Annon inde ſequitur diſtinctio cultus religioſi, ut Vorſtius vult, in ſuperiorem, & inferiorem?*

Reſp. Nequaquam: nam prima tabula non admittit gradus cultus; ut patet ex ſumma ejus, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*; gradus autem admittere eſt proprium ſecundæ tabulæ.

XIV. *Attamen aliud eſt invocare per Mediatorem, credere per Mediatorem; aliud, credere ſimpliciter.*

Reſp. Particula iſta *per* non notat diverſitatem cultus, ſed ordinem in eo cultu: Quemadmodum, cum Deus dicitur omnia creaſſe *per* Filium, particula iſta *per* non notat diverſum modum agendi, ſed ordinem in agendo.

XV. *Annon præceptum primum diſtinguitur à ſecundo, quandoquidem in primo habetur:* Non habebis Deos alienos in conſpectu meo. *in ſecundo vero dicitur:* Non facies tibi ſculptile; *ſculptilia enim alieni dii ſunt?*

Reſp. Utique diſtinguuntur inter ſe; nam in primo agit de diis alienis, in ſecundo autem de mediis Deum colendi illicitis; namque idola ſunt media Deum colendi illicita.

XVI. *Differuntne*, ſimulacra, *&* idola?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Reſp. Pontificii affirm. Nos negamus. Vide Urſinum, & Joannem Reinoldum, prolixe de hac quæſtione tractantes.

XVII. *Quotupliciter accipitur idolum?*

Reſp. Active, & Paſſive; *Active*, pro eo quod Deus non eſt, & tamen ſibi vult exhiberi cultum divinum, qualis eſt Antichriſtus: *Paſſive* iterum accipitur dupliciter idolum, vel tale eſt, quod non admittit cultum ſibi exhiberi, dum exhibetur, tale idolum fuit Paulus & Barnabas, qui pro diis habiti, *Act.*14. rejiciebant cultum iſtum divinum: Aliud eſt res inanimata, cui honor divinus exhibetur, quem prohibere non poteſt.

XVIII. *Anne idola ſunt facienda, & in templis collocanda?*

Reſp. Nequaquam; quia hoc prohibet Spiritus Sanctus, *Exod.*20. 4.

XIX. *Lutherani & Pontificii dicunt, prohiberi ne colantur, non autem ut ſimpliciter non fiant.*

Reſp. Imo additur hoc, *Ne facias, Ne honores*, Deut. 5. v. 14. Hoc autem ſi voluiſſet Deus, quod Adverſarii volunt, tum dixiſſet, Ne facito ut colas ſimpliciter.

XX. *Quotuplex eſt adoratio?*

Reſp. Adoratio & honor æquipollentia ſunt, quemadmodum igitur honor alius *civilis*, alius *religioſus*, ita etiam adoratio. De civili vide, *Gen.*23.7. De religioſo, *Deut.*6. *Matth.*4.

XXI. *Quæ cauſa fuit, quod Sancti Dei homines & Angeli nimium honorem civilem aſpernati fuerint?* Act. 10. v. 25. Apoc. 19. 10.

Reſp. Theologi noſtri propterea aſpernatos eſſe dicunt, ut docerent, non tantum ſe vitare malum, ſed etiam ſpeciem mali; nam utut cultus iſte civilis fuerit, tamen cum præ ſe ferret cultum aliquem divinum, rejiciebant eum.

XXII. *Quotuplex eſt invocatio Dei?*

Reſp. Eſt vel *petitio*, vel *oratio*, vel *gratiarum* actio.

XXIII. *Quid eſt oratio?*

Reſp. Eſt petitio boni alicujus, quo egemus, cum certa fiducia illud obtinendi, ſi expediat.

XXIV. *Anne quæ precamur, cum conditione precamur, vel ſine conditione?*

Reſp. Quædam cum conditione, qualia ſunt bona temporaria, ſcilicet ſi Deus velit, ſi nobis utilia ſint: Bona vero ſpiritualia ita petimus, ut ſine conditione petamus, ea ſcilicet quæ abſolute ſunt neceſſaria; quia Deus illa & vult dare ſuis, & expedit nobis ea habere. Illa autem quæ ad gradum aliquem cognitionis & ſcientiæ eminentem pertinent, etiam cum conditione petere tenemur.

XXV. *Quotuplex eſt precatio?*

Reſp. Triplex; δέησις, deprecatio malorum; προσευχὴ, petitio bonorum; ἔντευξις, interceſſio pro aliis, vel precatio ad bona ipſis impetranda, vel mala avertenda.

XXVI. *Anne ita pro aliis precari debemus, ut precemur illis bona ſpiritualia ſine conditione?*

Reſp. Nequaquam; quia nobis non conſtat diſtincta & certa notitia, quæ ſunt Dei, ſed tantum confuſe & ſcientia conjecturali. Ergo petimus, ut, ſi ſint ex filiis Dei, Deus etiam ipſis talia largiatur.

XXVII. *Anne geſtus iſti in precando adhibendi, ut ſemper ſtemus, vel genua flectamus; anne etiam aliquando ſedere poſſumus?*

Reſp. Iſti geſtus liberi ſunt, idcirco fiebant aliquando preces flexis genibus, aliquando ſtando: ita, verbi gratia, Joſaphat & populus Judæ ſtantes, 2 *Chron.*20. 5, 6. item publicanus, *Luc.*18. 11. Aliquando ſedendo fiebant preces, 2 *Sam.* 7, dicitur David precaturus conſediſſe coram Jehova.

XXVIII. *Eſtne utendum nobis Oratione*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

tione Dominica, quandoquidem unaquaque precatio habet profundos ſenſus?

Reſp. Puritani, Bruniſtæ, vocantur à Brunone, qui putant Chriſtum noluiſſe, ut nos iſta loquendi formula uteremur, ſed in Oratione hac materiam tantum præſcripſiſſe. Sed refelluntur ex ipſo textu, quia Chriſtus expreſſe, *Matt. 6*, dixit: *Vos cum precamini.* Quod dicunt, profundos eſſe ſenſus; nihil ad rem: nam ſi profundos putant, eo quod nos fugiant; inepti ſunt, nam claris concipitur verbis. Quod ſi profundos putent, eo quod plus contineant verba, quam prima fronte præ ſe ferunt; tum & hoc pacto inepti ſunt: namque hoc liquet facile, dum petimus panem, nos petere omnia temporalia; & ſic in reliquis.

XXIX. *Atqui referunt, Sp. Sanctum vocari Spiritum precum, eo quod ipſe pro nobis intercedat*, Rom. 8; *unde putant Spiritui Sancto non deberi præſcribi formulas precandi?*

Reſp. Non præſcribimus, ſed ipſe Spiritus Sanctus præſcribit; vocatur autem Spiritus precum, non quod novas ſubinde preces ſuggerat, ſed quod faciat, ut preces, quas nobis præſcribit, debite concipiamus & proferamus.

XXX. *Licetne imprecari?*

Reſp. In particulari non licet; nec enim ſcimus qui convertendi, qui non. In genere autem licet imprecari, ſive à Deo petere, ut perdat eos, quicunque regnum ipſius impediunt, & ex numero electorum non ſunt.

Locus XL.

De Eccleſia.

Quæstio I.

Quid eſt Eccleſia?

Resp. Eſt cœtus hominum ex univerſo genere humano jam corrupto, per miniſterium Verbi, juxta Dei beneplacitum evocatorum, unique capiti Chriſto unitorum, ad communionem, cum *gratia* in hac, tum *gloria* in futura vita. Hic ergo agendum de eo, ex quibus Eccleſia conſtet, de vocatione externa & interna, de unione, de gratia, de gloria, & de quæſtionibus, quæ emergunt è doctrina de Eccleſia.

II. *Conſtatne Eccleſia è ſolis hominibus, an vero etiam ex Angelis?*

Reſp. Omnino ex ſolis hominibus. Quod probatur, 1. *Eph.* 5. 25, 26, 27. 2. Quia Eccleſia eſt quæ colligitur per Verbum Dei: Angeli autem non colliguntur per Verbum.

III. *Quomodo ergo Chriſtus poteſt dici caput Angelorum?*

Reſp. Dictum eſt ſuperius, quod Chriſtus ſit caput dupliciter; vel quaſi *politicum*, vel quaſi *naturale*: Politicum eſt Angelorum bonorum, malorum, & reproborum hominum: Eccleſiæ vero caput naturale. de qua diſtinctione vide *Parkerum* de politia Eccleſiaſtica.

IV. *Quale Verbum intelligitur, per quod homines dicuntur vocati ad unionem?*

Reſp. Doctrina, non Legis, ſed Evangelii. Ratio eſt, quia Lex non vocat nos ad unionem Chriſti; Lex enim tranſgreſſoribus maledictionem intentat, *Deut.* 27. *Gal.* 3. Propterea etiam vocatur miniſterium mortis, 2 *Cor.* 3. 7. Evangelium autem eſt, quod peccatores vocat, *Matt.* 11. 28, 29. Propterea etiam vocatur miniſterium Spiritus, 2 *Cor.* 3. 8.

V. *Quotuplex eſt vocatio Dei?*

Reſp. Duplex: Externa, quæ fit per prædicationem Verbi externam; de qua, *Matt.* 22. 8, 14. Alia, interna; de qua, *Rom.* 8. 28, 30. 1 *Cor.* 1. 23, 24.

VI. *Anne Deus aliquando vocat externa vocatione, quos non vocat interna?*

Reſp. Utique; ut liquet, *Matt.* 13. 13, 14, 15. 1 *Cor.* 1. 23, 24.

VII. *Anne bene vocatio externa diſtinguitur in efficacem & inefficacem?*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Reſp. Affirm. Nam ſi conjuncta eſt vis Dei operans interne, cum prædicatione externa Verbi Dei, tum prædicatio Verbi Dei externa eſt efficax, 1 *Cor.*3.6, 7. Inefficax vero, ubi Deus non aperit cor, nec interne agit.

VIII. *Vnde hoc proficiſcitur, quod alii efficaciter vocentur, alii non?*

Reſp. Ex mero Dei beneplacito; probatur, *Rom.*9.11. *Gal.*1.15. *Iac.*1.18.

IX. *Anne locus ultimus bene allegatur; quandoquidem hic de prædeſtinatione agi videtur, ut volunt Remonſtrantes?*

Reſp. Omnino; nam ut juſtificationi opponitur non abſolutio, ita induratio opponitur emollitioni, quæ ad regenerationem ſpectat.

X. *Anne eſt unio Eccleſiæ cum Chriſto?*

Reſp. Eſt; nam Chriſtus dicitur caput Eccleſiæ, *Eph.*1.12. Item ſponſus Eccleſiæ; & Eccleſia ejus ſponſa, 2 *Cor.* 11. *v.*2. Oſtendit autem Spiritus Sanctus hanc unionem arctiſſimam eſſe, & per unionem phyſicam & ethicam: Arctior non eſt phyſica, niſi inter caput & membra: Unio ethica arctior non eſt, niſi inter maritum & uxorem; hinc Spirit. Sanctus eos vocat unam carnem, ut alibi, ita *Eph.* 5. *verſ.*31.

XI. *Eſtne hæc unio Eccleſiæ neceſſaria?*

Reſp. Utique; quod explicat Spiritus Sanctus, partim *negativis*, partim *affirmativis* phraſibus: Negativis, Joan.15.5, *Ego ſum vitis, vos palmites: is qui manet in me, & in quo ego maneo, hic fert fructum multum: nam ſeorſim à me nihil poteſtis facere.* 1 Joan.5.12, *Qui habet Filium, habet vitam: Qui non habet Filium Dei, vitam non habet.* Poſitivis, 1 *Ioan.*5.12.

XII. *In quo conſiſtit hæc unio?*

Reſp. Hoc non plene capimus in hac vita, propterea dicitur myſterium, *Eph.*5.32. Interim utcunque deſcribere poſſumus: nam ex parte Chriſti, vinculum eſt Spiritus Sanctus, qui nos unit cum Chriſto: ex parte noſtri, eſt fides, qua cum Chriſto unimur.

XIII. *Anne ab iſta unione dona proveniunt ad Eccleſiam?*

Reſp. Maxime; de quibus Spiritus Sanctus, *Rom.*6.4. *Gal.*2.20. *Eph.*4.15.

XIV. *Anne unio iſta diſſolvi poteſt, quæ eſt inter Chriſtum & Eccleſiam?*

Reſp. Non; Hoſ.2.19, 20, *De ſponſabo te mihi in ſeculum.*

XV. *Anne Eccleſia hoc poteſt efficere, ut ſcortatione diſſolvat unionem iſtam, quandoquidem uxor ſcortatione diſſolvit matrimonium, quod eſt inter maritum & ipſam?*

Reſp. Neutiquam; eſt enim diſpar ratio humani conjugii & ſpiritualis, inter Chriſtum & Eccleſiam; nam maritus non poteſt indere caſtitatem & ſtudium caſtitatis uxori; hoc vero ab opifice humanæ naturæ provenit. At Chriſtus hoc poteſt; Hinc, *Eph.*5.25, 26, 27, officium proponitur à Spiritu Sancto.

XVI. *Anne in Chriſto omnium beneficiorum ſimus participes?*

Reſp. Utique; quia in Chriſto omnes promiſſiones ſunt *Amen*, 2 *Cor.*1.20. *Eph.*1.3.

XVII. *Quomodo Chriſtus potuit uniri cum Eccleſia in V. Teſt. cum nondum exiſteret?*

Reſp. Vide ſupra in doctrina de Mediatore.

XVIII. *Quotupliciter accipitur gratia in Sacra Scriptura?*

Reſp. Quadrupliciter. 1. Gratia notat *favorem Dei indebitum*, gratuitum; in hac ſignificatione accipitur invenire gratiam, *Gen.* 6.8. Dicitur autem favor, quia non omnis amor eſt favor; nam non dicitur de ſubditis quod faveant, ſed quod ament & revereantur; de principe vero, quod faveat & amet. Ceterum favor iſte duplex eſt; Unus qui vocatur *miſericordia*, quique miſeris peccatoribus exhibetur, *Rom.*3.24. Alter favor, quo proſequitur crea-

turam

curam abſolute, ſecundum hunc favorem dicitur, *Luc.* 2. 51. 2. Gratia accipitur pro *effectu favoris*, 1 Cor. 16. 3. Ita omnia Dei dona vocantur gratia: ſunt autem dona iſta duplicia; quædam eorum qui ſalvantur, de quali dono agitur, *Heb.* 13. 9. alia autem dona illorum, qui non ſalvantur, de quo, 1 Pet. 4. 10, *Vt quiſque accepit donum.* 3. Gratia ſignificat *cauſam favoris*; ſic autem gratia accepta nihil aliud eſt, quam elegantia quædam, quæ vel in cultu vel ſermone elucet, unde naſcitur amor, ut conficiatur gratia, *Proverb.* ult. *Gratia*, inquit, *mendacium.* & *plenitudo mendacium eſt*, Pſal. 45. 4. Gratia ſignificat *compenſationem gratiæ*; ut, cum dicitur, *Gratia ſit Deo*, eſt tantum compenſatio improprie accepta, nam nihil ad Deum ex gratiarum actione redit; nihil item, ſi negligentes ſimus hujus officii, Deo inde decedit.

XIX. *Anne bene diſtinguunt Pontificii, in gratiam* gratis datam, *&* gratum facientem?

Reſp. Nequaquam; dicitur enim gratia, non quia nos facit gratos, ſed quia divinæ gratiæ donum.

XX. *Quo ſenſu dicimur Deo aliquid reddere?*

Reſp. Cum nos agimus Deo gratias, retribuimus Deo; ſed hoc dicitur metaphorice, Pſal. 116, *Quid retribuam Deo?* Et ſimili metaphora Deus dicitur in Scriptura nobis quaſi gratias agere, cum ea facimus, quæ illi grata ſunt, 1 *Petr.* 2.

XXI. *Quid per* gratiam *intelligitur, cum in definitione dicitur*, compotes gratiæ in Chriſto?

Reſp. Intelliguntur hic per *gratiam* ea dona, quæ ſunt propria electorum; qualia ſunt fides, quam ſequitur remiſſio peccatorum; quæ gratia dicitur & juſtificatio; quæ eadem gratia dicitur ſub initium *cap.* 5. *Rom.* & ſecundum juſtificationem ſanctificatio.

XXII. *Quot modis accipitur gloria?*

Reſp. Tribus modis, nam vel *rem* ſignificat, vel *opinionem de re*, vel *prædicationem*; nam cum rem ſignificat, tum nihil aliud eſt, quam magnitudo virtutis aut pulchritudinis, quæcunque tandem illa ſit, Hebræis eſt כבוד, quod *pondus* ſignificat.

XXIII. *Quæ eſt cauſa iſtius appellationis?*

Reſp. Petitur ipſa ex ipſius rei natura; nam quæ ſunt mediocria, in earum rerum conſideratione nec oculus nec animus ſuccumbit, ſed quæ ſunt ſumma, quæque nos rapiunt in admirationem, iis coguntur veluti ſuccumbere pondere quodam conſiderantes; talia ſunt attributa Dei omnia, quæ gloria appellantur: item, Joan. 12. *verſ.* 41, *Videbis gloriam Dei.* item *Rom.* 6. 4, idem dicere voluit, cum Chriſtum per gloriam Patris ſuſcitatum inquit. 2. Bonitas dicitur gloria Dei, unde iſtæ phraſes, Rom. 9, *Vt oſtendat divitias gloriæ.* 3. Significat opinionem, Joan. 12. v. 43, *Dilexerunt enim gloriam hominum.* 4. Gloria prædicationem ſignificat, quorſum illud, *ut videntes bona opera veſtra glorificentque*, Matt. 5.

XXIV. *Quomodo accipienda gloria hic?*

Reſp. Pro virtute Dei.

XXV. *Quodnam eſt diſcrimen inter gratiam & gloriam?*

Reſp. In hoc diſcrimen ſitum eſt, quod gratia ſignificet quodammodo peccatum & infirmitatem, Rom. 5. v. 20, *Peccatum:* at gloria non adſignificat peccatum aut miſeriam, ſed adſignificat peccatum & miſeriam ſublatam eſſe.

XXVI. *Quotuplex ergo eſt Eccleſia?*

Reſp. Duplex; alia, militans; alia, triumphans.

XXVII. *Quid eſt Eccleſia militans?*

Reſp. Quæ ſub capite Chriſto militat contra Diabolum, mundum & carnem, donec victoriam reportet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

XXVIII. *Quotuplex eſt illa?*

Reſp. Duplex; *univerſalis*, quæ per totum terrarum orbem diſperſa: & *particularis*, quæ in uno certo loco, oppido, pago, colligitur.

XXIX. *Poteſtne Eccleſia Catholica errare?*

Reſp. Error eſt duplex; *morum*, & *fidei*: de errore in moribus non eſt dubium, ut videre licet, 1 *Reg.* 8. 46. *Eccleſ.* 7. 20.

XXX. *Anne etiam in fide errare poteſt?*

Reſp. Affirm. Liquet ex Eccleſia, quæ tempore Chriſti fuit; namque in Apoſtolis & pauculis, qui Apoſtolos ſequebantur, conſiſtebat tum temporis Eccleſia; & tamen ignorabant, quod moriturus fuiſſet, *Matt.* 16. 22. Neſciebant quod à mortuis reſurrecturus Chriſtus, *Ioan.* 20. 9. Male judicabant de regno Chriſti, ut qui mundanum putabant, *Act.* 1. *v.* 6. Ergo Eccleſia Catholica errare poteſt in fide. *Obj.* Quomodo Eccleſia Catholica in fundamento poteſt errare: Quandoquidem qui errant fundamentales errores, fidem penitus amittunt; fides enim cum fundamentali errore non poteſt conſiſtere? *Reſp.* Quidam Theologi reſpondent ad hoc, Diſcipulos ſciviſſe, Chriſtum moriturum & reſurrecturum; ſed diſtinguendum ſtatum, in quo erant perturbati: referunt autem hoc ad ſtatum perturbatum; exemplum vero afferunt ad hanc rem, *Marc.* 9. 6. Alii reſpondent, ſciviſſe paſſurum; namque ſciebant doctrinam ſacrificiorum, ſed neſciebant paſſionem mortem futuram in ſpecie. *Obj.* Si ita ſe res habet, quare Eccleſia dicitur columna & firmamentum veritatis? 1 *Tim.* 3. Videtur non poſſe omni modo errare? *Reſp.* Varie à Theologis ad hunc locum reſpondetur; mihi autem, rejecta communi ſententia, quæ contorta eſſe videtur, duæ reſponſiones maxime arrident. 1. Graſeri in Danielem, ubi inquit: quemadmodum, *Ier.* 23. 6, Jehova appellatur juſtitia noſtra, ſic etiam Eccleſia columna & fundamentum veritatis, quod non *active*, ſed *paſſive* intelligendum eſt; ut enim Eccleſia apud Jeremiam vocatur juſtitia, propterea quod Jehova eam juſtificet & ſanctificet, ita Eccleſia à Paulo columna & firmamentum vocatur, non quod ipſa in ſe veritas ſit, veritatem progignat, ſed quod ſola in mundo per veritatem illuſtretur. 2. Cameronis eſt in tractatu de Eccleſia, debere comma poni inter *Eccleſiam Dei vivi*, & *columnam*, ita ut *verſ.* 16 incipiat à *columna*, hunc in modum: *columna & ſtabilimentum veritatis, magnum eſt pietatis myſterium.*

XXXI. *Annon eſt Eccleſia viſibilis?*

Reſp. Eſt viſibilis *confuſe*, non autem *diſtincte*; hoc eſt, ſcimus quod in tali cœtu, ubi purum Dei Verbum prædicatur, & ſacramenta legitime adminiſtrantur, ſunt aliqui, qui vera Eccleſiæ membra ſunt: ſed qui in particulari ſint, nos latet; illud enim ſcire ſolius Dei eſt, 2 *Tim.* 2. 19.

XXXII. *Dum Eccleſia dicitur viſibilis, anne hoc tantum de ſenſu oculorum accipiendum?*

Reſp. Nequaquam; ſed etiam de auditu, ex doctrina enim & per doctrinam eſt potiſſimum viſibilis: doctrina autem à nobis non tantum lectione, ſed & auditu percipitur.

XXXIII. *Eſtne diſtinctio in ſpecies Eccleſiæ, quando diſtinguitur in viſibilem, & inviſibilem?*

Reſp. Calumniantur nos Pontificii, dum hoc à nobis ſtatui dicunt; nos enim dicimus eſſe diverſam conſiderationem unius rei ſub diverſo reſpectu: nam prout confuſe conſideratur, viſibilis eſt, non autem eſt diſtincte viſibilis.

XXXIV. *Si Eccleſia eſt inviſibilis, quomodo nos illi adjungemus?*

Reſp. Non dicitur à nobis ſimpliciter inviſibilis, ſed diſtincte viſibilis eſſe negatur, etiamſi confuſe ſit viſibilis: ad hoc autem ut quis ſe aggreget Eccleſiæ, ſufficit, eam eſſe viſibilem confuſe.

XXXV. *Eſtne antiquitas nota Eccleſiæ?*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Reſp. Nequaquam; nam etiam mala ſunt antiqua: ita prius homo peccavit, quam juſtificatus eſt; interim juſtificatio bona, peccatum malum.

XXXVI. *Anne cum dicimus, Pontificios deſciviſſe ab antiqua Prophetica & Apoſtolica doctrina, oportet nos oſtendere momentum temporis, quo hoc ſit factum?*

Reſp. 1. Errores omnes non ſimul ſemelque ingreſſi ſunt in Eccleſiam. 2. *Reſp.* cum Camerone, Mutationem in melius & momentum ejus obſervari poſſe; & ratio, quia totus mundus iſti repugnat: ita notum erat, quando Chriſtus cœpit reformare Eccleſiam Judaïcam, quia totus mundus reclamabat ipſius doctrinæ. At errores ſunt furta quædam, hæretici fures, ita ut clam irrepant: quod Servator Chriſtus manifeſte innuit parabola iſta, *Matt.* 13. 25. 3. Satis eſt, ſi oſtendamus, illos receſſiſſe ab antiqua fide, etiamſi non poſſimus oſtendere, quo momento hoc factum. Nam ſatis eſt conviciſſe furem furti, ſi res alienas habeat, etiamſi notum non ſit, quo momento furatus eſt.

XXXVII. *Anne duratio Eccleſiæ, eſt ejus nota?*

Reſp. Si de duratione perſonarum quæritur, non eſt; nam perſonæ non durant: ſi vero de duratione doctrinæ & diſciplinæ Eccleſiaſticæ, tum hæc duratio pertinet ad notam, de qua poſt acturi, puritatem ſcilic. Verbi Divini.

XXXVIII. *Anne Eccleſia in perpetuum durabit & duratura eſt?*

Reſp. Utique. 1. Quia regni Chriſti Mediatoris nullus finis eſt; ut patet, *Luc.* 1. 13. At eſſet finis, ſi Eccleſia plane defeciſſet. 2. Quia niſi Deus ſemper haberet aliquos ſuos inter homines, homines fierent ut Sodoma & Gomorrha, *Eſaï.* 1. 9.

XXXIX. *Quomodo ergo locus iſte intelligendus*, Jud. 2. 10, 11?

Reſp. Tribuitur ibi Iſraëli toti, non quod omnes tales fuiſſent; ut patet ex vindicibus, de quibus, *verſ.* 16, mentio: ſed quod pauciſſimi inter illos fuerint veri Dei cultores. vide 1 *Reg.* 14. 14. confer cum *verſ.* 18.

XL. *Si ita ſe res habet, quomodo ergo Elias*, 1 Reg. 19. v. 14, *conqueritur, ſe ſolum eſſe relictum?*

Reſp. Elias fecit hoc ex infirmitate; nam Eliæ credenda erat Eccleſia Catholica, quandoquidem & nos in ſymbolo profitemur; Si ergo credere debuit Eccleſiam Catholicam, non debuit credere eam defeciſſe. 2. Loquitur Elias de Eccleſia, quæ fuerat in decem tribubus Iſraëlis, ſive in regno Iſraëlitico, non ea quæ fuit in regno Judæ; nam non potuit Eliam latere, ſub Joſaphato fuiſſe Eccleſiam inter Judæos.

XLI. *An amplitudo etiam eſt nota Eccleſiæ?*

Reſp. Neutiquam; niſi illud falſum eſſe debeat, quod dicitur, Matt. 22, *Multi vocati, pauci vero electi.* 2. Lata via eſt, quæ ducit ad interitum, & multi eam perambulant, *Matt.* 7. *v.* 13.

XLII. *An ſucceſſio Epiſcoporum, eſt nota Eccleſiæ?*

Reſp. Non eſt; niſi iſta ſucceſſio intelligatur in doctrina: ſed ita ſucceſſio non erit per ſe nota, verum doctrina; poteſt enim ſucceſſio eſſe perſonalis, at non doctrinæ. Ita verbi gratia, Annas & Caiaphas ſucceſſerunt Aaroni; interim tamen immane quantum differebant à doctrina Aaronis.

XLIII. *An conſpiratio cum antiqua Eccleſia ſit vera Eccleſiæ nota?*

Reſp. Aut antiquam intelligunt eam, quæ ſuperſtructa eſt ſuper fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum; & ſic conſpiratio per ſe non eſt nota: ſed quod nos urgemus, aut cum quavis Eccleſia; & ſic conſpiratio cum Eccleſia Hæreticorum eſſet vera nota: quod abſurdum. Ceterum Eccleſiæ non creditur quia *cana*, ſed quia *ſana*.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

XLIV. *Annon unio membrorum inter ſe, & cum capite Chriſto, ſunt veræ notæ Eccleſiæ?*

Reſp. Unionem eſſe duplicem; *Internam*, & *externam.* Unionem externam cum capite Chriſto nullam habet Eccleſia: Interna non patet oculis; proinde nota eſſe non poteſt. 2. Nec unitas per ſe nota eſt Eccleſiæ, niſi cum fide & vera doctrina conjuncta fuerit, *Eph.*4.3.

XLV. *Annon ſocietas doctrinæ eſt nota Eccleſiæ?*

Reſp. Ita quidem, ut infra patebit.

XLVI. *Anne efficacia doctrinæ eſt nota Eccleſiæ?*

Reſp. Nequaquam; nam ſæpe nulla eſt efficacia veræ doctrinæ, *Ioan.*12. 37, 38. Et ſæpe falſæ doctrinæ magna eſt efficacia, 2 *Theſſ.*2. *verſ.* 9.

XLVII. *Annon Miracula ſunt nota Eccleſiæ?*

Reſp. Sejuncta à doctrina nequaquam; miracula enim quædam vera ſunt, quædam falſa: quæ autem vera ſunt, quæ falſa, non poteſt intelligi, niſi ex Verbo Dei, *Deut.*13. 1, 2, 3, 4. Deinde miracula non poſſunt eſſe nota Eccleſiæ, quia non neceſſe, ut ſemper fiant miracula.

XLVIII. *Quando neceſſe eſt Miracula fieri?*

Reſpondent Theologi, quando quædam antiquanda, quæ fuerunt & extiterunt in Eccleſia, & renovandus Eccleſiæ ſtatus eſt. vide Hiſtoriam eductionis ex Ægypto, item renovationem, quæ à Chriſto & Apoſtolis facta.

XLIX. *Anne vaticinia & prædictiones futurorum ſunt nota Eccleſiæ?*

Reſp. Nequaquam; quia etiam cadere poſſunt in falſos prophetas permittente Deo, *Deut.* 13. *v.*1, 2.

L. *Anne infelix exitus eorum, qui Eccleſiam oppugnant, eſt nota Eccleſiæ?*

Reſp. Nequaquam; nam ſæpe contingit, malos homines tranquille obire, cum boni ſæpe per torturas & carnificinas è medio tollantur, *Hebr.*11, *per totum caput.*

LI. *Annon felicitas temporalis, eſt nota veræ Eccleſiæ?*

Reſp. Nequaquam; nam Chriſtus hic non promittit ſuis felicitatem, ſed potius crucem, planctus, ejulatus, *Ioan.*16.20. Et *Apoc.*7. dicitur, quod Deus abſterſurus ſit omnes lacrymas ab oculis ſalvandorum, *verſ.*17. Ergo oportet omnes ſalvandos flere.

LII. *Quæ igitur ſunt veræ Eccleſiæ notæ?*

Reſp. Duæ ſunt; Puritas Verbi Divini, & Sacramentorum uſus, *Act.*2. 41, 42.

LIII. *Si puritas iſta Verbi eſt nota Eccleſiæ, ergo oportet ubi illa non ſit, non eſſe Eccleſiam; atque adeo cum Calviniſtæ accuſant Lutheranos, vel hi illos, alterutros non eſſe Eccleſiam?*

Reſp. Puritas iſta Verbi Dei admittit ſuos gradus, nec ſtatim deſinit eſſe Eccleſia, ubi eſt aliqua iſtius puritatis remiſſio. Vide exemplum in illis Eccleſiis, ad quas ſcribit Spiritus Sanctus, *Apoc.*2. 4.

LIV. *Anne notarum earum eadem eſt ratio, ſcilicet puritatis Verbi Divini, & adminiſtrationis Sacramentorum?*

Reſp. Neutiquam; nam ſine puritate Verbi Dei Eccleſia nunquam conſiſtere poteſt; ut patet, *Eph.*2.20, 21, 22. At ſine Sacramentis Eccleſia eſſe poteſt, ut Eccleſia illa ante Abrahamum; ubi nondum erant Sacramenta inſtituta, & poſtquam inſtituta fuerunt, uſus illorum intermiſſus fuit ob certas cauſas, *Ioſ.* 5. *verſ.* 6.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Locus XLI.

De Sacramentis in genere.

Quæstio I.

Quid eſt Sacramentum?

RESP. Eſt ſignum ſacrum & viſibile inviſibilis gratiæ Dei.

II. *Quis eſt cauſa Sacramentorum?*

Reſp. Ille, 1. Qui rationem ſe colendi præſcribit, nempe Deus. 2. Ille, qui promiſſa annexa Sacramentis præſtare poteſt: hoc autem ſolus Deus poteſt.

III. *Quis eſt principalis & primarius finis Sacramentorum?*

Reſp. Principalis eſt confirmatio fidei noſtræ; Deus enim ſignis iſtis legitime utentibus dicit, & promittit, ſe gratiam ſuam exhibiturum eſſe: propterea etiam vocantur *ſigilla*; quia quemadmodum ſigillum nos certos facit de obtinendo quod in diplomate continetur; ita nos ſignum hoc legitime uſurpatum certos facit de promiſſione obtinenda ſigno annexa. Ceterum ſigilla appellari, patet ex circumciſione, *Rom.* 4. 11.

IV. *Quotuplicia ſunt ſigna?*

Reſp. Triplicia; *ſignificativa*, *commemorativa*, & *certificativa*.

V. *Eſtne verum, quod nihil habeat rationem Sacramenti extra legitimum uſum?*

Reſp. Verum; Nam de natura Sacramenti eſt finis ejus, ſuppletque rationem formæ; ſublata autem forma non eſt hoc, cujus forma eſt: de ratione autem formæ eſſe finem, patet, quia ſignum eſt relatorum; de natura autem talium eſt finis.

VI. *Ex quonam conſtat Sacramentum?*

Reſp. Vocem Sacramenti eſſe duplicem, aliquando accipitur pro ſignis tantum, ita dicimus Sacramentum Cœnæ Domini, Sacramentum Baptiſmi; aliquando pro ſigno & re ſignata: dum hoc autem hic quæritur, intelligitur ſignum & res ſignata; conſtat ergo Sacramentum è terrena & cæleſti re.

VII. *Quæ eſt ratio inter hæc?*

Reſp. Non *phyſica*, ſed *relativa*; unde non neceſſe eſt, ubi iſtorum unum eſt, ſtatim eſſe alterum debere: hinc erat Agnus Paſchalis, & nondum tamen natus Chriſtus.

VIII. *Vtrumne Sacramenta ſunt neceſſaria?*

Reſp. Neceſſaria non *abſolute* ſunt, ſed ex *hypotheſi mandati* divini: hinc iſta Theologorum regula, Non *privatio*, ſed *contemptus* Sacramentorum damnat.

IX. *Quæ ſunt requiſita Sacramenti?*

Reſp. Hæc quæſtio eſt longe utiliſſima; recenſentur autem vulgo octo à Theologis. 1. Signum Sacramenti ſit externum, corporale & materiale. 2. Signum & tota actio, quæ circa illud verſatur, ſit expreſſe in Verbo Dei præcepta. 3. Quod eſt N. Teſtamenti, ſit in V. T. inſtitutum. 4. Ut perpetuo duret Sacramentum N. T. 5. quod omnibus Sacramentis eſt commune, Ut promiſſio gratiæ divinæ ſit annexa à Deo, & ad ſignum ſit addita. 6. quod etiam eſt commune, Ut promiſſio gratiæ divinæ ſit annexa in inſtitutione ſigni. 7. Ut illa promiſſio Dei in Sacramento facta, ſit de gratia aliqua nobis ſalutari, & ad vitæ æternæ aſſecutionem pertinente & neceſſaria. 8. Ut ſignum Sacramenti ſit, quoniam à Deo datum & inſtitutum, nobis certiſſima promiſſionis & gratiæ Dei obſignatio, & per fidem peculiaris applicatio.

X. *Quotuplicia ſunt Sacramenta?*

Reſp. Duplicia, vel V. vel N. Teſtamenti.

XI. *Quotuplicia ſunt V. Teſtamenti?*

Reſp. Duplicia: *Ordinaria*, & *extraordinaria.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

XII. *Quæ fuerunt ordinaria?*

Reſp. Circumciſio, & Agnus Paſchalis. De priori vide, *Gen.*17. De poſteriori, *Exod.*12.

XIII. *Quænam erat res ſignata circumciſionis?*

Reſp. Regeneratio noſtri; ut clare Spirit. Sanctus docet, *Deut.*30.6. *Rom.*2. 2.

XIV. *Anne par ratio circumciſionis & baptiſmi, quoad perſonas adminiſtrantes?*

Reſp. Nequaquam; nam Baptiſmus non debet adminiſtrari niſi ab eo, cui data eſt poteſtas prædicandi, *Matth.*28. 26. Cum circumciſionem quilibet adminiſtrare potuerit, *Gen.* 17.*v.*23. *Ioſ.*5.6, 7, qui erat paterfamilias, vel vero vices patrisfamilias in familia obibat.

XV. *Quænam erat res ſignata in Paſchate?*

Reſp. Eadem, quæ in noſtra Cœna; ut liquet, 1 *Cor.*5.7.

XVI. *Quænam ſunt Sacramenta in V. Teſt. extraordinaria, & quæ ipſorum res ſignata?*

Reſp. De eo agit Spiritus Sanctus, 1 *Cor.*10. 1 *Pet.*3. 21, 22.

XVII. *Quodnam diſcrimen inter Sacramenta V. T. & N. Teſtamenti?*

Reſp. 1. Differunt *numero.* Sacramenta V. T. erant plura quam N. nam fuerunt in V. Teſtamento & ordinaria & extraordinaria. 2. *Facilitate*, Vet. Teſtamenti Sacramenta magis erant moleſta; nam circumciſio fuit cum dolore, comeſtio Agni Paſchalis, quoad quædam, etiam moleſta. 3. *Claritate*, Sacramenta N. Teſt. ſunt ſigna Chriſti exhibiti; illa, fuerunt ſigna exhibendi: ideoque clariora ſunt N. Teſt. quam V. T. Sacramenta. 4. *Duratione*, V. T. Sacramenta finem habuerunt; N. autem Teſt. nunquam ceſſabunt in hac vita.

XVIII. *Anne V. Teſt. Sacramenta fuerunt typi Sacramentorum Novi Teſtamenti?*

Reſp. Colligunt hoc aliqui, ex 1 *Cor.* 10. *v.*6. Sed perperam; loquitur enim Apoſtolus ibi de judiciis Dei adverſus populum Iſraëliticum, & ait, *illa* nobis typos fuiſſe.

XIX. *At negari non poteſt, Petrum appellare Baptiſmum noſtrum, ἀντίτυπον aquarum diluvii*, 1 Petr.3. 21.

Reſp. Aliquando typus refertur ad rem, quam repræſentat, ut liberatio ex Ægypto ad liberationem noſtri per Chriſtum factam: Aliquando typus alius ad alium refertur; & dicitur typus ratione alterius, non quod illum ſignificet, ſed quod alter in locum ipſius ſubſtituatur, ut nubes & mare, ad noſtrum Baptiſmum, 1 *Cor.*10. 2.

XX. *Quot ſunt Sacramenta Nov. Teſtamenti?*

Reſp. Baptiſmus & Cœna Domini, quorum illud Sacramentum *initiationis* & *inſitionis* in Eccleſiam dicitur; hoc vero *continuationis*, & *nutritionis* vocatur.

LOCUS XLII.

De Baptiſmo.

QUÆSTIO I.

Quid eſt Baptiſmus?

RESP. Eſt externum aquæ lavacrum, à Chriſto mandatum, cum hac promiſſione, nos, cum baptizamur, non minus ab omnibus noſtris peccatis, tanquam animæ ſordibus, ipſius Sanguine & Spiritu lavari, quam extrinſecus aqua abluimur. Vel: Baptiſmus eſt primum Novi Fœderis Sacramentum, in quo, electis in Dei familiam receptis, externa aquæ aſperſione, peccatorum remiſſio & regeneratio, per Sanguinem Chriſti & Spiritum Sanctum obſignatur.

II. *Eſtne Baptiſmus neceſſarius ad ſalutem?*

Reſp. Neceſſitate *præcepti* divini, non *abſolute*;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ſolute; alioquin oportuiſſet neminem ſalvatum eſſe, niſi qui baptizatus eſſet; quod tamen falſum eſſe liquet, ex latrone cum Chriſto in cruce pendente.

III. *Quid ergo reſpondendum ad locum iſtum*, Joan. 3. 5?

Reſp. Cum Martyre, ſæpe effectus duabus cauſis tribuitur, ſine quibus non poſſe eſſe dicitur; interim tamen ab una cauſa neceſſario & principaliter dependet; verbi gratia, quod, *Rom.* 10. 9, dicitur: *Si profeſſus fueris ore Dominum Ieſum, & credideris corde, quod Deus eum ſuſcitavit ex mortuis, ſervaberis*; Hic tribuitur effectus, nimirum ſalus, duabus cauſis, & interim non niſi ab una neceſſario dependet, nimirum à fide; nam ſi à confeſſione neceſſario dependeret, omnes ſic muti condemnandi eſſent: quod abſurdum.

IV. *Quid ſentiendum de Baptiſmo mulierum*?

Reſp. Ille non eſt baptiſmus, ſed profanatio baptiſmi, quia Chriſtus eoſdem tantum voluit baptizare, quos publice docere voluit, *Matth.* 28. 19, 20. Mulieribus autem hoc expreſſe interdixit Spiritus Sanctus, 1 *Cor.* 14. 34. 1 *Tim.* 2. 12.

V. *Quid de Hæreticorum Baptiſmate ſentiendum, quandoquidem à noſtris non rebaptizantur, qui ab aliis baptizati ſunt?*

Reſp. Hæretici ſunt in duplici differentia: Aut fundamentum aliquod adhuc retinent, & ita habent adhuc Eccleſiam, etſi non puram, & miniſterium; Jam autem quia ex dignitate perſonæ non pendet Baptiſmus, hi amplius baptizandi non ſunt. Aut Hæretici ſunt, qui omnia convellunt fundamenta, & hi, ut nullam Eccleſiam habent, ita nec miniſterium, ac proinde ab his baptizati, rebaptizari debent. Additur etiam & alia ratio, quod alii ſint, qui cum fundamento retinent formulam à Chriſto præſcriptam; alii, qui nec fundamentum nec formulam retinent.

VI. *Fuitne Ioannis Baptiſmus idem cum Chriſti Baptiſmo?*

Reſp. Utique; & ratio eſt, quia eadem doctrina, eadem gratiæ obſignatio, idemque ritus fuit, *Matth.* 3. 1, 2, 7, 8, & 11. 2. Quia baptizati ab illo, non rebaptizabantur.

VII. *Quid ergo reſpondes ad loc.* Act. 19. 1, *ubi dicuntur iſti baptizati, qui baptiſmate Ioannis erant baptizati?*

Reſp. Aliqui negant baptizatos fuiſſe; Nam verba iſta, quæ habentur *verſ.* 5, dicunt eſſe verba Pauli: alii vero Lucæ verba: in qua ſententia eſt Wittakerus: quæ ſententia prior communis eſt, nititurque ſaltem hoc argumento, quod particula (dum) quæ reſpondet particulæ (μὲν), nullo modo patiatur, ut hæc verba Lucæ eſſe dicantur. Sed falluntur in iſto, nam quod ad particulas iſtas attinet (μὲν & δὲ) ſæpius legitur μὲν ſine δὲ ſubſequente, & δὲ ſine μὲν præcedente: utriuſque exempla paſſim occurrunt; *Rom.* 3. 2. *Col.* 2. 17. *Luc.* 7. 30. *Act.* 11. 18. Ergo hæc verba Lucæ erunt. Nos igitur illos rebaptizatos eſſe aſſerimus, eo quod legitime adminiſtratus non fuerit iſtis, utpote talibus adultis, qui ne principia fidei noverant; ignorabant enim eſſe Spiritum Sanctum: tum etiam, quod à tali adminiſtratus, cui hoc munus non competebat, utpote qui forma verborum baptiſmi uſus non erat; quod fuiſſe perperam factum docet Paulus, dum dicit illis, reſpondentibus ignorare ſe, an eſſet Spiritus Sanctus, In quid ergo baptizati eſtis?

VIII. *Quomodo ergo Theologi baptiſmum Ioan. à Chriſti baptiſmo differre dicunt?*

Reſp. Non in *ſubſtantia*, ſed in *modo* circa ſubſtantiam; Joannes enim baptizabat in eum qui venturus erat, *Act.* 19. 4. Chriſtus autem in eum qui jam venerat.

IX. *Vtrumne Chriſtus juſſit baptizare Apoſtolos ſuos, quandoquidem Paulus, qui etiam Apoſtolus fuerat, dicit, ſe miſſum non eſſe ad baptizandum, ſed evangelizandum?* 1 Cor. 1. 17.

Reſp. Clariſſimum eſt præceptum, *Matt.* 28.

Quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Quod autem attinet ad locum Pauli, ſciendum eſt, comparative minora ſæpe enumerari in Scriptura *negative*. Vid. *Matth.* 12. 19, 20. Senſus ergo hic erit, non tam miſit me Deus ad baptizandum, quamvis etiam & hoc, quam ad docendum; ſive, principaliter me miſit ad docendum; minus principaliter, ad baptizandum.

X. *Annon pro legitimo baptiſmo habendus eſt, in quo non uſurpatur formula à Chriſto præſcripta*, In nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti?

Reſp. Neutiquam; nam quemadmodum Cœna Domini non eſt, ubi non uſurpantur verba à Chriſto ad hanc adhibita; ita nec baptiſmus, ubi non eſt formula à Chriſto præſcripta.

XI. *Quid ergo reſpondes ad illa exempla, quæ afferuntur ab Adverſariis, ubi dicuntur baptizati in nomine Chriſti*, Act. 10. 48: & 19. 5?

Reſp. Non *excluſive* hæc eſſe accipienda, ſed *incluſive*: quod clariſſime oſtendit Spiritus Sanctus, *Act.* 19. 3. Nam poſtquam dixiſſent, ſe non audiviſſe de Spiritu Sancto; quærit, *In quem igitur eſtis baptizati?* ac ſi diceret, ſi baptizati eſtis, etiam in nomine Spiritus Sancti baptizati eſtis, vel baptizari debuiſtis.

XII. *Anne gratia baptiſmi, ſive res ſignata baptiſmi, ſemper confertur eo tempore, quo baptiſmus confertur?*

Reſp. Nequaquam; nam aliquando præcedit gratia, *Act.* 10. 4. aliquando etiam ſequitur iſta gratia; nam quæ ratio eſt ejus quod præcedat, eadem & ejuſdem quod ſequatur.

XIII. *Iuſſitne Chriſtus etiam infantes baptizari?*

Reſp. Utique. 1. Quia baptiſmus in locum circumciſionis ſucceſſit. 2. Quia omnes iſtos vult baptizari, quibus promiſſio facta eſt, *Act.* 2. 38, 39. 3. Quia omnes iſtos vult baptizari, qui habent Spiritum Sanctum, *Act.* 10. *v.* 47. Atqui aliqui infantes habent Spiritum Sanctum. Niſi velimus omnes infantes condemnare; nam qui *non habet Spiritum Chriſti, non eſt ejus*, Rom. 8. 9.

XIV. *Quomodo probari poteſt, quod baptiſmus in locum circumciſionis ſucceſſit?*

Reſp. Hoc poteſt probari ex eo, quia utrumque ſacramentum eſt ſignum regenerationis, quemadmodum circumciſio adminiſtrabatur infantibus, ita & baptiſmus debet. 2. Quia ut Paſchati ſucceſſit Cœna Domini, 1 *Cor.* 5. 7. Ita circumciſioni ſucceſſit baptiſmus, *Col.* 2. *verſ.* 11.

XV. *Quomodo potuit ſuccedere baptiſmus in locum circumciſionis, cum octavo die circumciſio adminiſtraretur, baptiſmus autem quolibet tempore?*

Reſp. Succeſſit non in *circumſtantiis*, ſed in ipſa *ſubſtantia*: quemadmodum Cœna Domini ſucceſſit Paſchati, non in *circumſtantiis*, quod ſemel tantum annuatim certo tempore adminiſtraretur, ſed in *ipſa re*, quod æque ſignum ſit manducationis ſpiritualis Corporis Chriſti, ac illud fuit.

XVI. *Si infantes ſunt baptizandi, anne promiſcue omnes?*

Reſp. Nequaquam; Illi enim tantum ſunt baptizandi, quorum parentes ſunt in fœdere; quemadmodum tantum illi infantes circumcidendi, qui erant in fœdere, *Gen.* 17. Vide argumentum ad hanc rem, *Act.* 2. 38, 39.

XVII. *Quid ergo fiet de infantibus Ethnicorum, ſi contingat aliquando, ut in noſtras manus deveniant, quemadmodum in bellis fieri poteſt?*

Reſp. Illi prius, dum adoleſcant, in fide Chriſtiana inſtituendi ſunt, & poſtquam in fundamentis profecerint, confeſſio ab iis exigenda, & tum baptizandi ſunt.

XVIII. *Quomodo hi tales à Theologis vocantur?*

Reſp.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Reſp. Κατηχούμενοι.

XIX. *Si parens uterque ſit excommunicatus, debentne illorum liberi baptizari, quandoquidem ejectus eſt & ſeparatus ab Eccleſia?*

Reſp. Ejectus eſt ex particulari Eccleſia, non autem Catholica; alioquin omnes ejuſmodi condemnarentur: proinde ſi in Eccleſia Catholica ſunt (ſi non ſecundum *veritatis*, ſaltem ſecundum *caritatis* judicium) ipſorum infantes ſunt baptizandi; accedit & hoc, quod non tantum reſpectus debeat haberi proximorum parentum, ſed & avorum & proavorum, qui fuerunt in Eccleſia; Deus enim promittit, ſe benignitatem in milleſimos à patribus exerciturum, eorum qui obſervant mandata ſua.

XX. *Anne infantes habent fidem?*

Reſp. Habent, non *actualem*, ſed *habitualem*; quemadmodum enim regeniti ſunt, ita & fidem habitualem habent.

XXI. *Cur Chriſtus baptizatus, cum triginta annorum eſſet, & infantes in tenella ætate?*

Reſp. Actiones Dei vel ſunt *officii*, vel *exempli*: Hæc actio fuit officii.

XXII. *Quandoquidem Chriſtus in baptizandis requirit fidem, & quidem actualem, quomodo infantes baptizari poſſunt, qui fidem actualem non habent?*

Reſp. Requirit fidem actualem ab adultis; infantes autem baptizandi, quia ſunt in fœdere, *Gen.* 17.

XXIII. *Quomodo liberi fidelium dicuntur Sancti?* Rom. 12. v. 16. 1 Cor. 7. v. 14, 40.

Reſp. Diſtinguimus inter ſanctitatem *habitualem*, quæ eſt *qualitativa*, & inter ſanctitatem *fœderalem*, quæ eſt *relativa*, & eſt jus civitatis Dei. Cum illa infantes fidelium naſci negat Apoſtolus, *Rom.* 5. *Eph.* 2. Cum iſta autem eoſdem naſci, affirmat Apoſtolus, dictis locis.

XXIV. *Quid ſibi vult illa vox*, In nomine Patris, & Filii?

Reſp. Nomen iſtud hic notat *auctoritatem*, quemadmodum ita nomen accipitur, *Act.* 4. 7. *Matth.* 21. 23.

XXV. *Anne Baptiſmus iterari debet, quemadmodum Cœna Domini?*

Reſp. Nequaquam; nam Baptiſmus eſt ſignum noſtræ regenerationis, quæ hic ſemel fit, nec unquam infirmatur. Accedit, quod Circumciſio tantum ſemel adminiſtrabatur, cui Baptiſmus ſucceſſit, cum Paſcha ſæpius repeteretur, cui ſucceſſit Cœna Domini.

XXVI. *Quid ſibi volunt Theologi, quando diſtinguunt Baptiſmum in* fluminis, flaminis, & ſanguinis?

Reſp. Priores duo ſunt vere Baptiſmi, ut patet, *Matth.* 3. Poſterior vero alluſio ad priores, & ita dicunt baptizatos iſtos infantes, quos Herodes trucidari curavit, ut & latronem in cruce reſipiſcentem, & Martyres.

Locus XLIII.

De Cœna Domini.

Quæstio I.

Quid eſt Cœna Domini?

Resp. Eſt alterum Novi Teſtamenti Sacramentum, in quo Chriſtianis adultis, panis & vini uſu à Chriſto mandato, ſpiritualis participatio Corporis & Sanguinis, obſignatur.

II. *Quænam ſunt partes principales?*

Reſp. Panis & vinum, ut patet ex inſtitutione Cœnæ Domini, *Matt.* 26. 26.

III. *An ergo ſub utraque ſpecie eſt Cœna Domini adminiſtranda?*

Reſp. Utique; ut patet, 1 *Cor.* 11. 23, 24, 25.

IV. *Quæ ſunt partes integrales minus principales?*

Reſp. Fractio panis.

V. *Anne Fractio panis eſt adiaphorum quid ?*

Reſp. Nequaquam; Eſt enim quid neceſſarium: Hæc autem neceſſitas his argumenris oſtenditur. 1. Exemplo & facto Chriſti, qui in prima Cœna panem fregit. 2. Ordine ritus, gratias egit, fregit ac dedit: non vero eſt probabile, ritum adiaphorum poni medium inter duos neceſſarios. 3. A Chriſti mandato, Chriſtus mandavit, *Facite hoc.* 4. A myſterio fractionis explicato à Paulo, 1 *Cor.* 10. 16, 17. 5. Ex verbis Apoſtoli ibidem, *Panis quem frangimus.* 6. Ab exemplo laudatiſſimæ Eccleſiæ Apoſtolicæ, *Act.* 2. 48. & 20. 11. Neceſſarium, dupliciter conſideratur; vel ſine quo res eſſe non poteſt, vel ſine quo res integra eſſe non poteſt: hoc pacto fractio panis eſt neceſſaria; exempli gratia, homo poteſt eſſe ſine manu, licet integer eſſe non poſſit: prior *neceſſitas*, *eſſentialis*; poſterior vero, *accidentalis* dicitur.

VI. *Quid ergo ſentiendum de Cœna Domini, ubi panis non frangitur; nam ſi panis fractus, eſt κοινωνία Corporis Chriſti, ergo panis non fractus, non eſt κοινωνία Corporis Chriſti ?*

Reſp. Non ſequitur; perinde enim eſt ac ſi quis dicat, homo cum manibus & pedibus eſt homo, ergo ſi manu deſtituatur, non eſt homo: quare vero non valeat hæc argumentatio, ex Logica patet, quia contrarius ſenſus non procedit, niſi in eſſentialibus & convertibilibus.

VII. *Quomodo partes, præcipue integrales, ſunt panis & Corpus Chriſti, an ubi panis & vinum non eſt, poteſt celebrari Cœna Domini?*

Reſp. Utique; Nam Chriſtus ſumpſit cibum & uſurpavit potum, qui in Judæa erat familiaris, uſurpaturus alium, ſi alius in uſu fuiſſet; nam quod analogiam habere poteſt cum Corpore & Sanguine Chriſti, illud poteſt adhiberi, etſi hoc idem non ſit quod Chriſtus uſurpavit.

VIII. *In quo conſiſtit iſta analogia?*

Reſp. 1. Quemadmodum cibum & potum ore corporis aſſumimus, ita ore fidei aſſumimus Corpus & Sanguinem Chriſti. 2. Quod quemadmodum cibus aſſumptus nobis unitur, & fit quodammodo nobiſcum unius eſſentiæ, ita Chriſtus per fidem aſſumptus unum quoddam nobiſcum fit.

IX. *Quod ſi quis abſtemius ſit, num illi alius potus quam vinum in Cœna Domini adminiſtrari poteſt?*

Reſp. Patet hoc ex quæſtione proxime præcedente; & affirmatur.

X. *Anne eſt mutatio elementorum in Cœna Domini?*

Reſp. Eſt, non autem *phyſica*, ſed *relativa* ſive χεπκὴ, hoc eſt, manet quidem panis & vinum quoad *ſubſtantiam*, ſed ad alium uſum refertur, quam communiter ſolet.

XI. *Annon eſt in pane Corpus, & in vino Sanguis ejus?*

Reſp. Nequaquam; nam pugnat hoc cum aſcenſione Chriſti in cælum; ſi enim aſcendit, non eſt in pane. 2. Pugnat hoc cum adventu ejus in judicium, nam ſi in pane eſſet, non opus eſſet ut veniret: dicitur autem inde venturus in Symbolo, ad judicandum vivos & mortuos.

XII. *Annon transſubſtantiatur panis in Corpus, & vinum in Sanguinem Chriſti?*

Reſp. Nequaquam; & ratio 1 eſt, quod Spiritus Sanctus in ipſo uſu panem vocet panem, 1 *Cor.* 10. 16, 17. 2. Quia hoc comprobat teſtimonium ſenſuum; nam & oculi vident panem & vinum; Teſtimonium autem ſenſuum infallibile eſſe docet Chriſtus, *Luc.* 24. *v.* 34, 39. 3. Quia qui ſtatuunt transſubſtantiationem, tollunt Sacramentum; nam Sacramentum conſtat ex duplici re, ſcilicet terreſtri & cæleſti, hoc eſt, ſigno & re ſignata.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

XIII. *Cur ergo dicitur*, Hoc eſt corpus meum; *nam non erit hæc conſtructio grammatica, ſi* hoc *de pane accipiatur, perinde enim eſſet, ac ſi dicerem*, hoc panis eſt corpus meum?

Reſp. Particulam *hoc* non accipi hic *adjective*, ſed *ſubſtantive*, in hunc ſenſum, *hoc*, ſive *hæc res.* Accipi ita ſæpe adjectiva neutra pro ſubſtantivis, patet vel ex illo Virgilii verſu,

Triſte lupus ſtabulis, maturis frugibus imbres.

& in ſacris literis talia occurrunt, *Matth.* 1. 23. *Marc.* 12. 42.

XIV. *Ergone tropi admittendi erunt in Cœna Domini?*

Reſp. Utique: quod oſtendimus, quia dicitur calix N. Teſtamenti; quod negare non poſſunt tropicum eſſe. 2. Quia dicitur: *comedite, bibite*; hoc autem dicitur non tantum de ſymbolis, ſed & de comeſtione quæ fit per fidem: atqui utut τὸ *comedere* & *bibere*, relatum, ad panem & vinum, & ad os, proprium erit, tamen non erit proprium, relatum, ad Corpus, Sanguinem Chriſti & fidem; quod & ipſi fateri coguntur. 3. Et hic tropum eſſe, fateri coguntur, cum dicitur, *traditur*, cum non in Cœna Domini percipimus Corpus, quod traditur, ſed quod traditum eſt.

XV. *At Teſtamenta (inquiunt) nullos tropos admittunt, alioquin eſſent obſcura?*

Reſp. Imo, ineptiſſime hoc dicitur, legatur teſtamentum Jacobi, *Gen.* 49. Et Moyſis, *Deut.* 33. Davidis, 2 *Sam.* 23.

XVI. *Ubi ergo tropus eſt?*

Reſp. Alios ſtatuere in *prædicato*; alios in copula *eſt*: ſed parum intereſt, ubi ſit; certe eſt in alterutro: Wittakerus doctiſſime aſſerit, eſſe in verbo *eſt*, quod (inquit) non ſemper ὕπαρξιν, ſed & aliquando σχέσιν & tropum notat; nam (inquit) copulat quidem ſemper ſubjectum & prædicatum, ſed non ſemper proprie.

XVII. *Anne dantur tales locutiones in Scriptura?*

Reſp. Utique; ita verbi gratia, *Gen.* 17. *v.* 10, Circumciſio dicitur fœdus: ita *Exod.* 12, Paſcha tranſitus Jehovæ.

XVIII. *Annon vere ſimus participes Corporis & Sanguinis Chriſti in Cœna?*

Reſp. Utique; nam ſi non fieremus participes, tum nec fieremus participes beneficiorum Jeſu Chriſti, hoc eſt, remiſſionis peccatorum & vitæ æternæ; nam hæc beneficia non ſunt extra Chriſtum, ſed in Chriſto, ut qui participes iſtorum beneficiorum ſint, oportet prius ut participes fiant Chriſti, *Eph.* 1. *v.* 3. *Realiter* ſimus participes Corporis Chriſti, at *non corporaliter*, ſed per fidem, quomodo etiam præſens eſſe dicitur.

XIX. *Si fiamus participes Corporis Chriſti ſemel, & non ſeparamur amplius ab eo, ut patet*, Eph. 5. 29, *Quomodo opus iteratione Sacramenti?*

Reſp. Propterea, quia in unione hac incrementa dantur, nec poteſt iſta unio ſimul & ſemel perfici, *Eph.* 1. 3.

XX. *Agiturne*, Joan. 6, *de Spirituali, an vero Sacramentali manducatione?*

Reſp. De Spirituali; nam qui edit Carnem Chriſti, & Sanguinem ejus bibit, habet vitam æternam, ut ibi dicitur; non autem omnis qui ſymbolis utitur, habet vitam æternam.

XXI. *Qui ſit particeps ſigni, ille etiam ſit particeps rei ſignatæ: Atqui reprobi fiunt participes ſigni.*

Reſp. Qui particeps fit ſigni *formaliter*, ille etiam fit particeps rei ſignatæ: non vero qui *materialiter*, ut reprobi.

XXII. *Annon reprobi percipiunt Corpus Chriſti?*

Reſp. Quandoquidem iſta perceptio fit per fidem, reprobi autem illa fide deſtituantur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

idcirco Corpus & Sanguinem Chriſti non percipiunt.

XXIII. *Quare ergo tales rei dicuntur Corporis & Sanguinis Chriſti?* 1 Cor. cap. 11.

Reſp. Theologi hoc fieri ex duplici cauſa ſtatuunt. 1. Quia tractare indigne Sacramenta Corporis & Sanguinis Chriſti, in ipſius contumeliam & injuriam Chriſti redundat; ſic ſi quis diploma Principis dedecoraret, aut ſigillum ejus adulteraret, is Principem dicitur dedecorare, & perſonæ illius injuriam facere, ac proinde læſæ Majeſtatis reus eſt. 2. Cauſa hæc eſt, quia Corpus Domini Euchariſtia oblatum non reſpiciunt ea veneratione ac fide, qua decet; ut ſi quis regem ad ſe venientem aut prorſus excluderet, aut contemneret, aut non honorifice exciperet, ſic & illi rei ſunt, qui tantam gratiam ſibi oblatam reſpuunt. Improbus reus eſſe dicitur Corporis Chriſti, non *accepti*, ſed *ſpreti*.

XXIV. *Quomodo dicitur caro vivifica?* Joan. 6.

Reſp. Non *efficienter*, ſed *meritorie*.

XXV. *An, cum Cœna Domini utimur, nobis eſt ſtandum, vel genu flectendum, vel ſedendum?*

Reſp. Wittakerus ita reſpondet: genua flectere, non modo excludit ritus inſtitutionis, ſed & præceptum ſecundum, de vitanda idololatria, multum violat; ſtando circa menſam Euchariſtiam percipere; de ritibus & forma inſtitutionis nihil detrahit; ſedendo vero percipere, convenientiſſimum, quod hoc nec ritus inſtitutionis violat, nec ſuperſtitionis aut idololatriæ periculum trahit: iſte vero ſitus exemplo ipſius Chriſti in inſtitutione prima, & Apoſtolorum poſt inſtitutionem, commendatur.

XXVI. *Cum ſimus participes Chriſti in Baptiſmo, ut docet Spiritus Sanctus,* Gal. 3. 27, *quomodo participes fieri poſſumus in Cœna Domini?*

Reſp. Simus participes alia atque alia ratione; in Baptiſmo ſimus participes Chriſti, ut *regignamur*: in Cœna vero Domini, ut *nutriamur*, & foveamur, creſcamuſque in unione cum Chriſto, *Eph.* 4. 16: & 5. 29.

XXVII. *Quid vero judicandum de Miſſa Papiſtica?*

Reſp. Illa nullum fundamentum habet in Sacra Scriptura, ac proinde plane rejicienda.

XXVIII. *Quid de privata communione Cœnæ Domini cenſendum, quum privatis perſonis & ſingularibus eo tempore, quo ægrotant, adminiſtratur Cœna?*

Reſp. Eſt contra Verbum Dei, 1 *Cor.* 10. *verſ.* 17.

LOCUS XLIV.

De Regimine Eccleſiæ.

QUÆSTIO I.

Quotuplex eſt Regimen Chriſti in Eccleſiam?

RESP. Duplex; *internum*, & *externum*: hic agitur de externo.

II. *Quid eſt iſtud regimen, eſtne* Monarchicum, Ariſtocraticum, *an vero* Democraticum?

Reſp. Quoad *poteſtatem* ipſam eſt *democraticum*; toti enim Eccleſiæ hæc commiſſa eſt. Non enim putandum eſt, Chriſtum ſupra ſponſam ſuam poteſtatem conceſſiſſe filio aut ſervo, Eccleſia enim eſt ſponſa Chriſti, 2 *Cor.* 11. 2. Mater omnium noſtrorum, *Gal.* 4. Regina & Domina, in *Canticis*; nos vero ſumus ſervi ejus, & filii omnes fideles in ſingulari; Non ergo poteſtatem habemus in Eccleſiam, ſed Eccleſia in nos. Quoad *exercitium* autem eſt penes rectores: quod probatur; quia Spiritus Sanctus poteſtates aliquas in Eccleſia poſuit:

non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

non vero dicit omnes tales eſſe, ſed aliquos, *Rom.* 12. *v.* 7, 8. 1 *Cor.* 12. 28. 1 *Tim.* 5. 17. *Apoc.* 3. 7.

III. *Quale ergo hoc illorum Regimen?*

Reſp. Quemadmodum clavis duplex eſt; Vel *herilis* ſive propria, quæ & *effectiva* dicitur, quam ſolus Chriſtus habet, *Marc.* 12. 7. *Apoc.* 3. *v.* 7. Vel *miniſterialis* ſive *declarativa*, quam Eccleſia habet, quia promiſſiones Evangelicas applicat pœnitentibus, impœnitentibus aufert, *Matth.* 23. 13. Ita & regimen aliud, eſt *miniſteriale*, quod eſt Eccleſiæ; aliud, *herile*, quod Chriſti eſt.

IV. *Quibuſnam hominibus conſtant iſti Rectores?*

Reſp. Tum ex iis, qui in Verbo Dei non laborant; ut patet, 1 *Tim.* 5. 17. Tum ex aliis, qui in Verbo Dei laborant: *Presbyteri qui bene præſunt, duplici honore ſunt digni, maxime qui laborant in doctrina & ſermone.*

V. *Quid eſt reſpondendum Adverſariis, qui vocem* κόπον *accipiunt pro labore majori, ita ut hunc locum,* 1 Tim. 5, *explicent de ſolis Miniſtris, ſed interim diſtinguunt Miniſtros, quod quidam maxime laborent, alii non ita?*

Reſp. Κόπος laborem ſignificat, cum ſumma quidem cura & ſolicitudine conjunctum: μόχθος vero laborem quo quis fatigatur. Si ergo Spiritus Sanctus intenſiorem operam à remiſſiori diſtinguere voluiſſet dicto hoc loco, μοχθεῖν potius, quam τὸ κοπιᾶν dicturus fuiſſet; & ratio eſt, quod unicuique Miniſtro tribuatur κόπος, 1 *Cor.* 3. 8.

VI. *Debentne etiam Presbyteri eſſe perpetui?*

Reſp. Theologi noſtri nihil hac de re ſcribunt. Tilenus, dum adhuc eſſet noſter, in ſuo Syntagmate ſcribit hoc modo: Non caret (inquit) nævo, quod Presbyteri in Eccleſia mutentur; & rationem quidem nullam adfert: ſed nos illam petere poſſumus ex Miniſtris Verbi Dei; quemadmodum enim Miniſtri debent eſſe perpetui, ita & Presbyteri. Noſtræ Eccleſiæ hoc adferunt pro ſe, quod non ſemper tales perſonæ habeantur, quæ ſemper commode iſto munere poſſint fungi, ac proinde oportere illos ſubinde mutari.

VII. *Debentne etiam Diaconi ad Rectores iſtos referri, ſunt autem Diaconi miniſtri conſtituti ab Eccleſia, ad diſpenſandas eleemoſynas Eccleſiæ in pauperes?*

Reſp. Eſſe quidem quoſdam, qui Diaconos ex hoc ſenatu eſſe ſentiunt: quo vero nitantur fundamento, non video, cum enim hic ſenatus Presbyterium à Paulo nominetur, 1 *Tim.* 4. *verſ.* 14, Presbyteros hoſce eſſe neceſſe eſt: Presbyterorum vero nomen in Sacra Scriptura nunquam Diaconis tribuitur, ſed Paſtoribus, *Tit.* 1. *verſ.* 5, & 7, inter ſe collatis; nam qui *verſu* 5, vocatur πρεσβύτερος, is *verſu* 7, vocatur ἐπίσκοπος, ut & in loco citato. Ita ut Presbyteri recte duorum generum eſſe ſtatuantur, alii Paſtores & Doctores, qui ſermoni & doctrinæ; alii qui gubernationi, vacare debent; ut ex locis citatis patet, & iis, qui proprio nomine vocantur Presbyteri, *Act.* 14. 23. 1 *Tim.* 5. 17. & 19. De horum inſtitutione narratur, *Act.* 6. 3. Quales vero eſſe debeant, docet Paulus, *Rom.* 12. 8. 1 *Tim.* 3. 8.

VIII. *Habentne Magiſtratus iſtas leges; & quas?*

Reſp. Habent; ſed in Verbo Dei præſcriptas, *Matt.* 18. 15, 16, 17.

IX. *Annon punit Eccleſia?*

Reſp. Próprie non; nam pœna eſt aliquid damnoſum, quod infligitur propter peccatum: Eccleſiaſticæ vero admonitiones ſemper cadunt per ſe in bonum ejus, in quem animadvertunt: Deinde quia pœna proprie dicta etiam exercetur in illum, qui agit pœnitentiam, ut videmus

demus fieri à Magiſtratu politico. At Eccleſia non animadvertit in eum, de cujus pœnitentia conſtat, quandoquidem animadverſio eſt propter pœnitentiam: fruſtranea autem ſunt media, cum ad finem perventum eſt.

X. *Quomodo diſtinguitur pœna.*

Reſp. Pœna quæ eſt in vindictam, quæ proprie pœna eſt, & pœna quæ eſt ad gignendam pœnitentiam: priori non utitur Eccleſia; poſterior, qua utitur, eſt caſtigatio.

XI. *Quotuplex eſt iſta animadverſio Eccleſiæ?*

Reſp. Duplex; *verbalis*, de qua agitur, *Matth.*18. 17. & *realis*, quæ duplex eſt; *Suſpenſio*, quæ eſt mandatum vel vetitum Presbyterii, à Sacramentorum perceptione certo tempore abſtinendi, quæ ſuſpenſio vocatur *Excommunicatio minor* in Scholis: Secunda, eſt ipſa *Excommunicatio*, quæ eſt cenſura Eccleſiæ, qua aliquis gravioris alicujus ſceleris aut flagitii reus, ſine certi temporis præſcriptione à Sacramentis excluſus, fidelium communione proſcribitur, ut eum ſceleris pœniteat & conſervetur: de hac agitur, 1 Cor. 5. 5, *Ejuſmodi*, inquam, homo *tradatur Satanæ ad exitium carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit die illo Domini Ieſu.*

XII. *Annon ergo illi, qui excommunicantur, præſertim legitime, excidunt omni gratia Dei; videtur enim hoc ſequi ex iſtis Chriſti verbis:* Quorum ſolveritis peccata, erunt, *&c. Matt.*18. 15?

Reſp. Excidit quidem ab effectis quibuſdam gratiæ Dei, quibus ſe indignum reddidit, utpote quia à communione fidelium excluditur; attamen non excidit omni gratia Dei; namque retinet fidem, quia fidelis fuit, nec fides ſemel habita amittitur.

XIII. *An in Eccleſia Vet. Teſt. tales pœnæ erant?*

Reſp. Druſius & Fullerus dicunt fuiſſe tres gradus; 1 gradum vocatum fuiſſe *hedui*, qui erat ſeparatio ſecundum legem cerimonialem. 2, *heren*, quod morte afficiebatur devotus. *Catharma*, inquiunt, iſti tertio additum à Rabbinis, *Mara-natha*, Anathema. Excommunicatio noſtra reſpondet priori & ultimo; nam iſti gradus fuerant, Primus notabat ſeparationem è ſocietate humana: Tertius vero ſeparationem à vita æterna. Jam autem Excommunicatio noſtra notat ſeparationem ab Eccleſia, & minitatur mortem æternam, donec reſipiſcat excommunicatus.

XIV. *Licetne nobis alicui Maranatha, Anathema denuntiare?*

Reſp. Non licet, niſi cum conditione pœnitentiæ & fidei in Chriſtum, quia ratio ſi adhibeatur, eſt quidem denuntiatio in ſpecie minax & terrifica, ſed proprie conſiderata, eſt plena conſolationis.

XV. *At licuit aliquando Maranatha abſolute pronuntiare?*

Reſp. MARTYR in Locis Communibus reſpondet licuiſſe, ſed tum, cum Propheticus Spiritus adhuc duraret, per quem cognoſci poterat, qui finaliter impœnitentes futuri eſſent, qui non: at poſtquam hic ceſſavit, non licet amplius alicui abſolute Anathema pronuntiare.

XVI. *Quandoquidem hic agimus de regimine externo, & ponimus iſtius regiminis caput partim* Ariſtocraticum, *partim* Democraticum: *Cur ergo accuſamus Pontificios, quod illi vicarium dent Pontificem Romanum; cum Chriſtus vicario opus non habeat, nam nos ipſi in regimine externo damus Chriſto vicarios Rectores iſtos?*

Reſp. Regimen duplex; *externum*, & *internum*; ratione regiminis interni Chriſtus nullum poteſt habere vicarium, quia ad regimen hoc requiritur infinita ſapientia, infinita potentia, quæ cum nullo homine eſt communicabilis: At ratione externi regiminis, non requiritur ſapientia & potentia infinita, idcirco poteſt eſſe circa hominem.

XVII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

XVII. *At Pontificii contra proteſtantur & aiunt, inique hoc ipſis à nobis adſcribi, quandoquidem Pontificem Romanum ſolum ſtatuunt Dei vicarium in regimine externo?*

Reſp. Dicunt hoc illi quidem, ſed contrarium volunt; nam tribuunt Pontifici poteſtatem ferendi leges, quæ conſcientias obligant; atqui hæc poteſtas eſt infinita; itaque ab infinita ſapientia & potentia ſeparari non poteſt, & ratione hujus ſolus Chriſtus legislator dicitur, *Iac.* 4. 12.

XVIII. *Atqui ſatius eſt, in regimine conſtituere unum aliquem, quam multos rectores eſſe.*

Reſp. Non decet nos ſapientiores eſſe Deo, qui hoc ita ſtatuit, ut non unus ſolummodo Eccleſiæ præeſſet, ſed multi; ut à nobis oſtenſum, cum ageremus de Presbyteris.

XIX. *Cum fuerit unus ſummus Pontifex in V. T. qui erat ut caput reliquorum Sacerdotum, ita & totius Eccleſiæ; cur ergo non potuit & debuit fieri in Novo Teſtamento?*

Reſp. *Maximus* non fuit, ſed *magnus*: & ita vocabatur, non quod jurisdictionem haberet in reliquos, nam hoc ex Scriptura nunquam probabitur; ſed quia munia meliora Sacerdotii obibat, ut quod quotannis ſolus ingrederetur Sanctum Sanctorum.

XX. *Cum Monarchicum regimen ſit optimum, utpote quod diſcordiis non ita obnoxium ſit (nam plures à ſe diſcordare poſſunt) cur hoc itaque non eſt ſervandum?*

Reſp. Nequaquam Eccleſia in unum colligitur catholica, ſed in particularibus ſemper unus aliquis præeſt.

XXI. *Annon ergo inæqualitas ſtatuitur inter Miniſtros, cum dicitur unus præeſſe?*

Reſp. Non: nam prioritas iſta eſt *ordinis*, non *poteſtatis*; & eſt ambulatoria, hoc eſt, per vices ab uno ad alterum tranſit.

XXII. *Annon pertinet hoc regimen ad Magiſtratum politicum, ita ut injurii fiant in Magiſtratum politicum, qui alium Magiſtratum Eccleſiaſticum ponunt?*

Reſp. Neutiquam; nam Sacra Scriptura diſtinguit iſta.

XXIII. *At Magiſtratus eſt curare, ut Evangelium recte doceatur, Sacramenta legitime adminiſtrentur; ergo ad ipſos pertinet?*

Reſp. Omnino pertinet *indirecte*, ſed non *directe*; quemadmodum ad principem pertinet, ut ſanitas corporis conſervetur inter cives indirecte, quod facit, dum medicos curat vocari peritos: pari ratione ſe habet in iſtis, quæ jam enumerata ſunt.

XXIV. *Annon injurium eſt in Magiſtratum politicum Presbyterium, ſive poteſtas Eccleſiaſtica, quæ animadvertit in nocentes?*

Reſp. Eccleſia nihil eorum attingit, in quæ Magiſtratui jus aliquod, poteſtaſve ſit, ſed ſuis contenta finibus, reprehenſionibus ex Verbo Dei deſumptis, Sacramentis, precibus, & id genus aliis ad animam pertinentibus, vitandis atque prohibendis terminatur.

Locus XLV.
De Miniſterio.

Quæstio I.
Quid eſt Miniſterium?

Resp. Eſt officium à Deo in Eccleſia inſtitutum, Verbum Dei prædicandi, & Sacramenta adminiſtrandi, ſecundum inſtitutionem divinam.

II. *Quot ſunt partes Miniſterii?*

Reſp. Duæ, Verbi Divini prædicatio, legitima-

timaque Sacramentorum adminiſtratio, *Matt.* 18. *v.* 17: & 28. 19, 20. *Marc.* 16. 15, 16. Addi poteſt quoque, quod ſit diſciplinæ Eccleſiaſticæ exercitium.

III. *Quid ſunt Miniſtri?*

Reſp. Sunt perſonæ legitime vocatæ, quarum miniſterio utitur Deus in colligenda ac gubernanda Eccleſia.

IV. *Quid igitur reſpondendum iſtis, qui dicunt non eſſe neceſſarium hoc, ſed quemlibet ſua ſponte poſſe docere Verbum Dei, quandoquidem hoc opus bonum ſit?*

Reſp. Non eſt bonum, opus iſtud fieri ab eo, quem Deus ad hoc non deputavit & vocavit, *Num.* 16. 35. 2 *Sam.* 6. 6. Deinde etiam vocatio ſummopere eſt neceſſaria; Nemo enim ſe ipſum obtrudere debet, ſed ab alio, qui poteſt, vocetur oportet, *Heb.* 5. 4. Ideo Paulus inquit, *Rom.* 10. 14, Dominus ipſe à ſe non miſſos averſatur, *Ier.* 23. 2. Ideo Paulus ſemper vocationem ſuam allegat in Epiſtolis, ut inter alias, *Rom.* 1. 1. Interim privatim poſſe alterum alterum docere, non imus inficias; verum hic non agitur de privata, ſed publica vocatione.

V. *Quotuplex eſt iſta vocatio?*

Reſp. Duplex; *mediata*, quæ fit per Eccleſiam; vel *immediata*, quæ fit immediate à Deo: idque vel voce *externa*, ut Paulus, *Act.* 9. & Moſes, *Exod.* 3. Vel *interna*, cujus exempla vide, 2 *Chron.* 20. *v.* 14. Poſteriores hæ duæ vocationes non ſunt amplius in Eccleſia, ſed fuerunt proprie Veteris Teſtamenti, & Novi Teſtamenti ſub initium.

VI. *Quomodo diſtinguuntur Miniſtri?*

Reſp. In Veteris & Novi Teſtamenti.

VII. *Quomodo diſtinguuntur V. Teſtamenti Miniſtri?*

Reſp. In Patriarchas, Sacerdotes, Levitas, Prophetas; quorum tres priores, perpetui atque ordinarii fuerunt: poſteriores autem, temporarii & extraordinarii.

VIII. *Quid fuerunt Patriarchæ?*

Reſp. Fuerunt viri Dei & miniſtri, quorum opera Deus uſus eſt in Eccleſia (ſeu, ut alii volunt, familia) docenda & gubernanda.

IX. *Vnde iſti doctrinam hauriebant?*

Reſp. Partim à Deo immediate per viſiones & apparitiones nocturnas diurnaſque, ut & ſomnia, *Gen.* 8. *v.* 16: & 12. 7. partim à parentibus, nam unus docebat alterum, imo & multas generationes; hinc Deus longævam vitam ipſis conceſſit.

X. *An primogeniti Patriarcharum ſemper ſuccedebant parentibus in officiis Miniſterii?*

Reſp. Statuunt hoc aliqui Scholaſtici: ſed inepte & ſine ratione; nam Jacobus erat minor Eſaü, qui ſuccedebat patri in hoc munere; & Levi erat minor Rubene & Simeone, *Gen.* 29. Et tamen Levi omnibus prælatus in hoc munere.

XI. *Quid erant Sacerdotes?*

Reſp. Sacerdotes duplicis generis in Vet. Teſtamento recenſentur, vel eſt *Melchiſedechicus*, vel *Aaronicus*: Melchiſedech deſcribitur, *Gen.* 14. 18. *Heb.* 7. 1, 2, 3. Cui & decimas impertitus eſt Abraham ex omnibus: Qui primum ex interpretatione dicitur *Rex juſtitiæ*: Deinde etiam *Salem Rex*, quod eſt Rex pacis ſine patre, ſine matre &c. *Aaronicus* deſcribitur, *Heb.* 5. 12.

XII. *Quid erant Levitæ?*

Reſp. Inferiores Sacerdotes, è Levi, Jacobi & Leæ filio, oriundi & denominati, quorum alii in tabernaculo ac demum in templo aqua purificationis purificati, *Num.* 18. 1, cultui divino ſacerdotibuſque ſacrificantibus inſerviebant; non autem ipſi ſacrificabant, *Num.* 18. *verſ.* 6. Alii vero per varias regiones diſperſi, partim ſacra in ſynagogis, partim civilia in portis cum ſenioribus tractabant, *Ezech.* 44. *verſ.* 11.

XIII. *Quid erant Prophetæ?*

Reſp.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Reſp. Erant perſonæ extraordinariæ & immediate vocatæ, quas Deus tum ſubmittebat, quando Sacerdotes una cum plebe corrumperentur, ut per illos cultus Dei reſtauraretur; ut videre licet in Elia, Eliſæo, Samuele & aliis.

XIV. *Quid differebant Prophetæ à Sacerdotibus?*

Reſp. 1. Sacerdotes ſemper erant ex tribu Levitica; Prophetæ, etiam ex aliis. 2. Sacerdotum non tantum erat orare & docere, ſed ſacra adminiſtrare, id eſt, ſacrificare: Prophetæ non item. 3. Sacerdotes tantum ſucceſſione eligebantur, obtinebantque ordinarium miniſterium: Prophetas vero Deus pro arbitratu ſuo extraordinaria ratione mittebat, & nulla, ne quidem ſexus habita ratione, ſuo Spiritu afflabat, *Iudic.*4. 4. 2 *Reg.*2. 15. 4. Sacerdotes errare poterant, ut Aaron: Prophetæ autem veri, Spiritu Dei acti, qua Prophetæ, errare non poterant. *Obj.* Adverſus rationem ſecundam, ex 1 *Reg.*18. 31. Ubi dicitur Elias ſacrificaſſe etiam extra locum à Deo electum. *Reſp.* Fuiſſe hoc extraordinarium, quia privato Spiritu Dei agebatur contra Legem in communi poſitam.

XV. *Anne Prophetæ ſemper erant ex tribu Levi, qui ſacrificabant, ut Samuel, Elias?*

Reſp. Nequaquam; erant enim extraordinariæ perſonæ, quibus hoc licebat per vocationem ſuam, quamvis ex tribu Sacerdotum non fuerint; ita Samuel erat ex tribu Ephraïm, 1 *Sam.*1. Elias ex tribu Gilead, 1 *Reg.*17. 1.

XVI. *Quinam ſunt Miniſtri Novi Teſtamenti?*

Reſp. Illi diſtinguuntur vel in eos, qui ad tempus debebant durare, vel quorum munus perpetuum futurum erat in Eccleſia. Priores, ſunt Apoſtoli & Evangeliſtæ. Vel, ut alii docent, miniſtrantes ſunt & docentes: vel in temporarios & perpetuos, 1 *Pet.*4. 11.

XVII. *Quid erant Apoſtoli?*

Reſp. Erant perſonæ immediate à Chriſto vocatæ, *Matt.*10. 6, 7. inque orbem univerſum miſſæ, ut regnum Dei ubique Evangelii prædicatione conſtituerent, *Matt.*28. *Marc.* 16. 1. Erant præcones Evangelii univerſales, qui miraculis pollebant, & in doctrina non errabant.

XVIII. *Quid vero erant Evangeliſtæ?*

Reſp. Erant perſonæ, quæ comitabantur Apoſtolos, quæque aſſumtæ vices eorum gerebant in Evangelio prædicando, 2 *Tim.*4. 5. & Eccleſiis conſtituendis, *Tit.* 1. *v.*5. quales fuerunt Lucas, 2 *Tim.* 4. *v.* 11. Timotheus, *Act.*16. 3. Titus, 2 *Cor.*8. 23.

XIX. *Quinam ſunt perpetui Miniſtri?*

Reſp. Doctores, & Paſtores.

XX. *Quid eſt Doctor?*

Reſp. Eſt perſona, quæ in Sacra Scriptura ſimpliciter explicanda & docenda ſemper verſatur. Hinc doctores ab exhortatoribus diſtinguuntur, *Rom.*12. 7, 8.

XXI. *Quid eſt Paſtor?*

Reſp. Eſt perſona divinitus vocata, ad hoc ut Verbum Dei publice doceat, Sacramentum adminiſtret, & Eccleſiam gubernet.

XXII. *Licetne ambire Miniſterium?*

Reſp. Videtur hoc Spiritus Sanctus innuere, 1 *Tim.* 3. 1. Interim multi non intelligunt, quid hoc ſit; nam male hoc transferunt ad ambitum & petitionem Miniſterii: Petere alioquin licet ei, cui contingit donum, ut patet, 1 *Cor.*14. 1. 1 *Tim.*3. 1. 2. Licet & non licet; Licet, ſi ambitus iſte proficiſcatur ex ſtudio & zelo Eccleſiam ædificandi, & Deum glorificandi: Non licet, ſi proficiſcatur ex privato honore & commodo, quod ſecum adfert, hoc eſt quæſtui habere pietatem, 1 *Tim.* 6. *verſ.* 5.

XXIII. *Quid ergo Verbum iſtud* ὀρέγεσθαι *ſignificat?*

Reſp. Sanctum quemdam amorem & zelum gloriæ

gloriæ Dei illuſtrandæ & Eccleſiæ ædificandæ, qui cupiat aliquando Deo & Eccleſiæ inſervire, qui hoc meditetur quotidie & cogitet, ad hoc ſe paret & exerceat, & in eo omnes ſuas curas & cogitationes conſumat, qui Dei vocem & Eccleſiæ auctoritatem expectet, neque tempus vocationis ſuæ immaturo quodam & præcipiti ardore; ac propterea quadam ambitioſa cupiditate antevertat.

XXIV. *Quid eſt electio Miniſtri?*

Reſp. Eſt deſignatio viri idonei, ad munus hoc ipſum in Eccleſia gerendum, per ſenatum, reliqua tota Eccleſia approbante, *Act.*1. *v.*15: & 6. 6. unde etiam fiebat per χειροθεσίαν, ſive manuum impoſitionem, *Act.*14. 23.

XXV. *Quales vero debent eligi?*

Reſp. Tales, quorum & mores ſunt probi, & doctrina non vulgaris. De moribus vide, 1 *Tim.*3. 1, 2, 3. De Doctrina, 2 *Tim.*2. 15. *Tit.* 1. 9. Viri non mulieres, 1 *Tim.* 2. *v.*12. Mulieres debent tacere in conventibus, 1 *Cor.* 14. *v.*34.

XXVI. *Quid eſt ordinatio Miniſtri?*

Reſp. Eſt electi jam ad munus ſuum inauguratio, quæ fit ab aliquo ex Paſtoribus nomine totius Presbyterii per χειροθεσίαν, ſeu manuum impoſitionem, 1 *Tim.*5. 22.

XXVII. *Anne Miniſtri debent ordinari, qui nondum vocationem certam habent; quod in hiſce Eccleſiis fit?*

Reſp. Ordinationem præcedit electio, & nunquam ab Apoſtolis ordinabantur, niſi jam certa loca haberent, *Act.*14. 23. *Tit.*1. 5.

XXVIII. *Quid ſibi vult impoſitio manuum, cujus mentionem facit S. Scriptura?*

Reſp. Duæ cerimoniæ ſolent adhiberi in ordinatione, preces, & manuum impoſitio: de precibus aperte narrat Lucas, cum Paulus & Barnabas ad opus Domini ſeparari juberentur à Spiritu Sancto, *Act.* 13. 3. Altera vero cerimonia erat manuum impoſitio ſuper caput electi inter precandum; & ſic erat tanquam adjunctum precationum, hac ratione adhibita ut electum coram Deo ſiſtendo, & illi tanquam offerendo, preces Eccleſiæ ardentius & vehementius inflammarentur: patet hoc ut multis locis, ita, *Matt.* 19; ubi Matthæus narrat, pueros ad Chriſtum adductos, ut ipſis manum imponeret & precaretur: ita & *Act.*16. 6.

XXIX. *Anne impoſitio pertinet ad aliquem, an ad totum Presbyterium?*

Reſp. Ad totum Presbyterium: Sic viris illis ſeptem, quos primos Diaconos appellamus, non unus ex Apoſtolis, ſed Apoſtoli manus impoſuerunt, *Act.*6. 6. idem exemplum in Paulo & Barnaba, *Act.*13. 3. idem in Timotheo patet, 1 *Tim.*4. 14.

XXX. *Quomodo accipiendus iſte locus,* 2 Tim. 1. 6, *ubi dicitur, quod Timotheo Paulus manus impoſuerit?*

Reſp. Non intelligendum hoc *excluſive*, ſed *incluſive*; ut patet, 1 *Tim.*4. 14.

XXXI. *Suntne Miniſtro ſtipendia præbenda?*

Reſp. Utique; 1 *Cor.*9. 13, 14. Ita etiam conſtituit Deus iis, qui Evangelium annuntiant, ut ex Evangelio vivant, *Matt.* 10. 10. *Gal.*6. 6. 1 *Tim.* 5. 18. *Obj.* Atqui ſi hoc ita, quomodo ergo Paulus dicit, ut alibi, ita & *Act.*20. 23, 24? *Reſp.* Paulus potuit petere ſtipendium, ſi voluiſſet, ut ſe ipſum explicat, 1 *Cor.*9. 11, 12, 13, 14, 15.

XXXII. *Anne ille qui miniſterium Verbi Divini agit, poteſt agere medium?*

Reſp. Nequaquam; ut patet, 2 *Tim.*2. 4.

XXXIII. *Anne Epiſcopus differt à Miniſtro, ut volunt Pontificii, Lutherani, & quidam Anglicani, quos Epiſcopales vocant?*

Reſp. Nequaquam; *Act.*20. & confer verſum 17, cum 28. & 1 Tim. 3. 12, *Certus eſt hic ſermo.* & ad *Tit.*1. 5, 6, 7.

XXXIV.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

XXXIV. *Quis eſt finis Miniſtri?*

Reſp. 1. Gloria Dei; vult enim Deus non tantum privatim, ſed etiam publice invocari, *Pſal.* 68. 27. 2. Salus credentium, *Eph.* 4. 4. *Ioan.* 17. *v.* 3, 20, 23. 3. Ut alios ſuo exemplo ad pietatem & celebrationem Dei provocent, *Pſal.* 22. *verſ.* 23.

Locus XLVI.

De Eccleſia Particulari, & oppoſito ejus Schiſmate.

Quæstio I.

Quid eſt Eccleſia Particularis?

Resp. Eſt cœtus in aliquo loco particulari congregatus, hoc eſt, in oppido vel pago.

II. *Poteſtne hæc Eccleſia deficere?*

Reſp. Affirm. & oſtenditur exemplo Eccleſiarum, ad quas Spiritus Sanctus in Apoc. ſcribit, quarum ne quidem veſtigium apparet.

III. *Si poteſt deficere, anne fideles poſſunt deficere?*

Reſp. Theologi docent, Eccleſiam particularem ex duplici cauſa deficere poſſe. 1. Si migret ex uno loco in alterum; ita verbi gratia, defecit in Ægypto Eccleſia, poſtquam Iſraëlitæ ex Ægypto migraſſent. 2. Cum per mortem evocantur fideles; de qua re vide, *Iudic.* 2. *v.* 7, 8, 9, 10, 11.

IV. *Anne eſt contradictio, cum dico,* Eccleſia Catholica Romana?

Reſp. Certe eſt; nam Romana, ut ex definitione Eccleſiæ patet, particularis eſt: dicere autem Eccleſiam particularem eſſe Catholicam, contradictio eſt.

V. *Anne quælibet particularis Eccleſia (ut Anabaptiſtæ volunt) debet deponere in communi omnia; ſive an debeat eſſe communio bonorum inter membra ejus?*

Reſp. Ineptum hoc eſt, ut ſint communia. Quia ſunt divites & pauperes, propterea mandat Spiritus Sanctus, ut ſint benefici, 1 *Tim.* 6. *v.* 18.

VI. *Quomodo ergo reſpondendum ad locum illum,* Act. 4. 32, *quem torquent?*

Reſp. Calvinus optime reſpondet ad hunc locum, eſſe formulam loquendi omnibus linguis communem, ut cum de homine liberali loquimur, eum nihil ſibi proprium habere dicamus, quia ſemper manus ejus apertæ ſunt, ad largiendum iis, qui inopia laborant. 2. Id conſtat etiam inde, quod non omnia vendiderint hi tales; & ex eo, 1. Quia Tabitha liberaliſſima femina fuerit, *Act.* 9. quomodo autem potuiſſet eſſe liberalis, ſi non habuiſſet proprias facultates? 2. Apparet, ex *Act.* 10. 9; quod Simoni coriario fuerit propria domus. 3. Ex *Act.* 12. ubi Petrus venit ad ædes Mariæ matris Joannis, *verſu* 12. patet hoc idem ex *Act.* 16. 15.

VII. *Eſtne aliqua* Triumphans *Eccleſia?*

Reſp. Utique; ut ex plurimis locis probari poteſt, ut *Col.* 1. 20.

VIII. *Anne ſemper fuit Eccleſia triumphans, etiam in V. Teſtamento?*

Reſp. Utique; ut patet, *Matth.* 8. 11.

IX. *Quid ergo de Limbo Patrum fiet, qui videtur ſtabiliri multis argumentis; nam primo Chriſtus dicit, neminem aſcendiſſe, niſi qui deſcendit,* Joan. 3. v. 13. *Secundo quia dicitur,* Heb. 11. 10, *Illos abſque nobis non eſſe conſummatos?*

Reſp. Quod ad primum attinet, neminem aſcendiſſe, niſi vi meriti Chriſti; Chriſtum autem propria vi. Quod ad ſecundum, non eſſe abſque nobis conſummatos, quia promiſſio de Meſſia exhibendo, non erat ipſis exhibita, ſed nobis.

X. *Quid vero reſpondes ad illud Argumentum, quod illi palmarium dicunt, ex*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Gen.17. v. 35, *pro Limbo; nam Iacob dixit ſe deſcenſurum ad filium in* Scheol: *per* Scheol *autem dicunt illi intelligi non poſſe ſepulcrum, quia Iacob non putabat eſſe, in ſepulcro, ſed devoratum à beſtia; Ergo locum alium à Cælo notat, quis autem locus iſte alius eſſe poteſt, niſi Limbus Patrum?*

Reſp. Illam particulam Hebræam (אל) ſæpe verti debere per *propterea*, 1 *Sam.*1. *v.*25. 2 *Sam.*21.21.

XI. *Vbi ergo fuerunt iſti pii, qui ante Chriſtum poſtea revocabantur ad vitam, qualis feminæ iſtius filius, de quo,* 2 Reg. 4, *Eliſæus excitavit. & Lazarus à Chriſto ſuſcitatus*, Joan.11?

Reſp. Omnes illos fuiſſe in Cælis.

XII. *Annon durum dici videtur, illos vocari ab æterna felicitate, ad illas ærumnas?*

Reſp. Æque hoc non eſt durum, quam hominem, à Deo ſanctum creatum, permittere in lapſum; propterea & nobis non fingendum abſurdum, quod Scriptura abſurdum non putat: nam multa rationi noſtræ abſurda ſunt, quæ tamen fidei abſurda non ſunt, ut quæ ex Scriptura clare deducuntur; & hinc fit, quod Theologi diſtinguant abſurdum, & dicant, aliud *rationis* abſurdum, aliud *fidei*; & jubent vitare abſurda fidei, non rationis.

XIII. *Anne Sancti Dei homines tranſlati ab hac vita, orent pro nobis?*

Reſp. Duplex eſt ſententia Theologorum de hac re: Alii ſtatuunt, ut Paræus & Tigurini, illos non orare pro nobis, neque in communi, neque in particulari, & hoc ſtabiliunt hac ratione, quia nihil (inquiunt) hac de re in Scriptura eſt: Alii autem negant, illos orare in particulari; eo quod non norint nos, *Eſai.*63. *v.*16. *Eccleſ.*9. *v.*5. Orare tamen in communi pro Eccleſia, quam ſciunt futuram uſque ad conſummationem ſeculi; probantes hoc ex eo, quia caritas in ipſis eſt perfectiſſima, 1 *Cor.*13.

XIV. *Quid ergo reſpondendum Pontificiis ad hoc, quod dicunt, Sanctos Dei homines evocatos ex hac vita ad æternam beatitudinem; videre in Deo, tanquam in ſpeculo, omnia, atque adeo omnes perſonas ſingulares noſſe?*

Reſp. Becanus Jeſuita ridet hoc argumentum, & refutat hac ratione; ſi (inquit) vident in Deo omnia, ergo Angeli & Chriſtus, qua homo, poterunt ſcire, quando futurum ſit judicium; quod tamen Scriptura negat, *Marc.* 13. *v.* 32.

XV. *Quid ergo reſpondes Adverſariis ad argumenta, quæ pro hac re non contemnenda ferunt.* 1. *ex* Apoc.5. 8. 2. *ex* Apoc. 8. 3?

Reſp. Ad primum, Sancti iſti aut ipſi intelligendi, ita ut hæ preces ſint ipſorum; aut alii, ſicut Pontificii volunt: at non alii, ita ut ſermones aliorum efferantur, hoc enim non poteſt eſſe; ratio 1 eſt, quia Sancti qui in Cælis ſunt, non norunt nos. 2. Quia preces ſi offerant, non tantum verba offerre, ſed etiam noſſe, an illa verba ex vera fide proficiſcantur, quod ſolius Dei proprium eſt, qui ſolus novit corda hominum, *Ier.* 17. 10. Ad ſecundum reſpondeo, Angelum iſtum eſſe Chriſtum; nam Angelus ille eſt Sacerdos: nullus autem Angelus eſt Sacerdos, niſi Angelus fœderis, qui eſt Chriſtus; Præterea tribuitur huic Angelo, quod ignem jecerit in terram; quod tamen Chriſtus ſibi tribuit, *Luc.*12. 49.

XVI. *Qualis ergo ipſis debetur, ſi à nobis Sancti demortui non ſunt invocandi, cultus?*

Reſp. Civilis, qui ipſis exhibetur, dum ipſorum ſanctam vitam imitamur, ipſorumque fidem, pietatem, donaque quibus excelluerunt, agnoſcimus & celebramus. Hinc illud Auguſtini: Honorandi (inquit) ſunt propter imitationem, non propter adorationem. Hæc veneratio Sanctis debetur, quam nos nec vivis, nec

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

nec mortuis detrahimus, juxta illud Apoſtoli præceptum, *memores eſtote ducum veſtrorum*, Heb. 13. v. 7.

XVII. *Quid ergo reſpondendum Pontificiis, qui dicunt, illos jam non eſſe concives noſtros, ac proinde civili adoratione non eſſe adorandos?*

Reſp. Negat hoc Spirit. Sanctus, quod non ſint noſtri concives, *Eph.* 2. 19.

XVIII. *Quid eſt Schiſma?*

Reſp. Eſt ſeceſſio in religionis negotio, vel temeraria, vel injuſta, 1 *Ioan.* 2. 19.

XIX. *Quotuplex eſt Schiſma?*

Reſp. Duplex; *negativum*, & *poſitivum*.

XX. *Quid eſt negativum?*

Reſp. Eſt ſeceſſio ab aliquo cœtu.

XXI. *Quid eſt poſitivum?*

Reſp. Poſtquam ſeceſſiſti, conſtituere cœtum alium ſeorſim.

XXII. *Quæ ſunt juſtæ cauſæ legitimi Schiſmatis?*

Reſp. Tres. 1. Perſecutio intolerabilis. 2. Hæreſes, ſi ſcilicet hæreſi infectus eſt cœtus, à quo facis ſeparationem. 3. Idololatria. Addunt etiam aliqui, 4, quod tamen ſpeciale eſt, & tantum ad Pontificios pertinet, nimirum, Cum Antichriſtus eſt cognitus. Jam vero liquet, juſtam nos feciſſe ſeparationem ab Eccleſiis Pontificiis, cujus mandatum habemus, *Ierem.* 51. *verſ.* 9.

XXIII. *Quid vero reſpondes Adverſariis contra hoc Argumentum; (inquiunt) Zacharias, Simon, Maria, tempore Chriſti conſtituebant Eccleſiam, & conſtat, illos communicaſſe cum Iudæis in templo, ergo vel male faciebant iſti, communicando cum Iudæis; vel male faciunt Lutherani, non communicando nobiſcum?*

Reſp. Plane diſpar ratio fuit Eccleſiæ Judaïcæ & tyrannidis Pontificiæ; nam in Eccleſia Judaïca fuit aliquid typi, cum quo oportuit ſtare, quamdiu res ipſa, hoc eſt, Chriſtus, non fuit exhibita; At non eadem ratio Eccleſiæ Papalis, in qua nihil typicum eſt.

XXIV. *Quid vero reſpondes ad Dilemma illud Pontificiorum, ſic enim nos urgent: Aut qui delituerunt ante hæc tempora, pii fuerunt, aut impii: ſi pii, ſeceſſio non fuit neceſſaria, alioquin ſi neceſſaria fuiſſet, ſeceſſiſſent; ſi vero impii fuerunt, ergo tum nulla fuit Eccleſia. Nunquam autem tam calamitoſa tempora fuerunt, ut Deus nullam in terris habuerit Eccleſiam?*

Reſp. Non eſt eadem temporum ratio; nam quamdiu durant captivitatis tempora, licet eſſe captivum; at poſtquam illuxit dies, quo omnes ad libertatem vocantur, ſi quis malit deliteſcere inter captivos, quam erectus incedere inter liberos, certe jam non amplius captivus, ſed ſervus eſt: Sic licuit Iſraëlitis aliquando vivere in Ægypto, & quidem in ſumma ſervitute, & in Babylone etiam; ſed poſtquam venit dies Domini, poſtquam vox audita, *egredere ex Babylone, ex Ægypto*, jam non amplius integra & libera eſt optio. Pari ratione de illis, qui in Eccleſia Romana aliquando vivebant, intelligendum eſt; nam poſtquam audita eſt vox Dei, *Apoc.* 18. 4, tum non amplius liberum erat piis manere in Eccleſia Romana.

Locus XLVII.

De Magiſtratu politico.

Quæstio I.

Quid eſt Magiſtratus?

Resp. Eſt miniſter Dei nobis ad bonum, vindex ad defendenda recte facta, & punienda delicta gladio, id eſt, pœnis corporalibus, *Rom.* 13. 4.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

II. *Licetne homini fideli gerere Magiſtratum?*

Reſp. Licet certe; ut patet in Moyſe, Joſua, Judicibus, Davide, Salomone, Hiskia, Joſaphato, & aliis quam-plurimis.

III. *At iſta ſunt V. Teſtamenti.*

Reſp. Ita eſt; ſed etiam N. Teſt. quia expreſſe Sp. Sanctus, *Rom.*13, dicit, Magiſtratum eſſe ordinationem divinam, *verſ.* 2. *Judæ verſ.* 4.

IV. *Licetne exercere lites coram Magiſtratu Politico?*

Reſp. Utique; quemadmodum hoc præſcribitur, *Rom.*13. 3, 4.

V. *Quomodo ergo accipiendum illud Pauli*, 1 Cor. 8. 7, *Iam igitur omnino defectus* &c?

Reſp. Spiritus Sanctus reſpondet iis, qui levi de cauſa coram judice infideli litigabant; ſunt enim injuriæ quædam leves, & quæ ſine ullo damno vocationis, ad quam nos Deus vocavit, tolerari queunt, cujus generis injuriæ, patientia potius quam contentione vincuntur; verum ſi injuria ejuſmodi eſt, quæ, non jam dico ſine damno noſtro, ſed ſine eorum damno, qui nobis proximi ſunt, ut liberorum, tolerari non poteſt, litem intentare licet, ne malum augeatur & creſcat, remedio hoc neglecto.

VI. *Anne aliquid præcipit Scriptura de modo proſequendi tales?*

Reſp. Utique; nam non vult, ut odio aut indignatione cauſam agamus, ſed juſta & neceſſaria tui tuorumque cura, ad quam ſubeundam te Deus vocavit, incitat, hoc agamus.

VII. *Anne licet ſupplicio capitali afficere ſontes?*

Reſp. Utique; ut patet, *Rom.*13. 4. & in ſpecie, *Matth.*25. 52.

VIII. *Quid vero reſpondes Adverſariis ad hunc locum ultimum Matthæi, ubi dicunt, non agi de officio Magiſtratus, ſed de eventu, quod hic ſcilicet eventus conſequi ſoleat juſto Dei judicio, ut qui alios interficit, idem ab aliis iterum interficiatur?*

Reſp. Imo vero de officio judicis hic agitur, ut patet, ex *Apoc.*13. *v.*10, loco æquipollenti: Particula enim (δεῖ, *oportet*) tria tantum ſignificata obtinet. 1. Significat *neceſſe eſt*, & refertur ad *eventum*. 2. Idem quod *oportet* ſcilicet facere, & refertur ad *officium agentis*. 3. Idem quod *opus eſt*, & refertur ad *indigentiam adminiculi*: Atqui hoc loco non refertur ad eventum, quia non omnis homicida ab alio interficitur: nec refertur ad indigentiam, nam hic ſenſus nullus eſſet. Ergo refertur ad officium, & ita notat officium judicis.

IX. *Licetne Magiſtratui bellum gerere?*

Reſp. Utique. 1. Quia licuit Abrahamo, Davidi, Joſaphato & aliis piis regibus. 2. Patet hoc, *Luc.*3. *v.*14. Ubi Joannes Baptiſta non vult, ut milites militiæ renuntient, quod tamen facturus fuiſſet, ſi militia eſſet illicita; ſed tantum jubet, eos contentos eſſe ſtipendiis ſuis.

X. *Vtrumne Magiſtratus poteſt ferre Leges, quæ conſcientiam obligant?*

Reſp. Nequaquam; ſed hoc ſolius Dei eſt, ut videre licet, *Jacob.*4. 12. Et hinc fit, quod ſi Magiſtratus impia jubeat, ut ipſi non pareatur, *Act.*4. 19.

XI. *Si Magiſtratus degenerent in Tyrannum, anne ſubditi ſe illi opponere debent?*

Reſp. Subditi, qui ita ſunt ſubditi, ut Magiſtratus inferior; alioqui ſubditis ſimpliciter non licet, 2 *Reg.*11.

XII. *Quomodo explicas illum locum*, 1 Sam. 8. 11, *ubi dicitur*, Hoc erit jus regis, accipiet filios veſtros & filias veſtras?

Reſp.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Reſp. Martyr reſpondet diſtinguendo inter jus *legitimum*, & *uſurpatum*; & ait, hic Scripturam de jure *uſurpato* agere. 2. Vox hæc Hebræa non tantum accipitur pro *jure*, ſed etiam pro *conſuetudine*, ita ut ſit vertendum, *hæc erit conſuetudo* vel *ratio*.

Locus XLVIII.
De Conjugio.

Quæstio I.
Quid eſt Conjugium?

Resp. Eſt unius maris ac unius feminæ ex legitimo conſenſu individua conjunctio, ad Dei gloriam, & conjugatorum bonum inſtituta.

II. *Vtrumne ſponſalia clandeſtina, abſque conſenſu parentum facta, in quorum poteſtate ſunt liberi, cenſenda ſint irrita?*

Reſp. Utique. 1. Quia liberi ſunt in poteſtate parentum, & inter fortunas ſeu bona parentum numerantur, *Iob.* 1. 12, 18. Et cum ſervi non poſſint ſe invitis dominis emancipare, ſequitur, liberos, quorum arctior eſt cum parentibus obligatio, quippe quæ præcipua & meliora bona ſunt parentum, invitis iis, ſe eximere à patria poteſtate non poſſe. 2. Exempla quoque Sanctorum teſtantur, ſponſalia legitima non poſſe contrahi ſine parentum, aut eorum, in quorum poteſtate ſunt, conſenſu, *Gen.*24. 27, 28.

III. *Anne liberi iis, in quorum poteſtate ſunt, coguntur conſentire?*

Reſp. Minime; quia liber debet eſſe conſenſus parentum non tantum, ſed etiam liberorum; attamen, quæ debetur parentibus ac tutoribus, reverentia poſtulat, ut ſine graviſſimis cauſis ab eorum voluntate non decedatur.

IV. *Suntne rata conjugia fidelis cum infideli?*

Reſp. Rata quidem; hac tamen diſtinctione, ſi ſcilicet fidelis cum infideli habitare conſentiat, idque propter cauſas. 1. Quia Sacræ Literæ id ſuadent & jubent, 1 *Cor.* 7. 13, 14. 2. Quia tale conjugium coram Deo cenſetur legitimum, & liberi nati ex altero parente fideli, pro fidelibus & ſanctis reputantur, 1 *Cor.* 7. 14. 3. Poteſt eſſe occaſio lucrifaciendi infidelem Deo, opera fidelis, 1 *Cor.*7. 16. 1 *Pet.* 3. *verſ.* 1.

V. *Vtrumne impuberum ſponſalia ſunt legitima cenſenda?*

Reſp. Nequaquam; quoniam in iis, utpote judicio nondum valentibus, plenus & integer conſenſus eſſe non poteſt; niſi ubi forte liberi ad annos diſcretionis pervenerint, parentum ſuorum ſuffragia rata eſſe voluerint.

VI. *Vtrumne ſponſalia ob morbos contagioſos, ut lepra, & ſimiles, diſſolvi poſſunt?*

Reſp. In hoc caſu diligenter eſt obſervandum, utrum morbum illum habuerit ante ſponſalia, vel poſt illa illum conſecutus ſit: ſi prius, quoniam præſupponitur malevolentia & nocendi ſtudium adverſus innocentem, ſtatim reſcindi poſſunt & debent: Sin vero poſt inita ſponſalia, tum de hoc controvertunt Theologi. Bucerus in opere Anglico contendit, diſſolvi poſſe, eo quod matrimonium initur, ut alter conjux alterius corpore fruatur; ubi ergo hic finis eſſe non poteſt, ibi reſcindi debet matrimonium: At Beza contrarium urget in ſuis epiſtolis, non licere, niſi propter adulterium, diſſolvere matrimonia; & tales, quibus hæc talia obveniunt, dicit vocari divinitus ad continentiam.

VII. *An nudis ſponſalibus contrahitur affinitas, ſeu an defuncta mea, cui eram deſponſatus, liceat mihi conjugio conjungi cum ejus ſorore aut matre?*

Reſp. Theologi reſpondent, ex jure quidem licet, at propter honeſtatem ſervandam præſtat ab ejuſmodi conjugio abſtinere; multa quidem licent, ſed non omnia expediunt, 1 *Cor.* 6. 12: & 10. 23. Præterea eſt vitanda ſuſpicio, quomodo enim certos poſſum reddere homines, mecum non commiſcuiſſe corpus?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

VIII. *An, ſi quis habens uxorem, conſueſcat cum altera, quæ itidem habet maritum; aut ſi ſaltem alterutra ſit maritata; utrumne, inquam, mortua uxore, & mortuo marito, licet ducere eam, cum qua adulterium commiſit?*

Reſp. Negat Hemmingius, quia dicit, eſſe continuare adulterium, ſed Scriptura eſt in contrarium; exempli gratia, in Davide, qui duxit uxorem Uriæ poſt mortem ejus, & prius tamen adulterio cognovit.

IX. *An ſi quis poſt ſponſalia eunuchus & ſpado reperiatur, propterea irrita ſiant ſponſalia?*

Reſp. Eunuchorum & ſpadonum plura ſunt genera; Alii enim arte, alii veneficio facti ſunt tales: Primum genus ſpadonum, quibus generationis organa vel penitus, vel quoad conjugii finem, ſunt reſecta, ad matrimonium minime admitti debent: ſecus ſe res habet cum iis, qui vel medicamentis, vel veneficio facti ſunt ſpadones; illi enim tractu temporis corrigi poſſunt: nam qui aliquam impotentiam vel ex frigiditate vel alio quodam morbo attraxerunt, illi opera medicorum reſtitui poſſunt; ſimiliter & qui veneficiis evirati ſunt, illis divina ope ſuccurri poteſt.

X. *Vtrumne mulieri, volenti ſpadoni nubere aut eunucho, permitti debeat?*

Reſp. Nequaquam: Nam conjugia non debent admitti inter eos, qui ad ſocietatem conjugalem inhabiles ſunt; id enim in Lege Dei vetitum, *Deut.* 23. 1.

XI. *An ſponſalia clandeſtina, quæ chirographo contracta, licita ſint & authentica?*

Reſp. Diſtinguendum eſſe; aut enim perſonæ ſunt in poteſtate parentum, & ea licita non ſunt, ut antea oſtendimus; aut ſunt perſonæ emancipatæ è poteſtate paterna, tum utique licita ſunt; nam conſenſus utriuſque partis facit matrimonium.

XII. *An ſponſus & ſponſa à Magiſtratu politico recte puniantur, ſi ante peracta ſponſalia in Veneris amplexus ruant?*

Reſp. Utique; nam Leges tum ubique violantur: ſponſalia enim promiſſiones ſunt de connubio futuro, non vero ipſum connubium futurum.

XIII. *Si quis clandeſtine virginem ſibi deſponſatam vitiaverit, & poſtea publica cum alia ſponſalia celebret, utram harum in matrimonium ducere teneatur?*

Reſp. Utrique facta eſt magna injuria, ſed alteri major; nam clam deſponſatæ maxima eſt facta injuria & contumelia, verba ipſi data & pudicitia erepta: Alteram ſefellit, dum promiſſionem de futuro conjugio præſtare non poteſt; priorem igitur cui & fidem fecit de matrimonio & florem virginitatis decerpſit, ſubſequente conjugio in integrum, in quantum fieri poteſt, reſtituere debet.

XIV. *Eſtne licita Polygamia?*

Reſp. Nequaquam. 1. Quia prohibenr eam Sacræ Literæ, *Gen.* 2. 24. *Matth.* 19. *v.* 5, 6. 2. Quia vir non habet in poteſtate corpus ſuum, ſed mulier; & contra: ut eſt 1 *Cor.* 7. 4. Quocirca quod in ſua poteſtate non habent conjuges, id aliis permitere non poſſunt.

XV. *Anne conjugia, abſque parentum conſenſu inita, etiamſi copula intervenerit, irrita eſſe debent?*

Reſp. Diſtinguunt Theologi inter connubia, quatenus ſunt *ex ſe* & *ex eventu*; *Ex ſe* ſunt talia, quæ illegitima ſunt cenſenda, quippe quorum forma non eſt debita, parentum conſenſu deficiente; attamen propter majus aliquod incommodum declinandum, non protinus dirimenda ſunt ejuſmodi conjugia, ut illegitima, ſed rogandi ſunt parentes, ut, conſenſu facto, rem alioquin non recte factam confirment: *Ex eventu*, quando ſcilicet talis impрægnata, tum vero etiam licebit parenti divortium facere.

XVI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

XVI. *Quid vero reſpondes ad* Obj. *aliqui enim negant hoc poſſe fieri, quia matrimonium non poteſt diſſolvi, niſi ob adulterium*, Matt. 5. 32. *Ergo non poſſunt etiam parentes ſolvere matrimonium, ſi copula intervenerit?*

Reſp. Etſi conjugium legitime contractum non diſſolvatur, niſi adulterio; attamen conjugium illegitime contractum, quod quaſi nullum habetur, & nomine tantum eſt conjugium, diſſolvitur & extra caſum adulterii; imo diſſolutum eſt, quia nunquam recte ligatum fuit, & talis ſolutio non poteſt dici divortium, *Matth.* 9. 6.

XVII. *Obj.* Relinquet homo patrem & matrem, & agglutinabitur uxori ſuæ. *Ergo patria poteſtas non poteſt ſolvere?*

Reſp. Eſt ambiguitas in iſta phraſi *relinquere patrem & matrem*; non enim ita ſunt relinquendi, ut te, invitis iis, ab eorum poteſtate eximere queas, ſed relinquendi ſunt, 1. Non tuo, ſed illorum arbitrio. 2. Corpore & obligatione corporali, non vero reverentia filiali. 3. Relinquendi ſunt non amore ipſo, qui debet eſſe perpetuus, ſed gradu amoris; hoc eſt, plus eſt diligendus maritus, quam pater & mater.

XVIII. *An ob ſolum adulterium debet fieri divortium, ut docet Chriſtus*, Matt. 19. 9, *An vero etiam ob deſertionem, ut* Paulus, 1 Cor. 7. 13?

Reſp. Divortium late ſumptum diſtingui poteſt in *reale*, & *nominale*; Reale iterum, in *voluntarium*, & *involuntarium*. Voluntarium eſt, cum perſona innocens vult & petit divortium fieri à nocente perſona; tale divortium fit ob ſolum adulterium, quod divortium κατ' ἐξοχὴν divortium vocatur, *Matt.* 5. 31. Aliud eſt divortium involuntarium, cum perſona innocens deſeritur ab alia, idque non libenter, nulla præbita occaſione: de tali Paulus loquitur, 1 *Cor.* 7. 15.

XIX. *Quid ergo ad hoc, quod Chriſtus urget, cauſam divortii ſolum adulterium eſſe?*

Reſp. Chriſtus loquitur de divortio κατ' ἐξοχὴν at Paulus loquitur de deſertione involuntaria. Nec cum Chriſti ſententia pugnat tertium genus divortii, cum id nominale ſit, & adhibeatur in illis, ubi nunquam fuit matrimonium.

XX. *An ſoluto deſertione matrimonio, deſerta perſona poſſit, deſertrice adhuc ſuperſtite, ad ſecunda vota tranſire?*

Reſp. Licet ſane; ratio 1 eſt, quia ſatius eſt nubere quam uri. 2. Quia talis perſona eſt libera ab obligatione conjugali, quæ cum priore conjuge ſe deſerente interceſſit, 1 *Cor.* 7. *verſ.* 15.

XXI. *An matrimonium diſſolvi poſſit ob alias cauſas infames, ut furtum, homicidium, latrocinium, aut alia ejuſmodi capitalia facinora?*

Reſp. In ejuſmodi caſu, vel rapitur ad ſupplicium debitum facinoroſus, & ita ſtatim morte ſolvitur conjugium: vel illi à Magiſtratu indulgetur, atque ita tum non ſolvitur vinculum matrimonii, ſed ſimul utraque perſona mutuas miſerias ſubit.

Locus XLIX.

De Reſurrectione.

Quæstio I.

Quid eſt Reſurrectio?

Resp. Eſt reſtitutio ſubſtantiæ corporum noſtrorum poſt mortem ex eadem materia, & vivificatio eorundem vita immortali & incorruptibili, per eandem animam, qua nunc vivunt, immortalem, futura à Deo per Chriſtum in fine mundi, virtute ac potentia divina, & quidem electorum ad gloriam æternam, reproborum vero ad pœnas æternas.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

II. *Quæ ſunt cauſæ reſurrectionis?*

Reſp. In genere cauſa reſurrectionis eſt decretum Dei, *Hebr.* 9. 27. In ſpecie, reſurrectionis ad vitam æternam cauſa eſt Chriſtus, 1 *Cor.* 15. 12.

III. *Anne omnes ſunt reſurrecturi?*

Reſp. Non; quia non omnes ſunt morituri, 1 *Cor.* 15. 51.

IV. *Anne reſurrecturi in iiſdem corporibus quoad ſubſtantiam?*

Reſp. Utique; nam in qualitatibus tantum futura mutatio, 1 *Cor.* 15. 43. *Phil.* 3. 21.

V. *Quomodo ergo dicitur,* 1 Cor. 15. verſ. 50, *Caro & ſanguis non poſſidebunt regnum?*

Reſp. Carnem dupliciter accipi in Scriptura. 1. Pro altera parte noſtræ ſubſtantiæ, contradiſtincta animæ; & hæc regnum Dei poſſidebit in fidelibus, *Iob.* 19. 26. Aliquando vero accipitur pro depravatione noſtra; in qua ſignificatione ut & hic, ſic etiam accipitur, *Rom.* 8. 7, 8. *Ioan.* 1. 13.

VI. *Quomodo ergo dicitur, quod Chriſtus ventrem ſit aboliturus?* 1 Cor. 6. 13.

Reſp. Quoad *uſum* tantum, non quoad *ſubſtantiam*; idque oſtendimus in Chriſto, qui reſurrexit cum omnibus partibus.

VII. *Quis uſus erit ventris in futura vita?*

Reſp. 1. In communi, ut corpus totum cum reliquis membris conſtituatur. 2. Etiamſi ignoremus finem, res tamen propterea neganda non eſt; cum præſertim conſtet, nos, ſicut Chriſtus, reſurrecturos; Chriſtus autem reſurrexit cum corpore, quoad omnes partes completo.

VIII. *Quomodo hoc poteſt fieri, præſertim in* ἀνθρωποφάγοις; *nam in reſurrectione, cujus pars erit, quam* ἀνθρωποφάγος *devoravit, & in cujus eſſentiam abiit; nam ſi devorati, devorans deſtituetur ſua parte; ſi devorantis, devoratus non habebit ſuum corpus?*

Reſp. Eſt hæc Epicureorum objectio, neſcientes neque Scripturas, neque potentiam Dei; nam devoratus habebit propriam ſuam carnem, 2 *Cor.* 5. Ubi docetur, quod unuſquiſque in corpore ſuo portabit quæ fecerit; cum ergo conſtet, quod quiſque ſuum corpus ſit habiturus, de potentia Dei minime eſt dubitandum.

IX. *Atqui corpus futurum ſpirituale,* 1 Cor. 15. 43.

Reſp. Spirituale *qualitatibus*, non *ſubſtantia*: hoc & eodem loco, ut &, *Phil.* 3. 21.

X. *Anne omnes æquali corpore ſunt reſurrecturi?*

Reſp. Volunt hoc aliqui deducere, ex *Eph.* 4. *v.* 13. Sed inepte; nam ibi agitur de incremento ſpirituali, non corporeo; imo contrarium docet Spiritus Sanctus, *Apoc.* 20. 12.

XI. *Anne abortivi fœtus reſſuſcitandi?*

Reſp. Cum conſtet, in ipſa conceptione animam infundi, *Pſal.* 51. *v.* 7. tum utique reſſuſcitabuntur.

XII. *Quomodo hoc fieri poteſt, cum corpora nondum formata habuerint?*

Reſp. Eo modo, quo Deus omnes ſuſcitabit mancos, claudos & cæcos, quos omnes integros ſuſcitaturus eſt.

XIII. *Anne Chriſtus eodem corpore, quo reſurrexit, in Cœlum aſcendit?*

Reſp. Negant hoc Sociniani: ſed ineptiſſime, ut liquet, *Act.* 1. 9.

Locus

Locus L.
De extremo judicio.

Quæstio I.
Quid eſt judicium extremum?

Resp. Eſt inquiſitio cauſæ à judice ordinario ſecundum leges facta, & ſententiæ, de reo vel abſolvendo, vel plectendo, latio & executio.

II. *Anne omnes, tam pii, quam impii, judicabuntur?*

Reſp. Utique; Quemadmodum hoc docet Spiritus Sanctus, *Matth.* 25. 31, 32. *Rom.* 14. *v.* 10. 2 *Cor.* 5. 10.

III. *Quomodo ergo dicitur eos, qui non credunt, jam eſſe condemnatos?* Joan. 3. verſ. 18.

Reſp. Judicium Dei duplex; *particulare* & *occultum*, quo unuſquiſque judicatur, dum ex hac vita diſcedit: vel *univerſale* & *manifeſtum*: priori judicatur quilibet in hac vita, & potiſſimum in diſceſſu animæ à corpore. Alii diſtinguunt inter judicium *inchoativum*, quod fit in hac vita; & *conſummativum*, quod futurum in vita futura: quæ diſtinctio coïncidit cum noſtra, ſed verbis tantummodo diverſa eſt.

IV. *Quomodo autem fideles judicabuntur, cum Scriptura hoc neget*, Joan. 5. verſ. 24?

Reſp. Duplex eſt judicium; *condemnationis*, quod ſoli reprobi ſubibunt; de quo hic ſermo eſt: & *abſolutionis*, quod ſoli fideles ſubibunt.

V. *Quis erit judex?*

Reſp. Chriſtus; ut liquet, *Ioan.* 5. 22, & 27.

VI. *Anne ſecundum humanam naturam eſt judicaturus?*

Reſp. Utique; ſed non eadem ratione: Nam ſecundum humanam naturam ſententiam feret, ſecundum divinam delicta cognoſcet; ſecundum humanam approbabit Dei judicia, ſecundum divinam inflicturus pœnam.

VII. *Anne ſolus Chriſtus eſt judicaturus, quoniam & Apoſtoli dicuntur judicaturi*, Matth. 19. 28. *Et tota Eccleſia, fidelium*, Luc. 22. 30. 1 Cor. 6. 1, 3?

Reſp. Solus judicabit; quod autem dicitur de Apoſtolis & Eccleſia, accipiendum, 1. *Exemplariter*, quod omnes vita ſua ſancta judicabunt eos. 2. *Approbative*, quod approbaturi ſint ſententiam aſſenſu ſuo, *Apoc.* 16. 5, 6.

VIII. *Anne Satan etiam & Angeli judicandi ſunt, quandoquidem dicuntur non comparituri nobiſcum?*

Reſp. Illi jam judicati ſunt; idcirco dicitur, Matth. 25. 41, *Ite* &c.

IX. *Quomodo ergo illa accipienda ſunt*, Matth. 8. Marc. 15. *ubi diaboli clamant*, Quare nos veniſti cruciare ante tempus? *unde videntur nondum ferre pœnas debitas?*

Reſp. Imo ferunt pœnas, ſed necdum gradum pœnarum; laturi autem ſunt poſt judicium extremum: nec neceſſe eſt ut judicentur, ſed ſufficit judicatos eſſe, etſi gradus pœnæ hic ſit dilatus.

X. *Quomodo judicari poſſunt homines, quibus lex nulla data eſt; nam ubi lex non eſt, non eſt peccatum?*

Reſp. Judicabuntur, 1. Quia legem in Adamo acceperunt. 2. Utut legem non habuerint ſcriptam, habuerunt tamen cordibus inſculptam, *Rom.* 2. 15. 3. Dicit Scriptura, eos, qui ſine lege peccarunt, ſine lege perituros, *Rom.* 2. 12.

XI. *Vbinam futurum judicium?*

Reſp. Futurum eſt partim in aëre, partim in terra; quod patet, *Matth.* 24. *v.* 40, 41.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

1 *Theſſ.*4.17. Fideles vero erunt in aëre; reprobi, in terra.

XII. *Quid vero reſpondes Pontificiis, qui ex* Joël. 3. v. 2, *probant, quod judicium extremum ſit futurum in valle Ioſaphat?*

Reſp. In illo loco agit Spiritus Sanctus de reductione Iſraëlitarum in terram ſuam, & de judicio temporario, quod exerciturus in gentes propter abductos & diſperſos Iſraëlitas.

XIII. *Quamdiu duraturum judicium?*

Reſp. Oſtenditur hoc, *Matth.*25. *verſ.*41. Dum hæc ſententia pronuntiabitur: *Venite, benedicti; Abite, maledicti.*

XIV. *Anne illud,* Marc. 13. v. 32, *De die illo ac hora nemo ſcit, ita explicari poſſit (ut Pontificii volunt), Neque Filius, ut aliis ſcilicet revelet?*

Reſp. Ineptum. Nam hoc ſi ita accipiendum eſſet de Chriſto, tum etiam Pater dici poſſet neſcire, quia & ille non vult revelare.

LOCUS LI.
De Innovatione Mundi.

QUÆSTIO I.
Quid ſibi vult hoc, quod Spiritus Sanctus dicit de Cœlo ac terra, Heb. 1. 10, 11, 12?

RESP. Explicat hoc idem Spiritus Sanctus, 2 *Petr.*3. 10, 12.

II. *Quomodo hoc fiet, anne mutatio* ſubſtantialis, *an vero* accidentalis *futura?*

Reſp. Accidentalis; ut liquet, *Heb.*1. 12.

III. *Quomodo ergo dicitur, quod peribunt?*

Reſp. Perire dicitur aliquid vel *abſolute*, vel *ſecundum quid*: Hic dicitur periturum ſecundum quid, *Heb.* 1. 12. Nam ſecundum quid perire, eſt ratione accidentis immutari, 1 *Cor.* 6. *verſ.*13.

IV. *Quomodo hoc fieri poteſt, cum dicatur Cœlum novum creatum iri,* Eſaï. 65. 17. 2 Pet. 3. 13. Apoc. 21. 1, 2?

Reſp. Creari etiam dicitur ratione *accidentium*; ut patet, *Pſal.* 51. 12. & hinc regeniti vocantur nova creatura, 2 *Cor.*5. 17.

V. *Vnde ergo hoc eſt, quod immutari debeant?*

Reſp. Theologi duas dant rationes. 1. Ut omnis creatura ſubjecta eſt vanitati propter hominis peccatum; ita Cœlum, & terra, *Rom.*8. 20, 21. 2. Quod uſus talis amplius non ſit futurus, qualis jam eſt: nec terra erit locus hominum, nec amplius fructum dabit; nec Cœlum amplius acturum in terram, nec erunt ſtatuta tempora.

VI. *Qualiſnam iſte ignis futurus, qui in ipſum Cœlum acturus, de quo,* 2 Pet. 3. v. 10, 12?

Reſp. Materialem futurum ignem, non *ordinarium*, ſed *extraordinarium*; cujus mentio fit, *Exod.*3. 2. 1 *Reg.*18. 38.

LOCUS LII.
De vita æterna.

QUÆSTIO I.
Quid eſt vita æterna?

RESP. Eſt perfecta conformitas hominis cum Deo, in vera perfectaque Dei agnitione, dilectione, gloriaque animæ & corporis conſiſtens.

II. *Anne ſalus à vita æterna differt?*

Reſp. Hac ratione, quod vita æterna etiam competat illis, qui non perierunt, ut Angelis; ſalus, tantum eorum, qui perierunt, ut hominum.

III. *Anne vita æterna nobis datur propter bona opera?*

Reſp.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Reſp. Nequaquam; ut liquet, *Eph.* 2. 8, 9. *Tit.* 3. *v.* 5.

IV. *Cur vita æterna vocatur merces?*

Reſp. Spiritus Sanctus mercedem duplicem vocat, *Rom.* 4. 4. Unam ex *gratia*, alteram ex *debito*, & quæ ex gratia improprie dicta merces eſt, nempe metaphorice, quemadmodum merces dari ſolet poſt labores exantlatos, etiamſi labores exantlati non ſint cauſa vitæ æternæ: ut à nobis oſtenſum.

V. *Quare ergo dicit Chriſtus*, Matth. 25, *Venite, quia eſurivi?*

Reſp. Docetur ibi à Chriſto, *quibus* detur vita æterna, non *propter quæ*: nam talibus dabit Chriſtus vitam æternam, *qui* bene operabuntur; non tamen *propter hæc* dabit, ut dictum eſt, eo quod bona opera non ſint meritoria vitæ æternæ.

VI. *Quare ergo additur particula* enim; *ſi bona opera non ſint cauſa vitæ æternæ?*

Reſp. Particula iſta eſt αἰτιολογικὴ, *cauſalis*; vel σημαντικὴ, *rationalis*, ſive *ratiocinativa*: hoc loco non eſt *cauſalis*, ſed *rationalis*, ut patet, *Rom.* 11. 6.

VII. *Atqui ſine ſanctimonia nemo Deum videbit*, Heb. 12. v. 4. *Ergo certe erunt neceſſaria ad ſalutem. Et, ſi neceſſaria, erunt cauſa ſalutis.*

Reſp. Non ſequitur; nam poſſunt eſſe neceſſaria ut *antecedens*, non vero ut *cauſa*: & certe ſunt neceſſaria ut antecedens.

VIII. *Quid ergo ſentiendum de iſta noſtrorum* Theologorum *ſententia, qui ſtatuunt, bona opera eſſe media ad ſalutem?*

Reſp. Aut vocem *media* ἀκυρῶς uſurpant pro antecedente, aut certe falluntur, dum media ſtatuunt: nam omne medium pro diverſo reſpectu eſt cauſa ejus, cujus eſt medium, ut inductione probari poteſt; & hinc eſt regula Philoſophorum certiſſima, Medium pro diverſo effectu & reſpectu eſt cauſa.

IX. *Anne, dum ſunt in hac vita homines, frui poſſunt vita æterna?*

Reſp. Omnino: quemadmodum ſunt in hac vita, qui perſentiſcere incipiunt æternas pœnas; ita etiam fideles in hac vita perſentiſcunt vitam æternam. de quo vide, *Phil.* 4. 7. Non tamen perfecte fruuntur.

X. *Quare ergo dicitur in Sacris Literis, nos eſſe ſervatos*, Eph. 2. v. 8. Tit. 3. v. 5; *Hic nobis videtur aſſcribi perfecta ſalus?*

Reſp. Servati dicimur, quia jam nobis acquiſita ſalus, etiamſi in ejus poſſeſſionem plene adhuc non ſimus miſſi: vel, ut alii reſpondent, dicimur ſervati per fidem, quia in quo fides, ille certe ſervabitur, *Ioan.* 3. 16. Quæ vero certa ſunt, illa Scriptura efferre ſolet, ac ſi jam eſſent, etſi adhuc futura ſunt: verbi gratia, *Eſaï.* 9, *Puer nobis datus eſt.* Deinde etiam, quia fidei omnia præſentia.

XI. *Anne in vita futura nos invicem agnituri ſumus?*

Reſp. Curioſa quæſtio, quæ primum mota à Luthero. Videtur hoc oſtendi poſſe ex *Sap.* 5. *v.* 1, 2, 3, 4, 5. *Reſp.* 2. 1. Quia cognitio noſtra futura perfecta. 2. Quia Adam Evam & naturas beſtiarum cognovit. 3. Quia Petrus Moſen & Eliam cognovit.

XII. *Si ſe cognoſcant in vita futura, annon ibi dolor oriturus ex eo, quod aliqui videbunt abeſſe patrem, matrem, filios, maritum, uxorem?*

Reſp. Spiritus Sanctus iſtam quæſtionem decidit, 2 *Cor.* 5. 16. Quod ſcilicet neminem ſumus cognituri ſecundum carnem, hoc eſt, ea cognitione, quæ affectibus obnoxia, quæ ob carnem ſive ſanguinem oriuntur: Vel, ut clarius dicam, affectus qui ob ſanguinitatem oriri poſſunt, ita ut condoleamus, nulli futuri ſint.

XIII. *Annon gradus perfectionis futuri ſunt, ita ut unus altero in vita futura futurus perfectior?*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Reſp. Ita ſtatuunt quidam Theologi; & probant hoc ex ſtatu integritatis, in quo Adam Eva fuit perfectior.

XIV. *Annon ibi defectus aliqui futuri?*

Reſp. Minime; aut ſi dandi iſti defectus, non erunt *privativi*, ſed *negativi*, quemadmodum fuit Eva in ſtatu integritatis.

XV. *Anne futuri gradus felicitatis in futura vita?*

Reſp. Utique; quod probatur, *Dan*.12.34. 1 *Cor*.15.41.

XVI. *Quid ergo reſpondes ad iſta, quæ afferunt contra locum Danielis, quod ſcilicet ibi non agitur de gradibus in vita futura, omnes enim fideles, (inquiunt) ſplendebunt ut Sol in vita futura*, Matth. 13. verſ. 43?

Reſp. Spiritus Sanctus ſæpe comparat unam eandemque rem, cum re viliori, tum præſtantiori, *Matt*. 13.44,45,46,47,48.

XVII. *Anne gradus iſti felicitatis propterea obtingunt, quod alii plures, quam alii, exantlarint labores propter Chriſtum?*

Reſp. Nequaquam; nam utut vita æterna donum Dei eſt, ita etiam donum Dei ſunt futuri iſti felicitatis gradus.

XVIII. *Quo ergo in loco ſumus futuri?*

Reſp. Scriptura affirmat, nos futuros in tertio Cælo, 2 *Cor*.12.

XIX. *Anne Eccleſia in vita futura erit viſibilis?*

Reſp. Ita, perfecte & quidem diſtincte; nam quotquot videbimus ſalvatos, tot videbimus membra Chriſti & membra Eccleſiæ: Hic autem in hac vita, etſi ſcimus, in illis cœtibus, qui verum Dei cultum profitentur, eſſe aliqua vera Chriſti membra, non tamen ſcimus, quæ & qualia ſint; quod tantum eſt confuſe noſcere.

LOCUS LIII.
De morte æterna.

QUÆSTIO I.
Quid eſt mors æterna?

RESP. Eſt ſeparatio à communione Dei, & cruciatus maximus.

II. *Quotuplex eſt iſta pœna?*

Reſp. Duplex; *pœna damni*, & *ſenſus*: damni eſt, qua privabuntur impii à communione cum Deo: *ſenſus*, qua angores, terrores, vermes conſcientiæ ſenſuri ſunt.

III. *Anne futuri gradus quoad pœnas iſtas infernales?*

Reſp. Utique; ut liquet, *Matt*.11.*v*.21, 22,23,24: & 12.41,42. Sed ſciendum, gradus fore in pœna *ſenſus*, non *damni*; Nam, quoad pœnam damni, æquales gradus futuri ſunt; omnes enim ex æquo privabuntur communione Dei.

IV. *Anne ex loco iſto & ſocietate aliquid cruciatuum ſit acceſſurum ad damnatos?*

Reſp. Omnino; Nam, ſi ex loco cæleſti, & communione cum Deo & ſanctis Angelis felicitas orietur, etiam ex inferis & ſocietate dæmonum plurimum accedet ad cruciatus; Et hoc, quod ejulatus & ſtridor dentium, gemitus, & quicquid excogitari poteſt, quod à cruciatibus proficiſcitur, ubi ſunt futura, ab his non poteſt non horribilis horror oriri.

V. *Anne, cum omnia mala aſſuetudine fiant tolerabilia, non ibi etiam tractu temporis malum hoc futurum tolerabilius?*

Reſp. Nequaquam; ut patet, *Apoc*.14.11.

VI. *Anne ignis materialis futurus in Inferno?*

Reſp. Communis hæc quidem ſententia eſt: ſed interim falſa, 1. Quia ignis iſte, quo cruciabuntur damnati, cruciabit etiam dæmones: quomodo autem corpus poteſt agere in ſpiritum?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

tum? 2. Quia Chriſtus pro nobis ſuſtinuit mortem æternam; nullum autem ignem materialem expertus eſt.

VII. *Quid eſt Infernus?*

Reſp. Eſt locus damnatorum, qui vocatur carcer, 1 *Petr.*3. 19. Vincula æterna, caligo, *Iudæ verſ.* 4.

VIII. *Vbinam eſt Infernus?*

Reſp. Hæc quæſtio eſt curioſa, quam Spiritus Sanctus nullibi explicat. Putant tamen aliqui in viſceribus terræ: aliqui hoc improbantes, cum dicant non eſſe viſcera terræ capacia tot hominum, inquiunt eſſe inter orbes cæleſtes, ubi loca capaciſſima. vide Philoſophicas quæſtiones Goclenii, qui ſententiam hanc utramque refert, & attribuit poſteriorem Anglo cuidam Bruchtono.

IX. *An ſint tantum duo loca Cælum & Terra; Annon præterea datur Limbus Patrum, in quo fuerunt Patres ante Chriſtum paſſum; Annon datur Purgatorium, in quo oportet homines purgari à peccatis, antequam ſalventur, quia nemo eſt ſine peccato; Annon datur Limbus infantum, in quo infantes, quicunque tandem non baptizati, ſive Chriſtianorum, ſive Ethnicorum, in æternum ſunt manſuri?*

Reſp. Quod ad *Limbum Patrum* attinet, Patres fuerunt ante Chriſtum paſſum ſervati, vi ipſius paſſionis futuræ, *Matt.* 8. 11. *Col.* 1. *v.*20. Quod ad *Purgatorium*, illud etiam nihil eſt: quod Chriſtus expreſſe docet, *Ioan.* 5. *v.* 24. Apparet hoc etiam in latrone. Quid ſi quiſquam opus habeat Purgatorio, & à morte tamen, cum crederet, ſtatim in Cælum receptus eſt, *Luc.*23. *v.*43? Quod denique ad *Limbum infantum* attinet: Ille ſuperſtructus eſt duabus falſis hypotheſibus. 1. Quod baptiſmus ſit neceſſarius abſolute ad ſalutem: quod falſum eſſe oſtendimus, ubi egimus de Baptiſmo. 2. Quod infantes Ethnicorum non condemnentur in ſua infantia morientes: quod falſum eſſe apparet, ut aliunde, ita ex Fœdere; Non enim pertinent ad Fœdus, nec ergo ſunt filii promiſſionis. Sic, ex 1 *Cor.*7, argumentatur Spiritus Sanctus, Si alteruter parens ſit fidelis, liberos eſſe ſanctos ſanctitate nimirum Fœderali; ſi ergo neuter eſt fidelis, tum infantes erunt impuri: Atqui tales excluduntur ex regno Cælorum, *Apoc.*21. 27.

X. *Anne futura deſperatio in Inferno?*

Reſp. Nequaquam: nam ut ſpes reſpicit bonum futurum, ita deſperatio malum futurum: ut ergo nulla ſpes futura in Cælo, quod obtinebimus nimirum bona, quæ ſperabimus; ita deſperatio nulla futura in Inferno, quia jam re-ipſa iſta mala ſentiunt.

FINIS.

Μόνῳ τῷ Θεῷ Δόξα.

INDEX

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Locorum Theologicorum in hac Quæſtionum Theologia tractatorum.

Locus I.

DE Sacra Scriptura. Pag. 339
II. De partibus Sacra Scriptura in genere. 346
III. De Evangelio. 350
IV. De Deo. 352
V. De Omniſcientia Dei. 356
VI. De Voluntate Dei. 357
VII. De Dei potentia. 360
VIII. De Immutabilitate Dei. 361
IX. De Immortalitate Dei. ibid.
X. De Inviſibilitate Dei. 362
XI. De Immenſitate Dei. ibid.
XII. De Iuſtitia puniente. 363
XIII. De Miſericordia Dei. 364
XIV. De Decretis Dei in genere. ibid.
XV. De Prædeſtinatione in genere. 365
XVI. De Reprobatione. 367
XVII. De Attributis Dei impropriis. 368
XVIII. De SS. Trinitate. ibid.
XIX. De Creatione. 370
XX. De Libero arbitrio. 375
XXI. De Providentia Dei actuali. 378
XXII. De Peccato. 379
XXIII. De Peccato actuali. 382
XXIV. De Pœna peccati. 384
XXV. De Fœdere Dei. 386
XXVI. De Perſona Mediatoris. 387
XXVII. De unione duarum naturarum in Chriſto, proprietatibus & effectis. 389
XXVIII. De Mediatore in genere. 391
XXIX. De Officiis Chriſti. 392
XXX. De Sacrificiis. 394
XXXI. De Iuſtificatione activa. 398
XXXII. De Regeneratione. 400
XXXIII. De Fide actuali. 403
XXXIV. De Iuſtificatione paſſiva. 405
XXXV. De libertate Chriſtiana. 407
XXXVI. De Adiaphoris, Scandalo & Adoptione. 407
XXXVII. De bonis operibus. 408
XXXVIII. De pœnitentia & jejunio. 411
XXXIX. De honore Dei. 412
XL. De Eccleſia. 415
XLI. De Sacramentis in genere. 421
XLII. De Baptiſmo. 422
XLIII. De Cœna Domini. 425
XLIV. De regimine Eccleſiæ. 428
XLV. De Miniſterio. 431
XLVI. De Eccleſia particulari & oppoſito ejus Schiſmate. 435
XLVII. De Magiſtratu politico. 437
XLVIII. De conjugio. 439
XLIX. De reſurrectione. 441
L. De extremo judicio. 443
LI. De innovatione mundi. 444
LII. De vita æterna. ibid.
LIII. De morte æterna. 446

FINIS.

JOAN-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

IOANNIS MACCOVII,
SS. Theol. Doctoris & Profeſſoris,

THEOLOGIA,

PER

CONSECTARIA.

Iam primo edita opera & ſtudio

NICOLAI ARNOLDI,
S. S. Theologiæ Doctoris & Profeſſoris in
Academia Franekerana.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

IOANNIS MACCOVII,
S. S. Theol. Doctoris & Profeſſoris,

THEOLOGIA,
PER
CONSECTARIA.

CAPUT I.
De Scriptura.

I. TOta *Scriptura divinitus eſt inſpirata.*

Conſect. 1. Eſt ergo Scriptura immediate à Deo profecta.

2. Habet ergo Scriptura divinam auctoritatem.

3. Non ergo libitu hominum olim allata eſt Prophetia.

II. *Deus Verbum ſuum revelavit in V. Teſtamento Iſraëli, Nec ita fecit ulli genti,* Pſal. 147.

Conſect. 1. Verbum Dei in V. Teſtam. lingua Hebræa propoſitum eſt.

2. Hinc etiam Judæi propter fideliter obſervatum Verbum Dei commendantur, *Rom.* 3. *verſ.* 2.

3. Hinc conſtat, Judæos Verbum Dei in lingua Hebræa non adulteraſſe.

III. *Ex fine Verbi Dei, cui diſtinguuntur fideles in Hebræos & Græcos.*

Conſect. 1. Ergo ut Hebræi quibus Verbum Dei Hebraïce propoſitum, ita Græci dicuntur, quibus Verbum Dei Græce traditum.

2. Ergo Verbum Dei, Græce cónſcriptum, eſt authenticum.

IV. *Verbum Dei propoſitum eſt fidelibus, ut informarentur de fide & præceptis morum?*

Conſect. 1. Ergo Scriptura, quibus hoc fine data eſt, illis eſt perſpicua.

2. Perſpicua quidem aliter atque aliter, interim ita perſpicua fidelibus, ut non tantum ipſius cognitionem habere poſſint, quantum ipſis ſufficiat ad ſalutem.

V. *Scriptura efficit hominem perfectum ad omne opus bonum.*

Conſect. 1. Nullæ ergo traditiones non ſcriptæ homini Chriſtiano neceſſariæ.

2. Scriptura ergo continet omnia quæ ad ſalutem neceſſaria.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

VI. *Scriptura data eſt fidelibus, ut credentes vitam æternam habeant.* Joan. 21.

Conſect. 1. Scriptura ergo non eſt data propter homines reprobos.

2. Hinc non debemus eſſe ſoliciti de eo, quid maneat reprobos, neque magnopere ſcrutari ipſorum ſtatum; Scriptura enim non eſt edita propter ipſos, ſed propter fideles.

3. Neque imperfecta Scriptura inde argui poteſt, quod non omnia præſcribat quæ ad reprobos pertinent.

VII. *Scriptura agit docendo.*

Conſect. 1. Ergo agit moraliter.

2. Ergo non agit niſi intellecta.

3. Ergo non regenerat hominem, ſed præſupponit regenitum.

VIII. *Scriptura in quibuſdam locis agit proprie, in quibuſdam improprie,* i. *tropice.*

Conſect. 1. Ergo Scriptura ſe ipſam explicat, quia impropria ex propriis explicantur.

2. Ergo nullus eſt interpres ipſius, niſi ipſamet ſui ipſius.

IX. *Scripturæ debent invicem inter ſe conferri, ut veritatem earum teneamus.* Luc. 24. 27. Act. 9. 22.

Conſect. Ergo interpretationes Scripturæ debent ad analogiam fidei revocari & examinari.

X. *Scripturæ ſunt ſcrutandæ,* Joan. 5.

Conſect. Ergo ad hoc ut ſenſum verum eruamus, opus etiam eſt analogia contextus: ſcrutamur autem Scripturam, dum omnibus partibus eam expendimus, hoc eſt, Antecedentia, Conſequentia, Connexa, Scopum &c.

CAP. II.

De Lege.

I. *Qvæcunque Lex dicit iis, qui in Lege ſunt, dicit, ut omne os obſtruatur & obnoxius fiat totus mundus condemnationi Dei.*

Conſect. 1. Lex non docet, quid poſſimus, ſed quid debeamus.

2. Ex Lege eſt cognitio peccati.

3. Ex Lege nulla juſtificatio.

II. *Lex dicit,* Qui præſtiterit ea, vivet in eis. *Rom.* 10. 5.

Conſect. 1. Ergo Lex oppoſitam viam juſtificationis oſtendit per Evangelium.

2. Ergo Lex pugnat cum doctrina Evangelii.

3. Ergo Lex pugnat cum Evangelio, non ut regula vivendi, ſed ut fœdus.

III. Lex ſolvi non poteſt. *Ioan.* 10. v. 35.

Conſect. 1. Ergo cum Lex poſtulat à nobis, ut, ſi vitam æternam obtinere velimus, præſtemus quæ à nobis requirit, oportet aut ut nos præſtemus, aut aliquis pro nobis. At nos non poſſumus. Ergo oportet ut aliquis præſtet vice noſtri.

2. Ergo cum dicimur Chriſti juſtitia juſti, Chriſtus vice noſtri Legem implevit.

IV. *Qui non permanſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro Legis, eſt maledictus.*

Conſect. 1. Nullum ergo datur peccatum veniale natura ſua.

2. Ac proinde nullum Purgatorium, nam deputant Adverſarii peccata venialia Purgatorio expianda.

V. *Præceptum Legis, aliud eſt imperii; aliud, indulgentiæ.*

Conſect. 1. Imperii, ut omnia præcepta Decalogi: Indulgentiæ, ut ſunt quædam præcepta, quæ licet facere vel omittere: verbi gratia, citare aliquem in jus ob injuriam illatam, vel vero condonare.

2. Ea, quæ Pontificii vocant Conſilia, ſunt præcepta indulgentiæ.

3. Quod ſi vero neceſſario exequenda Conſilia

ſtia illa, coïncidunt cum præceptis Decalogi, ſeu præceptis imperii.

VI. *Lex obligat nos ad Deum colendum ex toto corde, totis viribus &c.*

Conſect. 1. Ergo nulla dantur opera ſupererogatoria.

2. Ergo nullum meritum.

3. Ergo nulla Lex perfectior dari poteſt.

4. Ergo, cum hæc ſit ſumma Legis per Moſen traditæ, Chriſtus Moſis Legem non correxit.

VII. *Quodcunque eſt bonum opus, id Lege præcipitur.*

Conſect. 1. Hinc bene diſtinguitur objectum Legis moralis, quod quædam Lex moralis docet & jubet, qualia ſunt quæ in Lege continentur. Alia ſunt, quæ jubet & non docet, quæ ſunt doctrinæ Evangelii.

2. Inepta ergo diſtinctio operum, in opera Legis & Evangelii.

3. Hinc, cum nemo dicitur juſtificari ex operibus, intelliguntur opera Legis.

VIII. *Peccatum eſt Legis transgreſſio.*

Conſect. 1. Peccatum non eſt Voluntatis Dei transgreſſio; nam alias per transgreſſionem Voluntatis Divinæ definiri deberet.

2. Sequeretur hinc, Deum ſuo fine excidere poſſe.

IX. Qui peccat in uno, reus eſt omnium. *Iacob.* 2.

Conſect. 1. Peccat ſcilicet in totam Legem, non in totum Legis.

2. Hinc liquet quomodo intelligendum illud, *Lex eſt una copula.*

X. *Sumus ſub Lege, & non ſumus ſub Lege. Sub Lege ſumus, quia debemus ſecundum Legem vivere; non ſumus, quatenus ſub Lege eſſe, notat maledictionem Legis.*

Conſect. Hinc ſequitur, illud, *ſub Lege eſſe*, quando abſolute dicitur, nihil ſignificare, quam Legi, quoad exercitium, eſſe ſubjectum. *Sub Lege* vero *eſſe*, quatenus opponitur gratiæ, nihil aliud ſignificare, quam eſſe ſub maledictione Legis.

XI. *Deus Legem dedit primo homini, ut lapſui cauſa eſſe poſſet. Probatur: quia creavit hominem, ut in quibuſdam ex ipſius poſteris oſtenderet miſericordiam ſuam, in quibuſdam juſtitiam.*

Conſect. 1. Ergo permiſit peccatum.

2. Ergo neceſſario permiſſionem ſequutum peccatum.

3. Deus ad impoſſibilia obligat.

XII. *Scriptura eſt perfecta quoad præcepta morum.*

Conſect. 1. Ergo dantur Leges judiciales in S. Literis, ex quibus & ſecundum quas judicare debet Magiſtratus.

2. Ergo male judicant ſecundum Leges Civiles Gentilium, atque adeo jus Juſtinianæum in nullo uſu apud Chriſtianos eſſe debet.

XIII. *Lex cerimonialis refertur in Scriptura, nec tamen ſacrificia adminiſtranda.*

Conſect. Hinc ſequitur, uſum Legum cerimonialium practicum eſſe abrogatum, non vero hiſtoricum.

XIV. *Lex cerimonialis agit de Sacerdote & ſacrificiis, quæ Chriſtum adumbrabant.*

Conſect. Ergo Lex cerimonialis pertinet non ad doctrinam Legis, ſed ad doctrinam Evangelii.

XV. *Deus ex mero ſuo beneplacito, cum omnes homines in propria perſona condemnare potuiſſet, gratia hominibus facta Filium ſuum pro ipſis punire voluit.*

Conſect. 1. Ergo doctrina Evangelii per naturam non cognoſcitur ſicut Lex, ſed ex revelatione, eaque divina.

2. Ergo doctrina Evangelii non eſt quærenda extra Scripturam.

3. Hinc *Rom.* 1. *v.* 2, dicitur Evangelium promiſſum per Prophetas in Scripturis Dei.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

XVI. *Veteres & juſtificabantur ex fide, & ſalvabantur,* Rom. 4. & 10. *De juſtificatione & ſalute, item ex* Act. 15, *Credimus nos ſalvatum iri per gratiam Domini noſtri,* &c.

Conſect. 1. Doctrinam Evangelii notam fuiſſe in V. Teſtamento, atque eandem fuiſſe doctrinam juſtificationis, quæ jam eſt, & eumdem modum ſalvandi.

2. Hinc etiam regenerationis beneficium fuit in V. Teſt.

3. Fidem ſalvificam per conſequens fuiſſe in V. Teſt.

4. Hinc ſequitur, promiſſiones ſpirituales factas fuiſſe in V. Teſt.

XVII. *Evangelii doctrina docet, Chriſtum pro nobis eſſe factum peccatum, ut nos fieremus juſtitia Dei in ipſo.*

Conſect. 1. Ergo Chriſtus bene dicitur peccator, ſed non inhærenter, verum imputative.

2. Hinc Bellarmini atrox blaſphemia, qui dicit: Si Chriſtus poſſet dici peccator imputative, dici poſſet filius Diaboli, nam hoc non dicitur niſi de iis qui inhæſive peccatores ſunt.

3. Hinc conſequitur, imputative talem haberi, non eſſe putative talem haberi, ſed revera talem cenſeri, neque enim Chriſtus puniri potuiſſet juſte, ſi putative tantum fuiſſet peccator, & non revera.

4. Chriſtum vice noſtri non tantum bono noſtro, ut Sociniani volunt, paſſum eſſe.

5. Chriſtum vice noſtri Legis obedientiam perfecte impleviſſe: hinc dicitur *ad Corinth.* Factus nobis juſtitia.

6. Ut Chriſtus factus peccator (nam abſtracta hic ponuntur pro concretis, ſicut *Joan.* 23, Ego ſum vita & reſurrectio), ita nos juſti imputative ſumus.

7. Inepte à Pontificiis objici, ſi nos ſumus ea juſtitia juſti, quam Chriſtus acquiſivit, perinde nos juſtos eſſe ac Chriſtum. Nam juſtitia quam Chriſtus acquiſivit, non eſt illa juſtitia, qua ille eſt juſtus, ſed eandem penitus in nos derivavit.

8. Minus concinne à noſtris quibuſdam reſponderi, qui admittunt, iſta juſtitia eſſe Chriſtum juſtum, ſed in Chriſto aliter eſſe, ſcilicet efficienter, in nobis imputative.

XVIII. *Chriſtus etiam propter nos homo factus eſt.*

Conſect. 1. Ergo ſi homo non peccaſſet, neque Deo fuiſſet viſum, ipſum per Chriſtum liberare, nunquam Chriſtus natus fuiſſet.

2. Ergo quia propter nos natus eſt, propter nos etiam obligatus eſt ad comminationem legis.

3. Ergo ut propter nos ſolum mortuus, ita etiam propter nos ſolum Legi obediens fuit.

4. Ergo ut propter ſe nullo modo fuit creatura, ita etiam propter ſe nullo modo fuit obligatus ad Legem.

5. Ergo non tantum mors ipſius nobis imputatur ad remiſſionem peccatorum, ſed etiam juſtitia ipſius, ſive obedientia, nobis imputatur ad jus vitæ æternæ.

XIX. *Chriſtus venit, ut peccatores ſervaret.*

Conſect. 1. Ergo non poteſt ejus adventus fruſtraneus eſſe: quod opponendum Arminianis contrarium docentibus, potuiſſe fieri, ut Chriſtus fruſtra veniſſet.

2. Ergo aliqui neceſſario in Chriſtum credunt.

3. Ergo neceſſario aliquibus fides datur.

4. Ergo neceſſario & irreſiſtibiliter aliqui regenerantur.

5. Ergo non propter omnes & ſingulos venit.

XX. *Dicitur Chriſtus,* 2 Tim. 1, *Vitam in lucem produxiſſe & immortalitatem per Evangelium.*

Conſect. 1. Ergo doctrina Evangelii ſub N. Teſt. clarior eſt, quam ſub V. Teſt. nec enim hoc accipi poteſt de re, hoc eſt, de manifeſtatione, cum notum fuerit Evangelium in V. Teſtamento. Ergo dicendum eſt de gradu manifeſtationis Evangelii.

2. Dum probatur N. Teſt. per Vetus, non pro-

propterea dicitur Vetus clarius, ſed apud quoſdam certius. Verbi gratia, Paulus probat Beroënſibus doctrinam ſuam per Moſen & Prophetas, non quod Moſes & Prophetæ clariores fuerant, ſed quia fidem merebantur apud Beroënſes; Novum autem nondum merebatur, ut quod confirmandum fuerat.

Cap. III.

De Deo.

I. **Vox Jehova *ſignificat*, à ſe exiſtere, *&* à ſe eſſe.**

Conſect. 1. Ergo nulli creaturæ tribui poteſt; nulla enim creatura à ſeipſa.

2. Dum tribuitur creaturæ, fit id, vel in caſu obliquo, vel in complexione.

II. **Jehova *tribuitur tum Patri, tum Filio, tum Spiritui Sancto.***

Conſect. 1. Hinc vox *Iehova* capitur, vel οὐσιωδῶς, vel ὑποστατικῶς.

2. Hinc inepte agunt Sociniani, dum dicunt, *Iehova pluit à Iehova*, Jehovam ibi accipi pro nomine relativo, quemadmodum capitur, 1 *Reg.* 8. 1. Nam ſi & Patri & Filio tribuitur nomen *Iehova*, nulla neceſſitas hoc ſuadet, ut loco pronominis relativi capiatur.

III. ***Voce* Jehova *uſus eſt Deus propter nos, ut & tota Scriptura.***

Conſect. 1. Ergo vox iſta, ut & tota Scriptura, legi debet.

2. Ergo ſuperſtitio Judæorum, qui nolunt vocem iſtam legi propter Sanctitatem, toleranda non eſt.

3. Ergo inepte agunt Grammatici Hebræi, qui vocem examinare volunt ad præceptiones ſuas: nam præceptiones illorum ortæ ſunt ex Bibliis; non contra.

4. Hinc etiam potius fateri debebant, multa eſſe in Sacris Literis irregularia, quorum præcepta dari non poſſunt, quam ut præcepta ſua ipſis accommodare conentur.

IV. ***Vox* Dei *naturam Dei ſignificat.***

Conſect. 1. Ineptiunt ergo Sociniani dicentes, hanc vocem eſſe poteſtatis.

2. Si vox *Dei* non eſt naturæ, tum Deus nullum nomen habebit, quo ipſius natura exprimatur.

3. Hinc etiam non poterit dici natura Deus: quod tamen dicitur *Gal.* 4.

4. Hinc etiam incongrua fuerit iſta Propoſitio, *Deus eſt Spiritus*, aut ſaltem non erit ſynonymica; perinde enim erit ac ſi quis dicat: *Doctus eſt homo.*

V. ***Deus verus eſt, & vocatur ſolus Deus.***

Conſect. 1. Ergo hoc nomen *Dei* non eſt commune & appellativum, ſed proprium.

2. Ergo qui dicuntur in Scriptura dii, non ſunt tales proprie, ſed vel metaphorice, vel catachreſtice.

3. Ergo verum, non tantum opponitur falſo, ſed etiam improprie dicto.

VI. ***Deus eſt æternus.***

Conſect. 1. Ergo eſt independens; qui enim non habet principium, eſt independens.

2. Eſt ergo ſimpliciſſimus, quia dependens eſſet, ſi eſſet compoſitus, idque duplici ratione: tum dependentia interna, quando compoſitum dependet ex quibus componitur; tum compoſitione externa, quia nil ſe ipſum componit, ſed omne quod componitur, ab alio componitur; nil enim eſt ſui ipſius cauſa.

3. Ergo quicquid in Deo eſt, Deus eſt.

4. Hinc pro iiſdem accipiuntur in Scriptura, *Deum juraſſe per ſe ipſum*, cum neminem majorem haberet; & *Deum juraſſe per Sanctitatem ſuam.* Sanctitas enim & Deus, ſunt unum & idem. vide *Amoſ.* 4. 2. & *cap.* 5. 8.

VII. ***Deus ſolus eſt æternus.***

Conſect. 1. Hinc dicitur ſolus bonus, independenter ſcilicet.

2. Hinc dicuntur *per ipſum omnia facta*, Joan. 1. hinc intelligitur quod intelligendum hoc *omnia*, ſcilicet quæ extra ipſum ſunt.

3. Hinc liquet Socinianus error, negans, omnia per Deum facta, ut materiam primam, tem-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

tempus; nam materia prima ex partibus conſtat, dependens ergo eſt & interne, & externe. Tempus vero cœpit cum rebus; qui ergo cauſa rerum, cauſa accidentis, & ſic temporis.

VIII. *Deus eſt ut extra omne tempus, quod notat æternitatem, ita extra omnem locum.*

Conſect. 1. Hinc 1 Reg. 8, *Cæli Cælorum non capiunt te.*

2. Hinc ſequitur, Deum eſſe infinitum, ut enim qui extra omne tempus eſt, æternus eſt, ita qui extra omnem locum eſt, infinitus eſt.

3. Infinitus ergo eſt actu.

4. Non poteſt ergo dici ἀόριστος, ſed ἄπειρος, hoc eſt *indefinitus*, aut potentia infinitus, ut corpora Mathematica, ſed ut qui eſſentiæ ſuæ nullos limites habet.

5. Hinc, cum quæritur, ubi fuiſſet Deus ante mundum, recte *reſp.* In ſeipſo.

6. Hinc illa diſtinctio vitioſa, quoad reſpectum Dei, corpus ſcil. eſſe in loco circumſcriptive, ſpiritum definitive, Deum repletive.

7. Hinc Deus proxime omnibus adeſt, & ratione ſuppoſiti, & ratione virtutis, quandoquidem virtus, & ſuppoſitum, in ipſo non differunt.

IX. *Deus eſt Spiritus.*

Conſect. 1. Ergo eſt indiviſibilis.

2. Ergo ubi eſt, totus eſt.

3. Cum vero infinitus ſit, diſtinguitur in ipſo totum eſſe, & totaliter totum: nam totum eſſe, ita eſt eſſe, ut alibi etiam totus ſit; totaliter eſſe, ut extra hoc alibi non ſit.

4. Hinc ſequitur, cum in omnibus rebus quæ ſunt extra eum, eſſe totum, non tamen totaliter eſſe totum, niſi in ſe ipſo.

X. *Deus eſt ſimpliciſſimus.*

Conſect. 1. Hinc non datur in Deo aliud & aliud.

2. Hinc attributa Dei non differunt à ſe ipſis, ſed unum idemque ſunt.

3. Hinc Philoſophi optime docent, attributa iſta ut abſoluta non diſtingui ex natura rei, ſed ex modo concipiendi noſtro. Attributa vero relata diſtingui nomenclatura, quæ oritur ex relatione ad divina objecta & effecta.

XI. *Deus eſt omniſcius.*

Conſect. 1. Hinc Prophetiæ ſunt à Deo.

2. Deus præſcit contingentia futura; nam Prophetiæ plerumque de talibus.

3. Deus præſcit futura, quia decrevit.

4. Hinc emergit ſpecies ſcientiæ divinæ, quæ vocatur viſionis, ſcil. futurorum.

XII. *Deus novit quid poſſit, etiamſi id facere non conſtituit.*

Conſect. 1. Hinc ſcientia Dei poſſibilium.

2. Hinc ſcientia Dei ſimplicis intelligentiæ æque late patet, ac voluntas Dei abſoluta; ſcientia viſionis æque late patet, ac ordinaria ſeu definita voluntas Dei.

XIII. *Res ſunt, quia Deus ſcit; non ſcit, quia ſunt.*

Conſect. 1. Hinc nulla ſcientia media Jeſuitarum datur: Ita enim Deus conformaretur rebus, non res Deo.

2. Hinc ſequitur, quod Scholaſtici dicunt, Deum quidem ſcire hoc non fore abſque hoc, interim fore & hoc & hoc.

3. Hinc ſequitur, decretum Dei, aliud eſſe formale, aliud virtuale; hoc eſt, quia decrevit Deus hoc fieri per hoc, quod eſt decretum formale, ſcit, abſque hoc non fore hoc, etiamſi & hoc ſciat & hoc, quod vocatur virtuale.

XIV. *Deus immediate per ſe ipſum novit omnia.*

Conſect. 1. Unico ergo actu intelligendi novit omnia.

2. Hinc omnia Deo præſentia, non per realem coexiſtentiam, ut volunt Dominicani, ſed per cognitionem.

3. Hinc eſſe creaturæ eſt tripliciter; Eminenter, ut in cauſa efficiente; Objective, ut in intelligente; Repræſentative, ut in idea ſeu exemplari. Alii ita efferunt: Creaturæ habent triplex eſſe in Deo; unum, Eminens; alterum, Intelligibile; tertium, Ideale.

XV.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

XV. *Voluntas Dei eſt ipſe Deus.*

Conſect. 1. Ergo decreta Dei ſunt ipſe Deus, quia ſunt Voluntas Dei.

2. Voluntas non eſt concipienda per modum facultatis, ut nec ullum attributum, ſed per modum actus, volitionis ſcilicet.

3. Hinc ſequitur, cauſam nullam poſſe dari volitionis.

4. Diſtinguendum eſſe inter volita & volitionem.

5. Ergo, dum dicimur facere voluntatem, per voluntatem intelligendum eſſe volitum, non volitionem.

XVI. *Voluntas, ſeu volitio Dei, eſt abſoluta.*

Conſect. 1. Ergo reprobationis decreti nulla datur cauſa.

2. Ergo nulla Voluntas Dei eſt conditionata; nam dicere conditionatam voluntatem Dei, eſt dicere conditionatum Deum ſive dependentem, quæ eſt contradictio.

XVII. *Voluntatem Deus non mutat,* Eſaï. 46. *nec illam quiſquam irritam reddere poteſt*, Eſaï. 14.

Conſect. 1. Ergo nulla Voluntas Dei eſt inefficax.

2. Ergo nulla antecedens, conſequens, conditionata, abſoluta; nam iſtæ ad hoc excogitatæ ſpecies, ut aliquam Voluntatem Dei inefficacem oſtenderent.

3. Nulla Voluntas Dei eſt reſiſtibilis.

4. Ergo de Voluntate Dei judicandum ex eventu.

XVIII. *Voluntas Dei eſt prima regula juſtitiæ & bonitatis.*

Conſect. 1. Hinc diſtinctio illa vaniſſima, Quædam juſta ſunt, quia Deus vult; quædam vult, quia juſta: quia analogiam habet voluntas Dei cum ſcientia. Res ſunt, quia Deus ſcit; Ergo bonæ ſunt, quia Deus vult: non contra.

2. Nihil ergo eſt bonum antecedenter ad Voluntatem Dei; alioqui enim hoc ipſum futurum eſt independens.

3. Hinc Deus poteſt facere ea quæ prohibet hominibus, & omittere quæ jubet.

XIX. *Cum Deus ſit actus puriſſimus, improprie concipitur in eo aliquod attributum per modum facultatis, & non per modum actus.*

Conſect. 1. Hinc improprie dicitur potentia in Deo.

2. Hinc etiam dicitur aliquid poſſe improprie: ratio, quia in bonis melior eſt actus quam potentia: daretur ergo aliquid in Deo melius & melius.

3. Hinc, cum dicitur, Deum aliquid poſſe, ut omnia quæ ad extra dicuntur, mutationem dicunt in creatura, non creatore; idcirco etiam poſſe hoc vel illud facere, notabit poſſibilitatem mutationis in creatura, non in creatore.

4. Hinc, cum Deus dicitur poſſe facere hoc vel illud, per hoc nihil aliud notatur, quam, creaturam non repugnare ut actum Dei ſubeat in ordine rerum ad hanc vel illam ſpeciem, vel ſpeciei qualitatem.

XX. *Poteſtas ipſius in creaturas nititur* ὑπεροχῇ *ipſius naturæ.*

Conſect. 1. Hinc falſo docent Arminiani, quod nitatur beneficiis in creaturam collatis.

2. Sequeretur enim, Deum in creaturam nil poſſe niſi adimere beneficia in ipſam collata.

3. Hinc ſequitur, Deum in creaturam nil poſſe niſi eam annihilare.

4. Sequeretur etiam, Deum minus poteſtatis habere in creaturam, quam domini in ſervum. Neque enim Dei poteſtas in ſervum nititur beneficiis, ſed ὑπεροχῇ naturæ; loquitur autem de ſervo natura non conditione.

5. Hinc ſequitur, cum excellentia naturæ divinæ infinita, infinitam poteſtatem in creaturam habere.

6. Hinc ſequitur, poſſe ipſum cum creatura facere quicquid voluerit & libuerit.

7. Sequitur, falſas eſſe comparationes iſtas Theologorũ, hominem facere poſſe cum pulicibus &c. quicquid velit, neq; ibi attendi ad meritum vel demeritũ. Nam proportio aliqua eſt inter

culicem, pulicem, pediculum & hominem: Inter creaturam autem & creatorem nulla eſt proportio.

XXI. *Ius quod Deo competit in creaturas, eſt vel dominii, vel judiciariæ poteſtatis.*

Conſect. 1. Poteſtas judiciaria pendet à voluntate Dei, ut quia Deus voluit, hoc eſſe peccatum, hoc juſtitiam; idcirco judiciaria poteſtas exercetur circa hoc ut bonum factum; circa hoc ut malum factum.

2. Judiciaria poteſtas ratione rei, immutabilis; ratione perſonæ, in qua res, mutabilis. Ratio, quia circa peccatum occupatur per ſe; circa peccatorem, per accidens.

3. Deus nunquam remittit peccata impunita, etiamſi derivet ex uno in alterum, ut ex nobis in Chriſtum.

XXII. *Ius dominii, quod habet, eſt ex jure creationis & ex jure conſervationis.*

Conſect. Hinc à jure dominii humani, quod habent in ſervos, ad jus dominii, quod habet Deus in creaturas, conſequentia non valet. Poteſt enim homo renuntiare dominio in ſervos, & ſervus manere liber à ſervitute. At Deus non poteſt renuntiare dominio in creaturam, ut creatura ſubſiſtat.

XXIII. *Ius judicii duplex eſt; perpetuum, & quod ex hypotheſi voluntatis ſuæ exercet aliquando, cum contrarium potuerit.*

Conſect. 1. Tale eſt illud *Ezech.* 18, Anima quæ peccaverit *&c.*

2. His verbis Deus non quid ſibi neceſſario faciendum docet, ſed quid libere facere decreverit.

3. Non magis ergo hinc ſequitur, iniquum omnino eſſe, ut filius ullam paterni delicti pœnam ferat, quam iniquum eſſe imputare parentis peccata filio: quod certe iniquum non eſt reſpectu Dei, *Exod.* 20, Viſitans iniquitatem Patris. Et 2 *Sam.* 12, in infante Davidis. Et 2 *Sam.* 21, in filiis Saülis.

4. Locus ergo iſte evincit, non agere hic Deum de jure perpetuo & ordinario, ſed de extraordinario providentiæ ſuæ curſu, quo ſe poſthac adverſus Judæos uſurum profitetur, ut omnes calumniæ anſas abrumpat.

XXIV. *Omne attributum Relatum habet in Scriptura nomen Abſolutum. Ratio, quia Relatio non fundatur niſi in Abſoluto.*

Conſect. 1. Hinc juſtitia vindicatrix in Scriptura vocatur ſanctitas, puritas, miſericordia, bonitas.

2. Ergo abſurdus Socinus, qui propterea quia relativa ſunt attributa, putat potuiſſe non eſſe ea, atque adeo Deum non eſſe.

3. Nam redemptorem, creatorem eſſe, ſunt attributa relativa in concreto prolata, neque tamen hæc ſunt non Deus. Diſtinguendum ergo inter abſolutum eſſe, & nomenclaturam quæ ex relatione rationis ad extra oritur. Hæc poterat non eſſe, ſed eſſe abſolutum non poteſt non eſſe.

XXV. *Iuſtitia Dei alia eſt vindicatrix, alia eſt quæ in ſumma Dei poteſtate fundata eſt: de priori nulla eſt dubitatio; poſteriorem probat Piſcator ex* Rom. 9. verſ. 14, 15.

Conſect. 1. Hinc graviter errant Arminiani, qui ex juſtitia Dei judiciaria ſive vindicatrice argumentantur ad juſtitiam, quæ fundata eſt in ſumma poteſtate Dei.

2. Sequitur, cum Dei ſumma poteſtas conjuncta ſit cum libertate, à jure Leges nullas Deum habere, ſed voluntatem ipſius eſſe inſtar Legum.

3. Poſſe Deum facere ea quæ prohibet, & non facere ea quæ jubet, abſque ullo peccato.

XXVI. *Poterat quidem hoc quatenus eſt peccatum, non fieri peccatum, ſi Deo viſum fuiſſet, at poſtquam viſum eſt Deo illud eſſe peccatum, Deus non poteſt illud non punire.*

Conſect. 1. Nihil Deus odit antecedenter ad voluntatem ejus.

2. Poſtquam peccatum eſt, Deus non poteſt illud non punire, quia eſt demeritum: qui autem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

autem demeritum non punit, injuſtus eſt; demeritum enim ipſum quia ſpectat, non poteſt illud non punire.

3. Punit enim ex neceſſitate naturæ, non tamen ex neceſſitate naturæ abſoluta, idque ex duplici hypotheſi; vel quod poterat non creare creaturam rationalem, ita ut nullum peccatum exiſtere potuerit: vel quod peccatum eſt, ſtatuere ut eſſet juſtitia.

XXVII. *Deus punit neceſſario peccatum, non ex eo, quod ipſi juſtitia ineſt naturaliter, quamvis ineſt; ſed quod obligetur ad hoc faciendum.*

Conſect. 1. Ineſt ipſi naturaliter, ut liquet *Apoc.* 16. 5, 7. item 19. 2. 1 *Theſſ.* 1. *Rom.* 3. 5, 6. *Ier.* 12. 1. *Thren.* 1. 18. *Dan.* 9. 14.

2. Non enim, quia omnipotens eſt, neceſſario omnia creavit, ſed quia omnipotentia ipſi ineſt natura; pari ratione non, quia juſtus, punit omnia.

3. Meremur ergo de Deo, ſive demeremur, male agendo.

4. Eſt ergo diſcrimen inter bona & mala opera, inter alia in hoc, quod mala demerentur, bona non item. Ratione meriti Deus obligatur ad rependendum: qui autem obligatur ad aliquid, & non facit, injuſtus eſt.

XXVIII. *Non poteſt ergo Deus natura ſua non punire peccata, facit tamen hoc vel ex pacto, vel compacto, non demerito abſoluto: Poterat enim hoc facere, ut quod peccatum eſt, eſſet actus juſtitiæ.*

Conſect. Ineptum ergo Argumentum Adverſariorum qui dicunt, Si Deus non poteſt non punire peccata, ſic ejus voluntas ab objecto aliquo extra ipſum determinaretur.

XXIX. *Miſericordia Dei in Scriptura vocatur bonitas, gratia.*

Conſect. 1. Bonitas & gratia eſt etiam erga Angelos beatos.

2. Erga homines vocatur miſericordia, quia homines ſunt miſeri.

3. Miſericordia iſta extenditur tum circa omnes, tum circa quoſdam, id eſt, electos: ſunt enim beneficia quædam quæ in homines confert, ut ſunt beneficia corporalia: *Facit* enim *Solem ſuum oriri ſuper juſtos* &c. & ratione ſpiritualium circa quoſdam. Hinc illud, *Miſeretur quorum vult.*

XXX. *Miſericordia Dei dicitur major in Scriptura, ſeu prædicatur pro juſtitia & ſeveritate, idque propterea, quia cauſas juſtitiæ tenemus; nam illæ ſunt in nobis: At miſericordiæ Dei nulla eſt cauſa præter bonitatem Dei gratuitam, qui Chriſtum nobis redemptorem dedit & in eo omnia.*

Conſect. 1. Hinc Deus non libenter punire dicitur, quoniam cauſa punitionis & interitus tota quanta eſt, quæ nomine meritoriæ venit, ex nobis eſt, nempe peccatum, & non ex Deo. Alioqui ſi rigide verba iſta urgeantur, num, quæſo, Deus punit invitus aut ex animi ægritudine?

2. Hinc liquet, quo ſenſu *Eſai.* 28. *v.* 21, dum Deus punit, dicitur facere opus ſuum, extraneum opus ſuum, quia ſcilicet cauſa meritoria in nobis eſt.

XXXI. *Attributa improprie dicta, cognoſcuntur improprie talia Deo tribui, ex attributis propriis, & ex defectu quem important.*

Conſect. 1. Improprie ergo tribuitur Deo pœnitentia, quia immutabilitas Deo propriiſſime tribuitur.

2. Dum dicitur *venire, adire*, improprie & hoc, quia ipſi propriiſſime tribuitur infinitas.

3. Dum ipſi tribuuntur membra humana, improprie hoc, quia proprie dicitur Spiritus.

CAP. IV.

De tribus Perſonis in Eſſentia Dei.

I. V*Bi ſunt Iehova exercituum mittens, & Iehova miſſus, ibi ſunt plures*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Perſonæ in eſſentia Dei. Atqui in Scriptura hoc eſt. Sequitur ergo concluſio. Nam unus Deus eſt. Aſſumpt. Zach. 2. verſ. 10, 11, 12.

Conſect. 1. Ergo falſum, eſſentiam ſingularem Dei, non poſſe eſſe communem pluribus Perſonis.

2. Falſum, unamquamque Perſonam ſingularem habere eſſentiam.

3. Falſo etiam dicitur, ſolum Patrem eſſe ſolum Perſonam divinam.

4. Falſum etiam quod dicunt, Deum in creatione hominis dicentem, *Faciamus hominem* &c. allocutum vel Angelos, vel more magnatum locutum.

5. Hinc liquet vim inferri loco iſti Geneſ. in quo Deus alloquitur ſibi pares, dum dicitur, *Ecce homo ſicut unus ex nobis.*

6. Eſſentiam divinam habere genium communis naturæ, etiamſi ſit ſingularis.

7. Hinc non male aſſeritur à Theologis, iſtam propoſitionem, *Eſſentia divina eſt Pater*, eſſe ſingularem ſeu particularem.

II. *Singulari non repugnat commune eſſe, ut putant Sociniani.*

Conſect. 1. Hinc, anima ſingularis, forma ſingularis, communis eſt omnibus partibus materiæ, nec repugnat hoc ipſi.

2. Non ergo hoc eſt contradictorium, ut illi putant, ſingulare eſſe, & commune eſſe multis ſingularibus.

III. *Ea quæ de vero Deo æterno dicuntur in Vet. Teſtamento, accommodantur in N. Teſtamento indiſcriminatim Patri, Filio, & Spiritui Sancto.*

Conſect. 1. Ergo eſt ille unus verus Deus, Pater, Filius, & Spiritus-Sanctus.

2. Non ſunt hæ Perſonæ una, ſed diſtincta, quia Pater Filius non eſt, nec Filius Pater, Pater & Filius non ſunt Spiritus Sanctus: nec Spiritus Sanctus Pater & Filius.

3. Erunt ergo tres Perſonæ unius eſſentiæ.

4. Erit ergo in eſſentia divina alius & alius: non vero aliud & aliud.

IV. *Pater ab æterno genuit Filium.*

Conſect. 1. Hinc Filius æternus, *Michea* 5. & *Ioan.* 1, In principio.

2. Hinc *Ioan.* 17, Habui gloriam apud te, &c. Si enim habuit, fuit.

3. Socinianorum commentum non ſtat, qui dicunt, per nobis datam gratiam ante tempora ſecularia, non ſignificari æternitatem, *Tit.* 1. *v.* 2; neque enim promiſſio aut fieri potuit aliqua aut facta ante æternitatem.

4. Hinc etiam Chriſtus vocat Patrem proprium, *Ioan.* 5.

5. Hinc etiam vocatur proprius Filius.

6. Hinc quoque colligitur, inepte Socinianos affirmare, dici proprium quia eſt peculiaris. Ex peculiaritate enim nemo dicitur proprius vel æternus.

7. Hinc intelligitur quomodo primogenitus dicitur, quod ut Filius ſit ita & heres; ut hoc ipſi *Heb.* 1, tribuitur, ubi conjungit iſta Spiritus Sanctus, Condidit per eum omnia, & eſt heres omnium.

8. Hinc vane Socinus dicit: Vocari ipſum Filium, quia reſſuſcitatus à mortuis. Item quod fuerit Sacerdos; nam vocatus eſt Chriſtus Filius Dei, antequam reſſuſcitatus & natus eſſet, *Pſal.* 2, & vocatus Filius antequam ad Sacerdotium vocatus eſſet. *Heb.* 10, Ecce adſum, ut faciam &c.

9. Hinc ſequitur, Chriſtum eſſe quidem αὐτόθεον, quod communem naturam habeat cum Patre & cum Spiritu Sancto; ſed non αὐτογόν.

V. *Deus genuit in eſſentia ſua, & gignit porro, actus enim æterni perpetui, interim perfecte Filius eſt.*

Conſect. 1. Si enim in Phyſicis actus aliqui perpetuo oriuntur, & tamen perfecti ſunt, tum id non poteſt negari de natura Dei.

2. Par ratio hic eſt proceſſionis Spiritus Sancti, & generationis Filii. Proceſſio eſt perfecta, & tamen dicitur procedere Spiritus à Patre. Ergo etiam generatio perfecta, & tamen Filius dicitur gigni.

3. Explicatur hoc æquipollenti in Scriptura, cum dicitur eſſe in ſinu Patris, *Ioan.* 1.

VI. *Dum*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

VI. *Dum dicitur Filius eſſe Verbum Dei, non intelligitur Verbum accidentale, ſed eſſentiale.*

Conſect. 1. Neque enim Deus uſus eſt aliquo Verbo accidentali in creando, nam quos allocuturus fuiſſet, vel Angelos, vel homines? Non prius, quia non erant: nec homines, quia itidem nulli fuerunt. Ergo Verbum hoc tantum referebatur ad res, ut fierent, juxta illud Rom. 4, *Vocat ea quæ non ſunt, tanquam ſi ſint.* Præterea Verbum iſtud, quo creavit omnia, aut erat creatura, aut creator: Si prius, aut creavit Verbum iſtud Verbo, aut ſine Verbo: Si Verbo, proceſſus in infinitum: Si ſine Verbo, cur ergo neceſſe erat creari hoc Verbum, cum ſine Verbo ut creavit Verbum, ita & omnia poteſt creare? Si creator; ergo habemus intentum.

2. Hinc *Pſal.* 33, Verbo Domini cæli facti ſunt, &c. bene concluditur Trinitas.

3. Hinc illud Joan. 1, *In principio erat Verbum* &c. per Verbum iſtud facta omnia &c. intelligitur.

VII. *Spiritus Dei dicitur, & interim ſimul dicitur Deus, & attributa ipſi divina deferuntur.*

Conſect. 1. Eſt ergo Deus, diſtinguitur tamen à Deo, ut alius eſt; ſicut Chriſtus dicit, *Mittam Paracletum alium.*

2. Idem ergo eſt eſſentia cum Deo.

3. Hinc vox *Dei* capitur ὑποστατικῶς, & οὐσιωδῶς. Contradiſtinguitur enim Deo ὑποστατικῶς dicto, non οὐσιωδῶς.

4. Neque tamen dici poſſunt tres Dii ὑποστατικῶς dicti. Ratio, quia Deus ὑποστατικῶς non dicitur perſonalitas in abſtracto, ſed perſona in concreto, hoc eſt, modus ſubſiſtendi cum eſſentia; cum igitur eſſentia non ſit niſi unica, & ab eſſentia dicatur Deus perſona, idcirco non poſſunt dici tres Dii ὑποστατικῶς.

VIII. *Perſona non dicit Deum ex modo ſubſiſtendi, ſed ex eſſentia: nam ex modo vocatur Pater, Filius & Spiritus Sanctus.*

IX. *Spiritui Sancto tribuitur, quod in nomine ipſius aliquid fiat, imo tribuuntur ipſi talia, quæ cadere non poſſunt niſi in perſonam.*

Conſect. 1. In cujus enim nomine dicitur aliquid fieri, perſona eſt.

2. Dicitur mandare: verbi gratia, dixit Spiritus Sanctus, *Segregate mihi Barnabam* &c.

3. Inepte Sociniani, qui ſi quid, quod proprium perſonæ eſt, tribuitur Spiritui Sancto, id dicunt per proſopopœiam tribui.

4. Quod etiam falſum eſſe probatur inde, quod Spiritui Sancto plena & integra definitio perſonæ tribuatur, & per omnia competat id, quod in exemplis à Socinianis allatis locum non invenit.

X. *Spiritus Sanctus dicitur per appropriationem nominis etiam Pater, quia eſt Spiritus: dicitur & poteſt dici Spiritus Sanctus etiam Filius; tamen non vocatur ita, quia per appropriationem id tribuitur Spiritui Sancto.*

Conſect. 1. Hinc dicuntur omnia peccata in Patrem & Filium remitti, ſed peccatum in Spiritum Sanctum non remitti.

2. Hinc perſonæ diſtinguuntur tum ad intra, tum ad extra ratione ordinis in operando.

3. Hinc per appropriationem Patri tribuitur creatio, Filio redemptio, Spiritui Sancto ſanctificatio.

XI. *Spiritus Sanctus procedit à Patre & Filio Perſonis ſpirantibus.*

Conſect. 1. Hinc non habet duplex principium Spiritus Sanctus, ſed unum. Una enim ſpiratione activa procedit à Patre & Filio.

2. Hinc bene Theologi diſtinguunt Perſonas Sacro-ſanctæ Trinitatis, in ſpirantes, & ſpiratam: ſpirantes, hoc eſt, Patrem, & Filium.

CAP. V.

De Prædeſtinatione & Reprobatione.

I. *Deus deſtinat omnia ad certum finem & media.*

Conſect. 1. Hinc volitio de fine prior eſt ordine naturæ deſtinatione mediorum.

2. Hinc verum eſt, Deum eodem ordine agere, quo decrevit agere. At non verum, Deum in exequendo eundem ſequi ordinem, quem in decernendo; nam in decernendo prius cogitat de fine, quam mediis: in exequendo autem incipit à mediis, & in fine deſinit.

II. *Decretum Dei nunquam irritum redditur, tum quod Deus illud non mutat,* Eſaï. 46, *tum quod illud nemo irritum reddere poteſt.*

Conſect. 1. Nuſquam ergo datur Voluntas Dei inefficax.

2. Dum dicitur Voluntas Dei efficax, non opponitur non facienti, ſed irrito.

3. Hinc ſequitur, Deum nunquam ſuo fine excidere.

4. Hinc vera illa Regula: *Ex eventu judicandum de Voluntate Dei.*

5. Hinc ſequitur, dum dicitur res deviare à fine ſuo, dici deviare ratione operis, non operantis.

6. Sequitur, peccatum non eſſe contra Voluntatem Dei, ſed contra Legem Dei. Hinc etiam peccatum non debet definiri per transgreſſionem Voluntatis divinæ, ſed per transgreſſionem Legis Dei.

III. *Cum autem de omnium fine à Deo ſtatutum ſit, tum etiam de mediis ad eum, tum maxime hoc ſtatutum de fine rationalis creaturæ, utpote digniſſimæ rerum omnium.*

Conſect. 1. Statutum ergo de Angelis, & de hoc, & de mediis per quæ ad iſtos fines devenitur; Cum ergo in creaturis rationalibus Deus in quibuſdam juſtitiam exercet, in quibuſdam miſericordiam manifeſtat, hinc etiam eos ad iſta deſtinavit.

2. Hinc etiam illos ad peccata deſtinavit; nam ſine peccato nec locus miſericordiæ, cum illa exhibeatur creaturæ miſeræ; nec juſtitiæ vindicatrici locus ullus eſſet.

3. Hinc etiam ſequitur, cum deſtinatio ad finem, & deſtinatio ad media, ſint vere Prædeſtinatio, Prædeſtinationem tam de Reprobatione, quam Electione, dici poſſe.

IV. *Peccatum natura ſua non obtinet ut ſit medium ad hos vel illos fines deſtinatum, ſed habet hoc ex ordinatione divina.*

Conſect. 1. Aliud ergo eſt, eſſe peccatum; & aliud eſt, eſſe medium: nam peccatum, qua peccatum, malum eſt; medium, qua medium, bonum eſt: Eſt enim cauſatum finis.

2. Peccatum Deus quidem non poteſt non punire, ſed hactenus medii rationem ſubit; quod in quibuſdam puniat, in quibuſdam non.

3. Præterea ſæpe peccata peccatis punit, & dum peccato peccatum punit, medii rationem habet peccatum, quatenus pœna eſt.

V. *Deus ergo peccatum non vult propter ſe, hoc eſt, non terminatur volitio Dei in peccato.*

Conſect. 1. Hinc, Deus non dicitur efficere peccatum, ſed permittere.

2. Hinc non dicitur velle peccatum ſimpliciter, ne per hoc intelligatur volitio Dei terminari in peccatum, ſed dicitur velle fieri peccatum.

VI. *Deus, antequam hominem decreviſſet creare, vidit poſſibilem factu; omnis enim Voluntas Dei ad extra præſupponit ſcientiam poſſibilium.*

Conſect. Conſideravit ergo hominem, antequam eum creaſſet, factu poſſibilem.

VII. *Cum vero nihil efficere velit, niſi certo fine (eſt enim ſapientiſſimus); hinc, non decrevit hominem, qui poſſibilis erat factu, creare niſi certo fine.*

Con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Conſect. 1. Finis autem ultimus cum in ordine finium ſit optimum quid, idcirco maxime propter hunc finem condidit hominem. Finis autem ultimus eſt gloria Dei. Ergo propter ſe fecit hominem.

2. Cum autem finis iſte ſit in manifeſtatione miſericordiæ, partim in manifeſtatione juſtitiæ vindicatricis, idcirco decrevit homines eo fine condere, ut in quibuſdam manifeſtaret miſericordiam ſuam, in quibuſdam juſtitiam ſuam.

3. Hinc liquet, objectum Prædeſtinationis, ratione finis, ut eſt in intentione, eſſe hominem factu poſſibilem, ſive creabilem.

VIII. *Cum ergo Deus non potuit pervenire ad finem quem præſtituit, niſi hominem crearet, in lapſum permitteret, & quorundam, qui lapſi, miſereretur, quoſdam vero in lapſu relinqueret.*

Conſect. 1. Ideo Deus decrevit hominem creare, in lapſum permittere, decrevit labi.

2. Dicitur non poſſe, non defectu potentiæ, ſed objecti.

3. Hinc ineptum eſt, quod Adverſarii volunt, eodem ordine quo Deus decrevit decreta ſua, eodem etiam ordine exequi.

IX. *Deus quorundam decrevit miſereri, & eos ex lapſu liberare.*

Conſect. 1. Hinc miſericordia Dei non eſt univerſalis, hoc eſt, non eſt omnium & ſingulorum.

2. Hinc ſequitur, Deum velle aliquos in lapſu relinquere.

3. Deum nolle omnium & ſingulorum ſalutem.

X. *Iſti quidam, quorum miſereri decrevit, vocantur electi; vocantur iſti, quorum nomina ſunt ſcripta in libro vitæ.*

Conſect. 1. Objectum ergo electionis ſunt homines lapſi, quia ex miſericordia iſta electio eſt, lapſi inquam.

2. Electi non ſunt electi tantum in genere, hoc eſt, qui Chriſtum erant recepturi, & in eum credituri, ſed ſingulariter, quoad certas, definitas, ſingulares perſonas.

3. Non ergo cogitandum eſt, Deum concepiſſe aliquod decretum indefinitum de ſalvandis hominibus, qui in Chriſtum eſſent credituri, incertum habens, an eſſent aliqui futuri, qui in Chriſtum credituri eſſent. 2. Quinam iſti futuri eſſent. Quod Arminius aſſerit.

XI. *Cum ergo decreviſſet miſereri lapſorum, & juſtitia vindicatrix hoc non permitteret, neque enim Deus poteſt abſolvere ſontem, idcirco ut juſtitiæ Dei ſatisfieret, ex eadem miſericordia decrevit Filium mittere, qui in ſe peccata electorum derivaret, & pro ipſis ſatisfaceret.*

Conſect. 1. Hinc intelligitur locus *Pſal.* 85. 11, Miſericordia & veritas obviarunt.

2. Hinc etiam oſtenditur, quæ ratio quod juſtitia dicitur oſtenſa in miſericordia, & miſericordia in juſtitia, *Rom.* 3. 24, 25, 26. *Eph.* 1. *verſ.* 7.

3. Hinc ſequitur, Chriſtum non eſſe miſſum propter reprobos, ſed propter ſolos electos.

4. Sequitur, Chriſtum veniſſe ut ſervaret quod perierat, limitandum eſſe, ſcilicet ex illis quod perierat, quæ data ſunt ipſi à Deo, *Ioan.* 6, Quod perierat ex ovibus Iſraëlis.

5. Hinc in Scriptura dicitur Chriſtus inquirere in ovem perditam, & eam invenire.

6. Sequitur, Chriſtum nunquam vocaſſe ad ſe vocatione externa reprobos, ut eos ſervaret.

7. Sequitur, dum Chriſtus dicitur poſitus in ruinam multorum, poſitum eſſe non ab alio aliquo, quam à Deo.

XII. *Miſericordia Dei, quam decrevit ſuis dare, qua Deus dignatur quem dignatur in perpetuum, & ex qua infallibiliter ſalutem confert.*

Conſect. 1. Hinc confert media omnia neceſſaria ad finem.

2. Hinc punit quidem virga paterna ſuos, ſi peccent, at eos caſtigat modice, *Ier.* 46. 28.

3. Hinc datur perſeverantia in fide & caritate.

XIII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

XIII. *Deo licet facere cum creatura, quod figulo licet cum argilla, imo & infinities magis licet Deo. Ratio. Quia proportio figuli eſt ad argillam & argillæ ad figulum: At nulla proportio creaturæ ad Deum.*

Conſect. 1. Hinc potuit Deus quibuſdam decernere interitum, ſive damnationem æternam, nullo intuitu ad peccatum.

2. Hinc ut hæc effectui daret, potuit hominem condere ad interitum.

3. Hinc etiam non male dicitur, Deum condidiſſe homines quoſdam ad condemnationem.

4. Hinc male reprehenditur hæc phraſis à quibuſdam, cum ex natura rei vera ſit, & Scripturæ conformis, dicitur enim *Proverb.* 16, Omnia Deus operatus propter ſe, etiam impium ad diem mali.

5. Hinc etiam bene dicitur ex natura rei, & conformiter ad Scripturam, Deum deſtinaſſe quoſdam ad peccandum, 1 *Pet.* 2, Poſiti ad hoc, ut impingerent. & *Iudæ verſ.*4, Proſcripti olim *&c.*

XIV. *Qui ergo reprobati ſunt, neceſſario peccant.*

Conſect. 1. Nec tamen peccatum eſt effectus Reprobationis, nam ſequeretur, quod eſt cauſa cauſæ, eſſ etiam cauſa cauſati; & ſic Deus, qui eſt cauſa reprobationis, reprobatio autem cauſa peccati, eſſet indubitato Deus cauſa peccati.

2. Ideo hic Piſcator hallucinatus eſt, qui concipiebat hanc rem ſub nomine effecti, cum concipi debebat ſub nomine conſequentis.

XV. *Deus quidem decrevit quoſdam æternum damnare, & deſtinavit propterea eos ad peccandum, neque tamen cogit quenquam peccare, ſed quilibet iſtorum ſponte ac libere peccat.*

Conſect. 1. Hinc oratio iſtorum blaſphemia convincitur, qui ubi de myſteriis iſtis agitur, dicere ſolent, non poteſt condemnare Deus iſtos juſte, quia neceſſario peccabant, & in peccatis perſeverabant; Deus enim hoc ipſum voluit & decrevit. Nam decretum iſtud nullam ipſis neceſſitatem coactionis impoſuit.

2. Præclare Calvinus in Inſtitut. monet: Quilibet homo ita peccat, ut ubi ipſe ſe conſiderat, fateri cogatur, quicquid mali & iniqui agat, illud totum à ſe ipſo volente proficiſcatur; nec quicquam ſentit ſibi à Deo neceſſitatem imponi.

3. Imo dicet hoc, quod Deus peccata prohibuerit, & quod ſibi impune peccare non liceat.

CAP. VI.
De Creatione.

I. D*Eus quæcunque fecit, propter finem fecit.*

Conſect. 1. Liberrime ergo fecit, quæ fecit ad extra, ita ut illa non facere potuerit.

2. Cum ergo nil eſſet, quod finis rationem ſuſtineret propter ſe, idcirco propter ſe omnia fecit.

3. Fecit vero omnia propter ſe infinitus exiſtens, neque enim facere potuit ex nihilo, niſi infinitus eſſet.

4. Fecit ergo non quod perficeretur ab illis quæ propter ſe fecit, ſed ut perficeret illa.

5. Perficere autem non potuit, niſi communicaret.

6. Fecit ergo propter ſe, non ut finem indigentiæ, ſed ut finem perfectionis ſive aſſimilationis.

II. *Deus quæcunque fecit, ex nihilo fecit.*

Conſect. 1. Scilicet mediate, vel immediate.

2. Particula *ex* non notat materiam, ſed terminum à quo.

3. Omnia ex nihilo facta ſunt vi Dei, omnia etiam in nihilum abire poſſunt vi Dei.

4. Hinc Angeli non ſunt quidem mortales, ſunt tamen annihilabiles.

5. Hinc illa quæ morti obnoxia, etiam in nihilum per vim Dei redigi poſſunt.

6. Hinc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

6. Hinc omnipotentia Dei maxime elucet. Facere enim aliquid ex nihilo, quod in infinitum diſtat ab aliquo, id infinitæ potentiæ eſt.

7. Hinc Deus inſtrumento uti non potuit in creatione, quia omne inſtrumentum eſt dependens in operando, atque adeo virium finitarum.

III. *Deus quæcunque fecit, dicitur Verbo feciſſe.*

Conſect. 1. Hinc ſequitur, Verbum hoc non eſſe accidens aliquod, neque quid à ſubſtantia Dei diverſum, ſed idem cum Deo & ipſi conſubſtantiale; Si enim conſubſtantiale Deo non eſſet, accidens Dei proculdubio eſſet: In Deo autem accidentia eſſe non poſſunt.

2. Hinc ſequitur iterum, Verbum hoc eſſe increatum & non factum. Nil enim quod in Deo eſt, factum dici poteſt. Hinc etiam Auguſtinus ad eam rem argumentatur: Si Verbum Dei factum eſt, dari non poteſt aliud Verbum per quod Verbum factum ſit: Etenim Deus per Verbum facit quodcunque facit. Quod ſi Verbum ipſum facere potuit abſque alio, ceteras quoque res eadem poteſtate ſine Verbo facere potuit, neque neceſſe eſſet per Verbum à Deo omnia fieri.

3. Hinc intelligitur, quare Filius Dei vocatur Verbum, *Ioan.* 1. & quomodo dicuntur per ipſum omnia facta eſſe.

4. Hinc etiam ſequitur, male rationem dari à Socinianis nominis iſtius *Verbi*, quod Chriſto impoſitum; dicunt enim, ex eo dici, quod enuntiaverit Voluntatem Dei; cum Scriptura aliam rationem det, nempe quod per ipſum facta omnia.

IV. *Res ab æterno creari non potuerunt, quia futuræ eſſent æternæ; æternum autem nil eſt, niſi ſolus Deus.*

Conſect. 1. Inepte ergo de eo diſputant Scholaſtici, an potuerit Deus mundum creare ab æterno.

2. Non potuiſſe hoc Deum ex defectu potentiæ, ſed ex abundantia ejuſdem. Contradictionem enim implicat, factum eſſe & eſſe æternum. Nam factum novitatem inducit, omne enim factum, terminum habuit à quo, & ad quem.

V. *Vt Deus non potuit ab æterno quicquam creare, ita nec in infinitum quicquam in mundo creavit, ſed omnia finita.*

Conſect. 1. Hinc omnia ſubſtantialia locum ſuum habent.

2. Locus vero diverſus pro diverſitate naturæ, nam quædam circumſcribuntur, ut corpora infra ſupremum corpus; quædam definiuntur, ut ſupremum corpus & ſpiritus.

3. Hinc etiam, omnia ita eſſe comparata in mundo, ut finita ſit ipſorum potentia.

4. Hinc etiam ſequitur, omnibus rebus eſſe aliquid difficile factu, quia potentia illorum finita.

5. Hinc ſequitur, omnia poſſe à Deo inhiberi.

VI. *Accidentia non ſunt creata, ſed ſubſtantiæ concreata.*

Conſect. 1. Hinc inepte putant Sociniani, mundum in tempore factum: nam non in tempore factus, ſed cum tempore.

2. Hinc iidem inepte dicunt, tempus æternum, dicentes, aut tempus eſt æternum; aut factum in tempore: Si æternum, obtinemus; ſi in tempore, tum, temporis dabitur tempus, & ſic proceſſus in infinitum. Dicendum enim eſt, tempus nec ab æterno, nec in tempore, ſed cum rebus creatum.

3. Hinc etiam locus non eſt æternus, ſed rebus concreatus.

4. Hinc iterum iidem inepte argumentantur, aut locus eſt factus in nihilo, aut in loco. In nihilo nil fit. Si in loco, loci dabitur locus, & ſic in infinitum. Incidimus enim ſophiſma, & dicimus, locum eſſe factum cum rebus.

VII. *Omnia extra Deum creata ſunt,* Rom. 11, *Per ipſum & in ipſo ſunt omnia, ſcilicet quæ extra Deum ſunt.*

Conſect. 1. Non immerito ergo Deus ſolus bonus dicitur, ſcilicet independenter.

2. Inepte Sociniani dicunt, Deum non omnia condidiſſe, ut materiam primam.

3. Hinc etiam, etſi in hiſtoria creationis nulla fit mentio Angelorum, & eorum creationis, creati tamen ſunt: neque mirum, quod eorum mentio non fiat; in Sacris enim literis contexitur Hiſtoria Eccleſiæ, non vero Angelorum. Itaque perinde hic fit ac cum Geographi deſcribentes regna mentionem non faciunt aliorum regnorum, niſi quantum neceſſitas poſtulat, & incidenter ſeu occaſionaliter; propterea in Sacris Literis fit mentio Angelorum in tantum, in quantum ſcilicet ſunt cuſtodes fidelium &c.

VIII. *Deus quæcunque fecit, fecit valde bona.*

Conſect. 1. Quod ergo Angeli aliqui mali ſint, hoc non habent ex creatione, ſed ex malitia & pravitate propria.

2. Hinc Spiritus Sanctus agens de malitia Angelorum in Epiſtola Judæ, dicit, originem eos ſuam reliquiſſe.

3. Hinc etiam hominem jam non naſci talem, qualis factus primitus; nam naſcitur concluſus ſub peccato ut filius iræ.

4. Hinc etiam ſequitur, Deum non eſſe auctorem peccati.

IX. *Deus creavit omnia, antequam hominem creavit, & ultimo tandem creavit hominem.*

Conſect. 1. Hinc oſtenditur propter hominem eſſe omnia: Eſſe autem propter hominem vel objective, vel uſualiter: Objective ad contemplandam ſapientiam & potentiam Dei; uſualiter ut rebus ipſis utendo ſuſtentaretur in vita.

X. *Nobilior creatura, ſi dicatur facta eſſe propter ignobiliorem, per hoc finis ejus non mutatur principalis, ſed minus principalis.*

Conſect. 1. Hinc Angelorum Dei, qui dicuntur emitti ad procurandam ſalutem electorum, finis hic eſt minus principalis.

2. Finis ipſorum eſt celebrare Deum, ſicut dicuntur celebraſſe in creatione rerum aliarum, *Iob.* 38. 7.

3. Hinc Angeli boni non ſunt propterea ignobiliores homine, quia facti videntur propter hominem.

XI. *Homo dicitur ad imaginem Dei factus.*

Conſect. 1. Imago iſta dicitur oppoſite ad veſtigium. Veſtigium hoc, eſt ſimilitudo in reliquis creaturis cum Deo quoad eſſe, poſſe, agere. Vocatur autem veſtigium eo, quod non ſpecialiter exprimat naturam Dei.

2. Imago ergo ſpecialius Deum refert. Hinc ergo imago Dei conſiſtit in intellectu & voluntate, quorum nil ſimile in ceteris creaturis reperitur.

3. Quia intellectum & voluntatem ſequuntur mores, ideo imago iſta conſiſtit etiam in dominio ſuper reliqua: Veriſſimum enim hoc, quod præſtat ſapientia reliquis, illud dominari debet reliquis.

4. Imago iſta, quia conſiſtit in natura, dicuntur enim reliquiæ legis & imaginis iſtius, idcirco homini non fuit ſupernaturalis, ſed naturalis.

5. Hinc figmentum eſt Scholaſticorum & Pontificiorum, Hominem factum eſſe in puris naturalibus, hoc eſt, neque bonum, neque malum.

6. Hinc oportet ipſos negare; quod, cum Deus dicitur creaſſe omnia valde bona, cum omnia reliqua fuerint naturaliter bona, ſolum hominem non fuiſſe naturaliter bonum.

7. Hinc etiam falſum eſt illud eorum, dum dicunt, homini poſt lapſum ſupernaturalia eſſe ſublata, naturalia læſa, non ſublata.

8. Hinc etiam doctrina illorum falſa apparet, qua ſtatuunt, hominis concupiſcentiam in ſtatu integritatis inordinatam fuiſſe naturalem.

9. Hinc iidem inepte dicunt, in homine vires eſſe aliquas, quæ poſſint aſpirare ad ſui converſionem.

10. Hinc etiam & hæc doctrina vana, quæ ſtatuit, hominem in ſtatu lapſus non habere ſe mere paſſive.

XII. *Deus, dum crearet hominem,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

dicitur deliberans, cum in reliquarum rerum creatione nihil tale de ipſo affirmetur.

Conſect. 1. Hinc homo opus Dei eſt nobiliſſimum.

2. Hinc homo qui ſtatum ſuum tueri velit, debet perpetuo expendere qui ſit & quantum Deo debeat.

XIII. *Deus creavit hominem, dando ipſi corpus & animam.*

Conſect. 1. Hinc conſtat, hominem duo tantum principia interna habere, ſcilicet animam & corpus.

2. Et cum anima ſit ſpiritus, non fecit eam ex aliquo, ſed immediate ex nihilo.

3. Hinc etiam ſequitur, ob eandem rationem animas hominum non ex traduce generari.

4. Hinc etiam intelligitur, quare Deus dicitur Pater ſpirituum contradiſtincte ad patres corporum.

5. Hinc etiam intelligitur illud: *Corpus redit in terram, ex qua ſumptum eſt, Spiritus redit ad Deum, qui dedit eum.*

XIV. *Deus pepigerat fœdus cum homine in ſtatu integritatis de vita temporaria proroganda & de vita æterna poſt conferenda; fecit vero fœdus ut dominus cum ſervo, ſive ut dominus cum ſubdito.*

Conſect. 1. Hinc intelligitur, quare vocatur fœdus Dei, & non fœdus hominum.

2. Hinc gratia Dei maxima in homine liquet, quod cum ipſo fœdus pepigerit.

3. Hoc fœdus fuit legale.

4. Hinc intelligitur, quare fœdus legale vocatur Vetus, quod ſcilicet fuerit in ſtatu integritatis, cum fœdus Evangelicum cœperit in ſtatu lapſus.

5. Fœdus ergo fuit hoc operum.

XV. *Deus dedit homini primævo Legem tum poſitivam, tum naturalem. Poſitiva fuit primo de fructu arboris ſcientiæ boni & mali non comedendo. 2. De arbore vitæ comedenda. Arbores iſtas ita vocatas fuiſſe, non quod vim in ſe continerent talem, ut præſtarent hoc à quo denominabantur, ſed quod eſſent Sacramenta rerum iſtarum.*

Conſect. Sequitur ergo, Legem naturalem à morali non diſtingui. Erat enim naturalis quatenus naturali erat cordi inſcripta. Moralis in quantum doctrinam continebat de moribus & vita inſtituenda, ut liquet ex reliquiis Legis, *Rom.* 2.

CAP. VII.

De Providentia Dei.

I. D*Eus omnia conſervat potenti ſuo Verbo.*

Conſect. 1. Quod ergo hoc Univerſum conſiſtat, id Deo debetur.

2. Hinc etiam ſequitur, omnes res ad conſervationem ſui egere potentia Dei.

3. Conſervationem Dei creatoris eſſe continuationem, neq; male ita vocari à Scholaſticis.

4. Omnia annihilanda eſſe & in nihilum itura, ſi Deus actum hunc ſubtrahat.

5. Cum res interit, interire ex modo ſubtracti iſtius actus divini.

6. Cum modus iſte duplex eſt, vel ſimplex, rem ire in nihilum, vel ſecundum quid morti ſubjacere & mori.

II. *Vis Dei conſervatrix maxime apparet in homine.*

Conſect. 1. Propterea dicitur 1 Tim. 4, *Qui eſt ſervator omnium, maxime vero fidelium.*

2. Hinc intelligitur ille locus, 1 Cor. 9: *Num boves curæ Deo?* Quaſi dicat, non ita curæ eſſe, ut homo eſt.

3. Hinc nihil cogitandum evenire, quod non ſciente & volente Deo fiat.

III. *Deus promovet omnes cauſas ad agendum, & non promovente Deo non poſ-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ſunt moveri, & movente non poſſunt non moveri.

Conſect. 1. Hinc ſequitur, nullam cauſam eſſe irreſiſtibilem.

2. Nullam cauſam eſſe extra Deum, quæ non ſit cauſa ſecunda.

3. Ineptum ergo eſt, cauſam voluntariam in actu ſuo non dependere à Deo.

4. Ineptum eſt, cauſam voluntariam non determinari à cauſa prima, & moveri à prima.

5. Hinc etiam neceſſario cauſam ſecundam moveri motam à prima.

6. In cauſa voluntaria, libere velle, & neceſſario velle, non eſſe oppoſita.

IV. *Cauſæ contingentes moventur à Deo, & motæ, non poſſunt non moveri.*

Conſect. 1. Nulla ergo contingentia eſt in reſpectu ad determinationem & præmotionem Dei.

2. Dicitur ergo contingentia reſpectu habilitatis aut aptitudinis, quæ eſt in cauſis ſecundis, ad agendum, non vero ratione actus ipſius qui eſt in contingentibus, qui neceſſario à cauſa prima fluit.

3. Non male dicitur, determinationem Dei, & præmotionem, non tollere contingentiam in rebus ipſis vere abſolutis, ratione habilitatis ipſarum ad effecta.

4. Vere tamen dicitur, quod contingens in ſe, & in ſenſu diviſo, illud neceſſitari in ſenſu compoſito.

V. *Deus verſatur circa bona decernendo, illa ad bonum finem dirigendo.*

Conſect. 1. Nihil ergo boni evenit, quod Deus non decreverit.

2. Nulli actus creaturæ rationalis boni ſunt & fiunt, quos non decreverit.

3. Pendent ergo omnes iſti actus à voluntate.

4. Præſcit ergo actus iſtos eo, quod decrevit illos.

VI. *Deus facit omnia bona, & plus effectus debet cauſæ primæ, quam ſecundæ, quia cauſa prima & inſluit in ſecundam, & in ipſum effectum.*

Conſect. 1. Inepti ergo, qui ſtatuunt, Deum eſſe tantum cauſam moralem quorumdam effectuum; Ita enim Deus effectus alicujus minus eſſet cauſa, quam cauſa ſecunda.

2. Imo eſſet vis reſiſtendi Deo in qualibet creatura rationali.

3. Imo regimini divino ſubtraheretur creatura rationalis.

VII. *Deus dirigit omnia ad bonum finem, quoad actus bonos.*

Conſect. Hæc directio differt à directione mali; quia directio bonorum eſt ſecundum eorum naturam, malorum eſt contra eorum naturam. Elicere enim bonum ex bonis, eſt ſecundum naturam eorum; bonum ex malis, contra eorum naturam.

VIII. *Deus decrevit fieri mala.*

Conſect. 1. Non poſſunt ergo non fieri.

2. Et tamen liberrime fiunt: nec enim quiſquam conqueritur, ſe compelli ad hunc vel illum actum malum edendum; imo quemlibet conſcientia accuſat, ſe auctorem eſſe ſponte & ultro eorum malorum quæ patravit.

3. Hinc etiam, nil præter Voluntatem Dei aut contra eam evenire, ſtatuendum eſt.

IX. *Deus permittit peccata.*

Conſect. 1. Non poſſunt ergo non evenire peccata, quia, cum ſit ſubtractio gratiæ Dei, impoſſibile eſt, gratia Dei ſubtracta, non fieri peccata.

2. Hinc ſequitur, permiſſionem iſtam non eſſe permiſſionem nudam.

3. Hinc etiam ſequitur, in quantum homines permittuntur à Deo, in tantum ruere ad peccata, non ultra.

X. *Deus inhibet peccata, ne ultra exundent, quam ille vult.*

Conſect. 1. Hinc milites nil potuerunt in Chriſtum, niſi ut ipſum interimerent.

2. Hinc etiam Joſephi fratres nil potuerunt ultra

ultra quod fecerunt. Cum tamen animum inducerent ipſum trucidandi.

XI. *Deus ex peccatis elicit aliquid boni.*

Conſect. 1. Non permittit ergo peccata, niſi bono aliquo.

2. Bonum hoc, non tantum ratione Dei, manifeſtatio juſtitiæ ejus in condemnatione juſta quorundam, & manifeſtatio miſericordiæ in condonatione peccatorum quorundam, ſed etiam in bonum electorum.

3. Hinc Auguſtinus affirmat, bonum fuiſſe, ut eſſet peccatum.

Cap. VIII.

De Libero Arbitrio.

I. *Libertas à jure in ſolum Deum cadit.*

Conſect. 1. Ergo in nullam creaturam cadit.

2. Ergo omnium rerum libertas pendet à libertate Dei.

3. Ergo nulla libertas ratione actuum ſuorum eſt independens, ut Adverſarii volunt.

II. *Nulla voluntas poteſt cogi: vellet enim, & nollet; quæ eſt contradictio.*

Conſect. Ergo omnis voluntas eſt libera.

III. *Voluntas humana in ſtatu integritatis accepit poſſe quod vellet, ſed non accepit velle quod poſſet.*

Conſect. 1. Hinc homo in ſtatu integritatis, dum obligatus eſſet ad velle quod poſſet, fuit obligatus ad impoſſibile.

2. Hinc Deus poteſt obligare ad impoſſibilia.

3. Hinc illud caute accipiendum fuerit, quod dici ſolet: Homo in ſtatu integritatis, quoad liberum arbitrium, potuit ſtare, & non ſtare. Nam ſi hic ſenſus eſt, Habuit facultatem ſtandi, antequam laberetur: verum hoc eſt. At ſi hic ſenſus eſt, Potuit facultate uti, cum ipſi hoc datum non ſit: falſum eſt.

IV. *Homo in ſtatu integritatis, dum ſtetit, habuit gratiam aſſiſtentem.*

Conſect. 1. Non ergo opus habuit ſuperadditione novæ alicujus gratiæ aſſiſtentis, cum hæc ſit omnipotentia, ſed ſaltem continuatione iſtius, ſi in ſtatu integritatis ſtare voluiſſet.

2. Stante hac gratia impoſſibile erat hominem labi.

3. Ex eventu conſtat, gratiam iſtam homini eſſe ſubtractam.

V. *Deus nil tenetur creaturæ, ut omni, ita rationali.*

Conſect. 1. Non ergo Deus peccavit aut peccati auctor fuit, dum gratiam hanc ſubtraxerit, & homo lapſus eſt.

2. Subtractio gratiæ ad lapſum non habebit ſe ut cauſa ad effectum, ſed ut antecedens ad ſuum conſequens.

VI. *Homo, poſtquam ſubtracta ipſi gratia eſt, liberrime peccavit.*

Conſect. 1. Libertas non eſt ſita in indifferentia quadam ad utrumque oppoſitorum, ſed in eo quod agit, ut ſponte agat ratione præëunte.

2. Libera ſunt multa, de quibus conſultatio non initur; ut quando fertur voluntas in media liquida & finem ultimum; de his enim nulla conſultatio.

VII. *Homo, poſtquam peccavit, privatus eſt imagine Dei & pravitate naturæ perculſus.*

Conſect. 1. Hinc in ſtatu lapſus liberum arbitrium eſt ſervum.

2. Servum ibi opponitur libero à miſeria, quomodo Angeli Dei liberi dicuntur.

3. Hinc controverſia nulla inter Eraſmum & Lutherum: Nam Lutherus, dum ſervum dicebat arbitrium hominis in lapſu, accipiebat ſervum prout opponitur libero à miſeria: Eraſmus accipiebat liberum prout opponitur coacto.

4. Homo in ſtatu lapſus non poteſt percipere ea quæ ſunt Spiritus Dei, imo habet ea pro ſtultitia & ſcandalo.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

5. Non poteſt ergo ferri in illa; imo non poteſt ea non odiſſe.

6. Hinc illud *Rom.* 8, Caro non ſubjicitur Legi Dei, nec poteſt.

7. Hinc etiam non poteſt velle ſui converſionem, nec ullo modo ſe ad illam præparare.

VIII. *Homo ergo poſt lapſum eſt mortuus in peccato, ut ſicut mortuus vita deſtituitur, ita mortuus in peccato, vita ſpirituali; nec ullos actus vitæ edere poteſt, ſicut mortuus vitæ temporariæ actus nullos edere poteſt.*

Conſect. 1. Divinitus ergo homo mortuus in peccatis reſſuſcitatur.

2. Habet ſe in iſta vivificatione mere paſſive.

3. Potentiam vero iſtam, ſecundum quam ſe paſſive habet, cognoſcimus non phyſicam aliquam, ſed ſubjectivam & obedientionalem.

4. Non male ergo dicitur ſe in regeneratione habere ut truncus vel lapis ratione operationis, nam ratione habilitatis ad regenerandum non habet ſe ut lapis vel truncus.

IX. *Dum ergo homo revocatur ad vitam ſpiritualem, revocatur vi Dei omnipotenti.*

Conſect. 1. Eſt ergo vis hæc irreſiſtibilis, non minus quam eſt irreſiſtibilis in revocatione mortuorum ad vitam.

2. Inepte Pontificii & Lutherani efficaciam gratiæ Dei pendere ab uſu arbitrii noſtri dicunt, adeo ut, quod gratia, quæ ſufficiens omnibus divinitus datur, in quibuſdam efficax ſit, id pendeat à ſolo voluntatis aſſenſu.

3. Hinc illa diſtinctio gratiæ ſufficientis, & efficacis, ineptiſſima.

X. *Poſtquam homo revocatus eſt ad vitam totalem ſpiritualem; quoad partes, non quoad gradus partium, ſcilicet.*

Conſect. 1. Vita ergo ſpiritualis non datur ex parte, ſed ex toto.

2. Vitæ tamen hujus facultates, dum ſumus in his terris, omnes ſunt imbeciles & infirmæ.

3. Hinc etiam actus vitæ hujus perfecti non dantur in hac vita; Actus enim attemperantur facultatibus.

4. Hinc etiam, ubi mors ſpiritualis, ibi plena eſt.

5. Hinc, cum cæcitate dicuntur plecti homines animales, cæcitas iſta non opponitur vitæ ſpirituali, ſed reliquiis Legis in natura relictis.

6. Hinc non dicuntur tales mori, ſed tradi in ſenſum reprobum.

XI. *Ut autem homo eſt particeps vitæ ſpiritualis, ita etiam cooperatur ad bonum.*

Conſect. 1. Homo ergo poſtquam reparatus eſt, habet ſe etiam ad bonum, ſed quia facultates vitæ ſpiritualis ſunt in ipſo infirmæ, proinde etiam non tantum ſe ad bonum habet, ſed etiam ad malum.

2. Hinc in ipſo eſt ſpiritus & caro.

3. Hinc pugna inter ſpiritum & carnem, ita ut non quæ velimus, illa faciamus.

4. Hinc etiam graphice nobis depingitur ejuſmodi hominis liberum arbitrium, *Rom.* 7.

XII. *In futura vita intellectus noſter erit perſpicaciſſimus; videbimus enim à facie ad faciem.*

Conſect. 1. Hinc voluntas etiam tantummodo in bonum fertur.

2. Hinc Sancti Dei homines in cælo non poterunt peccare.

3. Hoc illud eſt, quod Abraham dicit Epuloni, *Magnus eſt hiatus* &c.

4. Ibi etiam liberum arbitrium erit liberum à miſeria.

5. Ex hoc ſtatu etiam conſtat, libertatem arbitrii non conſiſtere in indifferentia ad utrumque oppoſitorum.

6. Hinc *Pareus* errat *contra Bellarm. de Lib. Arbitrio*, quod admittit, indifferentiam iſtam fore non in contrarietate, ſed in contradictione.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

CAP. IX.
De Peccato.

I. *Impoſſibile erat labi hominem, permanente auxilio Dei aſſiſtente.*

Conſect. 1. Hinc auxilium hoc ſubtractum.

2. Hinc permiſſio conſiſtit in ſubtractione iſtius auxilii.

3. Hinc neceſſario lapſus.

II. *Peccatum eſt Legis transgreſſio.*

Conſect. 1. Hinc non eſt voluntatis divinæ transgreſſio. Nam Deus, ut voluit permittere peccatum, ita fieri idem voluit.

2. Hinc Deus Legem tulit, ut Lex eſſet occaſio lapſus.

3. Quod perſpicitur adhuc magis, ſi finis creationis attendatur, qui eſt in quorundam interitu manifeſtatio juſtitiæ, in quorundam, manifeſtatio miſericordiæ.

III. *Satan aggreſſus eſt primo Evam, tanquam ſexu infirmiorem; & mediante Eva Adamum.*

Conſect. 1. Hinc non repugnat, in ſtatu integritatis dari unum firmum magis altero.

2. Hinc Eva primo decepta eſt, poſt Adam, 1. *Tim.* 1.

3. Hinc videtur Evæ peccatum gravius Adami peccato, ſicut Diaboli peccatum gravius Evæ.

IV. *Primum peccatum motu, erat dubitatio in intellectu.*

Conſect. 1. Hinc ſequitur, non omne peccatum eſſe voluntarium. Nam peccatum quod in intellectu fuit primo, anteceſſit omnem actum voluntatis.

2. Non ergo primum peccatum erat veſci fructu.

3. Hinc ſequitur, primum peccatum non eſſe ſimplex peccatum, ſed collectivum, id eſt, multitudinem peccatorum.

V. *Peccatum objecto primum, eſt excellentiæ inconvenientis inordinatus appetitus.*

Conſect. 1. Hinc veriſimile, Diabolum peccaſſe ſuperbia; id enim quod ipſi fuit in laqueum, hoc ipſum in laqueum primis parentibus objecit.

2. Non de nihilo Deum in Scriptura deteſtari præ omnibus peccatis ſuperbiam. Hæc enim primum peccatum fuit ex quo reliqua omnia. Primum autem in unoquoque genere eſſe fontem reliquorum.

VI. *Deus in ſtatu integritatis fœdus pactus eſt cum primis parentibus, ita ut in fœdere hoc comprehenderentur poſteri, idque liberrime & ex beneplacito ſuo.*

Conſect. 1. Poterat Deus cum ſingulis hominibus fœdus paciſci, quemadmodum cum ſingulis Angelis. Hinc Adam peccans, cum quo fœdus initum, & ratione ſui ipſius & ratione fœderatorum peccavit.

2. Hinc peccatum Adæ imputatur omnibus poſteris ex ipſo naturaliter propagatis.

3. Hinc illud Tviſſi, Deus ex beneplacito peccatum Adami poſteris imputavit antecedenter ad fœdus.

VII. *Peccatum quod derivatur in homines, derivatur per imputationem, ſive actum moralem.*

Conſect. 1. Primo Deus creat hominem; ſimul autem ac fit homo, imputat ipſi peccatum Adæ, hoc eſt, perinde ipſum habet, ac ſi ipſe peccaſſet.

2. Hinc morte ipſum percutit, morte ſcil. ſpirituali.

3. Mors hæc ſpiritualis eſt peccatum originis inhærens, quod non ſolum in privatione imaginis divinæ, ſed etiam in tota naturæ depravatione conſiſtit. Prior pars vocatur qualitas negativa Logice intelligendo, id eſt, non poſſe bonum; Altera vocatur qualitas poſitiva Logice etiam intelligendo, tantummodo ferri ad malum omni die.

VIII. *Peccatum originale inhærens & omnes partes pervadit hominis & o-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

omnes facultates, & omnes homines, qui naturaliter deſcendunt ex homine.

Conſect. 1. Hinc nullus eximitur à peccato hoc, excepto ſolo Chriſto.

2. Hinc nec Maria Virgo ab hoc peccato immunis.

IX. *Peccatum hoc in omnibus æquale eſt, eſt enim mors ſpiritualis, quæ non admittit gradus.*

Conſect. 1. Non obeſt tamen, quo minus cæcitas detur cæcitate communi irregenitorum, & durities communi duritie, gravior.

2. Nempe tum cæcitas iſta ſuperveniens, & durities, non opponitur vitæ ſpirituali, ſed opponitur Legis reliquiis in corde noſtro ſcriptis.

X. *Peccatum hoc opponitur ſanctitati & juſtitiæ Dei, cum qua nati fuimus.*

Conſect. 1. Hinc pugnat hoc peccatum cum homine novo, qui ſecundum Deum conditus fuerat.

2. Ac proinde, cum homo novus commendatur, quod fuerit valde bonus, vituperatur econtra iſte, in quem novus degeneravit.

3. Ac proinde prohibetur eſſe talis: quod facit contra eos, qui putant, peccatum originale nuſpiam prohiberi.

4. Quanquam & huc facit illud: *Qui nos jubet eſſe Sanctos, ſicut ipſe eſt.* Lev. 11.

XI. *Homo concipitur & naſcitur in peccato,* Pſalm. 51.

Conſect. 1. Hinc conſequitur, ſimul ac homo conceptus eſt, animam in ipſo jam eſſe.

2. Neque autem ſolum ſemen peccati particeps eſſe poſſet.

3. Nec poſſet David dicere, ſe conceptum, niſi anima ibi fuiſſet.

4. Hinc ſequitur, homines non naſci tales, quales primum à Deo conditi fuerant, qui enim conditi erant, placebant Deo, hi vero naſcuntur Filii iræ.

5. Hinc conſequitur, dari peccatum originale inhærens.

XII. *Peccatum hoc eſt cauſa omnium peccatorum.*

Conſect. 1. Hinc non immerito graviſſimum peccatum cenſetur.

2. Hinc liquet, quam perverſe judicent aliqui de peccato etiam hoc inhærente, quod non mereatur mortem æternam.

XIII. *Peccatum originale inhærens (ut dictum) unum idemque eſt in omnibus, nec tamen effecta producit eadem, non tamen hoc facit propter ſe, ſed quod aut gratia divina inhibeatur in quibuſdam irregenitis, aut in irregenitis, ex parte tollatur.*

Conſect. 1. Magna Dei gratia apparet etiam circa quoſdam irregenitos, utut enim nulli illorum effugituri pœnas æternas, inæquales tamen gradu toleraturi, eo, quod quidam in malitia ſua inhibiti fuerint, quidam vero non.

2. Liquet, quam ſcelerati eſſemus omnes, niſi Deus pro gratia ſua (qua dignatur etiam reprobos quoſdam) nos à peccatis retraheret, ad quæ proni ferimur.

XIV. *Quædam peccata communia ſunt reprobis cum fidelibus, quædam vero quæ reprobis propria ſunt; neque tamen omnibus reprobis, ſed quibuſdam.*

Conſect. 1. Ita peccata quæ ſunt omnibus communia, dicuntur peccata non ad mortem, 1 *Ioan.* 5. non quod morte digna non ſint, ſed quod quædam ipſorum individua condonentur in fidelibus.

2. Iſta peccata in fidelibus majora, ratione hac, quod magis ſint inſtructi ad ipſa evitanda quam infideles. Viciſſim infidelium majora, duplici ratione, tum quod pleno appetitu committantur ab infidelibus, tum quod nulla pœnitentia ſequatur ob commiſſa, niſi ob pœnam, cum in Fidelibus ſemper comitetur pœnitentia.

XV. *Peccata committuntur vel in primam, vel ſecundam tabulam.*

Con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Conſect. 1. Majora ſunt peccata quæ in primam tabulam committuntur, quam quæ in ſecundam.

2. Nec tamen ſemper. Ratio, quia ſi contingeret, ut ſimul præſtandus eſſet cultus externus tum Deo, tum proximo, & uterque ſimul præſtari non poſſit, proximo potius præſtari debet; ratio eſt, quia Deus interna magis ſpectat, quam externa; proximus externa magis, quam interna.

XVI. *Peccatum actuale proprie dicitur, quod committitur in præceptum aliquod.*

Conſect. 1. Prout præceptum unumquodque prius eſt altero, pro eo peccatum majus, quod in illud committitur.

2. Servari tamen debet proportio, ut maxima cum maximis, media cum mediis comparentur.

3. Peccatum omiſſionis analogice refertur ad peccatum actuale, ut privatio ſcilicet ad habitum.

XVII. *Peccatum aliud eſt voluntarium, aliud involuntarium, & quod fit per ignorantiam.*

Conſect. 1. Nullum peccatum per ignorantiam committitur in Spiritum Sanctum.

2. Hinc illud Pauli, 1 *Tim.* 1, Sed miſertus mei, quia ignorans feci.

3. Ignorantia excuſat à tanto, ſed non à toto, ut dici ſolet.

4. Hinc illud *Ioan.* 9, intelligitur, Si non veniſſem, & non dixiſſem *&c.*

XVIII. *Peccatum regnans in iſto eſt, qui eſt ſervus peccati, idque ex natura relatorum.*

Conſect. 1. Hinc peccatum regnans non cadit in regenitos, quacunque diſtinctione tandem hoc quis conciliare velit, ut Urſinus., & Andreas Rivetus.

2. Hinc fideles ſubjiciuntur peccato, ſed non ſerviunt, ut habetur *Rom.* 7; ratio, quia inviti peccato ſubjecti ſunt.

3. Hinc illud *Rom.* 8, quod ſuſpirant expectantes redemptionem.

XIX. *Peccatum omne meretur mortem æternam: nam maledictus qui non permanſerit in omnibus, quæ ſunt in libro Legis.*

Conſect. 1. Nullum ergo peccatum natura eſt veniale; ſi quid tamen veniale dicitur, dicitur tale eventu & gratia Dei, non vero natura ſua.

2. Cum ergo nullum ſit peccatum veniale, nullum ergo Purgatorium, quia fundamentum Purgatorii Adverſarii ponunt peccata venialia.

XX. *Quilibet ſe ipſum debet maxime amare.*

Conſect. 1. Proinde qui in ſe peccant, maxime peccant.

2. Hinc ſcortatio, adulterium, maximum peccatum cenſetur, non ratione gradus, ſed ratione objecti, quia committitur in nos ipſos.

XXI. *Peccatum, quod eſt proprium reproborum, eſt peccatum in Spiritum Sanctum.*

Conſect. Dicitur in Spiritum Sanctum, non quod non committatur in Patrem & Filium, ſed ob ordinem operandi, quod ſcil. in ordine operandi immediate in Spiritum Sanctum peccatur.

XXII. *Peccatum hoc committitur ex mera indignatione & contemptu.*

Conſect. Hinc non omnes Apoſtatæ peccant in Spiritum Sanctum; cum enim triplices ſint Apoſtatæ, vel qui metu vitæ aut fortunarum amittendarum à veritate cognita deficiunt, vel qui ſpe dignitatum & fortunarum id faciunt, vel qui ex toto contemptu & indignatione veritatem agnitam aſpernantur. Hi poſtremi tantum ſunt illi qui in Spiritum Sanctum peccant.

XXIII. *Pro peccato hoc non datur amplius hoſtia.*

Conſect. 1. Non ergo dicitur irremiſſibile, quod Deus illa non decrevit remittere, nam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

hoc pacto omnium reproborum peccata eſſent in Spiritum Sanctum, quia Deus illa non decrevit remittere; ſed dicuntur irremiſſibilia, quia pugnat cum juſtitia Dei illa remitti.

2. Neque enim Filius Dei iterum crucifigendus, aut iterum in mortem tradendus.

3. Quomodo ergo impoſſibile eſt, Chriſtum iterum crucifigi, aut in mortem tradi, ita impoſſibile eſt, peccatum in Spiritum Sanctum condonari.

XXIV. *Deus ita peccatum hoc deteſtatur, ut pro illo nolit quemquam orare.*

Conſect. 1. Poteſt ergo peccatum hoc cognoſci in hac vita.

2. Hinc ſequitur, Adverſarios ineptire, dum aiunt, Deum omnes & ſingulos velle ſalvos fieri; cum certum ſit, Deum neminem talium velle ſalvari.

CAP. X.

Actum de Peccato; ſequitur Reatus, & Pœna.

I. *Peccatum ſequitur Reatus, idque natura ſua.*

Conſect. 1. Hinc, peccato permanente, reatus durat; poteſt tamen reatus impediri, ne pœna alicui infligatur.

2. Reatus infinitus eſt; committitur enim peccatum in Deum infinitum.

II. *Reatum conſequitur pœna, idque vel in eo qui peccavit, vel in vade.*

Conſect. 1. In vade, omnium electorum: in ſe ipſis, omnium reproborum.

2. Hinc, quicquid electi patiuntur, hoc pœna non eſt; neque enim in idem bis animadvertit adæquata pœna.

III. *Pœna eſt damnoſum quid iſti, cui inflicta eſt, & inflicta propter peccatum.*

Conſect. 1. Hinc explorationes non ſunt pœnæ, *Iacob.* 1. 3. 1 *Pet.* 1. 7.

2. Hinc etiam liquet, pœnas non eſſe piorum caſtigationes, *Hebr.* 12. *v.* 6, 7, 8, 9. &c.

3. Hinc non debemus deprecari caſtigationes ſimpliciter, ſed in tantum, ut Deus modice nos caſtiget, neque nos in ira ſua conterat.

4. Hinc Scholaſtici caſtigationes, explorationes, cum vident bono fine cedere, non vocant pœnas, ſed pœnalitates.

IV. *Deus peccatorem plectit morte: per mortem autem indefinite poſitam intelliguntur omnes mortes.*

Conſect. 1. Intelligitur mors ſpiritualis, æterna, temporaria & afflictionum.

2. Hinc, cum mors ſpiritualis ſit peccatum (eſt enim peccatum originale inhærens), conſequitur, Deum peccata peccatis punire.

3. Sequitur, morti temporariæ nullum locum futurum fuiſſe, ſi homo non peccaſſet.

4. Sequitur, dum Spiritus Sanctus in *Epiſtola ad Hebr.* dicit, *Statutum eſt hominibus mori*, reſpicere Spiritum Sanctum ad iſtud Geneſeos, *Quo die comederis* &c.

V. *Pœnæ Deus auctor eſt.*

Conſect. 1. Hinc ſequitur, pœnam bonum quid eſſe moraliter, etſi malum ſit phyſice patienti.

2. Quin nec phyſice malum quid eſt, cohibet enim à peccando, ita ut quod eſt uſtio, ſectio, in gangræna, hoc pœna in homine ſcelerato.

3. Nemo debet juſta pœna ſcelerati dolere, ſed dolere debet, dum peccat: nam dum punitur, medicina adhibetur; dum peccat, malum increſcit.

VI. *Pro diverſitate peccati diverſa pœna.*

Conſect. 1. Hinc gradus pœnarum in Inferno.

2. Gradus iſti ſunt in pœna ſenſus, non in pœna damni: cum enim in infinitum bonum peccatur, & in infinito malo poſitivo homo plecti non poteſt; neq; enim datur in infinitum, poſitivum malum. Omne enim malum poſitivum effective à bono, ſubjective in bono, idcirco infinito puniuntur negativo, ſeu privativo, hoc eſt, privatione fruitionis divinæ.

CAP.

Cap. XI.

De Fœdere Dei.

I. **Fœdus Dei eſt pactum cum creatura, ita ut Deus promiſerit humano generi vitam æternam, & ſtipulatus conditionem aliquam vel operum, vel fidei.**

Conſect. 1. Hinc cognoſcitur, non fuiſſe illud proprie dictum fœdus, quod dicitur Deus pepigiſſe cum hominibus & beſtiis, *Gen.* 9. 9.

2. Hinc etiam ſequitur, promiſſionem nudam divinam aliquando voce fœderis accipi.

3. Conſequitur, fœdus proprie dictum, duplex eſſe; Legale, & Evangelicum.

II. **Legale fœdus illud eſt, quod Deus inivit cum primis parentibus, ita ut promitteretur ipſis vita æterna & reſtipularetur hanc conditionem, ut Legem Dei præſtarent perfecte.**

Conſect. 1. Hinc conſequitur, Deum ita pepigiſſe hoc fœdus, ut conditionem, quam ſtipulabatur, non velit in ipſis efficere: ſi enim voluiſſet in ipſis efficere, non minus hoc potuiſſet, quam efficit hoc jam in fœdere Evangelico, quod ſtipulatur à fœderatis; aut non minus quam in Angelis bonis, qui perſiſtunt in integritate.

2. Hinc ſequitur, Legem dediſſe primis parentibus, non quod voluerit ipſam adimpletam, ſed ut eſſet occaſio lapſus.

III. **Fœdus Evangelicum eſt, in quo Deus promiſit ſalutem daturum fidelibus cum hac conditione, ſi in Chriſtum crederent; & hanc eandem conditionem promiſit ſe in fœderatis adimpleturum.**

Conſect. 1. Hinc ergo non omnes ſunt fœderati, alioquin omnes & ſinguli ſervarentur.

2. Hinc ſequitur, Deum non velle omnes & ſingulos ſalvos fieri.

3. Neque Chriſtum veniſſe, ut omnes & ſingulos ſervaret.

IV. **Ex fœdere Evangelico conſequuntur omnia bona ſpiritualia in fœderatis.**

Conſect. 1. Hinc fides & perſeverantia in fide.

2. Hinc etiam bona opera.

3. Hinc nihil boni contulit Deus in creaturam ex proviſione alicujus boni futuri à creatura, ſed ſi quid prævidit, prævidit hoc quod facturus in creatura erat.

4. Hinc libertas major fidelium ſub N. T. quam ſub Veteri, utpote liberatorum à tot oneribus, quæ fideles V. T. tolerare cogebantur.

V. **In fœdere Evangelico quærit Deus conditionem à fœderatis, non ut oſtendat quid poſſint, ſed ut oſtendat hæc: 1, Qui ordo eſt inter ſalutem & media ad eandem ducentia: 2, Ut oſtendat quid ipſi debeamus.**

Conſect. 1. Hinc, cum dicit, *convertimini ad me, & convertar*, non oſtendit nos debere prius convertere, & tum ſe ad nos converſurum, ſed oſtendit hoc, unde colligere debeamus, Deum nos ad ſe convertere, & ſe ad nos.

2. Hinc illud quod Eccleſia *Thren.* 1, dicit, *Reſtitue nos, & reſtituemur.* Item *Cantico* 1, Trahe nos, & ſequemur.

Cap. XII.

De Perſona Chriſti, & officio ejus.

I. *In Chriſto ſunt duæ Naturæ.*

Conſect. 1. Dicuntur ergo de ipſo diverſiſſima & oppoſita.

2. Dicitur de ipſo, quod defatigabatur, *Ioan.* 4, & quod ſuſtineat omnia potenti Verbo ſuo, *Heb.* 1. *Col.* 1, quod per ipſum omnia ſubſiſtunt: dicitur de ipſo quod omnia ſcit, quæ ſunt in homine, nec opus eſt, ut ipſum quis doceat: & dicitur de illo, quod ignoraverit ficus in ficu, & tempus ficuum. Dicitur de ipſo, quod natus ſit tempore Auguſti Cæſaris; & dicitur de eo, quod fuerit ante Abrahamum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

II. *Duplex natura, quia aliter genus humanum ſalvari non potuit. Debuit enim Legi eſſe ſubjectus, mori, obedientiam Legi præſtare perfectam: Prius, ut nos liberaret ab ira Dei; Poſterius, ut jus vitæ æternæ nobis acquireret; tum debent hæc ipſa eſſe infiniti valoris, cum debebat pro omnibus electis, quorum peccata infiniti valoris fuerant, obire.*

Conſect. 1. Hinc illud 2 *Cor.* 5, ut qui ſtatuerimus, ſi unus pro nobis mortuus, omnes nos mortuos.

2. Hinc etiam illud, quod in Sacris Literis dicitur, Dominum gloriæ pro nobis crucifixum, Deum redemiſſe nos proprio ſanguine, Principem vitæ eſſe trucidatum.

III. *Naturæ iſtæ ita unitæ ſunt, ut unirentur inconfuſe & inſeparabiliter.*

Conſect. 1. Hinc ergo ſequitur, proprietates earundem naturarum eſſe diſtinctiſſimas.

2. Hinc ſequitur, Adverſarios inepte argumentari, dum dicunt, eo modo proprietates eſſe communicatas λόγȣ humanæ naturæ, quomodo ſe λόγος communicavit. Nam λόγος ſe communicavit intranſitive, ac proinde etiam & proprietates naturarum.

3. Hinc etiam ſequitur, nec in morte quidem divinam naturam ſeparatam eſſe ab humana.

4. Sequitur ergo etiam, Chriſtum aliter ſe habuiſſe in morte, aliter nos: nam, dum nos morimur, anima ita ſeparatur à corpore, ut in nullo tertio conveniant: humana autem Chriſti natura conveniebat in morte etiam in ὑποστάσει τȣ̃ λόγȣ.

5. Propterea à Scholaſticis dicitur Chriſtus homo fuiſſe naturaliter, ſed non formaliter.

6. Hinc etiam ſequitur, dum Chriſtus dicitur deſertus à Deo Patre, deſertionem illam non eſſe intelligendam de ſeparatione humanæ naturæ à divina, ſed de ſubtractione ſenſus gratiæ ab humana.

IV. *Perſonam in Chriſto tanquam partes non conſtituunt divina & humana natura, ſed ſola divina natura eſt perſona. Humana autem natura in divina eſt adjunctum tantum ἐνυπόστατον.*

Conſect. 1. Hinc iſta phraſis, *Totus Chriſtus*, & *totum Chriſti.* Totus Chriſtus notat perſonam, totum Chriſti notat naturas.

2. Hinc Theologi accurati dicunt, naturas non proprie partes, ſed analogice tantummodo dici tales.

3. Hinc natura humana ad Divinam habet relationem realem, Divina ad humanam relationem rationis.

4. Relationem rationis communem quoad eſſe Dei: communem, inquam, ratione omnis creaturæ; ſpecialem vero ratione modi ſubſiſtendi.

5. Hinc ſolus dicitur in ὑπόστασιν λόγȣ aſſumptus.

V. *Chriſtus, quatenus homo, ſubſiſtit in ὑποστάσει λόγȣ.*

Conſect. 1. Hinc ſumpta humana natura cum ὑποστάσει λόγȣ poteſt dici perſona hominis; non tamen poteſt dici perſona humana.

2. Hinc humana natura per ſe ſola non poteſt dici perſona; deſtituitur enim ὑποστάσει humana.

3. Hinc humana natura cum ὑποστάσει divina ſumpta, tanto dignior eſt quibuſvis perſonis, quanto ὑπόστασις divina nobilior eſt humana.

VI. *Vnio naturarum inducit modos loquendi, abſtractum, & concretum. Concretum concipitur iſtis Verbis*, Chriſtus homo, Chriſtus Deus. *Abſtractum*, Chriſti humanitas, Chriſti divinitas, *vel* Chriſtus quatenus homo, Chriſtus quatenus Deus.

Conſect. 1. Hinc dicitur communicatio eſſe realis in concreto, non in abſtracto.

2. Dicitur realis ratione perſonæ: Verbalis, ratione naturarum: Verbi gratia, verè dicitur hæc perſona, quæ eſt Princeps vitæ, truci-

tida-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

cidata, ſed verbaliter tantum quatenus Princeps vitæ. Item vere & realiter dicitur, Chriſtum Filium hominis deſcendiſſe de cælo, & eſſe interim in cælo; verbaliter tamen dicitur, quatenus Filius hominis.

VII. *Chriſtus aſſumpſit omnes defectus cum humana natura, ſed inculpabiles; communes, non ſingulares, aut ex particulari cauſa ortos.*

Conſect. 1. Hinc Chriſtus natus eſt abſque peccato. *Heb.*2. & 4.

2. Hinc Chriſtus ſubjectus fuit fami, ſiti, defatigationi; non ſubjectus febri, chiragræ.

3. Subjectus eſt morti violentæ; non ſubjectus morti ex morbo hoc vel illo prodeunti.

4. Subjectus ignorantiæ illorum, quæ non debebat ſcire: ſic non novit extremum judicium; ficus eſſe in ficu &c.

VIII. *Chriſtus venit in mundum, ut peccatores ſervaret.*

Conſect. 1. Hinc non ſuo bono natus.

2. Hinc natus non fuiſſet, niſi homo & peccaſſet, & Deus quorundam miſertus fuiſſet.

3. Hinc quicquid fecit, non ſuo bono fecit, ſed noſtro.

4. Hinc nihil ſibi meritus.

IX. *Genus humanum per peccatum factum eſt cæcum, æternæ iræ Dei reum, & hoſtibus traditum.*

Conſect. 1. Hinc oportebat, Chriſtum primo eſſe Prophetam, qui cæcitatem tolleret.

2. Et quia eramus cæci interne, oportebat talem fuiſſe, qui facultatem videndi reſtitueret; quod non potuit fieri niſi à Deo. Propterea etiam *Iob.* 10 *cap.* ad hanc functionem Chriſti ſtupore defixus dicit: *Quis eſt ſicut iſte doctor?*

3. Poſtquam vero facultatem reſtituiſſet videndi, oportebat ut doceret externe: & hoc eſt, quod dicit Moſes, *Deut.*18, Suſcitabit tibi Prophetam Deus *&c.*

4. Requirebat hoc, ut Chriſtus ſufficientiſſimum λύτρον pro peccatis hominum penderet. *Pſal.*69. Quod non rapui, rependere cogor.

5. Requirebat ergo, ut eſſet æternus Deus: neque enim nudus homo pro genere humano ſatisfacere potuit; hinc mors ipſius dicitur, Principis vitæ, Domini gloriæ.

6. Quia vero mors iſta in perpetuum debebat nos conſervare à morte æterna, idcirco debuit pro nobis intercedere, ſe ipſum præſentando faciei Dei pro nobis, *Heb.*9.

7. Et quia non ſufficiebat, nos ex malo liberaſſe, ſed requirebatur ad hoc, ut bonum acquireretur, hoc eſt, vita æterna, idcirco Chriſtus ſe ſubjecit Legi pro nobis, ut nos jus vitæ æternæ obtineremus.

X. *Mediator, quatenus Mediator, poteſtatem conceſſam habet.*

Conſect. 1. Hinc in Scriptura vocatur *Servus Dei*, Matth.12.

2. Hinc inæqualis Deo, & quia inæqualis, in infinitum inæqualis.

3. Hinc cultus is non debetur ipſi, qui debetur Deo.

4. Et cum cultus non ſit, niſi religioſus, vel civilis; civilis ipſi debetur, ſive cultus ſecundæ tabulæ.

5. Et quia civilis admittit gradus, huic civilis ſummo gradu deferendus.

XI. *Vnus eſt Mediator Dei & hominum Chriſtus Ieſus.*

Conſect. 1. Hinc Apoteleſmata eadem ſunt Chriſti & Mediatoris,

2. Et quia diverſa principia, diverſæ ſunt conſiderationis, ut diximus: at apoteleſmata eadem,

3. Hinc ex operationibus iſtis dicitur Chriſtus Mediator efficienter ſecundum divinam naturam, meritorie ſecundum humanam,

4. Hinc nullus eſt Mediator præter Chriſtum; quia unus eſt,

5. Hinc diſtinctio Pontificiorum, qua diſtinguunt inter Mediatorem reconciliationis & interceſſionis, nulla eſt; neque enim poteſt quiſquam intercedere, niſi reconciliet prius.

XII. *Mediatio eſt duplex; ſubſtantialis, & accidentalis: Subſtantialis eſt,*

 quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

quod Chriſtus medius ſit inter Deum & hominem ſubſtantia; nam ſubſtantia eſt Deus & homo: Accidentalis, officium mediatorium.

Conſect. 1. Subſtantialem mediationem fundamentum eſſe accidentalis, nec accidentalem futuram fuiſſe, niſi fuiſſet ſubſtantialis.

2. Sequitur, Chriſtum eſſe Mediatorem ſecundum utramque naturam, & divinam, & humanam.

XIII. *Chriſtus ceſſabit eſſe Mediator ratione officii, ſed non ratione efficaciæ.*

Conſect. 1. Hinc, quia eſt propter peccatum, peccato ſublato, ipſo amplius opus non erit.

2. Hinc perſpicitur, quo ſenſu dicitur traditurus regnum Patri, 1 *Cor.* 15.

3. Hinc etiam intelligitur, quomodo dicitur Rex æternus, & cujus regni finis non ſit futurus.

XIV. *Chriſtus eſt Dominus Eccleſiæ.*

Conſect. 1. Hinc alii Prophetæ ſervi ipſius, *Heb.* 3.

2. Hinc diſcrimen hoc inter Prophetas & Chriſtum, quod Chriſtus ſuum proprium Verbum prædicavit; alii, Chriſti Verbum.

XV. *Deus non tantum externe docet, ſed & interne.*

Conſect. 1. Hinc dicitur aperire mentem, *Luc.* 14.

2. Hinc dicitur augere fidem *Luc.* 17, ubi precantur Apoſtoli, *Domine, adauge* &c.

3. Hinc dicitur illuminare omnem hominem, quem illuminat.

XVI. *Chriſto accommodatur definitio Sacerdotis veri*, Heb. 5.

Conſect. 1. Verus ergo eſt Sacerdos.

2. Ergo vere pro nobis ſacrificium obtulit.

3. Ergo ipſe vere ſacrificium fuit.

4. Ergo vice noſtri ſe obtulit.

XVII. *Sacerdos non tantum ſacrificium offerebat, ſed etiam oblati ſanguinem inferebat in Sancta Sanctorum, ſacrificium ſcilicet anniverſarii quod quotannis peragebatur.*

Conſect. 1. Oblatio hæc ſanguinis in Sancto Sanctorum non fuit ſacrificium, neque actus ſacrificialis, ſed præſentatio ſacrificii peracti.

2. Hinc præſentatio ſacrificii à Chriſto peracti in terris; præſentatio, inquam, ſacrificium non eſt, ut Socinus arbitratur.

XVIII. *Chriſtus obtulit ſacrificium, quod ſemel oblatum ſuſtulit peccata, ita ut nec continuatione ejus opus ſit: ſemel enim peregit, nec per repetitionem.*

Conſect. 1. Hinc inepte miſſificatores miſſam in locum ſacrificii Chriſti ſubſtituunt, quod vocant ſacrificium.

2. Et cum ſacrificiorum duo ſint genera, unum, quod vocant *Zebach*, quod à mactando nomen habet, & ſub quo totum genus ſacrificiorum cruentorum comprehenditur, quæ in animalibus vivis vario cerimoniarum genere & diſcrimine offerebant. Alterum *Mincha*, ſub quo incruenta ſacrificia continebantur: Et vero Chriſti ſacrificium fuit *Zebach*, inepte ſacrificium Chriſti vocant incruentum.

XIX. *Potior eſt Sacerdos, quam ſacrificium.*

Conſect. 1. Hinc inepti ſunt Pontificii, qui dicunt, Chriſtum offerri per ſacrificium; ita enim ſacrificulus dignior ſtatuitur ipſo Chriſto: Ratio, quia qui offert, active ſe habet; quod vero offertur, paſſive.

2. Hoc pacto etiam altaria ipſorum præſtantiora erunt ipſo ſacrificio, *Matt.* 23. 19.

XX. *Duæ rationes ſunt abrogationis Sacerdotis legalis. Prima eſt, quod nobis opus erat Sacerdote immortali, & qui maneret in perpetuum: Altera; quod opus erat Sacerdote qui eſſet expers peccati*, Hebr. 7. 23.

Conſect. 1. Hinc eædem cauſæ valebunt ad abolen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

abolendum ſacrificium Miſſæ, in qua Sacerdos mortalis orat pro ſuis ipſius peccatis & peccatis populi.

2. Hinc ſacrificuli inepte ſibi nomen ſumunt Sacerdotum, quandoquidem nullius ordinis ſunt Sacerdotes: non Aaronici, ut ipſi fatentur; non Melchiſedeciani, nam unicus & ſolus Chriſtus eſt hujus ordinis Sacerdos.

3. Quod ſi Miſſa eſt ſacrificium verum, ut dicunt, tum male dicit Spiritus Sanctus, pro peccato in Spiritum Sanctum non eſſe amplius hoſtiam, *Heb.* 10. 26.

XXI. *Chriſtus quod nos ferre debebamus, pro nobis ſuſtulit: hinc illud* Pſal. 69, *Quod non rapui, reſtituere cogor.*

Conſect. 1. Hinc mortem temporariam vice noſtri ſubivit.

2. Hinc non moriuntur fideles ut ſatisfaciant pro peccatis, ſed ut in ipſis aboleretur corpus peccati, *Rom.* 6.

3. Hinc melior eſt fidelibus dies mortis quam nativitatis, *Eccleſ.* 7.

4. Hinc non tantum bono noſtro Chriſtus mortuus, ſed etiam vice noſtri: neque enim bono potuit mori ratione fidelium Veteris Teſtamenti, neque enim ipſi poterant videre quid Chriſtus ageret.

5. Hinc etiam mortem gehennalem loco noſtri ſuſtinuit: Mortem damni; ut liquet ex clamore, *Deus mi*, &c. Mortem ſenſus, cum in agonia tanto timore & anxietate caperetur, ut ſudorem ſanguineum ſudaret, Angeloque opus eſſet, qui ipſum corroboraret; certe nulla ſimilitudo eſt, tanta anxietate eſſe correptum ex intuitu mortis temporariæ, cum etiam mulierculæ graviora ſupplicia, quam fuit crucis, ſæpiſſime cum ſumma voluptate adierint.

6. Hinc ineptus eſt Socinus, qui dicit, Chriſtum Servatorem noſtrum dici, quia exemplo nobis præivit; nam mors æterna, quæ in ſenſus non cadit, nulli in exemplum poni poterat.

7. Hinc quicquid Chriſtus ad tollendum reatum noſtrum fecit, illud non meriti, ſed ſatisfactionis locum obtinet.

XXII. *Chriſtus non tantum pro nobis ſatisfacere debuit, ſi ſervari debuiſſemus, ſed etiam nobis mereri; nam non aliter nobis vita promiſſa, quam ſub hac conditione,* Hoc fac, vives.

Conſect. 1. Cum homines fideles hoc non poſſint; oportet ſit aliquis, qui hoc pro ipſis præſtare poſſet: hic autem nullus alius eſt, quam Chriſtus.

2. Chriſtus ergo ſancte vivens, & Legem implendo, non ſuo loco id præſtitit, ſed loco noſtri.

3. Et hoc proprie eſt juſtitia; neque enim paſſio juſtitia dici poteſt.

4. Nec Paſſio dici poteſt obedientia, cum Paſſio & obedientia diverſis Categoriis differant. Paſſio enim in paſſionis prædicamento eſt: Obedientia in actione, nec quidquam uſpiam in Scriptura paſſionibus promittitur, ſed ſoli obedientiæ.

5. Inepte ergo iſta disjunctiva quibuſdam proponitur tanquam vera: Aut ad pœnam ſumus obligati, aut ad obedientiam; nam poſt lapſum & ad pœnam ſumus obligati pro præterito peccato, & ad obedientiam in futurum.

6. Hinc non, quia ſemel peccavimus, amplius non peccamus, ſed quotidie & indies, imo in ſingula momenta, peccamus.

7. Hinc etiam iſta regula abutuntur circa hanc doctrinam, *Sublata privatione, ponitur habitus.*

8. Non quod axioma non ſit verum, ſed quod diverſa actione id fiat.

9. Tam in actionibus moralibus, quam phyſicis. In moralibus, ut liquet *Zach.* 3, Tollite veſtes ſordidas, & induite novam cydarim. In actibus phyſicis, *Mortificate veterem, & induite novum hominem.*

10. Hinc etiam ſequitur, juſtitiam iſtam, quam Chriſtus acquiſivit ſancte vivendo, non eſſe juſtitiam, qua Chriſtus juſtus eſt: neque enim eam ſibi quæſivit, ſed nobis, ſed qua fideles juſti ſunt.

11. Hinc etiam apparet, falſam iſtam reſponſionem, qua aliqui utuntur ad hoc Argumentum: Si juſtitia Chriſti juſti ſumus, tum ſumus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ſumus æque juſti ac Chriſtus; qua, inquam, reſpondent, Non ſequitur, nam in Chriſto eſt efficienter; in nobis, effective; In Chriſto, ſubjective; in nobis, per imputationem. Cum potius ita reſponderi debeat, Non ſequi, nam Chriſtus hac juſtitia non eſt juſtus, cum eam ſibi non quæſierit, ſed ſolis fidelibus.

XXIII. Joan. 16, *dicitur*, Et ego non dico vobis, quod ſim amplius oraturus pro vobis.

Conſect. 1. Hinc interpellatio, quæ tribuitur Chriſto; interpellatio, inquam, pro nobis, non eſt formalis, ſed objectiva, hoc eſt, præſentatio ſacrificii ſui peracti, & meriti ejus, faciei Dei pro nobis.

2. Hinc etiam exprimitur hæc interpellatio per τὸ *comparere faciei* &c. Per τὸ *Advocatum agere apud Deum pro nobis; propitiationem eſſe pro nobis.*

3. Hinc etiam Chriſtus vocatur *Angelus faciei Dei*, Eſaï. 63.

XXIV. *Chriſtus eſt Rex Mediator.*

Conſect. 1. Hinc, non tantum eſt Rex regni eſſentialis, quod ipſi eſt commune cum Patre & Spiritu Sancto, ſed & Oeconomici ſeu Mediatorii.

2. Mediatorii Rex eſt, ita ut caput eſt aliter ratione ſuorum membrorum, aliter ratione Angelorum bonorum, aliter ratione hominum impiorum & Diabolorum, politicum.

3. Vindicavit ergo ſuos ab hoſtibus de jure, non jam de facto.

4. Vindicabit ab extremo judicio, cum ultimus hoſtis, mors ſcilicet, debellabitur.

5. Judicaturus vero & condemnaturus, quatenus Rex Mediator impiorum & Diabolorum.

6. Pertinet ergo judicium ad regium Chriſti munus.

XXV. *Chriſtus fuit Rex Mediator, antequam homo natus eſſet, ſecundum divinam naturam.*

Conſect. 1. Hinc illud *Hebr.* 13, Chriſtus hodie, & heri, & in perpetuum.

2. Ad hoc autem ut Chriſtus Rex eſſet, ſufficiebat potentia, quæ eſt divinæ naturæ: ut enim meritum ſtatim exiſtat, neceſſe non eſt, dum modo exiturum ſit.

3. Fuit ergo regnum Chriſti ab ipſo exordio Eccleſiæ.

4. Et Chriſtus tuebatur ſuos, adverſus hoſtes, ab ipſo exordio Eccleſiæ.

5. Quin ipſi Angeli ſubjecti erant Chriſto Servatori, & mittebantur ad procurandam ſalutem fidelium.

6. Cum vero regnum Chriſti Mediatorium duplex ſit, gratiæ, & gloriæ, fuit non tantum Eccleſia Militans, ſed etiam Eccleſia Triumphans.

7. Et quia fuit regnum Chriſti, idcirco ineptiunt Pontificii & Bellarminus, qui negant, fidelibus ſub V. Teſt. factas fuiſſe promiſſiones ſpirituales, ſed tantummodo temporales.

8. Inepte etiam negant, hoc regnum Chriſti vocatum fuiſſe Eccleſiam, ſed tantum Synagogam.

9. Inepti etiam Sociniani, qui negant, hoc regnum ſemper fuiſſe, ſed ſæpe interruptionem paſſum. Si enim ita habet, tum & Chriſtus non ſemper Rex fuit, ſed interruptionem paſſus fuiſſet in officio ſuo, idque ex natura relatorum.

XXVI. *Chriſtus homo natus, ſtatim fuit Rex Mediator.*

Conſect. 1. Hinc liquet, Socinianos ineptire, qui dicunt, Regem non fuiſſe perfecte, ſed perfecte Regem factum à reſurrectione.

2. Hinc magi inquirunt, ubi ſit Rex.

3. Hinc etiam *Zach.* 9, dicitur de Chriſto, prout adhuc in ſtatu exinanitionis fuerat, *Ecce Rex tuus venit tibi* &c.

4. Hinc etiam Pilato reſpondet, ſe Regem eſſe, ſed non de hoc mundo.

5. Hinc Pilatus etiam in ipſa crucifixione ſubſcribit ipſum Regem Judæorum, idque inſtinctu Spiritus Sancti.

6. Et quia Sociniani dicunt, Chriſtum; qua Rex eſt, eſſe Deum; ſi Chriſtus non fuit perfecte Rex in ſtatu exinanitionis, tum etiam non fuit perfecte Deus: fuit ergo ut dimidius Rex, ita dimidius Deus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

CAP. XIII.
De Iuſtificatione.

I. **V**Ox juſtificationis *eſt vox forenſis*, Rom. 8 *liquet*, Quis intentabit crimina?

Conſect. 1. Ergo poteſt aliquis eſſe peccator in ſe, & juſtificatus.

2. Ergo juſtitia propria non juſtificamur, ſed aliena.

II. *Non juſtificamur ex operibus, ſed per fidem.*

Conſect. 1. Ergo aliena juſtitia juſtificamur.

2. Ergo imputata juſtitia juſtificamur.

3. Ergo nil meremur, ſed gratis juſtificamur, & ſervamur.

4. Ergo Deus non vult omnes & ſingulos fieri ſalvos.

5. Ergo quos juſtificat, glorificat.

6. Ergo gratia Dei irreſiſtibilis.

7. Ergo gratia Dei male diſtinguitur, in ſufficientem, & efficacem; cum omnis ſufficiens ſit etiam efficax.

8. Ergo efficacia gratiæ non pendet ex libero arbitrio noſtro.

III. *Iuſtificationis actus individuus eſt, & ſimul totus.*

Conſect. 1. Ergo eſt actus moralis.

2. Ergo juſtificatione non interciditur nec revocatur.

3. Ergo qui juſtificati ſunt, glorificantur.

IV. *Bona opera non præcedunt juſtificandum, ſed ſequuntur juſtificatum.*

Conſect. 1. Ergo ex bonis operibus non juſtificamur.

2. Ergo regeneratio non præcedit juſtificandum, ſed ſequitur.

3. Ergo regeneratio ſequitur ex juſtificatione; unde illud, *Eph.* 1, Benedixit nobis.

4. Ergo juſtificatio datur, activa, & paſſiva.

5. Juſtificatio activa, qua Deus juſtificat, & quæ fide prior, utpote quæ regeneratione prior.

6. Hinc bona diſtinctio: Juſtificatio activa, quæ fit unico & individuo actu: Paſſiva, quæ fit toties, quoties accipitur remiſſio peccatorum.

7. Hinc & Socini ſophiſma evaneſcit, quod proponit: Aut fides, inquit, accipit remiſſionem jam peractam, aut facit remiſſionem peccatorum: Si accipit peractam, non eſt neceſſaria; ſive enim concipiat, ſive non, jam eſt peracta remiſſio. Dicimus enim, accipit, nec eſt fruſtra, nam facit ad tranquillandam conſcientiam hominis peccatoris. Hinc *Rom.* 5, Juſtificati pacem habemus *&c.*

CAP. XIV.
De Fide.

I. **F**Ides *conſiſtit in notitia.*

Conſect. 1. Hinc fides carbonaria nulla.

2. Hinc fides implicita, eſt cognitio, quamvis non ſit tam ſolida, quam explicita,

3. Hinc infantes fidelium plus norunt myſteriorum Dei, quam doctiſſimi quique hypocritæ.

4. Hinc notitia duplex eſt, alia practica, alia theoretica: Practica eſt fides: Theoretica etiam in Diabolum cadere poteſt.

5. Hinc notitia antecedenter ad fiduciam, alia eſt ſpecie in fidelibus, alia in infidelibus.

6. Hinc in notitia iſta, quæ in fidelibus eſt, dicitur vita æterna conſiſtere, *Ioan.* 17.

II. *Fides explicita non abſolute dicitur, ſed in comparatione ad implicitam.*

Conſect. 1. Ita ſcil. ſicut regeneratio infantium dicitur inchoata, non quod adultorum non ſit inchoata, ſed in comparatione ad regenerationem adultorum dicitur inchoata.

2. Hinc bene dicitur de omni fide, quod ſit imperfecta; *Ex parte enim cognoſcimus*, 1 Cor. 13.

III. *Fides non tantum conſiſtit in notitia, ſed etiam in fiducia.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Conſect. 1. Non ergo actus ſecundus eſt tantummodo credere, ſed etiam fiduciam habere, ut in illo:

O formoſe puer, nimium ne crede colori.

2. Fides non eſt ens ſimplex, ſed aggregatum.

3. Non tantum ergo eſt in intellectu, ſed etiam in voluntate.

4. Neque repugnat, quod *Eph.* 3, dicitur, per fidem habere nos fiduciam; nam fiducia in quantum verſatur circa res præſentes, fides eſt; in quantum verſatur circa res, tanquam futuras, ſpes eſt.

IV. *Fides, utut remittere de gradu poteſt, perire tamen non poteſt.*

Conſect. 1. Hinc doctrina de perſeverantia vera eſt.

2. Hinc fides nunquam eſt otioſa in homine fideli.

3. Hinc utut una parte homo fidelis labatur in graviſſima peccata, poteſt tamen alia parte præſtare bona opera.

4. Hinc illud 1 *Reg.* 15, de Davide, Quod eo tempore quo peccaverat in re Uriæ Hethæi, dicitur quoad reliqua non receſſiſſe ab omnibus quæ præceperat ei Dominus, *verſ.* 5.

5. Hinc baptiſmus non niſi ſemel adminiſtratur, qui eſt ſignum regenerationis noſtræ: Si enim fidem amitteremus, excideremus regeneratione, ac proinde ſi iterum regigneremur, oporteret nos iterum baptizari.

6. Hinc inepte Lutherani putant, peccatum, ut illi dicunt, mortale, non poſſe conſiſtere cum fide.

7. Hinc ipſorum diſtinctio peccati, in veniale, & mortale; quæ ex natura rei aſſeritur, non ex eventu, πρῶτον ψεῦδος oſtendit.

V. *Fides conjunctam habet caritatem.*

Conſect. 1. Hinc *Iacob.* 1, Oſtende mihi fidem ex operibus.

2. Hinc illud quod dicitur 1 *Ioan.* 2, Qui dicit ſe in luce eſſe, & fratrem ſuum odit, in tenebris eſt. Et illud: *Qui diligit fratrem, in luce manet.* Item, *Qui dat operam peccato, ex Diabolo eſt.* Item *cap.* 4, Si quis dixerit, diligo Deum, & odit fratrem, mendax eſt.

3. Hinc illud 1 *Cor.* 13. 2, cum dicatur de fide tota, non intelligenda fides ſalvifica, ſed fides miraculorum.

VI. *Fides eſt propter mores, non mores propter fidem.*

Conſect. 1. Hinc illud recte dicitur, *Iuſtificamur ut ſanctificemur; non contra.*

2. Hinc error circa mores gravior eſt, errore circa fidem.

3. Hinc illud contra Pontificios, dum ſtatuunt, Eccleſiam poſſe errare errore morum, non fidei, admittere graviorem plagam, ut leviorem avertant. Error enim circa finem gravior eſt errore circa media.

VII. *Error committi poteſt circa fundamentum fidei, non quidem univerſale, ſed particulare.*

Conſect. 1. Hinc Diſcipuli non credebant, Chriſtum moriturum eſſe.

2. Hinc etiam non credebant, eum reſurrecturum eſſe.

3. Hinc male ſentiebant de Chriſti regno, quod putabant, & ante reſurrectionem Chriſti, mundanum futurum fuiſſe; ut liquet ex petitione filiorum Zebedæi: & poſt reſurrectionem, ut liquet *Act.* 1.

VIII. *Neque tamen Deus permittit fidelibus, utut contingat ipſos aliquando errare circa aliquem articulum fidei, in perpetuum errare.*

Conſect. 1. Hinc illa parabola de ove perdita *Luc.* 15.

2. Hinc illud Davidis *Pſal.* 119, *circa finem:* Erro ut pecus, quære ſervum tuum *&c.*

3. Hinc etiam *Phil.* 4, Quod ſi diverſum ſentimus, Deus daturus eſt, ut *&c.*

IX. *Fides, vel reſpicit res futuras, & ea quæ non videntur; vel res præſentes: quatenus reſpicit res futuras, dicitur fides ex hoc ipſo, quod res iſtas reſpiciat futuras ut præ-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ut præſentes: quatenus vero res intuebitur præſentes, eatenus fides non vocabitur, ſed aſpectus.

Conſect. 1. Hinc ſtatuitur à Scholaſticis, fidem, etiám in ſtatu integritatis, fidem vocari potuiſſe; erat enim ibi promiſſio vitæ æternæ.

2. Fides alia objecta & alias promiſſiones intueri cœpit à lapſu.

3. Hinc eadem fides à lapſu quæ in ſtatu integritatis fuit; neque enim objecta diverſa, quæ poſtmodum intueri cœpit fides, mutabant eſſentiam fidei.

4. Propter objecta tamen fidei hæc nomenclatura acceſſit, ut diceretur fides reſtaurationis, fides juſtificans.

5. Hinc etiam fides dicitur ceſſatura, non quoad eſſentiam, ſed quoad relationem ad objecta, & quoad nomenclaturam, quam obtinet ex relatione iſta ad objecta.

6. Futura enim erit, cum credituri ſumus in Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum.

7. Vocanda tamen ratione præſentis boni, quo fruetur, aſpectus; ratione continuationis in bono iſto in æternum, fides dependentiæ, ut Scholaſtici volunt.

X. *Fides dicitur imputari ad juſtitiam,* Rom. 4. *Metonymice ponendo ſubjectum occupans, & intelligendo objectum, hoc eſt, ſatisfactionem & meritum Chriſti.*

Conſect. 1. Inepte ergo Arminiani putant, fidem proprie imputari ad juſtitiam. Nam 1, Hoc, per quod accipitur & remiſſio peccatorum, & ſors inter Sanctos, non poteſt eſſe juſtificatio noſtra, quia diverſum eſt inſtrumentum quo quid accipitur, ab eo quod accipitur. 2, Fides dicitur noſtra *Hab.* 2, Juſtus fide ſua vivit. At juſtitia qua juſtificamur, non eſt noſtra, ſed aliena, ut inveniar in ipſo non habens meam quæ ex Lege, *Philip.* 3.

2. Præterea juſtitia, qua debemus eſſe juſti coram facie Dei, debet eſſe perfectiſſima. At fides noſtra imperfectiſſima. 1 *Cor.* 13, Ex parte &c.

XI. *Fidei opponitur ex parte dubitatio.*

Conſect. 1. Dubitatio, vel talis eſt, quam ipſimet impugnamus, vel cui indulgemus.

2. Cui indulgemus, illa conſiſtere non poteſt perpetuo cum fide, ſed ad tempus poteſt: ut videre eſt in *Thren.*

3. Dubitatio quam impugnamus, conſiſtere poteſt cum fide: ut liquet in Apoſtolis *Luc.* 17, Adauge nobis fidem.

XII. *Totaliter fidei opponitur infidelitas: Infidelitas vero eſt, vel privativa, vel negativa. Privativa eſt, cum quis audit Verbum Dei, neque credit; Negativa, cum quis non audit, neque credit.*

Conſect. 1. Privativa deterior eſt negativa. Hinc illud Chriſti, *Si non veniſſem, & non dixiſſem illis, peccatum non habuiſſent.*

2. Inepte Pontificii dicunt, negativam non eſſe peccatum, neque teneri quenquam ad ea quæ ignorat. Hinc etiam Gentilibus, qui ductum intellectus ſequuntur, ex hoc principio ſalutem adſcribunt. Certum autem eſt, *Qui ſine Lege peccarunt, ſine Lege peribunt.*

XIII. *Ex toto etiam opponitur fidei hæreſis, quæ ſe habet per modum ignorantiæ pravæ diſpoſitionis.*

Conſect. 1. Deterior ergo eſt hæreſis, quam pura ignorantia.

2. Neque tamen deterior Atheïſmo, nam poteſt conſiſtere cognitio ejus, qui Deus ſit, cum ignorantia veræ religionis.

3. Natura enim notum eſt, Deum eſſe.

4. Hinc non dantur Athei theoretici, ſed practici. Teſtari hoc poteſt faſtus hominis, qui potius, quam ut Deum neget, viliſſimis creaturis ſe abjicit, & eas pro Deo colit potius, quam ut Deum ejeret.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

CAP. XV.

De bonis operibus in genere; in ſpecie, de Oratione, Petitione, Gratiarum actione, & Pœnitentia.

I. *Irregenitus eſt arbor mala, nec poteſt bonos fructus ferre, eſt homo animalis, eſt caro.*

Conſect. 1. Hinc non poteſt percipere ea quæ ſunt Spiritus Dei, non ſubjicitur Legi.

2. Hinc cadit in eum illud, quod *Rom.* 3, dicitur, *Veloces pedes* &c.

3. Hinc, ſi quid boni facit, natura hoc non facit, ſed gratia &c.

4. Hinc gratia bene diſtinguitur à Theol. in gratiam reparantem, quæ eſt fidelium, & gratiam, quam Deus exhibet ſæpe irregenitis, quæ externa: eſtque duplex; coërcens, ſive coërcitionis, ſive etiam inhibitionis; & præmotionis: & quia gratia hæc fidem non infundit tali, cui datur; idcirco, quatenus gratia, bonum opus morale inducit; quatenus vero abſque fide hoc opus peragitur, hoc opus, quod bonum eſt moraliter, peccatum eſt.

5. Quia vero bonum eſt ſubſtantia, idcirco dicitur peccatum per accidens: Quicquid enim abſque fide eſt, peccatum eſt. *Rom.* 14.

6. Hinc & iſta regula elucеſcit: *Non nomina, ſed adverbia, faciunt bona opera.*

II. *Vt ſit bonum opus aliquod, requiritur, ut fiat ad præſcriptum Legis divinæ, ut fiat ex fide, & tendat ad gloriam Dei.*

Conſect. 1. Lex Dei, in quantum regula vivendi, ſubordinatur Evangelio: in quantum vero fœdus, adverſatur doctrinæ Evangelii.

2. Quia vero nemo uſquam præſtat ex toto conformiter Legi Dei opus aliquod; neque perfecte ex fide, cum fides in hac vita perfecta non ſit; neque ad gloriam Dei, intentione perfecta: idcirco opera noſtra in hac vita ſunt imperfectiſſima, & merito aſſimilantur, *Eſai.* 64, panno menſtruato.

3. Neque tamen poſſunt dici peccata per accidens ob defectus iſtos maximos, quemadmodum opera moralia irregenitorum dicuntur peccata per accidens, idque propterea quod bona opera placeant Deo propter perſonam placentem; non vero perſona placens propter opera. Perſona vero placens propter Chriſtum, in quo illis qui ſunt in ipſo, nulla eſt condemnatio, *Rom.* 8.

III. *Meritum iſta requirit; 1, Vt ſit indebitum: 2, Vt non fiat ejus viribus, de quo dicimur mereri: 3, Vt cedat in commodum ejus, de quo dicimur mereri: 4, Vt non excedatur à mercede.*

Conſect. 1. Hinc bona opera noſtra merita dici non poſſunt, nam omnia repugnant quæ meritum requirit.

2. Hinc abſurda iſta diſtinctio, qua meritum diſtinguunt in condignum & congruum: & condignum accommodant regenitis; congruum irregenitis. Nam ſi regenitus nil mereri poteſt, quomodo merebitur irregenitus?

3. Hinc etiam opera ſupererogatoria nulla; ſi enim nullum meritum, nullum quoque opus ſupererogatorium.

4. Hinc, quæ dicuntur in Scriptura de aptitudine noſtra, ea in ſolidum Deo adſcribi debent, 2 *Cor.* 3, Non quod idonei ſimus per nos ipſos *&c.*

5. Hinc, ſi quæ dignitas in Scriptura tribuitur electis, prout certe tribuitur, *Apoc.* 3. *v.* 4. iſta dignitas non ex ipſis, ſed ex Deo eſt.

6. Hinc etiam, dum in *Epiſtola ad Coloſſ.* Paulus dicitur ſupplere in carne, quod deeſt paſſionibus Chriſti, dicitur ſupplere, non quaſi deſit aliquid ad Eccleſiam Chriſti redimendam, ſed quod deſit ad ædificandam.

IV. *Sine ſanctimonia nemo videbit Dominum.*

Conſect. 1. Non repugnat hic locus iſtis qui ſtatuunt, Non ex operibus juſtis quæ fecerimus nos, ſed ex miſericordia ſervaſſe nos, &c.

2. Sunt enim bona opera antecedentia vitæ æternæ; non ergo cauſa vitæ æternæ & ſalutis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

3. Hinc etiam intelligitur illud, *Bene operantibus datur vita æterna*, non tamen datur propter bona opera.

4. Hinc male aliqui dicunt, bona opera eſſe media ad ſalutem: Omne enim medium certo reſpectu cauſa ejus eſt, ad quod medium eſt, ut liquet ex illa Regula Logica: *Finis pro diverſo reſpectu eſt effectus ſuorum mediorum & media cauſa, & pro diverſo reſpectu eſt finis & cauſa mediorum.* Quod quidem ita verum eſt, ut nulla cauſa eximatur ab hac affectione, excepta cauſa prima.

5. Male etiam à quibuſdam bona opera dicuntur cauſa ſalutis, quod ſint pars ſalutis noſtræ: dum enim Theologi quærunt, An bona opera ſint cauſa ſalutis, quærunt de activa ſalute, non paſſiva: hoc eſt, quærunt; An Deus propter opera ſalvet; non vero hoc, An ſalutis eſſentiam ingrediatur regeneratio & effectus ejus.

V. *Bonorum operum regula eſt, Lex, nec quidquam boni cenſendum, quod Lege non præcipitur.*

Conſect. 1. Lex quæ præcipit, duplicia ſunt; quæ docet & ſimul præcipit; & quæ non docet ſed tantum præcipit.

2. Hinc inepte diſtinguuntur opera, in Legis, & Evangelii. Etſi enim non doceat Lex Evangelium, quæ tamen docet Evangelium, Lex præcipit.

3. Hinc, cum dicimur non juſtificari ex operibus, intelliguntur omnia quæ Lex præcipit.

4. Et certe, cum non juſtificemur fide, neque pœnitentia, inepte dicimur juſtificari operibus Evangelii: Et quidem fide non juſtificamur; ratio, quia per fidem juſtificamur: per fidem enim accipimus remiſſionem peccatorum & ſortem inter Sanctos. Pœnitentia vero non juſtificamur, quia opera bona ſequuntur juſtificatum, non præcedunt juſtificandum.

VI. *Cum vero electi ſimus non tantum ad ſalutem, ſed ad omnia neceſſaria ad ſalutem, tam antecedentia, quam media, idcirco electio non inducit ſecuritatem carnalem, quæ fit cum contemptu eorum, quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem; ſed inducit ſolicitudinem piam & vigilantiam perpetuam circa neceſſaria ad ſalutem, ex quorum præſentia creſcit ſecuritas & fiducia de remiſſione peccatorum certa & vita æterna.*

Conſect. 1. Hinc abſurde Adverſarii ſtatuunt hæreſin quamdam prædeſtinatorum, quaſi hæc ipſorum eſſet ſententia, *Si ſim electus, ſive bene egero, ſive non, ſalvabor*; cum electio ad finem nulla ſit, niſi ſimul ſit ad media.

2. Et hinc illud 2 *Theſſ.* Nos debemus agere Deo gratias ſemper de vobis, fratres dilecti in Domino; quod elegerit nos Deus ab initio ad ſalutem per ſanctificationem Spiritus & fidem habitam veritati.

3. Hinc & illud Petri 2 *Petr.* 1. 10, Quapropter, inquit, fratres, potius ſtudete vocationem firmam reddere, ſcilicet per bona opera.

4. Hinc fides nobis innoteſcit ex bonis operibus, ex fide, perſeverantia, ex utroque tanquam certiſſimo medio electionis.

VII. *Deus promittit ſæpe bona temporaria abſque ulla conditione; ita promiſit terram Canaan poſteris Abrahæ; ita promiſit reductionem ex Babylone populi Iſraëlitici, abſque ulla conditione.*

Conſect. 1. Ergo illud, quod aliqui dicunt, bona temporaria petenda eſſe cum conditione, non eſſe univerſaliter verum.

2. Hinc illud Salomonis oſtenditur *Prov.* 30, qui deprecatur divitias & paupertatem.

3. Hinc etiam liquet, abſentiam bonorum temporariorum ſæpe non poſſe eſſe abſque peccato.

VIII. *Abſque bonis quibuſdam ſpiritualibus poteſt homo ſalvari.*

Conſect. 1. Hinc ergo illud verum, quod bona ſpiritualia non ſemper abſque conditione ſint petenda.

2. Hinc etiam & illud verum, Deum gra-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

dus donorum ſpiritualium non omnibus ex æquo dare, ſed uni majori gradu; alteri, minori.

IX. *Preces noſtræ cur acceptentur & gratæ ſint Deo, ſit, quia fiunt in nomine Chriſti.*

Conſect. 1. Hinc illud *Ioan.*14, Nemo venit ad Patrem, niſi per me.

2. Hinc & illud quod Veteres non exaudiebantur, niſi in nomine hoc.

3. Hinc illud *Dan.*10, Audi nos, Domine, propter Dominum.

4. Hinc porro etiam illud, quod preces noſtræ non acceptæ ſint, niſi per Chriſtum, 1 *Petr.* 2. 5.

5. Hinc illud *Ioan.*16.*v.*20, Uſque adhuc non petiiſtis quicquam in nomine meo, non accipiendum abſolute ut verba ſonant, alioquin non fuiſſent acceptæ preces ipſorum Deo; ſed comparate, hoc eſt, Non petiiſtis quidquam fere, comparate ad illa quæ poſtmodum petituri eſtis.

X. *Sacrificia Euchariſtica offerebantur Deo in igne, neque abſque igne ullum offerebatur.*

Conſect. 1. Hinc gratiarum actiones debent offerri nomine Chriſti pro nobis paſſi; & quidem non tantum mortem temporariam, ſed gehennalem, quæ igne ſemper in Scriptura ſignificatur.

2. Hac ratione ſcilicet, quod quatenus nobis hæc profuerant, & proſunt, hoc habent ex ſatisfactione & merito Chriſti.

3. Hinc per fidem dicimur poſſeſſores bonorum omnium, quæ in nos conferuntur, quemadmodum homines abſque fide eorundem bonorum dicuntur illegitimi uſurpatores.

4. Hinc illud *Rom.*4, de Abrahamo, *Per fidem Abraham factus eſt heres mundi.*

XI. Homo natus ex femina bibit peccatum tanquam aquam, *Iob.* 14.

Conſect. 1. Hinc ſemper ipſi pœnitentia agenda.

2. Et quia neſcit plurima peccata, idcirco pœnitentiam non tantum agere debet pro peccatis quæ novit, ſed etiam pro peccatis occultis.

XII. *Neſcimus diem, aut horam mortis.*

Conſect. 1. Hinc pœnitentia non eſt differenda.

2. Hinc illi qui differunt pœnitentiam, prorſus ſunt negligentes ſalutis ſuæ.

3. Veriſimile eſt, judicia Dei ſtringi in tales, & eos abripi, antequam cogitent.

XIII. *Pœnitentia ſalutaris conjungi debet neceſſario cum certa fiducia remiſſionis peccatorum.*

Conſect. 1. Hæc enim diſcrimen facit inter pœnitentiam Legalem, & Evangelicam. Nam pœnitentia legalis, vera eſt natura, hypocritica fine.

2. Vera natura; hinc Deus etiam remuneratur pœnitentiam legalem bonis temporariis; ut videre licet in Ninivitis, in Achabo.

XIV. *Periculoſiſſimus eſt lapſus in idem peccatum, ſed tamen deſperandum non fuerit, ſi hoc contingat, imo ſi ſæpius contingat.*

Conſect. 1. Hinc Chriſtus Petro, *Matt.* 18, Quoties condonavero? An ſepties; An ſeptuagies ſepties? hoc enim Pater meus in cælis facturus vobis.

2. Hinc illa quæ dicuntur *Heb.*6. *à v.*4 *ad* 10, non accipiuntur de peccato, quod non eſt ad mortem; ſed de eo, quod eſt ad mortem, & quod eſt in Spiritum Sanctum.

3. Hinc quo plurium peccatorum homines ſunt ſibi conſcii, eo majori caritate in Deum ferri debent poſt remiſſionem peccatorum, *Luc.* 7.

XV. *Pœnitentia ſalutaris, non tantum cum fiducia remiſſionis peccatorum conſiſtere debet, ſed etiam cum propoſito amplius non peccandi.*

Conſect. 1. Hinc nemo debet peccare fretus miſericordia Dei.

2. Hinc illa adjuratio in tales, *Deut.* 29,

Neve

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Neve ſit, cum audierit verba adjurationis hujus, ut benedicat ſibi cum animo ſuo dicendo: Pax erit mihi, cum ex ſententia animi mei ambulabo, *&c.*

CAP. XVI.
De Eccleſia.

I. *Eccleſiæ debemus nos adjungere.*

Conſect. 1. Hinc debent notæ eſſe Eccleſiæ, ex quibus cognoſci poſſit.

2. Neceſſarium eſt nos Eccleſiæ conjungere, tum propter uſum Sacramentorum, tum propter præſtanda officia quæ fratribus debemus, tum propter diſciplinam Eccleſiaſticam.

3. Sociniani ergo inepti, qui negant, neceſſarium notas aliquas Eccleſiæ dari.

II. *Notæ iſtæ externæ ſunt, ac proinde inducunt cognitionem rei confuſam, non diſtinctam; certam in genere, non in individuo & ſingulari.*

Conſect. 1. Notæ hæ oſtendunt, in his & talibus cœtibus, in quibus notæ iſtæ reperiuntur, eſſe Eccleſiam; non tamen oſtendunt, quod hic aut ille certo ſit membrum Eccleſiæ, niſi conjecturaliter.

2. Hinc etiam ſtatuimus, poſſe notas iſtas in particularem Eccleſiam competere, neque tamen ullum membrum in iſta Eccleſia eſſe verum membrum.

III. *Adjungere nos debemus particulari Eccleſiæ, ita tamen ut hoc non ſit de neceſſitate ſalutis.*

Conſect. 1. Hinc illud axioma, *Non eſt huic Deus in cælis Pater, cui non eſt Eccleſia in terris mater*, non accipiendum eſt de particulari Eccleſia, ſed etiam de Catholica.

2. Poteſt enim fieri, ut quis in nulla ſit particulari Eccleſia, quales ſunt Catechumeni, excommunicati, converſi, vel ope alicujus vel electione, inter Gentiles, unde non poſſunt ſecedere; cum tamen ſint in Catholica Eccleſia.

IV. *Eccleſia eſt Regnum Chriſti, & Chriſtus eſt Eccleſiæ Rex.*

Conſect. 1. Hinc, ut Chriſtus Rex ab initio Evangelii promulgati, ita & Eccleſia.

2. Ineptum ergo, quod dicunt Sociniani, & Pontificii, in V. Teſt. ſcilicet nullam fuiſſe Eccleſiam, nec vocatos fideles Eccleſiam, ſed Synagogam.

3. Hinc & illud ineptum, & toti Scripturæ adverſum, homines ſub V. Teſt. non habuiſſe ullas promiſſiones ſpirituales.

4. Et hoc ineptum, quod dicant, terram Canaan promiſſam fuiſſe abſolute, non ut typum regni cælorum.

V. *Si Chriſtus Rex eſt, & Rex perpetuus, uſque dum ſubjecerit Regnum Patri, de quo* 2 Cor. 5; *tum Eccleſia deficere minime poterit; alioquin poſſet non eſſe Rex, ſi Eccleſia tolleretur: certa enim regula:* Sublato uno relato tollitur alterum. *cum tamen Scriptura teſtetur, inquiens,* Dominus in medio inimicorum tuorum *&c. Quod demum futurum eſt in die extremo, ut patet,* 1 Cor. 15.

Conſect. Hinc diſcrimen apparet inter Eccleſiæ ſtatum, ſcilicet naturæ, qui fuit in integritate; & ſtatum gratiæ, qui eſt poſt lapſum.

VI. *Eccleſia habet caput Chriſtum peculiari ratione.*

Conſect. 1. Hinc unio interna inter Chriſtum & membra, inter membrum & membrũ.

2. Hinc diſtinctio unionis internæ & externæ inter membra & caput.

3. Hinc caput Chriſtus diſtinguitur in naturale, & politicum: Naturale eſt fidelium: Politicum, Angelorum bonorum & malorum. Itemque hominum reproborum.

4. Hinc caput naturale eſt potentia, merito, & exemplari: Potentia à divinitate eſt, idcirco fuit caput in V. Teſtamento fidelium; Meritum ab humana natura. Meritum autem habet vim ſuam, etiamſi actu non exiſtat, dummodo eſſe cognitum habeat. Non ergo impedit, quominus caput eſſe potuerit, etiam in V. Teſt. Exemplari caput eſt, dum agnoſcitur vita ejus, & facta ejus. Atque neque hoc modo neceſſum

erat

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

erat ut exiſteret in V. Teſt. ſi caput eſſe debuiſſet, nam ſufficiebat, hæc, qualis futurus eſſet, deſcripta fuiſſe diligenter à Prophetis.

VII. *Chriſtus caput eſt propter Eccleſiam.*

Conſect. 1. Chriſtus ergo eſt dignior Eccleſia & indignior. Dignior in reſpectu cauſæ efficientis: quia eſt cauſa efficiens Eccleſiæ; indignior reſpectu cauſæ finalis, quia eſt propter Eccleſiam.

2. Chriſtus, quoad internum regimen, ſolus eſt Rex, nec ullum vicarium admittit.

3. Proinde ſolus habet vim & poteſtatem obligandi conſcientias.

4. Inepte ergo Pontificii Papæ Romano id ipſum adſcribunt, quaſi ille Leges tales, quæ conſcientiam obligant, condere poſſet.

5. Nec juvat eos, quod dicant, ſe non tribuere Papæ infinitam potentiam. Nam fruſtra tribuas poteſtatem obligandi conſcientias alicui, niſi eidem tribueris & omniſcientiam & infinitam potentiam. Infinitam ſcientiam, ut ſciat quis in Legem ſuam peccaverit, quis non: Omnipotentiam, ut pœna delinquentem afficere poſſet.

VIII. *Regimen hoc Monarchicum eſt.*

Conſect. 1. Hinc omnes ſunt pars Eccleſiæ, aut media ad Eccleſiam conſtituendam & conſervandam facientia.

2. Hinc omnes, præter Chriſtum, ſunt propter Eccleſiam, & tanquam totum, & tanquam finem.

3. Hinc illud, 1 *Cor.*3, intelligitur, *omnia ſunt veſtra; & Paulus*, &c.

4. Hinc omnes ſunt ſervi Eccleſiæ, filii Eccleſiæ, & membra, &c.

5. Hinc nemo poteſt ſe dicere caput Eccleſiæ univerſale.

IX. *Chriſtus ita unitus eſt Eccleſiæ, ut eam indies purget interne à peccatis, ut eam ſiſtat ad extremum judicium mundam & immaculatam.*

Conſect. 1. Nempe agit hic cum Eccleſia, ſicut cum Paulo, qui, cum peteret liberari à peccato, audivit hoc: *Sufficit tibi gratia mea.*

2. Hinc, dum vitam hanc vivimus, peccamus.

3. Hinc, quia Eccleſia ex hominibus conſtat, ſequitur, eam errare non tantum poſſe, ſed etiam errare.

4. Diſtinctio erroris in morum & doctrinæ, bona eſt; ſed non liberat Pontificios, qui, dicunt in moribus poſſe errare Eccleſiam, non in doctrina. Nam, ſi in moribus errare poteſt, tum & in doctrina, quia error circa mores major eſt, quam circa doctrinam. Ratio, quia doctrina propter mores eſt, 1 *Tim.*6. 3.

5. Hinc etiam vere dicitur in Scholis, *juſtificamur, ut ſanctificemur; non contra.*

X. *Eccleſia errare poteſt, ſed non fundamentaliter; aut, ſi fundamentaliter, non totaliter, ſed partialiter, neque finaliter.*

Conſect. 1. Hinc Apoſtoli errarunt circa mortem Chriſti, *Matth.* 16. quod apparet in Petro.

2. Hinc errarunt etiam circa reſurrectionem Chriſti, *Ioan.* 16; & circa regnum Chriſti, *Act.* 1.

3. Hinc illud 1 *Cor.*3, de illis qui ædificant circa fundamentum; ubi nominat, quod alii ſtipulam, fœnum &c.

XI. *Quæ Pontificii afferunt de promiſſionibus & aſſiſtentia Spiritus Sancti, de Chriſto ſponſo & amore ejus in Eccleſiam, quibus dicunt effici, non errare Eccleſiam circa fidem, inſtantia poſſunt eludi de peccato; nam ſi hæc non efficiunt, quo minus Eccleſia errare poßit circa mores, neque ullo modo efficere poterunt, ut Eccleſia errare non poſſit circa fidem, nam non minus Chriſtus ſolicitus eſt de moribus, quam de fide.*

Conſect. 1. Hinc, dum nobis perpetuo objectant hoc, ineptiſſime faciunt.

2. Colligenda præterea exempla à Petro ſumpta, qui in Scriptura memoratur aliquoties graviter impegiſſe circa doctrinam, & qui-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

quidem ante miſſum Spiritum Sanctum, *Matt.* 16. poſt miſſum etiam Spiritum Sanctum, *Gal.* 2, ubi dicitur non recto pede proceſſiſſe ad veritatem Evangelii.

3. Præterea error in quæſtione morum, ſeu facti, nullo negotio vertitur in errorem fidei; Si enim fatentur, Papam poſſe errare in quæſtione facti, inde planiſſime conficitur, eum errare poſſe in quavis quæſtion. doctrinæ: verbi gratia, An Chriſtus mortuus ſit, & reſurrexerit? Hæ enim quæſtiones ſunt facti, non juris.

4. Exempla colligenda à Papis: Liberius Papa Arianiſmo ſubſcripſit, teſtibus Athanaſio, Hieronymo, Hilario, & aliis plurimis. Honorius Papa à duobus Conciliis univerſalibus damnatus eſt ut Hæreticus Monothelita. Joannes XXII negavit, animas eſſe compotes gloriæ ante reſurrectionem. Joannes XXIII negavit immortalitatem animarum. Maxima pars doctorum Eccleſiæ Romanæ cenſet, poſſe Papam prolabi in hæreſin & eſſe errori obnoxium, quem tamen eſſe volunt fidei fundamentum.

XII. *Apoſtolatus nullam habuit ſucceſſionem.*

Conſect. 1. Hinc tria requiſita Apoſtolatus; 1, Quod ad unum locum non erat alligatus. 2, Quod immediate fiebat à Chriſto. 3, Quod nullam ſucceſſionem admittebat.

2. Hinc ſequitur, Petrum, quatenus Apoſtolus, nullum Succeſſorem habuiſſe.

3. Papas non poſſe dici Succeſſores Petri in Apoſtolatu.

XIII. *Apoſtoli ratione Apoſtolatus erant omnes pares.*

Conſect. 1. Hinc inepte Pontificii ſtatuunt, Petrum fuiſſe caput Apoſtolorum.

2. Hinc, Petrus mittebatur à reliquis Apoſtolis in Samariam, *Act.* 8.

3. Hinc, ſi Petrus ſeorſim moneretur ab aliis Apoſtolis, ut ſæpe fit, *Dicite Apoſtolis & Petro*, non primatum juriſdictionis hoc importat, ſed ordinis.

4. Hinc, 1 *Petr.* 5, Non dominantes clero.

5. Hinc, nullum locum afferre poſſunt Pontificii, quo oſtendant, Petrum factum fuiſſe caput Eccleſiæ: Non certe *Matth.* 16; Nam ibi diſtinguitur Petrus à Petra, neque dicitur ædificanda Eccleſia ſuper Petrum, ſed ſuper Petram. Non locus *Ioan.* 21, Paſce oves meas. Nam hoc itidem reliquis Apoſtolis injunctum eſt, ut ipſe Petrus precatur compresbyteros, ut paſcant gregem Dei. Non promiſſio clavium, quia claves iſtæ non ſunt heriles, ſed miniſteriales, & omnibus Apoſtolis conceſſæ, non minus quam Petro, ut liquet ex eo: *Quorum ſolveritis peccata* &c.

XIV. *Ex Scriptura probari non poteſt, Petrum Romæ fuiſſe, imo multæ ſunt probabiles conjecturæ, nunquam eum Romæ fuiſſe.*

Conſect. 1. Hinc Petrus cum Paulo pactis dextris, ut Petrus curaret Judæos, Paulus Gentiles.

2. Hinc 2 *Tim.* 4. 16, Paulus conqueritur, ab omnibus, qui Romæ fuerant, ſe Romæ deſertum; & precatur à Deo, ne Deus hoc ipſis imputet.

3. Hinc ſalutatur Timotheus ab Ebulo, Pudente, & aliis minorum gentium fidelibus, omiſſo Petro, à quo, ſi Romæ fuiſſet, maxime ſalutari debuiſſet.

4. Hinc ergo inepte Pontificii ſtatuunt, eum fuiſſe Pontificem Romanum.

XV. *Eccleſia Catholica eſt omnium locorum & temporum.*

Conſect. 1. Hinc ſequitur, Eccleſiam Veteris Teſtamenti non fuiſſe Catholicam; nam utut ex multis gentibus proſelytæ fuerunt, adſtricti tamen erant ad certum locum, *Deut.* 16.

2. Eccleſia eſt omnium locorum & temporum non ſimul & ſemel, ſed ſucceſſive: hoc eſt, tranſit ab una gente in alteram, & nunquam deſinit in una, quin in altera incipiat.

3. Hinc vocatio univerſalis eodem modo accipienda.

4. Multi tamen Theologi, inter quos Brichtmannus, ſtatuunt, ſub finem mundi fore vocationem univerſalem ſimul & ſemel, poſt-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

quam vocationem tenebræ occupaturæ mundū, adeo ut fides vix deprehendenda in mundo.

5. Romana ergo Eccleſia Catholica non eſt.

XVI. *Eccleſia eſt Societas ex genere hominum peccatorum, vocata in hac vita ad gratiam, poſt hanc vitam ad gloriam.*

Conſect. 1. Eſt ergo Eccleſia multitudo hominum electorum & fidelium.

2. Et quia neque electio incurrit in oculos, neque fides, idcirco Eccleſia Catholica inviſibilis diſtincte.

3. Eccleſia quam Bellarminus deſcribit, quia ex externis deſcribit, tota quoad omnes partes poteſt conſtare ex reprobis; quæ enim externa ſunt, illa præſtari poſſunt tam ab electis, quam reprobis.

4. Quia eſt Societas hominum, ideo in uno homine conſiſtere non poteſt. Proinde Bellarminus diſtinguendo Eccleſiam in materialiter & virtualiter, ubi dicit Romanum Pontificem eſſe Eccleſiam virtualiter, Eccleſiam inepte diſtinguit.

XVII. *Eccleſia V. Teſt. quia particularis erat, defecit, & defecerunt etiam Eccleſiæ Aſiaticæ, de quibus in Apocalypſi.*

Conſect. 1. Neque ergo Eccleſia Romana certa eſſe poteſt, quin deficere poſſit: imo, ut experientia ipſa teſtatur, jam defecit. Neque enim privilegium majus habet unaquæque Eccleſia particularis in hac parte, quoad alteram.

2. Eccleſiæ particulares dum dicuntur deficere, non ita capiendum eſt, quaſi qui fideles fuerant, à fide ſint averſi penitus, ſed quod aut ex uno loco diſceſſerint in alium, ut Judaïca in Palæſtinam ex Ægypto; aut quod, qui fideles erant, per mortem ſublati, & hypocritæ relicti ſunt.

XVIII. *Principibus demandata eſt cura Eccleſiarum.*

Conſect. 1. Hinc recte dicuntur Principes eſſe capita Eccleſiæ.

2. Hoc competit non tantum Chriſtianis Principibus, ſed etiam Gentilibus.

3. Hinc Paulus provocaverat ad Cæſarem Gentilem.

4. Hinc Magiſtratus eſt curare, ut Verbum Dei pure annuntietur, Sacramenta legitime adminiſtrentur, & diſciplina exerceatur.

5. Hinc Magiſtratus curare poteſt deponendos, qui impure docent, aut Sacramenta & diſciplinam Eccleſiaſticam male exercent.

XIX. *Principes tamen non poſſunt Miniſtros conſtituere, vel eos deponere, Sacramenta adminiſtrare, aut Eccleſiaſticam doctrinam exercere.*

Conſect. 1. Miniſtrorum ergo hoc eſt proprium.

2. Magiſtratus tamen poteſt præſcribere ut hæc fiant, hoc eſt, mandare, ut, qui digni excommunicatione, excommunicentur; qui vero excommunicati indigne, revocentur.

XX. *In Eccleſia ſunt quidam qui regunt, quidam qui reguntur.*

Conſect. 1. Bene ergo Eccleſia diſtinguitur in repræſentantem, & repræſentatam; hoc eſt, in eos qui regunt, & qui reguntur.

2. Rectores Eccleſiæ habent exercitium commiſſum ſibi ab Eccleſia totali; nam penes Eccleſiam eſt poteſtas, penes Rectores exercitium ejus.

XXI. *Eccleſia repræſentativa non tantum conſtat ex illis qui laborant in ſermone, ſed etiam qui tantummodo regunt*, 1 Timoth. 5.

Conſect. 1. Hinc dantur Presbyteri, qui non docent.

2. Qui docent, duplici honore ſunt digni.

3. Inepte Arminiani negant Presbyteros qui gubernant: & explicant locum hunc, *Qui laborant* &c. hoc eſt, qui laborant magis quam alii, ſeu qui laborant ad defatigationem: Nam laborare ad defatigationem apud Græcos exprimitur per verbum μοχθεῖν, cum 1 *Tim.* 5, verbum κοπιᾷν reperiatur. & 1 *Tim.* 3, dicuntur Miniſtri accepturi præmium, ſinguli κατ' ἴδιον κόπον.

XXII. *Regimen Eccleſiarum particularium eſt Democratico-Ariſtocraticum.*

Conſect. 1. In hoc regimine Chriſtus habet vicarium.

2. Vicarius hic immediate eſt tota Eccleſia; Neque enim Chriſtus judicandus erit dediſſe poteſtatem filio in matrem, aut ſervulo in dominam: ſed ſponſæ ipſi; mediate vero, rectoribus.

3. Hinc dicitur poteſtas penes Eccleſiam, exercitium poteſtatis penes rectores.

Cap. XVII.

De Regeneratione.

I. R*Egeneratio eſt mutatio ex morte ſpirituali ad vitam ſpiritualem.*

Conſect. 1. Inter mortem & vitam nullus eſt motus, ſed mutatio.

2. Differt ergo ſolis terminis, termino ad quem, & à quo. Terminus à quo, eſt homo mortuus in peccatis; Terminus ad quem, eſt vivificatus.

3. Hinc illud: *Et nos una vivificavit, cum eſſemus mortui* &c. Eph. 2. Col. 2.

II. *Regeneratio ejuſdem eſt potentiæ, cujus creatio, plura tamen prærequirit, quam creatio.*

Conſect. 1. Hinc illud 2 *Cor.* 4, Qui dixit ut è tenebris lux ſplendeſceret, *&c.*

2. Hinc ad creationem nil requirebatur, quam voluntas Dei; ad regenerationem vero, ut Chriſtus homo naſceretur, pateretur, Legi ſubjectus eſſet, eamque impleret. Neque enim quicquam in nobis benedictionum ſpiritualium eſt, quin hoc meritus ſit. *Eph.* 1, Benedixit nobis omni benedictione ſpirituali *&c.*

3. Hinc ſi in creatione nullum inſtrumentum fuit adhibitum; neque in regeneratione.

4. Hinc, dum dicimur, 1 *Petr.* 1, Regeniti ex ſemine immortali, quod eſt Verbum Dei, non dicitur de regeneratione, ſed regenerationis declaratione.

5. Hinc Verbum Dei non poteſt intelligi, niſi ab homine regenito.

6. Hinc 2 *Tim.* 2. 24, 25, 26.

7. Hinc Sociniani confunduntur, concedentes, Chriſtum novæ creaturæ eſſe cauſam; & negant eum eſſe Deum; cum majoris ſit momenti regeneratio, quam creatio.

III. *Regeneratio, quia non eſt motus, ſed mutatio, ſit in momento.*

Conſect. 1. Hinc nullæ præparationes dantur ad regenerationem.

2. Hinc, qui regenerantur, illi mortui ſunt in peccatis, velut creatura, & tales, quales deſcribuntur *Tit.* 3. 3, 4.

3. Hinc regenerationis ratio in omnibus uniformis eſt.

4. Hinc nullus altero melior, qui regenerantur.

5. Hinc mors ſpiritualis æqualis in omnibus.

6. Hinc cæcitas & induratio, ſi quæ accedit ad communem cæcitatem & indurationem, non opponitur vitæ ſpirituali, ſed reliquiis Legis poſt lapſum relictis.

7. Hinc tales dicuntur tradi in reprobum ſenſum.

IV. *Quos Deus regenerat, illi regenerantur.*

Conſect. 1. Hinc Deus facit ex cæcis videntes, ex videntibus cæcos, & ex nolentibus volentes.

2. Hinc illud: *Eximam cor lapideum, & dabo cor carneum* &c.

3. Hinc gratia Dei irreſiſtibilis eſt, non quod caro ſuperetur cum reſiſtat, ſed quod plane nihil ſit quod reſiſtat. Omnis enim reſiſtentia tollitur.

4. Hinc ſequitur, quia Deus non omnes regenerat, non omnes & ſingulos velle ſalvari.

5. Hinc, dum dicuntur Judæi reſtitiſſe Spiritui Sancto, *Act.* 7, non dicuntur reſtitiſſe intus operanti & vocanti, ſed operationem externam exercenti.

6. Hinc etiam illud *Eſai.* 5, Quid amplius faciam vineæ meæ? mere ἀνθρωποπαθικῶν, quo Deus more humano inducitur loquens, qui poſt-

quam omnia externa media adhibuerunt, quod ſolum in poteſtate ipſorum erat, nec effectus ſequitur, dicere ſolent, ultra nihil poſſe: ad eundem enim modum dicitur Deus ſermocinans, poſtquam omnia externa media adhibuerit: alioquin, 1 *Cor.* 3, dicit, *Deus dedit incrementum*; hoc nondum in Judæis præſtiterat.

V. *Regenerati, in primo momento regenerationis habent ſe mere paſſive.*

Conſect. 1. Proinde ſtulte quærunt Arminiani, an volentes, an nolentes, regenerantur: habent enim ſe mere paſſive.

2. Potentia quæ in ipſis eſt, eſt potentia obedientionalis proxima, duplex enim eſt potentia obedientionalis: una mediata, altera immediata; Mediata illa eſt, per quam res mutari debet primo in rem, hoc eſt, quæcunque eſt in homine peccatore, & tum ipſi accedit potentia obedientionalis, ſi ordinatio accedit divina ad hominem regenerandum: vel Immediata, ubi ex ordinatione divina homo peccator ordinatur ad regenerationem.

3. Et hinc, ſi ratione potentiæ immediatæ ſpectes, aliter ſe habet homo peccator ad regenerationem, quam lapis vel truncus; ſin vero ratione operis ſpectes & actionis hominem ad ſui regenerationem, tum non aliter ſe habet, quam lapis vel truncus, quia ut lapis & truncus nihil confert ad ſui efformationem, quatenus ſit ſtatua, ita nec homo ad regenerationem ſui, quatenus ſit novus homo.

4. Hinc dicitur homo nova creatura, dicitur vivificari ex morte ſpirituali.

VI. *Regeneratio in progreſſu ſumit incrementa.*

Conſect. 1. Hinc quod dicitur, regenerationem fieri in momento, dicitur de primo momento regenerationis.

2. Hinc Spiritus Sanctus monet nos, ut adoleſcamus in ſtaturam adultam Chriſti, *Eph.* 4.

3. Hinc etiam Scriptura docet, Chriſtum caput & nos membra, & per commiſſuras capere incrementa ad noſtri ædificationem.

VII. *Spiritus Sanctus teſtatur, dum ſumus in hac vita, orandum nobis eſſe:* Dimitte nobis debita noſtra.

Conſect. 1. Hinc ſequitur, nos in hac vita non perfecte regenerari.

2. Hinc, dum dicimur perfecti, perfectio iſta non eſt opponenda defectui, ſed opponenda eſt hypocriſi: illi ſcilicet perfecti dicuntur, non qui nullo defectu laborant; nam Jacobus *cap.* 3, hoc negat, *In multis*, inquit, *labimur omnes:* ſed qui non hypocritæ ſunt.

3. Hinc conſequitur, quia in hac vita, dum vivimus, non regignimur perfecte, regigni nos in exitu animæ à corpore. Nihil enim immundi in cælum ingreditur, quoad animam; corpus vero in reſurrectione mortuorum, quemadmodum docet Sp. Sanctus *Phil.* 3.

VIII. *Regeneratio in hac vita inchoativa eſt.*

Conſect. 1. Dum ergo regeniti dicuntur perfecti, non intelligitur perfectio graduum, ſed partium.

2. Dum diſtinguuntur in adultos, & infantes, comparative capienda eſt: nam ſi abſolute ſpectetur, omnes ſunt infantes: hinc illud *Rom.* 8, Primitias Spiritus tantum habemus.

CAP. XVIII.

De Sacramentis.

DEus non tantum nos docet Verbo, ſed & Sacramentis.

Conſect. 1. Hinc vox Dei diſtinguitur in audibilem, quod eſt Verbum Dei; & viſibilem, quæ ſunt Sacramenta.

2. Hinc acceſſit perfectio ad inſtructionem, poſtquam Sacramenta adjecta ſunt Verbo Dei.

Vſui Sacramentorum legitimo annexæ ſunt promiſſiones, conferendæ iis, qui legitime iis utuntur.

Conſect. 1. Hinc Sacramentorum auctor nemo

nemo eſſe poteſt, niſi is, qui promiſſiones conferre poteſt.

2. Hinc Sacramentorum auctor non poteſt eſſe, niſi Deus.

In Sacramentis ſunt materiale, & formale: Materiale, ſignum, & res ſignata: Formale, analogia inter ſignum, & ſignatum.

Conſect. 1. Analogia iſta fundamentum potiſſimum habet in eo, quod ſicut iſtud, quod in ſigno reperitur, non datur extra ſignum, ita etiam illud quod in re ſignata reperitur, non datur extra rem ſignatam.

2. Hinc, ſicut extra panem nulla vis alendi corpus, extra vinum quoque nulla vis datur alendi corpus, ſimiliter non datur extra Chriſtum ſive extra Corpus Chriſti vis vivifica ad vitam æternam, neque extra Sanguinem ejus.

3. Hinc, non male dicitur Corpus Chriſti, & Sanguis, eſſe cauſa συνεκτικὴ beneficiorum ſuorum.

4. Hinc, ſicut nemo eſt particeps vis alendi, quæ eſt in pane & vino, niſi prius particeps fiat panis & vini; ita nemo fit particeps beneficiorum Chriſti, niſi prius particeps fiat Corporis Chriſti.

5. Hinc, ſicut panis ſimus participes ore, ita Corporis Chriſti ſimus participes fide.

Sacramentum inſtitutum eſt, ut homines illo uterentur.

Conſect. 1. Hinc Regula illa: *Nihil habet rationem Sacramenti extra uſum legitimum.*

2. Hinc Pontificii inepte aſſervant panem Sacramentalem, & vinum Sacramentale adorant, cum panis & vinum extra uſum non differat ab alio vulgari pane & vino.

Sacramenta ſunt talis nota Eccleſiæ, quæ non neceſſario convertitur cum Eccleſia; fuit enim Eccleſia, cum nondum eſſent Sacramenta.

Conſect. 1. Hinc Regula illa veriſſima: *Non privatio, ſed contemptus Sacramenti damnat.*

2. Hinc inepte Baptiſmus aquæ tanquam abſolute neceſſarius ſtatuitur ad ſalutem.

3. Hinc inepte infantes fidelium non baptizati abjudicantur regno cælorum.

4. Hinc etiam inepte permittitur mulierculis baptizare infantes.

In omni Sacramento eſt ſignum, & res ſignata.

Conſect. 1. Hinc inepte illi agunt, qui ſignum putant mutari in rem ſignatam.

2. Imo, ubi rem ſignatam ſolum ponunt, ibi etiam analogiam tollunt atque adeo Sacramentum.

3. Accidens non poteſt ſuſtinere analogiam cum re ſignata.

4. Proinde inepte Pontificii in Cœna Domini accidentia ponunt ſignum contradiſtinctum Corpori & Sanguini Chriſti.

Sacramenta ſunt Veteris & Novi Teſtamenti, & quidem Novi Teſtamenti ſucceſſerunt in locum Veteris Teſtamenti.

Conſect. 1. Hinc Sacramenta Novi Teſtamenti dicuntur antitypi Sacramentorum Veteris Teſtamenti.

2. Hinc errant Lutherani, & Pontificii, putantes vocari antitypos, quod Novi Teſtamenti habeant rem ſignificatam, quam non habebant Veteris Teſtamenti.

Sacramenta Veteris Teſtamenti differebant inter alia à Sacramentis Novi Teſtamenti cauſa adminiſtra, nam adminiſtrabantur à Patribusfamilias, aut qui loco illorum erant; cum Novi Teſtamenti, ab illis qui Miniſtri Verbi Divini ſunt.

Conſect. 1. Hinc male argumentatur in hac re à Sacramentis V. Teſtamenti ad Sacramenta N. Teſtamenti quidam.

2. Inepte Lutherani argumentantur à Zipora uxore Moſis, quæ circumcidit infantem, ad probandum baptiſmum muliercularum.

Sacramenta Veteris Teſtamenti nunquam majorem gratiam habuerunt, vel mino-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

rem, quam habent N. *Teſtamenti; neque enim Deus in Nov. Teſtamento ſtrictiorem gratiam exhibet fidelibus, quam in Veteri, imo multo anguſtiorem.*

Conſect. 1. Hinc ſi Sacramentum inſtituerat propter infantes Veteris Teſtamenti, non negabitur Deus inſtituiſſe etiam in N. Teſtamento.

2. Hoc erit Baptiſmus, quandoquidem ut Cœna Domini ſucceſſit in locum Paſchatos, ita Baptiſmus ſucceſſiſſe cenſendus fuerit in locum Circumciſionis.

Vet. Teſtamenti Sacramenta ordinaria ſunt, Circumciſio, & Paſcha.

Conſect. 1. Vtrumque hoc Sacramentum analogiam habet ad Sacramenta N. Teſtamenti; Circumciſio ad Baptiſmum, Paſcha ad Cœnam Domini.

2. Ut ergo in Circumciſione poſtulat Deus, ut coram ipſo ambuletur integre, & tamen ad hoc non obligabantur infantes; ita in Baptiſmo poſtulabatur fides, nec tamen obligantur ad hanc infantes.

3. Et ſicut non excludebantur à Circumciſione infantes fœderatorum, ita etiam non excluduntur à Baptiſmo infantes fidelium.

4. Item ſicut Circumciſio vocatur fœdus; Paſcha, tranſitus Jehovæ: ſimiliter Baptiſmus vocatur lavacrum regenerationis; & ſigna Cœnæ Domini panis & vinum, vocantur Corpus & Sanguis Chriſti.

Non omni, cui circumciſio conferebatur externa, etiam interna collata eſt, Rom. 2. v. 28, 29.

Conſect. 1. Hinc, res ſignificata, non eſt alligata ſignis.

2. Hinc Baptiſmus poteſt alicui externus adminiſtrari, cui non adminiſtratur internus; ut videre eſt in Simone Mago.

3. Hinc vocatio externa æque late patet ac uſus Sacramentorum, & uſus Sacramentorum æque late ac vocatio.

4. Hinc etiam ſequitur, Miniſtros, qui adminiſtrant ſignum, non adminiſtrare rem ſignificatam.

Circumciſio ſemel adminiſtrabatur, prout & Baptiſmus.

Conſect. 1. Hinc, res ſignificata Circumciſionis & Baptiſmi non niſi ſemel confertur.

2. Hinc, qui vere regeniti ſunt, nunquam excidunt regeneratione.

Paſcha à Patribusfamilias domi adminiſtrabatur.

Conſect. 1. Hinc non fuit Sacrificium, ſed Sacramentum.

2. Hinc, ſi qui, ex eo, quod dicatur ſacrificari, *Marc.* 14, male inferunt ſacrificium; nam vox *ſacrificare* capitur aliquando pro ſimpliciter *mactare*, Gen. 31.

3. Hinc etiam 2 *Cor.* 5, Paſcha noſtrum dicitur *immolatum*, ſcilicet pro *mactatum*.

Sacramentum N. *Teſtamenti primum, eſt Baptiſmus aquæ, quem Ioannes juſſu Dei primum inſtituit.*

Conſect. 1. Hinc inepte Sociniani negant, Joannem Baptiſtam divinitus baptizaſſe.

2. Inepte iidem Baptiſmum Joannis diſtinguunt à Baptiſmate à Chriſto inſtituto; nam quod dicunt, non opus fuiſſe ut Chriſtus inſtituiſſet Baptiſmum, ſi à Joanne fuiſſet inſtitutus; id ineptum. Joannes enim inſtituit in uſum populi Iſraëlitici: Chriſtus inſtituit in uſum omnium gentium, poſtquam Apoſtolos emiſiſſet in totum Orbem ad prædicandum Evangelium.

Baptiſmus aquæ inſtitutus eſt in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti.

Conſect. 1. Hinc *Act.* 19, In quid ergo baptizati eſtis.

2. Sequitur etiam, Joannem Baptiſtam baptizaſſe in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti.

3. Chriſtum baptizaſſe in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti; neque abſurdum hoc eſſe, baptizatus enim, qua homo; in nomine ſuo, qua Deus.

4. Hinc abſurdi Sociniani negantes, Apoſtolos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ſtolos baptizaſſe in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti.

5. Hinc illud, quod dicuntur baptizari in nomine Chriſti, non debet opponi inſtitutioni Chriſti, qui juſſit baptizare in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti, ſed notat tantum auctoritatem & imperium, qua auctoritate, & ad cujus juſſum baptizarent, ſicut iſta phraſis ita accipitur, *Act.* 4. 7.

6. Hinc ſequitur, illud, quod illi contra aſſerunt, Paulum gratias egiſſe, quod neminem baptizaſſet; item quod non miſſus ſit ad baptizandum, ſed ad evangelizandum, non abſolute capiendum, ſed comparate, ut tales phraſes ſæpe accipiuntur, ut *Matth.* 12, Non Sacrificium volo, ſed miſericordiam.

Vt Baptiſmus & Circumciſio fuerunt Sacramenta inſitionis in Eccleſiam, ita Cœna Domini & Paſcha ſunt Sacramenta nutritionis & potionis in Eccleſia.

Conſect. 1. Baptiſmi ergo res ſignificata eſt regeneratio; Cœnæ Domini, incrementum in regeneratione.

2. Ut ergo ſemel regeneramur, ita ſemel baptizandi ſumus: At vero prout incrementa indies capimus in regeneratione, quæ provenit ex unione noſtra cum Chriſto, ita etiam debemus ſæpe Cœna Domini uti, ad hujus beneficii ſignificationem & confirmationem.

Beneficium hoc incrementi in regeneratione & unione cum Chriſto, non datur extra Chriſti Corpus, tanquam θεανθρώπου, *crucifixum, & ejus Sanguinem.*

Conſect. 1. Hinc Anabaptiſtæ & Sociniani inepte negant ſpiritualem manducationem ſive unionem cum Corpore & Sanguine Chriſti, ſed tantum dicunt, unionem eſſe cum beneficiis.

2. Hinc tales omni fructu Cœnæ Domini legitimo ſe privant.

In Cœna Domini proponitur nobis res ſignata, Corpus Chriſti crucifixum, & Sanguis ejus fuſus.

Conſect. 1. Sequitur, ore corporis non poſſe iſta manducari, & ſanguinem bibi, nam iſta præterita ſunt, quæ non poſſunt præſentia fieri niſi fidei.

2. Inepti Pontificii cum ſua concomitantia in diſtributione panis, quoad Laïcos, ut dicunt, & negatione calicis. nam non qualecunque corpus datur in Cœna Domini, ſed exangue; non qualiſcunque ſanguis, ſed fuſus.

Res ſignata ea eſt, ut non tantum contineat reliqua beneficia, ſed maxime juſtificationem, & vitam æternam.

Conſect. 1. Sequitur ergo hinc: *niſi quis manducaverit carnem Filii hominis, non poſſe ingredi in regnum cælorum*: Joan. 6.

2. Inepte Pontificios & Lutheranos negare, fideles V. Teſtamenti participes factos fuiſſe Carnis Chriſti & Sanguinis; Nam ſi juſtificatio & vita non datur extra hæc, & tamen ſalvati ſunt, participes utique erunt Corporis & Sanguinis Chriſti.

In Cœna Domini particula Hoc *non capitur ſubſtantive, ſed adjective;* hoc, *nempe hæc res.*

Conſect. 1. Hinc de pane dicitur, quod ſit Corpus Chriſti.

2. Hinc dici non poteſt proprie, ſed tropice.

3. Panem non transmutari in Corpus Chriſti.

4. Hinc ſequitur, accidentia panis & vini, non eſſe abſque pane & vino.

5. Hinc panis ſervatus putredinem contrahit, & vinum mucorem.

6. Hinc ex pane vermes naſcuntur; neque enim ex accidentibus panis ſubſtantia oriri poteſt.

7. Inepte Pontificii transſubſtantiationem urgent; ac proinde coguntur ſtatuere, Chriſti Corpus diverſis locis eſſe.

Cœnam Domini jubemur in recordationem mortis Chriſti uſurpare.

Conſect. 1. Hinc ſequitur, Corpus Chriſti crucifixum, non eſſe in Cœna præſens realiter,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ter, neque Sanguinem ejus. Memoria enim non eſt præſentium, ſed præteritorum.

2. Sequitur, Lutheranos inepte putare, ſe Corpus Chriſti capere in pane, cum pane, & ſub pane.

3. Sequitur, nolentes volentes eos admittere debere in Cœna Domini eſſe tropum, dum ſtatuunt, *hoc*, perinde accipi debere, ac ſi quis cui porrigeret avenam in ſacco, & diceret: *hoc eſt avena.* Item vinum porrigens in cantharo, diceret: *Ecce vinum.* Nam capiunt hæc complexe pro ſacco & avena, pro cantharo & vino: Atqui dicere partem, & intelligere totum, eſt tropus, ſcilicet Synecdoche.

In Cœna Domini Hic calix eſt Novum Teſtamentum in meo ſanguine, *duplicem tropum continet.* Hic calix eſt Teſtamentum, *eſt metonymia continentis pro contento: præterea vinum dicitur Novum Teſtamentum; ſignum pro re ſignata.*

Conſect. 1. Hinc inepte urgent, in Teſtamentis non eſſe tropos.

2. Inepte urgent, panem non poſſe dici Corpus Chriſti tropice. Si enim calix dicitur tropice Novum Teſtamentum, nulla ratio cur non dici debeat panis Corpus Chriſti.

Chriſtus hoc, quod accepit & diſtribuit in Cœna, dicitur fregiſſe, dediſſe, comedere juſſiſſe in ſui commemorationem; & addidiſſe ad hæc omnia, Hoc facite.

Conſect. 1. Hinc panis frangendus in Cœna Domini.

2. Lutherani & Pontificii impingunt in præceptum Chriſti, qui panem non frangunt.

3. Fractionem iſtam tamen non efficere quo minus Cœna ſit, & Sacramentum, etiamſi non frangatur eſſentialiter; ſed hoc tantum conſequitur, quod non ſit integralis Cœna Domini.

4. Proinde male argumentantur quidam: Panis, quem frangimus, eſt communio Corporis Chriſti: Ergo qui non frangitur, non eſt communio Corporis Chriſti; non enim licet à negatione partis integralis minus principalis, ad ſublationem totius argumentari. Ita, verbi gratia, poſſum dicere, *Homo cum duabus manibus eſt homo*; Ergo *qui eſt ſine duabus manibus, non eſt homo.*

Corpus Chriſti, quale traditur in Cœna Domini, non poteſt percipi, aut ratione, aut ſenſu, ſed ſola fide.

Conſect. 1. Hinc reprobi non participant de Corpore Chriſti; neque enim fidem habent, nequaquam enim eſſent reprobi, ſi fidem haberent.

2. Hinc dicuntur rei Corporis Chriſti, non quod illud acceptarunt, ſed quod illud ſpreverint: ſicut dicuntur illi, qui invitati ſunt ad convivium Regis, nec venerunt, *Matth.* 25, rei convivii, non quod illud deguſtarunt, ſed quod illud contempſerint.

Non omnes qui Cœna Domini utuntur, ſalvantur: E contra, omnes qui manducant Corpus Chriſti eo modo, quo dicitur, Joan. 6, *ſalvantur.*

Conſect. 1. Hinc *Ioan.* 6, non agitur de manducatione Sacramentali, ſed ſpirituali.

2. Hinc errant Lutherani, & Pontificii, dicentes *Ioan.* 6, agi de manducatione Sacramentali.

Chriſtus in Cœna Domini habet nos, non ut ſervos, ſed ut amicos & convivas.

Conſect. 1. Hinc tali nos geſtu uti debere in Cœna Domini, qui convivas deceat.

2. Decet autem convivas maxime accubitus, ſive ſeſſio.

3. Hinc nullus conveniens geſtus convivis eſt ſtare.

4. Multo vero inconvenientior, genua flectere.

5. Hinc proxime Eccleſiæ illæ accedunt ad morem Eccleſiarum Apoſtolicarum, quæ ſedent ad menſam, quam eorum qui ſtant.

6. Idololatriam videtur ſapere genuflexio.

In Cœna Domini Apoſtoli uſi ſunt menſa; &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ſa; & Chriſtus τὸ facere *retulit ad hoc*, accepit, fregit, dedit, dicens, Accipite, comedite.

Conſect. 1. Hinc ſequitur, Cœnam Domini non eſſe Sacrificium Miſſæ, nam ſacrificium requirit altare.

2. Non poſſe exculpi è Verbo, *Facite Miſſam*; nam etiamſi in Sacris literis *τὸ facere* conjunctum cum accuſativo *facere columbas*, ſignificat *ſacrificare*; ut & apud Virgilium *Facere vitulam*, tamen hic iſto modo capi non poteſt, cum *τὸ facere* referatur ad illa, quæ dicta ſunt.

CAP. XIX.

De Diſciplina Eccleſiaſtica.

DEus vult in Eccleſia ſua, quæ eſt Domus Dei, fieri ordinem; vult enim ut fide, ita moribus excultam.

Conſect. 1. Hinc vult diſciplinam ſervari.

2. Vult & verbis reprehendi, & re ipſa caſtigari.

3. Vult ergo talia media adhiberi in contumaces, quæ ultra verba conſiſtunt; ſi enim reprehenſus reprehenſionem non curat, ulterius procedendum fuerit.

4. Ulterior proceſſus devenit ad Excommunicationem, quæ eſt vel Minor, quæ eſt ſuſpenſio à Cœna Domini; vel Major, quæ eſt Excommunicatio proprie dicta, & eſt rejectio ab Eccleſia, donec reſipuerit peccans.

Eccleſia non fert Leges, neque etiam proprie dicendo pœnam inſligit.

Conſect. 1. Hinc expellendo ab Eccleſia non punit, nam pœna damnoſum quid eſt ei qui punitur. At vero Eccleſia hoc non ſpectat, ut damno afficiat aliquem.

2. Nam propoſitum eſt ipſi, ut reducat ad pœnitentiam peccantem, ita quidem, ut ſi reſipuerit, obtinet finem ſuum & excommunicatio tum abrogatur.

3. Eſt ergo caſtigatio paterna, non vero pœna.

Excommunicari nemo debet, niſi propter gravia facinora, nec debet facile excommunicari.

Conſect. 1. Excommunicatio enim magnum quid eſt; nam ſi exilium ex civitate politiæ magnum quid eſt, quid judicandum de exilio ex Civitate Dei?

2. Hinc, excommunicatus traditur Satanæ. Atqui tradi Satanæ, eſt pelli ex regno Chriſti: nullus autem hominum interitum temporarium debet optare alicujus; quanto minus æternum?

3. Hinc etiam non poteſt ſine maximo dolore Eccleſia progredi ad Excommunicationem.

Excommunicatus traditur Satanæ, non ſimpliciter, ſed cum conditione, niſi reſipuerit.

Conſect. 1. Hinc pellitur quidem ab uſu Sacramentorum, interim tamen non arcetur ab auditu Verbi Dei.

2. Hinc etiam, utut jubemur vitare tales, quoad converſationem familiarem, non attinentem, neque quicquam facientem, ad converſionem ejus: non jubemur tamen vitare eos, quoad converſationem talem, quæ religioſa eſt, quæque facit ad ipſos revocandos in viam.

Eſt diſcrimen inter homines, qui nunquam fuerunt in Eccleſia, & excommunicatos.

Conſect. 1. Hinc, excommunicati dicuntur eſſe in Eccleſia Catholica.

2. Hinc, excommunicati, ſi pœnitentiam agant, non ſunt per baptiſmum recipiendi in Eccleſiam ſicut Gentiles, ſed ſimpliciter adunandi Eccleſiæ, pœnitentia ipſorum expoſita.

3. Hinc etiam infantes excommunicatorum, etiamſi excommunicati maneant, baptizantur: Gentilium vero, non baptizantur, niſi prius parentes baptizati fuerint.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

CAP. XX.
De Reſurrectione, & Extremo Iudicio.

Erit judicium extremum.

Conſect. 1. Futura ergo reſurrectio: quandoquidem id puniri debet, quod peccavit; & id glorificari debet, quod abſolvetur.

2. Omnes ergo reſurrecturi ſumus, tam pii, quam impii.

3. Mors ergo hominum alia eſt, quam pecudum, quæ nunquam reſſuſcitandæ ſunt.

4. Illud axioma; *à privatione totali non datur regreſſus ad habitum*, intelligendum eſt de cauſa ſecunda, non prima.

Oportet hoc corruptibile induat incorruptibilitatem, & hoc mortale immortalitatem.

Conſect. 1. Ergo in iiſdem corporibus reſurrecturi ſumus, in quibus morimur.

2. Ergo illud, quod dicitur, *Caro & ſanguis non poſſidebunt* &c. non capitur de corpore, ſed depravatione naturæ noſtræ, quomodo accipitur caro & ſanguis, *Ioan.* 1, cum homines pii dicuntur non ex ſanguine, neque ex carne nati eſſe, ſed ex Deo.

3. Inepte ergo Sociniani, hoc loco abuſi, efficere volunt, Chriſtum carnem, quam ex Maria aſſumſit, non intuliſſe cælo, ſed antequam ingrederetur cælum, illam divinitus abolitam; cum Chriſtus etiam nunc dicatur ex ſemine David ſecundum carnem, & eſſe etiam nunc ex patribus ſecundum carnem.

Chriſtus, dum quærunt ex ipſo ſignum Iudæi, dicit: Deſtruite templum hoc *&c.*

Conſect. 1. Sequitur, Chriſtum ſe ipſum ſuſcitaſſe.

2. Inepte Sociniani dicunt, Chriſtum divinitus reſſuſcitatum, excludendo ipſius vim à ſui reſſuſcitatione: nam hoc non eſſet ſignum à Chriſto editum, quale Chriſtus tamen ſe editurum dicit. Editum quidem eſſet in Chriſto ſignum, ſed illud non ediſſet Chriſtus, non magis certe, quam nos qui reſſuſcitabimur. Atqui Chriſtus dicit, ſe hoc ſignum editurum eſſe.

3. Hinc etiam illa phraſis intelligitur *Rom.* 1, Declaratus potenter Filius Dei.

Corpora noſtra reſſuſcitanda ſunt, prout opponuntur omni imperfectioni, cui ſubjecta erant propter peccata.

Conſect. 1. Hinc quia mors eſt propter peccatum, infantes in infantia mortui non perveniunt ad ſtaturam juſtam propter peccatum.

2. Hinc plus quam probabile eſt, quod dicit Auguſtinus, nos reſurrecturos omnes in perfecta ſtatura.

3. Hinc etiam conſequitur, dum dicuntur corpora noſtra eadem numero reſſuſcitanda, intelligenda ſunt eadem numero, non abſolute, ſed ſecundum potiores partes.

Chriſtus dicit, in reſurrectione mortuorum non nuptum dari, non uxores ducturos.

Conſect. 1. Ergo quoad ſexum, diverſi reſurgent, hoc eſt, à reſurrectione erunt feminæ, erunt viri.

2. Neque enim opus erat dicere Chriſto, *Non dabuntur nuptum nec ducent:* ſed ſuffecerat dixiſſe, *Non erit ibi ſexus.*

Veniet tempus, cum illi qui ſunt in ſepulcris, audient vocem Filii Dei, & ibunt quidam ad vitam æternam, alii ad opprobrium.

Conſect. 1. Ergo reprobi reſurgent.

2. Ergo dum dicitur *Pſal.* 1, Non reſurgent in judicio illo, non negatur reſurrecturos ita, ut ſtaturi ſint in judicio abſolutionis.

3. Dicitur ergo mors æterna, non ex defectu vitæ, ſed ex qualitate vivendi.

Scriptura attribuit reſurrectionem, in genere, ſtatuto & decreto Dei; itemque po-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

tentiæ Dei: in ſpecie attribuit reſurrectioni Chriſti.

Conſect. 1. Inepte ergo faciunt, qui quoniam non omnes dicuntur reſſuſcitandi in reſurrectione, propterea negant eos reſurrecturos.

2. Nam hoc tantum ſequitur: Non reſurrecturos alios ad vitam, quam eos qui in Chriſto reſurgent.

3. Non tamen ſequitur, Ergo non reſurgent ad mortem.

Deus judicabit per Chriſtum, tanquam Mediatorem, Act. 17. 31.

Conſect. 1. Hinc, cum dicitur, *Deus non judicat quenquam*, non ſimpliciter intelligitur, ſed ita: non judicat abſque Chriſto.

2. Chriſtus aliter atque aliter judicat; nam ratione humanæ naturæ pronuntiabit ſententiam, ratione divinæ cognoſcet, & ſecundum uniuſcujuſque facta retribuet.

Dicuntur etiam Sancti Dei judicaturi mundum.

Conſect. Judicabunt, 1, Exemplo vitæ. 2, Approbative.

Scriptura teſtatur, ad judicium unum aſſumendum, alterum relinquendum in terra.

Conſect. 1. Hinc judicium futurum eſt & in terra & in aëre: Nam in terra relinquentur reprobi, in aëra aſſumentur pii.

2. Hinc etiam illud intelligitur de reprobis, qui clamabunt: *Cooperite nos montes*, &c.

3. Hinc Pontificii male ſtatuunt ex *Ioël.* 3, male intellecto, nos in valle Joſaphat judicandos.

CAP. XXI.

De Salute & Damnatione Æterna.

D*Eus ſalvat nos gratis.*

Conſect. 1. Ergo non propter bona opera.

2. Non ſumus ergo cauſa meritoria ſalutis noſtræ.

3. Et quia cauſa ſalutis non ſumus, neque etiam gradus in ſalute cauſa ſumus.

Deus non dabit ſalutem aliis, niſi qui bene operabuntur.

Conſect. 1. Non tamen dabit propter opera.

2. Sed opera erunt cauſa declarativa, quibus dabitur vita æterna, non vero erunt cauſa meritoria.

3. Hinc non idem erit in bonis operibus, ſecundum opera dare, & propter opera dare.

Homo à morte fruitur felicitate æterna, neque tamen fruitur perfecte.

Conſect. 1. Perfecte fruetur demum à reſurrectione, ubi totus homo felicitate fruetur.

2. Et hoſtis ultimus tum abolebitur, ac proinde etiam peccatum.

3. Et quia peccatum abolebitur, idcirco acceſſus immediatus patebit ad Deum.

4. Et quia hoſtis abolebitur ultimus, idcirco omnes fideles una congregati erimus & ſalvati, adeo ut nullius præſentia carituri ſimus.

Erimus quoad omnia perfecti.

Conſect. 1. Hinc nullus in nobis erit defectus privativus.

2. Neque tamen immediate Deum apprehenſuri ſumus, nam cum ſit infinitus, à finito apprehendi non poteſt: non ex parte, quia in Deo pars non datur; non ex toto, quia infinitus eſt.

3. Nec homines ſoli immediate Deum non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

apprehendent, ſed ne Angeli quidem; Angeli enim etiam ſunt finiti.

4. Quod ergo dicitur, *Cognoſcemus eum ſicuti eſt*, accipiendum non de abſoluta cognitione, quam nulla creatura habere poteſt, ſed de relativa ſive effectiva, qualis ſcilicet eſt in nos: Hic enim perinde agnoſcimus ac infantes patrem: in vita futura agnituri ſumus, qualis eſt erga nos adultos.

5. Facie ad faciem videre, non ſignificat immediate videre, ſed in comparatione ad alios magis diſtincte videre. Hinc Moſes in comparatione ad Jacobum dicitur, Deum facie ad faciem vidiſſe; & homines Novi Teſtamenti in comparatione ad homines Vet. Teſtamenti dicuntur, Deum facie ad faciem vidiſſe. Omnes tamen ratione hujus vitæ in comparatione ad vitam futuram dicuntur videre per ænigma & ſpeculum, & in vita futura demum facie ad faciem. 1 *Cor.* 13.

Corpora noſtra futura ſunt vere corpora hæc eadem, ſine defectu tamen, & omni ornatu prædita.

Conſect. 1. Hinc futura Corpori Chriſti glorioſo conformia, *Phil.* 3.

2. Hinc omnis defectus abfuturus, in membrorum mutilatione, in ſtaturæ juſtæ defectu.

3. Hinc omnia membra, proportionaliter unum ad aliud, futura ſunt perfectiſſima.

4. Hinc oculi, qui lucem Solis ferre non poſſunt, toleraturi lucem majorem luce Solis.

Homo mori non poterit, neque temporaria morte, neque æterna; nam de temporaria dicit Chriſtus: Non poterunt amplius mori, *Luc.* 20. *Luc.* 16. Qui apud nos, non poſſunt ad vos *&c.*

Conſect. 1. Hinc amplius peccare non poterunt.

2. Hinc in ſtatu glorificationis neceſſitas ſumma cum libertate conſiſtere poterit.

Homines, quando Deus immittit ipſis cruces & calamitates, retrahit illos hoc pacto à peccato, quia ſtudium peccandi perit in miſeriis.

Conſect. 1. Hinc evidens eſt, ubi malum, quo nunquam majus poteſt aſcendere in animum, ibi nullum ſtudium peccandi fore amplius.

2. Hinc ſequitur, Infernum non eſſe locum agendi, ſed patiendi.

3. Quæ dicuntur de blaſphemia in Apocalypſi, intelligenda eſſe de ſtatu hujus vitæ, non futuræ.

Impii privabuntur, non ſolum fruitione, & communione Dei, ſed etiam plurimis malis cumulabuntur.

Conſect. 1. Hinc pœna damni & pœna ſenſus.

2. Hinc pœna damni infinite major eſt pœna ſenſus. Eſt enim pœna damni privatio boni infiniti, cum pœna ſenſus ſit finiti.

3. Hinc etiam pœnæ ſenſus dantur gradus in Inferno, hoc eſt, non omnes eadem pœna afficiendi, ſed quidam graviori, quidam leviori.

Malum ſenſus ex variis orietur.

Nam erit, 1, gravitas mali ex cohabitatione Satanæ & impiorum. Si enim Sancti Dei homines conquerebantur, habitationes ſuas fuiſſe cum avibus inauſpicatis, ut, cum ululis; quanto magis futura eſt miſera habitatio cum Satana?

2. Addet & plurimum ſtridor dentium, item ejulatus perpetuus.

3. Maxima autem pœna erit conſcientia mala, quæ vocatur vermis rodens.

4. Accedit hoc, quod Spiritus Sanctus videtur innuere, cruciatus aliquos iri allatum à Satana condemnatis; non enim de nihilo dicitur *Tortor.*

Infernus eſt locus ſive receptaculum hominum condemnatorum poſt mortem.

Conſect. 1. Hinc inepte aliqui ſtatuunt, non eſſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

eſſe locum, ſed ſtatum; cum non repugnet, locum eſſe, & cum tali ſtatu.

2. Hinc etiam ſtatim à morte improbi deferuntur ad locum talem.

3. De loco iſto nil nobis Spiritus Sanctus revelavit, proinde non diſputandum de loco iſto, ubi ſit, ſed, ne eo veniamus, annitendum.

VSVS THEOLOGIÆ PER CONSECTARIA

in aliquot exemplis Oſtenſio.

Vſus Theologiæ per Conſectaria potiſſimum hic eſt.

1. Ut Argumentorum numero abundemus, atque adeo exercitati reddamur in opponendo: nam contra unamquamque quæſtionem poſſumus invenire aliquot Argumenta. Hæc Argumenta in ſua Conſectaria deducantur, & ibi ſtatim multitudo Argumentorum deprehendetur.

2. Quoad delectum Argumentorum. Nam ubi deducimus Conſectaria, videmus quæ Argumenta, quibus fortiora, & magis probabilia ſint.

3. Quod concatenationem Argumentorum, quæ ratione quadam differt à ſubordinatione, habere poſſimus: Concatenatio autem hæc fit vel deſcendendo à ſuperioribus ad inferiora, vel ab inferioribus ad ſuperiora: ita ut ab evidentibus progrediamur ad magis evidentia, & tandem in principia quaſi reſolvimus rem ipſam.

4. In Concionibus formandis etiam uſus magnus eſt, imo hic ſolus obtinet: nam propoſita doctrina generali omnes Uſus qui ex ipſa conſequuntur, ſunt mera Conſectaria, adeo ut Cartwrichtus expreſſe dicat, omnes qui recte commentantur, non niſi afferre Conſectaria, & quo ingenioſiora ea eliciuntur, eo Commentarios ingenioſiores eſſe.

5. Qui Conſectariis aſſueſcunt, evadunt acuti, & ſæpe reperiunt ea latere in propoſitione ex qua eliciunt Conſectaria, quæ & magni momenti ſunt & evidentia ſua homines in admirationem rapiunt, ut vel ex ſolo Cartwrichto liquet.

Exemplum unum & alterum ſubnectemus.

Providentia Dei verſatur circa peccatum.

Conſect. 1. Ergo modo convenienti ſanctitati ejus.

2. Ergo non faciendo, ſed permittendo.

3. Ergo non jubendo, vel imperando.

4. Ergo permiſſio iſta non eſt conceſſio.

5. Ergo permiſſio iſta non eſt actus poſitivus, ſed negativus.

6. Ergo eſt negativus non abſolute, ſed negativus privativus.

7. Ergo eſt ſubtractio gratiæ aſſiſtentis, qua perdurante peccatum impediretur.

Aliud: Quod peccatum non propagetur phyſice. 2. Unius inobedientia conſtituti ſunt multi peccatores.

Conſect. 1. Ergo cum dicitur, *In quo peccavimus:* non accipiendum ſubjective, ſed cauſaliter, id eſt, ἐφ' ᾧ, *eo quod peccavimus.*

2. Ergo in nos ita propagatur peccatum, quomodo juſtitia Chriſti.

3. Ergo eo modo capitur *in quo*, quomodo accipitur *Sicut in Adamo omnes mo-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

riuntur, *ita in Chriſto omnes vivificantur.*

4. Ergo non poteſt propagari, niſi per imputationem.

5. Ergo non propagatur phyſice, nam ſi phyſice, tum oporteret mediantibus uſque ab Adamo.

6. Ergo oporteret omnium peccata, quibus mediate propagatur peccatum, in nos propagari.

7. Ergo non unius peccato conſtitueremur injuſti.

8. Ergo Chriſtus factus fuiſſet propagatione phyſica peccator, 2 *Cor.* 5.

Hæc & plura Conſectaria ex una Theſi poſſet quis elicere: ulterior vero uſus, & applicatio, non niſi ex praxi ipſa & exercitio frequenti oſtendi poteſt.

FINIS.

JOAN-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

IOANNIS MACCOVII,
SS. Theol. Doctoris & Profeſſoris,

ΠΡΩ͂ΤΑ ΨΕΥ͂ΔΑ,

SEU

Prima falſa Adverſariorum, puta, Pontificiorum, Socinianorum, Lutheranorum, Arminianorum, Anabaptiſtarum, eos moventia, ad hoc vel illud in religione ſtatuendum; quibus everſis, theſis eorum ſua ſponte corruit.

Tertio typis deſcripta, opera & ſtudio

NICOLAI ARNOLDI,
SS. Theologiæ Doctoris & Profeſſoris
in Academia Franekerana.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ΠΡΩ͂ΤΑ ΨΕΥ͂ΔΕΙ PONTIFICIORVM.

Antequam aggrediar Theologiam iſtam Compendioſam, in qua nobis propoſitum eſt, cum bono Deo, oſtendere in capitalibus argumentis & quæſtionibus, in quibus Adverſarii à nobis diſſentiant, Πρῶτον ψεῦδος *primo explicandum duximus, quid per hoc Theologi intelligant. Intelligunt autem cauſam primam, quæ movit eos, cur ab orthodoxa hac vel illa diſcedant ſententia. Prius autem examinabimus Theologiam Pontificiorum, in iis, in quibus à nobis diſſentit.*

Caput Primum.

De Verbo Dei.

ORTHODOXA SENTENTIA. *Scripturam eſſe neceſſariam ex hypotheſi mandati Divini.*

PONTIFICII negant. *Bellarmin. lib. 4, de Verb. Dei, cap. 4.*

π. ψ. Quod putent, abſque Scriptura traditiones, quas vocant, ſufficere. Præſupponunt itaque hic traditiones aliquas præter Scripturam.

Refellitur. Quod Spiritus Sanctus omne Verbum definiat per Scripturam, *Rom. 1. 1, 2.*

ORTHOD. *Verbum Dei & Scripturam auctoritatem ſuam obtinere non tantum ratione ſui, ſed etiam ratione noſtri, quod ſcilicet Divina ſit, ex auctoritate ipſi inſita.*

PONTIF. Quoad nos, auctoritatem ſuam obtinet ex teſtimonio Eccleſiæ. *Idem de notis Eccleſiæ, l. 4, c. 3.*

π. ψ. Quod ſtatuant; Eccleſiam eſſe ſupra Verbum Dei, imo de Verbo Dei diſpenſare poſſe.

Refell. Ex eo, quod Spiritus Sanctus omnes obliget ad Verbum ſuum, & omnibus in regulam det Verbum ſuum. vid. *Deut. 5. verſ. 38. Deut. 19. v. 32.*

ORTHOD. *Verbum Dei conſignatum eſſe, quoad Vetus Teſtamentum, in lingua Hebræa; quoad Novum Teſtamentum, in Græca: & quidem hoc fine, ut ab interitu conſervaretur, & ad omnes fide-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

les uſque ad mundi conſummationem in ipſorum ædificationem transmitteretur.

PONTIF. Dicunt, corrupta iſta eſſe, nec transmitti ad nos integre. *Idem, l.* , *de Verbo Dei, cap.* 2.

1. ϖ.ψ. *Quod velint, verſionem Latinam vulgatam, eſſe authenticam, atque ita textum Hebræum & Græcum poſthabendum eſſe verſioni iſti vulgatæ.*

2. ϖ.ψ. ipſorum eſt (nam ſæpe uno non poſſumus explicare mentem Adverſariorum). *Vident ex textu Hebræo & Græco ſuos errores graviter redargui poſſe; Latinam verſionem in quibuſdam errores eorum ſtabilire.*

Refell. Error hic efficaciſſime proſternitur hoc ipſo. 1. Quod Deus nunquam ſuo fine fruſtretur. 2. Quod vulgata iſta verſio inepte & barbare conſcripta ſit. Videatur hac de re Wittakerus.

ORTHOD. *Textum Hebræum & Græcum in linguas vernaculas vertendum eſſe eo ipſo, quod Deus omnibus fidelibus ſuis Verbum ſuum propoſuerit & ad illud ipſos adſtrinxerit,* Eſaï. 8. 20.

PONTIF. Contra. *Idem, lib.* 2, *de Verb. Dei, cap.* 15.

ϖ.ψ. *Metuunt ne laïci, ut illi vocant, velint judicare de dogmatibus fidei, & præceptis morum, atque ita eorum errores deprehenderent.*

Refell. Refutat hunc errorem Spiritus Sanctus, dum *judicium* videlicet *diſcretionis* in omnibus fidelibus requirit. vide 1 *Cor.* 2. 15. 1 *Cor.* 11. 13.

ORTHOD. *Scriptura eſt perfecta, hoc eſt, continet perfectiſſime præcepta morum & dogmata fidei.*

PONTIF. Negant. *Idem, lib.* 4, *de Verb. Dei, cap.* 10.

ϖ.ψ. *Diſtinguunt nempe Verbum Dei, in ſcriptum, & non ſcriptum. Non ſcriptum vocant traditiones.*

Refell. Cadit hic error ex *Ioan.* 5. 39. 2 *Tim.* 3. 16, 17. *Luc.* 16. 17. Confer *Act.* 20. 27. cum *Act.* 26. 22.

ORTHOD. *Scriptura eſt, quæ legitima conſequentia è Scriptura deducitur.*

PONTIF. Contra.

ϖ.ψ. *Docent plurima, quæ per bonam conſequentiam deducuntur; eſſe Verbum non ſcriptum & traditiones: & inter hæc Baptiſmum, SS. Trinitatem, & alia.*

Refell. 1. Quod expreſſe Chriſtus ipſe vocat Scripturam, *Matt.* 22. 29. 2. Quod illa, quæ deducuntur per bonam conſequentiam, dicantur ab illis viris θεοπνεύστοις dicta, ex quorum ſcriptis per bonam conſequentiam deducuntur, *Matth.* 22. *v.* 31. *Luc.* 20. 27. *Actor.* 2. 30. *Rom.* 10. 5, 9.

ORTHOD. *Scriptura perſpicua eſt fidelibus, in tantum, in quantum ſufficit ad ſalutem.*

PONTIF. Negant, per ſe abſque auctoritate Eccleſiæ, & explicatione, etiam à fidelibus intelligi poſſe. *Idem, l.* 3, *de Verb. Dei, cap.* 1.

1. ϖ.ψ. *Vt Eccleſiæ auctoritatem ſupra Scripturam eſſe oſtendant.*

2. ϖ.ψ. *Quod ex iſto fluit: Vt judicium diſcretionis fidelibus omne adimant, & cæcam obedientiam introducant, qua creditur Pontificiæ Eccleſiæ, quicquid dixerit.*

Refell. Quod Spiritus Sanctus jubeat, omnia probare quemvis, 1 *Theſſ.* 5. 28. & *Ioan.* 4. 1. tum quod regulam unicam proponat, ad quam omnia probari debent, *Eſaï.* 8. 20. tum quod approbet iſtos; qui ita egerunt, *Act.* 17. 11.

ORTHOD. *Scripturæ tantum unicus eſt ſenſus literalis.*

PONTIF. Scripturæ ſenſus eſt Literalis, Tropologicus, Anagogicus, & Allegoricus. *Becanus, lib.* 1, *compend. manual. cap.* 1, *quæſt.* 4.

ϖ.ψ. *Volunt tueri traditiones ſuorum Pontificum, quæ monſtroſæ ſunt, & ridicule ad analogiam*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

logiam horum ſenſuum deducuntur ex Scriptura.

Paucas hic recenſebimus, verbi gratia, Pontifex ex illis verbis, 1 Cor. 2, *Homo ſpiritualis dijudicat omnia*, infert ad ſe judicium de rebus omnibus pertinere. Item Bonifacius VIII, ex verbis Petri, *Ecce duo gladii*, infert, Papæ duplicem poteſtatem, temporalem, & ſpiritualem. Sic Alexander in ſuo Decretali dicit, Nullum eſſe pejus malum, quam Chriſtianos ſuis invidere ſacerdotibus: *Novit enim Deus qui ſunt ſui.*

Refell. 1. Quod unica tantum forma unius rei eſt. Ergo ſenſus, qui eſt forma Scripturæ, unicus erit. 2. Ex iſto principio, quod à Pontificiis conceditur, quod ex ſolo literali ſenſu firmæ propoſitiones deduci poſſint. *Bellarm. lib.* 3, *de Verb. Dei*, *cap.* 3. 3. Si ſunt quatuor ſenſus Scripturæ; Ergo erit ambigua, atque ita nihil ſignificabit. Nam, *ambiguum*, *ante determinationem*, *nullius ſignificationis eſt*, ut bene Ariſtoteles docet.

ORTHOD. *Spiritum Sanctum in Scriptura loquentem, eſſe infallibilem interpretem Scripturarum, & controverſiarum judicem.*

PONTIF. Nec ſupremum infallibilemque controverſiarum judicem eſſe ipſam Scripturam, nec Spiritum Sanctum in ea loquentem, ſed Pontificem Romanum cum ex Cathedra loquitur. *Bellarm. lib.* 3, *de Verb. Dei*, *cap.* 4. *& ſeqq.*

ϖ. ψ. *Oſtendere volunt infallibilem judicandi auctoritatem Pontifici ineſſe de fidei capitibus.*

Refell. 1. Ipſorum Pontificiorum Dogmatibus, qui ſtatuunt, Papas errare poſſe in moribus; ſi ita eſt, ſequitur, eos poſſe mentiri & fallere, hoc enim morum eſt. 2. Confitentur, Papam errare poſſe in quæſtione facti. Unde planiſſime conſequitur, eum errare poſſe in quæſtione, *An Chriſtus mortuus ſit*, *reſurrexerit*, *an aſſumſerit humanam naturam.* Quæ quæſtiones ſunt facti, non juris. Scriptura hunc errorem condemnat, cum expreſſe docet: Omnem hominem eſſe mendacem, & ſolum Deum veracem, *Rom.* 3.

CAP. II.

De Perſona & Officio Mediatorio Chriſti.

ORTHOD. *Chriſtus eſt* αὐτόθεος.

PONTIF. Dicunt, non eſſe αὐτόθεον. *Bellarm. lib.* 2, *de Chriſto*, *c.* 19.

ϖ. ψ. *Verba Symboli Conſtantinopolitani:* Deus de Deo, lumen de lumine.

Refell. error. 1. Symbolum opponunt Scripturæ, cum contra fieri debeat. 2. Si non ſit αὐτόθεος. Ergo non eſt verus Deus. 3. Cum dicatur ratione eſſentiæ, oportet poni duas eſſentias in Deo: quod abſurdum.

1. ϖ. ψ. *Transmutatio panis in Corpus Chriſti, & vini in Sanguinem ejus.*

2. π. ψ. *Vnum corpus poſſe eſſe in pluribus locis circumſcriptive, eodem tempore.*

Libet hic attexere quæ contra iſta portenta Petrus Molinæus dicit, in ſuo Hyperaſpiſte, *lib.* 2. 8. *Si*, inquit, *poteſt eſſe corpus in pluribus locis eodem tempore, futurum ſit ut Petri corpus ſit Lutetiæ in aqua, Romæ vero in igne. An Lutetiæ in aqua cremabitur? An vero hic cum voluptate natabit? Aut ſi quis ei Romæ amputaverit brachium, an eodem ictu eodemque gladio amputabitur Petro, qui eſt Lutetiæ? An potius idem Petrus, qui eſt Lutetiæ, duo habebit brachia, Romæ vero unum? Quod ſi Petrus, qui eſt Romæ, idem Petrus, qui eſt Lutetiæ, ſibi invicem procedant obviam, & concurrant naſis obverſis, quid fiet? an miſcebuntur illi naſi, an coaleſcent capita, an gravi ictu inter ſe collidentur?*

ORTHOD. *Anima Chriſti nunquam eſt omniſcia, quia eſt ſolius Dei attributum omniſcientia*, Eſaï. 41. 23.

PONTIF. Animam Chriſti ab ipſo conceptionis momento omniſciam fuiſſe. *Bellarm. lib. de anima Chriſti, cap.* 1. *& ſeqq.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

π. ψ. Quia ſcilicet æque adoratur humana ac divina natura.

Refellitur error. 1. Quod ſolus Deus ſit adorandus, *Matt.* 4. item quod natura Deus adorandus, *Gal.* 4.

ORTHOD. *Deſcenſus Chriſti ad Inferos ſignificat cruciatus gehennales, quos Chriſtus toleravit.*

PONTIF. Contra, dicunt motum localem ad Limbum. *Idem, ibid. c.* 12.

π. ψ. Non fuiſſe ſervatos Patres Veteris Teſtamenti ante Chriſti mortem.

Refell. hic error, *Matth.* 8. 11, 12. *Act.* 15. 11. *Col.* 1.

ORTHOD. *Chriſtus ſecundum utramque naturam eſt Mediator.*

PONTIF. Contra. Chriſtus ſecundum utramque naturam eſt principium agens, ſeu quod operatur opera Mediatoris; ſed humanam naturam eſſe principium formale mediationis, ſeu, ſecundum humanam naturam eſſe Mediatorem. *Bellarm. l.* 5, *de Chriſto, cap.* 1.

π. ψ. Non poſſe apud ſe aliquem eſſe Mediatorem.

Refell. Matth. 5. *v.* 23, 24. *Matth.* 18. 10. *Luc.* 20. 13. Nec alicujus momenti eſt, quod Pontificii movent, quod juſtitiæ actus non ad nos dirigatur, ſed ad alios. Nam & ad nos dirigitur *analogice.*

ORTHOD. *Chriſtus nihil ſibi meritus.*

PONTIF. Contra. *Thomas part. tertia ſumm. quæſt.* 19. *artic.* 4.

π. ψ. Chriſtum ratione humanæ naturæ obligatum fuiſſe ad legem præſtandam.

Refell. ex eo, quia Chriſtus nullo modo eſt propter ſe, ſed totus propter nos, *Matt.*20. *v.* 18. 1 *Tim.* 1. 15. Tum & hoc evertit iſtam opinionem, quod dicatur Deus donaſſe Chriſto, &c. vide *Phil.* 2. 9.

CAP. III.

De Pontifice Romano & Antichriſto.

ORTHOD. *Eccleſiæ regimen externum non eſt Monarchicum.*

PONTIF. Contra. *Bellarm. de Roman. Pontif. l.* 1, *cap.* 5. *& ſeqq.*

π. ψ. Quia alias Papa non poſſet ſtatui caput Eccleſiæ; quod illi volunt.

Refell. 1 *Cor.* 3. *v.* 11. Sicut fundamentum dicitur, ſic & caput. 2. Refellitur ex eodem capite. Quia Eccleſiæ datus eſt Paulus & Cephas & Apollos, ac proinde indignior Eccleſia: *verſ.* 21. 23. 3. 1 *Cor.* 11. Nam ille caput Eccleſiæ, qui ſponſus; ſolus autem Chriſtus ſponſus Eccleſiæ.

ORTHOD. *Petrus non fuit major reliquis Apoſtolis, nec caput illorum.*

PONTIF. Contra. *Idem, ibid. c.* 10.

π. ψ. A Chriſto inſtitutam eſſe Monarchiam Eccleſiæ, & illius primum caput fuiſſe Petrum.

Refell. 1. *Matth.* 20. *v.* 25. 2. Refellitur; 1 *Cor.* 15. 10, Paulus dicit, *ſe plus laboraſſe, quam omnes reliqui.* 3. 2 *Cor.* 13, Paulus dicit, *ſe non fuiſſe ſummis Apoſtolis minorem.*

ORTHOD. *Pontifex Romanus non eſt Petri ſucceſſor in Apoſtolatu & primatu.*

PONTIF. Contra. *Idem, lib.* 2. *de Roman. Pontif. cap.* 12. *& ſeqq.*

π. ψ. Volunt aſtruere, Papam infallibilem auctoritatem habere de omnibus controverſiis.

Refell. Quia nunquam in Scriptura hoc habetur, quod agnoſcit *Bellarm. ibid.* ubi ita loquitur: *Romanum Pontificem ſuccedere Petro, non habetur expreſſe in Scripturis.* Non poteſt ergo Chriſtianæ fidei dogma eſſe, quod Dei Verbo non continetur; neque it inficias Bellarminus. Agnoſcit enim etiam, Papæ ſucceſſionem in primatu Petri, non eſſe juris Divini, unde ſequitur, eſſe tantum juris humani, & ſolo humano jure conſtare. *Vide ibid. Bellarm. de hac re.*

Ab-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Abſurdiſſime. Nam ſi, ut volunt Adverſarii, Sacræ Scripturæ auctoritas fundatur in ſucceſſione Papæ, in Petri primatu, quæ non eſt juris Divini, ſed humani, nonne inde ſequitur, Scripturam fundari in humana auctoritate, & ad humanas conjecturas & opiniones duci? quæ via ad Atheïſmum eſt aptiſſima.

ORTHOD. *Pontifex in fide errare poteſt.*

PONTIF. Contra. *Bellarm. lib.* 4, *de Roman. Pontif. cap.* 3.

ϖ. ψ. Volunt ſtare & cadere judicio Pontificis Romani in omnibus, ita ut non debeat dubitari de certitudine judicii ejus in fidei articulis.

Refell. Concedunt nempe in moribus errare, ſed non in fide. At ſi circa mores errare poteſt; Ergo & circa fidem. Nam mores ſunt finis fidei. *Iuſtificamur enim, ut ſanctificemur; non contra.* 2. Si conferatur dogma, quod proponit, cum Scripturis, comperietur, tam longe diſtare ab iis, quam cælum à terra.

ORTHOD. *Pontifex non habet poteſtatem legem ferendi obligantem conſcientias.*

PONTIF. Contra. *Becanus, lib.* 1 *Manual. cap.* 4. *Bellarm. lib.* 4, *de Rom. Pontif. cap.* 15. *& ſeqq.*

ϖ. ψ. Papæ auctoritatem probare volunt longe eſſe ſupra Scripturam, id eſt, *Deum loquentem per Apoſtolos & Prophetas.* vide Gloſſam, ubi hæc leguntur: *Poteſt Papa diſpenſare contra Apoſtolos & Deum. Et Gabriel Biel. in Can. Miſſæ, ſect.* 32. *Eccleſia eſt majoris auctoritatis, quam Evangelium Miſſæ.*

Refell. Ex recitatione textus: An homo miſer poteſt eſſe major Deo loquente in Scripturis? & an poteſt aliquid extra Verbum ſtatuere? cum omnes homines Deus alligaverit ad Verbum ſuum; ut oſtenditur infinitis Scripturæ locis, imprimis, *Gal.* 1. 8.

ORTHOD. *Pontifex non habet auctoritatem in temporalibus & politicis.*

PONTIF. Contra. *Bellarm. l.* 5, *de Roman. Pontif. cap.* 9.

ϖ. ψ. Ecce duo gladii.

Refell. Ridicula ſatis Scripturæ detorſio, quæ refutatur ex illo Chriſti: *Reges gentium dominantur: vos autem non ſic.* & Rom. 13, *Omnis anima ſubjecta eſto* &c.

ORTHOD. *Non habet poteſtatem Pontifex condendi Leges civiles, Reges, Principes conſtituendi aut dejiciendi pro arbitratu ſuo, regnaque hujus mundi transferendi, prout ipſi libuerit.*

PONTIF. Contra. *Idem, ibid. c.* 7.

ϖ. ψ. Idem quod antecedentis fuit; quod ſcilicet Paſtor quivis poteſt ſtatuere de ove: non contra.

Refell. Nam obedientia Regibus & Principibus debita nititur pluribus Scripturæ locis, *Rom.* 13. Ubi vult Paulus, omnem animam poteſtatibus eſſe ſubjectam; & dicit, poteſtatem hanc eſſe à Deo. & ibid. dicit: *Quiſquis poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* Petrus quidem, 1 *Petr.* 2, loquens de Regibus & Principibus, vocat eos ordinationem humanam: ſed ibidem dicit quoque eſſe divinam. Sic enim loquitur: *Subjecti eſtote omni ordinationi humanæ propter Deum, quia Deus ſic jubet.* Nam ipſum jus humanum fit divinum, quando Deus jubet ei morem geri. Sic quamvis humanis ſuffragiis, & conſuetudine ab hominibus invecta, hic fuit evectus ad regnum, tamen vult Deus ipſi obtemperari, poſtquam factus eſt Rex, & poſtquam in verbum ejus juratum eſt. Fidelem enim eſſe, & juramentum non violare, lex eſt juris Divini, & à Deo imperata.

ORTHOD. *Paſtores, & Epiſcopi, ſimul Magiſtratus Politicus eſſe non poſſunt.*

PONTIF. Contra. *Idem, ibidem.*

ϖ. ψ. Papam jure eſſe Principem Politicum.

Refell. Ex *Matth.* 20. 25, 26. 2 *Tim.* 2. *v.* 4. Operæ pretium, duo argumenta adferre; & ſolvere quæ adferunt Pontificii, ad ſtabiliendam ſententiam ſuam.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Obj. I. Melchiſedech fuit Rex & Sacerdos. Ergo non repugnat, Principem & Sacerdotem eſſe.

Reſp. Melchiſedech fuit typus Chriſti, potuit ergo, imo debuit, utrumque eſſe: & typorum nulla jam eſt ratio amplius, quia nullus locus, exhibito jam antitypo.

Obj. II. Macchabæi fuerunt ſimul Principes & Sacerdotes. Ergo ſunt compatibilia in uno ſubjecto, eſſe Epiſcopum, & ſecularem.

Reſp. De *facto* conſtat, ſed de *jure* non; itaque hic opponenda fuerit iſta regula: *Non exemplis, ſed legibus judicandum.*

Pontif. Auctoritate ſolius Pontificis Romani Imperium Romanum tranſlatum eſt à Græcis ad Francos, deinde ab his ad Saxones. *Bellarm. l.* 1, *de tranſlat. Imper. Rom. cap.* 12.

Orthod. *Contra. Nunquam.*

π. ψ. Statuunt Pontificem habere jus ſupra reges & regna.

Refell. error, ex *Matth.* 20. *v.* 25, 26, 27. *Rom.* 13. *v.* 1, 2, *uſque ad* 8. 1 *Petr.* 3. 13. & *cap.* 5. 1.

Pontif. Pontificis Romani pedes quivis debet oſculari. *Auguſt. Steuch. l. de donat. Conſt. pag.* 141.

Orthod. *Negant.*

π. ψ. Pontificem Romanum eſſe ſanctiſſimum; quia ipſi Deo comparandus. ad quod impie abutuntur loco iſto: Adorate ad ſcabellum pedum ejus.

Refell. 1. Quia hic locus de ſolo Deo dicitur, ac proinde non ſine ſacrilegio à Deo ad Papam torquetur. *Refell.* 2. Quia Chriſtus Servator, cujus Vicarium ſe profitetur Papa, pedes Diſcipulis lavit; tantum abfuit à ſuperbia Papæ. *Refell.* 3. Exemplo Petri, qui Cornelium ad pedes procidentem prohibuit: & Angelorum exemplo, *Apoc.* 19. *v.* 10. *Eſai.* 45. *v.* 23. *Rom.* 14. 11. *Phil.* 2. 10.

Orthod. *Antichriſtus ille magnus, quem Sacræ literæ paſſim depingunt, jam apparuit, & eſt Papa Romanus.*

Pontif. Contra. *Bellarm. l.* 3, *de Roman. Pontif. cap.* 3, *per totum. & cap.* 18 *ejuſdem libr.*

π. ψ. Si enim evictum fuerit, Pontificem Romanum eſſe Antichriſtum, ſequitur, eum non tantum non fore caput Eccleſiæ & membrum aliquod ejus, ſed inſuper hoſtem acerrimum ejus.

Graves diſputationes hac de re inter nos & Pontificios. Nos rem probabimus; & ita refellemus. Spiritus Sanctus agit de Antichriſto, omnium confeſſione, *Apoc.* 17. 18, in ſpecie meretricis. Prædicit ergo hujus meretricis purpuream veſtem, qui color eſt veſtis Papalis, ut habetur, *l.* 3, *ſect.* 5, *cap.* 5. Ibidem Spiritus Sanctus dicit, hanc meretricem plenam fore nominibus ſeu titulis: tales ſunt hi tituli, qui Papæ tribuuntur, dum vocatur, *Deus, & Majeſtas ejus divina, ſponſus Eccleſiæ univerſalis, Leo de tribu Iuda, & ſurculus de tribu Ieſſe.* Et dicitur Sacris literis eſſe ſuperior, penes quem ſit refigere Dei mandata, & peccata remittere, idque coram tribunali Dei. Ejuſdem *cap. Apoc. v.* 6, 9, hæc meretrix ebria ſanguine Martyrum dicitur, dicitur etiam inſidere ſeptem montibus: quod quidem ſoli Romæ competit. Hinc illud Virgilii, *Georg.* 2.

Septemque una ſibi muro circumdedit arces.

At verſus ultimus capitis omnem dubitationem eximit: *& femina, quam vidiſti, eſt urbs illa magna, quæ habet regnum ſuper reges terræ.*

Orthod. *Antichriſtus non erat homo ſingularis, ſed ordo ſeu genus hominum quoddam.*

Pontif. Contra. *Bellarm. l.* 3, *de Rom. Pontif. cap.* 2, *per totum.*

π. ψ. Quod Antichriſtus dicatur ὁ ἄνθρωπος, *articuli Græci, inquit Bellarm. certam aliquam perſonam ſingularem notant.*

Refell. Verum quidem eſt, articulos Græcos ſuam emphaſin habere, ſed hoc ſubſtrata materia determinat. An ὁ σπείρων, καὶ ὁ θερίζων, unus ſingularis ſeminator, meſſor? *Ioan.* 4. 37.

Cap.

CAP. IV.
De Conciliis.

PONTIF. Concilia Particularia ſimpliciter & abſolute ſunt neceſſaria ad tuendam Eccleſiæ ſalutem, *Bellarm. l. de Conc. c.* 11.

ORTHOD. *Contra.*

π. ψ. Concilium eſt ſupra Scripturam.

Refell. Nam, nec Concilia ſunt ſupra Scripturam; quia tota Eccleſia eſt ſuperſtructa ſuper veram fidem Apoſtolorum & Prophetarum, *Epheſ.* 2. 20. 2. Concilia non ſunt abſolute neceſſaria. Ratio; Quia Concilia nec ſemper, nec ubique celebrata: Nec vero obtineri poteſt, ut quoties velimus, toties Concilia celebrari poſſint. Obſervandi ſunt Concilii Canones, quos cuivis adire licet. Hos Canones paucis admodum eſſe obvios. Nam ut adeantur, opus eſſe linguarum & antiquitatum cognitione. Deinde requiri cognitionem Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, & quidem non vulgarem, ut ſciamus fuiſſe hæc Concilia legitima. 3. Concilia, de quibuſdam tantum dogmatibus fuiſſe conſulta. Itaque non hinc peti, niſi in certis quibuſdam religionis capitibus, definitionem controverſiarum. 4. Diu vixiſſe Eccleſiam ſine Conciliis, hoc eſt, à temporibus Apoſtolicis ad tempora prioris Concilii Niceni. Unde liquet, non eſſe abſolute neceſſaria ad tuendum Eccleſiæ ſalutem.

PONTIF. Concilia non poſſunt errare confirmata à Papa. *Bellarm. l.* 2, *de Concil. auct. cap.* 2. *& ſeqq.*

ORTHOD. *Contra.*

π. ψ. Quia Papa errare non poteſt.

Refell. Quia, ſi Concilia errare poſſunt: Ergo & Papa. Præterea in eo ridendos ſe præbent Pontificii, quod hoc ſentiant. Nam Papæ confirmatio ſequitur Concilii decreta, non præcedit. Itaque diu Romæ diſputatum eſt, jam dimiſſo Concilio Tridentino, ut Petrus Suavus in ſua Hiſtoria docet: An confirmari debuerit Concilium? An Concilia, poſtquam cœperunt deſinere, non poſſint errare? Hoc vero tam abſurdum eſt, ac ſi quis diceret: Concilium, poſtquam deſiit eſſe Concilium, non poteſt errare.

PONTIF. Concilia etiam omnia, ſumpta abſolute, errare non poſſunt. *Idem, ibid.*

ORTHOD. *Concilia omnia abſolute errare &c.*

π. ψ. Matth. 8, *Ubi duo vel tres ſunt congregati.*

Refell. error. Nam verba Chriſti non hoc volunt, quod prætendunt Adverſarii, ſcilicet hic agi de Concilio. 2. Sequeretur, ubi duo vel tres congregati ſunt, illos errare non poſſe ſimpliciter; quod quidem falſum eſt. Nam non ſolum hoc dicitur, ſed additur, *in nomine meo.* Quid autem ſit, in nomine Chriſti convenire, diſceptatur à variis. Nos ſic ſumimus: Quod ii dicantur in nomine Chriſti convenire. 1. Qui non ſua auctoritate conveniunt, ſed jubente Chriſto. 2. Non nixi viribus ſuis, ſed fiducia auxilii Chriſti. 3. Ut à Deo pendeant. Pendebunt autem à Deo, ſi in Conciliis ſuis ſequantur Dei præſcriptum, quod niſi fecerint, non conveniunt in nomine Chriſti, ſed in nomine ſuo. 4. Ut agnoſcant, non poſſe fieri, ut ſequantur in Conciliis præſcriptum Dei, niſi Deus adſit per Spiritum ſuum, & det ipſis bonam mentem.

ORTHOD. *Concilia ſunt ſupra Papam.*

PONTIF. Contra. *Bellarm. lib.* 2, *de Concil. auct. cap.* 17.

π. ψ. Quia caput Eccleſiæ eſt Papa.

Refell. Error multis modis ſe prodit, ſed hoc imprimis. Nam, ſi Papa eſt caput Eccleſiæ, oportebit Eccleſiam, ubi Papa mortuus ſit, eſſe abſque capite. Imo, ubi duo vel tres Papæ, Eccleſiam bicipitem vel tricipitem eſſe. Hoc hic obſervandum fuerit, Pontificiis objici poſſe, illos cum graviſſimis diſſenſionibus conflictari, & quidem in fundamentalibus, ex ipſorummet ſen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ſententia. Nam, ſi Concilium eſt ſupra Papam, ut nonnulli eorum volunt; Ergo creditur Papæ ob Concilium, non Concilio ob Papæ auctoritatem: quod ſi vero Papa ſupra Concilium ſit, creditur Concilio ob Papam, non vero Papæ ob Concilium. Atqui propter quod unumquodque creditur, id fidei fundamentum eſt.

CAP. V.

De Eccleſia.

PONTIF. Eccleſia eſt cœtus eorum tantum, qui eandem fidem profitentur, eademque Sacramenta uſurpant, ſub regimine unius Pontificis Romani. *Bellarm. lib. 2, de Eccl. Milit. cap. 3. §. Noſtram autem &c.*

ORTHOD. *Contra.*

ϖ. ψ. *Eccleſia Catholica Pontificem Romanum eſſe caput.*

Refell. 1. Quia ille eſt caput, qui eſt ſponſus: ſponſus autem ſolus Chriſtus, *2 Cor.* 11. *v.* 2. 2. Ille eſt caput Eccleſiæ, cujus Eccleſia eſt corpus. At ſolius Chriſti Eccleſia corpus eſt, *Eph.* 5. 29, 30.

PONTIF. Non pertinent ad Eccleſiam Catholicam, quicunque non baptizati ſunt, item Catechumeni, & quovis modo excommunicati, licet interim vera fide præditi ſint. *Idem, ibid. cap.* 3. *&* 5.

ORTHOD. *Pertinent ad Eccleſiam Catholicam omnes fideles ſeu baptizati; non item illi, qui excommunicantur, ſi fidem non habeant.*

ϖ. ψ. *Eccleſiam Catholicam eſſe viſibilem.*

Refell. ex Symbolo Apoſtolico. Nam Eccleſia creditur: Ergo non videtur. Item probatur ex communione, quæ à duobus pendet, & nullibi conſpicua eſt. Eſt enim vel reſpectu ſuperioris, ut capitis; quemadmodum, 1 *Ioan.* 1, Apoſtolus docet: *Si*, inquit, *dixerimus, nos communionem habere cum eo.* Hæc communio inviſibilis eſt oculis corporeis. 2. Communione bonorum inter ſeſe: & hæc inviſibilis eſt; quia nulli conſtat certo, quis ſit de Eccleſia vere, quis non.

PONTIF. Ad Eccleſiam Chriſti proprie dictam reprobi occulti revera pertinent, infideles, *Bellarm. l.* 3, *de Eccleſ. Milit. cap.* 10. & magni peccatores, *Idem, ibid. cap.* 19. ac manifeſti, dummodo fidem Romano-Catholicam profiteantur.

ORTHOD. *Contra.*

ϖ. ψ. *Confeſſionem externam facere, ut viſibilis Eccleſiæ ſint vera membra.*

Refell. 1. Quia Confeſſio externa non facit membrum Eccleſiæ; alioquin futuri eſſent iſti membra Eccleſiæ, de quibus, Matth. 7, *Non omnis qui dicit &c.* 2. Idem refell. *Rom.* 9. 9, 10. Item 11. 12.

PONTIF. Vera & Catholica Eccleſia ſemper in hoc mundo viſibilis eſt & conſpicua. *Bellarm. ibid. c.* 17. 13.

ORTHOD. *Contra.*

ϖ. ψ. *Eccleſia eſt judex atque arbitra Controverſiarum: Arbitrum autem & judicem Controverſiarum oportet ſemper eſſe conſpicuum, ut ſciamus ad quem recurrere debeamus, dum nobis hæ vel illæ Controverſiæ moventur.*

Refell. Non eſt Eccleſia judex, ſed Scriptura; propterea non jubet Spiritus Sanctus ad Eccleſiam ſimpliciter confugere, ſed ad Scripturam & Legem, *Eſai.* 8. 20. Et ſi aliquando remittit ad Eccleſiam, ita remittit, ut nolit obtemperari Eccleſiæ, niſi illa ex Scriptura judicium tulerit, *Deut.* 17. 11. *Matth.* 18. 24.

PONTIF. Externa hæc ſeu viſibilis Eccleſia nunquam poteſt obſcurari. *Becanus, Manual. l.* 1, *cap.* 3.

ORTHOD. *Contra.*

ϖ. ψ. *Vnuſquiſque tenetur ſub periculo ſalutis ſe adjungere viſibili Eccleſiæ.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Refell. Quia Elias neſcivit ſupereſſe Eccleſiam; & multi in carceribus, qui nunquam ſe poſſent adjungere Eccleſiæ, convertuntur; itemque in locis remotiſſimis, ubi nulla Eccleſia, ſalutis æternæ tamen hi tales fiunt participes. Certum enim eſt: *Qui credit, habet vitam æternam.*

PONTIF. Eccleſia viſibilis Romana errare non poteſt. *Bellarm. l. 2, de Eccleſ. Milit. cap.* 14.

ORTHOD. *Contra.*

π. ψ. Verba iſta quæ, 1 Tim. 3, *habentur*, Eccleſia columna & firmamentum veritatis eſt.

Refell. Nam Apoſtoli verba iſta conjungenda ſunt cum ſequentibus, cum non pendeant à præcedentibus. Verba Apoſtoli enim ſic habent: *Columna & fundamentum veritatis*, ſenſu aperto & plano. Nam idem vocat Apoſtolus myſterium pietatis, ſummam nempe Evangelii, columnam & fundamentum veritatis; atque ita ſe rem habere probari poteſt. Quod alioquin oratio Apoſtoli eſſet hiulca & ſuſpenſa, *ut ſcias*, inquit, *quomodo tibi ſit verſandum in Eccleſia* &c. *Et ſine controverſia eſt magnum* &c. Nam cohærent iſta. Deinde non ſolet Apoſtolus novi argumenti tractationem à conjunctione inchoare. Itaque illud, *& ſine controverſia magnum eſt pietatis myſterium*, neceſſario cum præcedentibus cohæret, nempe *columna & fundamentum veritatis.*

PONTIF. Profeſſio ſanæ doctrinæ & legitimus Sacramentorum uſus, non ſunt notæ illius viſibilis Eccleſiæ, cui ſe fideles adjungere debent. *Bellarm. l. 4, de notis Eccleſ. cap. 2. & ſeqq.*

ORTHOD. *Contra.*

π. ψ. Nota rei internoſcendæ non debet eſſe communis.

Refell. Nam nota ſequitur naturam rei, ſi ita, tum talis debet eſſe nota, qualis rei cognitio. Si igitur res natura ſua adeo uſque abſtruſa eſt, ut non poſſit certo diſtincte cognoſci, ſed conjecturis quibuſdam, quæ fidem utcunque faciant, fruſtra petuntur ejus rei notæ, quæ minime ſunt communes; ſi enim ejuſmodi eſſent illæ notæ, res ipſa jam non eſſet natura ſua abdita. Verbi gratia: viri boni non poſſunt certis notis & indubitatis diſtingui à malis. Ergone nullæ notæ ſunt bonorum? aut adeone illæ notæ pro bonis non ſunt habendæ, quæ communes cum malis? Si res ita ſe habet, diſſipetur ſane & concidat omnis ſocietas humana neceſſe eſt; itaque ex eo quod nota communis eſt, non continuo ſequetur non eſſe veram notam. In rebus phyſicis valebit hæc ratio, non ethicis.

Obj. Nos rejicere notas Eccleſiæ Pontificiæ, quod ſint communes, & tamen nos dare notas communes Eccleſiæ.

Reſp. Aliam eſſe in hac Pontificiorum quæſtione, aliam in noſtra, conditionem. Nos enim non profitemur quod profitentur Pontificii, certo ſcilicet & diſtincte demonſtrari poſſe Eccleſiam; itaque non tenemur eadem lege. Noſtra enim ſententia eſt, Eccleſiam ſua natura & vere inviſibilem eſſe ſimpliciter, ſi habeatur ratio certæ & diſtinctæ cognitionis. At Pontificiorum diverſa ſententia eſt; Nam illi nullam Eccleſiam agnoſcunt, præter eam quæ certæ & diſtinctæ notæ ſit. Non eſt ergo quod à nobis exigant Pontificii notas quales ab iis exigimus.

PONTIF. In Eccleſia Romana nulla unquam facta Eccleſiæ mutatio. *Bellarm. lib. 4, de not. Eccleſ. cap. 7. §. Iam vero* &c.

ORTHOD. *Contra.*

π. ψ. Quod non poſſit deſignari tempus, quo iſta mutatio facta.

Refell. Mutatio poteſt deſignari, cum agitur de mutatione in melius, in iis quæ pertinent ad religionem & ad mores. At cum agitur de mutatione in pejus, non eſt uſquequaque certum. Cujus rei ratio evidens eſt: nam mutationi in melius omnes renituntur, nempe mundus odit veritatem. Itaque neceſſe eſt oriri magnos tumultus, ubi primum lux veritatis non jam micare tantum, ſed ſplendere atque affulgere mundo incipit, veluti ſol clara meridie. Ut enim mendaces, fures, qui cauti ſunt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

obrepunt latentes; attamen ſi deprehendi poſſint, non quidem qua hora, quo loco, quibus præſentibus furtum fecerint, quæritur; ſic enim cum furibus optime ageretur: ſed ita ut demonſtretur, quod rem alienam detineant pertinaciter. Itaque & nobis ſatis eſt demonſtrare, quod errores ſint graviſſimi in Eccleſia Romana.

CAP. VI.

De Clericis.

PONTIF. Soli Eccleſiæ miniſtri, & quidem proprie loquendo, ſunt clerus, *id eſt*, hereditas Dei. *Bellarm. lib.* 1, *de Clericis*, *cap.* 1.

ORTHOD. *Contra.*

π. ψ. Quia ſoli miniſtri ſe præferunt laïcis, eoſque velut totos in peccatis natos, & Deo execrabiles aſpernantur.

Refell. Quia totam Eccleſiam Spiritus Sanctus vocat clerum, 1 *Petr.* 5. 2. Hinc cæleſtis illa piorum conditio gratis per Chriſtum à Deo κλῆρος dicitur, *Col.* 1. 12. Non quod forte aut fortuito ipſis obveniat, ſed ex æterno Dei decreto, voluntate & beneplacito.

PONTIF. Jus eligendi ſeu vocandi Miniſtros non ad Eccleſiam, hoc eſt, ad populum fidelem, ſed ad ſolos Epiſcopos pertinet. *Idem*, *ibid. cap.* 2. 3. 4. *& ſeqq.*

ORTHOD. *Contra.*

π. ψ. Quod Epiſcopi ſint nobiliores tota Eccleſia.

Refell. Quod Eccleſia totum; Epiſcopi, partes; nobilius totum, quam partes. 2. Quod ſint propter Eccleſiam. Atqui quicquid eſt propter aliquid, ignobilius eſt eo propter quod eſt.

PONTIF. Ordines Miniſtrorum in N. Teſt. qui Sacri & perpetui habentur, ſeptem ſunt, inter ſe vero diſtincti. Nempe, Oſtiarii, Lectores, Exorciſtæ, Acoluthi, Diaconi, Subdiaconi, & Sacerdotes. *Bellarm. l.* 1, *de Clericis*, *cap.* 11. §. *Porro Catholici.*

ORTHOD. *Ordines iſti non agnoſcuntur in Scriptura præter Diaconos.*

π. ψ. Quod partim ritus quidam Unctionis & Conſecrationis, partim officium quod impendunt ſacrificio Miſſæ, hos ordines importent.

Refell. 1. Ex eo, quod Spiritus Sanctus hanc diſtinctionem ordinum miniſtrorum non ponat, *Eph.* 4. 11, & 1 *Tim.* 3, *Tit.* 1. 2. Quod ordines iſti Pontificiorum blaſphemi ſint, cum quidam ad Sacrificii Chriſti iterationem & repetitionem ſint inſtituti, contra quam eſt, *Heb.* 7. 27. & 9. 25.

PONTIF. Epiſcopi jure divino ſuperiores ſunt Verbi Miniſtris, tum Ordinis poteſtate, tum Juriſdictione. *Bellarm. ibid. cap.* 14. §. *Quod ad primum.*

ORTHOD. *Contra.*

π. ψ. Conſuetudo Romanorum, quæ diſtinguit inter verſantem Verbum Dei, & Epiſcopum.

Refell. 1 *Phil.* 1. 1. Ubi iidem Presbyteri, Prædicantes & Epiſcopi dicuntur &c. 2 *Tit.* 1. *v.* 5. 1 *Tim.* 3. 1, 2, 3.

PONTIF. Cælibatus perpetuus ex inſtituto Apoſtolorum omnibus Verbi Divini Miniſtris neceſſario ſervandus. *Idem*, *ibid. c.* 18. §. *Ac ut primo.*

ORTHOD. *Contra. Iis tantum, quibus donum continentiæ datum.*

π. ψ. Functio Eccleſiaſtica cum uſu matrimonii plane pugnat.

Refell. Hebr. 13. v. 4, *Honorabile eſt conjugium inter quoſvis*, &c. Petrus uxorem ſuam circumducebat, teſte Paulo, 1 *Cor.* 9. 5. Idem probatur, 1 *Tim.* 3. 2.

PONTIF. Clerici non tantum in Eccleſiaſticis, ſed & civilibus cauſis, à judiciis & ſubjectione Magiſtratus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

exempti ſunt. *Bellarm. l.* 1, *de Clericis, cap.* 28, 29, 30.

ORTHOD. *Clerici & in Eccleſiaſticis & civilibus cauſis à judiciis & ſubjectione Magiſtratus exempti non ſunt*, 1 Petr. 2. 13. Rom. 13. 1.

π. ψ. *Ineptum putant, ut Paſtor, ſeu Epiſcopus, à Magiſtratu, qui eſt ovis, judicetur.*

Refell. Quia duos diverſos reſpectus confundunt; nec abſurdum eſt, ut Paſtor, veluti civis, à Magiſtratu judicetur; & ut Magiſtratus, tanquam ovis, à Paſtore examinetur. Nec enim ubique Magiſtratus eſt ovis, neque Paſtor ubique civis. Iſta igitur ſunt diſtinguenda, non confundenda.

CAP. VII.

De Monachis.

PONTIF. Monachatus eſt ſtatus religioſus ſeu perfectionis Evangelicæ ſummus. *Bellarm. l. de Monachis, cap.* 1.

ORTHOD. *Contra.*

π. ψ. *Monachos ſibi mereri vitam æternam.*

Refell. Ex Sacris Literis, quæ expreſſe docent, vitam æternam gratia nobis obvenire, *Epheſ.* 2. 5, 8. Eadem docet, non ex operibus noſtris nos ſervari, *ibid. v.* 9. & *Tit.* 3. 5.

PONTIF. Monachorum origo antiquiſſima eſt, *Idem, ibid. cap.* 4.

ORTHOD. *Contra.*

π. ψ. *Statuunt, Monachatum fuiſſe in Veteri Teſtamento, & ſtatim ab ipſa creatione cœpiſſe & perduraſſe.* Cœpiſſe ab Enos Monachos, taleſque fuiſſe Rechabitas, Nazaræos, Eliam, Eliſæum, & Joannem Baptiſtam.

Refell. Nam quod, *Gen.* 4. *v.* 26, adferunt Pontificii, *Cœptum eſt invocari nomen Domini*, dico talem conſequentiam eſſe, ac ſi quis dicat: *Baculus eſt in angulo. Ergo bona dies.* Deinde non demum id factum eſt ab Enos, ſed cum Enos ex Setho naſceretur. Nec enim Enos, adhuc infans, potuit invocare Deum. Quod ad Rechabitas attinet, quos dicunt Monachos fuiſſe; non quidem illi, quod domos non ædificarunt, aut agros non coluerunt, fuerunt Monachi, ſed Paſtores: Neque etiam à conjugio abſtinuerunt, neque bona propria abjecerunt, neque monaſteria per deſerta aut in urbibus habuerunt; fuerunt enim Rechabitæ Paſtores Jethronis, qui fuit ſocer Moſis, quique cum populo Dei ex Ægypto egreſſi, vitam paſtoralem egerunt. Nazaræi Monachi non fuerunt; quod inde liquet, quia Nazaræi erant comati, Monachi raſi; Nazaræi ex voto à vino abſtinebant, Monachi ex voto non abſtinent; Nazaræatus certo tempore finiebatur; Monachatus votum eſt perpetuum. Nazaræi à conjugio non abſtinebant, ut ex Samſonis exemplo liquet; Monachi ſcilicet abſtinent. Quod ad Eliam & Eliſæum attinet, illos non fuiſſe Monachos clarum; neque enim hi ſine uxoribus vixerunt. vide 2 *Reg.* 4. 1. Nec hoc, quod de Joanne Baptiſta garriunt, valet quicquam, quod in deſerto vixerit. Nam & feræ & latrones vivunt in deſertis, & Nabuchodonozor ſeptem annos in deſerto manſit. Ergo illi fuerunt Monachi? 2. Diſſimilis ratio Joannis Baptiſtæ & Monachorum, quamvis Eremitarum. Vita Joannis fuit in deſerto ex peculiari Dei præcepto, *Luc.* 1. Monachi abſque juſſu Dei in deſerto vivunt. Joannes vinum & ſiceram non bibebat: Monachi vero omnes ſatis ſtrenui ſunt in evacuandis poculis Heroës.

PONTIF. Fundamentum ſtatus Monachici ſunt Conſilia Evangelica, à præceptis Chriſti diverſa & longe excellentiora, *Idem, ibid. c.* 9.

ORTHOD. *Conſilia nulla ſunt divina; quæ non ſint præcepta, & quibus omnes homines non obligentur*, Luc. 7. 30. Act. 20. 27. Apoc. 3. 13. *Nam ſi quis conſilium viri prudentis non admittit, ſtultus eſt, quanto magis ſtultus, qui conſilium Dei aſpernatur?*

π. ψ. *Monachos plura facere, quam Lex po-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ſtulat, atque adeo vere mereri vitam æternam, & facere opera ſupererogatoria.

Refell. Quia nemo eſt, qui non peccat. Nemo enim eſt qui poſſit præſtare legem; quomodo ergo plura præſtare poterit, quam lex requirit? Quod nemo ſit, qui non peccet, Scriptura paſſim teſtatur, 1 *Reg.* 8. 46. *Eccleſ.* 9. 70. & paſſim.

PONTIF. Inter Conſilia Evangelica eſt voluntaria paupertas, ſeu bonorum omnium abjectio, cujus votum, à quocunque ſuſceptum, Deo valde placet. *Bellarm. l.* 2, *de Monach. c.* 20.

ORTHOD. *Voluntaria paupertas, ſeu bonorum omnium abjectio, nunquam in Scriptura præcipitur, nec illa eſt à Sanctis hominibus obſervata, imo pugnat clariſſime cum Verbo Dei*, Prov. 30. 8. Matt. 6. verſ. 11.

Ubi panem noſtrum jubemur à Deo petere; Ergo non repudiare, cum eſt ad manus. Præter hæc, ratio hoc evincit. Neque enim Deo alacri animo ſervire poſſumus, cum is nihil largiri poſſit, qui nihil habet. Adde quod paupertas cruciatus animis adfert, & ſolicitudines gignit; cum inſita ſit nobis naturalis cura victus & veſtitus, & quam maxime premantur his ſolicitudinibus, ii qui nihil habent.

π. ψ. *Divitias natura ſua eſſe malas, ac proinde abjiciendas.*

Refell. Quia divitiæ dicuntur utiles piis, *Proverb.* 10. 15. & *cap.* 14. 24. Qui enim ex alieno vivit, ſervus & mancipium tandem evadit, *Prov.* 22. 7. Denique ſunt Dei benedictio honeſte & legitime partæ divitiæ, quare nequaquam à viris piis ſunt abjiciendæ, aut repudiandæ.

PONTIF. Votum perpetuæ continentiæ, ſeu cælibatus, eſt Conſilium Evangelicum. *Bellarm. lib.* 2, *de Monach. cap.* 8.

ORTHOD. *Contra.*

π. ψ. *In uniuscujuſque poteſtate eſt, ſi voluerit, hoc ipſum votum implere.*

Refell. 1. *Matth.* 19. *v.* 11, 12. 2. Votum hoc de rejiciendo conjugio, privat nos optimo remedio à Deo inſtituto contra carnis æſtum, quo urimur.

PONTIF. Eſt votum Evangelicum, per quod proprio ſenſui renuntiantes, juxta regulas ſui quiſque ordinis præpoſitis ſimpliciter obtemperet. *Bellarm. l.* 2, *de Monach. cap.* 35. 36.

ORTHOD. *Contra. Non eſt Evangelicum conſilium, ſed inventum humanum.*

π. ψ. *Parentibus debemus obedientiam cæcam, & præſertim parentibus ſpiritualibus.*

Refell. Vetat Paulus quenquam hominem Chriſtianum ſic fieri ſervum, quia Chriſti Sanguine redempti ſumus, *Col.* 2. *v.* 18. Tum & hoc ipſum errorem hunc refellit, quod Magiſtratui non jubemur obedire cæça obedientia, qui tamen præferuntur parentibus, *Act.* 5. 29. Adde & hoc, quod Deus neminem obtemperare jubet cæca obedientia, ne Eccleſiæ quidem, niſi adhibita iſta cautione, ut hoc fiat cum examine ad Verbum Dei.

PONTIF. Non adulti tantum, ſed & pueri ac puellæ, modo uſum rationis habeant, & etiam invitis parentibus poſſunt vota monaſtica ſuſcipere & monaſterium ingredi. *Bellarm. ibid. cap.* 37.

ORTHOD. *Pueri & puellæ nulla vota invitis parentibus facere poſſunt.*

π. ψ. *Qui non reliquerit patrem & matrem* &c. *Matth.* 10. 32.

Refell. Non enim dicit, *qui non derelinquit*, ſed, *qui amat ſupra me*, hoc eſt, qui in gratiam parentum parum quaſi habet Deum offendere, & præcepta ejus tranſgredi, cum contra fieri debeat, hoc eſt, parentes potius offendere, quam, in gratiam ipſorum, offendere Deum.

PONTIF. Omnes conjuges, ante matrimonium, invita etiam altera parte, conjugium diſſolvere, & Monacha-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

nachatum ſuſcipere poſſunt. *Bellarm. ibid. cap.* 37.

ORTHOD. *Conſummatum matrimonium minime diſſolvi poteſt.*

π. ψ. Idem eſt quod prius, Verbo male intellecto, Matth. 10, *Quod ſcilicet Deum debeamus amare ſupra uxores, ſupra maritos.*

Refell. Quia, *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet;* propterea duæ cauſæ dantur diſſolutionis; 1. *Matth.* 19. *v.* 9. 2. Mors; quia per mortem mulier liberatur à lege viri, *Rom.* 7.

CAP. VIII.

De Laïcis ſeu Magiſtratu Politico.

PONTIF. Leges omnes à Magiſtratu Politico latæ, non minus quam ipſius Dei leges, unumquemque fidelem in conſcientia obligant. *Bellarm. lib.* 1, *de Laïcis, cap.* 11, *à principio.*

ORTHOD. *Contra.*

π. ψ. Verba Pauli, Rom. 13. 12.

Refell. 1. Quia ſi vera eſſet hæc ſententia, tum ſequitur, non ſolum Deum habere jus in conſcientias: quod falſum, *Rom.* 1. 15. 1 *Cor.* 7. Unde ſequitur, nullam legem, niſi divinam, nos in conſcientia obligare poſſe. 2. Si vera eſſet hæc ſententia, æque Divina, ac humana, eſſet ſervanda, & ita par ratio eſſet utriuſque. At hoc eſt falſum; Divina enim lex præferri debet, *Actor.* 4. *v.* 19. & 5. 29. 3. Si legi humanæ propter conſcientiam parendum non eſt, veluti cum Nabuchodonozor edicto jubet imaginem adorari, *Dan.* 3. 4: Divinæ vero ſemper, propter conſcientiam eſt obſequendum. Ergo non eſt eadem ratio Divinarum & humanarum legum.

PONTIF. Ad Politicum Magiſtratum pertinet defenſio Religionis, non autem cognitio & judicium. *Idem, ibid. cap.* 17. & 18.

ORTHOD. *Contra. Non tantum pertinet defenſio, ſed etiam cognitio & judicium, ſcilicet diſcretivum.*

π. ψ. Eccleſiæ cæcam obedientiam deberi, quia errare non poteſt.

Hoc *π. ψ.* antea à nobis refutatum: hoc tamen hic fuerit in memoriam revocandum, judicium & cognitionem competere cuivis Chriſtiano, non *auctoritativum*, ſed *diſcretivum*.

PONTIF. Magiſtratus ſua vi unam tantum religionem debet defendere, nec conſcientiæ libertatem ſuis ſubditis concedere. *Idem, ibid. c.* 18. 19.

ORTHOD. *Vera eſt hæc ſententia, ſed cum limitationibus accipienda. Fundamentum vero ſeu principium iſtius eſt: Nihil ex Verbi Dei ſcripti ſententia immutandum eſſe, ne iota quidem, ut Chriſtus docet*, Matth. 5. 18.

Ceterum limitationes ſunt. Nam intelligitur hoc vel de iis, qui fundamentales non fovent errores; vel de iis, qui diſſentiunt in fundamentalibus: prioribus debet libertatem concedere Magiſtratus. Quod ſi vero diſſident in fundamento, hæreſes eas ex Dei Verbo Magiſtratus à Paſtoribus Eccleſiaſticis refutari curabit, deinde confutatas damnabit. Quod ſi hîc etiam altas in hominum mentibus radices egerint, ut ſtatim evelli propterea nequeant (nec enim ſemper abſque periculo regni poſſunt hæreſes tolli); tunc tolerabit quidem eas, quæ ad religionem propius accedunt, ſed ad tempus tantum; eas tamen, quas poterit maxime, coërcebit.

PONTIF. Catholici cum hæreticis nullo modo conciliari poſſunt, eoque pacificatio inter ipſos per Magiſtratum aut quemvis alium procuranda non eſt. *Idem, ibid. cap.* 20.

ORTHOD. *Contingit aliquando, ut Catholici*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

tholici cum hæreticis conciliari debeant, & pacem politicam inire.

π. ψ. Nullam eſſe communionem luci cum tenebris.

Refell. Quod ad Religionem attinet, ſed poteſt eſſe ſocietas quod ad publicam communionem. vid. *Iud.* 1. *v.* 25, 29, 30, 31. *ad fin.*

PONTIF. Libri hæreticorum omnes ſunt ſine delectu abolendi & cremandi. *Idem, ibid. cap.* 20.

Concedunt hoc Orthodoxi, ſed cum duplici diſtinctione. 1. Diſtinguendo inter libros Theologicos, & qui tales non ſunt, qualis eſt Grammatica, Rhetorica; hi inter Chriſtianos tolerari & legi poſſunt, cum nullum ab iis immineat periculum. Sed ſcripta, de quibus verè dicitur, *Corrumpunt bonos mores colloquia prava*, 1 Cor. 15. *v.*37, ſunt omnino è manibus Chriſtianorum excutienda: Nec vero exigua utilitas, quæ ex hæreticis, & hæreticorum libris capi poteſt, tanti apud nos eſſe debet, ut maxima quæ in iis ſunt, venena retineamus propterea. Nam vel paululum fermenti, totam maſſam fermentat, 1 *Cor.* 5. 6. Quia & aliunde eadem bona habere & nanciſci poſſumus. 2. Debet hoc intelligi de Chriſtianis ſimplicioribus & rudioribus, quorum tanta non eſt ſcientia, ut facile verum à falſo diſcernere poſſint; Nec tantus vigor ingenii & prudentia, ut ea quæ præſcripta ſunt, à veneno iis adjuncto, queant ſeparare. Ceteris igitur non perinde eſt interdicta hæc lectio.

PONTIF. Hæretici maximis pœnis atque adeo maximis ſuppliciis puniendi. *Idem, ibid. cap.* 24.

Fundamentum iſtius, quia ſunt cauſæ exitii æterni: multis ergo in hoc cum Pontificiis convenimus: ſed qui hæretici ſunt, qui non, de eo diſceptandum.

CAP. IX.

De Eccleſia laborante in Purgatorio.

PONTIF. Scriptura Veteris & Novi teſtamenti paſſim docet, eſſe Purgatorium. *Bellarm. de purgat. lib.* 1, *cap.* 3, 4, 5, 6, 7. &c.

ORTHOD. *Imo contrarium docet.*

π. ψ. Quod remiſſa culpa retineatur pœna.

Refell. hoc, exemplo latronis ad cælos tranſlati, *Hodie*, inquit, *eris mecum in Paradiſo*: utique, ſi quis unquam poſt mortem purgatione opus habuit; ſane hic fuit, cujus vita fuit ſceleribus plena. *Excip.* Pontificii quædam, & dicunt: Hanc eſſe peculiarem exceptionem, quæ non debet ad alios trahi. At ridiculi ſunt. Prærogativæ enim ſunt exceptiones à regula generali. At hi nullam ex Scriptura adferunt regulam, imo nec ullum exemplum cujuſquam, qui miſſus fuerit in Purgatorium, aut inde redierit. 2. Quod ſi hoc datum eſt magnitudini fidei latronis, plane inde ſequitur, omnem hominem, qui firma fide, & ſine hæſitatione confidit in Chriſto, immunem eſſe & liberum à pœnis Purgatorii, quam tamen certitudinem fidei exagitant Pontificii, inſimulantque eam aſſerentes, temeritatis ac ſuperbiæ.

PONTIF. Animæ, quæ ſunt in Purgatorio, ad tempus eo mittuntur; & poſtquam in terris aliquandiu apparuerint, rurſus eodem ſe conferunt. *Bellarm. lib.* 2, *de Purgat. cap.* 8.

ORTHOD. *Animæ mortuorum nunquam redeunt in terram hanc, ſed manent in eodem loco, ibique ſunt ad extremum uſque judicium.*

π. ψ. Animas interdum oberrare, & hominibus apparere, itemque ipſorum opem implorare.

Refell. Nam animæ ſunt fidelium, vel infidelium;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

delium; Si ſunt fidelium, non ingrediuntur Purgatorium, ſed recta in cælum contendunt. Quia, *qui credit, tranſit à morte ad vitam æternam*, Joan. 5. Apoc. 14, *Beati mortui à modò, qui in Domino moriuntur*. Eſai. 57, *Iuſti intrant in pacem, & requieſcunt in cubiculis ſuis*. Si infidelium, illæ recta in Infernum ablegantur: *Qui non credit, ſuper illum manet ira Dei*, Joan. 3. v. 36. *Qui non credit, jam condemnatus eſt*, Matth. 28.

Pontif. Ignis purgatorius vere materialis eſt, efficaciter tamen in animas agit. *Bellarm. lib. 2, de Purgator. cap. 11.*

Orthod. *Contra.*

ϖ. ψ. Statuunt, corpora poſſe agere in ſpiritus, ut aquam luſtralem, & id genus alia.

Refell. Nam ſi in Inferno nullus ignis materialis, ergo neque in Purgatorio, poſito ſcilicet quod detur Purgatorium. In Inferno ignem materialem non fore, liquet ex eo, quod cruciatus infernales deſcribantur per vermem non morientem, *Marc. 9. Eſaï. 65.* 2. Chriſtus pœnam infernalem ſuſtinuit, neque tamen igne materiali cruciatus eſt. 3. Corpus non agit in ſpiritum, niſi contrariis qualitatibus utrumque præditum fuerit.

Pontif. Purgatio in hac vita non datur in hominibus ſufficiens à peccatis. *Idem, ibid. l. 1, de Purgat. cap. 11.*

Orthod. *Datur.*

ϖ. ψ. Quia nihil coinquinatum &c. Apoc. 20. v. 27.

Refell. Utut in hac vita imperfecta ſit regeneratio, atque purgatio, in ipſo tamen vitæ termino, atque exitu animæ, anima perfecte regeneratur; unde etiam illi, qui rapiendi Chriſto in occurſum, & quos dies Domini repertura, immutandi ſunt in momento oculi, *1 Cor. 15. 17.*

Pontif. Peccata in hac vita non omnia remittuntur, ſed in futuro ſeculo demum. *Idem, ibidem.*

Orthod. *Peccata hic remittuntur realiter, in futuro ſeculo declarative.*

ϖ. ψ. Per futurum ſeculum intelligi Purgatorium.

Refell. Marc. 10. 30, *Habet in futuro ſeculo vitam æternam.* ubi per futurum ſeculum, & æternam vitam, impoſſibile eſt intelligere Purgatorium, *Luc. 20. 34.* Diſtinguuntur iſta duo ſecula diſerte: *Filii hujus ſeculi ducunt uxores*, &c. Habemus ergo ipſum Chriſtum interpretem & declaratorem iſtius, nimirum per futurum ſeculum intelligi tempus, quod à die ultimi judicii fluet: per alterum autem priori oppoſitum intelligi diem reſurrectionis, & tempus quod reſurrectionem conſequitur. Non eſt autem quod quis miretur, Chriſtum dicere, in die judicii remitti peccata, cum Paulus hunc diem vocet diem redemptionis, *Rom. 8. 22.* & Petrus, *Act. 3. 19*, dicat, fore ut deleantur peccata noſtra, cum venerit tempus refrigerationis à conſpectu Domini; quapropter & Paulus, 2 *Tim. 1. 18*, pro Oneſiphoro ſic precatur: *Det ei Dominus, ut inveniat miſericordiam apud Dominum in die illo.* Quid autem eſt invenire miſericordiam apud Deum, niſi obtinere remiſſionem peccatorum, ſcilicet *declarativam*, in extremo judicio?

Cap. X.

De Eccleſia Triumphante.

Pontif. Sancti mortui perfectam jam gloriam & felicitatem poſſident. *Bellarmin. lib. 1, de Sanct. beat. cap. 1.*

Orthod. *Nondum reipſa poſſident.*

ϖ. ψ. Quia Sancti immediate vident Deum.

Refell. Nulla enim creatura videt Deum. Quia ſi videret immediate Deum, videret immediate eſſentiam Dei. At eſſentia Dei immediate videri non poteſt. Quia infinita eſt. Finitum autem non eſt capax infiniti. *Reger. Adverſ.* Non poteſt capi ex toto, ſed ex parte. *Reſp.* Inepte. Nam in Deo non dantur partes.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

tes extra Deum, cum Deus ſit indiviſibilis. Ceterum imperfectam eſſe felicitatem hanc Sanctorum mortuorum docent Theologi. 1. Quia toti non percipiunt felicitatem iſtam; non enim percipiunt ſecundum corpus. 2. Quia non omnes adhuc percipiunt, qui percipere debent: nec enim omnes electi mortui adhuc ſalvati: ad perfectionem vero felicitatis pertinet, ut unio ſit omnium electorum in cælis. 3. Quia nondum immediatus abſque Mediatore patet ad Deum acceſſus; quod demum poſt extremi diei judicium futurum teſtatur Spirit. Sanctus, 1 *Cor.* 15. 28.

PONTIF. Canonizatio Sanctorum jure optimo ab Eccleſia vel Pontifice Romano adminiſtrari ſolet. *Idem*, *ibidem*.

ORTHOD. *Canonizatio Sanctorum eſt figmentum humanum.*

ϖ. ψ. *Diſtingui beatos à Sanctis, & Sanctos à beatis.*

Omnes enim putant beatos, qui ſunt ſalvati; ſi vero accedat Canonizatio Papæ, Sanctos vocant.

Refell. Nam 1. Spiritus Sanctus beatos Sanctos vocat, & Sanctos beatos, *Apoc.* 14. 13. *Matth.* 27. 53. 2. Beati dicuntur à *fine*, Sancti à *medio*. Sanctitas enim eſt medium beatitudinis. At finis major & præſtantior eſt medio, unde denominatio à fine nobilior, quam à medio, contra ac ſtatuunt Pontificii. 3. Omnes fideles in hac vita vocantur Sancti, *Rom.* 1. 2. 1 *Cor.* 1. 3. idque propter inchoatam ſanctitatem in terris. Si ergo in hac vita Sancti dicuntur fideles propter inchoatam ſanctitatem, quomodò in cælis non dicentur omnes Sancti propter perfectam ſanctitatem?

PONTIF. Sancti mortui debent divino & religioſo cultu adorari, minori tamen, quam quo Deus adoratur. *Idem*, *ibidem*.

ORTHOD. *Sancti mortui nullo cultu religioſo adorandi.*

ϖ. ψ. *Cultum religioſum admittere gradus.*

Refell. Ex ſumma legis; quæ eſt: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde* &c. Hic nullus gradus cultus Dei.

PONTIF. Cultus divinus, qui deferendus eſt Sanctis, eſt cultus duliæ, vel hyperduliæ, non vero latriæ. *Idem*, *ibidem*.

ORTHOD. *Nullus cultus religioſus eſt deferendus Sanctis demortuis.*

ϖ. ψ. *Cultus duliæ & hyperduliæ eſt tamen religioſus, ſed inferior: cultus latriæ ſuperior, adeoque tantum ſolius Dei cultus.*

Refell. Quia hæc promiſcue accipiuntur tam pro cultu civili, quam religioſo; nec poſſunt diſtingui iſta ex vocibus ſolis, ſed diſtingui debent ex ſubjecta materia, *Matt.* 4. 10. Conſuli etiam poteſt hac de re Catecheſis Urſiniana.

PONTIF. Maria Virgo adoratur, & Sancti, ſed non eodem cultu quo Deus, verum inferiori. *Idem*, *ibidem*.

ORTHOD. *Maria & Sancti adorantur eodem cultu à Pontificiis, quo Deus.*

ϖ. ψ. *Vident ſe idololatras manifeſtos: ſi hoc ita ſit.*

Eſſe autem liquet, tum ex aliis multis, tum ex Pſalterio Mariæ Virginis, in quo omnes Pſalmi, qui ad Deum diriguntur à Davide, ad Mariam directi ſunt. Editum eſt hoc Pſalterium Antverpiæ, Anno 1625. & videri poteſt in operibus Bonaventuræ.

PONTIF. Sancti ſunt invocandi. *Bellarm. lib.* 1, *de Sanct. beatitud. c.* 19.

ORTHOD. *Neutiquam.*

ϖ. ψ. *Quia vident in eſſentia Dei, tanquam in ſpeculo, noſtras neceſſitates, & vident nos ipſos invocantes.*

Refell. Abſurdum hoc eſſe, teſtatur ipſe Becanus Jeſuita, quum totum hoc argumentum, quod petitum eſt à ſpeculo, ex *Marc.* 13, ridet, ubi Chriſtus dicit: *Neminem noſſe diem illum, ne Filium hominis quidem.* Quomodo vero non noſſent, ſi omnia vident (ut illi docent) in eſſentia divina?

PON-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

PONTIF. Sancti intercedunt pro nobis. *Idem*, *ibidem*.

ORTHOD. *Minime*.

π. ψ. Duplices eſſe Mediatores, Redemptionis Chriſtus, interceſſionis Sancti.

Refell. Ille ſolus, qui nos redemit, pro nobis etiam intercedit. Quia, 1. Ut habet regula Theologica: *Interceſſio eſt redemptionis continuatio.* 2. Mediator interceſſionis eſt, qui interceſſione ſua debet impetrare Spiritum Sanctum, per quem redemptio nobis præſtita, perpetuo applicatur. At hoc ſolius Chriſti eſt, non vero Sanctorum. 3. Is qui perfecte totum opus Mediatoris implevit, vere redemptionis & interceſſionis Mediator eſt, & dici debet. At hoc ſolus Chriſtus præſtitit. Ergo. Major; Quia interceſſio eſt pars mediationis, qua expiatio ſive redemptio præſtita, nobis applicatur; pars quippe eſt officii Chriſti Sacerdotalis, cujus non tantum erat offerre ſe ipſum in Sacrificium, ſed etiam, ut typico Sacerdoti reſponderet, pro iis, quorum gratia ſacrificium obtulit, orare atque intercedere. Hinc Joannes, 1 *Epiſt. cap.* 2. 1, *Quod ſi quis peccarit, Advocatum apud Patrem habemus Ieſum Chriſtum juſtum.* Et Paulus: *Vnus eſt Deus; unus etiam Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus.* 1 Tim. 2. 5. 4. Hic vere interceſſionis eſt Mediator, qui ita intercedit pro nobis apud Deum, ut pro ipſo nullus. Nam ſicut is non eſt, nec eſſe poteſt mediator redemptionis, qui ipſe redemptione eget; ita nec mediator interceſſionis eſſe poteſt, qui alterius interceſſione opus habet. Sanctos autem opus habere interceſſione Chriſti Mediatoris apud Deum Patrem, extra omnem eſt controverſiam.

PONTIF. Recte & ſapienter diverſa beneficia à diverſis Sanctis petuntur. *Papiſtæ paſſim.*

Hinc unum porcorum, alterum equorum, tertium, neſcio cujus non, Patronum declararunt.

π. ψ. Ethnicorum ſuperſtitio.

Nam Ethnici in cælo certa munia aſſignarunt Diis ſuis, hunc bello, illum paci; hunc pluviæ, illum ſiccitati, præfecerunt.

Refell. Quis Sanctos docuit curare hæc & non illa? quæ Scriptura? quæ digna fide hiſtoria? unde conſtat, Antonium eſſe cuſtodem porcorum, Georgium curare equos, Rochum pellere peſtem, & Apolloniam curare dentium dolores? certe hæc omnia à cæca Gentilium ſuperſtitione profluxerunt. Præterea, ſi Sancti ſunt noſtrarum rerum ſtudioſi, quamobrem putamus quoſdam nobis adeſſe in quibuſdam periculis, & non in aliis? cur putamus Rochum nos potius defendere à peſte, quam aliis morbis?

CAP. XI.

De Reliquiis & Imaginum cultu.

PONTIF. Reliquiæ SS. puta Oſſa, Cineres, in ſacris locis diligenter ſunt aſſervanda & colenda. *Bellarm. lib.* 2, *de reliq. & imag. Sanct. cap.* 2, *ſub finem.* 3. & 4.

ORTHOD. *Contra.*

π. ψ. Quod Deus velit illas adorari.

Refell. Ex Moſis corpore, de quo, *Deut.* 34. Ubi Deus dicitur ſepeliiſſe corpus Moſis, idque potiſſimum, ne coleretur. 2. Colligitur ex 2 *Reg.* 23. 18. Ubi Joſias Rex Prophetæ Eliſæi oſſa vetat erui ex terra; proculdubio exempturus, & ad cultum propoſiturus, ſi Deus ea coli voluiſſet.

PONTIF. Sepulcra Sanctorum ſunt accedenda. *Idem*, *ibidem*.

ORTHOD. *Non ſunt accedenda cultus religioſi cauſa.*

π. ψ. Locus, *Eſaï.* 11. 10, quem ita vertunt Papiſtæ: *Sepulcrum Chriſti fore glorioſum.*

Refell. Nulla illic mentio ſepulcri, ſed quietis. Sepulcrum enim Hebræis eſt שאל, quæ vox non eſt apud Eſaïam, ſed eſt vocabulum compoſitum מנחתו, quod ſedem, in qua cum animi delectatione verſamur, ſignificat.

Nempe ait de Eccleſia Chriſti, in qua vera quies & complacentia per Chriſtum.

PONTIF. Reliquiæ Sanctorum externæ, quales ſunt veſtes, ſudaria, & quæ talia, ſunt religioſe adoranda. *Idem, ibidem.*

ORTHOD. *Nequaquam.*

ϖ.ψ. *Quod putent, eos, qui Chriſti veſtem religioſe attigerunt*, Matt. 9. 20; *qui Petri umbram tranſeuntis religioſe attigerunt*, Actor. 5; *vel Pauli ſudaria ad ægrotos detulerunt*, Act. 19. 10; *non erraſſe, eo quod ſint exauditi, & à morbis ſuis ſanati.*

Refell. Nam fidem eorum in Chriſtum exaudivit Deus, quoniam in eum credebant, gratoſque propterea habebat: modum autem quem illi delegerunt, Deus non probavit. Quia potentiam Dei externis & carnalibus rebus, carnaliter alligarunt atq; adſtrinxerunt: ideo Chriſtus dicit profluvio ſanguinis laboranti mulieri, *fides tua te ſalvam fecit.* verſ. 22. Sic *Exod.* 1, probatur ſtudium obſtetricum Iſraëlitis faventium: modus autem & mendacium, per quod illæ conſilium ſuum exequebantur, non placuit Deo.

PONTIF. Imago, idolum, ſimulacrum, ſignificatione differunt. *Bellarm. lib.* 2, *de reliq. Sanct. cap.* 5.

ORTHOD. *Contra.*

ϖ.ψ. *Imago ſignificat repræſentationem rei veræ; idolum, falſæ.*

Refell. Deut. 4. Ubi forma maris aut feminæ aut etiam ullius animalis, dicuntur idola, ſimulacra, quæ tamen res veræ erant. Sic, *Act.* 7. 41, inquit Stephanus, *fecerunt vitulum:* vitulus autem res vera erat; & tamen eodem verſu iſte vitulus vocatur *idolum.* Apoſtolus, *Rom.* 1, idola Gentium vocat imagines rerum verarum, hominum, volucrium, quadrupedum; & quidem utitur ipſo vocabulo *imaginis*, quo volunt Adverſarii ſignificare rei veræ ſimilitudinem. 1 *Cor.* 12. 2, Paulus idolorum nomine deſignat ſtatuas hominum, & tamen dicit, Corinthios ad muta idola fuiſſe abreptos.

PONTIF. Aliqua idololatria eſt licita.

ORTHOD. *Nulla.*

ϖ.ψ. *Verba Petri male intellecta*, 1 Petr. 4. v. 3. *Ex eo autem quod jubet Petrus, ab idolorum cultibus illicitis abſtinere, arbitrantur quoſdam cultus eſſe licitos.*

Refell. Epitheta aliquando adhiberi non diſtinguendi, ſed amplificandi gratia, idcirco hunc tantum uſum habere. Nam ſi hoc, ſequeretur, etiam adulterium quoddam eſſe purum, quia à Catullo vocatur adulterium impurum; & ſtuprum aliquod ſanctum, quia Cicero vocat nefaria ſtupra; itidem cum ſcelus dicitur abominabile, quædam ſcelera eſſe pia; cum dicuntur peccatores impii, eſſe quoſdam peccatores, qua peccatores, non impios.

CAP. XII.

De Sacramentis.

PONTIF. Sacramenta ſunt abſolute neceſſaria. *Bellarmin. lib.* 1, *de Sacram. in genere, cap.* 22.

ORTHOD. *Neceſſaria ſunt ex hypotheſi mandati Divini.*

ϖ.ψ. *Quia continent conferuntque gratiam juſtificantem.*

Refell. Quia ſequeretur, quod quicunque particeps fuerit Sacramentorum quoad externa ſigna, eundem fieri participem rei ſignatæ: quod abſurdum, ut liquet in circumciſione Iſmaëlis, Eſavi; in baptiſmo Simonis Magi, *Act.* 8.

PONTIF. Sacramenta, præſertim Novi Teſtamenti, continent cauſam juſtificationis, & ſunt cauſæ efficientes gratiæ juſtificantis. *Bellarm. lib.* 2, *de effectu Sacrament. cap.* 3. *& ſeqq.*

ORTHOD. *Contra.*

Quia tribuitur ſigno, quod eſt rei ſignatæ; ut baptiſmo tribuitur ablutio à peccatis; pani,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

quod ſit Corpus Chriſti, quod traditur in remiſſionem peccatorum.

Refell. Tribuuntur iſta externis ſignis, non quod hæc præſtent *realiter*, ſed *ſignificative*. Quia juſtificatio *per modum cauſæ efficientis*, ſoli Deo; *per modum cauſæ meritoriæ*, ſoli Chriſto Mediatori; *per modum cauſæ inſtrumentalis apprehenſivæ*, fidei tantum tribuitur. Nullo ergo modo Sacramenta ſunt cauſa juſtificationis, ſed tantum ſigna ſignificantia, in legitimo uſu, nos juſtificari.

PONTIF. Finis Sacramentorum non eſt promiſſiones Dei vel fidem obſignare. *Bellarm. lib. 1, de Matrimonii Sacram. cap. 5. §. Reſpondeo de propoſitione &c.*

ORTHOD. *Contra.*

ϖ.ψ. Verbum Dei eſſe clarius ipſis Sacramentis, eo quod Sacramenta vim omnem ex Verbo Dei & prædicatione habent.

Refell. Etſi enim Verbum, à Sacramento ſeparatum, ſit multo notius; Verbum tamen cum Sacramento & notius eſt & efficacius, quam ſine Sacramento; & ſic Sacramentum inſtar ſigilli fit. Quemadmodum enim qui literas regis habet, is non dubitat, attamen certior fit, poſtquam ſigillum acceſſerit; ſic Sacramenta ſunt nobis quaſi certa ſigna ſeu pignora, adeoque nos certiores reddunt de eo, quod clariſſime in Verbo Dei nobis promittitur, & tanquam fidei objectum credendum proponitur.

PONTIF. Conſtant Sacramenta ex elementis externis & verbis conſecrationis certis ac determinatis, quæ verbo concionato opponuntur. *Bellarm. l. 1, de Sacram. in genere, cap. 19.*

Putant Pontificii præter verba inſtitutionis Sacramenti, quæ clare pronuntiantur, eſſe quædam verba, quibus cum murmure utendum, iſtaque verba efficere Sacramenta: quæ vocant *conſecratoria*, & opponuntur prioribus, tanquam *concionalibus*.

ϖ.ψ. Ineſſe vim quandam verbis circa Sacramenta ſine populi intelligentia demurmuratis.

Refell. 1. Auguſtinus non diſtinguit inter verbum Sacramentale & concionale, ubi ait de Sacramento: *Accedat verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* 2. Chriſtus non aliam vim dedit verbis Sacramentalibus, ſed omnis vis pendet ab arbitrio Spiritus Sancti: nec verba, niſi audita & intellecta, vim aut gratiam adferunt. Nam ſi Judæi aut Turcæ uterentur iiſdem verbis, & nihil crederent de Chriſto, non eſſet ibi conſecratio.

PONTIF. Ad eſſentiam Sacramentorum requiritur miniſtri intentio generalis faciendi id, quod Eccleſia facit. *Bellarm. l. 1, de Sacram. in genere, cap. 21. §. ſi vero intendit. &c.*

ORTHOD. *Contra.*

ϖ.ψ. Intentio miniſtri eſt de eſſentia conſecrationis, & proinde de eſſentia Sacramenti.

Refell. Quia Sacramenta non pendent à miniſtri dignitate, ſed ex Dei ordinatione; non ergo ex miniſtri intentione. Ratio enim nulla dari poteſt, cur magis ab intentione miniſtri, quam ab ejus probitate pendeat vis conſecrationis & Sacramenti. Quia ſi vis iſta à miniſtro pendet, non minus erit Sacramentum, ſi miniſter non intenderit, quam ſi nequam & improbus fuerit. Cur enim miniſtri intentio magis impediret Dei voluntatem, qui Sacramenta inſtituit; quam ejus improbitas, Dei benignitatem? Non impediri miniſtri improbitate fatentur Adverſarii, quo minus ſit Sacramentum; quid ergo eſt, cur vereantur idem de miniſtri intentione dicere?

PONTIF. Effectus ſeu virtus Sacramentorum propria eſt, conferre gratiam juſtificantem ex opere operato. *Idem, lib. 2, de effect. Sacram. cap. 1. §. Igitur ut intelligimus &c.*

Opus operatum ipſis opponitur operi operantis, & intelligunt per hæc vocabula barbara externam Sacramenti actionem; Opus vero operantis dicunt eſſe meritum illius, qui miniſtrat aut ſuſcipit Sacramentum.

π. ψ. Sacramenta in ſe continere vim phyſicam & realem juſtificandi & ſanctificandi, perinde ac panis & vinum continent vim alendi.

Refell. 1. Quia ſequeretur, non dari gratiam juſtificantem extra Sacramenta; quod falſum eſſe liquet ab Eccleſia, quæ cœpit ab Adamo, & duravit uſque ad Abrahamum. 2. Sequeretur, eos, qui ſigna percipiunt Sacramentalia, ipſam quoque rem ſignatam percipere; quod falſum exemplo Judæ, qui participabat de ſigno Cœnæ Dominicæ, neque tamen participabat de re ſignata. Hinc illud Auguſtini: *Iudam accepiſſe panem Domini, ſed non panem Dominum.* Patet idem ex Simone Mago, *Act.* 8, qui baptizatus quidem, ſed ita ut rem ſignatam non perceperit. Vide inſuper, *Rom.* 2. 28, 29.

PONTIF. Differentia Sacramentorum Veteris & Novi Teſtamenti in eo conſiſtit, quod illa gratiam juſtificantem tantum adumbraverint, hæc illam ſibi adjunctam habeant. *Bellarm. lib.* 2, *de effect. Sacr. cap.* 13.

ORTHOD. *Vtraque habent gratiam adjunctam in legitimo uſu.*

π. ψ. Cauſam meritoriam neceſſario requiri, ut exiſtat antecedenter ad effectum.

Refell. Cauſæ moralis (ſub qua meritoria comprehenditur) ut etiam Philoſophi bene obſervant, ea ratio eſt, ut effectum habeat, etiam tum, cum actu non exiſtit, modo habeat (ut loquuntur in Scholis) eſſe cognitum. Cujus rei exempla in vita communi ſunt plurima. Nulla enim eſſet ſocietas, nullum commercium inter homines, ſi promiſſa nihil efficerent, niſi poſtquam impleta ſunt. Itaque, cum Deo omnia ſint præſentia, certiſſimum eſt, Chriſti meritum, etiamſi ſub Veteri Teſtamento non erat actu, ſed promiſſum erat, jam tum exercuiſſe vim ſuam.

PONTIF. Sacramenta Veteris Teſtamenti ſunt typi Sacramentorum Novi Teſtamenti. *Idem, ibidem.*

ORTHOD. *Non ſunt proprie typi.*

1. *π. ψ. Locus,* 1 Petr. 3. 21.

2. *π. ψ. Veteribus nihil promiſſum niſi terrena, ac proinde non habuiſſe veteres eandem rem ſignatam, quam nos.*

Refell. Prius. Dici Sacramenta Novi Teſtamenti citato loco exemplaria ſive antitypa, non quod illa fuerint typi, ſed eo, quod Sacramenta Novi Teſtamenti ſucceſſerint in locum Sacramentorum Veteris Teſtamenti. *Poſterius,* vel uno illo clariſſimo loco, 1 *Cor.* 10. 1, 2, 3, refellitur. Præterea hæc ratio eſt, ſi Sacramenta Veteris Teſtamenti eandem rem ſignificatam non habebant; Ergo Chriſtus ad eos minime pertinebat, nec beneficia per Chriſtum parta, ut juſtificatio, redemptio, &c. Quæ omnia falſa.

PONTIF. Sacramenta Novi Teſtamenti, ut Baptiſmus, Confirmatio, & Ordinatio, Characterem quendam indelebilem imprimunt. *Bellarm. lib.* 2, *de effect. Sacram. cap.* 19. *§. Sexta propoſitio.*

Monſtroſis vocabulis utuntur, *Characterem indelebilem.* Fingunt autem Sacramenta imprimere animæ ſignum quoddam indelebile, quod Characterem vocant, ut qui cauterio ſtigma inurunt.

ORTHOD. *Contra.*

π. ψ. Loca quædam Sacræ Scripturæ male intellecta, præcipue vero 2 Cor. 1. 22, *qui unxit nos Deus, & obſignavit nos, indiditque arrhabonem ſpiritus in cordibus noſtris.*

Refell. Aperte loqui hunc locum de gratia. At ipſi Characterem non dicunt eſſe gratiam. Quia poteſt eſſe in illis, qui nullam gratiam ex Sacramentis percipiunt, & manent apud Inferos. 2. Apoſtolus huic obſignationi adjungit. Nam ait: *Nos unctos eſſe & obſignatos à Deo,* ſcilicet ad vitam æternam. Quia addit: *deditque arrhabonem in cordibus noſtris.* Ergo hæc obſignatio non poteſt de communi ſigno intelligi, ſed de ſigno electorum proprio.

CAP.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Cap. XIII.

De Baptiſmo.

Pontif. Externus baptiſmus præciſe & ſimpliciter ad ſalutem eſt neceſſarius, adeo ut pueris non baptizatis æterna morte neceſſario ſit pereundum. *Bellarm. lib. 1, de Sacramento Baptiſmi, cap. 4.*

Orthod. *Contra.*

π. ψ. Male intellecta verba Chriſti, Joan. 3. v. 5, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu*, &c.

Refell. Ex Sacramento Cœnæ Domini, ubi ſimiles phraſes occurrunt, neque tamen inde abſoluta neceſſitas iſtius Sacramenti poteſt concludi, vel ſecundum ipſam Adverſariorum ſententiam, *Joan. 6. 53.* 2. Ex eo, quod Baptiſmus ſucceſſit in locum Circumciſionis, neque tamen hæc abſolute neceſſaria fuit. Quod ad explicationem genuinam verborum attinet, illa hoc fundamento nititur, quod ſæpe unus idemque effectus tribuatur duabus cauſis, quaſi ab utraque dependeat, cum tamen ab altera tantum neceſſario proficiſcatur. vide, *Matth. 17. 21. Rom. 10. 10.*

Pontif. Martyrium & perfecta pœnitentia baptiſmo prorſus æquipollent. *Idem, ibid.*

Orthod. *Nihil minus.*

π. ψ. Vident dari aliquos non baptizatos, qui ſalvantur, adeoque non ſtare poſſe priorem ſententiam, qua aſſerebant, Baptiſmum eſſe abſolute ad ſalutem neceſſarium.

Refell. 1. Si æquipollet Martyrium & pœnitentia. Ergo Martyres bis baptizantur; cum tamen baptiſmus ſemel tantum adminiſtrari debeat, utpote, cum ſit ſignum regenerationis noſtræ, & nunquam deficiat. 2. Si pœnitentia æquivaleat baptiſmo; Ergo baptiſmus perpetuo iterandus. Quia pœnitentia perpetuo agenda, iteranda.

Pontif. In caſu neceſſitatis non modo Laïcis & feminis Chriſtianis, ſed & paganis aliiſque infidelibus baptizare permiſſum eſt. *Idem, ibidem.*

Orthod. *Nemini, niſi iis quibus permiſſa eſt publica Evangelii prædicatio.*

π. ψ. Quia in Veteri Teſtamento Zippora circumcidit, Baptiſmus autem in locum Circumciſionis ſucceſſit.

Refell. Quia & Paſcha adminiſtrabatur in Veteri Teſtamento à patribus-familias; ut liquet, *Exod. 12.* & tamen Cœna Domini in Novo Teſtamento non poteſt, vel ex ipſorum Adverſariorum confeſſione, niſi à Miniſtris Verbi Divini adminiſtrari.

Pontif. Infantes ad baptiſmum oblati, partim actu credunt fide aliena, partim habent fidem actualem. *Bellarm. de Sacram. Baptiſmi, cap. 11. §. Quinta propoſitio.*

Orthod. *Infantes fidelium electi & regeniti poſſunt habere habitum fidei, non tamen actualem fidem: nec baptizantur eò, quod fidem habeant, ſed quod ſint in fœdere.*

π. ψ. Verba inſtitutionis male intellecta. Putant enim ad omnes homines pertinere illud: qui crediderit & baptizatus fuerit, *tam ad infantes, quam adultos, ſine diſcrimine.*

Refell. Quia eadem ratio Baptiſmi, quæ Circumciſionis. At vero non propterea, quia dicitur in inſtitutione Circumciſionis, *ambula coram me, & eſto perfectus*, hoc pertinet ad infantes etiam, qui circumcidendi erant: Ergo etiam propterea non pertinet ad infantes τὸ credere actuale, quando dicitur: *qui crediderit.* 2. Ex fœdere Dei, cum fidelibus & eorum liberis pacto, 1 *Cor. 7. 14.*

Pontif. Effectus Baptiſmi primarius eſt, ita peccatum omne abolere, idque vi operis operati, ut, quæ reliqua manet prava fidelibus concupi-

ſcentia, peccatum verum cenſeri non debeat. *Idem, ibidem.*

ORTHOD. *Contra.*

ϖ. ψ. *Phraſes male intellecta de baptiſmo, ut quod dicatur lavacrum regenerationis*, Tit. 3. 5. *Quod dicamur ſanctificari per lavacrum aquæ*, Eph. 5. 26.

Refell. Iſta intelligi *obſignative*; non *phyſice*; alioqui ſequeretur, omnem, qui baptizatus eſt, eſſe regenitum: & quoniam baptiſmus ſucceſſit in locum circumciſionis, ſequetur, omnem externe in præputio circumciſum, circumciſum eſſe corde; contra id quod dicitur, *Rom.* 2. 28, 29.

PONTIF. Qui, poſt acceptum baptiſmum, mortaliter peccant, iis memoria baptiſmi nihil prodeſt. *Idem, ibid. cap.* 18.

ORTHOD. *Contra.*

Præterquam quod hic præſupponitur hypotheſis falſa, quaſi aliquod peccatum ſit veniale *ex natura ſua*, non vero *ex eventu*, hoc hic principale eſt.

ϖ. ψ. *Fidem poſſe totaliter deficere.*

Refell. 1. Ex Symbolo Apoſtolico: *credo vitam æternam*, ubi non tantum credo, alicui, ſed & mihi, datum iri vitam æternam. 2. Ex concatenatione iſta, *Rom.* 8. 39, *Quos prædeſtinavit, vocavit* &c.

PONTIF. Differentia baptiſmi, Joannis, & Apoſtolorum, hæc eſt, quod illius, nec Sacramentum vere fuit, nec eandem vim, quam iſte, in delendis peccatis habuit. *Idem, ibid. c.* 20, 21.

ORTHOD. *Contra.*

ϖ. ψ. *Verba iſta Ioannis, ubi dicit:* Ego baptizo aqua, qui autem in medio veſtri eſt, baptizabit Spiritu Sancto. *Matth.* 3. *Adeoque miniſtrum Novi Teſtamenti utrumque adminiſtrare.*

Refell. Quia Simon magus à Petro baptizatus, non tamen rem ſignatam baptiſmi accepit. 2. Multi, qui baptizantur, fiunt Apoſtatæ. At ſi res ſignata ipſis conferretur, & Spiritu Sancto baptizarentur, dum baptizantur aqua, fieri nequaquam poſſent Apoſtatæ, 1 *Ioan.* 2. *verſ.* 19.

CAP. XIV.

De Cœna Domini ſive Euchariſtia.

PONTIF. Chriſtus in tota illa concione quam habuit, *Ioan.* 6, nonniſi de Euchariſtia & Sacramentali manducatione Corporis & Sanguinis ſui perpetuo diſſerit. *Bellarmin. lib.* 1, *de Sacram. Euchariſtiæ, cap.* 5.

ORTHOD. *Contrarium verum eſt.*

ϖ. ψ. *Sacramentali manducationi annexam eſſe gratiam neceſſario.*

Refell. Quia textus aperte loquitur de cibo; quem ſi quis manducaverit, ſervatur; & ſine cujus manducatione nemo ſalvatur: dicit enim, *qui edit carnem meam, & bibit ſanguinem meum, habet vitam æternam.* At multi ore percipiunt Sacramentum, qui non habent vitam æternam; panem quidem indigne poſſe ſumi docet Paulus, 1 *Cor.* 11. At carnem indigne ſumi, id nuſpiam reperias; nemo enim indigne credit in Chriſtum; credere autem eſt, manducare, & bibere, ut ipſemet Chriſtus eodem capite *verſ.* 35, interpretatur, ſic dicens, *qui venit ad me, nunquam eſuriet; & qui credit in me, nunquam ſitiet*, non obſcure docens ſitim Spiritualem credendo ſedari: nec obſtat quod dicit Chriſtus: *Caro mea vere cibus.* Dicit enim quoque, ut alia multa omittam, Joan. 15, *Ego ſum vera vitis.* Hallucinantur ergo Papiſtæ, qui dicunt, figuras eſſe mendacium.

PONTIF. Verba inſtitutionis Cœnæ Dominicæ, nempe illa: *Hoc eſt Corpus meum*, proprie, uti ſonant, non autem figurate, ſive per tropum, intelligenda. *Idem, ibidem.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ϖ. ψ. Verba teſtamenti ſemper proprie ſunt accipienda.

Refell. Ex teſtamento Jacobi; de quo *Gen.* 43. In quo plurima tropica. Ex teſtamento Moſis, *Deut.* 33. Davidis, 1 *Reg.* 2. In quibus itidem tropi occurrunt. Sed refellitur etiam ex ipſis inſtitutionis & teſtamenti hujus verbis. Nam verba iſta nemo proprie acceperit: *Hic calix eſt Novum Teſtamentum in meo ſanguine.*

PONTIF. Verum & ſubſtantiale Corpus Chriſti, ab omnibus communicantibus, quantumvis impiis & incredulis, vere & oraliter manducatur. *Bellarm. l.* 3, *de Euchariſt. cap.* 1.

ORTHOD. *Minime gentium.*

ϖ. ψ. Corpus & Sanguis Domini vere & ſubſtantialiter ſub ſpeciebus vini & panis continetur.

Refell. 1. Si adſit in Cœna ſub ſpeciebus panis & vini, vere & ſubſtantialiter Corpus & Sanguis Chriſti, hoc eſt, Corpus Chriſti crucifixum, & Sanguis effuſus, tum Chriſtus adhuc patitur; quod tamen negat Spiritus Sanctus, *Hebr.* 9. 29. 2. Ergo non aſcendit in cælum Chriſtus; quod tamen pro articulo fidei profitemur, utrinque nixi Scriptura Sacra, *Matt.* 28. *Marc.* 16. *Act.* 1. 3. Si in pane eſt realiter, quomodo verum dicent Angeli, *Act.* 1. *v.* 11? *Ita veniet, quemadmodum ſpectaſtis eum proficiſcentem in cælum.*

PONTIF. Corpus unum poteſt in locis plurimis diſtinctis adeſſe. *Bellarm. lib.* 3, *de Euchariſt. cap.* 3.

ϖ. ψ. Putant, Deum hoc poſſe efficere.

Et certe, hoc ipſis ſtatuendum eſt, ſi præſentiam Chriſti ſubſtantialem in Cœna ſtatuere velint.

Refell. Quia contradictionem implicat. Dicunt enim hac ratione, Corpus Chriſti eſſe unum & non unum: diverſum enim eſt hoc, quod eſt ſuper altari, ab eo, quod eſt in cælo. 2. Punctum eſt quid indiviſibile, ut definitio puncti vult. At ex hac doctrina punctum, quod eſt in medio pupillæ oculi Chriſti, qui eſt in cælo, diſtinctum eſt à puncto, quod eſt in medio pupillæ oculi Chriſti, qui eſt ſuper altari. 3. Volunt, Corpus Chriſti fieri, quod tamen jam eſt, non ſecus ac ſi Petrus aliquis adultus & ambulans Amſterodami, generaretur ac naſceretur Romæ, aut ſi quis hunc ſolem diceretur creare & efficere, poſtquam creatus eſſet.

PONTIF. Poteſt aliquid vere & ſubſtantialiter in loco aliquo adeſſe, abſque ulla tamen loci occupatione. *Bellarmin. lib.* 3, *de Sacram. Euchariſt. cap.* 5. 6.

ORTHOD. *Non poteſt.*

ϖ. ψ. Dicunt, totum Chriſtum eſſe in exigua hoſtia.

Refell. Sunt iſta contradictoria. De natura enim partium corporis eſt, ut pars ſit extra partem. At hi homines volunt partes Corporis Chriſti ſitu non differre in hoſtia, & partem non eſſe extra partem. Hoſtia enim eſt res exigua in proportione ad Chriſtum. 2. Dicunt & fatentur, palatum hominis contineri capite; hic vero dicunt, caput Chriſti contentum eſſe in palato, quandoquidem ſe ipſum manducaverit.

PONTIF. Panis & vinum in Euchariſtia vi verborum conſecrationis in ipſum Corpus & Sanguinem Domini vere transſubſtantiantur. *Bellarm. lib.* 3, *de Sacram. Euchariſt. cap.* 19. *Idem, lib.* 4, *cap.* 13.

ORTHOD. *Minime.*

ϖ. ψ. Quia panis poſt conſecrationem vocatur Corpus Chriſti.

Refell. Hoc pacto etiam circumciſio fœdus vocatur, *Gen.* 17; neque tamen transſubſtantiatur in fœdus. *Exod.* 12, Paſcha dicitur tranſitus Jehovæ; neque tamen Paſcha in tranſitum Jehovæ transſubſtantiatur. Ita in inſtitutione Cœnæ Domini calix dicitur Novum Teſtamentum, neque tamen in Novum Teſtamentum mutatur.

PONTIF. Accidentia panis & vini rema-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

remanent in Euchariſtia, ſublata ſubſtantia. *Bellarm. lib. de Euchariſt. cap.* 18. §. *Ex quo intelligimus.*

ORTHOD. *Nequaquam.*

π. ψ. *Quia panem ſtatuunt transſmutari in Corpus Chriſti, & tamen ibi vident eſſe accidentia panis.*

Refell. Expreſſa eſt contradictio, dicere in hoſtia eſſe quantum, & non quantitatem; dicere longitudinem, & non longum. Apud Philoſophos abſurditas nulla major dici poteſt, quam dicere albedinem ſine albo. Præter hoc, panis remanet poſt uſum Cœnæ in pyxidibus, quem aſſervare ſolent, & ex eo vermes naſcuntur; anne ex accidente vermis naſcitur? quid, ſi hoſtia cadat in lutum? accidentia gerent & ſuſtinebunt ſubſtantiam, & ita ſubſtantia erit accidens, & accidens ſubſtantia.

PONTIF. Euchariſtia eſt Sacrificium. *Bellarm. lib.* 2, *de Miſſa, cap.* 2. & 3.

ORTHOD. *Contra.*

π. ψ. *Ubicunque Corpus Chriſti, ibi Sacrificium.*

Hoc π. ψ. iterum nititur ſuis falſis hypotheſibus, quaſi ſcilicet ſit præſens Corpus Chriſti in Cœna phyſice. Theologi vero docent: *Cœnanti eſſe præſens per fidem, non ſymbolis Cœnæ.*

Refell. Nam ſi, ubi Chriſtus eſt, Sacrificium eſt, oportuit ſacrificari in cymba, cum fluctibus jactaretur dormiens; in monte Tabor, cum coram Diſcipulis transfiguraretur; & in cælo, ubi ſedet in gloria Patris.

PONTIF. Euchariſtia eſt Sacrificium incruentum. *Bellarm. lib.* 1, *de Miſſa, cap.* 6. §. *Reſp. Sacrificium.*

ORTHOD. *Contra.*

Duplicia ſunt Sacrificia in Sacris Literis, cruenta, & incruenta; incruenta vocantur Dapalia. Noſtri vero ſolent hic perpetuo contradictionem urgere, eſſe Sacrificium, & eſſe incruentum; corrigendus itaque error. Scilicet Sacrificium, quod eſt victima, non poteſt eſſe incruentum: *Nam abſque ſanguinis effuſione nulla eſt peccatorum remiſſio.* Adeoque hac ratione erit retorquendum argumentum; Omne Sacrificium, quod eſt victima, eſt cruentum. Miſſa eſt Sacrificium, quod eſt victima. Ergo Miſſa non eſt Sacrificium incruentum.

π. ψ. *Quod ſcilicet Chriſtus adhuc ſacrificetur, & in Sacrificium offeratur.*

Refell. Refutatur à Spiritu Sancto in Epiſt. ad *Hebr.* 2. Iſtius Sacrificii, aut ſit iteratio, aut continuatio: Non poteſt eſſe iteratio; Quia Chriſtus ſemel oblatus, *Hebr.* 9. *v.*28. Nec eſt continuatio; Quia ſi eſſet continuatio, non eſſemus adhuc perfecte juſtificati, *Hebr.* 10. 2. Nullo ergo modo.

PONTIF. Euchariſtia extra uſum legitimum ſive communionem, verum manet Sacramentum. *Bellarmin. lib.* 4, *de Sacram. Euchariſt. cap.* 1.

π. ψ. *Uſum Sacramenti non eſſe de eſſentia Sacramenti.*

Refell. Cui ergo bono Sacramentum, ſi eo non utamur? 2. Quia Sacramenta ſunt ſigna; de eſſentia autem ſignorum eſt uſus eorundem, ita etiam, ut dicatur formam eorundem ſupplere. 3. Ex inſtitutione. Quia Sacramenta ſunt inſtituta propter uſum, & propter τὸ *Hoc facite in mei recordationem: & quotieſcunque comederitis panem hunc, mortem Domini annuntiate*, 1 Cor. 11. Præterea, ſi extra uſum manet Sacramentum, ſequitur neceſſario, poſſe murem comedere proprie dictum Sacramentum, id eſt, Corpus & Sanguinem Jeſu Chriſti, adeoque vivificari ſpiritualiter, Chriſtum in eo manere; Quia caro Chriſti eſt vivifica, & Chriſtus in tali manet. Sequetur præterea, murem poſſe uniri Eccleſiæ, ſecundum illud Apoſtoli, 1 *Cor.* 10. 17: *Quoniam unus eſt panis, unum Corpus, multi ſumus: nam omnes ex uno illo pane participamus.*

PONTIF. Euchariſtia deferenda ad ægrotos privatim. *Idem, ibid. cap.* 2. & *quarto.*

ORTHOD. *Nefas eſt.*

π. ψ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

π. ψ. Sacramenta abſolute eſſe neceſſaria ad ſalutem.

Refell. Quia Sacramentorum uſus nullus fuit ab Adamo ad Abrahamum, & tamen fideles etiam tum fuerunt ſalvati. 2. In deſerto non erant Sacramenta per annos quadraginta; nec tamen veriſimile eſt; omnes qui ibi mortui ſunt, condemnatos eſſe. 3. Ex regula vulgari Theologorum à Bernardo primum prodita: *Non privatio, ſed contemptus Sacramentorum damnat.*

PONTIF. Euchariſtia à veteribus proprie appellatur Sacrificium. *Bellarmin. lib.* 1, *de Miſſa*, *cap.* 23.

π. ψ. Eſt ignorantia ejus, quod Patres & Veteres Euchariſtiam vocarunt Sacrificium, quemadmodum preces vocarunt Sacrificium.

Refell. Quia veteres vocant Sacram Cœnam, Sacrificium Euchariſtiæ, ſive Sacrificium laudis. 2. Etiam Sacram Cœnam dici Sacrificium pretii noſtri, & Sacrificium redemptionis, quemadmodum in inſtitutione Cœnæ panis vocatur Corpus, Sanguis calix Novi Teſtamenti. Solent enim Sacramenta, ut ſacra ſigna, nomine rerum, quas ſignificant, nominari; nec mirum eſt, quod Patres Sacramentum Euchariſticum vocent Sacrificium, cum idem Sacramentum vocent mortem Chriſti, non rei veritate, ſed ſignificante myſterio. Hinc *Auguſt. lib.* 10, *cap.* 5, *de Civit. Dei: Illud, quod vocatur ab hominibus Sacramentum, ſignum eſt veri Sacrificii.*

PONTIF. Ad eſſentiam & propriam materiam hujus Sacramenti, omnino requiruntur panis azymus, & vinum aqua temperatum. *Bellarm. lib.* 4, *de Sacram. Euchariſt. cap.* 4. & 10. §. *Porro Eccleſia Catholica.*

ORTHOD. *Ad eſſentiam & materiam Sacramenti hujus, pertinet omnis panis verus, aut quod veri panis locum ſuſtinet, itemque vinum aut quod locum vini præſtat.*

π. ψ. Quæ Chriſtus fecit in Cœna, & quomodo fecit, illa imitanda ſunt.

Refell. 1. Quia Chriſtus Cœnam adminiſtravit noctu; neque tamen hoc eſt de neceſſitate, ut noctu Cœnam Domini adminiſtremus. 2. Chriſtus quidem uſus eſt pane azymo; ſed hoc nihil pro Pontificiis: nam panis ille erat verus & legitimus panis, non ſpuma Papiſtica. Nos ergo, ſi Chriſti exemplum ſequi velimus, legitimo & uſitato pane uti debemus. Superſtitioſum enim eſt, cum in uſu cibi pane fermentato utamur, in Sacramento panem azymum adhibere; præſertim cum Apoſtoli non pane azymo, cujus uſus non erat niſi tempore Paſchatos (idque cum Paſcha in uſu eſſet, deſiit autem eſſe poſt reſurrectionem), ſed pane fermentato, cum ſingulis ſeptimanis ſoliti fuerint congregari ad frangendum panem, id eſt; ad celebrandam Cœnam Domini. vide *Actor.* 20. *v.* 7. Et mirum profecto eſt, quorſum ita litigent Pontificii de pane azymo, cum dicant, ſubſtantiam panis non manere in Euchariſtia poſt conſecrationem, quare huic negotio non minus inſervire poſſet panis fermentatus, quam azymus.

PONTIF. Communio ſub utraque ſpecie illicita eſt Laïcis. *Bellarm. l.* 1, *de Sacram. in genere, cap.* 2. §. *Igitur Lutherus.*

ORTHOD. *Et licita, & neceſſaria eſt.*

π. ψ. Periculum eſt ne Laïcis barbatis aliquid Sanguinis Chriſti in barba adhæreſcat, atque ita depereat.

Refell. 1. Præſupponunt, vinum transſubſtantiari in Sanguinem. 2. Quia ſub utraque ſpecie Eccleſiæ Corinthiorum fuit adminiſtrata, 1 *Cor.* 11. *v.* 23, 24, 25. 3. Quia dicitur, Joan. 6, *Niſi ederitis Carnem Filii hominis & biberitis Sanguinem ejus* &c. quæ verba Papiſtæ de Cœnæ Sacramento interpretantur. Ergo ſi Laïci privandi ſunt calice, privandi etiam ſunt vita æterna. 4. Si Laïcis non dant calicem ob metum, ne barbæ quid adhæreſcat Sanguinis, cur non dant calicem junioribus, item mulieribus imberbibus?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

PONTIF. Totus Chriſtus per naturalem omnium partium concomitantiam, non minus ſub una, quam ſub utraque ſpecie continetur. *Bellarm. lib.* 4, *de Sacram. Euchariſt. cap.* 21.

π. ψ. Chriſti vivi vivum Corpus nobis proponi in Cœna.

Refell. Quia Corpus Domini, quod nobis proponitur in Cœna, eſt mortuum; ergo non continet in ſe Sanguinem; Sanguis, qui nobis in Cœna Domini proponitur, eſt fuſus; ut ergo in Sanguine non eſt Corpus; ita nec in Corpore Sanguis. Aut ſi & in Corpore eſt Sanguis ſeparatim, & in Sanguine Corpus ſeparatim, ſacrificulus Papiſta duplex Corpus, duplicem quoque Chriſti Sanguinem eadem actione deglutit. Nos in Cœna Domini mortem ejus jubemur annuntiare, 1 *Cor.* 11. *v.*26. Ergo de mortuo corpore participamus: & proinde concomitantiam iſtam exſibilamus.

PONTIF. Ubicunque hoc Sacramentum conſpicitur, religioſo cultu venerandum, & cultu divino afficiendum eſt. *Bellarm. ibidem, c.*29. 30.

ORTHOD. *Solus Deus cultu religioſo adorandus.*

π. ψ. Quia putant hoſtiam transſubſtantiari in naturam Chriſti humanam, adeoque humanam Chriſti naturam præſentem, cultu divino adorandam.

Refell. Quia Chriſtus eſt frater noſter, *Hebr.* 2. *v.* 11, 12. At vero ex eo quod frater noſter ſit, qua homo, ipſi cultum religioſum non deberi liquet, ex *Apoc.* 19. 10. & 22. 8, 9.

CAP. XV.

De Statu Primi Hominis ante lapſum.

PONTIF. Imago, ad quam homo dicitur eſſe conditus, prorſus eſt homini naturalis: ſimilitudo autem, accidentaria, & ſupernaturalis: unde eſt diſcrimen inter hæc. *Bellarm. lib. de gratia primi hominis, cap.* 2. §. *Ex his igitur.*

ORTHOD. *Nullum prorſus eſt diſcrimen inter hæc.*

ϖ. ψ. Quod imago Dei permanſerit in homine poſt lapſum, ſimilitudo non item.

Nam ſententia eſt Pontificiorum, per peccatum primum ſupernaturalia dona in nobis eſſe ablata; naturalia vero, læſa.

Refell. Ex *Gen.* 1. 26, 27. Ubi imago & ſimilitudo Dei pro eodem ſumuntur.

PONTIF. Originalis juſtitia in primo homine adeo perfecta fuit, ut is non habuerit opus ſpeciali gratia, ad conſtanter bene agendum, aut peccata perpetuo vitanda.

ORTHOD. *Opus habuit gratia aſſiſtente, imo ſine hac ne ad momentum quidem perſiſtere potuit.*

ϖ. ψ. Neminem in ſtatu lapſus ſe ita habere, ut ſine gratia poſſit acceptare ſpiritualia bona, & reſpuere pro lubitu.

Refell. Sic homo eſſet independens in operando. Actus enim voluntarius humanus ponitur, circa gratiam Dei aſſiſtentem vel acceptandam, vel repudiandam. *At in Deo vivimus, movemur, & ſumus*, Act. 17. Jer. 18. *Sumus in manu Dei tanquam argilla in manu figuli.* 2. Quia regeniti & fideles non poſſunt quicquam ſine Deo; ſine gratia aſſiſtente, quid poterunt homines mortui in peccatis? 3. Angeli Dei nihil poſſunt abſque gratia hac; qui perſtiterunt in ſtatu integritatis, *Ioan.* 4. *v.*8. quid miſeri peccatores?

PONTIF. Juſtitia hæc non poteſt dici naturalis. *Bellarm. ibidem, cap.* 5.

ORTHOD. *Imo.*

ϖ. ψ. Homo naſcitur talis, qualis factus fuit primitus ratione donorum naturalium.

Refell. Quia ſi talis naſcitur, ergo creatus fuit primus homo carnalis: quod abſurdum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Homo enim jam natus, carnalis eſt, *Rom.* 8. *v.* 8. *Eph.* 4. *v.*22, 24. 2. Si tales naſcimur, quales conditi fuimus, tum certe ſequitur neceſſario hoc, quod conditi fuerimus tales, qui non perceperimus naturâ bona, & tantum lati fuerimus ad malum omni die, 1 *Cor.* 2. *v.* 14. *Gen.* 8. 21.

PONTIF. Rebellio carnis adverſus ſpiritum fuit in homine primitus creato ante lapſum. *Bellarm. lib.* 5, *de amiſſ. grat. cap.* 10. §. *At donum juſtitiæ.*

ORTHOD. *Contra.*

1. *π. ψ. In homine primo fuiſſe potentiam ad peccandum.*

2. *π. ψ. Per carnem non intelligi pravitatem naturæ, ſed alteram partem noſtri eſſentialem: per ſpiritum non intelligi hominem regenitum, quatenus regenitus, ſed animam noſtram.*

Refell. Prius: Non fuit in homine potentia naturalis ad peccandum, ſed cum homo dicitur potuiſſe peccare, intelligitur de non repugnantia ad hoc, ut peccet. Aliud autem eſt *potentia naturalis peccandi*, *aliud non repugnantia ad peccandum.* Eſt enim quædam imperfectio creaturæ rationalis, quæ imperfectio dicitur de homine, non comparate ad creaturas, ſed reſpectu Dei; quæ imperfectio negatio tantum eſt ſummæ perfectionis, id eſt, hoc tantum importat, hominem ſive creaturam rationalem non eſſe Deum; ea imperfectio ſi tollatur, creatura Deus eſſet; quod abſurdum & dictu & cogitatu. Talis autem imperfectio eſt peccabilitas ſive non repugnantia ad peccandum. Nam ſolus Deus eſt impeccabilis, adeo quidem, ut ne in Angelos quidem cadat hæc proprietas, nec in nos caſura ſit in vita futura; vocantur autem tales imperfectiones *defectus negativi*, qui in creatura rationali peccatum non ſunt. At potentia naturalis eſt *defectus privativus*, & ſic ipſum peccatum.

Alterum *π. ψ.* refellitur ex eo. 1. Quod hic de tali carne agitur, quæ cum ſpiritu pugnat: non in *naturalibus*, ſed in *moralibus*, eumque ad peccandum trahit. At hoc carnis noſtræ, qua partis eſſentialis, non eſt; alioquin in Chriſto futura fuiſſet rebellio carnis adverſus ſpiritum. Quia Chriſtus nobis per omnia ſimilis, excepto peccato. 3. Sequeretur, carnem noſtram (quæ eſt altera pars eſſentialis noſtri) aut non ſalvandam (quod Anabaptiſtæ contendunt, ſed refutantur ex *Iob.* 19. *v.* 27.) aut ſi ſalvanda, rebellionis fore locum in cælis, inter carnem & ſpiritum. 3. Quia hic de tali carne agitur, in qua non ſunt regeniti in hac vita. At regeniti carnem, alteram ſcilicet corporis partem eſſentialem, habent. Naſcuntur enim carnei, taleſque manebunt dum vivunt. Quod autem regeniti non naſcuntur ex carne, liquet, *Ioan.* 1. 13. quod non ſint amplius caro, docet Apoſtolus, *Rom.* 8. 9.

PONTIF. Immortalitas nulla ratione homini naturalis fuiſſe dici poteſt. *Bellarm. lib. de grat. primi hominis*, *c.* 9.

ORTHOD. *Immortalitas aliquo modo homini naturalis dici poteſt.*

Diſtinguendum hic primo nobis fuerit; poſt *π. ψ.* dandum. Diſtinctio ergo prima hæc eſt, quod homo conſideretur vel ratione corporis ſimpliciter, & ſic poteſt admitti mortalitas, ſive poſſe mori; vel conſideratur corpus in χέσει & relatione ad animam, & ſic contra naturam eſt, hominem mori. Neque enim naturale eſt, animam ſeparari à corpore, ſed eſt contra naturam. 2. Diſtinguendum inter mortalitatem, quæ dupliciter capitur, vel pro poſſe mori, vel pro obnoxium eſſe morti; priori modo mortalitas fuit in homine primævo ante lapſum; poſteriori, nullo modo: quod clariſſime liquet ex eo, quod Chriſtus ipſam mortalitatem ſublaturus ſit. At Chriſtus aufert, quæ per mortem facta, non quæ ſecundum naturam primævo homini collata.

π. ψ. Iuſtitiam homini primævo non fuiſſe naturalem; quod *π. ψ.* ſupra refutatum.

PONTIF. Locus terreſtris Paradiſi ſupereſt, qualis fuit ante lapſum. *Idem, ibidem.*

ORTHOD. *Fabula eſt.*

Ratio eſt. 1. Quia propter peccatum Adæ non tantum inferiora iſta maledicta, ſed & cælum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

cælum ipſum, unde in extremi judicii die cæli ipſi purgandi dicuntur, quanto magis ergo Paradiſus? 2. Quia ut in diluvio omnia perierunt, ſic & Paradiſus. Pontificii, ut hunc ictum effugiant, inquiunt, Paradiſum in aëre conſtitutum. At inepte. Nam in aëre, nec terra, quæ in Paradiſo dicitur fuiſſe, nec fluvii cum ſuis annexis, nec arbores, nec animantia ſunt. 3. Cui bono ſupereſſet Paradiſus ille, cum fuerit habitaculum hominis integri? ubi ergo deſiit ſupereſſe habitaculum, quod ſtatim à lapſu primi hominis contigit, cui bono ſupereſſet?

ϖ. ψ. *Aſſervari Eliam & Enochum in Paradiſo, qui in adventu Antichriſti iterum in mundum redituri ſunt, victuri & occidendi tandem ab Antichriſto.* Quod ſe probare poſſe, ex *Apoc.* 11, *à verſ.* 3, *ad* 12, exiſtimant.

Refell. Quia nulla mentio de eo in textu, quinam in ſpecie illi futuri ſint. 2. Totum hoc depromptum eſt ex fabulis Judaïcis, quæ jam obtinebant tempore Chriſti de Elia, quibus etiam ipſi Apoſtoli fidem præbuerant, *Matth.* 11. 14. *& ſeqq.* 3. Quia Prophetiæ non citius intelliguntur, quam implentur: cum ergo hæc una ſit ex Prophetiis nondum completis, difficile eſt divinare, quidnam Spiritus Sanctus per duos iſtos teſtes intelligat.

PONTIF. Arbor vitæ, vel ſemel guſtata, perfectam homini immortalitatem adferre poterat. *Idem, ibidem, cap.* 18.

ORTHOD. *Arbor vitæ habuit vim ſacramentalem tantum, & dicta fuit arbor vitæ, non ratione effectus naturalis, ſed tantum ratione ſignificationis.*

1. Quia, ſi immortalitatem adferre poterat perfectam, ut dicunt; Ergo in ipſa vis infinita vitam prorogandi. At in re finita nulla vis infinita. 2. Quia ſi perfectam immortalitatem potuit adferre hominibus, oportebat illam ipſam à ſe fuiſſe incorruptibilem: *Nam nullus effectus excedit virtute ſuam cauſam.* At illa una cum ceteris arboribus in diluvio periit.

ϖ. ψ. *Nomen quod arbori impoſitum, ut quod dicta fuerit arbor vitæ.*

Refell. Quia ita dicebatur arbor vitæ, quemadmodum dicebatur arbor ſcientiæ boni & mali; hæc vero non dicebatur, quod ſcientiam homini conferret, ſed quod Sacramentum eſſet ſcientiæ boni & mali; pari ratione etiam arbor vitæ, quod eſſet Sacramentum vitæ. 2. Quia plerique Patrum judicant, arborem iſtam datam eſſe primo homini in uſum quotidianum, atque Adamum jam antea ex hac comediſſe: neque tamen à morte præſervatum; quod fieri oportuiſſet, ſi vim in ſe arbor iſta vitam in æternum prorogandi realiter habuiſſet.

CAP. XVI.

De Amiſſione Gratiæ ſeu Statu Peccati.

PONTIF. Diſtinctio peccati, in mortale, & veniale, non eſt petenda ex eventu, ſed natura peccati. *Bellarm. lib.* 1, *de amiſſ. grat. cap.* 3. *& ſeqq.*

ORTHOD. *Contrarium verum eſt.*

ϖ. ψ. *Peccata graviſſima non poſſunt venialia dici ex eventu.*

Refell. 1. Quia omnia peccata fidelium ſunt venialia ex eventu: *Nulla enim condemnatio iis, qui ſunt in Chriſto Ieſu*, Rom. 8. 1. Et, *Sanguis Ieſu Chriſti purgat nos ab omni peccato*, 1 Joan. 1. 7. 2. Quia peccatum dicitur veniale, non quod aliquod ſit, quod natura ſua mortem æternam non mereatur, *Deut.* 27. *v.* 25. ſed quod per & propter Chriſtum fidelibus remittatur.

PONTIF. Venialia peccata non ſunt proprie contra legem, ſed tantum contra caritatis actum. *Bellarm. lib.* 1, *de amiſſ. grat. cap.* 11. *ſub finem.*

ORTHOD. *Omne peccatum eſt tranſgreſſio legis.*

1. ϖ. ψ. *Aliquod eſſe peccatum, quod non ſit legis tranſgreſſio.*

2. π. ψ.

2. π. ψ. *Quod gradus omiſſionis in virtute non ſit vitium.*

Refell. 1. Quicquid eſt contra caritatis actum, eſt contra legem. Quia caritas lege præcipitur. 2. Debemus Deum diligere ex toto corde &c. Remiſſo ergo aliquo amoris gradu in hanc legem peccatur. 3. Diminutio caritatis, & fervoris ejuſdem remiſſio, inter peccata graviſſima reputatur, *Matth.* 24. 12.

Pontif. Peccata venialia damnare non poſſunt. *Idem, ibidem, & capitibus antecedentibus.*

Orthod. *Omnia peccata ex natura ſua damnant.*

π. ψ. *Peccata æſtimari ex ipſo peccandi actu, qui finitus eſt; non vero ex objecto, in quod peccatur.*

Refell. 1. Quia ſic nullum peccatum eſſet mortale, ſed omnia venialia. Omne enim peccatum in ſe eſt finitum; quod vero demerito ſit infinitum, id obtinet ex eo, quod in Deum infinitum committatur. 2. Quia omne verbum otioſum damnat, niſi per & propter Chriſtum remittatur, *Matth.* 12. *v.* 36. Unde ſic concluditur, qui cogitur reddere rationem in extremo judicio, is ex aliquo damnas eſt.

Pontif. Peccata graviſſima & conſcientiam vaſtantia, cum vera fide in Chriſtum conſiſtere nunquam poſſunt.

Nos dicimus; cadere in fideles peccata graviſſima, ut in Davidem homicidium & adulterium; nec tamen, utut ad tempus fides remittat, talem ſtatim totaliter emancipari peccato. Contrarium docet Spiritus Sanctus de talibus, *Gal.* 5. *v.* 24. quod, qui Chriſti ſunt, carnem crucifixerunt; & 1 *Ioan.* 3. quod, qui ex Deo eſt, peccato non det operam: Nec eſt, quod quis ogganniat: ſunt ergo habitus contrarii in homine regenito, caro & ſpiritus; poſſunt proinde in regenitos ad vitæ uſque finem graviſſima cadere ſcelera. Sed, ſunt iſti quidem habitus contrarii; verum ut bene Scholaſtici dicunt, 1, In radice fracti, id eſt, quod dicere ſolemus, in gradibus remiſſis. 2. In effectis ſe invicem impedientibus, *Gal.* 5. 17.

Pontif. Peccata venialia per ſe reatum æternæ mortis non attrahunt. *Idem, ibidem.*

Orthod. *Imo quævis.*

π. ψ. *Si omnia peccata per ſe mortem æternam attrahant, omnia peccata erunt æqualia: quod quidem Stoïciſmum ſapit.*

Refell. Quia, utut omnia peccata merentur mortem æternam, non tamen eundem gradum in morte æterna; dari autem gradus in morte æterna, clarius eſt in Scriptura, quam ut hoc quiſquam negare auſit. Vide Theologiam Polemicam.

Pontif. Deum peccati unicum auctorem, imo principium, conſtituunt, qui dicunt, Deum peccata decreviſſe. *Bellarm. lib.* 1, *de amiſſ. grat. cap.* 2.

Orthod. *Deus decrevit peccata, ſed non* efficere, *verum* permittere *tantùm, & in bonum finem ordinare.*

π. ψ. *Quia ea, quæ decretum Dei neceſſario conſequuntur, putant eſſe effecta decreti.*

Refell. Obtinet hoc quidem in decretis *effectivis*; non vero *permiſſivis*: equidem in permiſſivis neceſſario peccata ſequuntur decretum permiſſivum; hoc tamen falſum eſt, Quod neceſſario ſequitur aliud, illud ejus eſt effectum. Nam, 1, In naturalibus hoc non obtinet; quanto minus in ſupernaturalibus? Philoſophi inter alia docent, regreſſum ſolis à noſtro hemiſphærio neceſſario ſequi tenebras: neque tamen ſolem eſſe cauſam tenebrarum. 2. Nec in Theologia (vel ex Adverſariorum ſententia): Nam præſcientiam de futuritione peccati, neceſſario ſequitur peccatum; neque tamen præſcientia Dei, ex Adverſariorum ſententia, eſt cauſa peccati.

Pontif. Quoties in Scriptura dicitur Deus homines indurare, in re-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

probam mentem tradere, intelligitur inefficax quædam permiſſio. *Idem, lib.* 2, *de amiß. grat. cap.* 14.

ORTHOD. *Intelligitur permiſſio efficax & operatio Dei juſte punientis peccata.*

1. *ϖ.ψ. Permiſſionem Dei eſſe inefficacem.*

Refell. Quia permiſſio eſt ſubtractio gratiæ divinæ: ſubtracta autem gratia divina, non poteſt non ſequi peccatum. Subtractionem eſſe liquet, 2 *Chron.* 33. 31.

2. Quia certo fine Deus permittit peccatum; finis autem eſt eventus peccati. At Deus ſuo fine excidere non poteſt, *Ioan.* 23. 13.

2. *ϖ.ψ. Quod una eademque res non poſſit eſſe peccatum & juſtiſſima pœna Dei.*

Refell. 1. Quia Deus peccata peccatis punit, *Rom.* 1. 24, 25. 2 *Theſſ.* 2. *v.* 11, 12. 2. Quia Scriptura proponit nobis talia, quæ ratione Dei ſunt optima; ratione hominum, peſſima, *Eſaï.* 10. 5, 6.

PONTIF. Deus præſcivit lapſuros homines, ac propterea permiſit. *Idem, lib.* 3, *de amiſſ. grat. cap.* 2.

ORTHOD. *Deus præſcivit lapſuros, eò quod decrevit illos permittere labi.*

ϖ.ψ. Scire Deum res, quia ſunt, aut futuræ ſunt: non futuras vero eſſe, quia Deus ſcit.

Refell. 1. Si res ita habet, tum ſcientia Dei erit menſuratum rerum, res menſura ſcientiæ. 2. Ita dependens erit ſcientia Dei, res ipſæ quæ ſciuntur, in futuritione ſua independentes; hoc eſt, Deus non erit Deus, & creatura non erit creatura; imo Deus erit creatura, & creatura Deus. 3. Quia præſcientia Dei futurorum, quæ eſt viſionis, pendet à Dei decreto, quemadmodum ſcientia ſimplicis intelligentiæ pendet à potentia Dei.

CAP. XVII.

De Peccato Originali.

PONTIF. Peccatum originale in omnes homines propagatur naturaliter. *Bellarm. lib.* 4, *de amiſſ. grat. & ſtatu peccati, cap.* 12.

ORTHOD. *Peccatum originale ex Adamo in omnes homines naturaliter non propagatur, ſed per imputationem derivatur.*

ϖ.ψ. Locus, Rom. 5. v. 12, *in quo omnes peccarunt*, male intellectus, quem plerique etiam noſtratium accipiunt *ſubjective*, cum non *ſubjective*, ſed *cauſaliter*, accipiendus ſit.

Quia, 1. Si ſubjective accipiendus, tum non aliena culpa ſumus injuſti, ſed propria: cujus contrarium Scriptura docet. 2. Tum non unius, ſed multorum culpa noſtra eſſet. 3. Sequeretur, nos in omnibus hominibus ex quibus prognati ſumus, ab Adamo incipiendo, peccaſſe; quod iterum abſurdum. Ratio eſt; Quia magis fuimus in iſtis, quam in Adamo. 4. Eo modo peccavimus in Adamo, quomodo mortui ſumus in Adamo; qua phraſi utitur Spiritus Sanctus, *Rom.* 5. *v.* 14. Atqui in Adamo morimur non ſubjective; oporteret enim nos jam tum mortuos fuiſſe, cum moreretur Adam: ſed cauſaliter.

PONTIF. Peccatum originale minus grave eſt peccatum. *Bellarm. l.* 4. *de amiſſ. grat. cap.* 10. *§. Si quem moveat.*

ORTHOD. *Imo graviſſimum.*

ϖ.ψ. Omne peccatum debere eſſe voluntarium.

Refell. 1. Quia error mentis, quem ſequitur voluntas, eſt peccatum; non tamen eſt voluntarium. Quia antecedit omnem actum voluntatis. 2. Peccata per ignorantiam commiſſa, non ſunt voluntaria; nemo tamen poteſt negare, quin ſint peccata; præſertim, cum Spiritus Sanctus in Vet. Teſtament. inſtituerit ſacrificia pro peccatis ignorantiæ, *Levit.* 5. *verſ.* 14, 15.

PONTIF. Virgo Maria eſt abſque peccato originali concepta. *Bellarm. lib.* 4, *de amiſſ. grat. cap.* 15.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ORTHOD. *Imo concepta eſt in peccato.*

π. ψ. *Quia infamia matris tranſit in liberos.*

Refell. Non tranſit infamia parentum in liberos in judicio Dei, utut hic aliquando fiat inter homines. vide *Ezech.* 18. 2. Si filius non tantum non ſit particeps peccati, ſed ſi tollat peccatum, non poteſt eſſe infamis peccato parentis, ex hoc, quia illud tollit; quod in Chriſto factum eſt. Nam Chriſtus venit, ut tolleret peccata mundi, quemadmodum hoc ipſi teſtimonium Joannes Baptiſta perhibet. Ceterum Virginem Mariam non fuiſſe immunem à peccato originali liquet. 1. Quia non opus fuiſſet ſanctificare maſſam, ex qua Chriſtus naſciturus erat, *Luc.* 1. 35. 2. Non eſſet hoc proprium Chriſti, quod ipſi Apoſtolus vindicat, *Heb.* 4. 15, Scilicet in omnibus nobis factum ſimilem, excepto peccato. 3. Quomodo illud Apoſtoli, *Gal.* 3. 22, *Concluſit Scriptura omnia ſub peccatum*, verificabitur? Quomodo & illud ſtabit, *Luc.* 1, ubi Maria Chriſtum vocat Redemptorem ſuum; cum aliter nos Deus non ſervet, nec redimat, niſi per Sanguinem Chriſti, *Tit.* 3. 5, 6?

PONTIF. Maria Virgo nullum peccatum actuale commiſit. *Bellarm. lib.* 4, *de amiſſ. grat. cap.* 15. §. *Quod attinet ad tertium.*

π. ψ. *Natam illam abſque peccato originali.*

Cum vero peccatum originale fons ſit omnium reliquorum actualium, eoque illa infecta non ſit, ſequitur, eam nec actualiter peccaſſe. Ubi enim fons non eſt, ibi nec rivi ex eo ſe ſpargentes.

Refutatum eſt hoc π. ψ. rationibus proxime præcedentibus.

PONTIF. Concupiſcentia prava, quæ poſt baptiſmum remanet, non eſt peccatum. *Bellarm. lib.* 5, *de amiſſ. grat. cap.* 8. 9.

π. ψ. *Baptiſmum tollere realiter peccata, & realiter regenerare baptizatos.*

Refutationem hujus π. ψ. vide ſupra capite de Baptiſmo. Præterea notanda hic regula Theologorum: *Peccatum per juſtificationem tollitur in regenitis, non ut non ſit, ſed ut non imputetur.*

PONTIF. Peccatum inhabitans, de quo, *Rom.* 7, non niſi improprie dicitur peccatum. *Idem, ibid. cap.* 10.

ORTHOD. *Propriiſſime.*

π. ψ. *Verba* Jacobi, 1. 15, *male intellecta:* Cupiditas, poſtquam concepit, parit peccatum; *hic, inquiunt, contradiſtinguitur peccato; non ergo eſt peccatum.*

Refell. Expreſſe Spiritus Sanctus, ad *Rom.* 7. 7, cupiditatem vocat peccatum. 2. Cujus effectum eſt peccatum, illud quoque ipſum eſt peccatum: nam qualis arbor, talis fructus. 3. Concupiſcentia decalogo prohibetur, ergo eſt peccatum. 4. Diſtinguimus inter *peccatum gignens, & genitum:* negat Apoſtolus, cupiditatem eſſe peccatum genitum, ſed non negat propterea, eſſe peccatum gignens, imo apertè citato loco hoc ipſum dicit.

PONTIF. Mors æterna tollitur per Sacramenta, tanquam ex opere operato. *Bellarm. lib. de effect. Sacramentorum.*

ORTHOD. *Tollitur ſignificative, non realiter.*

π. ψ. *Sacramentorum vim eſſe phyſicam in tollendis peccatis.* Quod ſupra capite de Sacramentis refutatum.

PONTIF. Pœna Lymbi, quam ſunt toleraturi infantes, erit pœna infernalis, ſed pœna damni tantum, non ſenſus pœna: nam pœna damni tolerabilior eſt, quam pœna ſenſus. *Bellarm. lib.* 6, *de amiſſ. grat. cap.* 6. & 7.

ORTHOD. *Pœna damni infinities major eſt pœnâ ſenſus. Quia pœnâ damni eſt amiſſio boni infiniti omnium ex æquo; pœna ſenſus*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ſenſus eſt finita, quia gradus admittit, quamvis duratione ſit etiam infinita.

ψ. *Infantes Gentilium, & eorum, qui non ſunt in fœdere Dei, æternam mortem non ſuſtinere, neque ad Inferos amandari.*

Refell. 1. Quia liberi talium ſunt canes, *Matth.* 15. 26. Canes autem foris erunt, *Apoc.* 22. 15. 2. Quia tales non ſunt Sancti, 1 *Cor.* 7. At nihil quod ſanctum non eſt, ingredietur regnum cælorum, *Apoc.* 21. 27.

PONTIF. Omnes morbi, calamitates, ſunt veræ ac proprie dictæ pœnæ peccati, tam in electis, quam in reprobis. *Idem, ibidem, cap.* 15.

ORTHOD. *Nulli morbi, calamitates, &c. ſunt proprie dictæ pœnæ in electis; puta eventu, non natura ſua: nam natura ſua pœnæ ſunt.*

ψ. Remiſſa culpa retineri pœnas temporales.

Refell. ex *Rom.* 8. *v.* 1: *Nulla condemnatio iis, qui ſunt in Chriſto Ieſu.* Si nulla condemnatio nulla pœna. Mala iſta, piis in hac vita immiſſa, apud Theologos habentur in duplici differentia; vel enim *explorationes* ſunt vel *caſtigationes*, utræque piis ſalutares, *Iacob.* 1. 3, 4. 1 *Petr.* 1. 7. De caſtigatione ſunt loca clariſſima, ſed in primis, *Heb.* 12. *v.* 6, 7, 8, 9; res clariſſime ob oculos ponitur: & hinc eſt quod Theologi optime dicant, inter *pœnas*, & *caſtigationes*, hoc intereſſe, quod pœnæ damnoſæ ſint iſti, cui infliguntur; ita enim pœna definitur, quod ſit quid damnoſum iſti, cui infertur, ex demerito ſive culpa. At caſtigatio non eſt damnoſa, ſed utilis. 2. Quod caſtigatio proficiſcatur ab amante Deo; pœna, ab irato.

CAP. XVIII.
De Gratia.

PONTIF. Gratia Dei ſolis indignis & peccatoribus obtingit.

ψ. Putant æque late patere miſericordiam, ac gratiam.

Refell. 1. Omnis miſericordia eſt gratia, ſed non omnis gratia eſt miſericordia. 2. Miſericordia exhibetur miſeræ creaturæ. Hinc recte dicitur miſericordiæ locum non futurum in vita æterna; neque eam unquam futuram fuiſſe niſi creatura miſera extitiſſet. At Angelis Dei exhibetur gratia, qui miſeri non ſunt. Neque enim vita æterna ipſis obtingit ex debito, ſed ex gratia.

PONTIF. Gratia quædam dignis competit, id eſt, qui ea digni ſunt, & quam ipſi merentur. *Papiſtæ paſſim, ubi de gratia gratum faciente diſſerunt.*

ORTHOD. *Nulli hominum gratia ex merito proprio debetur.*

ψ. Apoc. 3. 4, *Digni enim ſunt.*

Refell. 1. Quia non dicuntur digni *in ſe*, ſed *in Chriſto*. Homo enim ex ſe nihil mereri poteſt, ſiquidem id tantum facit, quod debet, *Luc.* 17. 2. Nihil mereri poteſt homo, quia quicquid habet homo, accepit divinitus, 2 *Cor.* 4. *v.* 7.

PONTIF. Gratia juſtificans non eſt favor & miſericordia Dei, ſed interna noſtra ſanctitas. *Bellarm. lib.* 1, *de gratia & lib. arb. cap.* 3.

ORTHOD. *Gratia juſtificans eſt ſola miſericordia Dei, propter nobis imputatam juſtitiam Chriſti.*

ψ. Nos operibus, & non imputata Chriſti juſtitia juſtificari.

Refell. Rom. 4. *v.* 2, 3, 4. *Gal.* 2. *v.* 16. *Eph.* 2. 8. *Phil.* 3. 6. Operæ pretium hic eſt amoliri ipſorum Argumentum. Inquiunt: *Nemo poteſt fieri alterius pulchritudine pulcher, alterius ſapientia fieri ſapiens. Ergo etiam nemo poteſt fieri alterius juſtitia juſtus. Reſp.* In quibus vadimonium obimus, & obire poſſumus, enſtaſes allatæ non obtinent. Nam qui fidejubet pro altero, loco alterius ſe ponit, fitque reus omnium quæ alter debet; ita fit in peccatis. nam Chriſtus ſponſor noſter factus eſt: ut ergo ipſi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ipſi debita noſtra impoſita, ita viciſſim ſolutio, quam ille peregit loco noſtri, pro noſtra habetur: & mirum eſt, quî audeant iſto Argumento uti, cum non gravatim admittant, omnes homines naturaliter ex Adamo prognatos, peccatores conſtitui peccato alterius; quidni idem poſſit fieri, ut juſtitia alterius juſti conſtituamur? præſertim cum Scriptura dicat, 1 *Cor.* 1. 30, *Chriſtum nobis à Deo factum ſapientiam, juſtitiam, ſanctificationem, & redemptionem.*

PONTIF. Gratia juſtificans non differt reipſa à paſſiva caritate. *Bellarm. lib.* 1, *de grat. cap.* 9.

Paſſiva caritas vocatur ea, qua nos diligimus Deum; activa dicitur ea, qua nos Deus diligit.

ϖ. ψ. Locus, *Luc.* 7, male intellectus: *Remiſſa multa, quia dilexit multum.*

Refell. Nam particula ὅτι, *quia*, hic non *cauſaliter* ſumitur, ſed *rationaliter* ſeu *illative.* Nam nos diligimus Deum, quia ipſe prior dilexit nos, 1 *Ioan.* 4. 19.

PONTIF. Gratia alia eſt efficax; alia, ſufficiens. *Idem, ibidem, cap.* 11.

ORTHOD. *Gratia nulla eſt efficax, quæ non ſit ſufficiens.*

ϖ. ψ. Verba male intellecta, *Eſaï.* 5. *v.* 4. *Quid amplius faciam vineæ?* &c.

Quæ verba ipſi proprie accipiunt, cum per ἀνθρωποπάθειαν accipienda ſint. Quia, 1. Quicquid hic refertur de effectis Dei circa vineam, hoc ſe non extendit extra media externa. At ubi Deus media externa adhibet, nec interim vi ſua operatur, fruſtra illa ſunt omnia. 2. Quia ſi hæc verba proprie accipienda, ergo & ea quæ ſequuntur (*& cum expectaſſem, ut ederet uvas, edidit labruſcas*), proprie accipienda eſſent. Hæc autem nullo modo proprie accipi poſſunt. Quia, 1. Expectaret aliquid à creatura, quod ab ipſo non dependeret, hoc eſt, expectaret aliquid increati: quod eſt abſurdum. 2. Quia falleretur in ſua ſcientia, atque ita non eſſet omniſcius; exſpectaret enim quod nunquam futurum erat. 3. Fruſtraretur eo quod voluit, atque adeo voluntas ejus irrita reddi poſſet: quod falſum & blaſphemum, tum quod ipſe eam non mutet, *Eſaï.* 46. *v.* 10. tum quod illam nemo alius irritam reddere poſſit, *Eſaï.* 14. 22.

PONTIF. Cur gratia Dei ſit efficax in quibuſdam, id pendet à voluntate hominum, ut etiam & hoc, ut ſit inefficax. *Bellarm. lib.* 1, *de gratia & libero arbitrio, cap.* 12. 13.

ORTHOD. *Omnem gratiæ efficaciam Deo acceptam ferunt.*

ϖ. ψ. *Deum offerre ſufficientem gratiam omnibus & ſingulis, & iſtam ſufficientem reddi efficacem, vel inefficacem, per voluntatem & noluntatem hominis, in cujus poteſtate eſt illam vel acceptare vel reſpuere.*

NB. Totus Pelagianiſmus huic ſententiæ includitur, & tamen eam defendunt non tantum Papiſtæ, ſed & Lutherani: quod mireris.

Refell. Quia eo pacto homo irregenitus poſſet eſſe capax iſtius gratiæ Dei juſtificantis & regenerantis, ex ſe: quod Scriptura planiſſime negat, *Animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei*, 1 Cor. 2. 18. 2. Si ex voluntate humana dependeret acceptatio gratiæ Dei, ſequeretur, hoc nos Deo non debituros, nec plus debituros fideles, quam infideles. Namque hoc pacto fidelis, hac hypotheſi ſubſtrata, poſſet alloqui Deum: *Nihil tibi, ô Deus, præter hoc debeo, quod condemnati debent. Condemnatis enim tantundem præſtitiſti, quantum mihi: obtuliſti ipſis gratiam ſufficientem; eandem mihi quoque obtuliſti: quam quod illi reſpuerunt, id in ipſorum & poteſtate & voluntate fuit; quod ego acceptarim, mihi ipſi, non tibi debeo.* Impia & improba oratio! Vox bovis, non hominis! *Quid habes, quod non acceperis? quod ſi etiam accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* 1 *Cor.* 4. 7. 3. Quia Spiritus Sanctus non tantum facultates, per quas gratiam Dei recipimus, ſed & ipſos actus ex hiſce facultatibus fluentes, Deo in ſolidum tribuit. Hinc, *Pſal.* 119. 38, *Inclina animum ad ſtatuta tua.* Et Jerem. 31, *Converte me, & convertar.* Cantic. 1, *Trahe me, & ſequar.*

PONTIF. Niſi Deus dederit homini auxilium ſufficiens, homo pec-

Yyy cati

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

cati reus eſſe coram judicio Dei non poteſt. *Bellarm. lib. eod. cap.* 11.

ORTHOD. *Etiamſi homini non det ullum auxilium, homo tamen vere peccat, & vere reus conſtituitur coram judicio Dei.*

ϖ. ψ. Deum ad impoſſibile neminem obligare.

Ad hoc noſtri varie reſpondent: & quidem communis ſententia eſt, Deum non obligare ad impoſſibile, quod abſolute impoſſibile; ſed obligare ad impoſſibile, quod culpa noſtra evaſit impoſſibile. At hoc non ſufficit; ulterius aſcendendum, & dicendum, obligare poſſe etiam ad id quod abſolute eſt impoſſibile. Cujus rei documentum clariſſimum habemus in primo homine. Nam Deus ipſi non dedit perſeverantiam in bono, & tamen ad eam ipſum obligavit; imo ex hoc, quod Adam non perſeveravit, peccavit. Auguſtinus hoc ita effert: *Dedit Adamo poſſe quod vellet, ſed non dedit velle quod poſſet; & tamen etiam ad hoc ipſum obligavit.*

PONTIF. In ordine decretorum prædeſtinationis præſcientia prior decreto. *Bellarmin. lib.* 2, *de grat. & lib. arb. cap.* 9. §. *Itaque ſecundum.*

Per præſcientiam intelligunt *ſcientiam viſionis:* quæ ſemper nititur decreto.

ϖ. ψ. Deum ex præſcientia fidei & operum elegiſſe homines ad ſalutem, & ex præſcientia incredulitatis finalis ac impœnitentiæ alios reprobaſſe.

Refell. 1. In genere; *Rom.* 9. *verſ.* 11, 12. 2. In ſpecie; Omnis præſcientia nititur decreto Dei, niſi enim dixeris decreto Dei niti, oportet ſtatuas futuritionem rerum, quæ decretæ non ſunt. At hinc abſurda infinita ſequuntur. Nam, 1. Si res futura, & non decreta à Deo; Ergo res erit independens. 2. Si prævidet futura, antecedenter ad decretum, fruſtranea ſunt decreta ejus. Nam quid decernerem extremum judicii diem, cum vel abſque meo decreto futurus ſit? 3. Penderet à rebus creatis decretum, hoc eſt, voluntas Dei. Nam creatæ res ad voluntatem Dei haberent ſe per modum cauſæ impulſivæ; decretum vero, per modum effectus. Verbi gratia, quia cauſa decreti reprobationis in Deo, incredulitas & finalis impœnitentia; quia cauſa electionis in Deo, prævisa fides & bona opera. At hæc abſurdiſſima ſunt. Ita enim Deus non eſſet Deus, ſed creatura; creatura vero non creatura, ſed creator.

CAP. XIX.

De Libero Arbitrio.

PONTIF. Liberum arbitrium à neceſſitate immutabilitatis eſt immune. *Bellarm. l.* 3, *de grat. & lib. arb. cap.* 4. 5. 6.

ORTHOD. *Nequaquam.*

ϖ. ψ. Libertas conſiſtit in indifferentia ad utrumque oppoſitorum.

Refell. 1. Quia in Angelis bonis eſt liberum arbitrium, neque tamen hoc ſitum eſt in indifferentia. Quia alias peccare poſſent. 2. In Chriſto Servatore vera erat libertas voluntatis, neque tamen in indifferentia conſiſtebat; hoc pacto enim Chriſtus peccare potuiſſet: quod abſurdum. 3. Ex natura irregenitorum, qui non poſſunt non velle malum, & non poſſunt non averſari bonum, interim tamen quod faciunt, liberrime faciunt.

PONTIF. Liberum arbitrium movetur quidem ad hoc vel illud agendum, ita tamen, ut ſemper in contrarium vergere poſſit, ſive poſſit ſequi, vel non ſequi. *Idem, ibidem.*

ϖ. ψ. Liberum arbitrium tolli per neceſſitatem immutabilitatis.

Refell. Exemplo filiorum Eli, 1 *Sam.* 2. 25. ubi quod illi faciebant libere, & tamen hoc non poterant non facere. 2. 1 *Reg.* 12. 15. Ubi liberrime Roboam reſpondet ex conſilio juvenum, & tamen non potuit hoc non facere. 3. Ex *Act.* 2. 23. Iſti liberrime Chriſtum crucifixerunt, & tamen non poterant hoc non feciſſe. Quia quod fecerunt, *definito Dei conſilio fecerunt.*

PONTIF. Liberum arbitrium nullo modo eſt determinatum ab ulla

cauſa,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

cauſa, ut neceſſario huc vel illuc inclinet. *Idem, ibidem.*

ORTHOD. *Liberum arbitrium determinatum à cauſa ſuprema, Deo videlicet.*

ϖ. ψ. *Per determinationem liberi arbitrii, penitus tolli libertatem.*

Refell. 1. Quia omnis voluntas creata in operando dependet à Deo; quod ſi non dependeret in agendo, eſſet independens. 2. *Prov.* 21. Ubi dicitur, quod *cor regis in manu Iehovæ* &c. Quæ ratio regis, ea & cujuſvis alius. 3. Fruſtra precaremur, ut Deus cor hujus vel illius huc vel illuc flectat; vide *Gen.* 43. 14. *Eſther.* 4. 16. & profecto nos ipſi quotidie Deum invocamus, ut flectat corda noſtra ad ſtatuta ſua, *Pſal.* 119. Quod utique fieri non poſſet, niſi voluntas noſtra in manu Dei eſſet.

PONTIF. Liberum arbitrium ſervum minime dici poteſt. *Bellarmin. lib.* 4, *de grat. & lib. arbit. cap.* 6.

ORTHOD. *Hominis irregeniti liberum arbitrium mere ſervum eſt peccati.*

ϖ. ψ. *Hominem irregenitum poſſe ſe præparare ad regenerationem, & poſſe velle ſui regenerationem.*

Refell. 1. Quia *animalis homo non percipit* &c. 1 *Cor.* 2. Si non percipit, quomodo poteſt velle regenerari? 2. Quia voluntas hominis tantum intenta eſt ad malum, *Gen.* 6. *v.* 5. & 8. 21. 3. Quia ſic homini irregenito Chriſtus prædicatus poſſet eſſe ſapientia, juſtitia; quod negat Spiritus Sanctus, 1 *Cor.* 1. 23.

PONTIF. Ad omnes actiones civiles & naturales abunde ſufficit generale Dei auxilium, quo creaturæ omnes moventur, & aguntur. *Bellarmin. lib.* 4, *de grat. & lib. arbit. cap.* 4. 5. 6. 7. 8. 9.

ORTHOD. *Non ſufficit.*

ϖ. ψ. *Quod in facultate hominis ſit flectere concurſum Dei generalem, ad hæc vel illa objecta particularia.*

Refell. 1. Prov. 16. 9. *Animus hominis excogitat viam ſuam, ſed Iehova ſtatuit greſſum ejus.* 2. Jerem. 10. v. 23. *Novit Iehova non eſſe penes hominem viam ipſius; non eſſe penes virum ambulantem vel dirigere greſſum ſuum.* 3. Jacob. 4. 13. Nec quidem dicere poſſumus, *cras vel hodie proficiſcemur in illam urbem* &c. niſi addiderimus, *ſi Dominus voluerit*, verſ. 15.

PONTIF. Deus non omnia decrevit, quæ præſcit. *Bellarm. lib.* 4, *de grat. & lib. arbit. cap.* 13. *ſub finem.*

ORTHOD. *Quæ præſcit, illa decrevit: nam ex eo præſcit, quia decrevit.*

ϖ. ψ. *Libertas voluntatis non poteſt ſtare cum decreto Dei.*

Refell. Quia Deus ad extra liberrime facit quæ decrevit, *Luc.* 22. ubi Judas liberrime prodidit Chriſtum, & tamen definitum hoc erat divinitus, ut proderet ipſum. Pilatus & Herodes quæcunque fecerunt, liberrime fecerunt; & tamen fecerunt quod manus Dei prædefinierat, ut fieret, *Act.* 4.

PONTIF. Res eſt incomprehenſibilis, quomodo Deus futura contingentia, hoc eſt, actiones hominum liberas præcognoſcat. *Bellarm. lib.* 4, *de grat. & lib. arbit. cap.* 15. §. *Res eſt omnino difficilis.*

ϖ. ψ. *Deum ſcire res; quia ſunt; non res eſſe, quia Deus ſcit; ſcientia nimirum practica.*

Refell. 1. Quia Deus ſciret aliquid & prævideret independenter ad ſuam voluntatem: quod contradictionem implicat; prævideret enim aliquam creaturam, quæ creatura non eſſet. 2. Fatum Stoïcum ſic induceretur; daretur enim aliquid neceſſarium, non neceſſitate hypothetica decreti divini, ſed ex neceſſitate abſoluta independenti à Deo.

PONTIF. Homines nondum renati, ſolius naturæ viribus, abſque ſpeciali Dei auxilio, bonum morale ita perficere poſſunt, ut in eo nullum omni-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

no peccatum admittant, modo ne ulla graviori tentatione urgeantur. *Bellarm. lib.* 5, *de grat. & lib. arb. cap.* 9.

ORTHOD. *Contra.*

π. ψ. *Homini poſt peccata tantummodo eſſe ablata ſupernaturalia dona, naturalia vero læſa eſſe.*

Et hoc iterum aliud præſupponit π. ψ., nimirum; *juſtitiam & ſanctitatem homini primævo non fuiſſe naturalem, ſed ſupernaturalem.*

Refell. 1. Argumento ad hominem. Nam ſi ſupernaturalia ablata, inter quæ numerantur juſtitia, ſanctitas &c. Ergo homo relinquitur ſine juſtitia, ſine ſanctitate: quomodo ergo poterit bonum aliquod morale perficere, ut in eo nullum peccatum admittat? Nam certe qualis arbor, talis fructus, *Matth.*7. 2. Poſſet homo hac ratione legem implere. At hoc plane abſurdum. Nam 1 *Reg.*8, dicitur, quod *non ſit homo qui non peccet.* Et Eccleſ. 7, *Non eſſe juſtum in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* 3. Fidelium omnia opera ſunt imperfecta, quomodo ergo infideles & irregeniti perfecti erunt? de regenitis vide *Eſai.*46. *v.*10. 4. Si poſſunt tale opus facere, in quo peccatum nullum admittant, tum ad opus morale nulla requiritur fides. At falſum hoc; Quia, *abſque fide nihil poteſt placere Deo*, Heb. 11. Fide autem irregeniti deſtituuntur.

PONTIF. Niſi hominis irregeniti arbitrium ita ſe habeat, ut poſſit bonum & non poſſit, ſcilicet morale; tum nec virtuti, nec vitio, nec pœnis, nec conſiliis locus ullus relinquetur. *Bellarm. ibid. cap.* 17.

ORTHOD. Etſi *arbitrium hominis ita ſe habeat, tamen vitio & pœnis locus relinquitur.*

π. ψ. *Quæ neceſſario fiunt ex neceſſitate immutabilitatis, nec præmio, nec laude, nec vituperio, nec pœnis digna ſunt.*

Refell. Diaboli neceſſario peccant; & tamen eo ipſo, quod neceſſario peccant, vituperio & maximis pœnis digni ſunt. 2. Ex hominum irregenitorum natura, qui non poſſunt non peccare; *Arbor enim mala non poteſt bonos fructus ferre.* Interea tamen vituperantur in Scriptura, utpote arbor mala; & pœnis tandem afficiendi. Ex adverſo, Angeli boni non poſſunt peccare, & tamen laude digni ex eo, quod non poſſint peccare. Homines glorificati in cælo non poterunt peccare, & tamen ex eo ipſo laude digni.

PONTIF. Libertas hominis irregeniti, ſive voluntas, in converſione non habet ſe paſſive, ſed active. *Idem, ibidem.*

ORTHOD. *Contra.*

π. ψ. *Hominem irregenitum non eſſe plane in peccatis mortuum.*

Refell. 1. Eph.2. 1, *Quum eſſemus mortui in lapſibus & peccatis.* 2. Quia nullum actum vitæ ſpiritualis edere poſſunt; hinc, 1 *Cor.*2, dicuntur *non percipere ea quæ ſunt ſpiritus Dei.* Rom.8, *Non ſubjici legi, nec poſſe.* 3. Quia ſunt caro & homo vetus, & nullo modo ſpiritus, aut novus homo: ratio eſt; quia ſpiritus ſimus ex Deo, cujus ope conditi ſumus in Chriſto nova creatura, 2 *Cor.*5. 17.

PONTIF. Quoties cooperarii Dei in Sacris Literis vocamur, toties propria facultas arbitrii noſtri, quæ ex ſe & natura ſua, non autem ex Dei gratia, habeat, in hoc operum genere aſſeritur. *Idem, ibidem.*

π. ψ. *In poteſtate hominis eſt Deo cooperari vel non; hinc aliquem, qui fuit vere fidelis, totaliter deficere poſſe, aiunt.*

Refell. Rom. 8. 30. Joan.6.39. 1 Pet.1.5.

PONTIF. Si nulla facultas in homine irregenito eſſet ad bona opera præſtanda, non peccarent, qui hæc opera negligunt. *Idem, ibidem.*

ORTHOD. *Omnino peccat, qui negligit.*

π. ψ. *Non obligari aliquem ad hoc, quod non habet.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Refell. 1. *Matth.* 18. Exemplo iſtius ſervi, qui non erat ſolvendo, & tamen obligatur ad ſolvendum. 2. Quia reprobi, quibus prædicatur Evangelium, tenentur credere in Chriſtum, ut liquet, *Ioan.* 16. *v.* 9. & tamen credere non poſſunt. Quia fides donum Dei eſt, quod Deus non omnibus elargitur, *Eph.* 2. 8. 3. Quia reprobi non poſſunt bona opera facere, & ad illa præſtanda nullam facultatem habent, *Ioan.* 15. *v.* 5. & tamen ad illa præſtanda obligantur.

PONTIF. Converſio noſtra eſt in poteſtate liberi arbitrii hominis, ita ut, ſi velit, poſſit converti; ſi nolit, poſſit non converti. *Idem, ibidem, ſubinde in toto de Libero Arbitrio tractatu.*

ORTHOD. *Converſio non eſt ſita in poteſtate hominis.*

π. ψ. *In homine irregenito relictam facultatem agnoſcendi bonum ſpirituale, & illud appetendi.*

Refell. Jer. 31, *Converte me, & convertar.* Cantic. 1, *Trahe me, & ſequemur.* Dominus eximit cor lapideum; & dat cor carneum, *Ierem.* 33. Nos vero mortui ſumus in peccatis, *Eph.* 2.

CAP. XX.

De Iuſtificatione, Fide, & Bonis Operibus.

PONTIF. Fides non eſt notitia. *Bellarm. lib.* 1, *de Iuſtif. cap.* 4. *§. Quod autem fides* &c.

ORTHOD. *Eſt notitia.*

π. ψ. *Quia fides implicita, hoc eſt, carbonaria fides, eſt vera fides.*

Refell. Quia Scriptura expreſſe teſtatur, fidem conſiſtere in notitia, *Ioan.* 17. *v.* 3. 1 *Cor.* 13. 9. *Hebr.* 11. 3. 2. Ex Symbolo Apoſtolorum, ubi profitemur nos credere, & ita profitemur, ut ſimul dicamus, quid ſit hoc, quod credimus, aut quomodo credamus.

PONTIF. Fides ſalvifica non eſt fiducia. *Idem, ibid. cap.* 6.

ORTHOD. *Eſt fiducia.*

π. ψ. Locus, quem dicunt haberi, *Eccleſ.* 9, *Neſcit homo an odio vel amore dignus ſit.*

Refell. 1. In textu Hebraïco nihil tale eſt. 2. Ad hominem. Quia aliqui certo ſciunt, ſe odio dignos eſſe, qualis fuit Caïn, Judas; ſi hoc, ergo non ſimpliciter accipiendum eſt; quod ſi ſciunt aliqui, ſe odio dignos eſſe, nulla ratio, cur alii ignorare debeant, quod amore digni ſint. 3. Pontificii ſaniores ita explicant locum hunc: Neſcit homo, ſcilicet alter de altero, ex rebus externis, an ille in amore ſit, an in odio; quia fieri poteſt, ut ille qui à Deo amatur, in hac vita ſit ærumnoſus, ut Lazarus; qui vero in omni felicitate abundat, ſit in odio, ut Epulo. Hinc Scholaſticorum diſtinctio: Cognitio eſt vel *Dei de nobis*, vel *noſtri de nobis*, vel *noſtra de aliis*. *Prior* certa eſt; novit enim Deus, qui ſunt ſui. *Secunda* quoque, certa, *Rom.* 8. *v.* 38, 39. *Tertia*, incerta & conjecturalis, quanquam ex caritatis judicio, ſemper in meliorem partem inclinare debeat.

PONTIF. Fiducia & notitia non poſſunt eſſe fides ſimul ſumpta.

ORTHOD. *Contra.*

π. ψ. *Vnum accidens non poteſt eſſe in duobus diverſis ſubjectis: dicimus nos, notitiam in intellectu eſſe; fiduciam, in corde ſive voluntate.*

Refell. Quia ſunt quædam entia collectiva, quæ diverſis ſubjectis inſunt; tale eſt originale peccatum, quod in intellectu cæcitas, in voluntate inhabilitas ad omne bonum, & propenſio tantum ad malum. Tale accidens eſt regeneratio, quæ aliter ſe habet in intellectu, aliter in voluntate, aliter in animo, aliter in corpore. Tale quoque accidens eſt pœnitentia.

PONTIF. Fides reſpicit Verbum Dei, ſub ratione notitiæ, non ſub ratione fiduciæ; ſeu reſpicit Verbum Dei, revelatum, non in quantum continet promiſſiones in Evangelio nobis

potiſſimum patefactas. *Bellarm. lib.* 1, *de Iuſtif. cap.* 9.

ORTHOD. *Contra.*

π. ψ. Fiducia parit ſecuritatem.

Refell. Securitas duplex eſt; *Carnalis,* & *ſpiritualis.* Carnalis ſecuritas illa eſt, quæ nihil curat, omnia media à Deo ad hoc vel illud ordinata deſpicit, ac contemptui habet: hanc non parit hæc fiducia, ſed ſpiritualem; ea vero optima eſt, *Pſal.* 23. 4. *Iob.* 13. 15. *Rom.* 8. *v.* 38, 39.

PONTIF. Nemo poteſt in particulari ſcire, an ipſi peccata ſint remiſſa, nec ne. *Idem, ibid. cap.* 10, *à principio. & lib.* 2, *de Iuſtif. cap.* 4.

ORTHOD. *Omnis fidelis ſcire poteſt.*

π. ψ. Nuſpiam in Sacris Literis ſcriptum eſt, Tu, Petre, Paule, conſequeris remiſſionem peccatorum. Ergo non eſt credendum in particulari; & ſi credatur à quoquam, credetur præter Verbum Dei.

Refell. Nullibi ſcriptum eſt, Petre, Paule, non furabere: interim Petro, Paulo non eſt furandum; quia generale eſt, *Non furaberis.* Pari ratione generale eſt, *Qui credit, habet vitam æternam.* Atqui fideles ſciunt ſe fidem habere; alioqui fruſtra Paulus moneret, 2 *Cor.* 13. 4, ut fidelis ſe exploret, an ſit in fide. 2. Quia ſi fideles non poſſunt eſſe certi de remiſſione peccatorum, non poſſunt Deo gratias agere pro remiſſione peccatorum. 3. 1 *Tim.* 1. *v.* 16.

PONTIF. Ad juſtificationem ſe homo præparare poteſt virtutibus & actionibus piis. *Idem, lib.* 2, *de Iuſtif. cap.* 15. §. *Circa hæc Auguſtini.*

π. ψ. Hominem juſtitia inhærente juſtificari.

Refell. Quia ſi juſtitia inhærente: Ergo noſtra juſtificamur, contra id quod dicitur, *Rom.* 5. *v.* 19. *Phil.* 3. 9. 2. Quia juſtitia imputata juſtificamur. At vero imputatum & inhærens contradiſtinguuntur. Quemadmodum ergo Chriſtus imputative, non inhærenter factus peccator; ita nos non inhærenter, ſed imputative ſimus juſti.

PONTIF. Homines juſtitiam apud Deum ex congruo merentur. *Bellarm. lib.* 1, *de Iuſtificat. cap.* 21. §. *Porro negamus.*

ORTHOD. *Nullo modo.*

π. ψ. Faciendo ea, quibus natura poſſumus Deum movere ad hoc, ut nos juſtificet.

Diſtinguunt Papiſtæ meritum, in meritum *ex congruo*, & *ex condigno.* Meritum ex congruo vocant, ſi quis naturalibus donis bene utatur (quod in irregenitos cadere exiſtimant), congruum eſſe, ut ipſi Deus ſupernaturalia conferat: ex condigno vero meritum ſtatuunt, cum homo jam juſtificatus facit opus, quo cælum meretur.

Refell. Quia homo naturalis, eſt arbor mala, *Matt.* 7. 2. Eſt homo animalis, qui non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei, nec poteſt, 1 *Cor.* 2. 3. Quia eſt pura caro, *Rom.* 8, quæ non ſubjicitur legi, nec poteſt. At, *inquiunt*, à Reformatis ſtatuitur, quod homo irregenitus poſſit bonum morale præſtare. *Reſp.* Ita quidem, ſed non ſine gratia, non illa, quam vocant *reparationis*, quæ propria eſt fidelium, ſed ea, quæ eſt *correctionis*, & *coërcitionis.* 2. *Dicimus*, poſſe eos *bonum*, ſed non *bene* operari; quæ ſunt diverſiſſima.

PONTIF. Non ſola fide juſtificamur coram Deo, ſed & aliis virtutibus. *Bellarmin. lib.* 1, *de Iuſtificat. cap.* 12. 13. 14.

π. ψ. Quia ſola ſalvifica fides nunquam eſt in homine.

Refell. Aliud eſt, dicere, fidem *ſolitariam* juſtificare; aliud, *ſolam: hoc* enim excludit opera à juſtificatione; *illud* oſtendit, fidem nunquam ſolam eſſe. Sicut dicimus de oculo, quod *ſolus* videat; ſed non *ſolitarius*; quia oculus erutus non videt. 2. Quia ubi duæ propoſitiones occurrunt in Scriptura de oppoſitis immediatis, quarum una affirmativa eſt, al-

tera

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

tera negativa, ibi excluſiva particula neceſſario adjicienda. Verbi gratia, cum dicitur in Scriptura: Cum bonis converſandum, & cum malis non converſandum; recte iſtam excluſivam adjici, Ergo cum bonis tantum converſandum. Item, cum dicitur, Deus eſt adorandus, idola non ſunt adoranda; recte infero, Ergo ſolus Deus adorandus. Pari ratione, cum Scriptura dicit, fide juſtificamur, & non juſtificamur operibus; recte ſequitur, Ergo ſola fide juſtificamur.

PONTIF. Fides noſtra proprie imputatur ad juſtitiam. *Bellarm. lib.* 1, *de Iuſtificat. cap.* 17. §. *Alterum argumentum.*

ORTHOD. *Contra.*

π. ψ. *Verba Pauli male intellecta*, Rom. 4. verſ. 5.

Refell. Quia, ut paulo ante oſtendimus, juſtitia aliena juſti ſumus; fides vero, noſtra eſt, *Heb.* 2. 2. Quia fides noſtra, eſt inhærenter in nobis; juſtitia, qua juſtificamur coram Deo, eſt noſtra imputative tantum. 3. Quia fides eſt hoc, per quod apprehendimus juſtitiam, *Act.* 26. 18. Si ergo eſt hoc, per quod accipitur, non erit ipſa juſtitia. Nam diverſum eſt, quod accipitur, ab eo, quo accipitur. 4. Quia juſtitia, qua debemus coram Deo conſiſtere; debet eſſe perfectiſſima. At fides in hac vita eſt plane imperfecta; hinc Paulus, 1 Cor. 13, *Ex parte cognoſcimus* &c.

PONTIF. Fides juſtificans revera poteſt ſeparari à caritate & ſpe ſalvifica aliiſque virtutibus Chriſtianis. *Bellarm. de Sacram. Baptiſm. lib.* 1, *cap.* 14. §. *Quod autem etiam.* & *l.* 1, *de Iuſtificat. cap.* 15.

ORTHOD. *Contra.*

π. ψ. *Poſſe eſſe membrum Eccleſiæ, qui externe tantum profitetur religionem veram.*

Vide definitionem Eccleſiæ à Bellarmino datam, egregie vero ab Ameſio exagitatam in Bellarmino Ameſii enervato.

Refell. 1. *Iacob.* 2. *v.* 17, 18. 2. Ex eo, quod, qui fidem habet, in Chriſto eſt; qui autem eſt in Chriſto, fert fructus bonos, *Ioan.* 15. *v.* 5. 3. Quia, qui fidem habent, illi ſunt conſepulti cum Chriſto, & in novitate vitæ ambulant, *Rom.* 6. 4.

PONTIF. Vera juſtificans fides poteſt conſiſtere cum omnis generis peccatis ac flagitiis, uſque ad terminum vitæ. *Bellarm. ibidem.*

ORTHOD. *Contra.*

At idem, *inquiunt*, ſtatuunt Reformati; quia docent, Davidem, dum adulterium & homicidium commiſiſſet, non amiſiſſe fidem. *Reſp.* Noſtra ſententia alia eſt; docemus enim, poſſe quidem graviſſima ſcelera admitti à fidelibus, nec propterea fide excidere; ſed non dicimus, interim fidem vacuam eſſe ab aliis omnibus bonis operibus: quod Adverſarii theſi ſua intendunt. Sententiam noſtram Scriptura roboramus.

π. ψ. *Fidem veram juſtificantem, in ſola oris confeſſione conſiſtere.*

Refell. 1. *Rom.* 10. 9, 10, 11. *Heb.* 11. *fere per totum caput.* 2. Ex definitione fidei, quæ à noſtris datur, quod conſiſtat non tantum in confeſſione, ſed & notitia, & fiducia. 3. Quia hoc pacto fides juſtificans & ſalvifica non differret à Diaboli fide; & hic enim Chriſtum confitetur, *Marc.* 5. 7.

PONTIF. Cum Sacræ Literæ dicunt, nos juſtificari fide abſque operibus Legis, tum intelligunt opera cerimonialia. *Bellarm. lib.* 1, *de Iuſtificat. cap.* 19. §. *Nonnulli ex Catholicis.*

ORTHOD. *Imo, moralia intelligenda ſunt.*

π. ψ. *Verba male intellecta*, Rom. 4. 2.

Refell. Rom. 2. *v.* 13, *collato cum verſ.* 21. 22. *Rom.* 3. *verſ.* 9, *incipiendo.* Ubi præter ſubjectam materiam, quæ rem oſtendit, etiam hoc obſervandum, quod abſolute dicat Spiritus Sanctus, *abſque operibus Legis.* Tit. 3. 5.

PON-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

PONTIF. Cum Sacræ Literæ docent, nos fide abſque operibus juſtificari, tum intelligunt tantum antecedentia juſtificationis opera, hoc eſt, quæ vi naturæ, ſive liberi arbitrii, citra Dei gratiam facimus; non autem ſequentia intelligenda ſunt. *Idem, ibidem. §. Ceterum ſententia.*

ORTHOD. *tam antecedentia, quam conſequentia, excludunt.*

ψ.ψ. *Bona opera non tantum ſequuntur juſtificatum, ſed etiam antecedunt juſtificandum.*

Refell. 1. *Rom.* 4. Quia nondum juſtificatus, impius eſt; impius autem qua ratione bona opera editurus? 2. Quia qui juſtificati non ſunt, illi ſunt concluſi ſub peccatum, *Gal.* 3. 22. Si concluſi ſub peccatum, quomodo, & qua ratione, opera bona præſtare poterunt? 3. Ex 1 *Cor.* 6. 9. ubi deſcribuntur homines, quales ſunt ante juſtificationem.

PONTIF. Gratuita noſtri juſtificatio, quæ ſæpius in Sacris Literis deprædicatur, non excludit, ſed requirit merita noſtra de congruo. *Bellarm. lib. de Iuſtificat. cap.* 21. *§. Reſpondeo, particula illa.*

ORTHOD. *Nulla.*

ψ.ψ. *In hominem irregenitum cadere meritum de congruo.* Hoc ſupra refutatum.

PONTIF. Juſtitia, qua juſtificamur, eſt in nobis inhærenter. *Bellarm. lib.* 2, *de Iuſtif. cap.* 3.

ψ.ψ. *Iuſtificationem non ſignificare in Sacris Literis judicialem noſtri abſolutionem à peccatis, aut gratuitam reconciliationem, ſed partim totalem ipſam peccati in nobis habitantis extinctionem, tanquam privationem, partim caritatis & juſtitiæ in nos infuſionem, tanquam habitum.*

Refell. 1. *Rom.* 8. Ubi oſtenditur, totum actum juſtificationis eſſe moralem; *v.* 33, 34. 2. Ex *Actor.* 13. *v.* 38, 39. *Rom.* 4. 6, 7. *Pſal.* 143. *verſ.* 2.

PONTIF. Juſtificatio noſtri non conſiſtit in imputatione mortis Chriſti aut ipſius ſanctæ obedientiæ. *Bellarmin. lib.* 2, *de Iuſtif. cap.* 7.

ψ.ψ. *Imputatum eſſe, & putativum eſſe, idem ſignificare.*

Refell. Quia, ſi imputare eſt putare, & imputativum eſt putativum, tum certe peccatum originale non eſſet nobis revera imputatum, ſed opinione tantum: quod tamen Adverſarii negabunt, ſat ſcio. 2. Cum in Chriſtum dicuntur peccata noſtra eſſe conjecta, *Eſai.* 53, & ei imputata, opinione hoc tantum, non rei veritate, factum cenſendum eſt. 3. Nullus modus excogitari poteſt, quomodo juſtitia, quæ alterius eſt, noſtra eſſe poſſit, niſi per ſolam imputationem.

PONTIF. Teſtimonium Spiritus Sancti, & bona noſtra erga Deum conſcientia, non niſi infirmam & conjecturalem, adeoque fallacem, juſtitiæ præſentis certitudinem in cordibus gignere poſſunt. *Bellarm. lib.* 3, *de Iuſtif. cap.* 9.

ORTHOD. *Contra.*

ψ.ψ. *Teſtimonium Spiritus Sancti eſt fallax.*

Refell. Quia Spiritus Dei Deus eſt: jam autem quemadmodum impoſſibile eſt, Deum aut falli, aut fallere, ita & Spiritum ejus. 2. Quia Spiritus Sanctus maxime dicit teſtimonium in Scriptura, *Rom.* 8. 16. 3. Quia Spiritus Sanctus conjungit teſtimonio ſuo certitudinem notitiæ, 1 *Cor.* 2. 12, 16.

PONTIF. Opera juſtificatorum per ſe Deo grata ſunt & accepta. *Bellarmin. lib.* 4, *de Iuſtificat. cap.* 15. *§. Quod vero idem.*

ORTHOD. *Opera placent propter perſonam.*

ψ. ψ. *Propter opera placere perſonam Deo, non propter perſonam placentem placere ipſa opera.*

Refell.

Refell. Gen. 4. 5, reſpexit Jehova ad Abelem & ad munus ejus; prius Abelem reſpexit, pòſt munus. *Eph.* 1. 6, dicitur Deus nos gratos ſibi feciſſe in dilecto ſuo; Si grati in dilecto facti, Ergo opera propter nos qui in Chriſto ſumus, non nos propter opera, Deo placemus.

Pontif. Vera fides & juſtitia, non modo electorum propria, ſed etiam vere habita, prorſus & finaliter omitti ſolet & poteſt. *Bellarmin. lib.* 2, *de Iuſtif. cap.* 14.

π. ψ. Gratiam Dei nos regenerantis eſſe reſiſtibilem.

Explicandæ ſunt iſtæ voces, *reſiſtibilis*, *irreſiſtibilis*. Dicunt ergo, Deum nunquam realiter agere in voluntatem humanam, alioqui ſic ageret neceſſario, & flecteretur voluntas ad hoc, quod vellet immutabiliter, atque ita libertas voluntatis non conſtaret. Ubi apprime notandum, ſtatuere iſtos, voluntatem in operando non dependere à Deo. Dicant, & in eſſe; Quia prout ſe quid habet in operari, ita & in eſſe. *Reſiſtibilis* dupliciter capi poteſt; vel *negative*, vel *privative*: *privative*, quod, cum reſiſtat, ſuperetur tamen: *negative*, quod nullo modo reſiſtat.

π. ψ. ſupra eſt refutatum.

Pontif. Duplex eſt juſtificatio; prima, & ſecunda. *Bellarm. lib.* 4, *de Iuſtif. cap.* 18. §. *Nos igitur dicimus.*

π. ψ. Iuſtificationem noſtram non unico & individuo actu coram Deo perfici.

Refell. 1. Qui credit in Filium, habet vitam æternam, non condemnatur, *Ioan.* 3. 16, 11. At ſi poſſet relabi in reatum peccati, hoc vere dici non poſſet, 2. *Ioan.* 3. *v.* 18. ubi dicitur: *qui credit, in condemnationem non venit*; qui ergo ſemel credit, jam plane & perfecte eſt juſtificatus. 3. Rom. 8. 1, *Nulla condemnatio iis qui ſunt in Chriſto Ieſu.* Si nulla condemnatio; Ergo unico & individuo actu ſunt juſtificati.

Pontif. Opera juſtorum ex condigno meritoria ſunt vitæ æternæ. *Bellarm. lib.* 5, *de Iuſtif. c.* 16, 17.

π. ψ. Mereri poſſe hominem de Deo.

Refell. Ex requiſitis meriti. Nam meritum, 1. Non debet eſſe debitum. At omnia noſtra opera ſunt debita, *Luc.* 17. 2. Fieri debet viribus propriis & non ſuppeditatis ab eo, de quo mereri dicimur. Atqui noſtræ vires nullæ ſunt, 1 *Cor.* 4. 7. 2 *Cor.* 3. 5. 3. Ut cedat in commodum ejus, de quo meremur. At hoc de operibus noſtris dici non poteſt, *Ioan.* 3. 5, 6, 7, 8. 4. Ut merces non excedat meritum. At neque hoc hic locum habet, *Rom.* 8. 18. 2 *Cor.* 4. 17.

Cap. XXI.

De Bonis Operibus in ſpecie.

Pontif. Preces noſtræ ſunt ſatisfactoriæ coram Deo. *Bellarmin. lib.* 1, *de bon. oper. in partic. c.* 8. §. *Primus igitur.*

Orthod. *Contra.*

π. ψ. Preces noſtras eſſe acceptas Deo ex ſe, & per ſe.

Refell. 1. Quia preces noſtræ ita acceptæ, ut audiantur per & propter Chriſtum. Dan. 9, *Audi nos, Domine, propter Dominum.* 2. Ita ſunt acceptæ preces, quemadmodum accepta erant Sacrificia; hinc etiam vocantur ſpirituales hoſtiæ, 1 *Petr.* 2. 5. At Sacrificia non erant grata ex ſe, ſed propter Chriſtum. 3. Quia inter alia precibus hoc petimus à Deo, ut nobis condonet peccatum; quomodo ergo ſatisfacient, cum illis remiſſionem peccatorum imploramus?

Pontif. Preces noſtræ merentur. *Idem, ibid.* §. *Secundus fructus.*

π. ψ. Injungi debere à Sacrificulis & confeſſionariis, ut vocant, certum numerum precum, quibus mereantur cælum.

In confeſſo id eſt apud Papiſtas, dari certum numerum precum, quas ubi demurmurarunt ad calculos, quos vocant *Pater noſter*, putant, ſe cælum mereri: hinc etiam aræ exſtruuntur, quibus Romani Pontifices, inſcribi curant; Si quis ad hanc aram tot *Pater noſter*, tot *Ave*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Maria deblateraverit, ille pro tot annis remiſſionem peccatorum obtinebit.

Refell. 1. Numerus precum eſt quantitas diſcreta. *Quantitatis autem per ſe nulla eſt efficacia.* 2. *Fruſtra me colunt mandatis hominum*, Matth. 15. *Non in præceptis patrum, ſed in præceptis meis ambulate*, Ezech. 20. 3. Quia ſi mendicus petit ab alio aliquid, & obtineat, non poterit dici meritus eſſe, hoc quod ipſi datur; alioqui non Eleemoſyna, ſed merces eſſet; quanto minus reſpectu Dei preces noſtræ, quibus impetramus aliquid, merita dici poſſunt?

PONTIF. Clauſula in oratione Dominica; *Quia tuum eſt regnum & potentia & gloria*; eſt irreptitia. *Bellarmin. ibid. cap. 6. ſub finem.*

π. ψ. *Non legitur in vulgata.*

Refell. Vulgata Biblia non ſunt authentica in Novo Teſtamento, ſed Græca. Græci autem codices unanimiter hanc clauſulam habent. 2. Quia aliis locis Scripturæ id Deo clariſſime tribuitur; cur ergo hic non liceat?

PONTIF. Dum petimus, *remitte nobis debita noſtra*, nec ipſi nobis petimus, nec aliis promittimus, omnimodam peccatorum remiſſionem, ſed eam tantum, ſine qua peccator aut debitor in ſummum neceſſarium incideret.

ORTHOD. *Contra.*

π. ψ. *Quia hoc pacto Purgatorium tolleretur, ſi omnia & ſingula peccata condonarentur.*

Hic ſecum pugnant; nam aliquando concedunt, remitti peccata, & retineri culpam: jam videntur eo adigi, ut ſtatuant non remitti peccata; alioqui non fuiſſet luendum pro illis in Purgatorio.

Refell. Si ullus alius Purgatorio opus habuit, certe latro. At nihil tale legimus de latrone. *Inquiunt:* Extraordinarium eſſe exemplum. *Inepte:* Nam vident ſe ad hoc conſtringi, ut cogantur nobis regulam dare in Scripturis, à qua eximatur hoc exemplum extraordinarium. Nam exemplum extraordinarium dicitur, quod à regula communi excipitur. Atqui regulam nullam illi hactenus dare potuerunt. 2. Quia duo tantum genera hominum reperiuntur in Scriptura, fideles, & infideles; illi ſalvantur, hi condemnantur; nullum ergo datur Purgatoriū.

PONTIF. Tituli qui Mariæ Virgini tribuuntur in Antiphona: *Salve, Regina cæli, mater miſericordiæ*, &c. ſunt vere ſancti & legitimi. *Idem, ibidem.*

π. ψ. *Mariam nobis propoſitam eſſe in ſingularem quandam mediatricem, & poteſtatem aliquam ipſi tributam nos ſalvandi.*

Refell. Quia nihil tale uſpiam in Sacris Literis reperitur, 2 *Apoc.* 1. 6. Ubi Scriptura dicit, *nos factos Reges, Sacerdotes*, neque tamen nobis tributa aliqua poteſtas alios ſalvandi. 3. Spiritus Sanctus facit duplicis poteſtatis mentionem, in judicandis reprobis; quare Theologi unam communem vocant omnium fidelium, 1 *Cor.* 6. *v.* 2. Alteram ſpecialem, quæ propria Apoſtolorum eſt, de qua, *Matth.* 19. de poteſtate ſalvandi conceſſa alicui extra Chriſtum nihil uſpiam occurrit in Scripturis. 4. Quia ſi poteſtatem habet ſalvandi; Ergo nos redemit: quod abſurdiſſimum; namque Spiritus Sanctus tribuit Chriſto, quod nos ſalvet, & quidem redimendo.

PONTIF. Cantus Eccleſiaſticus ut nunc eſt Latinus, in Eccleſia obſervari debet. *Bellarm. ibid. cap.* 6. & *lib.* 2, *de Verbo Dei, cap.* 15. 16.

ORTHOD. *Nequaquam.*

π. ψ. *Periculum eſt, ne aliqui idiotarum, ſi vernaculis linguis cantus iſte peragatur, abutantur in cauponis & popinis.*

Refell. Quia hoc pacto nec Verbum Dei eſſet prædicandum vernacula lingua. 2. Nec Oratio Dominica ipſis recitanda eſſet lingua materna. 3. 1 *Cor.* 14. 13, 14, 15. Propter abuſum nunquam tollendus eſt rei uſus.

PONTIF. Organis, Tubis & aliis Inſtrumentis Muſicis recte & utiliter utitur Eccleſia.

π. ψ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ϖ. ψ. Cerimonialia quædam Veteris Teſtamenti retinenda.

Refell. 1. Si quædam, cur non omnia? 2. *Ioan.* 1. 17. ubi dicitur, legem moralem per Moſen datam, & ipſi opponit veritatem. 3. *Gal.* 4. *v.* 1, 2, 3, 4, 5. *Object.* Quid ergo judicandum de Organis, quibus utimur in Eccleſia? *Reſp.* Non toleranda: vide Calvinum, in *Pſal.* 33. & 34.

CAP. XXII.

De Iejunio.

PONTIF. Jejunium conſiſtit in dilectu ciborum. *Bellarm. lib.* 2, *de bonis oper. in partic. cap.* 5.

ϖ. ψ. Quia Pontifex Romanus definit per dilectum ciborum.

Refell. Definitione Jejunii, quæ datur à Theologis noſtris: & 1 *Tim.* 4. 3.

PONTIF. Abſtinentia à carnibus, lacticiniis, ſervari debet in jejunio; quia magis, quam alii cibi, corpus nutriunt, & ſpiritui rebelles efficiunt, *Idem, ibid. cap.* 5. 6. 7.

ϖ. ψ. Carnes, ova & lacticinia homines magis reddere venereos, quam alios cibos.

Refell. Quod piſces non habeant pro carnibus, cum expreſſe vocentur carnes, 1 *Cor.* 15. *v.* 39. 2. Quia Medici piſces, oſtrea, & id genus alia homines inflammare ad Venerem docent. 3. Quia abſtinent quidem à carnibus pecudum terreſtrium, ſed non abſtinent à piſcibus delicate conditis, qui magis inflammant, quam carnes pecuinæ. 4. Piſcium dilectus multorum judicio carnibus pecuinis quibuſvis præfertur. 5. Abſtinentes à carnibus non abſtinent à vino, cum tamen conſtet, vinum moderate ſumptum, hominem nutrire; immoderate ſumptum, ebrietatem, & conſequenter carnales concupiſcentias, cauſari.

PONTIF. Jejunia in Novo Teſtamento non tantum præcepta ſunt, ſed etiam ad certos dies & certos jejunandi modos recte alligantur. *Bellarmin. eod. lib. cap.* 7.

ϖ. ψ. Quod Eccleſia Romana præcipit, hoc Deus præcipit.

Refell. 1. Quia quod Eccleſia præcipit extra Verbum Dei, hoc non eſt divinitus traditum. 2. Quod Eccleſia ſtatuit contra Verbum Dei, illud certe Deus non ſtatuit. Atqui hoc facit contra Verbum Dei, *Gal.* 4. 9, 10.

PONTIF. Jejunium Quadrageſimale ab ipſis Apoſtolis inſtitutum. *Bellarm. ibid. cap.* 14. §. *Vera igitur ſententia eſt.*

ϖ. ψ. Chriſtus jejunavit quadraginta dies ac noctes; Ergo nos imitari debemus.

Refell. 1. Ergo penitus à cibo nobis abſtinendum eſſet. 2. Chriſtus jejunavit non ante paſſionem ſuam, ſed antequam cœpiſſet munus ſuum docendi obire, *Matth.* 4. *v.* 1, 2, 3, 4, 5. 3. Quia Chriſtus proxime ante paſſionem ſuam comedit Agnum Paſchalem.

CAP. XXIII.

De Eleemoſyna.

PONTIF. Eleemoſynæ ſine caritate factæ, vere ſunt miſericordiæ opera. *Bellarmin. lib.* 3, *de bon. oper. in part. cap.* 1. *ſub ſin.*

ORTHOD. *Contra.*

ϖ. ψ. Eleemoſynas eſſe vere Eleemoſynas ex opere operato.

Refell. 1. Ex *Matth.* 6. 2, 3. 2. Quia hilarem datorem diligit Deus; is ergo qui invitus quaſi dat, non amatur à Deo.

PONTIF. Eleemoſynæ diſponunt nos ad juſtificationem. *Bellarmin. lib.* 4, *de pœnit. cap.* 8. §. *Locus*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

autem Danielis. Idem de bonis oper. in part. lib. 3. cap. 3.

π. ψ. *Verba Cornelii male intellecta*, Actor. 10. 4. *tum quod præſupponatur, Cornelium non fuiſſe juſtificatum.*

Refell. Ex eo, quod ex verſu quarto ejuſdem capitis apparet, nimirum, preces ipſius fuiſſe exauditas. Deus autem peccatores non audit, *Ioan.* 9. 2. Ex *v.* 22. ubi juſtus & timens Deum vocatur. 3. Ex axiomate Theologico veriſſimo: *Bona opera non præcedunt juſtificandum, ſed ſequuntur juſtificatum.*

Pontif. Eleemoſynæ, proprie ſic dictæ, diſtribuuntur in ſeptem corporales, & totidem ſpirituales. *Thomas ſecunda ſecundæ q.* 32. *art.* 2. *Bellarm. ibid. cap.* 2.

π. ψ. *Omne beneficium eſt Eleemoſyna.*

Refell. Ex definitione Eleemoſynæ, quæ eſt, largitio boni alicujus & communicatio homini egeno. 2. Vox Eleemoſynæ nulli harum, quas volunt, Eleemoſynarum, in Scriptura tribuitur.

Pontif. Eleemoſynæ ſunt meritoriæ vitæ æternæ. *Idem, ibidem. c.* 4.

π. ψ. *Bona opera mereri.* Quod refutatum.

Pontif. Eleemoſynæ ex rebus male partis legitime fieri poſſunt. *Bellarm. ibidem, cap.* 9.

π. ψ. *Eleemoſynis expiari peccatum.* Ad quod allegant, *Dan.* 4. 27.

Refell. 1. Quod male partum eſt, furtum eſt; ſi autem bonis operibus non poſſunt expiari peccata, multo minus furto. 2. Solus Sanguis Jeſu Chriſti purgat nos ab omni peccato. 3. Ex citato loco Danielis, ubi non habetur *expia*, ſed, *abrumpe*.

FINIS.

ΠΡΩ͂-

ΠΡΩ͂ΤΑ ΨΕΥ͂ΔΕΙ SOCINIANORVM,

SEV

Oſtenſio Primorum Falſorum, quibus nituntur Adverſarii Sociniani in adverſa ſententia.

CAPUT PRIMUM.

De Sacra Scriptura.

SOCINIANA SENTENTIA. Ratio adhiberi debet ad dignoſcendas controverſias Theologicas, & quod abſurdum eſt rationi, illud debet eſſe falſum. *Volkelius, de vera Religione, lib.* 5, *cap.* 18. *Socin. lib.* 2, *de Servatore. Oſtorod. cap.* 6. *inſtitut. p.* 42.

π.ψ. 1. *Peccatum originale nullum eſſe, atque adeo rationem humanam aptam eſſe ad capiendam Scripturam.*

π.ψ. 2. *Non excedunt captum, qua in Scriptura proponuntur, ac proinde, ne Deus quidem, qui eſt infinitus.*

Refell. 1. *π.ψ.* 1. Ex 1 *Cor.*2. 14. *Animalis homo non percipit* &c. 2. Quia obtenebrata cogitatio hominis irregeniti, *Eph.*4. 17,18. 3. Quia lucem in tenebris lucentem non agnoverunt, *Ioan.* 1. 10.

Refell. 2. *π.ψ.* 1. Quia non niſi fidelibus perſpicua myſteria Dei, idque ex parte, 1 *Cor.*13. 2. Quia hoc tantum fidelibus eſt datum: Matth. 13, *Vobis datum eſt* &c. 3. Quia ſancti petunt illuminationem, *Pſal.* 119. Quod autem dicunt, Deum capi poſſe, de eo infra acturi ſumus.

SOCIN. Sacra Scriptura perſpicua eſt, ita ut ſolius intellectus auxilio intelligi queat, nec ſpeciali & interna Spiritus Sancti illuminatione opus habeat. *Volkelius, de vera Relig. lib.* 5. *c.* 6. *Oſtor. inſtit. c.* 1.

π.ψ. Scripturam proponi eo fine omnibus hominibus, ut intelligant; ac proinde à quovis poſſe intelligi.

Refell. 1. Quia ſic Iſraëlitæ poterant credere Verbo Dei abſque illuminatione Spiritus Sancti; quod negatur, *Deut.*29. 4. 2. Quia ſi Apoſtoli ſine ſpeciali auxilio non poterant intelligere, multo minus quiſpiam alius: At verum prius, *Luc.*24.25. 3. Quia hunc ordinem ponit Spiritus Sanctus in intelligendo Verbo Dei, 1. Ut mentem aperiat Deus. 2. Ut ſalutariter audiatur Verbum Dei: ſic, *Act.*16, aperuit cor Lydiæ. Quomodo ergo non opus erit ſpeciali auxilio Dei ad intelligendum Verbum ejus?

SOCIN. Vetus Teſtamentum utile quidem eſt propter hiſtorias, ſed neutiquam neceſſarium, ad probandum ex eo dogmata fidei. *Smalcius in præfat. refut. Francii.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ϖ.ψ. *Quia in Veteri Teſtamento nihil de vita æterna agitur; nihil de mediis ad eam ducentibus.*

Primum membrum ϖ.ψ. *refell.* Quia in lege expreſſe de vita æterna agitur, *Marc.*10.17. *Dan.*12.2, 3. *Heb.*11.10, 11.

Excip. Expectarunt quidem, ſed non fuit ipſis promiſſa.

Refell. 1. Expectarunt per fidem. Ergo fuit promiſſa; quia *fides eſt ex auditu.* 2. Quia expreſſe dicitur fuiſſe promiſſa, *v.* 13.

Secundum membrum ϖ.ψ. *refell.* 1. Quia media ad ſalutem ſunt, Chriſtus & bona per ipſum parta. At dicitur, Act. 10. 43, *Huic omnes Prophetæ teſtimonium dant.* 2. Quia non eſt in alio quoquam ſalus, *Act.* 4. Ergo aut oportet non eſſe ſalvatos, aut ſi ſalvati, per ipſum ſalvatos. 3. Ex *Act.*15.11. 4. Quia fuit juſtificatio ex fide, *Eſaï.*53.11. *Hab.*11. *Rom.* 4. & 10. Fuit & regeneratio, Deut.30, *Circumcidet Deus cor tuum.* & Ezech.36, *Eximam cor lapideum*, &c. Et certe, ſi fides ſalvifica fuit, fuit & regeneratio; quia fides ſalvifica eſt effectum regenerationis.

SOCIN. Etiamſi Scriptura aliquid dicat, quod cum ratione pugnet; tamen hoc credendum non eſt, quod hoc ita velit Scriptura, ut præ ſe fert, ſed oportet ipſi ſenſum aliquem ineſſe occultum.

Propoſuimus molliſſime, quæ Socinus dicit aperte *lib.*2. *de Servatore.* Quod, etiamſi Scriptura dicat, tamen non eſſe credendum, ſi quid cum ratione pugnet. Et *de Auctorit. Scripturæ*, *cap.* 2, *pag.*2. Nullo modo verum eſſe poteſt, cui ratio prorſus communiſque ſenſus repugnat.

ϖ.ψ. *Rationem ponunt ſupra Scripturam.*

Refell. 1. Quia ſi hoc ita habet; Ergo & Chriſtus non eſt admittendus; quia rationi irregenitæ eſt ſcandalum & ſtultitia, 1 *Cor.* 1. *v.*23. 2. Quia hoc modo ſapientiſſimi eſſent aptiſſimi ad cognoſcenda myſteria Verbi Dei. At hoc negat Spiritus Sanctus, 1 *Cor.* 1. *v.*26. 3. Quia Scriptura à tali vult intelligi, à quali docetur. At docetur non ab homine, ſed à Spiritu Sancto, 1 *Cor.* 2. 13. 4. Quia omnes noſtræ cogitationes in captivitatem ſunt redigendæ, 2 *Cor.*13.5.

SOCIN. Lex Moſis correcta eſt per Chriſtum. *Volk. lib.* 4, *cap.*5. *ibid. cap.* 10. *& ſeqq.*

ϖ.ψ. *Quia ipſa Moſis verba refelluntur.*

Refell. Ita quidem; ſed non ſenſu Moſis prolata. Ergo non Moſis legem, ſed corruptelas Phariſæorum corrigit Chriſtus. 2. Quia referuntur verba, ſed non ſolum, verum cum applicationibus, *Matth.*5.45. Neque enim iſta verba uſpiam occurrunt [*odio habebis inimicum tuum*] in Sacris Literis. Ergo ſunt ex additamentis Phariſæorum.

SOCIN. Lex non ineſt naturâ homini. *Socin. prælect. cap.* 2. *&* 3.

ϖ.ψ. 1. *Quia, ſi ineſſet, oſtenderet hominem ſanctum eſſe factum à Deo; quod tamen non eſt.*

ϖ.ψ. 2. *Sequeretur, poſſe hominem, Deum ex creatione cognoſcere.*

π.ψ. 3. *Depravatum hominem eſſe, cum perfecte lex non inſit natura.* Omnia iſta ſunt quæ iſtos movent.

Refell. 1. ϖ.ψ. 1. Quia Deus fecit omnia valde bona, conveniente ſcilicet bonitate cuivis naturæ. Ergo & hominem. 2. Ex *Eph.* 4. *v.* 24. Qui locus docet, hominem factum eſſe ſanctum & juſtum.

Refell. 2. π.ψ. 1. Quia homines dicuntur naſci tenebræ, id eſt, cæci ſpiritualiter, *Ioan.* 1. *v.* 5. Tales autem non fuerunt facti. 2. Quia oculos ad videndum, mentem ad intelligendum, homines habent divinitus; ergo natura naſcimur abſque oculis, abſque mente, cæci & ſtulti. At nos Deus tales non condidit, Ergo, &c.

Refell. 3. ϖ.ψ. 1. *Rom.* 1. 23. Quæ corrumpere vult Socinus; ſed fruſtra, nam luce ſua lucent. 2. *Rom.*2. 14.

SOCIN. Doctrinam Evangelii primo Chriſtus in carne exhibitus promulgavit, quæ antea per Patriarchas & Prophetas promulgata non fuit. *Volkel. ibid. lib.* 3, *cap.* 3.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

π. ψ. 1. *Chriſtus non eſt Servator, niſi qua ſalutem annuntiavit.*

π. ψ. 2. 2 *Tim.* 1. 9, 10.

Refell. 1. π. ψ. 1. Ex 1 *Petr.* 1. 10. 2. Quia omnia quæ Chriſtus docuit, docuit ex Moſe & Prophetis, *Luc.* 24. Sic Paulus, *Actor.* 20.

Refell. 2. π. ψ. Quia locus citatus, 2 *Tim.* 1. *v.* 9, 10, non ſic eſt intelligendus, ac ſi gratia Evangelii antea non fuiſſet nota; ſed quod nunc clarius ſit manifeſta. Quod prob. *Luc.* 16. ubi Abraham remittit divitem ad Moſen & Prophetas, ſi velit vitam æternam habere.

Socin. Chriſtus nihil docuit in Veteri Teſtamento. *Idem, ibidem.*

π. ψ. 1. *Quia nondum fuit.*

π. ψ. 2. *Verba illa male intellecta*, Heb. 2. 1.

Refell. 1. π. ψ. 1. Fuit ante Abrahamum, *Ioan.* 8. 2. Quia fuit, antequam quicquam eſſet, & per ipſum omnia facta ſunt; *Ioan.* 1. *Col.* 1. Quod autem locum citatum attinet, ultimo quidem locutus eſt in Filio in carne exhibito, ſed locutus eſt etiam antehac, priuſquam in carne exhiberetur. Quod probatur, *Ioan.* 12. 38. Ubi illa, quæ, *Eſai.* 6 *cap.* de Deo dicuntur, Chriſto attribuuntur.

Refell. 2. π. ψ. Ex 1 *Petr.* 1. 10. & 1 *Petr.* 3. *v.* 18, 19.

Socin. Nihil inconveniens rationi debet acceptari in Scripturis. *Socin. de auctorit. Script. cap.* 2, *pag.* 2.

π. ψ. *Quia cultus noſter vocatur in Scripturis* λογικὸς, Rom. 12. 1.

Refell. Debet eſſe λογικὸς non *logice*, ſed *phyſice*, id eſt, debet eſſe ſincerus & non corruptus, obedientia per inhabitantem ſpiritum excitatus.

Socin. Omnes articuli fidei literaliter extant in Scriptura. *Smalcius in refutat. diſp. Graveri.*

π. ψ. *Quia illud quod ſcitu neceſſarium eſt ad ſalutem, debent ſcire & idiotæ & ſapientes, imo maxime idiotæ, cum maximus numerus ſuperſit idiotarum in Eccleſia*; 1 Cor. 8. *Ea autem quæ per conſequentias deducuntur, non intelliguntur ab idiotis.*

Refell. Quia idiotæ intelliguntur hic à Spiritu Sancto illuminati. At illi intelligunt. 2. Quia Petrus etiam per conſequentiam deducit reſurrectionem, *Actor.* 2. Et tamen turba illa intellexit, ut apparet; quia multi converſi ſunt.

Socin. In illis, quæ non ſunt ſcitu neceſſaria ad ſalutem, opinionibus variare eſt libertatis Chriſtianæ. *Smalcius contra Francium, diſp.* 4.

π. ψ. Phil. 3. 16, *Si vos aliter ſentitis*, &c.

Refell. 1. Quia quæ videntur non neceſſaria, tamen ad neceſſaria tandem reducuntur. 2. In omnibus, vel minimis, veritatis ratio eſt habenda; quia Deus ut veritatem amat, ita odit falſitatem & mendacium. 3. Quia Deus talia themata in Verbo ſuo determinavit, ita ut libertatem hanc omnino opinionibus ſuſtulerit.

Socin. Dogmata fidei ex ſolo ſenſu Scripturæ literali, non autem myſtico, figurato, aut parabolico, ſunt ſtabilienda. *Enjedin. ad Matt.* 22. 41. *Smalcius contra Francium, diſp.* 2, *p.* 47. *diſp.* 3, *p.* 75.

π. ψ. *Putant, verba improprie dicta poſſe retorqueri in varios ſenſus.*

Refell. 1. Quia ſubjecta materia determinat rem. 2. In talibus antecedentia & conſequentia ſpectanda; & ſic de illis judicium faciendum. 3. Quia omne improprium revocatur ad ſuum proprium; & ita vim obtinet.

Cap. II.

De Deo.

Socin. *Dei* vox ratione Dei eſt communis, non vero propria. *Volkelius, lib.* 1, *de vera Religion. cap.* 3. *pag.* 108.

π. ψ. *Ne cogantur confiteri, Chriſtum eſſe Deum, qui abſolute in Scriptura vocatur Deus.*

Refell.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Refell. 1. Quia Chriſtus non tantum dicitur Deus, ſed etiam verus Deus. 2. Quia non tantum dicitur Deus, ſed etiam ille Deus, de quo oracula Veteris Teſtamenti teſtantur, *Ioan.* 12. Confer (ut alia infinita omittamus) cum *Eſaï.* 6.

SOCIN. JEHOVAH non eſt nomen Dei proprium. *Idem, ibidem, cap.* 11, *pag.* 73.

π. ψ. Ne cogantur concedere, Angelum iſtum, qui vocatur in Veteri Teſtamento Iehovah, eſſe verum & æternum Deum.

Refell. 1. Quia ſi tribuendum hoc nomen alicui, præterquam Deo, ſequeretur, poſſe de aliquo dici, quod ſit à ſe ipſo. At hoc eſt falſum. Ergo &c. 2. Quia, ſi vox *Creatoris* nulli poteſt tribui, præterquam ſoli æterno Deo, tum multo minus vox *Iehovah* poteſt cuiquam tribui, quia plus eſt dicere Jehovam, quam Creatorem.

SOCIN. Deus naturâ non cognoſcitur. *Socinus prælect. Theolog. cap.* 2. *& Chriſtoph. Oſtorod. inſtitut. cap.* 1.

π. ψ. Quia ſi hoc concedant, neceſſe eſt, admittant, reliquias quoque aliquas ſupereſſe in natura imaginis divinæ, id eſt, juſtitiæ & ſanctitatis: quod negant.

Refell. iſtis omnibus, quæ aſſerunt, hominem creatum ad imaginem Dei.

SOCIN. Attributa Dei realiter differunt à Deo. *Goſlavius contra Keckerm. paſſim hoc inculcat. Volkel. lib.* 5, *c.* 14, *pag.* 493.

π. ψ. 1. *Spiritum Sanctum eſſe attributum Dei.*

π. ψ. 2. *Deum non eſſe infinitum.*

Refell. 1. *π. ψ.* 1. Quia Spiritui Sancto omnia quæ perſonæ tribui poſſunt, attribuuntur in Sacris Literis. 2. Quia in nomine ipſius dicitur fieri; in nullius autem nomine dicitur aliquid fieri, qui non ſit Deus, vel perſona.

Refell. 2. *π. ψ.* 1. Quia ſi Deus non eſt infinitus, tum non poteſt ex nihilo aliquid facere. At hoc falſum. Ergo & illud. 2. Quia ſi Deus non eſt infinitus, nulla ratio dari poteſt, cur homines in æternum puniendi; debito enim finito, non debetur pœna infinita; finito, inquam, & ratione actus, & ratione objecti.

SOCIN. Verus Deus non eſt unus. *Volk. lib.* 1, *de vera relig. cap.* 13, *p.* 91. 92. *& ſeqq.*

π. ψ. Hos omnes, quos Spiritus Sanctus in Scriptura vocat Deos, eſſe veros Deos.

Refell. 1. Quia ſic male diceretur, ſolum unum eſſe verum Deum, *Ioan.* 17. 2. Quia verus Deus dicitur, non ab *officio*, ſed à *natura*; ſic quæque res dicitur eſſe vera, quæ veram rei naturam habet.

SOCIN. Solus Deus dicitur verus, non propterea quod alii veri non ſint, ſed quod ille excellentiſſime verus; ut ſolus Deus dicitur verus, ſolus ſapiens, bonus, &c. *Volkel. ibidem.*

π. ψ. Deum comparative tantum dici verum Deum, non autem abſolute.

Refell. 1. Quia Spiritus Sanctus abſolute vocat ipſum verum Deum extra omnem comparationem, *Ioan.* 17. 2. Quia eodem modo vocatur verus Deus, quo vita æterna, 1 *Ioan.* 5.20. At vita æterna non dicitur comparate; nec enim hoc ulli competit, ut vita æterna vocetur. 3. Quia idolis opponitur, dum verus Deus dicitur; quæ idola ſunt falſi Dii. Igitur verus Deus opponitur falſis, & ita abſolute accipitur vox *veri*.

SOCIN. Auguſtiſſimum eſt Chriſtianorum myſterium (duos Deos colere) unum ſuperiorem, alterum inferiorem (*ſunt ipſorum verba*): ſed Diabolicum hoc myſterium eſt. *Servetus Valentinus, gentilis*, qui Trinitatem novum idolum, turrim Babel, Deum fictitium & ſophiſticum appellare non dubitavit.

π. ψ. Deus ſibi ſoli honorem haberi & cultum religioſum exhiberi voluit in Veteri Teſtamento: in Novo vero ſecus rem inſtituit.

Refell.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Refell. 1. Quia Chriſtus in Novo Teſtamento diſputat cum Diabolo, & nititur hoc argumento, quod fuerit in Veteri Teſtamento, de non colendo alio præter Deum, *Matt.* 4. 2. Quia Apoſtolus inter Galatarum abominanda hoc unum etiam refert, quod ſervierant quondam iis qui non erant natura Dii. 3. Quia ſoli Deo, qui fecit cælum & terram, eſt danda gloria, *Apoc.* 14. 6, 7.

SOCIN. Chriſtus ob poteſtatem mediatoriam cultu religioſo adoratur. *Volkel. lib.* 4, *de ver. rel. cap.* 8, *pag.* 206. *& lib.* 9. *cap.* 11. *&* 12.

(Hæc eſt noſtra ſententia, quod officium mediatorium ſit cauſa impulſiva, non vero formale ipſius adorationis, ut illi putant).

π. ψ. *Cultum iſtum non eſſe ſummum, ſed ſubordinatum Deo, ſecundum illud,* Joan. 12. 44, *Qui credit in me, non credit in me, ſed credit in eum, qui miſit me.*

Refell. 1. Quia una eſt fides, *Eph.* 4. Si una fides, Ergo & eadem fide creditur in Chriſtum, qua Patrem. 2. Iſte cultus qui exhibetur Chriſto, dicitur fuiſſe in Veteri Teſtamento. Confer *Rom.* 14, cum *Eſaï.* 45. Item *Hebr.* 1, *Adorent eum omnes Angeli*, cum *Pſal.* 97. 3. Quia male intelligunt verba, quæ nihil agunt de ſubordinatione, ſed continent modum loquendi uſitatum, hunc nempe per ellipſin, *Qui credit in me, non credit in me tantum.*

SOCIN. Deus non ſolus eſt æternus. *Volkel. lib.* 2, *de vera Relig. cap.* 4. *Ubi materiam primam informem; & l.* 1, *cap.* 4, *pag.* 46; *ubi tempus ante mundum conditum, aſſerit.*

π. ψ. 1. *Deum non ex nihilo omnia feciſſe.*

π. ψ. 2. *Deum non eſſe infinitum.*

Refell. 1. π. ψ. 1. Quia Spiritus Sanctus dicit, omnia tum in cælo, tum in terra, eſſe facta incluſive ad cælum & ad terram, *Exod.* 2. Nihil eſt ergo, quod factum non ſit. 2. Quia, ſi non omnia facta per Deum, Ergo iſta diviſio falſa erit, qua ens dividitur, in creatorem, & creaturam. At hoc eſt abſurdum; quia inter hæc nullum medium datur.

Refell. 2. π. ψ. 1. Quia ſi Deus non eſt infinitus, oportet eſſe certo loco: at certo loco non poteſt eſſe; quia dicitur, quod cælum & terram impleat, *Ier.* 23. 2. Quia eſt extra omnem locum, 1 *Reg.* 8. 27. Quemadmodum enim hoc, quod eſt extra omne tempus, eſt æternum; ita & hoc, quod eſt extra omnem locum, eſt infinitum.

SOCIN. Deus non eſt infinitus eſſentia. *Volkel. lib.* 1, *de vera Relig. cap.* 27, *pag.* 277. 278.

π. ψ. *Quia eſt in cælis.*

Refell. Quia ita eſt in cælis, ut ſimul ſit in terris, *Ier.* 23.

SOCIN. Deus neſcit contingentia futura. *Socinus, prælect. cap.* 8.

π. ψ. *Quia ſic, contingens non eſſet contingens, ſed neceſſarium; neceſſitas tollit contingentiam, & contingentia neceſſitatem.*

Refell. Quia neceſſitas poteſt ſtare cum contingentia. Verbi gratia, contingenter factum, quod Achab interfectus in prælio: dicitur enim, emiſit aliquis incertam ſagittam; & tamen hoc erat neceſſarium, quia hoc fore Deus prædixerat. Contingens erat, quod gallus caneret ſtatim poſt Petri negationem: & tamen hoc neceſſarium erat; Chriſtus enim hoc prædixerat.

SOCIN. Deus ſcit res, quia ſunt; non autem ſunt, quia ſcit, & decrevit.

π. ψ. *Quia alioqui nihil eveniret contra aut præter voluntatem Dei.*

Refell. 1. Quia ſi aliquid contra voluntatem Dei fieret, poſſet voluntati ejus reſiſti. At non poteſt, *Rom.* 9. Ergo. 2. Quia nihil evenit, quod Deus non præcepit, *Thren.* 3. 37.

SOCIN. Deus unico actu intelligendi non intelligit omnia.

π. ψ. *Quia indies aliquid cognoſcit, quod antea non noverat; qualia ſunt contingentia.*

Refell. 1. Quia ſi ita res habet, tum ex non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ſciente fit ſciens, & ſic mutatur; At ne umbra quidem mutationis in Deo, *Iac.*1.17. 2. Quia ſic non ſemper Deus eſſet omniſcius; quod abſurdum.

SOCIN. Deus vult res, quia bonæ; non ſunt bonæ, quia vult.

ϖ.ψ. Quia Deus dependet ab externis objectis.

Refell. 1. Quia ſic Deus non eſſet ens independens, ſed dependens. 2. Quia perficeretur ab aliquo extra ſe. 3. Quia daretur antecedenter bonum ad voluntatem Dei.

SOCIN. Voluntas Dei mutabilis eſt.

ϖ.ψ. Quia minæ & promiſſiones complementum & eventum ſuum non ſemper habent.

Refell. 1. Quia voluntas Dei non ſunt minæ & promiſſiones. Nam minæ ſunt temporaneæ, ut & promiſſiones; voluntas autem Dei æterna eſt. 2. Quia minæ & promiſſiones Dei ſunt conditionatæ; voluntas autem Dei non eſt conditionata.

SOCIN. Deus non una volitione vult omnia.

ϖ.ψ. Quia jam hoc vult, jam non vult.

Refell. 1. Quia ſic voluntas Dei non eſſet immutabilis. At dicitur, Eſaï. 46, *Conſilium meum ſtabit.* 2. Quia ſic voluntas Dei poſſet fruſtrari ſuo fine. At hoc falſum eſt; eſſet enim hoc pacto infelix, aut ſaltem minus beatus, quam tum, cum finem ſuum aſſequitur.

SOCIN. Immenſitas non cadit in Deum. *Supra vide de infinitate Dei.*

ϖ.ψ. 1. *Quia ſordidaretur à rebus ſordidis.*

π.ψ. 2. *Quia indignum Majeſtate divina, ut ſit in cloacis.*

Refell. 1. *ϖ.ψ.* 1. Quia Deus non eſt corpus, non ergo poteſt coinquinari. Nam corpus à corpore coinquinatur. 2. Quia non eſt contactus inter Deum & res; inter quæ autem contactus non eſt, illorum unum ab altero non inficitur: quod autem contactus non ſit, patet, quia inter corpora tantum contactus. 3. Quia radii ſolares non conſpurcantur, quia ſunt accidentia corporea, quanto minus ergo Deus? 4. Quia ſpiritus creati Angeli non contaminantur à locis talibus, ut apud Danielem legimus, Angelus fuit in fovea leonis, in quam conjectus fuerat Daniel.

Refell. 2. *ϖ.ψ.* 1. Quia ſi indignum, Majeſtatem Divinam eſſe in talibus locis, tum certe Chriſtus, qua Deus, humanam naturam non aſſumpſit, nec in ea habitabat. Nam Chriſtus verus homo fuit, &, ut alius, edebat, bibebat, excernebat &c. (NB. Hoc Vorſtium movit, cur negaret, Chriſtum hominem in ὑποςάσει τȣ̃ λόγȣ ſubſiſtere.) 2. Quia ſi non indignum, Majeſtatem Divinam habitare & eſſe in homine peccatore fideli, multo minus dicendum eſt, Deo indignum eſſe in locis immundis manere; nam nihil odit præter peccatum, & hoc in ipſius oculis turpius ac fœdius, quam quicquam aliud.

SOCIN. Deus poteſt condonare peccata, nulla ſatisfactione acceptâ; & ratione decreti ſui, quia nullum tale ſtatuit, ut non condonaret; & ratione naturæ ſuæ. *Socinus prælection. cap.* 16. 17.

(NB. Noſtri Theologi hic non conveniunt. Aliqui dicunt, poteſt per naturam, ſed ratione decreti non poteſt; quia nullo pacto abſolvit ſontem, inquit Scriptura. Alii vero ſtatuunt, non tantum ratione decreti, ſed & ratione naturæ, non poteſt non odiſſe peccatum.).

π.ψ. Quilibet poteſt condonare proximo ſuo nulla ſatisfactione accepta, & ſi hoc hominibus licet, multo magis Deo.

Refell. 1. Hominem homini condonare peccata falſo præſupponitur; quia hoc eſt ſolius Dei; *Eſaï.*42. & *Matth.*9, agnoverunt hoc vel ipſi Phariſæi. *Object.* At jubemur remittere. *Reſp.* In peccato duo ſunt; *Peccatum*, & *injuria*. Injuriam poſſumus quidem condonare, ſed non peccatum; quia in ſolum Deum peccatur, *Pſal.* 51. 2. Quia homo poteſt manumittere ſervum, ita ut curam ipſius amplius nullam habeat; at Deus non poteſt creaturam ita omittere; ut nullam curam ejus habeat; alioquin iret in nihilum.

SOCIN.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Socin. Deus in quocunque eſt, totus non eſt; alioquin, ſi in re una totus eſſet, in altera non eſſet. *Volk. lib.* 1, *de vera Relig. cap.* 27. *p.* 276.

π. ψ. Deum eſſe corpus.

Vorſtius iſta myſteria Adverſariorum prodidit, quæ illi hactenus occultabant adhuc.

Refell. 1. Quia ipſi Gentiles natura inſculptum habebant, Deum eſſe Spiritum. Hinc illud Catonis: *Si Deus eſt animus* &c. Ergo pudorem debebant incutere Gentiles iſtis hominibus, qui Chriſtiani haberi volunt, in eo, quod melius ſentiant de Deo. 2. Quia Deus eſt Spiritus, *Ioan.* 4. 3. Quia ſi eſſet corpus, eſſet compoſitum, & eſſet finitum, non eſſet independens, quia haberet principia naturæ ſuæ.

Socin. Miſericordia Deo non eſt eſſentialis. *Socinus prælection. cap.* 17. *pag.* 88.

π. ψ. Quia alioquin & juſtitia eſſet eſſentialis. Atqui ita duo oppoſita contraria caderent in Deum: quod videtur eſſe abſurdum.

Homines iſti pro libitu affirmant, ſtatuunt, negant; nam docent, in Deum proprie cadere gaudium, triſtitiam: hoc autem pro abſurdo ducunt.

Refell. 1. Quia non ſunt hæc oppoſita; unus enim idemque actus Dei, ob diverſa objecta & contrarios actus circa objectum, hoc ſortitur nomen, ut & juſtitia dicatur miſericordia; & certe hoc hinc liquere poteſt, quod juſtitia abſoluto nomine vocetur ſanctitas, miſericordia, bonitas. 2. Quia ſi ex eo oppoſitio eſſet ſtatuenda in Deo, & contrarietas ex eo etiam ſtatuenda eſſet, quod Deus dicatur quædam velle, quædam nolle: hæc autem nulla eſt; nam idem actus voluntatis divinæ, pro diverſo effectu & objectis jam dicitur voluntas, jam noluntas.

Cap. III.

De Sacro-Sancta Trinitate.

Socin. Trinitas non eſt credenda. *Socinus de officio hominis Chriſtiani, cap.* 4. *Volkel. de vera Relig. lib.* 5, *cap.* 9.

π. ψ. Quia de ea nihil expreſſe habetur in Scriptura; ea autem quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, debent expreſſe poni in Sacris Literis.

Refell. 1. Argumento ad hominem: Diſputant contra Arminianos, qui dicunt, Chriſtum non eſſe invocandum, eo quod præceptum nullum hac de re extet in Sacris Literis. Et quidem illi falluntur (ut poſt audiemus): Adverſarii tamen Sociniani admittunt hoc, & volunt oſtendere, quod præcipiatur per bonam conſequentiam; docent tamen hoc eſſe ſcitu neceſſarium ad ſalutem. Unde hic ſibi repugnant. 2. Quia Chriſtus illa, quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem, per conſequentiam deducit, ut reſurrectionem mortuorum, *Matth.* 22: duplicem naturam in Chriſto, *ibid.* 3. Apoſtoli idem faciunt, *Actor.* 2, in Concione de reſurrectione Chriſti; & *Rom.* 4, in doctrina de juſtificatione ex fide: *Rom.* 10.

Socin. In eſſentia divina non ſunt tres perſonæ. *Idem, ibidem.*

π. ψ. 1. *Quia ſic eſſent tres eſſentiæ, quælibet enim perſona haberet eſſentiam peculiarem.*

Refell. 1. Quia alia eſt ratio eſſentiæ finitæ, & infinitæ. Quælibet perſona finita habet ſuam eſſentiam peculiarem. At in eſſentia infinita, longe alia eſt ratio. 2. Quia Scriptura clare docet, unam eſſentiam tres perſonas; quod patet vel eo, quod ea quæ dicuntur de uno vero Deo in Veteri Teſtamento, accommodentur promiſcue in Novo Teſtamento Patri, Filio, & Spiritui Sancto. 3. Quia quæcunque argumenta in contrarium afferunt, ſunt tantum ab eſſentia finita, & perſona finita. At argumentum ab eſſentia finita ad infinitam eſt inconſequens. Quia infinita eſſentia cum finita nihil habet commune præter nomen.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

π.ψ. 2. Quia ita eſſet quaternitas in Deo, eſſentia ſcilicet, & tres perſonæ.

Refell. 1. Quia perſonæ non ſunt res, ſed modi ſubſiſtendi: modi autem ſubſiſtendi non ſunt entia, quia ſi entia eſſent, tum certe in Metaphyſica eſſent; at hoc abſurdum, quia Metaphyſici docent; modos non eſſe entia. Alias ſi entia eſſent, modorum darentur modi, & ſic proceſſus in infinitum. 2. Quia perſona abſtractive ſumpta, eſt relatio: at relatio non eſt ens, quia omne ens habet reſpectum ad cauſam efficientem & finem; Relationis ergo daretur relatio, & ſic proceſſus in infinitum. 3. Quia ſi relationes eſſent entia, tum falſum illud Philoſophico-Theologicum, *Relationes non componunt, ſed diſtinguunt.*

SOCIN. Eſſentia divina, quia eſt ſingularis & individua, eſt incommunicabilis. *Volkel. ibidem,*

π.ψ. Quia individuum incommunicabile eſt.

Refell. 1. Quia anima rationalis eſt talis creatura, quæ individua eſt, & tamen non ſubſiſtit incommunicabiliter; communicatur enim homini ad ſubſiſtendum. 2. Quia omnes partes cujuſque compoſiti ſunt naturæ individuæ, quæ tamen non ſunt incommunicabiliter ſubſiſtentes; cum toti, quod componunt, communicentur, & totius ſubſiſtentiam conſtituant.

SOCIN. Non quicquid eſt in Eſſentia divina, eſt etiam perſona. *Idem, ibidem.*

π.ψ. Eo pacto omnia attributa ſunt perſonæ.

Refell. Quia non dicimus hoc; Quicquid eſt in Deo, eſt perſona: ſed, Quicquid eſt in Deo, ut peculiarem originem habeat, eſt perſona. Ex origine enim cognoſcimus Divinas perſonas, & diſtinguimus hinc Patrem à Filio, Spiritum Sanctum à Patre & Filio. *Obj.* At Pater non habet originem. *Reſp.* Alia origo eſt *activa*; alia, *paſſiva*: Pater habet originem activam; Filius & Spiritus Sanctus, *paſſivam*; Eſt enim Filius à Patre, & Spiritus Sanctus ab utroque.

SOCIN. Chriſtus genitus non eſt à Patre ab æterno. *Volkel. de vera Relig. lib. 5. cap. 12. Socinus lib. de offic. hom. Chriſtiani, cap. 4.*

π.ψ. Quia Deus mutaretur; aut enim gigneret, & ſic non perveniret ad terminum generationis; aut deſiiſſet gignere, & ſic ex gignente factus eſſet non gignens: at in Deum mutatio non cadit.

Refell. 1. Scriptura teſtatur, actiones iſtas perſonales manere perpetuo & eſſe tamen perfectas; Hinc Spiritus Sanctus dicitur eſſe Spiritus Sanctus; & interim tamen dicitur procedere à Patre. 2. Quia in natura dantur actus tales, qui, ſimul ac oriuntur, perfecti ſunt; ut radii ſolares ratione ſolis.

SOCIN. Quod genitum eſt, cœpit. *Idem, ibidem.*

π.ψ. Exempla eorum quæ gignuntur ex creatura.

Refell. 1. Quia creator cum creatura nihil habet commune præter nomen. 2. Quia ita dicitur Filius Dei genitus, ut dicitur, antequam quicquam creatum eſſet, *Proverb.* 8. At in æternitate nullum eſt initium vel ſucceſſio.

SOCIN. Filius Dei dicitur eſſe proprius, non ut proprius opponitur adoptivo, ſed ut alieno. *Volkel. eod. c. pag.* 481.

π.ψ. Hoc pacto darentur duo Dii, ſi proprius opponeretur adoptivo.

Refell. 1. Quia non dicitur perſona Deus ex modo ſubſiſtendi, ſed ex eſſentia; Nam ex modo ſubſiſtendi vocatur Pater, Filius & Spiritus Sanctus. 2. Quia, quemadmodum Spiritus Sanctus perſona eſt divinitatis (quod illi fruſtra negant); & tamen non facit alterum Deum contradiſtinctum Patri: ita nec Filius.

SOCIN. Ex eo quod Filius dicatur unigenitus, non concluditur, eum ex eſſentia Patris genitum. *Idem, eod. lib. & cap. pag.* 476. *& ſeqq.*

π.ψ. Quia aliquando unigenitus pro dilectiſſimo capitur. vide Heb. 11. *Vbi Iſaac vocatur*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

catur unigenitus, cum tamen haberet alios liberos, ut Iſmaëlem, & quos procreavit ex Chetura.

Refell. Quia dicitur unigenitus, non propterea quia dilectus (quamvis & dilectus fuerit): ſed quod ex Sara unicus fuerit, *Gen.* 22. *verſ.* 2.

SOCIN. Filius Dei dicitur unigenitus, non quod ſit talis, ſed quod eo loco ſit apud Deum, quo ſolent filii unigeniti eſſe apud parentes, *Idem, ibidem.*

π. ψ. *Verba, Ioan.* 1. v. 14, Vidimus gloriam ejus quaſi unigeniti, *male intellecta. Inquiunt, ſi eſt* quaſi *unigenitus. Ergo non eſt unigenitus.*

Refell. 1. Vocatur *quaſi* unigenitus, ſed etiam unigenitus vocatur. *Ioan.* 1. 18. *Ioan.* 3. *v.* 16. 2. Particula iſta, *quaſi*, non ſemper eſt *aſſimilativa veri*, ſed ſæpe eſt *expreſſiva veri. Luc.* 22. 44. &c.

SOCIN. Chriſtus dum dicitur primogenitus omnis creaturæ, hoc ipſo oſtenditur, dici primogenitum ratione humanæ naturæ, non divinæ. *Socinus contra VViekum, cap.* 5. *claſ.* 3. *arg.* 14. *Smalcius cont. Smiglec. Nov. Monſt. cap.* 26. *Idem in Becman. exercit.* 8. *pag.* 419. 420.

π. ψ. *Nemo ponitur in ordine cum aliquo, niſi ſit ejuſdem ordinis cum eodem.*

Refell. 1. Hæc verba non capiuntur proprie, ſed improprie, & ſignificant nihil aliud quam heredem omnis creaturæ; Quia in Veteri Teſtamento primogeniti heredes erant; Hinc per metonymiam antecedentis, intelligitur conſequens; & propterea etiam Spiritus Sanctus, *Heb.* 1. 1, hoc proprie explicat. 2. Quia in Sacris Literis Chriſtus ita primogenitus dicitur, ut per ipſum dicantur omnia facta, in cælo & in terra: quod ipſum oſtendit, non eſſe ejuſdem ordinis cum creatura. Vide *Coloſſ.* 1.

SOCIN. Verba iſta *ſine Patre, ſine Matre*, quæ de Chriſto dicuntur, *Heb.* 7, non ſunt de natura Chriſti accipienda, ſed officio ejus Sacerdotali.

π. ψ. *Vident invictum argumentum contra ſe, ſi aliter ſtatuatur, Chriſtus ut ſine Patre fuit ratione humanæ naturæ, ita ſine Matre ratione divinæ naturæ.*

Refell. 1. Quia iſta vocabula, *Patris & Matris*, volunt naturam, non dignitatem aliquam aut officium. 2. Quia iſta verba, *neque initium dierum, neque finem habens*, etiam non poſſunt de officio accipi. Nam notant etiam naturam: At quoad officium, certe initium habuit Chriſtus; neque enim ab æterno fuit Sacerdos, ſed in tempore.

SOCIN. Filius Dei cum dicitur, non notat in Chriſto eſſentiam ſeu naturam, ſed officium: Alii ita; Non notat aliquid eſſe in Filio, ſed officium. *Volkel. lib.* 5, *de vera Relig. cap.* 11. *pag.* 468. 469.

π. ψ. *Quia dicit Petrus, Matth.* 16, Tu es Chriſtus Filius Dei vivi, *&c.*

Refell. 1. Quia duo erant in Petri confeſſione. 1. Chriſtum eſſe Meſſiam. 2. Filium Dei vivi. *Refell.* 2. Ex formula Baptiſmi, *Baptizo te in nomine Patris, Filii*, &c. Cum enim in ea appellatio Patris & Spiritus Sancti deſignet perſonam, non vero officium aliquod; æquum eſt, ut & nomen Filii deſignet perſonam, non vero officium aliquod iſtius perſonæ. huc refer ex Colleg. Maccovii, parte 1, *pag.* 335, *theſ.* 3, rationes adductas, quæ numero ſunt quinque.

SOCIN. Spiritus Sanctus non eſt Deus. *Socinus, cap.* 4. *lib. de offic. hom. Chriſtian. Idem, cap.* 10. *ad cap.* 15 *VViek. Smalcius de divinitate Chriſti, cap.* 8. *Oſtorod. part.* 2, *cap.* 12, *contra Tradelium. Catech. Racov. cap.* 6.

π. ψ. *Quia dicitur Spiritus Dei.*

Refell: 1. Quia hoc pacto nec Filius hominis eſſet homo, quia dicitur Filius hominis: quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

quod eſt abſurdum. 2. Quia expreſſe dicitur Deus, *Act.* 5. 4. 2 *Cor.* 6. 19.

SOCIN. Spiritus Sanctus non eſt perſona. *Socin. lib. de offic. hominis Chriſt. cap.* 4. *Volk. lib.* 5. *cap.* 14.

ϖ. ψ. 1. *Quia eſt in Deo.*

Refell. 1. Quia eſt quidem in Deo, ſed non ut pars (in Deo enim non ſunt ullæ partes): ſed ut totam eſſentiam Dei comprehendens. 2. Eſt quidem in Deo, ſed & originem habet peculiarem. vid. *Colleg. Maccovii, part.* 1, *pag.* 351. *Obj.* At ſic Pater non erit perſona, quia non habet originem. *Reſp.* Habet originem *activam*, non *paſſivam*; & hinc dicitur etiam principium originis. 3. Quia dicitur Pater eſſe in Filio, & Filius in Patre, & tamen & Pater & Filius eſt perſona.

SOCIN. Poteſt dici perſona, quod ineſt alteri, ſed ea conditione, ut illud cui inſit, debeat viciſſim ineſſe huic, quod ipſi ineſt; ubi autem hæc conditio deeſt, perſona non eſt.

Hoc volunt, dum urgentur à nobis hac enſtaſi. Inquiunt: Verum quidem eſt, quod Pater ſit perſona, & inſit Filio, ſed ſi debet eſſe perſona, debet ipſi viciſſim ineſſe Filius, & contra: quod de Spiritu Sancto non dicitur; nam utut dicatur ineſſe Patri, non tamen propterea dicitur Pater ineſſe ei. *Volkelius lib.* 5. *cap.* 14. *pag.* 493.

ϖ. ψ. *Quod per expreſſum non habetur, non poteſt ſtatui, etſi ſit certa conſequentia cur debeat ſtatui.*

Refell. Quia perſona SS. Trinitatis dicitur una eſſe in altera propter unitatem eſſentiæ. Ergo ſi eadem eſt eſſentia Patris, Filii & Spiritus Sancti, tum æque dici poteſt Patrem eſſe in Spiritu Sancto, & Spiritum Sanctum eſſe in Patre.

SOCIN. Quæ dicuntur de Spiritu Sancto, illa oſtendunt, non eſſe perſonam proprie dictam, ut quod dicitur interpellare pro nobis, contriſtari, & quæ talia. *Volkel. lib.* 5. *cap.* 14.

ϖ. ψ. *Quia ſunt impropria.*

Refell. 1. Quia multa de Deo Patre improprie dicuntur, nec tamen negatur eſſe perſona. 2. Dicuntur impropria, ſed dicuntur etiam ea quæ improprie capi non poſſunt, ut quod in nomine ipſius aliquid dicitur fieri; nam in nomine alicujus aliquid fieri, de nulla re dicitur, niſi de ſola perſona.

CAP. IV.

De actionibus Dei internis.

SOCIN. Actiones Dei internæ differunt ab ipſo Deo. *Volkel. ibid. ubi ſapientiam, juſtitiam & alia attributa, à Deo differre præſupponit, multo magis ergo actiones Dei.*

ϖ. ψ. *Quia hæc eſt notio inſita naturæ, ut non aliud cogitemus de re, quam quod actio ab eo, cujus eſt actio.*

Refell. 1. Stulta notio, ut quæ creaturam rationalem & ejus naturam ponit pro regula cognitionis divinæ; cum Deus & creatura in infinitum differant, nec quicquam commune habeant præter nomen. 2. In illis quidem differunt, in quibus actus diverſus à facultate, & facultas ab eſſentia; At in eo, qui eſt actus puriſſimus, ut locum hæc non habent, ita & actio non differt ab eo cujus eſt actio.

SOCIN. Intellectio & volitio divina differunt à ſe, ex parte ſui ipſius.

ϖ. ψ. *Quia definitionibus differunt.*

Refell. 1. Quia definitiones, quæ de Deo, & ejus attributis formantur, ex re ipſa, prout eſt, non formantur, ſed modo noſtro concipiendi, quo illas concipimus. 2. Conceptus iſti ſunt de re, prout ad hoc vel illud objectum refertur, ita ut hæc diverſitas promanet ex relato ad objecta: non vero ex re ipſa. Relatio autem hæc Dei ad creaturas, rationis eſt, non realis, ſive, unam eandemque rem ob relationem iſtam intellectus noſter concipit ut diverſam, & definit ut di-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ut diverſam ; cum tamen unica ſit, ſed nomenclaturas diverſas ob relationem habens, ut creator, redemptor, conſervator &c.

SOCIN. Decretum Dei non eſt Deus. *Volkel. lib.* 1. *cap.* 32. *pag.* 346. *& ſeqq.*

π. ψ. *Quia factum eſt.* Eph. 3.

Refell. 1. Quia illud verbum *facere*, conjunctum cum ſubſtantiva voce, vel eſt actio, qua ſubſtantivum illud producitur, vel eſt circumſcriptio tantum actionis: Prioris exemplum eſt; Facere ſcamnum, facere mundum: Poſterioris, facere ſermonem, facere decretum; & hoc loco ita accipiendum: hoc modo autem acceptum idem ſignificat quod decrevit. Jam autem actiones Dei immanentes ſunt. 2. Quia decreta Dei æterna, ergo Deus; nihil enim æternum, niſi Deus.

SOCIN. Deus certas definitas perſonas non elegit ad vitam æternam, neque reprobavit, ſed indefinite eos elegit, qui credituri; eos reprobavit, qui non credituri. *Socinus prælect. c.* 6.

π. ψ. 1. *Deus neſcit contingentia futura.*

π. ψ. 2. *Deus vult, omnes & ſingulos ſalvos fieri.*

π. ψ. 3. *In libero hominis arbitrio relictum, credere, vel non credere.*

Refell. 1. π. ψ. 1. Quia, ſi non novit contingentia futura; Ergo non eſt omniſcius. 2. Prophetiæ ſtare non poſſent, quæ ſunt potiſſimum de rebus contingentibus. 3. Deus ſciret res, quia ſunt; & non ideo eſſent, quia ſcit: quod abſurdum eſt.

Refell. 2. π. ψ. 1. Si Deus vult, omnes & ſingulos ſalvos fieri, tum omnes & ſinguli ſalvi fierent, ut *Pſal.* 115. 3. 2. Daretur aliquid antecedenter ad voluntatem Dei.

Refell. 3. π. ψ. 1. Quia ſi in poteſtate hominis ſitum eſt credere, tum falſus iſte locus, Joan. 14, *Nemo venit ad me* &c. 2. *Deus efficit & velle & perficere in nobis*, Phil. 2.

SOCIN. Nullus eſt definite electus. *Idem, ibidem.*

π. ψ. *Quia quilibet tenetur credere, ſe eſſe electum; oportet ergo ſit electus conditionaliter & indefinite. Nam quod quis tenetur credere, illud eſt verum.*

Refell. 1. Quia tenebatur credere Abraham, Deum voluiſſe ut filium immolaret: & tamen hoc falſum erat; nam Deus hoc non voluerat. 2. Quia Pharao tenebatur credere, Deum voluiſſe, ut populum Iſraëliticum dimitteret; cum tamen hoc falſum fuerit. 3. Quia quilibet tenetur credere, hunc ſenſum eſſe Scripturæ, quem putat eſſe verum; cum tamen ſæpe falſum ſit: quod deducitur inde, quia conſcientia erronea ligat.

SOCIN. Non eſt credendum, certas definitas perſonas quaſdam eſſe deſtinatas ad ſalutem, quaſdam ad condemnationem. *Idem, ibidem.*

π. ψ. *Quia nuſpiam hoc legitur in Sacris Literis.*

Refell. 1. *Rom.* 9. Ubi dicuntur Iſaac & Jacob electi: Iſmaël vero & Eſau reprobati. 2. Quia quorundam nomina ſcripta ſunt in libro vitæ: quorundam vero non, *Apoc.* 20. 16.

SOCIN. In poteſtate hominis eſt, ut eligatur, vel non eligatur. *Volkel. lib.* 5, *de vera Relig. cap.* 17.

π. ψ. *Decreta Dei eſſe quædam temporaria, eaque figi vel refigi divinitus.*

Refell. 1. *Act.* 15. *v.* 18. Omnia opera Dei nota ſunt ei ab æterno, hoc eſt, ab omni æternitate.

SOCIN. In homine quæ media eſſe dicimus ad electionem, qualia ſunt fides, ſtudium bonorum operum, &c. non ſunt divinitus deſtinata. *Volkel. Socin. locis demum citatis.*

π. ψ. *Quia amitti poſſunt omnia.*

Refell. 1. Quia hoc pacto non poſſemus dicere, *credo vitam æternam.* 2. Portæ Inferorum prævalerent membris Eccleſiæ. 3. Poſſent rapi oves de manu ſua [illegible]. At non poſſunt, *Joan.* 10. Ergo. [illegible] ipſo

SOCIN.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

SOCIN. Fidei media non oriuntur nec proficiſcuntur ex electione. *Idem, ibidem.*

π. ψ. *Quia ſi ita res haberet, fruſtranea eſſet cura reproborum in acquiſitione fidei.*

Refell. 1. Præſupponitur falſa hypotheſis, acſi reprobi eſſent ſoliciti de mediis fidei, cum omnes ſint animales, nec percipiant, neque etiam poſſint percipere quæ ſunt Spiritus, 1 *Cor.* 2. *verſ.* 24. 2. Quia ſunt caro & ſubjici neſcii, *Rom.* 8. 3. Quia ſunt ſervi peccati, *Ioan.* 8.

CAP. V.

De actionibus Dei ad extra.

SOCIN. Actionum Dei externarum datur cauſa impulſiva & meritoria.

π. ψ. *Quia ſalutis & damnationis cauſa dantur impulſivæ & meritoriæ.*

Refell. 1. Quia aliud eſt effectus actionis, aliud, ipſa actio: Effectus habet cauſam, ſed ipſa actio non. 2. Quia actus Dei externus, Deus eſt, cum denominatione certa, ut Deus ſervans, à ſervando; Deus damnans à damnando: atqui Dei nulla cauſa dari poteſt.

SOCIN. Deus tempus non creavit. *Volkel. lib.* 1. *cap.* 4. *ſub fin.*

π. ψ. *Quia ſi creavit, vel creavit in tempore, vel ab æterno: Si in tempore; Ergo temporis dabitur tempus, & ſic proceſſus in infinitum: Si ab æterno; Ergo tempus erit æternum.*

Refell. 1. Quia tempus factum eſt cum rebus, neque enim accidentia *creantur*, ſed *concreantur*. 2. Quia tempus eſt vel internum, vel externum; utrumque accidens. Nam *internum* eſt duratio uniuſcujuſque rei; *externum* vero eſt menſura motus cæleſtis, ſolis, lunæ. At accidentia poſteriora natura ſuis ſubjectis: Si ergo ſubjecta non ſ[illegible]; Ergo nec accidentia.

SOCIN. Deus non condidit locum, in quo eſt.

π. ψ. *Deus eſt in loco.*

Refell. 1. Quia infinitus eſt & extra omnia loca, 1 *Reg.* 8. 2. Quia ne quidem omnes creaturæ ſunt in loco; nam locus non eſt in loco.

SOCIN. Materiam primam non condidit Deus. *Idem, lib.* 2. *cap.* 4.

π. ψ. *Quia ex nihilo nihil fieri poteſt.*

Refell. 1. Valet hoc in cauſa ſecunda, non in prima. 2. Apud Deum nullum verbum impoſſibile eſt, *Luc.* 1. 37.

SOCIN. Deus ex nihilo nihil fecit. *Idem, ibidem.*

π. ψ. *Ex nihilo nihil fit.*

Refell. 1. Quia vocat ea quæ ſunt, tanquam ſint, *Rom.* 4. 2. Quia ex non apparentibus fecit omnia, *Heb.* 11. 3. Ubi non apparentia accipit Apoſtolus non *privative*, ſed *negative*. 4. Quia ſic non ſolus Deus eſſet ens independens: quod tamen abſurdum, *Matt.* 19.

CAP. VI.

De providentia Dei.

SOCIN. Deus Pater nihil curat hoc tempore, ſed Filius ſolus.

π. ψ. *Quia dedit omnem poteſtatem Filio.*

Refell. 1. Quia iſta poteſtas non eſt independens, ſed dependens. 2. Dedit, ſed minime ſe illa abdicavit, 1 *Cor.* 11. 13. Ubi Deus dicitur Chriſti caput, quatenus ſcilicet Chriſtus Mediator eſt.

SOCIN. Deus contingentia non gubernat, ſed permittit naturæ curſum proprium. *Socin. prælect. cap.* 7.

π. ψ. *Quia contingentia tollerentur in natura.*

Refell. 1. Quia præſcit, ergo & curat & gubernat. 2. Quia caſus capilli de capite noſtro, & paſſerculi de tecto, contingens eſt; & tamen curatur à Deo.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

SOCIN. Deus non curat liberos actus voluntatis. Nec voluntas hominis ſub providentiam ejus cadit. *Idem, ibidem.*

ϖ. ψ. *Tolleretur per hoc libertas voluntatis.* Hoc jam ſupra refutatum eſt ſæpiſſime.

SOCIN. Deus multarum rerum eſt cauſa per accidens. *Socin. cont. Franc. & Puccium, p.* 127, *implicite.*

ϖ. ψ. *Quia Deo hoc volente & intendente, aliud evenit.*

Refell. 1. Quia quæcunque voluit, facit & faciet, *Pſal.* 115. 2. Nihil fit Deo nolente, *Thren.* 3. 37. 3. Hoc pacto fieret aliquid antecedenter ad voluntatem ejus. 4. Pugnat hoc cum omniſcientia Dei, aliquid fieri, & hoc ignorari à Deo.

SOCIN. Nihil determinatum eſt à Deo de vita hominis; itemque de morte ipſius. *Socin. contr. Puccium, paſſim.*

ϖ. ψ. *In poteſtate hominis eſt mandata Dei implere, vel non; & vere inde pendet vitæ prolongatio: &, ut Deus de priori nihil determinavit, ita etiam de poſteriori quoque nihil determinat.*

Refell. 1. *Ioan.* 14. *v.* 6. 1 *Samuel.* 26. 10. *Pſal.* 39. 6. 2. Chriſtus non ſemel ſe ſubduxit, quia ejus hora nondum venerat, *Ioan.* 7. 30. *Ioan.* 8. 20. 3. Quia cum maxima pars eventuum vitæ humanæ ex morte hominum pendeat, nihil eſſet certi in rebus humanis, ſed omnia fortuita, niſi mortis dies Dei conſilio eſſet præfinitus. 4. Quia decretum electionis hoc pacto poſſet eludi, ſi is qui ad fidem converti debebat in ſenectute, potuiſſet mori in juventute.

SOCIN. Peccatum Adæ non imputatur poſteris. *Volkel. lib.* 5. *cap.* 18. *pag.* 548.

ϖ. ψ. *Quia injuſtum eſt, alterum puniri pro altero.*

Refell. 1. Deus ſæpe punit unum propter alterum; ita totum Orbem punivit diluvio, ubi multi infantes fuerunt. Ita multos infantes punivit Sodomæ & Gomorrhæ, in aliiſque vicinis regnis, quæ everſa ſunt. *Reger.* Poteſt hoc fieri in morte temporaria, ſed non in æterna. *Refell.* Ergo diſcedi poteſt à litera Ezechielis, & in certo caſu puniri poteſt alter propter alterum. 2. Quia Deus Judæos & Ipſorum poſteros propter parentum peccata, & eorum qui Chriſtum crucifixerunt, rejecit à fœdere: qui autem à fœdere rejecti ſunt, illi ſunt ſine ſpe, ſine promiſſione vitæ æternæ.

SOCIN. Nemo imputato peccato alterius injuſtus eſt. *Volk. lib.* 5. *c.* 21. *pag.* 566.

ϖ. ψ. *Quia injuſtitia nulla datur niſi inhærens.*

Refell. 1. Quia unius inobedientia multi conſtituti ſunt injuſti, *Rom.* 5. *Phil.* 2. 2. Quia datur juſtitia imputata, Ergo & injuſtitia.

SOCIN. Imputatum peccatum non eſt cauſa ullius peccati in homine. *Oſtorod. Inſtitut. Germ. Racov. pag.* 271. 280. *Ioan. Sommerus, de Iuſtif. fol.* 40. & 43.

ϖ. ψ. *Originis peccatum nullum datur inhærens.*

Refell. 1. Quod ex carne naſcitur, caro, *Ioan.* 3. Item, *quis dabit mundum ex immundo?* Joan. 14. 5. 2. Infantes naſcuntur animales homines. Ergo. *Obj.* Naſcuntur ſpirituales. *Reſp.* Spiritualem eſſe non eſt *natura*, ſed *gratia* per regenerationem. *Naſcimur filii iræ*, Eph. 2. 3.

SOCIN. In Sanctis non manet peccatum proprie dictum; quod vulgo dicitur concupiſcentia. *Smalcius, Diſp.* 9, *contra Franc. de Hypocritis. & Diſp. de cauſis peccati. Socin. de offic. hom. Chriſt. cap.* 5.

ϖ. ψ. *Quia opera carnis excludunt à regno cælorum.* Gal. 5. 19. 1 Cor. 6. 9, 10.

Refell. 1. Quia aliud eſt, *natura* ſua excludere; aliud, *eventu* ipſo: unde etiam diſtin-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

guitur peccatum in illud, quod dicitur *mortale natura*, & *veniale eventu*. 2. Nullus homo poſſet ſalvari: Non eſt enim homo, qui non peccet, 1 *Reg*. 8. Item, *in multis labimur omnes*. Jac. 3.

SOCIN. Paulus in *cap*. 7, *ad Rom*. in quo deſcribitur concupiſcentia, non loquitur de ſe renato. *Volkel. de vera Relig. lib*. 5. *cap*. 16. *pag*. 560. *Socin. de offic. Chriſt. c*. 2.

π. ψ. *Verba ejuſdem capitis male intellecta*, verſ. 24, *Infelix ego* &c.

Quæ verba ita explicat Socinus; *Hic liberatorem quærit, & dubitat de liberatore; quod in renatum hominem non cadit. Nam renatus ſcit ſe liberatum iri, & à quo.*

Refell. 1. Quia hæc verba non ſunt *dubitantis*, ſed *deſiderantis*; prout modi tales loquendi paſſim occurrunt in Prophetis: & quod hoc loco ita ſit, liquet ex *verſ. ſequenti*. 2. Cum liberatio noſtri in hac vita ſit imperfecta, & inchoativa duntaxat, non mirum, ſi renatus quærat & deſideret liberationem perfectam. vide *Rom*. 8. 19.

SOCIN. Qui ſtatuunt, Paulum de ſe agere ut renato, illi manifeſte locum illum corrumpunt. *Idem, ibidem.*

ϖ. ψ. *Statuunt, hominem quamvis jam renatum & juſtificatum, quamdiu in hac vita mortali fuerit, ab ipſius peccati ſervitute minime liberari.*

Refell. 1. Dicimus nos, impure calumniari Socinum. Scimus enim, per Dei gratiam eos, quos Filius Dei liberavit, vere liberos eſſe, *Ioan*. 8. 36. Et omnes liberatos à peccato, factos eſſe ſervos juſtitiæ, *Rom*. 6. 18. Ideoque renatos non eſſe amplius ſub ſervitute peccati. 2. Diſtinguendum inter *reatum*, *dominium*, *inhabitationem*, *ſenſum peccati*. *Reatus* tollitur per *juſtificationem*; *Dominium* per *renovationem*; *Inhabitatio* per *mortem*: hinc per mortem dicitur in nobis aboleri corpus peccati. Oportet ergo nos peccatum diminutum quidem circumferre nobiſcum, uſque ad mortem. Senſus vero, licet maneat in juſtificatis (quia conſcientiæ pruritum & titillationem carnis per omnem vitam ſentiunt); non tamen amplius peccato ſerviunt, vel ſecundum carnem ambulant, quia virtute Spiritus eam ſupprimunt.

SOCIN. Liberum arbitrium poſt lapſum poteſt bonum acceptare. *Idem, ibidem.*

π. ψ. 1. *Liberum arbitrium non eſt poſt lapſum corruptum.*

π. ψ. 2. *Mandata Dei non fruſtra dantur, & non dantur niſi talibus qui illa præſtare poſſunt.*

Refell. 2. π. ψ. 1. *Non ſumus idonei vel ad cogitandum bonum*, 2 Cor. 3. 5. 2. *Animalis homo non ſubjicitur legi Dei, nec poteſt*. Rom. 8. v. 7. 1 Cor. 2. 14.

Refell. 2. ϖ. ψ. 1. Quia mandata non dantur eo fine, ut oſtendatur quid *poſſimus*, ſed quid *debeamus*; alioquin ſequeretur, nos perfecte mandata Dei præſtare. 2. Quia Deus mandans, ſæpe non vult ut homines mandatum illud exequantur, præſertim reprobi, *Ioan*. 12. Ubi Dominus concionatur, & concionando mandat, nihilominus tamen petit à Deo ne convertantur. 3. Non tantum petit, ſed etiam gratias agit, quod non omnibus revelaverit myſteria ſalutis, *Matth*. 11. 25.

SOCIN. In hominis arbitrio & poteſtate ſitum eſt, facere vel non facere quod Deus mandat. *Catech. Racov. cap*. 10.

ϖ. ψ. *Quia ſecus injuſtitiæ Deus accuſaretur, mandans talia, quæ non eſſent in noſtra poteſtate, hoc eſt, obligaret ad impoſſibilia.*

Refell. 1. Quia quædam impoſſibilitas eſt, quæ eſt culpa noſtra contracta, & per hoc obligatio non tollitur. vid. *Matth*. 18. ubi dominus iſte, qui concrediderat ſervo ſuo multa, quæ ſervus ſolvere non poterat, jure ſuo non excidit; propterea, cum ſolvendo non eſſet, voluit ipſum vendere, &c. 2. Deus poteſt obligare ad impoſſibile; ut factum eſt in Adamo, cui quidem dedit *poſſe quod vellet*, ſed non dederat *velle quod poſſet*; & tamen ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

utrumque obligavit. 3. Deus obligavit Pharaonem ad dimittendum populum, & tamen impoſſibile hoc erat, quia Deus induraverat cor ejus.

Socin. Doctrina de libero arbitrio, prout ex ſententia Orthodoxorum deſcribitur, pietatis omnis eſt inimica. *Catech. Racovian. cap.* 19. *q.* 14. 15.

π. ψ. *Quia ſic eriperetur omne ſtudium pietati vacandi.*

Refell. 1. Quia per hoc pietas promovetur; per hoc enim datur Deo gloria ſua, hoc eſt, agnoſcimus unicum & ſolum datorem omnium bonorum, 1 Cor. 4. 7, *Quid eſt, quod non accepiſti?* 2. Per hoc humiliatio noſtra procuratur atque adeo pietas promovetur; ubi enim videmus nihil nos ex nobis poſſe, agnoſcimus noſtram miſeriam, & ad deplorandam ipſam coram Deo ſtimulamur. Item, cum cognoſcimus, omnia à Deo noſtro in nos conferri, amore in ipſum accendimur; non quod amandus propter beneficia, nam propter ſe amandus; ſed quod etiam hæc cauſa aliqua ſit, cur ipſum amemus: ita ergo promovetur pietas. 3. Ubi videmus, quæ ſit noſtra indignitas in accipiendis donis quæ accipimus, eo magis incumbimus in ſtudium gratitudinis, atque adeo in ſtudiis bonorum operum proficimus.

Cap. VII.

De Morte & Satisfactione Chriſti.

Socin. Chriſtus pro peccatis noſtris non ſatisfecit. *Socin. prælection. cap.* 18. *& ſeqq.*

π. ψ. *Quia, ſi ſatisfeciſſet, punitus fuiſſet vice noſtri, contra illud* Ezech. 18.

Refell. Gen. 42. 37. Ubi Ruben offert patri ſuo filios ſuos in vades morti tradendos, niſi reducat Benjamin. *Excip.* Hoc quidem factum eſt à Ruben, ſed de jure quæritur, an potuerit fieri. *Reſp.* Potuit fieri, 1 *Reg.* 20. *verſ.* 39, 40, 41.

Socin. Non fuit neceſſaria Chriſti ſatisfactio. *Idem, ibidem.*

π. ψ. *Quia, ſi quilibet, poteſt enim privatus de jure ſuo remittere, multo magis Deus poteſt.*

Refell. 1. Hic non agitur de *poſſe*, ſed de *velle*. Oſtenditur autem, Deum non velle; quia nullo pacto abſolvit ſontem, *Exod.* 34. 7. *Num.* 14. 18. *Deut.* 29. 20. *Nahum.* 1. *v.* 2. 2. Iſta conſequentia inepta, non enim hic conſideratur Deus ut privata perſona, ſed ut Deus univerſæ terræ; Ergo claudicat conſequentia: homines poſſunt manumittere ſervos, & illos ſibi ipſis relinquere, ita ut dominio, quod in ipſos habent, renuntient; Ergo & Deus &c. Cum Deus hoc non poſſit, quia non poteſt eſſe creatura, ſuper quam Deus dominium non habeat, eſſetque contradictio in adjecto, eſſe creaturam & non ſubeſſe juri divino.

Socin. Sacramenta non fuerunt typi Chriſti, præter Sacrificium anniverſarium. *Socin. prælect. c.* 22. *Catech. Racov. cap.* 8. *pag.* 268.

π. ψ. *Si futura fuiſſent Sacramenta typi Chriſti, fuiſſent pro quibuſvis inſtituta peccatis, cum tamen Sacramenta non niſi pro peccatis quæ per ignorantiam committebantur, ſint inſtituta.*

Refell. 1. Omne peccatum fit per ignorantiam: *Nemo enim vult malum ſub ratione mali.* Nec eſt quod quiſquam objiciat, per hoc tolli diſtinctionem inter peccatum per ignorantiam, & illud quod fit à ſciente; nam hæc diſtinctio comparative tantum accipienda. 2. Expreſſe Spiritus Sanctus, *Hebr.* 7, *ad cap.* 11 *uſque*, omnia Sacramenta vocat typos & exemplaria Chriſti. 3. Quia Sacramenta debebant durare ad Chriſtum, & poſt aboleri, *Dan.* 9. *v.* 2, 7. Fieri autem hoc non ſolet, niſi unus ſit typus, alter antitypus.

Socin. Sacramenta non peragebantur vice hominum peccantium. *Socin. prælect. cap.* 22.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

π. ψ. Quia pecus nullam habet proportionem ad hominem, neque pecus capax pœnæ eſt.

Refell. Quod dicunt, pecus non eſſe capax culpæ aut pœnæ; negatur ſimpliciter ſumptum. Nam poteſt analogice utriuſque capax eſſe. Ut ſi beſtia occidat hominem, jubetur occidi: ſi beſtia commiſceatur cum homine, jubetur comburi. Eſt itaque hic diſtinguendum: non eſt capax, ut *antitypus*; ſed tamen eſt capax, ut *typus*.

SOCIN. Sacrificia non ſunt divinitus inſtituta ab initio mundi.

π. ψ. Nihil hac de re ſcriptum eſt, nec quicquam tale legimus ante Moſen præceptum eſſe.

Refell. 1. Quia expreſſe legitur hac de re *Geneſ.* 9. *verſ.* 10, 11. 2. Extraordinario præcepto, *Geneſ.* 22. 3. Locis implicitis tribus in Scriptura. Nam, 1. Abel obtulit Sacrificium per fidem, *Hebr.* 11. Atqui quod ex fide fit, fit ex Verbo Dei; quia fides ex auditu, auditus autem per Verbum Dei, *Rom.* 10. Item, de Noach, obtuliſſe Sacrificium Deo acceptum: at nihil ſine fide gratum apud Deum, *Heb.* 11. *verſ.* 6.

SOCIN. Expiatio peccatorum in terris peracta non eſt. *Socin. lib. de Servatore, cap.* 16. *Oſtorod. Inſtitut. Germ. pag.* 325.

π. ψ. Quia Chriſtus per mortem & in morte ſe ipſum non obtulit Deo.

Refell. 1. *Eph.* 5. *v.* 2. Ubi dicitur ſe ipſum tradidiſſe in victimam pro nobis, quod in his terris eſt factum. 2. Quia in terris prius juſtificavit nos, & purificavit à peccatis, poſtmodum aſcendit; cum Socinus doceat in cælis demum hoc factum fuiſſe, Hebr. 1. 3. *Purificatione*, inquit, *peccatorum noſtrorum peracta, ſedit ad dextram Majeſtatis*; prius hoc fecit, poſt conſedit. 3. Quia comparat Spiritus Sanctus ſacrificium Chriſti cum ſanguine taurorum & hircorum, & ex eo, quod quemadmodum ſanguis taurorum &c. offerebatur ante ingreſſum in Sanctum Sanctorum, ita & Sanguis Chriſti. 4. Quia Sanguis Jeſu Chriſti mundat nos ab omni peccato, 1 *Ioan.* 1. 7. Facit autem hoc *Sanguis fuſus*, ut liquet, *Matth.* 26.

SOCIN. Satisfactio, & remiſſio peccatorum, ſunt contraria. *Socin. prælect. cap.* 18.

π. ψ. Quia qui ſatisfacit, iſti non remittitur; aut pro quo ſatisfactum eſt, illi non remittitur.

Refell. 1. Expreſſe Spiritus Sanctus iſta conjungit, *Rom.* 3. *v.* 24, 25. *Eph.* 1. *v.* 7. *Col.* 1. *v.* 14. 2. Paulus petit, ut Oneſimo Philemon condonet, & interim ſe ad ſatisfaciendum offert.

SOCIN. Doctrina de Satisfactione Chriſti, detrahit divinæ vel poteſtati, vel benignitati. *Socin. prælect. cap.* 15.

π. ψ. 1. Deum poſſe peccata condonare, nulla ſatisfactione accepta.

π. ψ. 2. Quia non eſt iſta benignitas, cum poſſis condonare, velle ſatisfieri.

Refell. 1. *π. ψ.* 1. Quia Deus non poteſt natura. 2. Quia non poteſt non odiſſe peccatum, *Pſal.* 5. Non poteſt ergo non velle punire peccatum.

Refell. 2. *π. ψ.* 1. Quia in eo manifeſte Scriptura benignitatem collocat, quod Filium ſuum dederit pro nobis, *Ioan.* 3. 16. Item, *Rom.* 5. 8. 2. Quia hæc benignitas infinita eſt, dare bonum infinitum, Filium ſuum, pro nobis.

SOCIN. Per doctrinam de Satisfactione Chriſti Deus Pater quidem magis juſtus prædicatur, quam Chriſtus: Chriſtus vero magis miſericors, quàm Pater. *Catech. Racovian. cap.* 8. *pag.* 263.

π. ψ. Quia Deus Pater noluit condonare peccatum abſque ſatisfactione; Filius vero voluit hoc ipſum, & ſe ipſum tradidit pro nobis.

Refell. 1. Nec Filius nobis voluit condonare peccata abſque ſatisfactione. Eſt enim Patris & Filii eadem eſſentia & voluntas. 2. Utut Filius ſatisfecit pro nobis, tamen Pater dedit hunc Filium; unde non minus ille, quam hic, eſt miſericors.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Socin. Sanguis Jeſu Chriſti expiat peccata noſtra, confirmando promiſſiones Dei. *Socinus, de Servatore, cap.* 14. 15. 16. *Prælect. cap.* 23. 24. *Item, de Servat. cap.* 9.

Refell. 1. Si res ita haberet, miraculis expiata eſſent peccata noſtra, quia miracula hoc maxime præſtabant, imo ſi in comparationem res veniat, magis ac Sanguis Chriſti; quia miraculis etiam irregeniti adducebantur, ut crederent, Chriſtum vere Filium Dei eſſe, *Ioan.* 3. ut Nicodemus, Centurio, qui cuſtodiebat Corpus Chriſti crucifixi: at in morte ejus ſcandalizantur. Hinc, 1 Cor. 1, *Prædicamus* (inquit Apoſtolus) *Chriſtum, offendiculum Iudæis, ſtultitiam Gentibus.* 2. Ergo Sanguine Chriſti non ſunt purgata peccata eorum, qui ſub Veteri Teſtamento vixerunt. At falſum hoc eſſe, Scriptura docet, *Apoc.* 1. 5. & 7. 14.

Socin. Articulus de Satisfactione Chriſti tollit ſtudium pietatis. *Volkelius, de vera Religion. lib.* 5. *cap.* 25. *à principio.*

π. ψ. Quia à ſtudio bonorum operum per h.. redduntur homines alieniores; ubi enim credunt pro ſe ſatisfactum, cogitant non opus eſſe, ut bene operentur.

Refell. 1. Quia expreſſe ex Satisfactione Spiritus Sanctus inducit ſtudium bonorum operum, & docet propter hoc nos ſtudere debere bonis operibus, *Rom.* 6. 16, 17. 2. Ducit ad gratitudinem Deo præſtandam, ac proinde ad ſtudium bonorum operum, 1 *Petr.* 1. 18, 19.

Cap. VIII.
De Fide.

Socin. Fides juſtificans non eſt fiducia. *Socin. de Servator. part.* 4. *cap.* 11.

π. ψ. Quia fides in Chriſtum nihil aliud eſt, quam in Chriſtum credituros, obtenturos eſſe promiſſa, modo non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum ambulent; quod Chriſtus requirit.

Hoc π. ψ. continet plura in ſe, 1. *Quod putent, fiduciam locare in Deo, eſſe idem quod credere Deo.* 2. *Quod fiduciam ſuſpendant à bonis operibus.*

1. *Refell.* 1. Confunditur per hoc, credere *Chriſto*, & *credere* in *Chriſtum*, quæ duo diſtinctiſſima ſunt: Quia poteſt quis credere Chriſto; ut, verbi gratia, Diaboli credunt Chriſto, at non in Chriſtum. 2. Quia credere in Chriſtum, fert ſecum vitam æternam, *Ioan.* 3. & 5. At credere Chriſto, non ſemper infert vitam æternam; ut in illis qui fide hiſtorica credunt, qui tamen vitam æternam non habent. 2. Spiritus Sanctus deſcribens fiduciam in Chriſtum, *Act.* 10, non dicit, quod remiſſionem peccatorum ſit accepturus, qui credit *ipſi*, *v.* 43. ſed qui credit *in ipſum*.

2. *Refell.* 1. Opera ex fide, non fides ex operibus pendet; quod clariſſime liquet ex eo, quod ſine fide nemo placeat Deo, *Hebr.* 11. 6. 2. Quod, *Quicquid eſt ſine fide, peccatum ſit*, Rom. 14. 23.

Socin. Fides juſtificans non conſiſtit in apprehenſione Chriſti. *Idem, ibidem.*

π. ψ. Quia aut tum, cum apprehendis Chriſtum, juſtificaris; aut ante juſtificatus es. Si tum, cum apprehendis, juſtificaris; Ergo objectum fidei non erit prius fide: quod ineptum; nam quod apprehendi debet, præſupponitur jam eſſe. Si apprehenditur illud, quod jam eſt; nullo bono apprehenditur; nam ſive credas, te juſtificatum, ſive non, tamen juſtificatus es.

Refell. Quoad primum membrum. Certum eſt, objectum præceſſiſſe ipſam juſtificationem: nec tamen fruſtra hoc eſt; quia hic diſtinctio fit *quoad rem*, & *quoad cognitionem* ſive *ſenſum rei*. Poteſt quis eſſe juſtificatus, nec ſcire, ſe eſſe juſtificatum; & inde terroribus percelli conſcientiam ob peccatum: ubi vero juſtificatum ſe ſcit, ibi quieſcit in conſcientia ſua. Vide elegantiſſimum locum ad hanc rem, *Iob.* 33. 24, 25. 2. Quia Sancti Dei homines precantur toties, ut Deus gratioſus ipſis ſit, & ut oſten-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

oſtendat ipſis & notam faciat gratiam ſuam; quod certe fruſtraneum eſſet, ſi gratiam habere ſufficeret, nec iſtam gratiam noſſe neceſſarium foret. 3. Quia Deus ubi ſubtrahit ſenſum gratiæ à nobis, tum omnium hominum miſerrimi judicamur, & quaſi in Inferno verſari; imo petimus à Deo, ut reſtituat nobis hoc bonum. vid. *Pſal.* 51. & 77. At hoc non eſſet opus, ſi ſufficeret juſtificatum eſſe, & interim tui non intereſſet ſcire, an juſtificatus ſis nec ne.

SOCIN. Fides juſtificans eſt obedientia. *Catech. Racov. cap.* 9.

ϖ. ψ. *Quia propria juſtitia juſtificamur.*

Refell. 1. *Quia unius inobedientia multi ſunt conſtituti injuſti*, Rom. 5. Ergo nec noſtra juſtitia juſtificamur. 2. Quia Apoſtolus, qui ſuam non habet juſtitiam, vult comperiri in Chriſto, *Phil.* 3. 9. 3. Juſtificamur non per opera, ſed per fidem, *Rom.* 4. ubi opponuntur opera fidei, & fides operibus.

SOCIN. Opera legis ſola excluduntur à juſtificatione, non vero opera Evangelii, ita ut, cum dicitur, Non ex operibus, ſed per fidem; hic opera legis tantum intelliguntur. *Oſtorod. contra Tradel. ſcript. Germ. & Socin. paſſim, de Servatore.*

ϖ. ψ. *Eſt aliquod bonum opus, quod legis non eſt.*

(Nos dicimus, omne bonum opus eſſe legis, ſed diſtinguimus; dicimus enim, Omne opus eſt legis, ſed non de omnibus docet lex. Nam quædam ſunt opera, quæ lex jubet fieri, & tamen de iiſdem non docet, ut ea quæ docentur in Evangelio, ad quæ facienda lege obligamur: lex enim dicit: *Diliges Dominum Deum tuum* &c.

Refell. 1. Quia ſi eſt aliquod bonum opus, quod lege non præcipitur, tum erit etiam aliquod peccatum, quod non erit legis tranſgreſſio. At abſurdum hoc; nam Spiritus Sanctus non aliter definit peccatum, quam quod ſit legis tranſgreſſio, 1 *Ioan.* 3. 4. 2. Quia ſi erunt aliqua opera Evangelii, aut erunt idem quod fides, aut non; ſi dixeris, quod erunt idem quod fides, dicimus, falſum hoc eſſe; quia Scriptura ſemper fidem ab operibus, tanquam fructum ab arbore, effectum à cauſa, diſtinguit. vide, *Iacob.* 2. Si dixerint quod differant, tum dicimus, hoc ipſo opera fidei excludi à juſtificatione, quia fide dicimur juſtificari, non operibus. 3. Quia non tantum illa opera de quibus lex non docet, ſed etiam quæ jubet, ſunt opera fidei, ſed etiam opera quæ lex tum jubet, tum docet. Nam ſi non interficis hominem, & non facis ex fide, peccatum eſt. Ergo, ſi juſtificamur operibus iſtis, de quibus non docet lex, eo quod ſint Evangelii, hoc eſt, quia ex fide proficiſcuntur; juſtificabimur ex iſtis, de quibus lex docet, quia illa in regenerato proficiſcuntur ex fide.

SOCIN. Non ſola fides juſtificat. *Socin. de Iuſtif. pag.* 14. & 17. *Smalc. diſput.* 4. *contra Francium.*

ϖ. ψ. *Quia fides ſine operibus res mortua eſt.*

Refell. 1. Aliud eſt, *ſolum* agere; aliud, *ſolitarium* agere: fides *ſola* hoc agit, ſed non *ſolitaria* eſt, dum hoc agit. Verbi gratia, ſolus oculus videt, nec tamen ſolus eſt, cum videt, ſed eſt conjunctus cum aliis membris corporis. 2. Quia utut fides non eſt abſque operibus, præcedit tamen fides ordine naturæ & ſequuntur opera, utpote quæ cauſa ſit operum.

SOCIN. Patres in Veteri Teſtamento in Chriſtum non crediderunt. *Smalcius diſput.* 4. *contra Francium.*

ϖ. ψ. *Quia hoc pacto Chriſtus futurus fuiſſet ipſorum Servator; quod tamen falſum eſt.*

Refell. 1. Abraham juſtificatus eſt fide in Chriſtum, *Rom.* 4. 2. Patres in Veteri Teſtamento omnes dicuntur per Chriſtum ſalvati, *Act.* 15. *v.* 11. Lavati ſanguine ejus, *Apoc.* 1. *verſ.* 5.

CAP.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Cap. IX.

De Pœnitentia.

SOcin. Non de quovis peccato pœnitentiam agere poſſumus. *Volkelius, de vera Religion. lib.* 4. *cap.* 23. *pag.* 358.

ϖ. ψ. *Quia habituale habere peccatum, & agere pœnitentiam, eſt nihil aliud, quam peccare & velle peccare, & tamen agere pœnitentiam; cum tamen iſta pugnent. Nam pœnitentiam agere includit propoſitum non peccandi; quod pugnat cum velle peccare.*

Refell. 1. Quia poſſumus pœnitentiam agere de peccato habituali, non quod velimus in eo perſeverare, ſed quod velimus ei renunciare. 2. Cur non poſſemus pœnitentiam agere eo, quod habitus in nobis ſit; cum habitus iſte enervetur, ſi non ſtatim, ſaltem ſucceſſive? 3. Peccatum originis inhærens non impedit, quo minus pœnitentiam agamus; quod tamen habitus eſt pravus: Ergo & alii habitus peccatorum non impediunt, quo minus poſſimus pœnitentiam agere.

Cap. X.

De Eccleſia.

SOcin. Diſtinctio illa, qua diſtinguitur Eccleſia in triumphantem, & militantem, nulla eſt. *Smalc. diſput.* 8, *contra Francium, theſ.* 25.

ϖ. ψ. *Quia animæ ſeparatæ à corpore nihil ſentiunt, ac proinde gaudio nullo fruuntur.*

Refell. 1. Quia *Chriſtus expreſſe latroni dicit: Hodie mecum eris in Paradiſo*, Luc. 23. 43. 2. Quia expreſſe hæc diſtinctio habetur, *Heb.* 12. 22, 23. 3. Quia ſunt in cælo reconciliati, *Col.* 1. At ſi ſunt, Ergo ſunt homines. Neque enim iſti poſſunt excipere, de Angelis hoc dici, quia Angeli nunquam offenderunt Deum, itaque reconciliatione opus non habuerunt.

Socin. Stultum eſt quærere de notis Eccleſiæ. *Volk. de vera Relig. lib.* 6. *cap.* 17. *pag.* 700. *Catech. Racov. cap.* 11.

ϖ. ψ. *Nullius uſus eſt hæc quæſtio.*

Refell. 1. Expreſſe Spiritus Sanctus ponit in Scriptura, ut ſciamus dignoſcere inter fratres & non fratres; præſcribit enim quædam officia fratribus præſtanda, non omnibus. 2. Jubet nos aggregari cœtibus piorum, quod utique non poſſumus, niſi ſciamus, quis ſit cœtus iſte ſive Eccleſia, *Heb.* 10. *v.* 25. 3. Jubet nos Sacramentis uti. At hoc fieri non poteſt, niſi ſciamus, ubi ſit cœtus, ſive Eccleſia vera, & qui ſint, & qui conſtituant veram Eccleſiam.

Socin. Nulla requiritur vocatio ad miniſterium, ſed quilibet qui aptus eſt, miniſterio fungi poteſt, & Sacramentum adminiſtrare. *Oſtorod. inſtit. cap.* 42. *Theop. Nicolaïdes in def. tract. Socin. de Eccleſia, cap.* 1. *Idem adverſus Miedzybov. de miſſ. miniſtr. cap.* 1. *p.* 140. *Catech. Racov. cap.* 2. *de Eccleſ. Chriſt. pag.* 344.

ϖ. ψ. *Benefacere unicuique licet.*

Refell. 1. Non tantum benefaciendum, ſed & ordo ſervandus eſt, 1 *Cor.* 14. 2. Benefaciendum eſt, ſed unicuique ex propria vocatione ad quam vocatus, 1 *Cor.* 7. 20. 3. Quia ſi quis extra vocationem ſuam aliquid aggrediatur, ille non bene agit, ſed graviter peccat, *Num.* 12. *verſ.* 2. item 16. *per totum cap.* 2 *Sam.* 6. 7.

Socin. Eccleſia militans plane deficere poteſt, imo & deficit in his terris. *Volkelius, de vera Religion. lib.* 6. *cap.* 18.

ϖ. ψ. *Rogantur Sociniani, ut oſtendant ſuam doctrinam fuiſſe à temporibus Apoſtolorum ſine interruptione; & ad hoc dum rogantur à Pontificiis, ne effugio deſtituantur,* dicunt, *Eccleſiam deficere poſſe, & proinde hoc inepte quæri.*

Refell. 1. Si Eccleſia deficere poſſet, mundus ſubſi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ſubſiſtere non poſſet, *Eſai.* 1. 9. 2. Si temporibus profligatiſſimis non defecit, tum nec minus profligatis deficiet. At non defeciſſe docet Chriſtus, *Matth.* 24. Ergo.

SOCIN. Ab Eccleſia illa diſcedendum eſt, in qua peccatores præſertim reperiuntur. *Socin. lib. de offic. hominis Chriſtiani.*

π. ψ. *Quia ab omni fratre inordinato nos ſeparari neceſſe eſt*: 2 Theſſ. 3.

Refell. 1. Aliud eſt loqui de uno aliquo, qui ſcandalum præbet & quidem manifeſte, & aliud eſt loqui de peccatoribus, qui hæc vel illa peccata committunt, propter quæ non inſtituitur excommunicatio. 2. Si ob peccata quævis ſegregare nos debemus ab Eccleſia: Ergo nos ipſos abſque peccatis judicabimus: quod eſt abſurdum. 3. Si res ſe ita habet, male fecit Zacharias, Eliſabetha, Chriſtus, &c. quod ſe non ſeparaverint ab Eccleſia Judaïca. 4. Si ſe ſeparare debent propter quævis peccata fideles ab Eccleſia, tum Chriſtus ſcribens ad Apocalypticas Eccleſias, dum taxat Eccleſiam & quoſdam excipit, juberet iſtos quos excipit, relinquere ipſam Eccleſiam.

SOCIN. Cœtus ille deſerendus eſt, in quo eſt remiſſio diſciplinæ. *Oſtorod. inſtit. cap.* 29.

ϖ. ψ. *Ad peccandum via aperitur hoc pacto.*

Refell. 1. Si ubi puritas Verbi Divini remittitur, propterea Eccleſia non eſt deſerenda, ut in Apocalypticis Eccleſiis videmus, alicubi purius viguiſſe Verbum Dei, alicubi minus; tum multo minus propter remiſſionem diſciplinæ. 2. Quia utut in quibuſdam Eccleſiis ad excommunicationes non ita facile proceditur, prout certe nec procedi debet; tamen ex Verbo Dei peccata taxantur, & homines ſedulo admonentur ad pietatem. 3. Quia Chriſtus ab Eccleſia Judaïca, ubi diſciplina fuit profligatiſſima, ſe non ſubtraxit.

CAP. XI.
De Sacramentis.

SOCIN. Sacramenta non confirmant fidem noſtram. *Catech. Racov. cap.* 3. *quæſt.* 6. 7.

π. ψ. 1. *Quia ſunt opera noſtra.*

ϖ. ψ. 2. *Quia nihil miraculoſi in ſe continent.*

Refell. 1. π. ψ. 1. Ex bonis operibus noſtris. Nam ex ſtudio bonorum operum confirmamur in fide, quod ſumus Filii Dei, *Jac.* 2. 2. Circumciſio opus fuit Judæorum, & tamen fidem confirmabat; quod utique non fuiſſet, ſi vera eſſet ſententia Socinianorum. Probatur autem hoc, *Rom.* 4. Ubi circumciſio, fidei ſigillum dicitur.

Refell. 2. ϖ. ψ. 1. Iris nihil continet in ſe miraculoſi, eſt enim naturale quid, & tamen confirmat fidem de eo, quod Deus nunquam ſit amplius perditurus mundum diluvio. 2. Illa quæ pro ſignis ponit Samuel Sauli, 1 *Sam.* 10. *v.* 26, talia ſunt, quæ non ſunt miraculoſa, & tamen ipſi proponuntur à Samuele, ut confirmaretur de regno, quod ipſi Deus promiſit.

SOCIN. Baptiſmi doctrina non eſt articulus fundamentalis. *Socinus in præfat. diſp. de Baptiſmo.*

ϖ. ψ. *Quia aliquis poteſt ſalvari abſque Baptiſmo.*

Refell. 1. Quia ſine Baptiſmo eſſe, fit vel ex *contemptu*, vel ex *privatione*. Priori modo nemo poteſt ſalvari: poſteriori poteſt, ſi fidem habeat. 2. Quia in Sacramentis Deus nobis offert ſuam gratiam. Non acceptare autem gratiam Dei ex contemptu, exitium hominibus affert. *Obj.* Si gratiam offert in Sacramentis; ergo ſive ex contemptu hoc fit, ſive ex privatione, homines condemnabuntur. *Reſp.* Offert Deus in Baptiſmo, ſed ita ut non alligata tantummodo ſit ad Sacramenta; interim ubi Sacramenta ſunt, ibi hoc facit Deus per Sacramentum. 3. Quia ſignum fœderis Dei eſt neceſſarium & fundamentale, *Gen.* 17. Et hinc qui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

qui non erant circumciſi in Iſraële, pro fœderatis non habebantur.

SOCIN. Baptiſmus aquæ divinitus non eſt inſtitutus, ut duraret ad finem uſque mundi. *Oſtorod. inſtit. Germ. cap.* 39. *pag.* 347. 348.

π. ψ. *Quia non miſit me Chriſtus ad baptizandum, ſed ad evangelizandum*, inquit Apoſtolus, 1 *Cor.* 1. 17.

Refell. 1. Hic tantum comparatio inſtituitur, inter miſſionem ad evangelizandum & baptizandum. Senſus ergo eſt, quod non tam miſſus ſit ad baptizandum, quam ad evangelizandum. Vide modum loquendi ſimilem, *Matth.* 12. 7. 2. Quia ſi ipſe non eſt miſſus ad baptizandum ſimpliciter, tum non potuit hoc ſibi ſumere, ut baptizaret, *Heb.* 5. *verſ.* 4. at ſumpſit, 1 *Cor.* 1. 16. 3. Quia ſi non miſſus baptizare, cur ipſe baptizatus? *Act.* 9. 18.

SOCIN. Joannes non eſt divinitus miſſus, ut baptizaret aqua. *Oſtorod. ibidem, pag.* 351. *& ſeqq.*

π. ψ. *Quia aqua Baptiſmus non eſt divinitus inſtitutus.*

Refell. Joan. 1. 33. Luc. 3. 30. Marc. 1. Matth. 28.

SOCIN. Verba, Matth. 28, *Euntes*, &c. non intelliguntur de Baptiſmo aquæ. *Socin. in diſp. de Baptiſmo aquæ, cap.* 2.

π. ψ. *Apoſtoli non baptizarunt in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti; ſed tantum in nomine Chriſti*, Act. 10. 48.

Refutationem vide in Locis Communibus Maccovii. Præterea & hoc habe. 1. Quia etiamſi baptizarunt in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti, recte dicuntur baptizaſſe in nomine Chriſti, tum quia in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti continetur nomen Chriſti, tum quia Baptiſmus in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti, à Chriſto inſtitutus, merito dicitur Baptiſmus Chriſti; ſicut Baptiſmus à Joanne inſtitutus & prædicatus, dicitur Baptiſmus Joannis. Sic dum legimus, nobis peccata remitti in nomine Chriſti, non excluditur Pater & Spiritus Sanctus, in quorum etiam nomine nobis peccata remitti dubium non eſt. 2. Ex *Act.* 19. ubi, dum Paulus Epheſi inveniſſet Diſcipulos, qui non ſolum Spiritum Sanctum non acceperant, ſed neque eſſe Spiritum Sanctum audiverant, admiratus dixit: *In quid ergo baptizati eſtis?* ſignificans eos Spiritum Sanctum ignorare non potuiſſe; cum in nomine Spiritus Sancti baptizati fuiſſent. Ergo conferebatur Baptiſmus etiam in Spiritus Sancti nomine.

SOCIN. Baptiſmus in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, non eſt Baptiſmus aquæ, ſed doctrinæ. *Idem, ibid. Oſtorod. inſtit. p.* 355. 356.

π. ψ. *Quia ita accipitur vox* Baptiſmi, *Act.* 18. *v.* 25.

Refell. 1. Stulta eſt argumentatio. Aliquando accipitur vox *Baptiſmi* pro doctrina; Ergo ita ſemper accipitur. 2. Hæc vox includit doctrinam & Baptiſmum: doctrina autem hæc cum Baptiſmo conjuncta hoc ſignificabat, quod Joannes baptizavit Baptiſmo reſipiſcentiæ, dicens populo, ut in futurum crederent; hoc eſt, Apollo ſciebat, Meſſiam venturum eſſe, quemadmodum Cornelius, *Act.* 10. ſed neſciebat an veniſſet, vel quis eſſet, ſi veniſſet. 3. Quia duo diverſa Apoſtolis impoſita eſſe docet, *Matth.* 28, ſcilicet & docere & baptizare; ſicut cum additur, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Non enim idem eſt docere & baptizare; ſed poſtquam quis crediderit, debet etiam baptizari. Proinde & docere credenda, & baptizare, non erit idem quod baptizare, ut patet in Eunucho Baptiſmum petente, *Act.* 8.

SOCIN. Fides in baptizandis omnibus prærequiritur. *Catech. Racov. cap.* 4, *quæſt.* 2. *Socin. lib. de offic. hom. Chriſtian. cap.* 4.

π. ψ. *Quia primo loco ponitur* docere, *poſt* credere.

Refell. In adultis ſcilicet. Vid. refut. in Anabaptiſticorum argumentorum refutatione.

SOCIN. Baptiſmum adminiſtrabant non tantum Miniſtri Verbi & Apoſtoli, ſed quilibet etiam fidelis. *Socin. diſp. de Baptiſ.*

π.ψ. Quia, inquiunt, impoſſibile erat Apoſtolis, ut uno die ter millenos baptizarent: quod dicitur, Act. 2. 41. *Tum etiam, quia* Act. 10, *Petrus non baptizavit, ſed juſſit baptizare illos, qui Miniſtri non fuerunt.*

Refell. π.ψ. Quia, ſi uno die poterant 5000 hominibus diſtribuere panes, *Ioan.* 6; cur etiam 3000 baptizare non potuiſſent? Quod ad ſecundum π.ψ. membrum attinet, *refell.* 1. Quia non ſequitur, Juſſit baptizare; Ergo juſſit eos, qui non erant Presbyteri. 2. Philippus, quem illi citant in hanc rem ex Actis, fuit Evangeliſta, *Actor.* 21. 8. 3. Quia à quibus baptizabantur, erant Evangeliſtæ, *Act.* 8. 4.

SOCIN. Infantes non ſunt baptizandi. *Catech. Racov. c. 4. quæſt. 2. 3. Czechovicius, lib. de Pædobaptiſ. Socin. lib. de offic. hom. Chriſt. cap. 4.*

π.ψ. Quia neque Chriſtus, neque Apoſtoli, infantes baptizaverunt.

Refell. 1. Quia dicuntur integræ familiæ baptizatæ in Actis. 2. Quia iis & parentibus eorum facta eſt promiſſio, *Act.* 2. 39.

SOCIN. Integræ familiæ dicuntur baptizatæ, non incluſive, ſed excluſive ad infantes.

π.ψ. 1. Quia non conſtat an ibi fuerint infantes.

π.ψ. 2. Quia dicitur & Verbum Dei eſſe prædicatum toti familiæ, toti urbi, Act. 14. 21. *Nec tamen ſequitur; Ergo & infantibus prædicatum.*

Refell. 1. Familia enim perfecta non eſt, ubi liberi non ſunt, ut patet ex Oeconomicis. *Dices:* Fuerunt forte adulti & prædicationis capaces. *Reſp.* Non datur univerſa familia, in qua vivente patre, qui nondum ſit decrepitæ ætatis, ſed adhuc publico officio fungitur, quin aliqui puſilli & inepti ad audiendas conciones reperiantur. vid. *Act.* 10. 33. ubi Cornelius, & familia ejus, eſt baptizatus. 2. Quia infantes habent Spiritum Sanctum, ideoque baptizandi. Vide plura in Loc. Comm. Maccovii.

SOCIN. Baptiſmus non ſucceſſit in locum circumciſionis. *Volkel. de vera Relig. lib. 6. cap. 14.*

π.ψ. Nunquam Scriptura hoc docet: & res cum re collata refellit id. Nam circumciſio fiebat die octavo; Baptiſmus adminiſtratur quovis die: Circumciſio adminiſtrabatur maſculis tantum & non femellis; Baptiſmus autem utriſque.

Refell. 1. Quia promiſſio Circumciſioni facta, Gen. 17, *Ero Deus tuus*, &c. allegatur à Petro in argumentum Baptiſmi; *Act.* 2. 39. Quæ perperam à Petro allegaretur, ſi Baptiſmus non ſucceſſiſſet in locum Circumciſionis. Nam qualis, quæſo, eſſet conſequentia: Debetis baptizari, quia promiſſio vobis & liberis veſtris facta, *Gen.* 17? Dixerit enim aliquis, Quomodo hoc inde deducitur, cum Circumciſio potius inde inducatur? Petrus ergo tacite ſumit, in locum Circumciſionis ſucceſſiſſe Baptiſmum. *Dixerit* aliquis: At quomodo credent Petro ſpiritualiter dicenti, cum non conſtaret de eo, quod diceret afflatu Spiritus Sancti? *Reſp.* Inductos eſſe ad hoc miraculo iſto, quod idiotæ tot linguis loquerentur, tum citatione Joëlis ad factum hoc. 2. Quia non ſunt amplius curandæ cerimoniæ, inquit Apoſtolus, *Col.* 2. Ratio; quia in Chriſto omnia habemus quæ cerimoniæ præfigurabant. *Obj.* At non circumcidimur. *Reſp.* Imo vero, ſed non manufacta circumciſione, ſed qua à peccato eximimur per Chriſti mortem, conſepulti ſumus cum Chriſto per Baptiſmum. 3. Ut Paſchati ſucceſſit Cœna Domini, 1 *Cor.* 5. ita Circumciſioni Baptiſmus; niſi forte arbitretur amplius, gratiam Novi Teſtamenti anguſtiorem eſſe, quàm Veteris Teſtamenti gratia eſt; quod tamen ubique Scriptura negat; nam gratia exhibita quæ umbris adumbrabatur, uberior gratia eſt. Quod ad ſecundum π.ψ. membrum attinet, *refell.* Quia hoc pacto neque Cœna Domini ſucceſſiſſet Paſchati; nam iſta etiam circumſtantiis minime inter ſe conveniunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Cap. XII.

De Cœna Domini.

Socin. Vox *hoc* ad ipſam panis fractionem & comeſtionem referri debet. *Smalcius, diſp.* 11, *de Cœn.*

π.ψ. Quia de Agno Paſchali ſimilis loquendi modus occurrit: Hoc eſt Paſcha Domini.

Refell. 1. Quia ibi actus comeſtionis in particula *hoc* non notatur, ſed potius modus tranſitorius cum feſtinatione conjunctus, ſive feſtinatio iſta à tranſitu Ægyptiaco deducta: quod ut ſtatuamus, impellit nos textus evidentia; quia his verbis adducitur ratio, quare feſtinanter comedere debeant, & quidem quaſi viatores jam tranſituri; *quia*, inquit, *Domini eſt hæc feſtivitas*, qua memoria tranſitus illius Ægyptiaci revelatur. 2. Ex materia ipſa, de qua tractatur: ſi enim ſubjectum in ſecunda parte Sacramenti non ſignificat ipſam actionem Sacramentalem; ſequitur quod neque in prima parte illa notetur. At verum eſt hoc, ut patet, Luc. 22: *Hoc poculum eſt Novum Teſtamentum in meo Sanguine, quod pro vobis effunditur.* Ergo & illud.

Socin. Vox *Corporis* in hac prædicatione (*Hoc eſt Corpus meum*) ſignificat commemorationem Corporis Chriſti pro nobis fracti. *Smalc. ibidem. Catech. Racov. cap.* 3.

π.ψ. Verba adjecta à Chriſto: Hoc facite in mei commemorationem.

Refell. 1. Quia prius accipiendum eſt, & comedendum corpus; & ſic denique commemoratio ejus facienda, tanquam ejus finis. At alius eſt finis; alia res, cujus eſt finis. 2. Quia iſta ſunt diverſis prædicamentis incluſa, commemoratio Corporis fracti, & fractio; tum Sanguis & commemoratio Sanguinis fuſi.

Socin. Phraſis Paulina, *Panis eſt communicatio Corporis Chriſti*, ſignificat profeſſionem vel communionem Corporis & Sanguinis Chriſti, hoc eſt, eorum omnium, quorum conſequendorum cauſa Chriſtus eſt mortuus. *Smalcius, loco citato.*

π.ψ. Simili modo eos, qui victimas comedunt, participes eſſe altaris ait, quo, qui panem comedunt & vinum bibunt. Præterea, uberior phraſis, Participatio dæmoniorum menſæ, nullo modo poteſt ſignificare, quod mali aliquid contraxerint à menſis illis neceſſario.

Refell. 1. Retorquendo. Nam utique, qui menſæ participes ſunt dæmoniorum, conjunctionem habent cum dæmoniis; hinc etiam conſortes dicuntur dæmoniorum. Ergo, qui fiunt participes poculi Domini & menſæ, illi fiunt participes Chriſti. *Obj.* Ergo oportet Diabolum hoc modo habere corpus. *Reſp.* Nequaquam; modus enim communicationis non idem eſt. Nam communicamus Chriſtum, cum credimus, Chriſtum pro nobis mortuum eſſe. At qui communicant Satanæ, illi de ſignis quæ Satan conſtituit, communicant. 2. Res ipſa oſtendit, aliud eſſe, communicare; aliud, communionem profiteri.

Socin. Tantum nudus panis & vinum, non autem Corpus & Sanguis Chriſti in Cœna exhibentur manducanda & bibenda. *Oſtorod. inſtitution. pag.* 332.

π.ψ. Quia ſenſus nihil aliud percipiunt, quam panem & vinum: hoc eſt viſus & guſtus.

Refell. 1. Quia hoc Sacramentum non eſt præcipue inſtitutum propter viſum & guſtum, ſed propter fidem; nec certe Corpus Chriſti percipitur niſi fide, nec Corpus Chriſti, quale jam datur in Cœna Domini, eſt: proponitur enim nobis Corpus crucifixum, Sanguis fuſus, quæ jam non ſunt. 2. Quia Chriſtus dicit, nos participes fieri Corporis, quod pro nobis traditur; Sanguinis, qui pro nobis funditur: nullo modo ergo hæc verba eludi poſſunt.

Socin. Corpus non poteſt ſpiritua-

tualiter comedi. *Socin. lib. de offic. homin. Chriſt. cap.* 4.

π.ψ. Vt enim ſunt, ita capiuntur.

Refell. 1. Quia fide credo conceptum Chriſtum, natum ex Maria, crucifixum &c. At hæc ſunt corporalia. Ergo vanum illud, cum dicitur, Corpus non poteſt capi fide & ſpiritualiter. 2. Quia typi apprehendebantur ſpiritualiter, *Heb.* 11. Ut terra Canaan, ſerpens ſuſpenſus, *Ioan.* 3. Et tamen hæc erant corporea; Nihil ergo impedit, quo minus ſit Corpus & Sanguis, & tamen ſpiritualis ejus perceptio.

SOCIN. Pugnant inter ſe, realiter accipere Corpus Chriſti & ſpiritualiter. *Idem, ibidem.*

ϖ.ψ. Quia, ſi ſpiritualiter & realiter accipere, idem eſſet, aut ſaltem non pugnarent, quid opus eſſet tropis?

Refell. 1. Quia putant, quod ſpiritualiter fit, non fieri realiter. Quod enim ſpiritualiter fit, quomodo, quæſo, fit, ſi non realiter? 2. Quia, Si ſpiritualiter facere aliquid, non eſt realiter facere, tum, Joan. 4. 23, *Veri adoratores Deum adorabunt in Spiritu*, non eſt idem, quod vere adorabunt; & ſpiritualis adoratio non erit vera adoratio: quod eſt abſurdum. *Obj.* At ubi reale aliquid eſt, non opus eſt tropis. *Reſp.* Ineptum hoc, & infinitis Scripturæ locis refellitur; nam paſtores ſunt realiter paſtores, & tamen Spiritus Sanctus vocat illos tropice, lucem mundi, ſalem, &c. *Luc.* 5. 13, 14.

SOCIN. In legitimo uſu Cœnæ fides non confirmatur; neque augetur. *Smalc. diſp.* 12, *de Cœna, theſ.* 78. *Socin. lib. de offic. hom. Chriſt. cap.* 4.

π.ψ. Nemo Chriſti mortui memoriam celebrare poteſt, niſi ſentiat & guſtet fructum Chriſti mortis. Hunc vero ſenſum & guſtum qua ratione poterit habere, qui fide firma in Chriſtum jam non ſit præditus?

Refell. 1. Quomodo enim illud Corpus, quod in remiſſionem peccatorum noſtrorum traditum eſt, ſumi poteſt, ut fides noſtra de gratuita remiſſione peccatorum propter mortem & paſſionem Chriſti inde non augeretur? Eſſet enim hoc, ponere cauſam, & negare effectum; fruſtraque additum eſſet, illud Corpus ſumi, quod pro nobis in mortem traditum eſt. 2. Quia in uſu Sacræ Cœnæ nobis applicatur promiſſio evangelica de Paſſione Chriſti, & Satisfactione ejus, cum cuivis communicanti individuo dicitur: *Accipe, hoc eſt Corpus Chriſti, pro te in mortem traditum*, quæ applicatio individualis fidem maxime confirmat. 3. Quia recordatio & commemoratio Chriſti hoc ſecum fert. Nam quid, quæſo, eſt, *cujus recordamur in Cœna Domini?* illud profecto quod *Rom.* 8, habetur, *Si Filio ſuo proprio non pepercit, quomodo nobis omnia non daturus eſt cum ipſo?* An hoc non firmat fidem noſtram, cum oſtendat, omnia nobis datum iri in Chriſto?

SOCIN. Non ſimus in Cœna Domini participes niſi beneficiorum Chriſti. *Socin. ibid. Smalc. diſp.* 11, *de Cœn. ſect.* 2. *& diſp.* 12.

ϖ.ψ. 1. Quia carnem jam non habet.

ϖ.ψ. 2. Quia, etſi haberet, ipſius tamen participes eſſe non poſſemus, cum remotiſſima ſit à nobis, ut cælum à terra.

Refell. 1. *ϖ.ψ.* 1. Quomodo Chriſtus carnem non habet, cum dicatur *eſſe* ſecundum carnem ex ſemine David? *Rom.* 1. 2. Quia eſt Sacerdos, *Heb.* 2. *v.* 17. Si ergo eſt Sacerdos, habebit carnem & ſanguinem; aut ſi non habet carnem & ſanguinem, certe talis Sacerdos eſſe non poteſt, qualis ibi deſcribitur.

Refell. 2. *ϖ.ψ.* 1. Putant Adverſarii, talem percipere nos ſanguinem, qualis jam eſt, cum nos percipiamus ſanguinem fuſum, corpus crucifixum; qualia amplius non ſunt. 2. Putant, ea, quæ à nobis diſtant, capi non poſſe per fidem; ſi vero illud, quod nondum eſt, capi poteſt fide, imo & illud, quod præteriit, quomodo non hoc etiam, quod loco diſtat? Et certe, ſi fides noſtra jam non apprehenderet Chriſti meritum & meriti repræſentationem, nunquam crederemus nos per & propter Chriſtum exaudiri: quod tamen falſum eſt. *Obj.* Beneficiorum nos tamen fieri participes, non ipſius Corporis Chriſti. *Reſp.* Non intelligunt, quod

Chri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Chriſtus ſit cauſa continens beneficiorum ſuorum, ita ut qui non ſit carnis particeps, non poſſit particeps fieri beneficiorum ejus. Hinc reconciliamur *in Chriſto*, 2 Cor. 5. Regeneramur *in Chriſto*, Eph. 2. Bona opera præſtamus *in Chriſto*, Joan. 15. Denique omnes promiſſiones, quaſcunque nobis Deus fecit, *in Chriſto* fecit, atque adeo illas conſequimur *in Chriſto* Jeſu, & *in Chriſto* ſunt Amen.

Socin. Recordatio mortis Chriſti non eſt finis Cœnæ Domini. *Smalc. diſp.* 12, *de Cœn.*

π. ψ. Vox ἀνάμνησις non recordationem, ſed rei, cujus quis perpetuo bene recordatur, ſolennem commemorationem ſignificat. Idque ex verbis Pauli liquet, quæ Chriſti verborum explicatio ſunt, 1 Cor. 11. 25.

Refell. 1. Quia vox hæc ἀνάμνησις literaliter ex vi verborum nunquam ſignificat commemorationem, ſed ſemper recordationem. vid. 1 *Cor.* 4. & alibi. 2. Quia ſignificatio hæc ipſius eſt propria; nunquam enim negare poterunt Adverſarii, quin ἀνάμνησις per ſe literaliter & proprie, ex uſu omnium ſcriptorum ſacrorum & prophanorum, recordationem ſignificet; quidni ergo & hoc loco eandem ſignificationem obtineat? Quod vero ἀνάμνησιν Paulus exponit per καταγγέλλειν, *verſ.* 26. quod eſt annuntiare, ex eo non evincitur, per ſe, & ex vi verbi, vocem ἀνάμνησις non ſignificare recordationem; ſed illud inde demum concluditur, quod generaliter & virtualiter voce ἀνάμνησις, & annuntiatio contineatur, & exinde ſequatur. Recordatio enim fit vel corde, vel lingua: illa eſt recordatio propria; hæc vero, quia conſequitur, & à Paulo ex iſtis verbis deducitur.

Cap. XIII.

De juſtificatione, juſtitia & bonis operibus.

Socin. Juſtitia Chriſti nobis non imputatur. *Socin. de Servat. part.* 4, *cap.* 4.

ϖ. ψ. Quia non aliena, ſed propria juſtificamur.

Refell. Rom. 5, *Obedientia Chriſti*, &c. *Phil.* 3. *v.* 9.

Socin. Juſtitia Chriſti non juſtificamur. *Idem, ibidem.*

ϖ. ψ. Quia iſta ſtare ſimul non poſſunt, juſtificatum eſſe juſtitia Chriſti, & ſanctificatum eſſe.

Refell. 1. Iſta optime conſiſtunt, juſtitia Chriſti, & ſanctitas noſtra; imo ex juſtitia Chriſti, ſanctitas in nobis oritur. *Eph.* 1. *v.* 3. 2. Scriptura dicit, nos juſtificari juſtitia Chriſti; & ſimul ponit ſtudium bonorum operum, *Rom.* 5.

Socin. Patres in Veteri Teſtamento non ſunt ſalvati per meritum Chriſti. *Smalcius, de natura Filii Dei, cap.* 10. *& diſput.* 4, *contra Francium, ad theſ.* 8.

ϖ. ψ. Quia Chriſtus non aliter Salvator eſt, quam viam ad ſalutem annuntiando, & eandem exemplo confirmando, quod utrumque non poterat obvenire Patribus, utpote cum Chriſtus longe poſt extiterit.

Refell. 1. Quia expreſſe teſtatur Spiritus Sanctus, quod Chriſtus etiam pro ipſis mortuus ſit, *Heb.* 9. 15. *Act.* 15. 11. 2. Quia tota Eccleſia triumphans dicitur lavaſſe veſtem ſuam, gratiaſque egiſſe pro redemptione per ſanguinem, *Apoc.* 5. 1, 9. Et *lavaſſe veſtes ſuas*, Apoc. 7. 14, *in Sanguine Agni*. Quod ſi tota Eccleſia, tum certe etiam Patres Veteris Teſtamenti; quia ex Patribus tum vel maxime conſtabat Eccleſia Triumphans.

Socin. Doctrina de Juſtificatione, à Calvino propoſita, impedit veram pietatem. *Socin. part.* 4, *de Servatore, cap.* 4.

ϖ. ψ. 1. *Quia ſe putant aliena juſtitia juſtificari; Ergo de ſtudio bonorum operum non ſunt ſoliciti.*

ϖ. ψ. 2. *Quia ita proponunt doctrinam de juſtificatione, ut excludant ab ea bona opera.*

Refell. 1. ϖ. ψ. 1. *Rom.* 6. Ubi poſtquam docuiſſet Paulus, juſtificari nos juſtitia Chriſti, movet hanc objectionem: *Ergo in peccato permanendum? Reſpondet*; Id minime ſequi: imo ex eo, quod juſtificati ſumus aliena juſtitia, infert, debere nos pietati ſtudere. 2. Quia jam non dominabitur peccatum, cum jam non ſitis ſub lege, *Rom.* 6. 14. 3. Quia liberati à peccato, ſervi facti eſtis juſtitiæ, *verſ.* 18.

Refell. 2. ϖ. ψ. 1. Spiritus Sanctus excludit à juſtificatione bona opera, *Rom.* 4. Item, 11. 6. 2. Aliud eſt, excludi bona opera *ab actu juſtificationis*; aliud vero, *tanquam effectum.* Prius docemus cum Spiritu Sancto: poſterius nunquam; bona enim opera ſunt effecta juſtificationis. Hinc illud Theologorum: *Bona opera non præcedunt juſtificandum, ſed ſequuntur juſtificatum.*

SOCIN. Non omnia bona opera excluduntur ab actu juſtificationis. *Socin. part.* 4, *de Servat. cap.* 11.

ϖ. ψ. *Quia ſi bona opera non juſtificant, intermittenda ſunt.*

Refell. 1. Quia à negatione unius finis, ad negationem omnium finium non procedit argumentum. 2. Quia utut bona opera non ſunt facienda ut juſtificent; ſunt tamen aliæ atque aliæ, & quidem graviſſimæ rationes, quæ ſtudium bonorum operum urgent, & commendant: notum eſt illud, ex Matth. 5. 16, *Luceat lux veſtra* &c.

SOCIN. Bona opera regenitorum poſſunt eſſe perfecta in hac vita. *Smalc. diſp.* 6, *contra Franc. ſect.* 4.

ϖ. ψ. *Quia, ſi non poſſunt eſſe perfecta, cur eſt contendendum ad perfectionem, cum hoc fruſtra ſit?*

Refell. 1. Utut plenariam perfectionem in hac vita aſſequi non poſſumus, incrementa tamen capimus indies, *Eph.* 4. 2. Utut perfectionem aſſequi non poſſumus, contendere tamen debemus in ſtudio iſto pietatis ad metam quotidie, *Gal.* 5. 7.

SOCIN. Bona opera faciunt nos Deo gratos & acceptos. *Oſtorod. inſtit. cap. de bonis operibus.*

ϖ. ψ. *Quia ſine ſanctimonia nemo videbit Deum*, Heb. 12. 14.

Refell. 1. Aliud eſt, ſine ſanctimonia neminem poſſe videre Deum; aliud vero eſt, eſſe cauſam cur Deo placeamus. Nam non poſſumus videre Deum ſine ſanctimonia, tanquam *antecedente neceſſario* ad vitam æternam, non tanquam *cauſa*. Hinc, Tit. 3, *Non ex operibus* &c. 2. Quia ſtatuitur per hoc, perſonam placere Deo propter opera, non opera propter perſonam; cum clariſſime Spiritus Sanctus contrarium doceat, Gen. 4, *Reſpexit Deus ad Abel*, &c.

SOCIN. Fides non diſtinguitur ſimpliciter ab operibus bonis, ac proinde non pugnant iſta inter ſe, fide & operibus juſtificari, non quidem omni, ſed certo aliquo opere. *Volkel. de vera Relig. lib.* 4. *cap.* 3.

ϖ. ψ. *Docet Spiritus Sanctus fidem imputari ad juſtitiam*, Rom. 4.

Refell. 1. Non proprie hoc ipſum dicitur; alioqui quod nobis imputatur ad juſtitiam, alienum eſt, non noſtrum; fides vero, noſtra. 2. Debet æternum eſſe; at fides perpetua non erit, 1 *Cor.* 13.

SOCIN. Non eſt laborandum de dogmatibus fidei magnopere, ſed de ſtudio bonorum operum tantum. *Smalc. diſp.* 4, *contra Francium.*

ϖ. ψ. *Quia Chriſtus non judicaturus eſt homines ex doctrina fidei, ſed ex operibus.*

Refell. 1. Expreſſe Chriſtus teſtatur, quod, *qui credit in eum, habeat vitam æternam.* Ergo non tantum ex operibus, ſed etiam ex fide judicaturus eſt. 2. Quia ſtatuuntur eo pacto bona opera abſque fide poſſe placere Deo; quod eſt falſum. Nam *ſine fide* &c. *Heb.* 11. 6.

CAP.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Cap. XIV.
De Magiſtratu.

SOcin. Chriſtiano non eſt licitum bellum gerere. *Smalc. diſp. 6, de rebus civil.*

π. ψ. *Quia in Novo Teſtamento obligamur ad diligendos inimicos noſtros & benefaciendum his qui oderunt nos.*

Refell. 1. Hæc eadem regula vigebat in Veteri Teſtamento, *Exod.* 23. *v.* 4. 5. *Prov.* 18. 21. Neque tamen hinc colligi poterit, à bellis omnino abſtinendum eſſe, cum & Deus ipſe leges bellorum dederit, & multi ſanctiſſimi viri bella etiam contra fratres geſſerint, *Iud.* 20. 2. Magna eſt differentia inter inimicos; quidam enim *privati* ſunt, & *levius* lædunt; quidam *publici*, & *gravius* premunt, totamque Rempubl. & Religionem evertere conantur. *Illis* condonandum, *his* reſiſtendum; utrumque præcipit Spiritus Sanctus, & facilitatem in injuriis condonandis, *Matth.* 18. & ſeveritatem in Magiſtratu in illis vindicandis, *Rom.* 13.

Socin. Malefici non ſunt capitali ſupplicio afficiendi. *Oſtorod. inſtit. c.* 28. *Smalcius, diſp. contra Franc. de reb. civil.*

π. ψ. *Quia talium vita æterna periclitatur, cum pœnitentiam agere minime poſſint.*

Refell. 1. Exemplo latronis, qui in cruce cum Chriſto pependit. 2. Quia ad hoc, ut pœnitentia agi poſſit, in talibus non requiritur longum aliquod tempus. Deus enim ſincere peccata ſua confitenti, & illorum condonationem petenti, ignoſcit; cujus, *Luc.* 18, in Publicano exemplum. 3. Quia utut pœnitentiam non agit; Magiſtratus tamen debet exequi, quod ipſi injunctum eſt; neque enim fruſtra gladium gerit, *Rom.* 13.

Socin. Hæretici capitaliter ob nudam hæreſin puniendi non ſunt.

π. ψ. *Quia potius commiſeratione opus habent.*

Refell. 1. Quia, *Deut.* 13, jubet Deus miſericordiam, & tamen vult trucidari tales. 2. Quia, ſi in homicidas animadvertendum eſt, multo magis in eos, qui animas perdunt. 3. Quia jubet Deus expreſſe blaſphemos punire, & quidem capitali ſupplicio, *Lev.* 24. At vero Hæretici (ut ex ipſis Socinianis liquet) Deum blaſphemant. Ergo capitali ſupplicio afficiendi.

Socin. Libri hæreticorum ſunt concedendi ad legendum.

π. ψ. *Verba male intellecta*; Omnia probate &c. 1 Theſſ. 5.

Refell. 1. Quia ſunt in Dei & Chriſti honorem inimici; &, ſi nobis conſtet manifeſte eſſe blaſphemos, concedendi non ſunt. 2. Quia cavendum eſt à ſeductionibus. Ergo & à lectione talium librorum, *Rom.* 16. 18. *Obj.* Quomodo ergo refutari poterunt, ſi non legi? *Reſp.* 1. Non à quolibet refutari debent, ſed à doctis. 2. Non ſemper refutari debent, ſi præſertim non ſint diſſeminati. Nam ſatius eſt, ſi ſupprimantur, quam ut refutatio eorum inſtituatur.

Socin. Chriſtus omnem vindictam, adeoque & publicam, prohibet. *Catech. Racov. Germ. cap.* 1. *pag.* 197.

π. ψ. *Dictum eſt*, Oculum pro oculo &c. *At hæc lex mutatur*, Matth. 5.

Refell. 1. In iſto capite non ſe opponit legi Moſaïcæ, ſed taxat depravationem ſenſus Moſaïci. 2. Si vindicta quævis eſt prohibita, Ergo fruſtranea eſt ordinatio divina Magiſtratus, *Rom.* 13.

Socin. Non tantum publica defenſio, ſed nec privata, quæ vindictæ ſpeciem habet, ullo modo eſt licita. *Eadem, ibidem.*

(Potiſſimum hic taxant tutelam ſive vindictam, quæ fit cum moderamine inculpatæ tutelæ.)

π. ψ. *Verba male intellecta*, Matt. 5. v. 30, *Nolite reſiſtere malo.*

Refell. 1. Quia hoc etiam in Veteri Teſtamento erat prohibitum, *Lev.* 18. Interdum tamen licuit cum moderamine inculpatæ tutelæ privato hominem interficere. 2. Quia ſi non reſiſtendum malo ullo modo, tum non licebit provo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

provocare ad Magiſtratum, ubi nobis injuria ſit. At hoc falſum. Paulus enim provocavit ad Cæſarem. 3. Cordibus noſtris inſcriptum eſt, ut vim vi repellamus. Ergo licitum eſt.

CAP. XV.
De Morte Æterna.

SOCIN. Mors, quam minatus eſt Deus Adamo in ſtatu integritatis, fuit tantum mors æterna. *Socin. cont. Puccium, paſſim. Smalc. diſp.7, de extremo judic. contra Franc. th. 36.*

π. ψ. *Quia mors temporaria non eſt homini pœna, ſed naturale conſequens, ita ut homo moriturus fuiſſet, etſi nunquam peccaſſet.*

Refell. 1. Quia Spiritus Sanctus clariſſime teſtatur, mortem etiam temporariam eſſe propter peccatum, *Rom.6.14.* Ubi agit de tali morte, quæ regnavit in omnes; jam autem mors æterna non regnabit in omnes. 2. Quia Chriſtus pro nobis mortem temporariam ſuſtinuit, At hoc opus non fuiſſet, ſi mors temporaria pœna non fuiſſet futura.

SOCIN. Mors æterna nihil eſt, quam mortis temporariæ in æternum continuatio; ſive eſt totalis abolitio corporis & animæ. *Smalc. diſp. de Baptiſmo.*

π. ψ. *Si eſſent cruciatus, nullam proportionem peccatum haberet ad pœnam, atque adeo Deus injuſtus eſſet.*

Refell. 1. Quia peccatum non ex *actu* abſolute & ſimpliciter æſtimatur, ſed ex *objecto* in quod committitur; quod infinitum eſt. 2. Quia expreſſe teſtatur Spiritus Sanctus, cruciatus fore mortem hanc, & quidem æternos, *Eſai. 66.24. Marc. 9.48.*

SOCIN. Chriſtus propria vi non reſurrexit, ſed à Deo reſuſcitatus. *Volkel. lib. 3, cap. 19.*

π. ψ. *Quia, qui mortuus eſt, ille vim nullam habet ſe reſſuſcitandi.*

Refell. 1. Quia Chriſtus non tantum fuit homo, ſed & Deus. Hinc, *Rom.1.4,* dicitur, quod ſit *declaratus Filius Dei potenter per reſurrectionem ex mortuis*; quod alia ratione fieri non potuit, niſi quod Chriſtus per Spiritum ſe ipſum revocaverit à morte. 2. Ex 1 *Petr.3.* ubi dicitur Chriſtus morte affectus carne, vivificatus autem Spiritu, per quem profectus prædicavit: hic expreſſe oſtendit Spiritus Sanctus, Chriſtum mortuum quidem fuiſſe ſecundum carnem, ſed vivificatum ſecundum Spiritum. 3. Ex epiſtolæ ad *Heb.9. v.14,* collatione cum *Ioan.10.* ubi dicitur quod habeat poteſtatem animam deponendi & aſſumendi: Quemadmodum autem hanc animam poſuerit, explicat Spiritus Sanctus in Epiſtola *Hebr.9*; Per Spiritum, inquit, ſe obtulit Deo.

SOCIN. Reſurrectio corporum impiorum nulla futura.

Rotunde id profiteri non audent, ex eorum tamen hypotheſibus & hæc theſis clariſſime deducitur, verbi gratia, *In actis manuſcriptis*, ut refert Joſua Stegmannus, *diſp.56, pag.654,* dicunt: *Aliquem in Inferno eſſe, & ibi torqueri, fictitia ſunt plane, & ſimilia illis, quæ Poëta de Ixione, Siſypho, Tantalo, ſcribunt.*

π. ψ. *Caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt*, 1 Cor. 15.

Refell. 1. Ibi per carnem intelligitur depravatio naturæ. 2. Chriſtus reſurrexit eodem Corpore quoad ſubſtantiam. 3. Qui vivi reperientur, in occurſum rapientur in aëra, 1 *Theſſ.* 4.17. 4. Elias & Enoch rapti corporibus in cælum. 5. Jobus dicit, ſe viſurum Deum *in carne ſua*, Job. 19.

SOCIN. Chriſtus non cum eo Corpore aſcendit in cælum, cum quo reſurrexit. *Volk. lib. 3, de vera Relig. c.20.*

π. ψ. *Quia Chriſtus amplius non eſt corporeus, ſed totus tranſiit in Spiritum.*

Refell. 1. Expreſſe Spiritus Sanctus dicit, Chriſtum *eſſe* ex ſemine David ſecundum carnem, *Rom.9.5.* & 1.3. 2. Quia in hoc factus eſt particeps carnis & ſanguinis, ut ageret fidelem & miſericordem Pontificem pro nobis apud Deum, *Heb.2.v.17.* Quod ſi ita; Ergo certe adhuc carnem habet.

FINIS.

EX-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

EXAMEN CONTROVERSIARUM LUTHERANARUM; EARUMQUE ΠΡΩ͂ΤΑ ΨΕΥ΄ΔΕΙ, SIVE *Oſtenſio Primorum Falſorum.*

CAPUT PRIMUM.

De Sacra Scriptura.

LUTHERANI. Philoſophia eſt principium demonſtrationis in Theologia, ſecundum Calvinianos. *Ioſua Stegmannus, in Photinianiſmo, diſp. 2, pag. 17. Ioan. Giſenius, in Calviniſmo, diſp. 1, theſ. 4.*

Non hoc docent Calviniani ſimpliciter, ſed tantum in quæſtionibus mixtis, juxta illud: *Vnaquæque res in illa diſciplina tractanda, quæ de illa re agit.*

π. ψ. Si prædicatum erit Philoſophicum, & ſubjectum debet eſſe tale.

Refell. 1. Nam prædicatum nonnunquam ratione diverſi reſpectus de uno eodemque ſubjecto diverſum prædicari poteſt; verbi gratia, poteſt ratione eſſentiæ abſolutæ abſolutum eſſe; ratione relatæ, relatum; ratione ea, qua naturale eſt, naturale eſſe; ratione ea, qua ſupernaturale eſt, ſupernaturale eſſe; verbi gratia, ſi dicam, Chriſtus eſt homo, prædicatum erit naturale; At ſi dicam, Chriſti humana natura concepta eſt ex Spiritu Sancto, ſubſiſtit in hypoſtaſi τοῦ λόγου, erit prædicatum ſupernaturale. 2. Quia ipſimet ducunt in talibus oſtenſionibus argumenta ex Philoſophia; verbi gratia, quæritur, An in Cœna Domini maneat panis & vinum, an vero mutetur in Corpus Chriſti? Dicunt, ſunt ibi accidentia panis & vini; Ergo panis & vinum. At hoc Philoſophicum argumentum eſt.

LUTH. Calviniani non credunt, Verbum Dei eſſe indubitatæ veritatis. *Echardus, faſcic. controv. cap. 1, quæſt. 2.*

ORTHOD. *Imo, nos credimus.*

π. ψ. Quia docent, ſæpe Deum mandare quæ non vult; & vetare quæ vult (ſcilicet) *permittere.*

Refell. 1. Quia jubet Deus Abrahamo immolare filium, nec tamen vult, *Gen. 22.* Sic Pharaoni, dimittere populum, nec tamen vult. 2. Quod multos vocat vocatione externa, quos non vult credere, *Ioan. 12. 38, 42.* Quod ad ſecundum attinet, Vetat, & tamen vult voluntate permittente; ſic prohibet Deus hominem innocentem interfici, & tamen Chriſtum innocentiſſimum voluit interfici, *Act. 21.*

LUTH. Calviniani contradictorias voluntates ponunt in Deo. *Echardus, faſc. contr. quæſt. 2.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ORTHOD. *Nequaquam.*

π. ψ. Docent, Deum non omnia quæ mandat velle.

Refell. 1. Nam præcepta Dei non ſunt *voluntas* ejus, ſed ſunt *effectus voluntatis.* 2. Mandata Dei ſumenda ſunt non *abſolute*, ſed *comparative* cum finibus: quod ſi fiat, facile apparebit, voluntati Dei non contrariari mandata; verbi gratia, jubet Abrahamum immolare filium, comparetur cum fine, quo mandatum eſt, non ſcilicet ut mactaretur Iſaac, ſed ut exploraretur Abraham.

LUTH. Calviniani docent, Deum eſſe hypocritam. *Idem, ibidem.*

ORTHOD. *Minime.*

π. ψ. Quia dicunt, quandoque ſimulare eum; at ſimulatio quævis eſt hypocriſis.

Refell. 1. Non omnis ſimulatio eſt hypocriſis, quia inter ſumma ſapientiæ Salomonis documenta recenſetur ſimulatio, 1 *Reg.* 3. 24, 25. 2. Chriſtus ipſe etiam ſimulavit, *Luc.* 24. 28. nec tamen fuit hypocrita.

LUTH. Theologia tranſcendit regulas Logicas. *Echard. d. l. quæſt.* 3.

ORTHOD. *Non ſimpliciter.*

π. ψ. Quia ſunt inuſitatæ quædam propoſitiones in articulis de Deo, de Sacramentis; quæ nullo modo revocari poſſunt ad propoſitiones Logicas.

Refell. 1. Quia utut non poſſent referri *proprie*, nulla tamen eſt, quæ non poſſet referri *analogice*: quod nos ſolum concludimus. 2. Quia ſi ad Logicam referri non poſſunt, non poteſt ratio adhiberi ad omnia Theologica ut inſtrumentum; nihil enim ratio noſtra concipit, niſi ſub notione aliqua Logica.

LUTH. Excuſationem meretur Lutherus, quod Epiſtolam Jacobi & Judæ rejecerit. *Echard. faſcic. cap.* 1. *quæſt.* 4.

ORTHOD. *Non omnino.*

π. ψ. Lutherus ſecutus eſt quoſdam Patres.

Refell. 1. Non Patrum doctrinæ, ſed Spiritui Sancto debemus alligari. 2. Quia non tantum rejicit, ſed & contumelioſe exagitavit, vocans *ſtramineam Epiſtolam*; Itaque ſi excuſatur, à tanto tantum, non à toto excuſatur.

LUTH. Tranſlatio Lutheri recipi debet pro authentica. *Idem, faſc. c.* 1. *quæſt.* 5. *pag.* 22.

π. ψ. Quia Lutherus fuit tertius Elias, & non potuit errare.

Refell. 1. Erravit in multis, ut de Imaginibus, & de Ornatu Sacerdotali Pontificio; In naturæ humanæ Chriſti explicatione. 2. Hoc ipſum agnovit, petens per miſericordiam Dei condonari ſibi, ſi ubi deprehenſus fuiſſet hallucinari, eo quod monachus eſſet. 3. Sæpe ab Originali textu diſceſſit. 4. Ipſi Doctores Lutherani in hoc conveniunt; ut videre eſt in Tarnovio Roſtoch. & aliis, qui Lutherum & ejus verſionem, tanquam minus convenientem textui Originali, ſæpe vellicant.

LUTH. A proprietate verborum non diſcedendum. *Idem, ibidem.*

ORTHOD. *Ubi ſcilicet ſubjecta materia poſtulat.*

π. ψ. Verba inſtitutionis Cœnæ Dominicæ proprie ſunt accipienda.

Refell. 1. *Diſparatum de diſparato nunquam proprie prædicari poteſt.* 2. Quia ſecus hæc etiam proprie eſſent accipienda; *Calix eſt Novum Teſtamentum in ſanguine*: quod eſt abſurdum. *Nota.* Dicunt hanc propoſitionem (*Hoc eſt Corpus meum*, ſive, *Panis eſt Corpus Chriſti*) ſimilem eſſe huic, ac ſi quis commonſtrato cantharo cum vino dicat, *Ecce vinum*; aut commonſtrato ſacco cum avena, dicat, *Ecce avena*; aut oſtenſo puero in cunis jacente, *Ecce puer.* Sed hæ propoſitiones ſi verbis inſtitutionis conformari debent, tum debent ita conformari: Cantharus eſt vinum; Saccus eſt avena; quemadmodum dicitur, Panis eſt Corpus. At hæc abſurda.

LUTH. Non tantum ex Scriptura, ſed & aliunde petunt Calviniani fidei ſuæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ſuæ confirmationem. *Echard. faſc. c.* 1. *quæſt.* 6.

ORTHOD. *Falſum.*

ϖ. ψ. Quia Zwinglius dixit, ſe in ſomniis eſſe monitum de Sacramentali iſta locutione quæ extat, Exod. 12, *Paſcha eſt tranſitus.*

Refell. 1. Quia hoc, de quo erat monitus Zwinglius, erat Verbum Dei, non aliud. 2. Si moneri in ſomniis eſt res mala, tum certe iſta Phyſicorum diſtinctio de ſomniis, quod quædam ſint divina, quædam naturalia, erit tollenda: quæ tamen diſtinctio ex ipſis etiam S. Literis probatur exemplo Pharaonis, Joſephi, Nebucadnezaris. 3. Deus etiam ſæpe monet per ſomnia, *Matth.* 2. 12.

CAP. II.

De Deo.

LUTH. Dei non datur genus ullo modo. *Echard. faſc. cap.* 2. *quæſt.* 2.

ORTHOD. *Poteſt dari analogum, ſed in conceptu tantum noſtro, non in re.*

ϖ. ψ. Si non proprium, nec analogum dari poteſt.

Refell. 1. Deus ſibi tribuit hoc non ad rei veritatem exprimendam, ſed ad modum noſtrum concipiendi denotandum, Joan. 4, *Deus eſt ſpiritus.* 2. Quia in attributis concipitur analogice ad attributa, quæ ſunt in nobis, ut, cum dicitur, Juſtus, Miſericors; ita & analogice concipitur ad hoc, quod ſumus ſubſtantia; ad hoc, quod Angeli ſunt ſpiritus.

LUTH. Deus non prædicatur de perſonis, tanquam genus de ſpeciebus. *Echard. faſc. cap.* 2. *quæſt.* 3.

ORTHOD. *Prædicatur in concreto, tanquam genus analogum.*

ϖ. ψ. Propoſitiones de Deo non poſſunt revocari ad uſitatas prædicationes analogice.

Refell. 1. Nam certe hæ propoſitiones, Pater eſt Deus, Filius eſt Deus, Spiritus Sanctus eſt Deus, referuntur analogice ad iſtas, quando prædicatur genus de ſpeciebus, vel ſpecies de individuis. 2. Ex modo reſpondendi noſtrorum Theologorum, ad iſtud Sociniſticum: Eſſentia eſt Pater, Eſſentia eſt Filius, Eſſentia eſt Spiritus Sanctus. Ergo Filius eſt Pater. Reſpondent hic tam noſtri, quam Lutherani Theologi, Majorem eſſe particularem; Nec enim omnis eſſentia eſt Pater, ſed cum certo modo ſubſiſtendi. Ex hoc apparet, ſi dicant particularem Majorem, concipere aliquid ſicut univerſale & particulare, & ſic Logice.

LUTH. Myſteria SS. Trinitatis Calvin. probant ex rationis ductu & lumine naturali. *Echard. faſc. cap.* 2. *quæſt.* 4.

ϖ. ψ. Quia declarant ſimilitudinibus quibuſdam ex natura petitis.

Refell. Aliud eſt, *probare* aliquid; aliud, *illuſtrare:* quod nec ipſi Lutherani negant, nec poſſunt. Nam unio noſtri cum Deo declaratur ſimilitudine vitis, *Joan.* 15. Unio Eccleſiæ cum Chriſto, ſimilitudine ſponſi & ſponſæ, *Eph.* 5.

LUTH. In divinis gignit eſſentia eſſentiam. *Idem, ibidem.*

ORTHOD. *Nequaquam; alioqui Filius Dei eſſet* αὐτότοκος.

ϖ. ψ. Filius dicitur genitus.

Refell. Dicitur ratione *modi* ſubſiſtendi, non *ratione eſſentiæ*; alias enim ſequeretur, eſſentiam eſſe genitam & gignentem. *Obj.* At Filius eſt à Patre. Ergo non eſt αὐτόθεος. *Reſp.* Non *qua Deus*, ſed *qua Filius* eſt. Ergo hoc tantum conſequitur, non eſſe αὐτότοκον· minime autem, non eſſe αὐτόθεον.

LUTH. Perſonæ Divinitatis à ſe invicem differunt realiter. *Idem, ibidem, quæſt.* 6.

ϖ. ψ. Quia eſſentia Filii eſt genita, Spiritus Sanctus procedens à Patre & Filio.

Refell. 1. Quia ſic neceſſario ſtatuuntur tres Dii; quod eſt abſurdum. 2. Quia Filius à Patre differt, non *eſſentialiter*, ſed *modo ſubſiſtendi.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

LUTH. Calviniani non credunt ſincere omnipotentiam Dei. *Idem, ibidem, quæſt.* 2.

π. ψ. Non credunt, unum corpus ſimul eſſe poſſe in pluribus locis.

Refell. Quia eſſe Romæ, & eſſe Conſtantinopoli ſimul & ſemel, eſt contradictio; ut ex requiſitis veræ oppoſitionis liquet.

LUTH. In ſcholis Calvinian. doctrina de Miſericordia non retinetur ſarta tecta. *Idem, ibidem, quæſt.* 8.

π. ψ. Non credunt, gratiam Dei de ſalute indiſcriminatim ad omnes & ſingulos extendi.

Refell. 1. *Deus miſeretur quorum vult,* Rom. 9. 2. *Non omnes ſunt electi*, Matth. 22. v. 14. 3. *Sivit incedere gentes in viis ſuis*, Act. 14. 16. 2 Cor. 2. 15, 16.

LUTH. Calviniani Deum fingunt nonnulla velle voluntate ſigni, quæ non vult voluntate beneplaciti. *Idem, ibidem, quæſt.* 9.

ORTHOD. *Nequaquam; ſed docent, quædam Deum jubere, quæ non vult.*

π. ψ. Putant, *mandata eſſe voluntatem ejus.*

Refell. 1. Quia ſunt effecta voluntatis. 2. Mandata ſunt temporaria; voluntas, æterna. 3. Mandata diſtinctiſſima ex natura ſua; voluntas vero ſimpliciſſima: quando autem jubeat quæ non vult, vide ſupra.

LUTH. Calviniani negant, Deum, Patrem dici omnium & ſingulorum hominum in lata ſignificatione. *Idem, ibidem, quæſt.* 10.

π. ψ. Negant Miſericordiam univerſalem.

Refell. 1. *Act.* 17. 29. Confer, *Act.* 14. 16. ubi dicitur Pater ipſorum, quos ſivit incedere in viis ſuis. At horum non eſt miſertus. 2. *Luc.* 16, Abraham compellatur ab Epulone pater, & Epulo ab Abrahamo filius (ubi pater Abraham intelligitur); interim tamen omnis ſpes miſericordiæ ipſi præciſa. 3. Pater eſt vel *jure redemptionis*, vel *jure creationis*: *priori* jure eſt ſolummodo electorum; *poſteriori*, non tantum, ſed omnium. At hæc nullam infert Miſericordiam. Ergo non ſequitur; Negant Miſericordiam univerſalem, Ergo negant Patrem.

CAP. III.

De humana Chriſti natura.

LUTH. Blaſphemi Calviniani docentes, carnem Chriſti nihil prodeſſe. *Echard. faſc. cap.* 3. *q.* 1.

ORTHOD. *Nequaquam, ſi conſideretur,* 1. *Vt caro nudi hominis.* 2. *Si accipi debeat ore corporis.*

π. ψ. Quia caro Chriſti eſt vivifica efficienter realiter, non efficienter meritorie.

Refell. Veteris Teſtamenti fideles non fuiſſent participes carnis iſtius. Ratio, Quia cauſa efficiens realis non efficit, niſi prius ſit. Caro autem Chriſti tum præſens non fuit. Ergo ejus ratio non alia eſſe potuit, quam cauſæ meritoriæ.

LUTH. Sanguis Chriſti in ara crucis effuſus non computruit. *Idem, ibidem, quæſt.* 2.

π. ψ. Quia materialiter conſideratus, fuit pretium redemptionis noſtræ.

Refell. 1. Quia Sanguis Chriſti non ut naturale quid, ſed ſub ratione pretii, erat ἀντίλυτρον. 2. Quia non Sanguis Chriſti ſimpliciter ſumptus, ſed ut Sanguis Filii Dei, pretii rationem habuit.

LUTH. Locari, contrectare, non ſunt idiomata eſſentialia Corporis Chriſti. *Idem, ibidem, quæſt.* 3.

π. ψ. Quia eſt hic & ubique.

Refell. 1. Chriſtus aſcendit in cælum. 2. Non tantum aſcendit; ſed & inde venturus eſt.

LUTH. Semen mulieris, *Gen.* 3. 15, de Chriſto tantum accipiendum eſt. *Idem, ibidem, quæſt.* 4.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Orthod. *Primario; ſed ſecundario etiam accipi poteſt de Eccleſia.*

π. ψ. Quia, quod Chriſto tribuitur, id nullo modo poteſt referri ad Eccleſiam.

Refell. 1. Quia Eccleſiæ cum Chriſto ſumma eſt unio. 2. Quia, quæ Eccleſiæ accidunt, illa ſibi accidere dicit, *Act.* 9. 19.

Cap. IV.

De unione Perſonali, & de communicatione idiomatum.

Luth. Λόγος non eſt extra carnem aſſumptam. *Echard. faſc. cap.* 4, *quæſt.* 1.

Nota. Τὸ *extra* ſumitur vel ita, ut ſignificet aliquid ſeparatum; vel ita, ut non ſignificet: poſteriori modo, non priori dicitur λόγος non eſſe extra carnem. Quia humana natura, quamvis non ſit ubicunq; eſt Divina, non tamen ſeparatur ab ea, aut vero Divina ab humana.

π. ψ. Chriſti natura humana eſt infinita & ubique.

Refell. 1. Quia dicitur: *Gaudeo me ibi non fuiſſe*, Joan. 11. 15. 2. Quia hoc modo non potuiſſet mori, cum mors ſit ſeparatio animæ à corpore. At illud quod ubique eſt, ſeparari ab eo cum quo eſt, nullo modo poteſt.

Luth. Natura aſſumpta in unionem non manet extra Trinitatem. *Idem, ibidem, quæſt.* 2.

π. ψ. Quia humana Chriſti natura eſt de interna eſſentia τοῦ λόγου.

Refell. 1. Humana Chriſti natura temporaria eſt, non ergo eſt de eſſentia τοῦ λόγου, cum λόγος ſit æternus. 2. Quia ſi eſſet de eſſentia τοῦ λόγου, tum λόγος componeretur ex divina & humana natura: quod abſurdum. Nam λόγος, qua λόγος, contradiſtinguitur humanæ naturæ. 3. Quia ſic non tantum λόγος eſt incarnatus, ſed & Pater & Spiritus Sanctus. Nam eſſentia quomodo interna Filio, ita etiam Patri, ita etiam Spiritui Sancto. *Obj.* At dicitur à noſtris internum adjunctum τοῦ λόγου. *Reſp.* Non reſpectu *naturæ*, ſed *unionis*. Nam non eſt λόγος hoc quod humana natura.

Luth. Non eſt prædicatio ſynonymica, *Deus eſt homo*, &, *Homo eſt Deus*. Item: *Filius Mariæ eſt Filius Dei*; & contra. *Echard. faſc. cap.* 5, *quæſt.* 1.

Orthod. *Imo ſunt ſynonymicæ, verum non proprie, ſed analogice.*

π. ψ. Dari aliquas propoſitiones inuſitatas, quæ non poſſunt revocari ad uſitatas & ad regulas Logicas ullo modo.

Refell. 1. Quia ut termini ſimplices accommodantur Deo per analogiam, ita & propoſitiones de Deo formari poſſunt per analogiam. 2. Quia Deus, Chriſtus, homo, ſunt concreta. Ergo hæc, Chriſtus, homo, Deus, prædicantur de ſe ad modum regulativum inſtar analogiæ.

Luth. Calviniani rei ſunt Neſtorianiſmi. *Idem, cap.* 4, *quæſt.* 4.

π. ψ. Putant divelli naturas, ſi non tribuatur uni quod alteri, & ſi non ſit humana, ubicunque eſt Divina.

Refell. 1. Quia, quemadmodum non divelluntur naturæ à ſe, cum natura una dicitur Divina; altera, humana: ita etiam non divelluntur, quando diverſa attributa diverſis naturis tribuuntur. 2. Quemadmodum non divelluntur naturæ, cum una dicitur æterna; altera, temporaria: una, creator; altera, creatura. ita etiam non divelluntur, cum dicitur, alicubi non eſſe humanam naturam, ubi eſt Divina.

Luth. Calviniani docent, Communicationem idiomatum eſſe verbalem. *Idem, cap.* 6, *quæſt.* 1.

Orthod. *Calumnia eſt, quia integre ſententia noſtra non profertur, quæ eſt;*

Communicatio idiomatum realis eſt in *perſona*; verbalis, *quoad naturas*: quod ſic expli-

camus. Verbi gratia, Dum dicitur Deus redemiſſe Eccleſiam ſuo Sanguine, vox iſta *Dei* concreta eſt, perſonam notans ab altera natura denominatam, ac proinde hæc perſona vere & proprie, ſive realiter, redimit Eccleſiam ſuo Sanguine. At vero redemptio tribuitur perſonæ à Deo denominatæ *realiter*, ratione vero divinæ naturæ non tribuitur niſi *nomine-tenus*, neque enim Deus habet Sanguinem. *Ioan.* 3. 13, dicitur, *Nemo aſcendit in cælum, niſi Filius hominis, qui eſt in cælo*, ubi τὸ *Filius hominis* notat perſonam; & veriſſime eſt in cælo. At hoc ipſum non poteſt tribui naturæ, à qua hæc denominatur perſona, humana videlicet natura, niſi nomine tenus; nec enim hæc deſcendit de cælo, aut ubique eſſe potuit.

π. ψ. *Proprietates naturales realiter communicantur in Chriſti perſona.*

Refell. 1. Hoc pacto quæ ſunt humanæ naturæ, eſſent Divinæ; & ſic Deus non eſſet infinitus, non æternus, non omnipotens, non eſſet ſpiritus, ſed corpus. 2. Quia vice verſa idem quoque poſſet dici de humana natura, quod de Deo.

LUTH. Communicatio idiomatum non eſt tropus. *Idem, ibidem, quæſt.* 2.

ORTHOD. *Imo eſt Synecdoche partis.*

π. ψ. *Quia communicatio idiomatum eſt realis in naturis.*

Refell. 1. Eſſet ita humana natura Divina; & contra. 2. Eſſet mixtio & confuſio naturarum; quod eſt abſurdum.

LUTH. Communicatio idiomatum non tantum in concreto datur, ſed etiam in abſtracto. *Idem, ibidem*, q. 4.

π. ψ. *Quia* λόγος *communicat ſua idiomata & hypoſtaſin humanæ naturæ.*

(NOTA Argumentum. Aut ſe communicat *tranſitive*, aut *intranſitive*: Si *tranſitive*; Ergo hypoſtaſis λόγου deſiit eſſe divina & fiet humana: Si *intranſitive*, tum nihil ad rem; nam ita ſe communicat hypoſtaſis, ut non deſinat eſſe Divina hypoſtaſis).

Refell. 1. Quia hypoſtaſis non eſt eſſentia. 2. Quia communicationem hypoſtaſeos non ſequitur communicatio proprietatum. Ratio; quia proprietates idem ſunt quod eſſentia. Unde dicuntur quidem *tres hypoſtaſes* diſtinctæ eſſe in eſſentia; ſed tamen non dicuntur *tres eſſentiæ*, nec tria infinita.

LUTH. Sunt diſtincta communicationis genera. *Idem, ibidem, quæſt.* 5.

π. ψ. *Quia quæ utrique naturæ tribuuntur eodem modo, univoce tribuuntur.*

Refell. Quia, cum dico, Sanguis Jeſu Chriſti purgat nos ab omni peccato, aliter atque aliter verbum *purgat* accipiendum eſt. Nam, cum dicitur de Sanguine, *meritorie* accipitur; cum de Deo, *efficienter*, ſive *realiter*, capiendum eſt.

LUTH. Realiter dicitur Deus pro nobis paſſus, quoad divinám naturam. *Idem, ibidem, quæſt.* 6.

π. ψ. *Deus redemit nos realiter, qua Deus; Ergo paſſio etiam ſpectat ad divinam naturam.*

Refell. 1. Quia Deus redemit nos *efficienter*, non *meritorie*. 2. Quia in Deo ut nulla mutatio, ita nec paſſio eſt.

LUTH. Communicatio ἀποτελεσμάτων eſt gradus communicationis idiomatum. *Idem, ibidem, quæſt.* 7.

NOTA. Diſtinguunt Theologi inter Ἀποτέλεσμα, & Ἐνέργειαν. Ἀποτέλεσμα eſt ipſum opus; Ἐνέργεια vero actiones, quibus opus producitur: eſt autem opus commune, ſed actiones diſtinctæ. Verbi gratia, juſtificatio eſt opus utriuſque naturæ Chriſti commune; ſed actiones quibus producitur, ſunt naturarum propriæ. Juſtificat enim humana natura moriendo, legi ſatisfaciendo; hoc eſt, humana juſtificat *merendo*; divina, *efficiendo*.

π. ψ. *Quia utraque natura agit id, quod ſibi proprium eſt agere, cum communione alterius, inquit concilium Chalcedonenſe.*

Refell. Nam ibi communio, non communicatio eſt; & communio in producendo ſive cauſando: non una operatione hoc ἀποτέλεσμα, ſed diverſis operationibus producitur; juxta illud Theologorum: *Iuſtificat humana natura meritorie, ſeu patiendo, & obediendo:*

Divi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Divina vero, realiter, abſolvendo, & juſtitiam imputando. Mittit Spiritum Sanctum humana natura merendo; divina vero, ſpirando.

LUTH. Dona humanæ naturæ Chriſti, per unionem communicata, ſunt infinita. *Idem, ibidem, quæſt.* 9.

π. ψ. *Humana natura Chriſti communicata eſt hypoſtaſis* τȣ λόγȣ *tranſitive.*

Refell. Quia hoc pacto aut quædam proprietates communicantur tantum, aut omnes: Si quædam tantum, & non omnes; Ergo in Deo dabitur aliud & aliud diſtinctum ex natura rei: Si omnes; Ergo & æternitas. Ergo erit humana natura æterna; & tamen hæc eadem nata ex Maria Virgine: quæ eſt contradictio cruda.

LUTH. Chriſto, quatenus homini, collata eſt potentia infinita. *Idem, ibidem, quæſt.* 10.

π. ψ. *Quia dicitur*, Data eſt mihi, *&c.* Matt. 28. *v.* 18.

Refell. 1. Aliud eſt *poteſtas*; aliud, *omnipotentia.* Quia *poteſtas* eſt *officii*, & eſt in *relatione. Potentia*, virium eſt, & eſt in *qualitate* analogice. *Inſt. Apoc.* 5. 12. Ἐξȣσία explicatur per *δύναμιν. Refell.* Quia *δύναμις* aliquando eſt ἐξȣσία quidem, ſed non ſemper. At ſi Adverſarii aliquid obtinere vellent, probandum eſſet, *δύναμιν* ſemper potentiam, & non aliquando ἐξȣσίαν, ſignificare. 2. Quia, ſi omnipotentia humanæ Chriſti naturæ collata eſt, erunt duæ omnipotentiæ, una Divina, altera humana; una communicata, altera incommunicata: & ita eſſentiæ divinæ erunt binæ; nam omnipotentia eſt eſſentia divina. 3. Quia res finita non eſt capax infinitæ. At omnipotentia eſt infinita; humana vero natura finita. 4. Hæc omnipotentia Chriſto homini communicata, aut erit ſubſtantia, aut accidens. Si ſubſtantia; Ergo non poteſt dici attributum. Si accidens; tum omnipotentia, quæ in Deo, eſt ſubſtantia; quæ in Chriſto, accidens eſt: quod eſt abſurdum.

LUTH. Chriſto, qua homini, tributa eſt omniſcientia. *Idem, ibidem, quæſt.* 11.

π. ψ. *In ipſo omnes ſapientiæ theſauri ſunt abſconditi*, Col. 2. 3.

Refell. 1. Quia hæc dicuntur non de *natura* alterutra, ſed de *perſona.* 2. Dato, ſed non conceſſo, quod de Chriſto hoc diceretur ſecundum humanam naturam, tum eo pacto accipienda eſſent iſta, prout dicitur humanæ naturæ datus λόγος, aut habitare in ipſa. At in illa habitat λόγος per unionem hypoſtaticam, non per tranſitionem humanæ naturæ in divinam. 3. Quia aperte teſtatur Spiritus Sanctus, Chriſtum, qua hominem, non omnia ſciviſſe, *Marc.* 11. 13. & 13. 32.

LUTH. Humana Chriſti natura in perſona τȣ λόγȣ eſt adoranda. *Idem, ibidem, quæſt.* 12.

π. ψ. *Quia ſi non adoraretur, in Chriſto duæ naturæ divellerentur.*

Refell. 1. Quia, ſi non divellitur Chriſtus, neque ſeparantur naturæ, cum uni tribuitur quod ſit æterna, alteri quod non ſit; tum etiam minime ſeparabuntur, ſi una dicitur adoranda, altera non. 2. Quia, ſi non dicuntur ſeparari naturæ, cum divinæ tribuitur hoc quod aſſumpſit humanam in hypoſtaſin ſuam; humanæ non item: tum utique non ſeparabuntur, propterea quod una dicitur adoranda, altera vero non.

LUTH. Chriſto data eſt ſecundum carnem poteſtas judiciaria ſuper vivos & mortuos, eadem ratione, qua Deo. *Idem, ibidem, quæſt.* 13.

Quæritur, qua ratione judicabit Chriſtus; qua Deus, an qua homo? *Reſpondent Theologi*, Utraque, qua Deus & qua homo: Qua homo, duplici ratione. 1. Judicia Dei approbando. 2. Sententiam pronuntiando. Qua Deus. 1. Pœnas pro ratione cujuſvis peccati infligendo omnibus infidelibus. 2. Peccata & eorum gradus agnoſcendo.

LUTH. Caro Chriſti eſt vivifica rea-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

realiter & efficienter. *Idem*, *ibidem*, *quæſt.* 14.

ORTHOD. *Imo*, *meritorie tantum.*

π. ψ. Joan. 6. 59.

Refell. 1. Quia hoc modo cauſaretur realiter in omnibus vitam; quod vel contra ipſam experientiam eſt. 2. Quia non habet vitam in ſeipſa; alioqui enim eſſet Deus. 3. Quia, ſi eſſet cauſa realis vivificationis, tum oportuiſſet eam perpetuari ſub hoc formali, quatenus vivificat. Ratio; Quia *cauſa reali ſublata*, *tollitur effectus.*

LUTH. Caro Chriſti conducit ad ſalutem. *Idem*, *ibidem.*

ORTHOD. 1. *Ita quidem*, *ſed non ut nudi hominis*, *verum ut Filii Dei.* 2. *Non ore corporis*, *ſed ore ſpirituali*, *ſive fidei ſumpta.*

π. ψ. *Quia*, *qui utuntur ſignis*, *etiam Corporis & Sanguinis ſunt participes.*

Refell. 1. Quia, qui particeps fit Corporis Chriſti, eſt membrum Chriſti (unitur enim cum ipſo). At hoc in reprobos non cadit, *Eph.* 5. 30. 2. Quia aut per *ſenſum* fierent participes, aut per *rationem*, aut per *fidem.* Per *ſenſum* fieri non poſſunt; Quia ſic Corpus Chriſti ingrederetur ſtomachum; quod abſurdum. *Ratione* non; Quia ratio non capit ſpiritualia, 1 *Cor.* 2. 14. Nec *fide*; Quia hanc non habent (ſi enim haberent, Deo placerent. Sicut enim is qui fidem non habet, Deo nequaquam placere poteſt; ita ex oppoſito, qui fidem habet, Deo placet: de reprobis vero legimus in Scriptura, quod ſint exoſi & abominabiles Deo, *Pſal.* 5. 6.); Ergo nullo modo fiunt. 3. Quia non qualiſcunque, ſed caro crucifixa & ſanguis fuſus proponitur nobis in Cœna Domini. At hæc talia non ſunt amplius, ita ut nullum medium excogitari poſſit, per quod Corporis & Sanguinis Chriſti poſſimus fieri participes, quam per fidem, cui futura & præterita ſunt præſentia. Cum ergo reprobi fidei ſint expertes, utique Corporis & Sanguinis ejus in Cœna Domini participes eſſe non poſſunt.

LUTH. Præſentia Chriſti in terris, non ſolum Eccleſiæ terminis non finitur, ſed etiam reliquas creaturas complectitur. *Idem*, *ibidem*, q. 25.

ORTHOD. *De præſentia Corporis falſum eſt.*

π. ψ. *Quia ubicunque eſt Divina natura*, *ibi humana*; *hinc dicunt*, *in pane quem comedimus quotidie*, *in avena*, *pomis*, *pyris & omnibus aliis ineſſe Corpus Chriſti.*

Refell. 1. *Act.* 3. *v.* 21. 2. Quia hoc pacto quotidie participaremus Corpus Chriſti non minus ac in Cœna Domini: quod abſurdum. 3. Hoc modo comederetur à brutis quoque Corpus Chriſti: quod abſurdiſſimum.

LUTH. Chriſtus clauſo utero natus eſt. *Idem*, *ibidem*, *quæſt.* 1, *cap.* 7.

π. ψ. *Quia non eſt metiendus ex natura corporis humani*, *cum clauſis quoque foribus ad Diſcipulos penetravit.*

Refell. 1. Perinde natus eſt ac nos, excepto peccato. 2. Quia illud, *Exod.* 13. 12, *Omnis maſculus aperiens vulvam*, applicatur Chriſto, *Luc.* 2. *v.* 23. 3. Quia daretur penetratio corporum: quod eſt abſurdum; nam ſic duo corpora poſſent eſſe in uno loco. At hoc etiam impoſſibile eſt.

LUTH. Chriſtus deſcendit ad Inferos, id eſt, proprie deſcendit ad locum damnatorum.

π. ψ. *Omnia verba Symboli proprie ſunt accipienda.*

Refell. 1. Quia Chriſtus dicitur ex Maria Virgine conceptus ſynecdochice, nempe, reſpectu carnis. 2. In eodem Symbolo dicitur: *Credo carnis reſurrectionem*: ubi iterum ſynecdoche; nam non caro reſurrectura tantum, ſed reſurrecturi ſumus ſecundum utramque partem.

LUTH. Chriſtus reſurrexit clauſo ſepulcro. *Echard. faſc. cap.* 7, *de reſurrect. quæſt.* 1.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

π. ψ. *Quia Chriſti Corpus proprietates phyſicas non retinuit.*

Refell. 1. Quia ſic nec Corpus retinuit; *ſublatis enim proprietatibus, tollitur eſſentia.* 2. Potuit tangi, *Luc.* 24. 3. Secus nec Corpus phyſicum, nec homo eſt; ratio, quia *ſublato genere, tolluntur omnes ſpecies ſub ipſo contenta & individua.* At vero hominis genus remotum, eſt corpus phyſicum; propius, corpus phyſicum animatum; proximum, animal.

LUTH. Chriſtus in aſcenſione ſua non occupavit certum locum, quo circumſcribitur ad extremum judicium. *Idem, ibidem, de aſcenſ. quæſt.* 1.

π. ψ. *Quia Chriſtus non eſt in certo loco.*

Refell. 1. Ex verbis Symboli Apoſtolici, cujus verba omnia volunt accipere proprie. 2. Quia cælo capitur, *Act.* 3. 21. 3. Inde venturus eſt judicare vivos & mortuos.

LUTH. Seſſio ad dextram excludit omnem locum. *Idem, ibidem, de ſeſſione ad dextram, quæſt.* 1.

π. ψ. *Exaltatio Chriſti à morte excludit omnem locum.*

Refell. 1. *Eph.* 1. 10: *Heb.* 8. 1. 2. Stephanus vidit Jeſum ſtantem in cælis ad dextram Dei, *Act.* 7. 56. 3. Quia ſi Chriſtus ſedens ad dextram Dei, non eſt in cælo, non poteſt precari Patrem, ut ubi ipſe eſt, Diſcipuli ejus ibi ſint, *Ioan.* 17. 14.

CAP. V.
De Peccato.

LUTH. Calviniani docent, Spiritum Sanctum manere in illis, qui poſt acceptum renaſcentiæ donum, vivunt in peccatis contra conſcientiam. *Echard. faſc. cap.* 8, *quæſt.* 1.

ORTHOD. *Impudentiſſima eſt hæc calumnia, nemo enim hoc vel ſomniavit Orthodoxorum. Sed quæritur:* Anne homines fideles prolabentes in graviſſima ſcelera amittant Spiritum Sanctum? *Hoc negatur.*

π. ψ. *Fideles amittunt fidem, cum prolabuntur in graviſſima peccata.*

Refell. 1. Nam ſic portæ Inferorum prævalere poſſent contra illos, *Matth.* 16. 18. 2. Hoc modo preces Chriſti poſſent eſſe fruſtraneæ, contra *Ioan.* 11. 41, 42. 3. Cuſtodiuntur virtute Dei ad ſalutem, 1 *Petr.* 1. 5.

LUTH. Calviniani docent, omnia fieri neceſſitate abſoluta. *Idem, ibidem, cap.* 9.

ORTHOD. *Splendidum hoc iterum eſt mendacium.* Nam *dicunt, fieri neceſſario ex hypotheſi decreti Divini tantum.*

π. ψ. *Libertas non poteſt ſtare cum neceſſitate.*

Refell. 1. Quia Deus quæ agit ad extra, neceſſario agit; & tamen libere agit. 2. Chriſtus non potuit non ſancte vivere; & tamen hoc liberrime fecit.

LUTH. Calvin. negant in Infantibus peccatum originale. *Idem, ibid. cap.* 10, *quæſt.* 1.

Refell. Eſt calumnia craſſiſſima. Nam licet Keckerm. in Syſt. Theolog. peccatum originale à parentibus non propagari in ſobolem ſtatuat, addit tamen, *phyſice* id non fieri, ſed *moraliter*; id eſt, per imputationem delicti Adami & Evæ id fieri, rotunde ſcribit.

LUTH. Calviniani dicunt, quod Deus velit peccatum. *Idem, ibidem, quæſt.* 1.

ORTHOD. *Ita, ſed* permiſſive *tantum, non* effective.

π. ψ. *Quia Deus neque vult, neque non vult, id eſt, non curat peccatum.*

Refell. 1. Hoc modo eximeretur providentia Dei peccatum. 2. Quia præſcit peccatum: quicquid autem præſcit, præſcit, quia decrevit;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

nihil enim præſcit antecedenter ad decretum ſuum. 3. Deus voluit juſtitiam ſuam manifeſtare in condemnatione quorundam, & miſericordiam in ſalvatione quorundam: Ergo voluit peccatum permittere; Quia ſine hoc locus iſtis non fuiſſet futurus.

LUTH. Calvin. docent, Deum eſſe auctorem peccati. *Idem, ibidem, quæſt.* 2.

π. ψ. Quia ſtatuunt, Deum velle peccatum permiſſive.

Refell. 1. Ipſimet Lutherani concedunt, quod Deus velit peccatum permiſſive. 2. Quia Calviniani negant, Deum ullo modo cauſam eſſe efficientem; cum ergo peccatorum cauſa non ſit efficiens, ſed deficiens, Deus certe non erit peccati cauſa ulla ratione ex ſententia Calvinianorum.

LUTH. Calvin. docent, Deum voluiſſe, approbaſſe, effeciſſe peccatum Adæ. *Idem, ibidem, quæſt.* 3.

ORTHOD. *Imo impudens hoc eſt mendacium.*

Hoc enim tantum docent. 1. Quod Deus voluerit permittere peccatum Adami, & quod ſi non permiſiſſet, nunquam futurum fuiſſet. 2. Docent, quod in peccato commiſſionis cum duo ſint, *actus* ſcilicet, & iſtius actus *deformitas*, Deus cauſa ſit *actus*, non vero ἀταξίας. 3. Docent quod Deus peccata peccatis puniat; interim, quod peccatum eſt ex parte creaturæ, id poteſt fieri pœna juſtiſſima ex parte Dei.

LUTH. Calvin. docent, in renatos non cadere peccatum regnans. *Idem, ibidem, quæſt.* 5.

ORTHOD. *Non diffitemur hoc.*

Nam, in quem cadit peccatum regnans, *ille eſt ſervus peccati*, Rom. 6. 13. Qui autem eſt ſervus peccati, ille dat operam peccato: quod in fideles non cadit, 1 *Ioan.* 3. 8.

LUTH. Diſtinctio peccati, in mortale, & veniale, tolerari poteſt ex rei natura. *Idem, ibidem, quæſt.* 9.

ORTHOD. *Toleratur, ſi dicatur veniale ex* eventu, *non* natura *ſua.*

π. ψ. Non omne peccatum mereri ex ſua natura mortem.

Refell. 1. *Maledictus omnis, qui non permanſerit*, Deut. 27. 2. Quia vel de Verbo otioſo, niſi condonetur homini, reddenda ratio, *Matt.* 12. 3. Omne peccatum committitur in Deum, qui eſt infinitus.

LUTH. Anima traducitur ex ſemine. *Echard. faſc. cap.* 10. *in append.*

ORTHOD. *Contra.*

π. ψ. Propagari peccatum ex uno homine in alterum per generationem.

Refell. 1. Quia per unius inobedientiam eſt peccatum ingreſſum. Si per unius inobedientiam, Ergo per imputationem iſtius inobedientiæ. 2. Si per ſemen traduceretur anima, & per animam peccatum, tum certe ſequeretur, quod ſemen peccati eſſet capax. At abſurdum hoc. Ergo. Nihil enim ex rei veritate eſt peccati capax, niſi quod etiam eſt virtutis; & virtutis capax eſt non niſi creatura rationalis. 3. Quia negant Lutherani, peccatum eſſe poſſe, quod voluntarium non eſt.

CAP. VI.

De Lege & Evangelio.

LUTH. Diviſio Decalogi, qua dividitur ſecundum Lutherum, eſt bona. *Echard. faſc. cap.* 11, *quæſt.* 1.

ORTHOD. *Contra.*

π. ψ. Quia ſculptilia & imagines tolerandas eſſe docent in Eccleſiis.

Refell. 1. Quia dicitur, *Neque facies, neque coles*; ubi utrumque ponitur. 2. Ex *Deut.* 4. ubi ratio datur, quare non debeant imagines fabricari, quia ſcilicet nullam ſimilitudinem Dei viderunt, *verſ.* 15, 16.

LUTH. Quod Lutherus verba de imaginibus omiſerit in Decalogo, poteſt excuſari. *Idem, ibidem, quæſt.* 2.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ORTHOD. *Contra.*

π. ψ. Putant, *Lutherum tertium Eliam, adeoque ipſum errare non poſſe.*

Refell. 1. Lutherus etiam multa graviſſima peccata commiſit, præcipue in doctrina de Euchariſtia. 2. Quia Deus nullos habet jam tales, hoc enim ſolis Prophetis & Apoſtolis donatum erat.

LUTH. Promiſſiones Evangelicæ ad omnes & ſingulos pertinent. *Idem, ibidem, cap.* 12, *quæſt.* 1.

ORTHOD. *Contra.*

π. ψ. *Deus vult, omnes & ſingulos ſalvos fieri.*

Refell. 1. Quia non omnes eligit, illos tantum juſtificat, vocat, glorificat, quos elegit, *Rom.* 8. *v.* 29, 30. 2. Quia reprobavit aliquos, vel ipſis Lutheranis confitentibus. 3. Non omnes vocat vocatione externa, nec quoſcunque vocat vocatione externa, etiam vocatione interna. Nam, ſi omnes vocaret, omnes Chriſtum acceptaturi fuiſſent, & eſſent, 1 *Cor.* 1. 24. 4. Quia non omnium miſeretur, *Rom.* 9.

CAP. VII.

De Sacramentis.

LUTH. Sacramenta Veteris & Novi Teſtamenti non ſunt eadem quoad rem ſignificatam. *Idem, ibidem, cap.* 13.

ORTHOD. *Contra.*

π. ψ. *Id quod eſt abſens, non poſſe eſſe fidei præſens.*

Refell. 1. Sic omnes fideles Veteris Teſtamenti periiſſent; pereunt enim qui non ſunt participes Carnis & Sanguinis Chriſti, *Ioan.* 6. 2. Quia participes fuerunt Chriſti: 1 *Cor.* 10. *v.* 4. 3. Quia ſic fideles quoque Novi Teſtamenti non poſſent eſſe participes. Fimus enim participes in Cœna Domini, non cujuſvis corporis, ſed crucifixi & ſanguinis effuſi. At vero hæc jam non ſunt amplius.

CAP. VIII.

De Fide.

LUTH. Infantes habent fidem ſalvificam. *Idem, quæſt.* 2, *c.* 14.

ORTHOD. *Negant.*

Bene hoc intelligendum fuerit; intelligunt enim hic Lutherani per fidem non *habitualem* (quam nos ultro largimur), ſed fidem *actualem.*

π. ψ. *Mala interpretatio verborum*; Qui crediderit, ſalvus erit.

Refell. 1. Iſta pertinent ad adultos *principaliter*, ad infantes autem *mediate*; quemadmodum & illud, Gen. 17, *Ambula coram me, & eſto perfectus*, immediate pertinebat ad Abrahamum, mediate vero ad ſemen ejus. 2. Quia non ex eo infantes baptizantur, quod fidem habeant, ſed quod ſint in fœdere; quemadmodum infantes Veteris Teſtamenti circumcidebantur, non quod potuerint perfecte ambulare coram Deo, ſed quod eſſent in fœdere.

CAP. IX.

De Prædeſtinatione.

LUTH. Reprobatio non poteſt dici Prædeſtinatio. *Echard. faſc. cap.* 14, *quæſt.* 1.

ORTHOD. *Contra.*

π. ψ. *Reprobationis nullum eſſe finem*; *Ita etiam Keckermannus in ſuo Syſtem. Theol.*

Refell. 1. Reprobatio eſt voluntas Dei, de quibuſdam hominibus ordinandis ad æternum exitium, ut in illo, & per illud juſtitia Dei manifeſtetur. 2. Quia Deus omnia agit propter certos fines. At reprobatio eſt actio Dei. Ergo.

LUTH. Deus reprobos non creavit ad æternum exitium. *Idem, ibidem, quæſt.* 4.

ORTHOD. *Contra.*

ϖ. ψ. *Quia creavit hominem ad imaginem ſuam.*

Refell. 1. Quia creari ad imaginem, non *finem*, ſed *ſubjecti qualitatem*, denotat. 2. Quia creavit non immutabilem, ſed mutabilem. 3. Quamvis ſit conditus ad imaginem Dei, dicitur tamen eſſe ad diem mali. *Prov.* 16. 4.

LUTH. Omnes vocati, ſalutis fine vocantur. *Idem*, *ibidem*, *quæſt.* 8.

ORTHOD. *Contra.*

ϖ. ψ. *Quia ſecus non vocarentur ſerio, ſed ex hypocriſi.*

Refell. 1. Quia hoc pacto Deus hypocritice ageret cum iis, quibus occultat myſteria Verbi ſui, *Matth.* 11. 25. Quod abſurdum. 2. Quia, ſi ex hoc hypocriſis eſſet imputanda, tum Deus quos vocat, & non dat eis cognoſcere myſteria Verbi ſui, vult ſalvare. At hoc eſt abſurdum. Nam quomodo vult, quibus non dat noſſe myſteria Verbi ſui? *Luc.* 8. 10. 3. Quia, ſi ex eo hypocriſeos eſſet accuſandus, quod non omnes quos vocat, velit ſervari, tum etiam eodem modo accuſari poteſt Chriſtus, *Ioan.* 12. Ubi vocat & precatur, ut occæcet cor populi, ne intelligant & ſe convertant.

LUTH. Electio facta eſt intuitu meriti Chriſti. *Idem*, *ibidem*, *quæſt.* 10.

ORTHOD. *Contra.*

ϖ. ψ. *Electionem eſſe factam propter Chriſtum.*

Refell. 1. Quia Chriſtus eſt medium electionis exequendæ. Ergo ſi medium, poſterior electione. 2. Quia, ſi propter meritum Chriſti electi ſumus, tum nos propter Chriſtum electi, & non Chriſtus propter nos. At hoc eſt abſurdum. Quia nullus locus Chriſti Mediatoris, niſi propter nos; vult enim Chriſtus non ut ſibi miniſtraretur, ſed ut miniſtraret, daretque animam ſuam pretium redemptionis pro multis. 3. Electi ſumus, ut eſſemus ſancti & inculpati in Chriſto. Ergo prius nos electi; poſt Chriſtus tanquam medium.

LUTH. Reſpectus Fidei ingreditur decretum electionis, tanquam cauſa impulſiva externa propter quam electi ſumus. *Idem*, *ibidem*, *quæſt.* 9.

ORTHOD. *Contra.*

ϖ. ψ. *Decretum electionis non eſſe abſolutum à cauſa externa impulſiva.*

Refell. Quia, Si non eſt abſolutum, Ergo voluntas Dei movebitur ab aliquo externo: quod abſurdum. 1. Quia, ſic Deus non eſſet cauſa prima, ſed ſecunda; quod enim agit motum, illud independenter non agit. 2. Quia ſic in Deum caderet potentia paſſiva; quod enim movetur, moveri potuit. 3. Caderet in Deum mutabilitas; nam qui poterat moveri primo, & poſt motus eſt, ille eſt mutatus; de potentia enim tranſit in actum.

LUTH. Electio facta eſt ſecundum præſcientiam. *Idem*, *ibidem*, *quæſt.* 11.

Sophiſticantur & obſcure rem proponunt. Nam præſcientiam intelligunt, vel quæ dicitur antecedere prædeſtinationem ordine naturæ, vel quæ accipitur pro amore Dei gratuito, Pſal. 1, *Novit Deus viam juſtorum.* 1 Tim. 2. 19, *Novit Deus qui ſunt ſui:* vel vero quæ accipitur pro ſcientia Dei, qua præſcit, quid futurum ſit, quid non. Illos in hac ſignificatione præſcientiam accipere neceſſum eſt: Eſt enim eorum

ϖ. ψ. *Prævidere Deum aliquid, quod non decrevit.*

Refell. 1. Quia ſic eſſet aliquid futurum antecedenter ad Voluntatem Dei: quod eſt abſurdum. Nam ita eſſet aliquid futurum independenter. 2. Quia, ſi ex eo eligit Deus, quod videat independenter ad decretum ſuum aliquos credituros, tum ſequitur, nos electionem noſtram non ferre debere Deo acceptam; nam elegit nos, quos vidit credituros. 3. Quia, ſi ita res habet, fides non erit donum Dei; nam Deus independenter prævidit fidem habituros eſſe: at Scriptura contrarium ubique teſtatur, *Eph.* 2. 8.

LUTH. Reprobatio Dei non eſt abſoluta. *Idem*, *ibidem*, *quæſt.* 12.

OR-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Orthod. *Dicunt, abſolutam eſſe à* cauſa impulſiva externa, *non à* mediis & fine.

π. ψ. Propter prævisum peccatum factam eſſe reprobationem.

Refell. 1. Nam ſtatuunt iſti, Deum prævidiſſe peccatum antecedenter ad decretum ſuum, ſed permiſſive: quod eſt falſum. 2. Si propter peccatum præviſum reprobaſſet Deus hominem, omnes reprobaſſet; prævidit enim omnes peccatores. 3. Quia ſic voluntas Dei dependeret ab aliquo, atque ita jam voluntas non eſſet in Deo Deus. Nam Deus independens; voluntas autem ipſius erit dependens.

Cap. X.

De pœnitentia & juſtificatione.

Luth. Privata confeſſio & abſolutio retinenda eſt. *Echard. faſc. cap.* 16, *quæſt.* 4.

Orthod. *Negant.*

π. ψ. Homines, ſi aliquo ſcelere gravati tenentur, nec ſibi ipſis erigendis ſufficiunt, debere hoc revelare Paſtori.

Nota. Vera quidem hæc eſt ſententia, nec π. ψ. eſt in eo, quaſi ſententia iſta falſa eſſet, ſed in eo, quod, cum in certo caſu id faciendum ſit, illi ad omne peccatum iſtud trahant.

Refell. 1. Quia ſoli Deo peccata revelanda, *Pſal.* 51. 6. 2. Eſt inventum Pontificium, ad quæſtum faciendum, quem etiam ipſi Lutherani non deſpiciunt.

Luth. Remiſſio peccatorum ſemel accepta, poteſt fieri irrita. *Idem, cap.* 17, *quæſt.* 5.

Orthod. *Negant.*

π. ψ. Veram fidem ſalvificam totaliter amitti poſſe.

Refell. 1. Nam, ſi fides poteſt amitti, tum non omnis qui credit, habet vitam æternam. 2. Quia ſecus non eſſet victoria, 1 *Ioan.* 5. *v.* 4. 3. Quia ſecus fides non extingueret jacula Satanæ; at contrarium, *Eph.* 6. 16.

Luth. Non ſolis electis competit remiſſio peccatorum. *Idem, ibid. quæſt.* 6.

Orthod. *Contra.*

π. ψ. Parabola iſta, Matth. 18. 32, 34.

Refell. 1. Quia non ex *materiali*, ſed ex *formali*, ſive ex ſcopo parabolæ, eſt argumentandum, ut docent omnes Theologi. 2. Quia ſi poteſt alicui præter electos contingere remiſſio peccatorum, tum non eſſet firmum illud, *Rom.* 4. *v.* 6, 7, 8, 9. 3. Quia nemo præter electos ſalvabitur, *Rom.* 8. 30.

Cap. XI.

De Sacramentis.

Luth. Sacramenta ſunt organa phyſica conferendæ gratiæ. *Mentzerus, Exeg. Aug. conf. artic.* 5. *Idem, artic.* 9, *pag.* 421. *Echard. faſc. cap.* 18, *quæſt.* 3.

Orthod. *Contra.*

π. ψ. Gratiam ſalutarem non conferri extra uſum Sacramentorum, ſed tantum in uſu neceſſario conferri.

Refell. 1. Quia latro ſine Baptiſmo ſalvatus eſt. 2. Simon Magus baptizatus condemnatus eſt, Act. 8. 3. *Quia non privatio, ſed contemptus Sacramentorum damnat.* 4. Sine Verbo nemo adultus poteſt quidem ſalvari; ſed poteſt ſine Sacramentis; nam à condito Mundo uſque ad Abrahamum nulla Sacramenta fuerunt inſtituta. Et, dum Iſraëlitæ eſſent in Deſerto, nulla Sacramenta uſurpabant, ut apparet, *Ioſ.* 5.

Luth. Forma Sacramenti non conſiſtit in analogia. *Echard. faſc. cap.* 18, *quæſt.* 5.

Orthod. *Contra.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ϖ. ψ. Corpus Chriſti realiter præſens eſt in ſignis, & ore corporis manducatur.

Refell. 1. Quia non eſt tale Corpus Chriſti & Sanguis Chriſti, quale manducatur & qualis bibitur. *Obj.* Ergo nos non ſimus participes Corporis Chriſti, ſed nudorum ſignorum tantum. *Reſp.* Inepta præſupponitur hypotheſis, acſi fidei non eſſet præſens, & quod futurum vel præteritum eſt, fide iſtud non percipiatur. 2. Quia Chriſti Carnem & Sanguinem non reſpicit fides, ut *phyſicum* quid, ſed ut *pretium* pro peccatis.

LUTH. Unio ſigni & rei ſignatæ eſt phyſica in Sacramento, non relativa tantum. *Idem, ibidem, cap.* 18, *quæſt.* 6.

ORTHOD. *Negant.*

ϖ. ψ. Corpus Chriſti eſſe in, cum, & ſub pane.

Refell. 1. Inculcamus hoc ſæpe, ut bene teneatur, Corpus Chriſti non qualecunque nobis proponi in Cœna manducandum, ſed Corpus crucifixum & ſanguinem fuſum. At iſta amplius non ſunt. Ergo nec in pane vel vino latere poſſunt. 2. Pugnant iſta cum articulis. 1. Aſcendit in cælum; ſi aſcendit quomodo erit in pane & vino? 2. Inde venturus eſt judicare; ſi venturus eſt, ergo hic non eſt, nec ex pane aut vino venturus. 3. Quia, ſi Chriſtus latitat in pane & vino; qua homo adorandus cultu religioſo erit, non poſſunt ergo Pontificii ab ipſis accuſari idololatriæ, cum (ut illi dicunt) Euchariſtiam adorant.

LUTH. Fides non eſt de eſſentia Sacramentorum. *Idem, ibid. quæſt.* 7.

ORTHOD. *Negant.*

ϖ. ψ. Uſus non eſt de ratione Sacramenti.

Refell. 1. Quia nihil habet rationem extra uſum divinitus inſtitutum. 2. Quia uſus & finis in natura accidentium (quale eſt Sacramentum), ingreditur eſſendi rationem, & ſupplet locum formæ. 3. Quia ſignum habet relationem ad rem ſignatam, & ad eum cui datur in ſignum; ſi non erit res quæ ſignificabitur (*ſublato enim relato tollitur correlatum*), fruſtra erit ſignum, imo nec ſignum erit. 4. Quia in inſtitutionis Cœnæ Domini verbis non modo hæc continentur, *Benedixit*, &c. Sed etiam *fregit, dedit, dicens, accipite, comedite.* At verba inſtitutionis Cœnæ Domini proponunt.

CAP. XII.
De Baptiſmo.

LUTH. Calviniani duplicem Baptiſmum ſtatuunt, unum externum aquæ, alterum internum Spiritus Sancti. *Echard. faſcic. cap.* 19, *quæſt.* 2.

ϖ. ψ. Putant, aliam eſſe operationem ſignorum; aliam, rei ſignatæ; & inde duos extruè Baptiſmos.

Refell. 1. Quia, ſi res ita habet, tum certe ſequitur, in unoquoque Sacramento aliam eſſe actionem ſigni, aliam eſſe rei ſignatæ; ita ergo duplex Circumciſio eſſet futura, duplex Agnus Paſchalis. 2. Quia omne Sacramentum conſtat duabus rebus, una terreſtri, altera cæleſti; & quemadmodum natura ſignorum diverſa eſt à natura rei ſignatæ, ita & operationes. Quia in operationum iſtarum analogia forma conſiſtit Sacramenti.

LUTH. Calvin. docent, Baptiſmum aquæ exteriorem, & ſanguinis interiorem, non unum eſſe Baptiſmum. *Idem, ibidem, quæſt.* 3.

ϖ. ψ. Quia effecta ſunt varia & diverſa iſtorum. Item cauſa: nam cauſa Baptiſmi quoad externam aquam eſt miniſter, quoad internam vero collationem eſt Chriſtus.

Refell. 1. Nam hoc pacto nullum Sacramentum erit ſolum, ſed omnia gemina; Quia in omni Sacramento hæc concurrunt, nam alia ſignorum, alia rei ſignatæ effecta. 2. Quia in omni Sacramento rem ſignatam Deus dat, ſignum vero miniſter. 3. Quia miniſter in eo, in quo adminiſtrat ſigna, non eſt opponendus Deo, ſed ſubordinandus, quia eſt ejus miniſter.

LUTH.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

LUTH. Baptiſmus in caſu neceſſitatis à religioſa muliere vel laïco adminiſtrari poteſt & debet. *Mentzerus in exeg. conſ. Aug. art.* 9, *pag.* 407. *Echard. faſc. cap.* 19, *quæſt.* 4.

π. ψ. *Regenerationem alligant Baptiſmo.*

Refell. 1. Multi baptizantur, qui non regenerantur. 2. Quia multi regenerantur, qui non baptizantur, ut latro in cruce pendens. 3. Quia ea ratio Baptiſmi in Novo Teſtamento (ut liquet *Col.* 2.) quæ erat Circumciſionis in Veteri Teſtamento. At Circumciſio non erat alligata regenerationi, non omnes qui circumcidebantur, regenerabantur, *Rom.* 2. 28, 29. *Inſt.* At Chriſtus in Novo Teſtamento nos omnes fecit Sacerdotes, *Apoc.* 1. Ergo in caſu neceſſitatis, &c. *Reſp.* Non ſequitur, quia hoc pacto poſſent etiam Cœnam Domini adminiſtrare, & Verbum Dei prædicare. At hoc non datur.

LUTH. Calviniani docent, in Baptiſmo loco aquæ poſſe etiam alium liquorem adhiberi, qui eſt abluendo corpori idoneus. *Echard. faſc. cap.* 19, *quæſt.* 5.

Refell. Nam, ſi in Cœna Domini licet uti pro pane, aliquo alio cibo, qui panis vicem in alendo ſuſtinet in abſentia panis; alio potu qui vicem vini ſuppleat; quidni etiam loco aquæ, ſi deſit, alio liquore uti fas ſit? At negant illi antecedens. Sed refelluntur, 1 *Cor.* 10. ubi Corpus Chriſti & Sanguis Chriſti dabatur fidelibus in Manna & cum aqua.

LUTH. Calvin. non ſerio credunt, quod Baptiſmi res ſignata ſit Sanguis Jeſu Chriſti. *Idem, ibidem, quæſt.* 6.

π. ψ. *Omnes qui baptizantur, ſi Baptiſmus pars ſit Sanguinis Chriſti, abluuntur à peccatis, & conſequuntur remiſſionem.*

Hoc prius ſciendum, Baptiſmum *ſignificare* ablutionem, non *præſtare*. 2. Quemadmodum ſigillum Principis non cuivis inſervit, ſed tantum iis, quibus à Principe deſtinatur obſignare; ita & hic fit, ut aliquando antecedat ablutio à peccatis ipſum Baptiſmum. Hinc regula Theologorum: *Nihil habere rationem Sacramenti extra legitimum uſum.*

LUTH. Calvin. negant Sanguinem Chriſti abluere ſordes animi. *Idem, ibidem, quæſt.* 7.

π. ψ. *Quia, ſi ablueret ſordes, eſſet capax proprietatis Divinæ.*

Refell. 1. Aliud eſt, *meritorie*; aliud, *realiter* peccata abluere; Sanguis Chriſti mundat peccata *meritorie*. Et hæc eſt proprietas non Divinæ, ſed humanæ naturæ in Divina hypoſtaſi ſubſiſtentis; Quia natura Divina mundat realiter. 2. Quia ſi hæc proprietas eſſet Divinæ naturæ, tum mori pro peccatis eſſet proprium Divinæ naturæ; quod abſurdum.

LUTH. Sacramentum Baptiſmi ex ordinatione Divina confert remiſſionem peccatorum, adoptionem & regenerationem. *Mentzer. d. l. pag.* 411. *Echard. faſc. cap.* 19, *quæſt.* 9.

ORTHOD. *Negant.*

π. ψ. *Signa efficere hoc, quod eſt rei ſignatæ.*

Refell. 1. Quia, ſi efficit hoc, quod res ſignata, & res ſignata confert hoc meritorie; Ergo Baptiſmus aquæ meretur nobis remiſſionem peccatorum, adoptionem & regenerationem; Ergo non ſola mors Chriſti hoc præſtat, ſed habet hic ſuam ſociam cauſam Baptiſmum aquæ, quæ idem hoc præſtat. Quod ſi dicant, realiter iſta præſtari à Baptiſmo, tum vero iſte Baptiſmus aquæ jam non erit creatura, ſed Deus. Nam nemo iſta præſtare poteſt, niſi ſolus Deus; ut omnes fatentur. 2. Si Baptiſmus eſt ſignum, & ſignum dicitur ab operatione proprie, quæ ſignificat & obſignat; Non ergo confert remiſſionem peccatorum, ſed ſignificat & obſignat.

LUTH. Non ſunt Sancti filii fidelium ante Baptiſmum. *Echard. cit. loc. quæſt.* 12.

ORTHOD. *Contra.*

π. ψ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

π. ψ. *Abſque Baptiſmo nemo conſequitur remiſſionem peccatorum.*

Sed hoc jam ante refutatum eſt.

LUTH. Per Baptiſmum fit primus ingreſſus in fœdus Dei & Eccleſiam. *Idem, ibidem, quæſt.* 13.

ORTHOD. *In Eccleſiam viſibilem.*

π. ψ. *Quia ſtatuunt, nos per Baptiſmum adoptari in filios, & hoc pacto adoptari etiam in fœdus.*

Refell. 1. Quia oportet ſimus fœderati, antequam baptizamur; hinc Gentilium liberi non admittuntur, quia parentes ipſorum non ſunt fœderati; non admittimus, inquam, liberos Gentilium, niſi adulta ætate, ubi in fide edocti, ejus rationem reddere poſſunt. 2. Ex *Act.* 2. 39. Conf. *Gen.* 17. 7.

LUTH. Baptiſmus eſt neceſſarius ad ſalutem. *Idem, ibidem, quæſt.* 14.

ORTHOD. Ex hypotheſi *Divini mandati, non* abſolute.

π. ψ. Joan. 3. 5. *Niſi quis* &c.

Refell. 1. Quia, ſi hæc verba abſolutam neceſſitatem inferunt, tum nemo ſalvatur abſque Baptiſmo: quid ergo de iſtis liberis fiet, qui inter pariendum moriuntur? 2. Quia, quæ ratio Baptiſmi, ea fuit Circumciſionis in Veteri Teſtamento. At mortui ante Circumciſionem non omnes condemnabantur, alioqui Deus non dilaturus fuiſſet in diem octavum. Ergo neque qui moriuntur ante Baptiſmum.

CAP. XIII.

De Euchariſtia.

LUTH. Vocabulum, *edite*, in verbis inſtitutionis non poſſe accipi metaphorice, dum agitur de comeſtione, quæ fit per fidem. *Idem, c.* 20, *quæſt.* 5.

π. ψ. *Verba Cœnæ Domini aliena ſunt à tropis.*

Refell. 1. Nam vox iſta contrarium teſtatur; Nam, ſi vox *edite* proprie ſumatur de pane, non poteſt proprie ſumi de perceptione Corporis & Sanguinis Chriſti, quæ fit per fidem. 2. Quia expreſſe in inſtitutione Cœnæ Domini, panis vocatur corpus. At hoc proprie dici non poteſt; neque enim diſparatum de diſparato dici poteſt proprie. 3. Quia in verbis inſtitutionis Cœnæ Domini calix vocatur Novum Teſtamentum; quod Adverſarii nullo modo poſſunt dicere, quod dicatur proprie.

LUTH. Inſtrumentum, quo Corpus Domini in Cœna percipitur, non tantum eſt fides, ſed etiam os corporis. *Idem, ibidem, quæſt.* 6.

ORTHOD. *Negant.*

π. ψ. *Corpus Chriſti latitare in pane, & Sanguinem ejus in vino.*

Refell. 1. Si ex eo, quod panis vocatur Corpus Chriſti, Chriſti Corpus latitat in pane, tum ſequitur (ex eo, quod calix dicitur Novum Teſtamentum, Circumciſio fœdus, Agnus tranſitus) fœdus latere in calice, & Circumciſione, & tranſitum, in Paſchate; quod eſt abſurdum. 2. Quia ſi latitat Corpus Chriſti in pane, & Sanguis ejus in vino, tum deſtituitur quantitate propria corporis humani; ſi ergo deſtituitur propria quantitate, quomodo erit homo? 3. Quia aſcendit, inde venturus &c.

LUTH. Manducatio Corporis Chriſti, quam Lutherani profitentur, non eſt Capernaïtica. *Idem, ibidem, quæſt.* 8.

ORTHOD. *Affirmant.*

π. ψ. *Putant aliter ſe comedere Corpus Chriſti, quam Capernaïtæ, & tamen oraliter.*

Refell. 1. Nam Capernaïtæ de ore corporis intelligebant; ut ex redargutione Chriſti clariſſime apparet, *Ioan.* 6. 62. 2. In diſcrimine, quod dicunt inter ſe & Capernaïtas eſſe; Capernaïtæ enim putabant, Corpus Chriſti debere ſumi, & in ſeceſſum ejici. At nos hoc non dicimus. Sed vani ſunt. Vide pluribus Wendelinum, *pag.* 427.

LUTH.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Luth. Impanationem Lutherani non defendunt. *Idem, ibidem, quæſt.* 9.

Orthod. *Omnino.*

π. ψ. *Abſurditer manifeſta eſt συνȣσία & impanatio.*

Refell. Proteſtatio ipſorum eſt contraria facto. 1. Quia æquipollenter dicunt in, cum, & ſub pane. Qui ergo unum dat æquipollens, dare debet & alterum. 2. Dicunt, cum pane oraliter manducari Corpus Chriſti. Atqui cum pane non poteſt comedi, niſi ſit in pane; Et ſimilia, quæ adduntur ab ipſis, hoc oſtendunt; Nam dicunt, hæc propoſitio (*Hoc eſt Corpus meum*) dum de pane dicitur, ita intelligenda eſt, ac cum de ſacco pleno avena, dico, *hoc eſt avena:* de cantharo pleno vino, *hoc eſt vinum.* Atqui & ſaccus continet avenam, & cantharus vinum. Ergo, ſi ſimilitudo conſtare debeat, dum dicitur, *Panis eſt Corpus*, oportet ut corpus in ſe ſimiliter contineat.

Luth. Pronomen demonſtrativum, *Hoc*, non ſolum notat panem, ſed & Corpus Chriſti. *Idem, ibidem, quæſt.* 10.

Orthod. *Pronomen* hoc *accipitur de pane non* adjective, *ſed ſubſtantive, hoc eſt, quaſi* hæc res, *ut in illo Poëta:*

Triſte lupus ſtabulis, maturis frugibus imbres.

Luth. In Cœnæ uſu ſimus participes Corporis & Sanguinis Chriſti. *Idem, ibidem, quæſt.* 24.

Fatentur idem Calvin. (ut nos vocant) neque enim in Cœnæ uſu fiunt tantum nudorum ſignorum participes, ſed & Corporis & Sanguinis Chriſti, verum alio ſenſu quam Lutherani. Illi enim dicunt, exhiberi ſic, ut Corpus ſit in pane realiter, Sanguis ſimiliter in vino realiter. Nos vero non ita, ſed fide apprehendimus Corpus Chriſti pro nobis crucifixum, & Sanguinem effuſum; hinc docemus, reprobos & infideles non percipere rem ſignatam, ſed ſignum tantum in Cœna Domini, non ut docent Lutherani. Hinc & modus loquendi Theologorum: *Corpus & Sanguis Chriſti adſunt quidem fideli cœnanti, ſed non ſymbolis Cœnæ.*

Luth. Calvin. docent, infantibus Cœnam Domini eſſe adminiſtrandam. *Idem, ibidem, quæſt.* 27.

Orthod. *Splendide, imo ſcelerate mentiuntur. Nunquam enim aliquis Calviniſtarum hoc docuit, licet hoc Muſculo adſcribatur, ſed ille refert tantum ſententiam Auguſtini, quam non probat, una cum rationibus, quibus inductus fuerat.*

Cap. XIV.
De Adiaphoris.

Luth. Exorciſmus, quo infantes exorcizantur, eſt res adiaphora. *Echard. cap.* 21, *quæſt.* 1.

Orthod. *Res eſt impia & ſuperſtitioſa.*

π. ψ. *Infantes non eſſe regenitos ante Baptiſmum, ac proinde eſſe ſub poteſtate Diaboli, & inde Diabolum ex iſtis pellendum.*

Refell. 1. Quia infantes fœderatorum ſunt in fœdere. At qui ſunt in fœdere, ſunt populus Dei, Gen. 17, *Ero Deus tuus* &c. 2. Quia vocantur ſancti (intellige ſanctitatem non *qualitativam*, ſed *relativam* & *fœderalem*) 1 *Cor.* 6. 3. Quia ſic Deus omnes infantes ante Baptiſmum decedentes condemnaret; quod dicere eſt abſurdum.

Luth. Fractio panis in Cœna adiaphorum quid eſt. *Idem, ibidem, quæſt.* 2.

π. ψ. *Quia objicimus, ſi Chriſtus in pane latitat; Ergo frangitur ſicut panis; hoc ergo ut effugiant, dicunt fractionem panis non eſſe neceſſariam.*

Refell. 1. Chriſtus ipſe fregit. 2. Quia tota Cœna à fractione denominatur, *Act.* 2. 42. Non autem eſt veriſimile, Sacramentum tam pretio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

pretioſum ab actione minus neceſſaria denominatum iri.

Luth. Placentulæ orbiculares, quæ apud nos in uſu ſunt, ſunt verus panis Euchariſticus. *Idem, ibidem, quæſt.* 3.

Orthod. *Negant.*

π. ψ. Quia utuntur iſtis in adminiſtratione Cœnæ Domini.

Refell. Quia panis, qui in Cœna Domini adhiberi debet, debet eſſe in uſu communi.

Luth. In Cœna Domini ore recipienda ſymbola, non manu. *Idem, ibidem, quæſt.* 4.

Orthod. *Negant.*

π. ψ. Nam accipere *nihil ſignificat myſtice.*

Refell. 1. Quia nihil ſignificaret illud etiam myſtice, quod Chriſtus in manus porrexit. 2. Quia manus, fidei comparatur ab antiquis Patribus; Quemadmodum enim manu accipimus quæ nobis offeruntur, ita fide accipimus Chriſtum cum omnibus beneficiis ſuis. 3. Quia totum hoc ex ſuperſtitione & hypotheſi falſa ortum duxit; putant enim, in pane latere Corpus Chriſti, & laïcos eſſe indignos ut attingant; hinc fit, ut in os ipſis intrudant ſymbola, quaſi manus eſſet indignior ore, cum Chriſtus dicat: quæ ex ore proficiſcuntur, ex corde progredi & polluere, *Matth.* 15. 28.

Luth. Altaria in templis ſuperſtitioni Papali dedicata non debent ſubverti. *Idem, ibidem, quæſt.* 7.

π. ψ. Imagines prius ex corde, poſt ex templis removendas.

Refell. 1. Quia ipſi à temporibus Lutheri perpetuo hoc crepant, nonne ergo tempus erat eximere ex cordibus quoque? 2. Quia ſuos auditores, quos inſtituunt, non habent pro veris cultoribus Dei, ſed idololatris, ex quorum cordibus nondum amoverunt idola. 3. Quia ſi altaria debent retineri, debent & Sacrificia reſtitui, & ſic incruentum ſacrificium Pontificiorum iterum recipi. 4. Quia Rex Ezechias propter abuſum etiam ſerpentem æneum contrivit, 2 *Reg.* 18.

Cap. XV.

De vita Æterna.

Luth. In vita æterna gradus præmiorum & gloriæ futuri ſunt, hoc ſalva manente caritate & ſalvo ſenſu admitti poteſt. *Echard. faſc. cap.* 22, *quæſt.* 1.

π. ψ. Homines accepturos præmium in vita futura magis, vel minus, pro eo quod vel magis, vel minus, bonis operibus ſtuduerunt.

Refell. 1. Quia vita æterna donum Dei eſt; Ergo fruſtra hic reſpicitur ad opera. 2. Quia gratis quod datur, non datur propter opera.

Luth. Magiſtratus capitali ſupplicio non debet animadvertere in hæreticos. *Idem, cap.* 23, *quæſt.* 1.

Orthod. *Contra.*

π. ψ. Chriſtus juſſit, zizaniam creſcere uſque ad meſſem.

Refell. 1. Aliud eſt agere de eo, quem non conſtat eſſe certum hæreticum (quo Chriſtus reſpicit); aliud, de eo, quem certo conſtat. 2. Quia *Deut.* 13, clariſſime interficere jubet Spiritus Sanctus hæreticos.

Luth. Honores Magiſterii & Doctoratus licitum eſt ſumere: hic nemo repugnat. *Echard. faſc. contr. c.* 11.

Sed quæſtio eſt; *An hi Doctores ſint de quibus*, Eph. 4. *Reſp.* Hos non fuiſſe clariſſime oſtendi. 1. Quia hi in Academia non fuerunt. 2. Quia hi moderni præficiuntur iſtis qui magis à cultioribus præficiuntur. 3. Quia Eccleſia non potuit eſſe ſine illis, ſine his vero eſſe poteſt.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

CONTROVERSIARUM,

QVAE

Inter nos & ARMINIANOS agitantur,

Oſtenſio Primi Falſi, ut dici ſolet.

CAPUT PRIMUM.

De Deo.

ARMINIANI. Dei miſericordia extendit ſe ad omnes & ſingulos homines. *Act. Syn. Remonſtrant. p.* 71. 72. 73. *& ſeqq.*

REFORM. *Contra.*

ϖ. ψ. *Vult omnes & ſingulos ſalvos fieri.*

Refell. 1. Rom. 9, *Miſeretur quorum vult.* 2. Quia ſi vellet omnes ſalvos fieri, omnes elegiſſet, & nullos reprobaſſet; cujus tamen contrarium eſt.

ARMIN. Deus condonare poteſt peccata nulla ſatisfactione accepta. *Vorſtius, diſp. de Deo, pag.* 399. *Simon Epiſcop. diſp. de Dom. Dei, th.* 13. *Slatius, Epiſt. ad N.* 1608. *Mart.* 9. *& Iun.* 30.

REFORM. *Contra.*

(Hic non convenit inter Theologos noſtros; aliqui enim ſtatuunt, quod non poſſit condonare ex abſoluta ſua natura; aliqui, poſſe quidem, ſed non decreviſſe).

ϖ. ψ. *Iuſtitiam Chriſti non eſſe noſtram juſtitiam, ſed fidem proprie imputari ad juſtitiam.*

Refell. 1. Quia juſtitia, qua juſtificamur, dicitur *non juſtitia noſtra, ſed Chriſti*, Phil. 3. verſ. 9. At fides noſtra eſt, Habac. 2, *Iuſtus ſua fide vivet.* 2. Juſtitia qua coram Deo ſubſiſtere debemus, debet eſſe perfecta. At fides noſtra non eſt perfecta, 1 Cor. 13, *Ex parte ſcimus*, &c. 3. Illud, per quod *accipimus* remiſſionem peccatorum & ſortem inter Sanctos, eſt fides, *Act.* 26. 18.

ARMIN. Quædam Deus vult, quia juſta ſunt; quædam juſta ſunt, quia vult. *Iacob. Armin. Exam. prædeſt. Perkinſ. p.* 108. *edit. Leid. in* 8. *An.* 1612.

REFORM. *Contra; Nihil eſt juſtum antecedenter ad voluntatem Dei.*

ϖ. ψ. *Deum iis, quæ præcepit hominibus, non poſſe facere contraria.*

Refell. 1. Quia Deus præcepit hominibus, ut liberos pro parentibus non puniant, *Deut.* 14. 16. At ille ipſe hoc facit; ut liquet ex peccato toti poſteritati Adæ imputato. 2. Quia ſi iis quæ jubet, non poteſt contraria, neque iis quæ vetat; Ergo cum jubet credere in Filium, ipſe etiam credit in Filium; cum jubet credere Evangelio, ipſe Evangelio etiam credit; nocentem neque vult abſolvi, neque impunitum dimittere, *Proverb.* 17. *v.* 15. Atqui ipſe facit. Nam Filium innocentiſſimum punivit, & nos nocentes abſolvit.

ARMIN. Deus poteſt dici quodammodo non perfecte beatus.

REFORM. *Contra.*

ϖ. ψ. *Quia vult optime hominibus, & vult magno*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

magno cum deſiderio ; vult enim omnes ſalvos fieri , neque tamen voto potitur.

(Proteſtantur quidem,id non ſequi ex ſua ſententia: ſed inepte. Nam ſtatuunt, quod Deus cupiat maximopere ſalutem omnium & ſingulorum, & tamen excidat ſuo voto: hinc etiam ſtatuunt, in Deum quodammodo triſtitiam cadere, ut in Vorſtio & ipſius ſcriptis licet obſervare.)

Refell. 1. Quia,ſi Deus poteſt excidere voto ſuo, & poteſt fruſtrari eo, quod vult, ſequitur, poſſe reddi irritam voluntatem ejus: quod falſum, Eſaï. 14, *Dominus iniit conſilium*, &c. 2. Quia, ſi excidere poſſet ſuo voto & propoſito, ejus cauſa aliqua eſſet aſſignanda: At hoc falſum, Prov. 21, *Cor regis in manu Dei*. Jer. 18, *Sicut argilla in manu figuli*, &c.

ARMIN. Poteſtas Dei in creaturas nititur beneficiis, creaturæ à Deo collatis; *Curcelæus, integro libro contra Amyraldum. Iacob. Armin. artic. perpend. de Dom. Dei*, 1.

REFORM. *Imo* ὑπεροχῇ *ſive excellentia ipſius naturæ.*

ϖ.ψ. *Deum non poſſe plus exigere à creatura, quam quod ipſi dederit.*

Refell. 1. Quia Deus homini in ſtatu primævo non dedit niſi *poſſe*: *velle* autem *poſſe* omnino ipſi non largitus erat, & tamen hoc exigebat. 2. Quia facultatem ſe convertendi hominibus reprobis non dedit: & tamen ab iis eam poſtulat; & quod non præſtent, punit. 3. Requirit fidem in Chriſtum mediatorem, & tamen iis nec hanc ipſam dedit.

ARMIN. Datur in Deo ſcientia media. *Epiſcop. diſp. de ſcientia Dei, th.* 15. *Vorſt. diſp.* 4, *de Deo, th.* 17.

ORTHOD. *Contra.*

(Sciendum eſt, duplicem eſſe ſcientiam, *ſcientiam ſimplicis intelligentiæ ſive poſſibilium, & ſcientiam viſionis ſive futurorum. Hæc* nititur decreto Dei; Ideo enim præſcit, quia decrevit. *Illa* nititur potentia Dei. Statuunt Adverſarii, Deum prævidere actus liberos creaturæ rationalis, quos nunquam decrevit.

ϖ.ψ. *Actus liberos non eſſe determinatos ab æterno à voluntate Dei, eo quod non eſſent liberi futuri.*

Refell. 1. Quod liberi actus poſſunt conſiſtere cum decreto Dei; actus, inquam, liberi voluntatis humanæ. vid. *Act.* 2. 23. *Act.* 4. 28. 2. Ex providentia Dei actuali; cum qua ſtant actus liberi, 1 *Sam.* 25. 1 *Reg.* 12. 15.

ARMIN. Deus ſcit actus liberos, quia ſunt; non vero ſunt, quia ſcit. *d. Epiſcop. ead. Diſp. th.* 21.

ORTHOD. *Contra.*

(Admiſſo errore priori inconvenienti, coguntur & hunc errare: Dum autem dicimus, eſſe res, quia Deus ſcit; non intelligimus *ſcientiam theoreticam*, quæ fertur in res poſſibiles, ſed *practicam*).

ϖ.ψ. *Actus liberos voluntatis non dependere à Deo.*

Refell. 1. Quia, ſi non dependent, ſunt entia independentia; erit ergo ens aliquod independens quod non eſt Deus: quod eſt contra omnem Theologiam & Philoſophiam. Nam ens à Philoſophis dividitur in dependens & independens. 2. Quia, ſi actus liberi non dependent à decreto Dei, datur fatum Stoïcum; & quidem vere hoc ſequetur ex ipſorum ſententia, quod illi docent falſo, ſequi ex noſtra, nempe, Futurum aliquid neceſſarium abſolute, non ex hypotheſi decreti Divini. 3. Providentiæ Dei eximuntur actus liberi creaturarum rationalium; unde fruſtra precabuntur homines, ut eorum corda huc illuc flectat Deus: quod tamen in Scriptura plane falſiſſimum apparet. Nam Jacob petiit, filios ſuos dimittens ad Joſephum, ut Deus det Filiis ſuis gratiam in oculis ejus; David paſſim petit in Pſalmis, ut Deus flectat cor ſuum ad ſtatuta ſua, &c. Hæc vel ſola dogmati huic refellendo ſufficiunt.

ARMIN. Actus liberi non cognoſcuntur à Deo, antequam fiant.

Hoc ex antecedente neceſſaria conſequentia deducitur.

ϖ.ψ. Axioma Philoſophicum: *Contingentium non eſt determinata veritas.*

(Di-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

(Dicit hoc Ariſtoteles de eo intellectu, cujus res ſunt menſura: non vero de eo, qui eſt menſura rerum, hoc eſt, loquitur de intellectu creato.)

Refell. 1. Quia pugnat hoc cum omniſcientia Dei; omnia enim ſcire, & neſcire, eſt contradictio. 2. Ex prophetiis, quæ ſunt omnes de rebus contingentibus. 3. *Eſaï.* 41, Expreſſe Dei veri proprium ponitur, quo diſcriminari poſſit à Diis falſis, quod prædicere futura poſſit; cum Dii falſi hoc non poſſint. 4. Quia, ſi neſcit contingentia futura, poteſt ab ipſo occultari res aliqua: quod negatur, *Ier.* 23. 23.

CAP. II.

Egimus de Scientia Dei; agendum

De Voluntate.

ARMIN. Voluntas Dei eſt mutabilis. *Ex diſtinctione voluntatis antecedentis & conſequentis, abſolutæ & conditionatæ, quam Arminiani admittunt, id neceſſario ſequitur.*

ORTHOD. *Contra.*

π. ψ. *Quia promiſſiones & minæ non ſemper conſequuntur ſuum eventum.*

Refell. 1. Quia promiſſiones & comminationes Dei non ſunt voluntas ipſius, ſed effectus voluntatis ipſius. 2. Quia hoc expreſſe negat Spiritus Sanctus, Voluntatem Dei mutari, Eſaï. 46, *Conſilium meum ſtabit.* 3. Quia, ſi Voluntas Dei mutabitur, mutabitur vel in melius, vel in deterius: ſi in melius, non eſt optima; non ergo Deus: ſi in deterius; abſurdum. Deus enim in bonitate ſemper ſibi ſimilis.

ARMIN. Voluntas Dei eſt inefficax. *Arm. contra Perkinſ. pag.* 245.

(Diſtinguendum hic eſt inter vocem *efficacis*, & *efficientis.* Nam *efficax* opponitur *irrito*; *efficiens*, non *facienti*: & omnis Voluntas Dei permiſſiva eſt *efficax*, non tamen *efficiens.*)

π. ψ. *Deum fruſtrari ſæpe fine ſuo.*

Refell. Quia in maledictione reponitur, ſi quis finem optatum non aſſequatur; Quomodo ergo Deus finem non aſſecuturus eſt? *Deut.* 28. *Pſal.* 2. 4.

ARMIN. Voluntas Dei aliqua conditionata datur. *Idem, ibidem, pag.* 196. 197.

ORTHOD. *Contra.*

π. ψ. *Non omnia fiunt quæ vult; quia non omnia vult abſolute, ſed quædam cum conditione.*

Refell. 1. Si ita eſſet, ſequeretur, voluntatem Dei eſſe dependentem: quod abſurdum; Deus enim eſt Ens independens. 2. Quia res iſta, à qua dependet Voluntas Dei, eſſet quid independens præter Deum: quod item abſurdum.

ARMIN. Voluntas Dei quædam eſt antecedens, quædam conſequens. *Idem, ibid. p.* 193. 194. *Iacob. Armin. artic. perpend. de Deo,* 6.

(Walæus Leidenſis admittebat hanc diſtinctionem, ſed alium ei ſenſum affingebat quam Adverſarii. Nam volebat voluntatem antecedentem eam dici, quæ eſſet de fine: Conſequentem, quæ eſſet de mediis. Sed hoc eſt ineptum: Nam termini & vocabula ſumenda ſunt prout ſunt communiter in uſu: Jam autem uſus iſtorum talis non eſt, ut Walæus prætendebat.)

π. ψ. *Deum voluiſſe quædam cum conditione: & poſtmodum, cum vidiſſet conditionem iſtam impletum iri; in quibus adimplenda non fuit, illis hac ipſa noluiſſe.*

Refell. 1. Quia ſtatuitur, Deum voluiſſe aliquid, antequam ſciret quid de illo futurum ſit nec ne: quod non eſt ſapientis, ne dum ſumme & infinite ſapientis. 2. Quia, ſi res ita haberet, Ergo præſcientia futurorum non penderet à Voluntate Dei. 3. Quia daretur ſignum aliquod rationis, in quo Deus ignoraret contingentia futura; quod tamen plerique à ſe amoliuntur, & dicunt, falſo hoc ſibi impingi. Nam, cum vellet antecedenter omnibus & ſingulis ſalutem cum hac conditione, ſi crederent, aut præſcivit omnes credituros, aut non; ſi non præſcivit, obtinemus quod volumus; ſi præſcivit & voluit, fruſtra

fruſtra voluit. 4. Quia voluntas antecedens & conſequens manifeſtam mutationem in Deo ponit: Verbi gratia, Ante voluit omnes & ſingulos ſalvos fieri; poſtmodum, ubi videt, non omnes credituros, mutat ſententiam.

ARMIN. Voluntas Dei quædam eſt approbativa & non effectiva.

Tuentur etiam ex noſtris aliqui hanc ſententiam, quales ſunt Urſinus, Twiſſus, Rhetorfortis. Sed inepta eſt, ut apparebit ex refutatione.

ϖ. ψ. *Ea quæ Deus mandat, bona ſunt, ſive eveniant, ſive non eveniant.*

Refell. 1. Quia, ſi eſſent bona, delectaretur ipſis Deus; & ſic faceret, *Pſal.* 115. 2. Quia ea quæ mandat, vetare aliquando poteſt, & quæ vetat, mandare. Verbi gratia, Jubet, parentes obſervare & revereri; & tamen Abrahamum jubet egredi ex patria & relinquere omnes cognatos: Prohibet furtum, & tamen juſſit Ægyptios ſpoliare: Si vero quod mandat, & non evenit, eſſet bonum, ſequeretur, idem poſſe eſſe bonum & malum. 3. Daretur hoc pacto aliqua voluntas Dei inefficax: quod ſupra refutatum eſt.

ARMIN. Voluntas Dei permiſſiva non tendit in peccatum, ſed in permiſſionem. *Apolog. Rem. Exam. cenſuræ capitis ſecundi, fol.* 45.

ϖ. ψ. *Nolunt concedere, Deum ullo modo velle peccata voluntate permiſſiva.*

Refell. 1. Quia permiſſio bona eſt. Quomodo ergo vult permiſſiva voluntate permiſſionem, cum bona cadant ſub voluntatem effectivam, non permiſſivam? 2. Quia voluntas Dei dicitur à permiſſione; ſic ergo reſolvitur: Deus vult permittere permiſſionem. 3. Quia permiſſio Dei, eſt actio Dei ad extra. Actiones autem Dei, quæcunque tandem ſint, antea oſtendimus Deum eſſe.

ARMIN. Deus nullo modo vult peccatum. *Epiſcop. diſp. de voluntate Dei, theſ.* 4. *Vorſt. diſput. de Deo*, 6, *theſ.* 16.

π. ψ. *Quia ſi vellet peccatum, eſſet auctor peccati.*

Refell. 1. Si vellet voluntate *effectiva*, eſſet auctor, ſed non ſi *permiſſiva*. 2. Quia, ſi Deus condidit quoſdam ad interitum, quoſdam ad ſalutem, *Rom.* 9; tum certe voluit, voluntate ſcilicet permiſſiva, peccatum; Namque Deus abſque peccato non potuit (dicimus non potuiſſe, non *defectu potentiæ*, ſed *objecti*) ad fines iſtos pervenire; ſcilicet juſte damnare hominem non potuit, niſi propter peccatum, neque ſalvare, niſi miſerum & peccatorem: id quod ipſa noſtræ ſalutis ratio clariſſime oſtendit. 3. Quia ex eventu judicandum de voluntate Dei, *Thren.* 3. 17. Ergo ſi peccatum evenit, Deus illud voluit, ſcilicet permiſſive.

ARMIN. Permiſſionem peccati non neceſſario ſequitur peccatum. *Apolog. Remonſt. fol.* 45.

ϖ. ψ. 1. *Docent, omne peccatum debere eſſe voluntarium.*

ϖ. ψ. 2. *Neceſſitatem non poſſe ſtare cum libertate voluntatis.*

Refell. 1. π. ψ. 1. Quia, ſi omne peccatum eſſet voluntarium, cæcitas intellectus, quæ antecedit peccatum, non eſſet peccatum; cujus tamen contrarium teſtatur Scriptura. Ratio, quia hæc non poteſt dici voluntaria, cum antecedat omnem voluntatis actum. 2. Peccatum imputatum eſt peccatum, & tamen illud, ſaltem in plurimis, non eſt voluntarium; neque enim quis ſibi velit facile peccatum alterius imputari, & propter illud puniri, *Gen.* 23. In uxoribus & concubinis Abimelechi, quæ profecto ſibi noluiſſent imputari peccatum Abimelechi, nec propter illud puniri, ſi in poteſtate illarum fuiſſet: quod tamen divinitus factum. ut & 2 *Sam.* 21, in filiis Saülis, liquet.

Refell. 2. ϖ. ψ. 1. Actiones voluntariæ vel ſunt cum lubentia, vel cum ægritudine; cum lubentia, quas libenter edimus: & hæc conſiſtere poſſunt cum neceſſitate. Nam Angeli libentiſſime exequuntur mandata Dei, & tamen neceſſario. Sunt enim electi, 1 *Tim.* 5. 2. Ea quæ Chriſto impoſita fuerunt à Patre, liberrime faciebat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ciebat, & tamen neceſſario faciebat, non poterat enim peccare.

ARMIN. Quæ permittuntur, illa non ſunt peccata. *Ibidem.*

(Eo prolabuntur Adverſarii plurimi, ut dicant, nequidem permittere Deum peccata; quia, inquiunt, aliàs peccata illa non eſſent peccata).

π.ψ. Permiſſionis *vocem ſemper accipi ethice, & non phyſice.*

Ethice, eſt concedere, *Matth.* 19. 8. *Phyſice*, τὸ non impedire: ſic autem capitur, cum dicimus, Deum peccata permittere.

Refell. Pſalm. 81. 13. & Act. 14. 16, *Sivit gentes incedere viis ſuis.*

ARMIN. Τὸ *permittere* cum de Deo dicitur ratione peccati, nil notat, quam non eſſe curæ Deo. *Apolog. Remonſt. fol.* 45.

π.ψ. Putant, permiſſionem Dei æſtimandam ex permiſſione hominum, qui, cum quid permittunt phyſice, ſuſque deque habent, quomodo id fiat vel non fiat.

Refell. 1. Eſaï. 55, *Viæ meæ non ſunt ſicut viæ veſtræ*, &c. 2. Quia Deus certo fine permittit aliquid, ut qui nihil ſine fine agat, tanquam ſapientiſſimus. 3. Quia permiſſio divina conſiſtit in ſubtractione gratiæ aſſiſtentis, 2 *Chron.* 32. 31.

ARMIN. Decretum Dei non eſt Deus. *Iacob. Armin. art. perpend. de decretis Dei*, 1.

π.ψ. Decreta Dei poterant non eſſe.

Refell. 1. Quia decretum Dei notat duo. 1. *Voluntatem Dei*, & *Nomenclaturam* iſtius voluntatis, quæ oritur ex relatione ad extra: ut ut vero nomenclatura hæc potuerit non eſſe, voluntas tamen Dei non poterat non eſſe. 2. Quia conſilia Dei Deus ſunt, ſunt enim voluntas. Atqui decreta talia ſunt, *Act.* 2. & 4. 3. Quia ſicut abſurdus eſſet, qui diceret, Creatorem non eſſe Deum, eo quod poterat non eſſe Creator; ita abſurdus qui diceret, decretum non eſſe Deum, quia poterat non eſſe decretum.

ARMIN. Deus vult, decreto congruo, homines ad ſe convertere. *Iacob. Armin. artic. perpend. de vocation. peccat.*

Congruum dicunt ad actus liberos, hoc eſt, ita decernit, ut nullam neceſſitatem actibus inferat, ſed expectet quo ſe verſuræ ſint voluntates).

π.ψ. Libertas non poteſt ſtare cum neceſſitate.

Refell. 1. Quia regum voluntates ſunt liberæ, & tamen flectit illas Deus, quo vult, *Proverb.* 21. 2. Fruſtra peteremus à Deo, ut animos noſtros flectat ad ſtatuta ſua; quod tamen facimus quotidie, & factitant homines ſancti, *Pſal.* 119. 3. Fruſtra peteremus, ut Deus animos hominum nobis conciliet. At & hoc falſum, *Gen.* 43. 14. *Eſth.* 4. 15, 16.

ARMIN. Decretum Dei eſt congruum ad circumſtantias, hoc eſt, Deus decrevit ad ſe convertere homines, quia prævidit, hos ad has vel illas circumſtantias converſum iri. *Idem, ibidem.*

Decretum hoc congruum illi duplici de cauſa faciunt. 1. Ex præſcientia, quo ſe voluntas flexura eſt; atqui hic ita admittunt, Deum prævidere aliquid antecedenter ad voluntatem. 2. Congruum ad circumſtantias, verbi gratia: Si Tyri & Sidone edita fuiſſent miracula, tum etiam in Chriſtum credituros fuiſſe: Si Lydia hoc vel illo tempore audiat Paulum, &c. credituram.

π.ψ. Determinationem voluntatis humanæ pendere non à Deo, ſed à rebus nihili.

Refell. 1. Nam aut iſta agent in voluntatem neceſſario, aut contingenter; Si prius, quomodo ſtabit iſtorum libertas voluntatis, cum ex illa ſententia libertas non poſſit ſtare cum neceſſitate? Si poſterius, quomodo iſta determinabunt voluntatem, & non Deus, quem & contingenter agere docent, utpote moraliter in vo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

in voluntates humanas. 2. Si vis Dei nihil efficit in converſione ipſorum, niſi Deus dederit oculos ad videndum, quid hæ ineptiæ ad converſionem?

CAP. III.

De Attributis Dei quibuſdam, & Gratia.

ARMIN. Affectus cadunt in Deum. *Vorſtius, diſp.* 10, *de Deo.*

ORTHOD. *Contra.*

π. ψ. *Deſiderium dari in Deo omnium hominum ſalutis, & triſtitiam ex non conſecuto propoſito.*

Refell. 1. Quia ſi affectus, ergo & paſſiones cadent in Deum; mutabitur ergo: quod abſurdum. 2. Quia, ſic jam intendetur ipſius beatitudo, & jam remittetur; jam enim voti fiet compos & lætabitur, jam excidet ſpe, & triſtabitur.

ARMIN. Expectatio in Deum cadit earum rerum, quæ poſtmodum nunquam eveniunt. *Vorſt. diſp. de Deo, pag.* 441.

π. ψ. *Eſaï.* 5. 4.

Refell. 1. Quia ita ignorantia futurorum in Deo eſſet: quod refutatur, *Eſaï.* 41. 2. Quia expectaret aliquid boni, cujus ipſe cauſa realis nunquam futurus eſſet, hoc eſt, expectaſſet aliquid bonum independens: quod eſt contradictio craſſa: bonum independens, quod non eſſet Deus. 3. 1 *Cor.* 3. 6, 7.

ARMIN. In Deum non cadunt proprie dicti affectus, ſed *quaſi affectus*, hoc eſt, qui ſuo modo affectus ſunt. *Vorſt. diſp.* 10, *de Deo.*

Refell. 1. Quaſi affectus, non eſt affectus. Nec enim, quod ſimile eſt, hoc ipſo per omnia idem eſt. 2. Quia dicunt, eum proprie deſiderare, triſtari; quod non eſt *quaſi.* 3. Illud *quaſi*, aut ſimilitudinem *univocam* notat, aut *æquivocam*: Si prius; Ergo in Deo eſt aliquid æquipollens affectui proprie dicto; quod abſurdum. Si poſterius, Ergo præter vocem triſtitiæ, iræ, &c. nihil eſt in Deo. Illud *ſuo modo*, vel *rem notat & nomen*, vel *nomen tantum*: ſi nomen tantum, quid ergo hoc ad affectus? Perinde ac ſi ex eo, quod brachium aut naſus Deo tribuitur, dicerem, Deum habere linguam, brachium, naſum ſuo modo.

ARMIN. In Deo datur velleïtas.

Differt velleïtas à voluntate, quod velleïtas ſit inefficax deſiderium; ſicut eſt in his, quando ita dico: *Voluiſſem, ſi poſſet fieri.*

π. ψ. *Deum in interitu hominum intereuntium dolere.*

Refell. 1. Quomodo dolet, quum ab æterno ad hoc ordinavit, ut pereant? 2. Quomodo dolet, cum ipſis media ſalutis adminiſtret tantum externa, non vero interna? Matth. 13, *Vobis datum eſt* &c. Et 11, *Gratias ago tibi, Pater,* &c. 3. Expreſſis Scripturæ locis, ubi Deus dicitur lætari in interitu malorum, *Prov.* 1. 16. *Eſaï.* 1. 24.

ARMIN. Deum in tempore mutare conſilia. *Vorſtius, diſp. de Deo, pag.* 212. 213. *Armin. contra Perkinſ. pag.* 105.

π. ψ. *Quia evenit Deo in tempore, quod non expectavit.*

Refell. 1. Quia Deus neſciret omnia quæ eventura eſſent ab æterno. 2. Quia ſic voluntas Dei, & ipſe Deus, eſſet mutabilis.

ARMIN. Deus homini primævo dedit ſufficientem gratiam, ſed non efficacem. *Epiſcop. de primo peccato Adami.*

(Scriptura eandem eſſe docet gratiam, ſufficientem, & efficacem; nam tres gradus ponit. 1. *Poſſe.* 2. *Velle.* 3. *Perficere.* Atqui, ſi in his conſiſtit ſufficiens gratia, nil differt ab efficaci.)

π. ψ. *Gratiam Dei eſſe reſiſtibilem, ſcilicet internam.*

Refell.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Refell. 1. Sequeretur, gratiam illam, Ezech. 36, *Eximam eis cor lapideum*, &c. eſſe reſiſtibilem: quod abſurdum. 2. Si gratia regenerationis eſſet reſiſtibilis, Ergo illud non conſiſteret, Joan. 7, *Qui didicit à Patre, venit ad me*; nam potuiſſet diſcere à Patre, nec tamen venire ad Chriſtum. 3. Ita preces Eccleſiæ ſtare non poſſent, Jer. 31, *Converte me, & convertar*; *Trahe me, & ſequar.* Quia poſſet convertere Deus, & tamen homo non converti; trahere, & tamen homo non trahi.

ARMIN. Gratia Dei eſt efficax ob conſenſum voluntatis humanæ. *Apolog. Remonſt. fol.* 162. 163.

(Hæc controverſia eſt graviſſima inter nos & Pontificios, Arminianos, & Lutheranos. Quæritur; Unde eſt quod in quibuſdam gratia ſufficiens ſit efficax, in quibuſdam non? Reſpondent illi, quia quidam acceptant gratiam, quidam non: cum hoc ſitum ſit in ipſorum arbitrio.)

π. ψ. Hominem irregenitum, ut reſpuere gratiam in Verbo Dei oblatam, ita etiam recipere poſſe.

Refell. 1. Homo irregenitus non percipit, &c. 1 *Cor.* 2; Quomodo ergo in ipſius arbitrio erit acceptare gratiam? 2. Quia homo irregenitus non ſubjicitur Legi Dei, nec poteſt; Quomodo ergo poteſt acceptare gratiam Dei? 3. Non conſiſteret illud, 1 Cor. 4, *Quid habes, quod non acceperis?* &c. Item, *Gratias tibi ago, Pater*, &c. *Vobis datum eſt*, &c.

ARMIN. Gratia Dei eſt irreſiſtibilis, ſcilicet interna. *Apol. Remonſtr. fol.* 183. *Collat. Hag. pag.* 230.

ORTHOD. *Omnino non.*

(Irreſiſtibile dicitur vel *privative*, cum reſiſtit vinciturque tandem; vel *negative*, cum non ſimpliciter reſiſtit. Nos poſteriori ſignificato dicimus gratiam Dei irreſiſtibilem. Rom. 9, *Voluntati ejus quis reſiſtet?*

π. ψ. Libertas non poteſt ſtare cum neceſſitate.

Tum & verba illa malè intellecta, *Actor.* 7, *Vos ſemper reſtitiſtis Spiritui Sancto*, &c. *Quid debui facere amplius vineæ meæ?* &c. Eſai. 5.

Refell. 1. Quia Stephanus ibi non loquitur de gratia Dei interna, ſed de alloquio Spiritus Sancti in Verbo & per Verbum externum. 2. Si poſſit Spiritui Sancto interne docenti reſiſti, tum poſſet Voluntati Dei reſiſti; contra, *Rom.* 9, *Voluntati ejus*, &c. 3. Quia, ſi ibi ageretur de interna operatione Spiritus Sancti, tum malitia hominis eſſet major futura, quam vis Spiritus Sancti regenerantis. Imo vis Spiritus Sancti non tolleret ipſam contumaciam & repugnantiam; contra Ezech. 36, *Eximam cor lapideum*, &c.

Quoad ſecundum teſtimonium, refellitur, 1. Si per illud *amplius* notaretur nim. Deum interna operatione fruſtra uſum fuiſſe in convertendis iſtis, ſequeretur, quod in iſtis, qui *verſ.* 12 deſcribuntur, conſiſteret iſta operatio. At hoc refellitur, 1 *Cor.* 3. 4. Nam in hoc, in quo vis iſta conſiſtebat, refertur, ſcil. *Deus dedit incrementum.* 2. Sequeretur, Deum inſcium fuiſſe iſtius eventus, quod ſcilicet ad internam operationem iſtam non fuiſſent convertendi. At hoc abſurdum; Quia Deus omniſcius. 3. Sequeretur, proprie & iſta capi debere, *expectare fructum*: At hoc abſurdum. Ergo & illud. Conſeq. certa, quia verba iſta, *Quid faciam?* ſequuntur ex iſtis, *Expectavi.* At *expectavi*, præter ignorantiam, & voluntatis ipſius fruſtrationem, in Deo infert.

CAP. IV.

De Chriſto.

ARMIN. In Deo ſunt tres Eſſentiæ relativæ. *Vorſt. diſp. de Deo, pag.* 208. *Apolog. Exeg. pag.* 38.

ORTHOD. *Contra.*

π. ψ. Perſonalitatem eſſe eſſentiam relativam.

Refell. 1. Eſſent ſic tres Dii; Deus enim ab eſſentia vocatur. 2. Non tres, ſed quatuor ponendi eſſent. Nam eſſentia una abſoluta danda, deinde tres relatæ; neque enim relatum conſiſtere poteſt niſi in abſoluto.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ARMIN. Filius Dei non eſt αὐτόθεος. *VVelſingius, lib. de offic. Chriſtian. hom. cap. 5.*

ORTHOD. *Contra.*

π. ψ. Deum dici à modo ſubſiſtendi, non tantum ab eſſentia. Cum vero Filius ſit à Patre. Ergo Deus non erit à ſe, ſed à Patre.

Refell. 1. Si à modo ſubſiſtendi diceretur Deus, tum eſſent tres Dii. 2. Sabellianiſmus induceretur. 3. Neque Filius, neque Spiritus Sanctus, eſſent Deus, quatenus nim. perſonæ ſunt ab alio. At ab alio eſſe, & Deum eſſe, contradictio eſt in adjecto.

ARMIN. Spiritus Sanctus nullibi in Scriptura vocatur Deus. *VVelſing. de offic. Chriſt. hom. D. 3, c. 6.*

π. ψ. Doctrinam de SS. Trinitate non eſſe conſentaneam Verbo Dei.

Refell. Arminiani ſunt occulti Sociniani; qui alibi refutantur.

ARMIN. Chriſtus potuit peccare.

ORTHOD. *Contra.*

π. ψ. Sequeretur, facta ipſius non fuiſſe laude digna. Nam is laude dignus eſt, qui cum peccare poſſet, non peccat.

Refell. 1. Ex natura Dei, cui omnes laudes deferendæ ſunt; qui tamen peccare non poteſt. 2. Angeli boni peccare non poſſunt, ſunt enim electi, 1 *Tim.* 5. & tamen laude digni. 3. Glorificati non poterimus peccare; & tamen laude digniſſimi erimus.

ARMIN. Chriſtus pœnam gehennalem vice noſtri non ſuſtinuit.

ORTHOD. *Contra.*

π. ψ. Chriſtum non perfecte ſatisfeciſſe pro nobis, ſed mortem duntaxat temporariam tuliſſe, & illam acceptatam eſſe à Deo pro perfecta ſatisfactione.

Vox illa *Acceptationis* eſt ipſis pergrata, idemque eſt, ac ſi quis deberet creditori 1000 florenos, & ſolveret tantum 10 flor. creditor autem iſtos 10 acceptaret pro perfecta ſolutione.

Refell. 1. Si non paſſus pro nobis mortem æternam, non poterit dici ſufficiens Salvator. 2. Quia mors æterna nobis ſubeunda eſſet. Nam Chriſtus non niſi mortem morte deſtruxit, *Heb.* 2. 3. Ergo Chriſtus multis martyribus, imo & mulierculis, minus fortis aut patiens fuit, qui ſæpius fortiſſimo animo graviſſima ſupplicia ſubierunt. Chriſtus vero ita mortem temporariam exhorruiſſe ſtatuendus eſſet, ut ſanguineum ſudorem ſudaverit, & Angelo deſcendente ad corroborandum opus habuerit.

ARMIN. Angelus in agone Chriſto miſſus, ne deſperaret.

ORTHOD. *Non, ſed ut dolor mitigaretur.*

π. ψ. Chriſtum potuiſſe peccare.

Refell. 1. Quia, ſi Chriſtus potuiſſet peccare. Ergo potuiſſet non eſſe Servator; atque ita fruſtra in mundum miſſus fuiſſet. 2. Quia tam impoſſibile erat Chriſtum peccare, qui erat in eadem perſona Deus & homo, quam impoſſibile corpus animalis, dum anima præditum eſt, non vivere.

CAP. V.

De Prædeſtinatione.

ARMIN. Prædeſtinatio facta ex fide prævisa. *Grevinchovius, cont. Ameſ. p.* 24. & *p.* 104. 111. & 137.

ORTHOD. *Nequaquam.*

π. ψ. Fidem eſſe virium hominis animalis.

Refell. 1. 1 Cor. 2, *Homo animalis*, &c. 2. Homines irregeniti non ſunt apti ad cogitandum, &c. 3. Fides eſt donum Dei electis, Act. 13, *Crediderunt, quotquot ordinati*, &c.

ARMIN. Prædeſtinatio non eſt ſingulorum hominum, ſed in genere eorum qui credituri ſunt. *Armin. contra Perkinſ. & diſp. de prædeſt. Adolphus Venator, declarat. pag.* 175. *Ioan. Arnold. contra Tilenum, pag.* 379. *Ibid. p.* 127. *Act. Synod. Remonſt.*

π. ψ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ϖ. ψ. Deum cum hac conditione eligere, Si crediderit, & perſeveraverit, ſalvabitur.

Refell. 1. Quia ſic decretum Dei penderet ex fide, non fides ex illo: quod abſurdum, *Act.* 13. 48. 2. Prædeſtinatio non eſſet abſoluta à cauſa impulſiva: dependeret enim à fide: quod abſurdum eſt & naturæ Dei inconveniens. 3. Rom. 9. 11, *Vt præſtitutum Dei*, &c.

ARMIN. Non ex ſola fide Deus homines elegit ad ſalutem, ſed etiam ex perſeverantia. *Iac. Armin. declarat. pag.* 47.

ORTHOD. *Neutrum.*

ϖ. ψ. Fidem ſalvificam, in quibus eſt, deficere poſſe.

Refell. 1. Si fides deficere poteſt, Ergo illud non poterit ſtare, *Ioan.* 3. 18. & *Ioan.* 5. 24. Tum & quos prædeſtinavit, vocavit. 2. Fides vincit omnes hoſtes. 1. *Mundum*, 1 Joan. 5, 4. 2. *Carnem*, Gal. 5. v. 24. 3. *Satanam*, Eph. 6. 16.

ARMIN. In Deo datur cognitio quædam confuſa & in genere prædeſtinatorum. *Armin. contra Perkinſ. & diſp. de prædeſt. Epiſcop.*

ORTHOD. *Contra.*

ϖ. ψ. Quia prædeſtinavit in genere tantum & indefinite quoſdam ſervare, qui eſſent credituri.

Refell. 1. Quia ſingulares perſonæ dicuntur electæ, *Rom.* 9. v. 13. 2. Singulatim nomina dicuntur ſcripta in cælis, *Luc.* 10. 20. Et in Apocalypſi aliquoties.

ARMIN. Dum homo vivit, incomplete electus eſt, quia deficere poteſt. *VVelſingius, de offic. Chriſt. hom. fol.* B. 2. B. 3. *Nihil mirum*, &c.

ϖ. ψ. Decreta Dei, à fine ſuſpendi, nec prius definiri, aut certa eſſe, priuſquam mors obrepat.

Refell. 1. Quia hoc pugnat cum decretis Divinis; quæ deſcribuntur per definitam voluntatem Dei: definita autem voluntas, & ſuſpenſa, pugnant, *Act.* 2. & 4. 2. Quia decreta Dei æterna ſunt, non temporalia, *Eph.* 1. Electi dicimur ante jactum mundi fundamentum &c.

ARMIN. Electio eſt temporaria.

(Dicit hoc aperte Vorſtius: dicitur autem Electio, vel pro ſeparatione quorundam in tempore ex mundo; & hæc eſt temporaria. Alia per quam Deus decrevit dare, *Eph.* 1, quibuſdam vitam æternam; & hæc eſt æterna.)

ϖ. ψ. Quia ſi eſſet ab æterno, neceſſario electi ſalvarentur, quicquid tandem facerent & quomodocunque viverent.

ARMIN. Reprobatio eſt propter peccatum. *Act. Syn. Remonſt.*

ORTHOD. *Contra.*

Refell. 1. Quia juſta ſunt quæ Deus vult, quia vult, non contra. 2. *Rom.* 9. v. 19, 20. 3. Quia Deus creat ad interitum. (Hinc noſtri etiam aliqui diſtinguunt inter reprobationis actum *negativum*, & *poſitivum*. Et negativi negant ullam eſſe cauſam præter beneplacitum Dei; Poſitivi cauſam eſſe peccatum). 4. *Nondum natis pueris*, &c. Si propter peccatum reprobaſſet; daretur cauſa movens Deum, atque ita dependeret in agendo ab alio aliquo: quod eſt abſurdum. 5. Si propter peccatum reprobarentur aliqui, omnes reprobaremur; omnes enim peccavimus, *Rom.* 3.

ARMIN. Qui docent, Deum reprobare non propter peccata, ſed ex mero beneplacito, illi Deum faciunt Tyrannum. *Hoc Arminiani noſtris paſſim occinunt.*

ORTHOD. *Contra.*

ϖ. ψ. Putant, non licere Deo, quod non licet homini; nec poſſe Deum afficere hominem calamitate aliqua, niſi propter peccatum; ſive potius ordinare ad afflictionem.

Refell. 1. Quia nulli hominum licet propter verbum otioſum hominem necare: Deo autem licet & morte æterna, non ſolum temporali.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

2. Nulli licet imperare patri, ut filium ſuum occidat. At hoc licet Deo in Abrahamo. Item, cum Filium ſuum innocentem pro nobis ſceleſtis in mortem expoſuit.

ARMIN. Ex noſtra ſententia ſequi, Reprobationem eſſe cauſam peccatorum. Quia reprobatio eſt voluntas Dei. *Vorſt. contra Piſcator.*

(Piſcator ob ſuam Logicam Rameam, ubi antecedentis & conſequentis voces non reperiuntur, non poterat ſe expedire ex hoc argumento: Si reprobatio eſt cauſa peccatorum, Ergo Deus eſt cauſa peccati, Quia reprobatio eſt Voluntas Dei, & nihil à Deo differt.)

ϖ. ψ. *Quæ neceſſario conſequuntur alia, illa ſunt effectus eorum.*

Refell. 1. Prædictionem Prophetarum multa ſequuntur, nec tamen prædictio eſt cauſa præſcitorum. 2. Permiſſionem ſequitur peccatum, nec tamen eſt cauſa peccatorum. Perpeſſiones Chriſti ſecuta eſt gloria, nec tamen cauſa ejus ſunt.

ARMIN. Neminem reprobum, eſſe præciſe reprobum, quia poſſit fieri electus. *Armin. in cap. 7 ad Rom.*

(Vocula iſta *præciſe* utuntur, intelligunt autem per illam *abſolute.*)

ϖ. ψ. *Quia tenentur credere, ſe eſſe redemptos per Chriſtum: quod autem quis tenetur credere, illud eſt verum.*

Refell. 1. *Quia quem ſenſum aliquis putet loci Scripturæ alicujus, illum credere tenetur:* nemo enim debet agere contra conſcientiam; eſſet quippe hoc interpretative, ut Scholaſtici dicunt, contra Deum agere. *Obj.* Conſcientia erronea ligat, ſed non obligat. *Reſp.* Vane; nam quod Legi Dei obligetur conſcientia, ad hoc non ligatur tantum. Atqui ad hoc, ut ne contra conſcientiam ſuam agat, Lege Dei obligatur. 2. *Refell.* Quia Abraham tenebatur credere, Deum velle, ut filium immolaret, & tamen Deus hoc nequaquam voluit.

ARMIN. Ex noſtra doctrina ſequi, Infantes aliquos, adhuc in utero matris, ordinatos eſſe ad pœnas gehennales: quod falſum eſt, & matribus hoc non poteſt non maximam ſolicitudinem injicere, dum verentur ne hic vel ille infans, quem in utero geſtant, ſit ad gehennam ordinatus. *Act. Syn. Remonſt. circa artic. de Prædeſt. pag.* 21.

Refell. 1. Non tantum, dum in utero ſunt, ſed ab æterno, hoc factum eſt, *Matth.* 25. 41. 2. Prov. 16, *Operatur malum*, &c. 3. *Apoc.* 20. Pereuntium nomina non ſunt ſcripta in libro vitæ, &c. Quoad poſterius; *Refell.* 1. Quia nemo ſcit in hac re, quis periturus, quis ſervandus: in rebus autem dubiis ſemper in meliorem partem propendere debemus. 2. Utut conſtaret de hac re, debemus tamen acquieſcere voluntati divinæ; certe Abrahamo conſtitit de Iſmaële, Rebeccæ de Eſau, eos perituros; uterque tamen acquieſcit voluntati Dei, *Rom.* 9. 3. Æque hoc poteſt parere ſolicitudinem in animis parentum, quod videant quotidie multos perire, & quod audiant in Scriptura, Multos eſſe vocatos, paucos vero electos. Ex his enim facile quis intelligit non omnes, quos uterus maternus fert, ſervari.

CAP. VI.

De Creatione.

ARMIN. Deus creavit hominem ad æternam felicitatem. *Iacob. Armin. diſp. de creatione hom. ad imag. Dei, th.* 10.

(Intelligunt autem omnem hominem.)

ϖ. ψ. *Quia non delectatur morte hominis.*

Refell. 1. Deus non delectatur morte peccatoris ejus, cujus miſereri decrevit; at ejus, cujus miſereri non decrevit, morte non delectari, falſum eſt, *Prov.* 1. 26, 27. *Eſaï.* 1. 28. 2. Non conſiſteret illud, *Prov.* 16. 4, ſi non delectaretur morte peccatoris alicujus. 3. Quia, ſi non delectaretur morte reprobi, cur ejus non mi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

miſeretur? cur ipſum non, ut alios quibus delectatur, à peccato liberat?

Armin. Idem eſt, condi ad æternam felicitatem, & ad imaginem Dei. *Idem, ibid.*

(Idem vult Catecheſis Palatina, ſed reprehenditur à Piſcatore; Nam ad imaginem condi non notat *finem hominis*, ſed *qualitatem ſubjecti*; quod videre licet ex natura imaginis Divinæ, qualis nobis à Spiritu Sancto proponitur.)

π. ψ. Imaginem divinam, tanquam partem, continere in ſe felicitatem æternam.

Refell. 1. Adamus fuit ad imaginem Dei conditus, antequam laberetur, & tamen nondum æterna felicitate fruebatur: nam ipſi promiſſa demum fuit, ſub conditione obedientiæ. 2. Quia reparatur in nobis in hac vita imago Dei, *Eph.* 4. *Coloſſ.* 3. Nec dum tamen aſſecuti ſumus felicitatem æternam, ut quibus in hac vita perpetuo cum calamitatibus confligendum.

Armin. Deum condidiſſe hominem in puris naturalibus. *Epiſcop. diſp.* 5, *de operibus Dei*, *th.* 6.

π. ψ. Hominem in ſtatu integritatis non fuiſſe juſtum, nec injuſtum, ſed neutro modo ſe habentem, atque adeo tanquam tabulam raſam.

Refell. 1. Quia Scriptura teſtatur, Deum feciſſe hominem rectum; *Eccleſ.* 7. 29. 2. Jubemur renovari ad Sapientiam iſtam, ad quam homo conditus fuit. Fuit vero conditus, *Eph.* 4. *Coloſſ.* 3.

Armin. Dum dicitur Deus hominem bonum condidiſſe, non intelligitur de bonitate *morali*, ſed *phyſica*, ſive potius *metaphyſica*, qua omnia bona ſunt.

(Hoc dogma commune eſt illis cum Socinianis.)

π. ψ. Hominem bonum ex actionibus, non habitibus moralibus, eſſe.

Refell. 1. Ex iſtis quæ probavimus; quod homo primitus fuit conditus juſtus à Deo. 2. Quia novus homo notat habitum, ut & vetus: Atqui commendantur in Scriptura & vituperantur. 3. Spiritus Sanctus clariſſime ponit & habitus in homine fideli, ex quibus commendatur homo; 1 Joan. 3. v. 6, *Qui ex Deo eſt* &c. Et malos habitus, *Ier.* 13. *v.* 23. 4. Cor lapideum, vel carneum, non notat actiones, ſed habitus; & tamen hæc reprehenduntur & laudantur à Spiritu Sancto.

Armin. Homo ante lapſum poterat propriis viribus ſuis ſine auxilio Dei perſiſtere in ſtatu ſuo. *Iacob. Armin. contra Perkinſium*, *p.* 20. 21.

(Cyclopica aſſertio, & quæ à Spiritu Sancto paſſim refutatur.)

π. ψ. Accepiſſe hominem ſufficiens auxilium ad ſtandum, ita ut non opus fuerit ipſi aliud addi.

Refell. 1. Ex eventu; Nam ſi accepiſſet ſufficiens auxilium, perſtitiſſet: & notum eſt, eſſe iſtos gradus ſufficientis auxilii; *poſſe, velle, perficere.* 2. Dicto Auguſtini; *Accepit primus homo poſſe quod vellet, ſed non velle quod poſſet.*

Armin. Homo potuit ſtare in ſtatu ſuo, ſive ſpectes poſſibilitatem cauſæ, ſive effecti. *Iacob. Armin. de lib. Arbit. th.* 5. 6.

(*Poſſibilitatem cauſæ*, hoc eſt, facultatem ſtandi, ita ut, ſi Deo viſum fuiſſet facultatem promovere ad actum perpetuum, perſtiturus fuiſſet in ſtatu ſuo, ſicut Angeli boni. *Poſſibilitas effecti*, quod ſcilicet hoc fieri potuiſſet in reſpectu ad decretum Dei, & in reſpectu ad providentiam Dei: quod certe falſiſſimum, ut ſæpius inculcatum.)

π. ψ. Hominem non poſſe juſte accuſari, ſi non potuit, ad decretum Dei reſpectu habito, ſtare.

Refell. 1. Fratres Joſephi vendiderunt Joſephum neceſſario in reſpectu ad Deum & providentiam ejus actualem; & tamen merito vituperantur. 2. Judæ proditoris Chriſti exemplum. 3. Herodes & Pilatus in crucifigendo Chriſto.

Armin. In homine primævo fuit proclivitas ad peccandum, quæ

tamen peccatum non fuit. *Iacob. Armin. artic. perpend. pag.* 10. 18.

ORTHOD. *Contra.*

ϖ. ψ. Effectus omnis proclivitatem præſupponit.

Refell. Aliud eſt proclivitas; aliud, non repugnantia; *Proclivitas* eſt ipſa propenſio quæ peccati nomine venit, Gen. 6. & 8, *Omnis cogitatio*, &c. *Non repugnantia* eſt affectus negativus, qui etiam in Angelis bonis reperitur, *Ioan.* 4. Hinc diſtinguunt Philoſophi inter *poſſibilitatem*, & *potentiam*. Non repugnantia eſt *poſſibilitas*: *potentia* eſt proclivitas & aptitudo.

CAP. VII.

De Providentia Dei actuali.

ARMIN. *Deus potentia ſua non regit hæc inferiora.*

(Hoc per conſequentiam ex illorum dogmatibus deducitur.)

ORTHOD. *Contra.*

ϖ. ψ. Quia omnis contingentia in rebus inferioribus tolleretur.

Refell. Quia contingentia ſtare poteſt cum neceſſitate; verbi gratia, Exemplum de oſſibus Chriſti, & eorum fractione; Item Abſolomi rapientis uxores patris, 1 *Samuel.* 12. & 16.

ARMIN. Providentia Dei non verſatur circa voluntates humanas.

(Et hoc per conſequentiam ex illorum dogmatibus inducitur.)

ϖ. ψ. Voluntas creaturarum non pendet à Deo realiter in agendo, ſed tantum moraliter, hoc eſt, poteſt Deus præſcribere quid agere debeat, ſed flectere animos vi ſua non poteſt.

Refell. 1. Sic eſſet voluntas quid independens à Deo. 2. Non poſſemus Deum precari, imo non liceret, ut voluntates noſtras flecteret ad ſtatuta ſua; quod tamen ſancti homines fecerunt, *Pſal.* 119.

ARMIN. Providentia Dei non verſatur circa peccata.

(Nec hoc facile dicent aperte, ſed coguntur; nam negant, Deum decreviſſe peccatum, imo hanc blaſphemiam eſſe dicunt.)

ϖ. ψ. Deus non decrevit peccata permittere, aut ſi id decrevit, permiſſionem neceſſario ſequuntur peccata.

Reſp. ad 1, Quod putent, permittere eſſe concedere: 1. Ex *Pſal.* 81. 18. ubi permiſſio capitur pro τὸ non impedire. 2. Ex *Act.* 14. Ad 2 *reſp.* 1. Quorſum permittit, niſi ut labantur? 2. Permiſſionem Spiritus Sanctus definit eſſe derelictionem à Deo, 2 *Chron.* 32. *verſ.* 31. At ille qui derelinquitur à Deo, non poteſt non labi.

CAP. VIII.

De Libertate Voluntatis.

ARMIN. Humana voluntas conſiſtit in indifferentia. *VVelſing. de offic. Chriſt. hom. B.* 3. *Iacob. Armin. art. perpend. de creatione hominis*, 8.

(Hoc eſt, ut poſſit velle nolle, idque in reſpectu ad Deum.)

ϖ. ψ. Neceſſitatem non poſſe ſtare cum libertate.

Hoc jam ſupra refutatum.

ARMIN. Libertas in homine ante reparationem habet ſe ad utrumque, hoc eſt, poteſt bonum ſpiritualiter velle & nolle. *Ioan. Arnold. contra Bogermannum, pag.* 263. & 274.

ORTHOD. *Contra.*

ϖ. ψ. Vires liberi arbitrii relictas eſſe à lapſu in homine lapſo.

Refell. Scriptura teſtatur, talem hominem eſſe arborem malam, nec poſſe bonos fructus ferre. Mortuum in peccatis, *Eph.* 2. Dicit talem eſſe in carne, non ſubjici legi, nec poſſe, *Rom.* 8. *v.* 4. Animalem non percipientem ea, quæ ſunt ſpiritus Dei, 1 *Cor.* 2.

AR-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ARMIN. Homo naturalibus donis poteſt bene uti, & bene utenti dat Deus ulteriorem gratiam. *Adolph. Venator, declar. pag.* 174.

π. ψ. Verba illa: Habenti dabitur, *male intellecta.*

Refell. 1. Intelliguntur illa de regenitis. Nunquam enim Deus ita conferre ſolet dona ſua in fidelem, ut omnia conferat omni gradu, ſed aliquo: Rom. 8, *Quos praſcivit*, &c. 2. Quia homines irregeniti ſunt fidem non habentes; At qui ſunt tales, ipſorum polluta eſt conſcientia, ſunt abominandi & contumaces, & ad omne malum rejectanei. 3. Quia, ſi regeniti, 1 Cor. 3, *ex ſe idonei non ſunt*, &c. multo magis irregeniti.

ARMIN. Irregenitus, in converſione non habet ſe mere paſſive, ſed active etiam.

(Hæc theſis, admiſſo libero arbitrio, etiam admittitur ab Adverſariis.)

π. ψ. Deum non irreſiſtibiliter convertere homines, ſed in hominis aſſenſu eſſe prabere aures Deo vocanti.

Refell. 1. Quia convertere ſe, vocatur nova creatura, quia ſcil. eadem vi fit, qua creatio, 2 *Cor.* 4. 6. 2. Quia regeniti dicuntur vivificati; ſicut igitur in ſuſcitatione mortuorum vis evocans è ſepulcris eſt vis irreſiſtibilis, ita & hic; quia dicimur vivificari ex majori & deteriori morte, quam corporea. 3. Quia Spiritus Sanctus non neceſſario connecteret effectum cum vi regenerante. At connectit, Ezech. 36, *Eximam cor lapideum*, &c.

ARMIN. Plus facere hominem in regeneratione ſua, quam Deum; quia Deus offerre quidem poteſt gratiam hominibus; at hoc fruſtra, ſi homo nolit; ſi autem velit, tum demum converti. *Colleg. Hag. pag.* 191. 193. 246. 254.

π. ψ. A conſenſu liberi arbitrii pendere efficaciam gratia.

Refell. 1. Quia nullam gratiam converſionis ſuæ homines Deo deberent, 2 Cor. 4, *Quis te ab alio diſcernit? quid habes quod non*, &c. 2. Quia eo pacto Deus non, quæ vult, facit in cælo & in terra, *Pſal.* 115.

ARMIN. Homo poteſt plus boni facere, quam facit, & plus mali omittere quam omittit. *Vorſt. in amica duplic. contra Piſcatorem. Armin. artic. perpend. de regeneratione.*

π. ψ. Libertatem non poſſe ſtare cum neceſſitate.

Refell. 1. Nam irregenitorum eſt, ut non poſſint benefacere; Ceterum tamen, quod faciunt, liberrime faciunt. 2. Regenitus, ultra menſuram regenerationis non poteſt plus boni quid facere; & tamen quod facit, liberrime facit, quia ducitur à Spiritu Sancto.

CAP. XV.

De Peccato.

ARMIN. Deus non potuit impedire peccatum, tanquam realis cauſa; impediebat tamen, tanquam moralis, prohibendo illud.

π. ψ. Neceſſitas non poteſt ſtare cum libertate.

Refell. 1. Deus realiter fideles regenitos conſervat, ne fide excidant, & tamen credunt voluntarie. 2. Ex ſtatu beatorum; Nam Deus, tanquam cauſa realis, in ſtatu glorificationis conſervaturus eſt, ne peccent, & tamen liberrime iſti abſtinebunt à peccatis. 3. Angeli boni conſervantur à Deo, ne deficiant, tanquam à cauſa reali; & tamen liberrime Creatori ſuo obtemperant.

ARMIN. Imputatum peccatum, quod imputat Deus, non imputatum ut peccatores conſtituat, & peccatum tranſeat in poſteros, ſed ut pœna tantum tranſeat. *Adolph. Venator, contra*

Paſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Paſt. Dordrac. pag. 101. *& declaration. pag.* 172.

π.ψ. Quia abſurdum eſt alieno peccato conſtitui aliquem peccatorem.

Refell. 1. Scriptura teſtatur aliena inobedientia multos fieri injuſtos. 2. Nemo punitur, niſi propter peccatum. Ergo vel propter ſuum, vel propter alienum. Ita poſteri Adæ infantes moriuntur. Ergo cum non propter ſuum, igitur propter alienum; quomodo autem alienum, niſi imputatum ſit? 3. Si juſtitia alicujus nobis imputari poteſt; Ergo & peccata potuerunt. At juſtitia Chriſti nobis imputatur. Ergo & peccatum, quia utriuſque eſt par ratio.

ARMIN. Pœna, quæ nobis imponitur propter Adæ peccatum, eſt tantum temporaria. *Armin. artic. perpend. de Prædeſt.* 11.

π.ψ. Neque enim Deus propter peccata imputata poteſt punire morte æterna.

Refell. 1. Quia, ſi propter actuale peccatum condemnamur; Ergo & propter originale peccatum condemnabimur. Ratio, quia originale eſt cauſa actualium. Ergo. Cauſa enim plus aliquid ſemper habet, quam effectus. 2. Si hoc peccatum eſt mors ſpiritualis, tum certe damnamur propter illud morte æterna. Sed verum prius. Ratio, quia mors ſpiritualis reddit nos filios iræ Dei; hinc dicimur filii iræ naſci. 3. Si propter peccatum ſpeciale Judæorum Chriſtum crucifigentium imputatum poſteris eorum, à fœdere repulſi, & cognitio ſalutaris Verbi Dei ipſis non indulgetur, tum certe peccatum imputatum meretur mortem æternam.

ARMIN. Infantes irregenitorum non pertinentium ad fœdus Dei, morientes in infantia, non damnantur morte æterna, ſed potius ſalvari cenſendi ſunt. *Apol. Remonſt. pag.* 87.

π.ψ. Peccatum originale non meretur mortem æternam.

Refell. 1. Omne peccatum meretur mortem æternam. Deut. 27, *Maledictus* &c. 2. Quia hoc peccatum cauſa reliquorum eſt: Si verò alia damnant, Ergo & hoc. 3. *Niſi quis renatus fuerit*, &c. At infantes infidelium non regignuntur, quia hoc eſt filiorum Dei tantum; non eorum, qui alieni ſunt à fœdere.

ARMIN. Deus non punit peccata peccatis.

π.ψ. Deus ita eſſet auctor peccati, neque enim una eademque res poteſt hos reſpectus recipere, ut ſit pœna, & culpa.

Refell. 1. *Rom.* 1. *v.* 21, 24. Ubi docetur Deum peccata peccatis puniviſſe. 2. 2 *Theſſ.* 2. *v.* 10, 11. 3. Quia tribuitur Deo, quod excæcet homines, *Eſaï.* 6. quod induret, *Rom.* 9. *v.* 18. Atqui cæcitas ſpiritualis, & durities cordis, peccata ſunt; Ergo peccata peccatis punit. Et ſic falſum eſt, quod de diverſis reſpectibus Arminiani in theſi dicunt.

ARMIN. In peccato commiſſionis non tantum ἀταξία prohibetur, verum & ipſe actus.

π.ψ. Deum non concurrere in peccato commiſſionis cum creatura, nam alias creatura neceſſario peccatura fuiſſet.

Refell. 1. Quia Deus concurrit cum Abſolone uxores patris inceſtante, non quidem ratione ἀταξίας, ſed ratione motus. vid. 2 *Sam.* 12. 11, 12. 2. Quia, quod fecit Sennacherib in Iſraëlitis, erat peccatum; Deus tamen concurrit cum ipſo, *Eſaï.* 10. 15. 3. Quod Jeroboam ſurrexit in Roboam Salomonis filium, erat peccatum; & tamen Deus etiam ibi concurrit, 1 *Reg.* 13.

CAP. X.
De Iuſtificatione.

ARMIN. Homo poteſt opera bona facere viribus naturæ, propter quæ Deus hominem talem fide donet. *Adolphus Venator, declaration. pag.* 174.

π. ψ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

π. ψ. *Bona opera antecedere juſtificationem, & eſſe meritoria cur Deus conferat fidem.*

Refell. 1. Quia ab eo, qui impius eſt, & mortuus in peccatis, quales docet Spiritus Sanctus nondum juſtificatos, nullum opus bonum proficiſci poteſt. 2. Quia illi, qui fideles non ſunt, ſunt rejectanei ad omne opus bonum, *Tit.* 1. 15. Quomodo vero poſſunt bona opera facere, antequam fidem habeant? Hinc illud Auguſtini: *Bona opera non præcedunt juſtificandum, ſed ſequuntur juſtificatum.*

Secunda pars π. ψ. *refell.* 1. Quia, ſi merentur tales, multo magis fideles mereri poſſent. At illi non merentur; nec enim illis datur merces ex debito, ſed ex gratia, *Rom.* 4. 2. Quomodo poſſit de ipſis dici, quod ira Dei maneat ſupra ipſos? Nam, ut de omnibus infidelibus, ita de his ſonat illud, Joan. 5, *Qui non credit, ira Dei manet ſuper ipſum.* 3. Omnia opera qualiacunque ſunt, ſunt nihil, *Eſaï.* 64. Item, Rom. 14, *Quod non ex fide eſt, peccatum eſt.*

ARMIN. Fides eſt juſtitia noſtra. *Bertius Epiſtol. ad Sibrand. pag.* 69. 70. *Epiſcop. de Iuſtif. diſp. privat. th.* 4. *Vorſt. Catal. errorum Sibrand. pag.* 41. *declar. Remonſt. pag.* 65.

π. ψ. Rom. 4. 5, *Verba male & proprie intellecta.*

(Hoc eſt diſcrimen inter nos & illos, quod illi dicant, fidem imputari proprie, nos vero dicimus, metonymice; dicimuſque poni ſubjectum occupans, & intelligi objectum.)

Refell. 1. Quia juſtitia, qua juſti conſtituimur in conſpectu Dei, non eſt noſtra, *Phil.* 3. 9. At fides, noſtra eſt, *Habac.* 2. 2. Juſtitia, qua comparituri ſumus coram tribunali Dei, perfectiſſima eſt. At fides noſtra non eſt perfecta, 1 Cor. 13, *Ex parte ſcimus*, &c. 3. Quia juſtitia illa erit æterna, *Dan.* 9. 24. At fides non erit æterna, quia ceſſabit, 1 *Corinth.* 13. 4. Quia hoc, quo accipitur juſtitia, non poteſt eſſe juſtitia ipſa. Fides autem eſt tale quid &c. *Act.* 26. 18.

ARMIN. Calviniſtæ docent, imputari juſtitiam Chriſti propter meritum Chriſti, hoc eſt, juſtitiam propter juſtitiam: quod eſt abſurdum. *Iacob. Armin. Epiſtol. ad Hippolytum.*

π. ψ. *Putant, nos docere, imputari juſtitiam propter juſtitiam.*

At docemus, imputari juſtitiam ex beneplacito Dei; ſicut enim imputavit peccata primorum parentum poſteris; ita & imputat juſtitiam Chriſti. At hoc ex mero beneplacito; Ergo & illa.

ARMIN. Non juſtificamur prius, quam fidem habeamus.

π. ψ. *Diſtinctionem juſtificationis activæ & paſſivæ non dari.*

(Dicitur de Deo, quod juſtificet, *Rom.* 4. *v.* 5. Et de nobis, quod juſtificemur, *cap.* 5. Non eſt ergo propterea duplex juſtificatio. Nam paſſiva improprie dicitur juſtificatio, & eſt tantum ſenſus juſtificationis activæ.)

Refell. 1. Nam ſi Deus juſtificat, & nos juſtificamur; Ergo datur juſtificatio activa & paſſiva. 2. Quia ex eo, quod nos Deus juſtificat, concedit nobis fidem, & alia dona ſpiritualia, Eph. 1, *Benedixit nobis*, &c. 3. Quo tempore Chriſtus factus eſt vas pro nobis, & peccata noſtra ipſi imputata ſunt, eo nos ſumus abſoluti à reatu, & reputati juſti, hoc eſt, active ſumus juſtificati. Atqui hoc factum tum, cum ſemen benedictum promitteretur.

ARMIN. Chriſtus pro peccatis omnium & ſingulorum mortuus eſt, ea conditione, ut qui crederent in ſe, & perſeverarent in fide, illis mors iſta applicaretur. *Iacob. Armin. contra Perkinſ. fol.* 69.

π. ψ. *Deum voluiſſe, Chriſtum mori, non cum intentione ſalvandi certas & ſingulas perſonas, ſed indefinite eos, qui credituri eſſent.*

Refell. 1. Quia pugnat cum electione Dei æterna, quæ eſt certarum ſingularum perſonarum. 2. Reprobatio eſt ſingularum & certarum perſonarum. 3. Quia Chriſtus dicit, ſe mori non pro omnibus & ſingulis indefinite, ſed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ſed *pro ovibus ſuis*; Joan. 10, *pro illis, qui ei dati ſunt.*

ARMIN. Juſtificatio interrumpi poteſt & intercidere. *Apologia Remonſtrantium, pag.* 203.

π.ψ. Quia fides deficere poteſt.

Refell. 1. Si fides deficere poſſet; non eſſet verum illud Chriſti, *Qui credit, habet vitam æternam*: poſſet autem quis in præſenti credere, & poſtmodum fidem amittere penitus. 2. Rom. 8, *Quos prædeſtinavit*, &c. 3. Non poſſemus dicere, *Credo vitam æternam*; nam non credimus tantum, eſſe vitam æternam, ſed & illam nobis certo obventuram.

ARMIN. Juſtificatio alia eſt plena; alia, ſemiplena.

(Dicunt, juſtificationem noſtram, dum vivimus, non eſſe plenam, ſed in morte demum compleri.)

π.ψ. Actum juſtificationis non eſſe individuum & ſimul totum, ſed toties iterari, quoties ex peccatis reſurgimus.

Refell. 1. Ergo non ſimul & ſemel Chriſto ſunt imputata peccata noſtra: quod falſum. 2. Ergo non ſimul & ſemel Chriſtus pro omnibus peccatis noſtris vas factus. 3. Ergo non ſimul & ſemel Deus Chriſti oblationem ad ſatisfaciendum pro nobis acceptavit.

CAP. XI.

De Regeneratione & Pœnitentia.

ARMIN. Peccator & irregenitus poteſt ſua natura confugere ad Chriſtum.

π.ψ. Irregenitum habere vires ad converſionem ſui.

Refell. 1. Quia irregenitus eſt homo animalis, &c. 1 *Cor.* 2. 2. Quia tali Chriſtus eſt ſtultitia, 1 *Cor.* 1. 3. Nemo ad Chriſtum venit, niſi quem Pater traxerit, & qui divinitus edoctus fuerit, *Joan.* 6.

ARMIN. Vocatio interna contingit etiam iis, qui non aſſentiuntur vocationi. *Armin. artic. perpend. de vocatione peccatoris.*

π.ψ. Gratia Dei interna, eſt reſiſtibilis.

Refell. 1. Gratia iſta tollit reſiſtentiam, *Ezech.* 36. 2. Si gratiæ Dei reſiſti poteſt; Ergo voluntati ejus reſiſti poteſt: Quia gratia ejus eſt voluntas benefaciendi creaturæ. vid. *Rom.* 9. 3. Non poſſet copulari effectus neceſſario cum iſta gratia converſionis, ſive, non poſſet ex poſitione gratiæ, neceſſario inferri converſio; quod tamen fit in Scriptura, *Quos vocavit, prædeſtinavit*, &c.

ARMIN. Agnitio peccatorum, dolor ob illa, deſiderium liberationis, cum propoſito vitandi peccata, cadunt in hominem improbum. *Jacob. Armin. ibid. de Pœnitent.*

π.ψ. In 7. cap. ad Rom. *agi de homine irregenito.*

Vide refutationem in Anti-Socino.

ARMIN. Pœnitentia fide in Chriſto prior eſt.

π.ψ. Dari præparationes ad regenerationem.

Refell. 1. Quia, dum regeneramur, ſumus mortui in peccatis; Mortuus autem, ſeſe nullo modo præparare poteſt. 2. Quia irregeniti dant operam peccato: qui autem tales ſunt, quomodo ſe præparant? 3. Quia tales, ſine fide, ſunt rejectanei ad omne opus bonum.

ARMIN. Pœnitentia Judæ non recte legalis dicitur. *Idem, ibidem.*

π.ψ. Judas fuit vere fidelis, & defecit à fide penitus.

Refell. 1. Quia, qui Chriſto dati ſunt, non perierunt, *Joan.* 17. *Obj.* Niſi filius perditionis. *Reſp.* Particula *niſi*, *adverſative*, non *exceptive* ſumi debet; ſicut *Luc.* 4. 26, 27. 2. Quia, qui Chriſto ſunt dati, illi ad Chriſtum veniunt, eos non ejicit foras. Non ergo fideles deficiunt penitus à fide. 3. Nullus, qui juſtificatus eſt, exci-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

excidit fide. At ſoli fideles juſtificantur; quia per fidem juſtificamur & ex fide. Major, Rom. 8, *Quos juſtificavit, glorificavit.*

ARMIN. Pœnitentia Tyriorum, ſi futura fuiſſet, vera futura fuiſſet. *Idem, ibidem.*

ORTHOD. *Contra.*

π. ψ. *Verba illa*, Matth. 11, *ſimpliciter accipienda eſſe, non comparate, hoc eſt, ita*:

Si miracula futura fuiſſent, tum fides & pœnitentia futura eſſent: & non potius ita: Cum Tyrii & Sidonii ad miracula non potuiſſent converti, & pœnitentiam agere, ſi tamen alterutrum debuiſſet fieri, aut ut vos converteremini, aut ut illi; potius illi fuiſſent converſi, quam vos.

Refell. 1. Quia niſi Deus adſit & pœnitentiam largiatur, miracula hoc nullo modo efficere poſſent; ſi enim miracula hoc efficerent, effectura hoc etiam fuiſſent in Judæis: quod tamen non eſt factum. 2. Si miracula facerent aliquid ad pœnitentiam in irregenitis, tum Simon Magus pœnitentiam acturus fuiſſet, qui, cum peccaſſet graviter, vidit, miracula fieri à Petro & Apoſtolis, monituſque eſt, ut reſipiſceret, nec tamen reſipuit.

ARMIN. Quos Deus vocat, ſerio vocat. *Iacob. Armin. artic. perpend. de vocat. peccat. 6.*

(*Serio* poteſt accipi, vel pro *revera* vocat, vel vocat *eo fine*, ut veniant. Hoc poſterius illi intelligunt; nos prius dicimus, quod ſcilicet revera vocet, ſed non vocet omnes eo fine, quod venire velit.)

π. ψ. *Deus enim alio pacto hypocrita eſſet.*

Refell. 1. Deus jubet Pharaonem, ut dimittat populum, nec tamen eo fine, quod velit eum dimittere; & tamen non eſt hypocrita. 2. Jubet Abrahamum immolare filium, nec tamen vult; & tamen non eſt hypocrita. 3. Chriſtus Judæis mandat, ut ad ſe veniant, & ut ſerventur, *Ioan.* 5. nec tamen hoc vult. Nam Deo gratias agit, quod abſconderit iſta à ſapientibus, *Matth.* 11. Et tamen Chriſtus non fuit hypocrita.

ARMIN. Vocationis Divinæ non eſt finis, ut homo reddatur inexcuſabilis. *Idem, ibid.* 8.

(Dicunt, nunquam hunc finem eſſe vocationis in reprobis.)

π. ψ. *Deum vocare eo fine, quos vocat, ut veniant.*

Refell. 1. Matt. 13. & Luc. 8, *Vobis datum eſt*, &c. Et tamen, *Ioan.* 15. 22, dicit, *Si non veniſſem & dixiſſem, peccatum non habuiſſent*, &c. Chriſtus ergo vocat hic hoc fine, ut inexcuſabiles reddantur, non ut veniant. 2. 1 Pet. 2, *Poſiti ad hoc*, &c. Si poſiti, Ergo non vocantur, ut veniant. 3. Judæ, v. 4, *Proſcripti*, &c. Ergo non eo fine vocantur, ut veniant.

ARMIN. Doctrina, quæ in eum finem tantum patefit, ut reddat auditores inexcuſabiles, neque juris eſt, neque efficaciæ. *Idem, ibid.* 9.

π. ψ. *Voluntatem Dei eſſe regulam juſtitiæ, & eum, qui voluntatem Dei facit, non peccare.*

Refell. 1. Non Voluntas Dei eſt regula juſtitiæ, ſed Lex. Ideo dicitur peccatum ἀνομία. 2. Sic nullum eſſet peccatum in rerum natura. Nihil enim eſt, quod Deus non velit vel efficere, vel permittere.

ARMIN. Pœnitentia non ad Legem, ſed Evangelium pertinet. *Iacob. Armin. artic. perpend. de pœnitentia,* 1.

π. ψ. *Dari opera Evangelii, contradiſtincta operibus Legis.*

Refell. 1. Quia omnia opera bona jubentur Lege. Nam ex eo facimus, quæcunque facimus bene, quod nos Deus jubeat, & Lex obliget ad parendum Deo, ſive illud in Lege proponatur, ſive extra Legem. 2. Si dantur quædam opera Evangelii, datur & Lex Evangelii. At contradiſtinguit ſemper Spiritus Sanctus Legem Evangelio, & Evangelium Legi. 3. Daretur ſic tranſgreſſio Evangelii, & per conſequens, non recte definiretur peccatum, tranſgreſſio Legis; cum debuerat dici, tranſgreſſio Evangelii.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

CAP. XII.

De Fide.

ARMIN. Nemo credit in Chriſtum, niſi qui antea per prævenientem gratiam diſpoſitus & præparatus eſt, ea conditione, qua Deus eam dare vult. *Iacob. Armin. artic. perpend. de fid.*

ORTHOD. *Contra.*

ϖ. ψ. *Verba* Joan. 7. v. 17, *male intellecta.* Nam Arminius intelligit, prius nos velle exſequi Voluntatem Dei, antequam ſciamus Voluntatem Dei: quod abſurdum. Nam ita verba conſtituenda ſunt: Ille volet facere Voluntatem Dei, qui cognoverit doctrinam Dei.

Refell. 1. Quia voluntas ferretur in ignotum; *Ignoti vero nulla cupido.* 2. Quia ex cognitione ſequitur amor, ex amore executio. Nam *tantum amamus, quantum ſcimus.* 3. Quia, utut poſſit præcedere voluntas ſcientiam *diſtinctam*, nunquam tamen præcedit *confuſam*; confuſa vero præcedit ſalutarem, *Act.* 2. *v.* 37. & 16. 30.

ARMIN. Fides juſtificans eſt, qua creditur in Chriſtum, tanquam in Salvatorem credentium univerſorum & ſingulorum. *Iacob. Armin. artic. perpend. de ſide*, 6.

ϖ. ψ. *Chriſtus Salvator credentium indefinite, hoc eſt, ut neſciat definite, qui illi credentes, qui non.*

Refell. 1. Nam Chriſtus eſt Servator juſtorum, pro quibus eſt mortuus. Atqui mortuus eſt pro illis, quos novit; hoc eſt, qui ipſi dati ſunt. 2. Quia Chriſtus Servator eſt electorum. Atqui electi definiti ſunt; dicuntur enim *nomina eorum ſcripta* eſſe in cælis.

ARMIN. Fides ſalvifica excedit totam naturam hominis & intellectum. *Idem, ibidem*, 7.

(Hic ignoratur, de qua fide dicatur, an *qua creditur*, vel *qua creditur.*)

ϖ. ψ. *Extollunt fidem, ut ipſam pro juſtitia noſtra habeant, eamque nobis in juſtitiam imputari doceant.* Refutati ſupra.

ARMIN. Deus non poteſt jure fidem in Chriſtum poſtulare ab eo, quem abſolute reprobavit. *Idem, ibidem*, 8.

ϖ. ψ. *Non enim poteſt ab aliquo poſtulare id, quod ei non dedit, nec auxilium ſufficiens ſuppeditavit.*

Refell. 1. Poteſt Deus plus poſtulare, quam dedit: ſic poſtulavit ab Adamo, velle quod poſſet; & tamen hoc ipſi non dederat. 2. Poſtulat à reprobis, ut ſe convertant; & tamen vires ipſis ad hoc nunquam dat. 3. Poſtulat ab irregenitis, ut ſibi cor circumcidant, *Ezech.* 14. & tamen eis vires ad hoc non ſuppeditat.

ARMIN. Fides eſt donum Dei, non tamen datum ſecundum præciſam Voluntatem Dei, ad ſalvandos aliquos homines. *Idem, ibidem*, 9.

ϖ. ψ. *In poteſtate irregeniti eſſe, credere, vel non; nec Deum unquam largiri fidem irreſiſtibiliter.*

Refell. 1. *Non voluiſtis credere*, &c. *Deut.* 29. 2. Quia fides eſt donum Dei; & quidem ita, ut non ſit ex nobis, *Eph.* 2. 3. Quia poſſet quis venire ad Patrem, qui non fuerit tractus, *Ioan.* 6. Quod abſurdum.

ARMIN. Nemo credit in Chriſtum, niſi qui ante per prævenientem gratiam diſpoſitus. *Idem, ibid.* 10.

(Iſtam prævenientem gratiam, moralem ſuaſionem putant.)

ϖ. ψ. *Poſſe aliquem præparari ad regenerationem, etſi irreſiſtibilis gratia Dei non adſit.*

Refell. 1. Quia irregeniti ſunt caro, quæ non ſubjicitur Legi Dei, nec poteſt. 2. Quia irregeniti, non ſunt vocati interne. Atqui talibus Chriſtus eſt ſcandalum, 1 *Cor.* 1. 3. Quia ſunt animales, ideo non &c. 1 *Cor.* 2.

AR-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ARMIN. Electus, & fidelis, unum ſunt in Scriptura. *Iacob. Armin. articul. perpend. de Iuſtific.* 8.

π. ψ. *Neminem electum, niſi fidelem.*

Refell. 1. Quia electio ad ſalutem prior eſt electione ad fidem. Nam electio ad finem prior eſt electione ad media. 2. Electio ad fidem non præſupponit fidelem, ſed ex electione ſequitur fides, *Crediderunt quotquot*, &c. *Act.* 13.

ARMIN. Fideles non tenentur credere, ſe à fide non defecturos. *Iacob. Armin. artic. perpend. de certitudine ſalutis*, 11.

π. ψ. *Quia non tenentur credere, ſe irreſiſtibiliter divinitus conſervatum iri.*

Refell. 1. Si non tenentur credere, ſe conſervatum iri, Ergo non tenentur credere vitam æternam: quod abſurdum. 2. Si non tenentur credere, ſe à defectione conſervatum iri, Ergo non tenentur credere promiſſionibus Divinis factis fidelibus de ipſis conſervandis à defectione: quod itidem abſurdum.

ARMIN. Si quis certo perſuaſum habet, ſe à fide deficere non poſſe, is adverſatur Scripturæ, quæ jubet, cum tremore operari ſalutem noſtram. *Idem, ibid.* 4.

π. ψ. *Metus non poteſt conſiſtere cum certitudine fidei, ſive cum certitudine ſalutis.*

(Metus eſt vel *diffidentiæ*, qui non poteſt conſiſtere cum certitudine ſalutis: vel *cautelæ*, qui poteſt.)

Refell. 1. Metus eſt medium ſalutis, Proverb. 1, *Initium ſapientiæ timor Domini.* Timor autem iſte comprehendit ſub ſe quaſi totam pietatem. Hinc in Scriptura homines pii dicuntur *timentes Deum.* Atqui pietas cum certitudine ſalutis non pugnat. 2. Quia in Scriptura, jubemur timere Deum; & tamen jubemur certi eſſe de ſalute, & credere vitam æternam.

ARMIN. Qui exiſtimat, ſe à fide deficere poſſe, non poteſt deſtitui ſolatio, quia ſcit, nullum hoſtem contra ſe prævaliturum, ſi ipſi non obſecundaverit aut obſecundare voluerit.

π. ψ. *Poſſe quem ſolatio frui, ſi non Deum, neque gratiam ejus, reſpexerit in ſe conſervando, ſed ſuam voluntatem.*

Refell. 1. Jubemur in Deo fiduciam locare. 2. Si à voluntate ſolatium noſtrum, tum non niſi deſperatio inde proficiſci poſſet; nam voluntas noſtra maxime mutabilis, & quidem in ſingulas horas. 3. Quomodo inde ſolatium peti poteſt, unde nemo certus eſſe poteſt; ſiquidem multi, ex ipſorum ſententia, à fide defecerunt & deficere poſſunt?

CAP. XIII.

De Bonis Operibus.

ARMIN. Non bene dicitur de operibus omnium fidelium, immunda eſſe inſtar panni menſtruati. *Armin. artic. perpend. pag.* 36. *Præfat. Armin. in 7 cap. ad Rom.*

(Dicitur tamen hoc, *Eſai.* 64. 10.)

π. ψ. *Opera fidelium in hac vita eſſe perfecta.*

Refell. 1. Quia regeneratio noſtra eſt imperfecta in hac vita. Ergo etiam opera bona ſunt imperfecta. 2. Fides non eſt perfecta; *ex parte enim ſcimus, ex parte prophetamus*, 1 Cor. 13. Ergo etiam bona opera. 3. Job. 9, *Si contendere cum ipſo velit* &c. Ergo omnia opera noſtra coram judicio Dei imperfecta.

ARMIN. Male dicitur, fideles in quovis bono opere peccare moraliter. *Armin. artic. perpend. de bonis operibus*, 11.

π. ψ. *Idem quod ſupra.*

ARMIN. Opera bona fidelium in judicium Dei non veniunt, quatenus tantum ſunt fidei teſtimonia, ſed etiam quatenus à Deo præſcripta &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

& mercedis promiſſione condecorata. *Iacob. Armin. artic. perpend. de bonis operibus*, 3.

π. ψ. Bona opera non proficiſci à Deo, niſi ut cauſa morali; alioqui non eſſent digna laude: ſed ab homine eſſe, tanquam cauſa reali, ideoque mereri.

Refell. 1. 2 Cor. 3, *Non ſumus idonei*, &c. 2. Ezech. 36, *Eximam ex vobis cor lapideum.* &c. 3. Phil. 2, *Deus dat velle & perficere.*

ARMIN. Oratio habet rationem medii neceſſarii ad impetrandum id quod petitur, & quidem medii, quod Deus prævidit uſurpatum iri, antequam præciſe decerneret bonum illud dare poſtulanti. *Iacob. Armin. artic. perpend. de Oratione*, 1.

π. ψ. Deus vult dare homini bona; quia prævidet, hominem petiturum à ſe; non vero petiturum, quia decrevit hoc ipſi dare: & ad preces iſtas decrevit ipſi hoc vel illud largiri.

Refell. 1. Quia nos neſcimus, quomodo precemur, ſed Spiritus pro nobis intercedit, &c. *Rom.* 8. 26, 27. 2. Zach. 12, *Effundam Spiritum precum*; qui ſcilicet doceat nos precari.

CAP. XIV.

De Sacramentis.

ARMIN. Infantes, qui feruntur ad Baptiſmum, non conſiderantur ut filii iræ. *Iacob. Armin. art. perp. de infant. fidel.*

π. ψ. Quia duo hæc contraria non poſſunt cadere in unum idemque ſubjectum.

Refell. 1. Quia, ſi in unum idemque poteſt cadere, eſſe peccatorem, & filium Dei, tum & hoc; peccator enim natura ſua eſt filius iræ. 2. Quia teſtatur Scriptura, nos natura eſſe filios iræ, *Eph.* 2. Quæ tamen teſtatur, nos eſſe in Chriſto conditos ad bona opera, ut in iis ambulemus. 3. Quia omnes ſumus concluſi ſub peccato, *Gal.* 3. Et tamen omnibus credentibus datur vita æterna, &c. *Ibidem.*

ARMIN. An principalis finis Cœnæ Domini, tum qua inſtituta eſt, tum qua uſurpatur, ſit commemoratio & annuntiatio mortis Domini; an vero ſit confirmatio fidei, dubitatur. *Iacob. Armin. artic. perpend. de Cœn. Dom.* 1.

π. ψ. Putant, Cœnam Domini noſtrum eſſe opus; nullum autem opus noſtrum habere vim confirmandi fidem.

(Eſt hoc ipſis commune cum Socinianis.)

Refell. 1. Bona opera ſunt opera noſtra, & tamen certitudinem fidei ex illis conſequimur, Jacob. 2, *Oſtende mihi fidem*, &c. 2. Quia Abraham ex eo experimentum cepit, ſe eſſe fidelem, quod filium obtulerit.

CAP. XV.

De Magiſtratu.

ARMIN. Magiſtratum ſummum non recte dici politicum aut ſecularem. *Iacob. Armin. artic. perpend. de Magiſtratu.*

π. ψ. Quia talis opponitur poteſtati Eccleſiaſticæ & ſpirituali, cum tamen Magiſtratus ſummus ſit æque politicus ac ſpiritualis.

Refell. 1. Quia Spiritus Sanctus diſtinguit inter Rectores Eccleſiæ & Politiæ, *Rom.* 12. 8. 1 *Cor.* 12. 28. 2. Quia judicia Eccleſiaſtica eſſent eadem cum judiciis Politicis. At hoc abſurdum: nam quorſum illud; *Dic Eccleſiæ*? 3. Si non diſtinguerentur, tum eædem pœnæ eſſent Eccleſiaſticæ & Politicæ. At Eccleſiaſticæ proprie pœnæ non ſunt. Nam ubi pœnitentia eſt, ibi non infliguntur & imponuntur pœnæ, ſi homines reſipiſcant. Politicæ autem pœnæ infliguntur ſontibus, etiamſi agant vel non agant pœnitentiam.

ARMIN. Religionis cura à Deo magis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

magis ſummo Magiſtratui commiſſa, quam perſonis Eccleſiaſticis. *Idem, ibidem.*

π. ψ. *Externam curam Eccleſiæ eſſe majorem, quam internam.*

Refell. 1. Nam Miniſtri qui internam curam habent, exercent hoc officium; Magiſtratus non exercet. 2. Quod Magiſtratus ſubſit ratione regiminis Eccleſiaſtici Paſtoribus, & Miniſtris, ita ut excommunicari poſſit, ſi quid faciat indecens. Majus vero Miniſterium, quam ipſe.

ARMIN. Magiſtratus debet conventibus Eccleſiaſticis ipſe intereſſe. *Idem, ibidem.*

π. ψ. *Non eſſe diſtincta judicia Eccleſiaſtica à Politicis.*

Quod paulo ante refutatum.

FINIS.

CONTROVERSIARUM CUM ANABAPTISTIS EXAMEN,

Sive Manifeſtatio Primi Falſi.

CAPUT PRIMUM.

De Sacra Scriptura.

ANABAPTIST. Sciendum autem eſt, Anabaptiſtarum complura eſſe genera, quæ à ſe invicem penitus diſſentiunt. Igitur circa Scripturam hic eſt error quorumdam, qui vocantur *Monaſterienſes*, ſive *Munceriani*, Quod Scriptura non ſit neceſſaria in Novo Teſtamento, ſed ſomnia, viſiones, illa ſcilicet debere nobis eſſe principia vitæ noſtræ regendæ, & media ſalutem conſequendi. *Nuterdus Obbes contra Hans de Ries, lib. cui tit.* **Kaegbeſeun** *pag.* 153. 154. 155. *& pag.* 17.

π. ψ. *Verba*, Jer. 31. v. 34, *male intellecta, tum & illa*, Act. 2. 27, 28.

Refell. 1. Quoad primum, ſi hoc ſimpliciter accipiendum eſt, ſequetur, Scripturæ non fore uſum perpetuum in Eccleſia. At hoc falſum. Nam Scriptura in eum finem tradita eſt, ut ejus uſus eſſet perpetuus in Eccleſia, quamdiu illa eſſet, 1 Tim. 5, *Tota Scriptura eſt divinitus inſpirata*, &c. 2. Uſus iſte Scripturæ particularis, qui eſt in explorandis aliorum doctrinis;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

nis; de quo, 1 Theſſ. 4, *Omnia probate*, &c. Non eſſet perpetuus futurus: quod itidem eſt falſum. 3. Non eſſet hæc perennitas Verbi, quam Chriſtus dicit: *Cœlum & terra tranſibunt*, &c. *Reſp.* ad locum *Ierem.* Ibi *τὸ non docere* non opponitur miniſterio Verbi, ſed doctrinis alienis à Verbo Dei, *Matth.* 23. 8, 9, 10. *Reſp.* quoad ſecundum Anabap. π. ψ. 1. Hoc de certis quibuſdam perſonis dictum eſſe; ut patet ex dicto loco. 2. Quia iſtæ viſiones conjunguntur cum Scriptura, nec pugnant; Ideo etiam Petrus allegat ibi Scripturam, & quod donum Spiritus Sancti accepturi fuiſſent, & quod Chriſtus ſuſcitandus erat à mortuis. 3. Si viſiones ſubſtitutæ in locum Scripturæ, quæ cauſa, quod Apoſtoli poſt hoc tempus urgeant Scripturam, & imprimis Petrus? 1 *Petr.* 1.

ANAB. Alii vero communiter ſentiunt, Scripturæ quidem uſum eſſe ſub Novo Teſtamento, ſed Scripturæ Novi Teſtamenti tantum. *Colloq. Francoth. artic.* 1. *Colloq. Leovard. An.* 1598. *Act.* 11.

π. ψ. *Verba*, Lex per Moſen, veritas per Chriſtum, *male intellecta.*

(Ita enim hoc explicant, quod Moſes Legem attulerit, Chriſtus eam aboleverit.)

Refell. 1. Si hoc ſenſu Lex per Moſen, Ergo amplius virtutibus non eſt ſtudendum; nec, ſi Legem transgrediamur, propter hoc peccatores ſumus futuri; contra ac docet Spiritus Sanctus, 1 Ioan. 3. v. 4, *Quod peccatum ſit transgreſſio Legis.* 2. Ergo Apoſtoli male fecerunt, quod Legem & bona opera Legis urgerent. 3. Fides, quam proponit doctrina Evangelii, ſive credenda, repugnarent moribus, ſive faciendis: quod falſum; quia doctrina Evangelii vocatur ſecundum pietatem, 1 Tim. 6. 3, *Iuſtificamur enim, ut ſanctificemur; non contra:* hoc eſt, fidei finis ſunt mores; non fides, morum.

ANAB. Evangelii doctrina non fuit ſub Vetere Teſtamento.

π. ψ. *Quia tum capitalia ſupplicia vigebant, quæ non poſſunt conſiſtere cum doctrina Evangelii.*

(Hanc unicam cauſam habent, cur rejiciant doctrinam Evangelii à Vetere Teſtamento.)

Refell. 1. Quia hæc non pugnant cum doctrina Evangelii, *Matt.* 15. 3, 4. Ubi Deus approbat ſub Novo Teſtamento Legem capitalem, & voluit illam ſervari. Quod ſi Chriſtus confirmavit iſtam Legem, tum certe Leges, quæ inferunt pœnam ſontibus. 2. *Rom.* 13. à *verſ.* 1. ad *verſ.* 5. 3. *Apocal.* 13. 10. Ubi particula *oportet* non notat *eventum*; ut cum dicitur, *Oportet hæreſes eſſe:* tum vero illud Chriſti, *Oportuit Chriſtum pati.* Quia vero multi effugiunt manus Magiſtratus; Ergo hic *officium* ſignificat.

ANAB. Leges Moſaïcæ per Chriſtum emendatæ & correctæ ſunt. *Vid. Gangrænam Anabaptiſt. Cl. D. Cloppenburgii; ubi ſpecialius quid in ſingulis præceptis correctum additumve putant, refertur.*

π. ψ. *Matth.* 5, Niſi abundaverit, &c. *male intellecta.*

Refell. 1. Non agi illic de juſtitia Moſis, ſed de juſtitia Scribarum & Phariſæorum, atque adeo de corruptelis eorum. 2. Non dicitur ibi, audiſtis *ſcriptum* eſſe, ſed *dictum* eſſe, quia ſcilicet non eſt ſermo de Lege Moſis ſcripta, ſed de corruptelis Scribarum & Phariſæorum. 3. Nuſpiam in Lege Moſis occurrit illud, *Diliges proximum tuum, & odio habebis*, &c. Non vero ibi agitur de Lege Moſis, ſed de corruptelis ejus.

ANAB. Omnia quæ in Scripturis ſcitu ſunt neceſſaria ad ſalutem, per expreſſum habentur.

π. ψ. *Quia iſta tam ſapientibus, quam rudibus, ſcitu neceſſaria ſunt, imo plures rudes vocantur ad cognitionem veritatis*, 1 Cor. 1.

Refell. 1. Quia etiam idiotæ intelligunt ea quæ per conſequentiam ex Scriptura deducuntur, *Matth.* 22. 33. *Actor.* 2. 23, 38. 2. Quia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

hæc non cognoſcuntur induſtria humana, ſed divina inſtitutione, Matth. 11, *Gratias tibi ago, Pater*, &c. *Vobis datum eſt*, &c. *Caro & ſanguis non retexit tibi*, &c. *Matth.* 19.

ANAB. Quæ per conſequentiam ex Scriptura deducuntur, ea non ſunt Verbum Dei.

(Potiſſimum hoc urgent; quia ſunt rudes & Logicæ ignari.)

ϖ. ψ. Hoc, quod deducitur ex aliquo, non eſſe hoc ipſum, ex quo deducitur.

Refell. 1. Nam quod Chriſtus deducit ex Moſe, *Matth.* 22, contra Sadducæos, hoc vocat Scripturam; *Erratis neſcientes Scripturam*, &c. 2. Petrus, *Act.* 2, quod ex Pſalte deducit, dicit Pſaltem dixiſſe. 3. *Rom.* 10, Paulus, quod deducit ex Moſe de diſcrimine juſtificationis ex fide & operibus, dicit hoc Moſen dicere.

ANAB. Ratione non utendum eſt ad cognoſcenda myſteria Dei.

ϖ. ψ. Neſciunt diſtinguere inter rationem, ut inſtrumentum, & ut argumentum; idcirco hanc & illam repudiant.

Refell. 1. Pſal. 32. 2, *Non ſitis ſicut equus*, &c. 2. *Eſaï.* 1. *v.* 3. ubi Deus requirit intelligentiam in populo, ut expendant & intelligant opera Dei. 3. Accuſantur irregeniti, quod non habeant mentem ad intelligendum, *Deut.* 29.

ANAB. Logicæ uſus nullus debet eſſe in Theologia.

ϖ. ψ. Quia per Logicam falſatur Theologia.

Refell. 1. Chriſtus ipſe Logica uſus; quod non feciſſet, ſi uſus ejus ſalutaris non eſſet in Theologia, vel Scripturæ tractatione. 2. Apoſtoli uſi ſunt Logica, ut liquet ex illis quæ propoſuerunt, ſive ex ſcriptis, quæ reliquerunt. 3. Scriptura non poteſt intelligi, neque reſolvi commode ſine Logica. *Obj.* 1. Si ita, cur ad Apoſtolatum ſunt vocati rudes & imperiti? *Reſp.* Vocati quidem rudes, ſed non permanſerunt tales; divinitus enim erant edocti totum hoc, quod ad miniſterium Apoſtolatus obeundum neceſſarium fuit. *Obj.* 2. Plures ſunt in Eccleſia rudes & Logicæ ignari, quam qui illam ſciunt; igitur non eſt Logica neceſſaria ad Scripturæ interpretationem. *Reſp.* Quicunque ratione præditus eſt, ille etiam inſtructus eſt, non quidem illa *artificiali*, ſed *naturali* Logica, ita quidem ut facile intelligat, ſi quis artificiali Logica utatur.

ANAB. Philoſophia nullo modo adhiberi debet ad Scripturam, nec ejus uſus ullus eſſe poteſt ad Scripturam.

ϖ. ψ. Verba, Col. 2. 8, *male intellecta.*

Refell. 1. Quia, ſi ſenſu uti licet circa res Theologicas, licebit uti ratione Philoſophica. Licere autem, liquet ex Chriſto, qui voluit ut tangeretur, & hoc pacto certi redderentur Diſcipuli de veritate corporis ſui. 2. Quia ſi mixtæ quæſtiones proponuntur in Theologia, debent revocari ad iſtas diſciplinas quæ tractant de illis, & ex illis debent explicari. 3. Multa Philoſophica occurrunt in Theologia, quæ cognoſci non poſſunt niſi ab eo, qui gnarus ſit Philoſophiæ.

ANAB. Novum Teſtamentum & omnia alia ſcripta in omnibus linguis eſſe corrupta, nec reperiri amplius in terris authentica.

π. ψ. Sequenda eſſe ſomnia abjecto Verbo Dei.

Refell. 1. 2 Tim. 3. *Quæcunque ſcripta ſunt*, &c. Atqui hoc non obtineret, ſi corrupta eſſent omnia ſcripta. Nam hoc ſcriptum eſt in omnium temporum uſum, donec Chriſtus venerit. 2. Si ſomnia & revelationes ſequendæ rejecto Verbo Dei, tum non alligaremur ad Legem, & ad teſtimonium; quod tamen Spiritus Sanctus facit, *Eſaï.* 8. 20. 3. Quia non omnia ſomnia probanda eſſent ad Verbum Dei, cum tamen omnia probanda ſint, 1 *Theſſ.* 5, *Omnia probate*, &c.

ANAB. Verbum Dei nullis debet proponi, niſi Anabaptiſtis.

ϖ. ψ. Non ſunt projiciendæ margaritæ, *&c.*

Refell. 1. Chriſtus juſſit prædicari omni creaturæ, *Matt.* 28. *Marc.* 16. 2. Per vocationem homines alieni attrahuntur ad Eccleſiam, & fiunt membra ejus: ſive vero illi, ut putant, ſunt Ecle-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

cleſia; Ergo debent prædicare non tantum ſibi, ſed & aliis. 3. Vocatio externa eſt non ſolius Eccleſiæ, qualem ſcilicet iſti falſo jactant, ſed etiam exterorum, *Multi ſunt vocati*, &c.

ANAB. Verbum Dei non poteſt intelligi ſine Prophetis Anabaptiſticis.

(Quorundam tantum eſt hæc opinio, non omnium.)

ϖ. ψ. *Verba illa:* Gratias tibi ago, Pater, *&c. Ubi ſe ſolos eſſe parvulos dicunt*, &c.

Refell. 1. Hi parvuli ex Apoſtolis annumerantur, imo Apoſtoli inter parvulos recenſentur. At Apoſtoli & eorum doctrina è diametro oppoſita eſt doctrinæ iſtorum phanaticæ; quomodo vero parvuli iſti dicendi? 2. Parvuli illi agnoſcunt Moſen & Prophetas. Nam Petrus & Paulus provocant ad ſcripta Moſis & Prophetarum, quod Anabaptiſtæ non faciunt, qui eos rejiciunt. 3. Parvuli illi ſunt, qui lac ſincerum, 1 *Pet.* 2. *v.* 2, expetunt. At iſti quiſquiliis impoſtorum paſcuntur. Ergo non ſunt iſti parvuli.

ANAB. Vetus Teſtamentum apud Chriſtianos non valet amplius.

ϖ. ψ. *Quia aliam doctrinam proponit, quam Novum; & aliam viam oſtendit, quam Novum.*

Refell. 1. Paulus extra Moſen & Prophetas nihil docuit, *Act.* 26. Et tamen totum conſilium Dei nobis annuntiavit, Act. 20. 2. *Habent Moſen & Prophetas*, &c. *Luc.* 16, Hoc eſt, ſi volunt ſalvari, nec pervenire in locum gehennæ. 3. Spiritus Sanctus, *Rom.* 15. *v.* 9, loquens de Scriptura Veteris Teſtamenti, ait: *Nam quæ ante ſcripta ſunt*, &c. 2 *Tim.* 3. *v.* 15; Judicium Pauli de ſcriptis Veteris Teſtamenti.

CAP. II.
De Trinitate.

ANAB. Unum eſſe Patrem, Filium, Spiritum Sanctum; ſed tres eſſe Perſonas diſtinctas, id non doceri in Scriptura, quia hæc verba in iis nuſpiam leguntur.

ϖ. ψ. *Quia per expreſſum iſta non continentur in Scriptura.*

Refell. 1. Nuſquam legitur in Scriptura, mulieres debere accedere ad Sacram Synaxin, interim tamen ipſi eas admittunt: nec poſſunt ſe hic aliter tueri, quam non haberi hoc quoad literam, ſed quoad ſenſum. 2. Unde ſciunt illi, Verbum Dei eſſe Verbum Dei? ſi enim ideo, quia vocatur; tum Alcoranus dicens, ſe eſſe Verbum Dei, erit Verbum Dei: ſi dicent, ex argumentis inſitis; ergo evertunt hoc, omne ſcitu neceſſarium, per expreſſum in Scriptura contineri. 3. Unde ſciunt, ſe ſalvandos eſſe? Nam per expreſſum non dicitur; Tu Petre, tu Paule, ſalvaberis, &c. Si dixerint, ex eo: Qui credit, habet vitam æternam. Hoc quidem verum. At ubi hoc, Tu, Petre, credis? hoc certe ex ſenſu fidei colligere debebis. Ergo per conſequens hoc ſcies, non ex Verbo Dei expreſſe.

ANAB. Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, eſſe tria nomina unius eſſentiæ.

π. ψ. *Si enim diſtinguerentur, dividerentur.*

(Stulte opinantur, non poſſe rem à re diſtingui, niſi res à re ſeparetur, & ſeparetur non mentali ſeparatione, ſed reali.)

Refell. 1. Nam maxime diſtinguuntur Pater & Filius; & tamen non ſeparantur: Pater enim mittit, Filius mittitur; & tamen Pater eſt in Filio, & Filius in Patre. 2. Si non diſtinguerentur à ſe invicem, tum quod uni perſonæ contingit, contingeret alteri; & ſic, quia Chriſtus dicitur conceptus & natus, tum & de Patre hoc dici poſſit. 3. Non poſſit ordo iſte operandi dici de perſonis; quomodo enim diceretur Pater creare per Filium, Pater & Filius ſanctificare per Spiritum; ſi nulla eſſet inter perſonas diſtinctio?

ANAB. Filius Dei, quia viſus eſt, eſt perſona: ſed Pater & Spiritus Sanctus, quia corporeis oculis non viden-

dentur; nec poſſunt videri, non ſunt perſonæ.

π. ψ. Perſonam dici externam rei faciem, quæ alias larvis, ut dici ſolet, exprimitur.

(Eſt hic error etiam Vallæ, qui negat, perſonam accipi pro ſuppoſito, intellectu & voluntate prædito.)

Refell. 1. *Act.* 10. 34. Ubi vox *perſonæ* accipitur in ea ſignificatione, in qua communiter accipi ſolet. 2. 2 *Cor.* 1. 11.

Cap. III.
De Chriſto.

ANAB. Jeſus Chriſtus non eſt verus, æternus, omnipotens Deus.

π. ψ. Verentur, ne cogantur duas perſonas admittere in Chriſto. Ita enim ſunt rudes, ut non poſſint dignoſcere inter naturam & perſonam.

Refell. 1. Scriptura dicit, Chriſtum tantum eſſe unum; & tamen in eo diſtinguit naturas, *Rom.* 1. *v.* 3, 4. *Phil.* 2. 6, 7, 8. 1 *Tim.* 3. 16. 2. Chriſto tribuuntur attributa, quæ partim Divina ſunt, partim humana; proinde cum Chriſtus unus ſit perſona, oportebit in eo naturas differre & diſtingui: tribuitur enim ipſi æternitas & nativitas in tempore; tribuitur ipſi omniſcientia, & quod neſcierit, ficus eſſe in ficu, & extremum diem.

ANAB. Deus Pater, prior eſt Chriſto Filio, & major.

π. ψ. Verba, Ioan. 14, Pater major me eſt; *male intellecta.*

Refell. 1. Nam Chriſtus, qua Deus, eſt æqualis Deo, & ſe eſſe æqualem Deo aſſeverabat, *Ioan.* 5. *v.* 18. ubi notandum in Græco ἴδιον πατέρα, *idem quod Pater. Phil.* 2. *v.* 6. 2. Chriſtus æqualiter operatur cum Patre. Ergo æqualem naturam habet cum Patre, *Ioan.* 5. *v.* 19. 3. Idem honor oſtendit æqualitatem eorum, qui eodem afficiuntur honore: Dei autem & Chriſti eſt idem honor, *Rom.* 14. *Eſaï.* 45. & *Heb.* 1. Confer cum Pſal. ex quo citatur.

ANAB. Chriſtus Jeſus omni modo & omni reſpectu eſt primogenitus & unigenitus Filius Dei, per quem omnia creata ſunt.

(Monſtroſe illa ſolent efferre: *Chriſtum Ieſum à ſummo ad imum, intus & exterius, viſibiliter & inviſibiliter, Dei primogenitum & unigenitum eſſe Filium, incomprehenſibile & æternum Verbum, per quod omnia creata ſunt.* Item; *Ieſum Chriſtum, quoad viſibile & inviſibile, mortale & immortale, cum corpore & anima eſſe unigenitum Dei Filium.*

π. ψ. Non poſſe conſiſtere duas naturas in Chriſto, quin eſſent duæ perſonæ. Refutatum ſupra.

ANAB. Chriſtus non ſuſcepit humanum corpus & animam.

π. ψ. Quia Chriſtus eſſet peccator, ſi ex peccatrice matre natus eſſet. Neque enim peccatum ſeparari poteſt ab humana natura.

Refell. 1. Si eſſentia Adæ facta fuit abſque peccato, tum peccatum ſeparari poteſt à natura humana. 2. Quia in hac vita ex parte poteſt ſeparari peccatum in regenitis; Ergo ſi ex parte tolli poteſt, cur non etiam ex alia parte, & ſic totaliter? 3. In ſtatu glorificationis plane tolletur peccatum à natura humana: quæ tamen permanebit.

ANAB. Chriſtus carne ſua in cælo formatus, & in uterum Mariæ Virginis immiſſus, & poſtmodum in lucem editus eſt.

π. ψ. 1 Cor. 15. 47, *Verba illa, de humanitate, non de perſona, accipiunt.*

Refell. 1. Si ita res haberet, tum & illa verba, Joan. 3. verſ. 13, *Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo*, &c. accipienda eſſent de humana natura; atque ita humana natura foret ubique: quod tamen Adverſarii non admittunt. 2. Si hæc verba, in *abſtracto* de natura, non in *concreto* de perſona, accipienda ſunt; tum & illa, Act. 3. 15, *Principem vitæ*, &c. etiam intelligenda de Divina natura; nam par ratio utriuſque: quod abſurdum; Divina enim natura impatibilis eſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

3. Etiam illud, Act. 20. 28, *Deus ſanguine ſuo redemit*, &c. Verbum ergo, *Deus*, *concrete* intelligendum, non *abſtracte*; alioqui Deus haberet ſanguinem, & futurus eſſet corpus.

ANAB. Chriſtus non ſumpſit corpus ſuum ex ſubſtantia Mariæ, ſed ex Spiritu Sancto. *Coll. Leovard. Act.* 62. *pag.* 178. 179.

π. ψ. *Quia dicitur natus ex Spiritu Sancto, & putant* ex *ſemper materiam notare.*

Refell. 1. *Rom.* 11. 36. ubi particula *ex* non materiam, ſed cauſam efficientem notat. 2. *Ioan.* 1. 13. Nam quod putant, Deum habere ſemen incorruptibile, hoc eſt abſurdum; quia ſic Deus eſſet corpus.

ANAB. Chriſtus non eſt proprie dictus Filius Dei.

(Hic contradicunt ſibi ipſis, cum dicunt ex ſemine Dei Patris, nec tamen Filium Dei.)

π. ψ. *Quod negant unius eſſentiæ divinæ eſſe plures perſonas.*

Refell. 1. Quia ea, quæ dicuntur de vero Deo in Veteri Teſtamento, tribuuntur in Novo Teſtamento Patri, Filio, & Spiritui Sancto promiſcue. 2. Joan. 2, *Ego & Pater unum ſumus*, &c. *Regerunt:* unum non *eſſentia*, ſed *potentia*. *Reſp.* Si potentia; Ergo eſſentia. *Nam in Deo nil eſt niſi Deus*, qui eſt ſimpliciſſimus. 3. Adoratio eadem tribuitur Patri, Filio, & Spiritui Sancto.

ANAB. Chriſtus improprie dicitur fructus ventris Mariæ. *Colloq. Leovard. Act.* 62.

π. ψ. *Quia ex illius ſubſtantia non eſt natus.*

Refell. 1. Si non ex ipſius ſubſtantia eſt, quomodo dicitur ſemen mulieris? nam ſemen mulieris dici non poteſt, ſi non ſit ex ſubſtantia ejus. 2. Non poterit dici eſſe ex patribus ſecundum carnem. 3. Hebr. 2, *Et qui ſanctificat, & qui ſanctificantur, ex uno, omnes:* addit rationem, *quam ob rem non erubeſcit*, &c. Item *v.* 14. ubi vox *eorumdem* fuerit notanda.

ANAB. Chriſtus non habuit animam humanam. *Idem*; *ibidem. & Act.* 65.

π. ψ. *Quia dicitur tantum ſecundum carnem eſſe ex patribus: caro autem non ſignificat hominem corpore & anima conſtantem, ſed corpus tantum.*

Refell. 1. Quia caro ſignificat ſæpe hominem in Sacris Literis, *Act.* 2. *verſ.* 17. *Ioël.* 2. 2. Chriſtus expreſſe dicitur animam habuiſſe, *Matt.* 26. *v.* 38. Item, *Matth.* 27. 50. 3. Per omnia nobis ſimilis quoad naturam, excepto peccato. Ergo animam habuit. 4. Si mortuus eſt, Ergo anima ſeparata eſt à corpore. Quia, *mors eſt ſeparatio animæ à corpore.*

ANAB. Verbum caro factum eſt, ſicut aqua in vinum mutata in Cana Galilææ.

π. ψ. *Cum quid dicitur fieri hoc vel illud, tum mutatur in illud.*

Refell. 1 *Cor.* 1. 30.

ANAB. Promiſſio Evæ facta, *Gen.* 3, non eſt de ſemine mulieris, ſed de ſpirituali.

(Hoc comminiſcuntur, cum vident, ibi promitti ſemen, mulieris contriturum caput Serpentis; & Paulum hoc explicare de Chriſto.)

π. ψ. *Chriſtum carnem ſuam non aſſumpſiſſe ex Maria Virgine.*

Refell. 1. Vocatur Filius hominis. 2. Fructus ventris mulieris. 3. Ex patribus ſecundum carnem.

ANAB. Chriſtus, ſecundum humanam naturam, eſt ſine initio dierum & ſine matre in hac terra.

π. ψ. *Chriſtum, nudum tantum eſſe hominem, nec Deum.*

Refell. 1. Joan. 1. v. 1, *Verbum erat Deus.* 2. Joan. 17. v. 3, *Vt cognoſcant te ſolum verum Deum*; ubi *ſolum verum Deum* non eſt ſubjectum, ſed prædicatum, atque adeo ſolum Deum dici de Patre & Chriſto. 3. 1 Ioan. 5, *Verus Deus & vita æterna.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Cap. IV.

De Officio Chriſti.

ANab. Chriſtus non eſt paſſus, ut ſatisfaceret pro peccatis noſtris, & nos ab iis liberaret; ſed tantum, ut exemplum nobis præberet.

π. ψ. *Quia Deus alterum vice alterius punire non poteſt*, Ezech. 18.

Refell. 1. Quia in Decalogo dicitur, *In tertiam & quartam progeniem* &c. 2. Propter Saülum puniuntur filii, 2 *Samuel.* 21. Et hæc quidem non ad redemtionem aliorum. Nam hæ pœnæ non ſunt ſatisfactoriæ. Adferuntur autem hæ enſtaſes à nobis, ut infringatur univerſalis Adverſariorum. 3. Quia Chriſtus fuit execratio pro nobis, *Gal.* 3. idque ex Lege. Ergo paſſus pro nobis, & vice noſtri, non tantum in exemplum. 4. Si Chriſtus potuit eſſe imputative peccator propter nos, tum potuit pati, imo paſſus eſt; nam peccator factus eſt per imputationem peccatorum noſtrorum, 2 *Cor.* 5, *Fecit eum*, &c. 5. Si Chriſtus dedit animam pro multis, tum mortuus eſt, ut ſatisfaceret pro peccatis; nam pretium dare, infert ſatisfactionem.

Anab. Chriſtus in ſua anima iram Dei & pœnas Inferni non ſenſit.

π. ψ. *Nuſpiam hoc dicit Scriptura.*

Refell. Dicitur tamen per bonam conſequentiam; Nam cum pœna Inferni ſit vel pœna damni, vel ſenſus; de pœna damni Chriſtus illud uſurpat, Pſal. 22, *Deus mi*, &c. De pœna ſenſus docet Scriptura, hoc eſt, Chriſtum in tales anguſtias conjectum & anxietates, ut ſanguinem ſudaverit, & Angelus ipſum confortaverit: quod Chriſto contigiſſe ex intuitu pœnarum corporalium non eſt veriſimile, cum præſertim homines acerbiora ſupplicia (ſi externa ſupplicia ſpectes) ſuſtinuerunt animo imperterrito, quales fuerunt Martyres.

Anab. Regnum Chriſti erit in hoc Mundo ante extremum judicium, & durabit 1000 annos.

π. ψ. *Verba*, Apoc. 20, *male intellecta.*

(Videtur hoc primus Piſcator ſenſiſſe, tum Alſtedius, & alii complures.)

Refell. 1. Reſurrectio omnium ſimul & ſemel proponitur, 1 *Cor.* 15. Atqui hic non dicuntur primo reſurrecturi Martyres, & regnaturi 1000 annis cum Chriſto in terris. 2. Chriſti adventus in carne eſt vel ad nativitatem, quod jam factum; vel ad judicium; tertius nullus eſt, Act. 3, *Quem oportet Cæli capiant.* 3. Regnum Chriſti non eſt mundanum, *Ioan.* 18. 36. At iſti aliter dicunt, quod ſcilicet in Mundo futurum eſt.

Cap. V.

De Libero Arbitrio.

ANab. Liberum arbitrium homines habent, ut poſſint mandata Dei facere, & prohibita omittere.

π. ψ. *Quia præcepta Dei non ſunt gravia*, 1 Ioan. 5.

Refell. 1. Illic, *grave* non opponitur *facili*, ſed *moleſto*; quod ſcilicet præcepta Dei regenitis non ſint moleſta. 2. Alias quomodo conſiſterent Scripturæ, quæ dicunt, neminem poſſe Legem implere? 1 *Reg.* 8. *Iacob.* 3. 1 Ioan. 1, *Si dixerimus, nos peccatum non habere*, &c.

Anab. Non proponit nobis Deus impoſſibilia.

π. ψ. *Qui impoſſibilia proponit, injuſtus eſt.*

Refell. 1. Non erat hoc impoſſibile, ſed factum eſt culpa noſtra. Itaque Deus non eſt injuſtus, ſi hoc poſcat à nobis. Exemplum creditoris & debitoris rem illuſtrat. 2. Poteſt Deus obligare ſimpliciter ad impoſſibile, ut fecit in Adamo, cui dedit quidem poſſe quod vellet, ſed non dedit velle quod poſſet; & ob defectum hunc ipſum punivit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

CAP. VI.

De Peccato Originali.

ANAB. Peccatum Originale, non eſt peccatum.

ϖ. ψ. *Quia Lege nunquam prohibetur.*

(Hoc & Molinæus in ſua Anatome propoſuit.)

Refell. 1. Si Lex jubet nos eſſe ſanctos, Ergo prohibet eſſe depravatæ naturæ. 2. Quæ præcepta prohibent effectum, ea & cauſam. Atqui præcepta prohibent peccata actualia. Ergo & cauſam eorum.

ANAB. Licet habeant infantes inclinationes ad malum, tamen ſine peccato damnabili ſunt.

ϖ. ψ. *Verba*, Ecce agnus Dei, *&c. male intellecta. Nam*, inquiunt, *ſi tollit peccata; ergo & infantum, nulla ergo habent.*

Refell. 1. Non tollit peccata omnium; ſed quorumdam; *Eſaï.* 53, Juſtificabit ſervus meus *multos*, &c. 2. Tollit quidem peccata quorumdam, ſed non ita, ut *non ſint*; verum, ut *non imputentur*: & etiam, ut ex parte inſint, ſed non ex toto. Hinc Spiritus Sanctus carnem adhuc in nobis ponit, dum in hac vita vivimus, *Gal.* 5. *Rom.* 7.

ANAB. Omnes homines propter ſua, & non propter Adæ peccata, damnantur.

ϖ. ψ. *Quia injuſtum, punire alterum propter alterum.*

Refell. 1. Si non eſt injuſtum, juſtitia alterius juſtum fieri; neq; injuſtum erit, peccato alterius fieri injuſtum. 2. Si pœna affici propter peccatum alterius, non eſt injuſtum; neque damnari erit injuſtum. Dicant enim an in diluvio infantes multi (quos illi negant peccatum habere) non perierint propter peccatum? Item in everſione Sodomæ & Gomorrhæ? *Reſpondent:* morte temporaria; ſed, ſi non eſt injuſtum, punire alterum propter alterum morte temporaria, cur ſit injuſtum, punire morte æterna, dicere nobis debent: Cum *gradus ſpeciem non variet.*

ANAB. Infantes omnium nationum, etiam infidelium, ſalvantur.

ϖ. ψ. *Quia nullum peccatum habent.*

Refell. Pſal. 51. *v.* 7, *In peccato*, &c. *Quod ex carne naſcitur*, Joan. 3. 6. *Quis dabit mundum ex immundo?* &c. Job. 14. 5. *Naſcimur filii iræ*, &c. *Eph.* 2. 3.

CAP. VII.

De Iuſtificatione.

ANAB. Neminem juſtificari ſola fide in Chriſtum, ſed opus eſt, ut accedant præterea bona opera.

ϖ. ψ. *Iuſtitia Chriſti*, *&* fide *nullum juſtificari.*

Refell. 1. Expreſſe dicit Scriptura, nos fide juſtificari, & quidem ſine operibus, *Rom.* 4. 6. *&* 5. 1. *Gal.* 2. 16. Opera non præcedunt juſtificandum, ſed ſequuntur juſtificatum; Arbor enim mala bonos fructus non fert. 2. Aut juſtitia Chriſti juſtificamur, ut cauſa adæquata, aut non. Si prius; Ergo non operibus: Si tanquam partiali cauſa; Ergo non perfectus Chriſtus Mediator: quod abſurdum.

ANAB. Omnes Adæ poſteri ſine diſcrimine ſunt juſtificati per meritum Chriſti.

ϖ. ψ. Rom. 5. 18, *male intellectum.*

Refell. 1. *Omnes qui juſtificantur, glorificantur*, Rom. 8. At non omnes glorificantur. Ergo non omnes juſtificantur. 2. Per fidem accipimus remiſſionem peccatorum. At non omnes habent fidem. Ergo non omnes accipiunt remiſſionem peccatorum, nec juſtificantur. 3. Qui juſtificantur, illis nulla condemnatio, *Rom.* 8. At multi condemnantur.

ANAB. Bona opera ad ſalutem neceſſaria, tanquam cauſa meritoria.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

π. ψ. Omne neceſſarium, eſſe neceſſarium ut cauſam.

Refell. 1. Opera, utut concedatur eſſe neceſſaria ad ſalutem, non tamen ſunt cauſa ſalutis, *Eph.* 2. 8, 9. *Tit.* 3. 5. 2. Opera ſunt neceſſaria ad juſtificationem; non ſunt tamen ejus cauſa, *Rom.* 4. 6. ubi negatur, ex operibus nos juſtificari, ſed per fidem, *Gal.* 2. 16.

Anab. Illi qui in Veteri Teſtamento vixerunt, per Chriſtum non fuerunt redempti.

π. ψ. Chriſtus nondum fuit.

Refell. 1. Cauſæ meritoriæ ea eſt ratio, ut ejus effectus exiſtat, antequam exiſtat cauſa ipſa, modo eſſe ipſius certo ſit futurum. Hinc dicitur *Agnus mactatus ab initio mundi*; &c. 2. Si non fuerunt redempti, ergo non ſunt ſalvati: quod falſum, *Matth.* 18. 11. *Act.* 15. 10, 11.

Anab. Homines poſſunt eſſe perfecti in hac vita.

π. ψ. Quod propria juſtitia putent juſtificari aliquos.

Refell. Pſal. 130. *verſ.* 3, 4. *Pſal.* 143. Et Paulus licet fuerit vas Dei electum, non tamen vult juſtus fieri, niſi juſtitia Chriſti, *Phil.* 3. 9.

Cap. VIII.
De Eccleſia.

Anab. Anabaptiſtarum Eccleſia ſola eſt vera.

π. ψ. Quia illi ſoli ſunt, qui pietati ſtudent ſincere, & bona opera faciunt.

Refell. 1. Quia non ex operibus fides, ſed ex fide opera æſtimantur. Jam autem, ubi ad fidem eſt ventum, oſtenditur clariſſime, de nullo fere articulo Anabaptiſtas ſenſum habere orthodoxum. 2. Quia pleraque opera ipſorum, utut ſpeciem boni præ ſe ferant, ſunt hypocritica. Verbi gratia, quod docent, non licere diebus ſolis vel lunæ induſium lotum ſumere; & quæ talia. 3. Quia ſcelera vocant bona opera ſæpe, ut contemnere Magiſtratum: juramenta negare in cauſis arduis, Magiſtratu etiam poſtulante: negare, ſupplicia ſceleratorum eſſe licita, &c.

Anab. In Eccleſia nulli hypocritæ vel impio eſt locus, ſed omnes ſunt ſancti & mundi.

π. ψ. Hominem in hac vita poſſe perfecte regenerari.

Refell. 1. Quia nemo eſt, qui non peccat, 1 *Reg.* 8. 2. Si perfecti poſſunt eſſe, Ergo ex operibus poſſunt juſtificari: quód falſum eſt ex Scriptura, *Gal.* 2. 16. 3. Si poſſunt eſſe perfecti, Ergo datur etiam fides perfecta in hac vita: quod negatur, 1 *Cor.* 13.

Anab. Regimen Eccleſiæ in Veteri Teſtamento & in Novo Teſtamento non fit eodem modo, ac proinde non poſſunt dici unus populus.

π. ψ. In Veteri Teſtamento non fuiſſe locum niſi Legi, in Novo Teſtamento etiam Evangelio.

Refell. 1. Nam doctrina Evangelii fuit etiam in Veteri Teſtamento; ut liquet. Quia Paulus annuntiavit omne conſilium Dei; & per conſequens, Evangelium, *Act.* 20. Et tamen nil dixit extra Moſen & Prophetas. 2. Quia ſumma Evangelii fuit in Veteri Teſtamento, Act. 10. 43, *Huic omnes Prophetæ*, &c. Ergo fuit ipſum Evangelium. 3. Fuit fides ſalvifica; Ergo fuit doctrina Evangelii. Quia hæc oritur tantum ex Evangelio: patet autem, eam fuiſſe, *Rom.* 4. *& Hebr.* 11, *per totum.*

Anab. Miniſtri Evangelicorum non ſunt legitime vocati.

π. ψ. Quia docent falſos errores, & vitam malam agunt.

Refell. 1. *π. ψ.* 1. Illi ipſi docent errores, ut ſæpius convicti ſunt. 2. Sunt tam rudes, ut neſciant dignoſcere inter errores & veram doctrinam, ideo fides ipſis non adhibenda. 3. Quia nos parati ſumus rationem reddere fidei noſtræ, &c. 1 *Petr.* 3.

Refell. 2. *π. ψ.* Hypocritæ ſunt, crepant bona opera, cum nihil minus habeant quam illa.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ANAB. Miniſtri Evangelicorum ſunt ventris Miniſtri.

π.ψ. Quia ſtipendium accipiunt; quod nunquam factum legimus in Novo Teſtamento.

Refell. 1. Lucas teſtatur, Chriſtum docentem ſecutas fuiſſe mulieres, quæ ex ſuis facultatibus ipſum ſuſtentarunt, *Ioan.* 12. Præterea Judas loculos ferebat, in quibus recondebantur, quæcunque conferebantur. 2. *Gal.* 6. 6. 1 *Cor.* 9, Paulus hoc ipſum multis rationibus probat.

ANAB. Dies Dominicus præ aliis non eſt obſervandus.

π.ψ. Verba, Gal. 4. 10, *male intellecta.*

Refell. 1. Agitur ibi de feſtis Judaïcis, non de feſto quod Chriſtus inſtituit, unde & dies Dominicus dicitur. 2. Apoſtoli hunc diem celebrarunt & ſanctum habuerunt, *Actor.* 20. 7. 1 *Cor.* 16. 2.

CAP. IX.
De Baptiſmo.

ANAB. Omnes infantes eſſe ſub gratia ante Baptiſmum, ac proinde Baptiſmo non egere.

π.ψ. 1. Omnes infantes fœderatorum eſſe fœderatos.

π.ψ. 2. Eos, qui ſub gratia ſunt, nullis mediis egere ad gratiam iſtam conſervandam vel confirmandam.

Refell. 1. π.ψ. 1. Non omnes filii carnis ſunt filii promiſſionis, *Rom.* 9. *v.* 8. 2. Multi ſunt vocati, pauci electi, *Matth.* 22. 14. 3. Sequeretur, fidelium parentum liberos eſſe fideles: quod falſum experientia, præcipue Davidis & Abſolonis.

Refell. 2. π.ψ. 1. Si illis, qui ſunt in gratia, non opus eſt baptiſmo, etiam fideles non opus habebunt Verbo Dei & uſu Sacramentorum. 2. Quia infantes Veteris Teſtamenti non minus erant in gratia, quam Novi Teſtamenti; & interim tamen circumcidebantur.

ANAB. Infantes abluti ſunt Sanguine Chriſti, proinde non indigent Baptiſmo.

π.ψ. Cui res ſignata collata eſt, ille non opus habet ſigno.

Refell. 1. Ex Veteri Teſtamento. Nam circumciſio cordis pertinebat ad infantes Veteris Teſtamenti; neque tamen ipſis non debebat non conferri ſignum, nempe circumciſio. 2. Quia ad fideles adultos pertinet unio Chriſti; & interim tamen participant ſignum iſtius unionis.

ANAB. Regeneratio pertinet ad adultos, non ad infantes.

π.ψ. Quia infantes non poſſunt mortificare veterem hominem, nec vivificare novum.

Refell. 1. Utut non poſſint hoc ipſi, facit hoc Spiritus Sanctus in ipſis; alioqui ſequeretur, eos veterem creaturam tantum eſſe, ac carnem tantum, & proinde non ſalvari. 2. Si non mortificatur in ipſis vetus homo, nec vivificatur novus. Ergo non ſunt ſancti. Atqui ſunt, 1 *Cor.* 7. 3. Sunt in fœdere quoad internam communionem. Atqui tales ſunt regeniti, *Gen.* 17.

ANAB. Abſurdum eſt baptizare aqua infantes, quaſi ſcilicet aqua poſſint ablui peccata.

π.ψ. Baptizari infantes aqua eo, ut à peccatis abluantur.

Refell. 1. Aqua ſignum tantum eſt, non res ſignata; ſignificatæ autem rei eſt abluere revera, qualis eſt Sanguis Chriſti, qui *nos purgat*, &c. Signi autem tantum eſt ſignificare ſive adumbrare. 2. Si aqua non eſt adhibenda ad Baptiſmum infantum, quod non abluat peccata, cur ipſi adhibent adultis?

ANAB. Non debere infantes baptizari, quia fidem non habent.

(Noſtri aliqui reſpondent, habere eos fidem habitualem, non actualem: quod quidem verum eſt; ſed nihil ad rem. Nam *Matt.* 28, ad quem locum Anabaptiſtæ reſpiciunt, agitur de fide non habituali, ſed actuali: *Qui crediderit*, &c.)

π.ψ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

π. ψ. Verba inſtitutionis Sacramenti eodem modo ad infantes pertinere, quo ad adultos.

Refell. 1. *Gen.*17. Nam ut hic in Baptiſmo requiritur fides ab adulto, ita & ibi requiritur ab illis qui circumcidendi, *Ambula coram me*, &c. Quemadmodum autem ex eo, quod infantes non poterant ambulare coram Deo, nec eſſe perfecti actuali perfectione, non poterat inferri, infantes non eſſe circumcidendos; ita etiam & hic, *Matth.* 21. 2. Quia ab adultis quidem poſtulatur conditio, & non admittendi ad Baptiſmum, qui convertuntur ex Gentibus ad fidem Chriſti, niſi crediderint. Infantes vero vi promiſſionis factæ parentibus & ſibi, baptizandi ſunt, Act. 2. v. 38, *Baptizetur unuſquiſque*, &c. *Quia vobis & liberis veſtris*, &c.

ANAB. Eo ordine omnia fieri debent in adminiſtratione Baptiſmi, quo ordine ponuntur in textu.

π. ψ. Verba quæ primo loco ponuntur, prius etiam eſſe executioni mandanda, quam quæ poſteriori.

Refell. 1. Si ita eſſet, tum non difficile eſſet probare, infantes, priuſquam fidem profiteantur, eſſe baptizandos, quia *Marc.* 1. 4, dicitur, *Baptizabat Ioannes, & prædicabat in deſerto.* 2. Sequeretur, prius deferendum Imperatori, quam Deo; quia dicitur, *Date, quæ ſunt Cæſaris Cæſari;* &c. Unum prius, quam alterum.

ANAB. Spiritus Sanctus pueris in infantia non datur.

π. ψ. Quia, ſi daretur, eſſent baptizandi, Act. 10. 47.

Refell. 1. Si non datur; ergo non ſunt Chriſti, *Rom.* 8. 9. Ergo non ſalvantur: quod falſum. 2. Non regenerarentur, quia regeneratio eſt à Spiritu Sancto, *Ioan.* 3. 5.

CAP. X.
De Cœna Domini.

ANAB. Nulla manducatio corporis Chriſti eſt ſpiritualis.

π. ψ. Quia Chriſtus jam amplius corpus non habet; Caro *enim* & ſanguis non hereditabunt, *&c.*

Refell. 1. Quia expreſſe Chriſtus in eodem Corpore reſurrexit, in quo mortuus eſt; habet ergo Corpus. 2. In eodem aſcendit, in quo ſurrexit; habet ergo Corpus. 3. Quia etiam nunc dicitur eſſe ex patribus ſecundum carnem.

ANAB. In Cœna Domini non ſimus participes Corporis & Sanguinis Chriſti; ſed tantum beneficiorum ipſius.

π. ψ. Beneficium Chriſti poſſe contingere alicui, cui Chriſtus ipſe non obvenit.

Refell. 1. Quia Chriſtus eſt cauſa συνεκτικὴ, ſive continens, ſuorum beneficiorum, hoc eſt, non dantur beneficia per Chriſtum parta cuiquam, niſi *in* Chriſto; hinc omnes promiſſiones dicuntur factæ *in* Chriſto, 2 Cor. 1. 20. *Benedixit nobis*, Eph. 1. v. 3. *Nulla condemnatio*, Rom. 8. 1. *Nos novam creaturam eſſe in Chriſto*, 2 Cor. 5. *Nos conditos eſſe in Chriſto ad bona opera*, Eph. 2. 10. 2. Si poſſumus fieri participes beneficiorum Chriſti extra Chriſtum, ſequetur, non ex capite Chriſto derivari in nos beneficia hæc: quod falſum eſt, *Eph.* 4. *v.* 16. *Eph.* 5. 29, 30. 3. Si poſſumus habere beneficia Chriſti extra Chriſtum, Ergo poſſumus vitam ſpiritualem habere extra Chriſtum, *Ioan.* 15. 1, 2, 3. Negatur.

ANAB. Uſu Cœnæ Domini non confirmatur fides noſtra.

π. ψ. Quia uſus Cœnæ Dominicæ finis eſt, commemoratio mortis Chriſti.

Refell. 1. Quia hic finis neceſſario infert alterum, confirmationem nempe fidei. Nam qua ratione, quæſo, commemorabis mortem Chriſti, niſi ſimul commemores & hoc; *Si Filio proprio non pepercerit, ſed tradiderit eum pro nobis, quomodo non omnia*, &c? Anne hæc commemorando non confirmatur fides noſtra? 2. Nam, dum utimur Cœna Domini, audimus verba hæc: *Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis datur.* Si ergo verba inſtitutionis hoc ſecũ ferunt, quomodo in uſu legitimo Cœnæ Domini non confirmatur fides noſtra? 3. Si Sacramenta ſunt ſigna con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

confirmantia, tum etiam Cœna Domini, atque in uſu Cœnæ Domini, confirmabitur fides noſtra. At ſunt. *Rom.* 4. Circumciſio dicitur ſigillum ſive ſignum confirmativum: quæ autem eſt ratio unius Sacramenti, eadem eſt ratio & alterius.

CAP. XI.

De Magiſtratu.

ANAB. Non debere eſſe Magiſtratum in Eccleſia Chriſti.

π. ψ. *Quia non fuit Magiſtratus in Eccleſia Chriſti, tempore Apoſtolorum.*

Refell. 1. Quia non fuit Magiſtratus Chriſtianus tempore Apoſtolorum, non quod prohibitus fuerit, ſed quod nulli adhuc eſſent, qui nomen darent Chriſto ex Magiſtratibus. 2. Tale eſt inconveniens hoc; Apoſtoli non fuerunt tempore Patriarcharum & Evangeliſtæ. Ergo non tolerandi Apoſtoli & Evangeliſtæ in Novo Teſtamento. 3. Utut non fuerint Apoſtolorum tempore Magiſtratus, tamen Apoſtoli docuerunt potuiſſe fieri, dum doctrinam de Magiſtratu proponerent.

ANAB. Chriſtianum non poſſe eſſe Magiſtratum.

π. ψ. *Quia ſcriptum eſt*, Non vindicantes, *&c.*

Refell. 1. Non prohibetur vindicta *publica*, ſed *privata*, quæ cum & in Veteri Teſtamento prohibita ſit, publica tamen non eſt prohibita. 2. Quia inter officia Magiſtratus etiam hoc cenſetur, quod non fruſtra gladium gerat, hoc eſt, quod ipſius officium eſt vindicare injurias ab aliis illatas, tueri bonos, punire malos, *Rom.* 13. 3. Si non liceret vindictam publicam exercere, tum nec bellum gerere liceret. At hoc falſum. Nam in Novo Teſtamento milites approbantur, *Luc.* 3. Quod non fieret, ſi bella non eſſent licita.

ANAB. Poſſe quidem admitti Magiſtratum, ſed non debere in quemquam gladio animadvertere.

π. ψ. *Quia debemus diligere proximum noſtrum.*

Refell. 1. Etiam in Veteri Teſtamento Iſraëlitæ debebant diligere proximum ſicut ſe ipſum; & tamen per hoc non tollebantur capitalia ſupplicia ſontium. 2. Idem in Novo Teſtamento obtinet; Armavit Deus Magiſtratum gladio, & tamen non juſſit quemquam odio haberi.

ANAB. Impiis Magiſtratibus debere neminem ſe ſubjicere.

π. ψ. *Quia præſtat obedire Deo, quam hominibus.*

Refell. 1. Quia non ſtatim Magiſtratus à religione alienus, jubet ea quæ ſunt contra Deum; alioqui Chriſtus non juſſiſſet eſſe ſubjectos Cæſari Judæos: quod tamen fecit, *Matt.* 22. 21. 2. Si cum Magiſtratu alieno à Deo, hoc conjunctum eſſet neceſſario, quod juberet contraria iis quæ Deus jubet, tum Paulus non juberet, ut ſe Romanis ſubjicerent: quod falſum, *Rom.* 13. 1, 2. 1 *Pet.* 2. 13.

ANAB. Chriſtianum non poſſe, bona conſcientia, juſſu Magiſtratus armis inſtructum, ad excubias agendas procedere in civitate.

π. ψ. *Arma Chriſtiano non ſunt gerenda, nec poſſunt bona conſcientia geri.*

Refell. Si non licet gerere, Ergo nec in militia, Ergo nec licebit bella gerere. Sed utrumque falſum. Ergo & illud. Arma enim ſunt media belli.

ANAB. Non licet Chriſtiano in judiciis contendere.

π. ψ. 1 *Cor.* 6. *v.* 1.

Refell. 1. Prohibentur ibi lites coram infideli & de levioribus rebus. 2. Cur Paulus ſuam cauſam diſceptari vult ad tribunal Cæſaris? *Act.* 25. Ergo fruſtra Magiſtratus eſt conſtitutus divinitus; nam ideo eſt, ut cauſas agat inter homines.

ANAB. Magiſtratum non debere curare negotia religionis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

π. ψ. *Quia Magiſtratum eſſe, eſt res illicita Chriſtiano.*

Refell. 1. Quia eſt ordinatio Dei, *Rom.* 13. *v.* 1. 2. Si illicita, cur preces jubemur fundere pro ipſis? 1 *Tim.* 2. 1, 2. 3. Ergo & Leges ſunt illicitæ. Nam illæ nil ſunt ſine Magiſtratu, & ex eo quod ſint Leges, neceſſario infertur, debere eſſe Magiſtratum.

Cap. XII.

De Iuramento.

Anab. Omne juramentum eſt prohibitum in Novo Teſtamento.

π. ψ. *Matth.* 5. *v.* 34.

Refell. 1. Eſt fallacia compoſitionis & diviſionis; non enim ſimpliciter dicitur, *Non jurate omnino*: ſed, *Ne jurate, neque per cælum, neque per terram.* 2. Quia Sancti Dei homines jurarunt in Novo Teſtamento: quod non feciſſent, ſi jure prohibitum eſſet, 2 *Cor.* 1. 23. *Phil.* 1. 8. 3. Quia juramentum tanquam ultimum remedium dirimendarum controverſiarum ponitur, *Heb.* 6. 16.

Anab. Etiamſi liceret jurare, tamen Chriſtiano non liceret exigere juramentum tale.

π. ψ. *Quia hoc non poſſet fieri ſine peccato. Quia huic, qui jurat, debemus ſine juramento credere, hoc enim poſtulat Caritas Chriſtiana.*

Refell. 1. Non pugnabat hoc cum caritate in Veteri Teſtamento. Ergo etiam in Novo Teſtamento non pugnat, *Gen.* 31. 53. 2. Juramenta ut ſunt fines litium, ita ſunt caritatis violatæ reparandæ media, & porro fovendæ; per quæ ſi lites tollantur, caritas ſtabilitur. 3. Caritas non pugnat cum juſtitia, neque contra. Non enim virtus virtuti opponitur. Atqui juſtitia & veritas requirunt ſæpe juramentum.

Anab. Particula *Amen* eſt juramentum.

(Hoc etiam noſtri quidam dicunt.)

π. ψ. *Hebr.* 6. *v.* 14.

Refell. 1. Aliud juramentum, aliud ſermo, quo juramentum confirmatur: dicit Deum, juraſſe abſolute, & confirmaſſe juramentum iſtud, *Certe benedicam tibi*, ut in objecto juramenti includatur particula *Amen*, non in ipſo juramento. 2. Non convenit cum formula juramenti, qualis nobis præſcribitur, *Ierem.* 4. 2. 3. Quod Latinis *profecto*, *certe*, id Hebræis *Amen.* Atqui hæc apud Latinos non *juramentum*, ſed *aſſeverationem*, ſignificant.

Cap. XIII.

De Vindicta.

Anab. Vindictam populo Judaïco permiſſam eſſe, ſed à Chriſto & Paulo in Eccleſia interdictam eſſe.

π. ψ. *Veteri Teſtamento jam non teneri Chriſtianos, & illud jam in univerſum abrogatum eſſe.*

Refell. 1. Chriſtus docet, *Non veni ſolvere Legem.* 2. Chriſtus repurgat Legem à corruptelis Phariſaïcis. Si eam repurgat, ergo vult eam in uſu eſſe; nam quorſum eam repurgaret? 3. Chriſtus & Apoſtoli omnia probant ex Veteri Teſtamento. Ergo non eſt abolitum.

Anab. Etiamſi juſtam cauſam habeamus, tamen per Magiſtratum non debemus juſtam vindictam expetere.

π. ψ. Non vindicantes vos ipſi, *&c.*

Refell. De *privata*, non *de publica* loqui vindicta, probatur, *Lev.* 19. *v.* 18. *Rom.* 13. 4. 1 *Petr.* 3. 9.

Anab. Non poſſe probari, licere Magiſtratui in Novo Teſtamento punire gladio.

π. ψ. *Quia nullum exemplum oſtendi poteſt.*

Refell. 1. Ubi præceptum eſt, *Matt.* 15. 4. exemplo non eſt opus; *Rom.* 13. *v.* 4. 2. *Apocal.* 13. 10.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

CAP. XIV.

De Communione Bonorum.

ANAB. Omnia bona debent eſſe communia.

ϖ. ψ. Act. 4. 32, *Multitudinis autem eorum qui crediderant*, &c.

Refell. 1. Ex *cap.* 5. Quia in poteſtate erat fidelium, vendere bona, vel retinere, ut dicit Petrus Ananiæ. 2. Diſtinguimus inter commune *uſu*, & *poſſeſſione*: tunc temporis omnia erant communia *uſu*, quia unus largiebatur alteri; non *poſſeſſione*. 3. Si non licuit habere ſuum proprium, tum nec ſervum licet habere: quod negatur in Epiſtola ad Philemonem.

ANAB. Nemo poteſt ſalvari, qui non conferat bonum in commune.

ϖ. ψ. *Quia hoc Apoſtoli jubebant & faciebant.*

Refell. 1. Paulus vult, ut eleëmoſynas quiſquis conferat pro poſſe, 1 *Cor*. 6. Si hoc vult; Ergo oportet, hi ipſi habuerint propria; neque unquam Apoſtoli juſſerunt illa in medium conferre. 2. Quia præſcribit præcepta dantibus, quomodo ſe gerere debeant, 1 *Cor*. 16. 17, 18. Atqui non opus eſſet, ſi omnia eſſent communia. Unus enim tantum habet, quantum & alter. 3. Chriſtiani jubentur dare vectigalia poteſtatibus, *Rom*. 13. Ergo debent habere bona propria, unde ſolvant.

CAP. XV.

De Conjugio.

ANAB. Conjugium infidelium eſt peccatum.

(Hoc verum eſt, quia omnia irregenitorum facta ſunt peccatum, per accidens ſcilicet: at iſti volunt, per ſe.)

ϖ. ψ. *Omnia opera infidelium eſſe per ſe peccata.*

Refell. 1. Ergo etiam obſtetricum illarum in Exodo conſervatio puerorum, erat peccatum? Atqui Deus peccata non remuneratur; hoc autem remuneratus eſt. 2. Si eſſent peccata per ſe, quomodo recommendaretur in Scriptura Ninivitarum pœnitentia; Reginæ Sabæ adventus, *Matt*. 12: *& paſſim?*

ANAB. Conjugium, ubi una perſona eſt fidelis, altera non, eſt fornicatio: & licet credenti ſe ſeparare ab infideli; & cum fideli matrimonium contrahere.

ϖ. ψ. *Verba*: Nolite trahere jugum *&c.*

Refell. 1. Si hoc ita explicandum, tum Paulus ſibi ipſi contradiceret, qui, 1 *Cor*. 7. 13, 14, docet, *Si alterutra perſona ſit fidelis*, &c. 2. Ita eſſet perpetuus ſcrupulus in conſcientia noſtra, utrum hic, cum quo vincti ſumus, fidelis ſit, nec ne: nam de hoc non poſſumus eſſe certi, niſi conjecturali ſcientia.

ANAB. Licet Chriſtiano plures habere uxores.

ϖ. ψ. Epiſcopus ſit vir unius uxoris; *Ergo ſi Epiſcopo*, inquiunt, *incumbit*, *tum non aliis.*

Refell. 1. Nunquam ſoli Epiſcopo præcipitur; Nam etiam præcipitur, ut non ſit pugnax, &c. interim hæc pertinent ad alios; Sed hoc vult Spiritus Sanctus, ſi in aliquo quæruntur virtutes, certe in Epiſcopo quæruntur, qui debet eſſe exemplar gregis. 2. *Matt*. 19. ubi Chriſtus revocat primam Matrimonii inſtitutionem, & omnibus accommodat, *Erunt enim duo in carne una.*

ANAB. Non tantum plures uxores licet habere, ſed tot etiam, quot velit.

ϖ. ψ. *Exemplo Sanctorum in Veteri Teſtamento.*

Refell. 1. Ipſi illi rejiciunt Vetus Teſtamentum in aliis; in hoc autem obſervatum volunt: qui autem rejiciunt in uno, tenentur in omnibus. 2. *Tolerabilia*, non *approbabilia*, iſta fuerunt. Nam alias etiam licebit adulterium vel homici-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

micidium committere, ut David fecit. *Dices;* Iſta ſunt prohibita; at polygamia non item. *Reſp.* Oſtendant, quæſo, ubi reprehenſus ſit inceſtus Lothi, ebrietas Noæ: & an inebriabuntur propterea, vel inceſtum committent? Sciendum vero, quod in Scripturis ſæpe non reprehendantur facta in ſpeciali, ſemper tamen eſſe regulas, ex quibus reprehendantur generales; Ut, cum Deus prohibet inceſtum, hoc ipſo prohibet inceſtum Lothi. cum prohibet ebrietatem; tum prohibet ebrietatem Noæ, &c. Ita hic Christus reprehendit omnes, qui contra primam inſtitutionem fecerunt, *Non ſic erat ab initio.* 3. Habuerunt fideles in Veteri Teſtamento concubinas, ut Salomon. Ergo etiam ipſi debent habere. Atqui Scriptura dicit, quod fornicatores judicabit Deus. 4. Non exemplis, ſed legibus, judicandum & vivendum.

Cap. XVI.

De Reſurrectione Carnis.

ANAB. Animæ à corpore ſeparatæ, dormiunt uſque ad noviſſimum diem.

π. ψ. *Verba Scripturæ male intellecta, quæ dicit, Mortuos obdormire.*

Refell. 1. Dormitio hæc, non de animabus, ſed de corporibus, intelligenda; *Ioan.* 11. 11, 12, 13. 2. In animas ſomnus non cadit, ut qui eſt animalis affectio. 3. Ergo vel in cælis dormiunt, vel in terris: at neutrum.

ANAB. Corpora eadem, quæ habemus, non reſurgent.

π. ψ. Caro & ſanguis non poſſidebit, *&c.*
Refell. Credo carnis reſurrectionem, &c.

ANAB. Corpus noſtrum in vita futura erit ſubſtantia ſpiritualis.

π. ψ. *Quia videbimus Deum: at oculis corporeis non poſſumus eum videre.*

Refell. 1. Contradictionis implicatio, corpus & ſubſtantia ſpiritualis. 2. Falſum, quod oculis Deus videri poſſit. Nam Deus infinitus eſt, qui cognoſci non poteſt immediate; intellectus enim non eſt capax rei infinitæ, nedum ut ſenſu cognoſci poſſit. 3. Scriptura hoc idem corpus, quod jam eſt, fore aſſerit, ſed tantum qualitatibus immutandum, 1 *Cor.* 15. 53. Ubi notanda eſt particula *iſtud.* Item, *Phil.* 3. 21.

ANAB. Damnati & impii omnes, imo & Diaboli ipſi, tandem ſalvandi.

π. ψ. *Quia Miſericordia Dei infinita eſt.*

Refell. 1. Miſericordia quidem infinita, ſed additur, *Miſeretur quorum vult.* 2. Juſtitia quoque ejus infinita, de qua dicitur, quod *non abſolvat ſontem*, Exod. 24. 3. Eſt quidem miſericordia ejus infinita, ſed etiam veracitas comminationum ejus eſt immutabilis: Jam autem illa talis eſt, ut dicat, impios æternum damnandos, Eſaï. 66; *Vermis eorum non morietur.* Confer cum *Marc.* 9. 44.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Lectori Benevolo

S.

Nihil hic meum eſt, præter eam, quam in his relegendis adhibui diligentiam: verbotenus & fideliter hæc omnia, prout ex ore Cl. Maccovii, memoriter & ex tempore dictantis, erant excepta, transſcripta ſunt; niſi quod alicubi contextus verborum concinnius fuerit exprimendus, qui quandoque ob celeritatem dictantis, à deſcribentibus non ſatis perceptus fuit. Hæc tamen, ne te lateant, præſtiti. Ad ſingulas fere Adverſariorum Theſes (ne crimen falſi impingi queat,) auctoritates Doctorum Adverſæ Partis, Confeſſionum, Declarationum, Catecheſium &c. addidi (quod neglexerat Maccovius, deſideratum vero à pluribus); alicubi revolvendo auctores in ipſa formalia incidi, præſertim in Pontificiis, ubi noſter plerumque Bellarminum; in Lutheranis, ubi Echardi Faſciculum; in Arminianis Arminium erat ſequutus. In Socinianis per diverſos auctores vagatus ſum, quandoque ipſa reperi formalia contextus noſtri, quandoque analoga, licet non vocibus, re tamen ſimillima; è quibus candidus Lector immota conſequentia idem elicere poterit, quod eorum nomine à Maccovio ſtatutum eſt. In Anabaptiſticis id præſtare non potui, non quod ea non doceant, quæ hic ad nomen ipſorum ſcripta ſunt; ſed, 1. Quod virus ſuum pingant, nec facile ſe ipſos rotundis aſſertionibus, niſi vi eo redacti, prodant; adeo ut recte Cl. Cloppenburgius doctrinam eorum Gangrænam occulte ſerpentem nuncupaverit. 2. Quia nec dum quiſquam eorum Locos Communes integros de omnibus fidei capitibus ſcripſit. 3. Quia particulares eorum tractatus, ex quibus omnia verificari potuiſſent, ad manus non habui. Laudabilis vero ea in re eſt opera Cl. D. Cloppenburgii, qui ad ſingulos articulos eorum auctoritates laborioſe è Bibliotheca ſua longe inſtructiſſima conquiſivit, in libello cui titulus: Gangræna Doctrinæ Anabaptiſticæ &c. Doreſlarius etiam Enchuſanæ Eccleſiæ Miniſter, cum ſocio, nomine Claſſis Enchuſanæ, ut mole magnum, ita ſolida eruditione refertum opus univerſo corpori doctrinæ Anabaptiſticæ oppoſuit, atque ad ſingulos fidei articulos ſcriptores Anabaptiſticos cumulavit. Vtriuſque laborem ſi cum his contuleris, nihil ipſis affictum reperies. Ceterum, Vale, Lector, & favere perge. Iterato ſcripſi in Muſæo. Franek. 17 Ianuar. 1654.

Nicolaus Arnoldus,
SS. Theol. Doct. & Profeſſ.

INDEX CAPITUM

In Π. Ψ. Pontificiorum.

Cap.		Pag.
I.	DE Verbo Dei.	505
II.	De Perſona & Officio Mediatoris Chriſti.	507
III.	De Pontifice Romano & Antichriſto.	508
IV.	De Conciliis.	511
V.	De Eccleſia.	512
VI.	De Clericis.	514
VII.	De Monachis.	515
VIII.	De Laïcis ſeu Magiſtratu Politico.	517
IX.	De Eccleſia Laborante in Purgatorio.	518
X.	De Eccleſia Triumphante.	519
XI.	De Reliquiis & Imaginum cultu.	521
XII.	De Sacramentis.	522
XIII.	De Baptiſmo.	525
XIV.	De Cœna Domini ſive Euchariſt.	526
XV.	De ſtatu primi hominis ante lapſum.	530
XVI.	De Amiſſione gratiæ ſive ſtatu peccati.	532
XVII.	De Peccato Originali.	534
XVIII.	De Gratia.	536
XIX.	De Libero Arbitrio.	538
XX.	De Iuſtificatione, Fide & Bonis Operibus.	541
XXI.	De Bonis Operibus in ſpecie.	545
XXII.	De Iejunio.	547
XXIII.	De Eleemoſyna.	ibid.

In ϖ. ψ. Socinianorum.

I.	DE Sacra Scriptura.	549
II.	De Deo.	551
III.	De SS. Trinitate.	555
IV.	De Actionibus Dei internis.	558
V.	De Actionibus Dei ad extra.	560
VI.	De Providentia Dei.	ibid.
VII.	De Morte & Satisfactione Chriſti.	563
VIII.	De Fide.	565
IX.	De Pœnitentia.	567
X.	De Eccleſia.	ibid.
XI.	De Sacramentis.	568
XII.	De Cœna Domini.	571
XIII.	De Iuſtificatione, Iuſtitia, & Bonis Operibus.	573
XIV.	De Magiſtratu.	575
XV.	De Vita æterna.	576

In ϖ. ψ. Lutheranorum.

I.	DE Sacra Scriptura.	577
II.	De Deo.	579
III.	De Humana Chriſti natura.	580
IV.	De Vnione Perſonali & de Communicatione Idiomatum.	581
V.	De Peccato.	585
VI.	De Lege & Evangelio.	586
VII.	De Sacramentis.	587
VIII.	De Fide.	ibid.
IX.	De Prædeſtinatione.	ibid.
X.	De Pœnitentia & Iuſtificatione.	589
XI.	De Sacramentis.	ibid.
XII.	De Baptiſmo.	590
XIII.	De Euchariſtia.	592
XIV.	De Adiaphoris.	593
XV.	De Vita æterna.	594

In ϖ. ψ. Arminianorum.

I.	DE Deo.	595
II.	De Voluntate Dei.	597
III.	De Attributis Dei quibuſdam & Gratia.	600
IV.	De Chriſto.	601
V.	De Prædeſtinatione.	602
VI.	De Creatione.	604
VII.	De Providentia Dei actuali.	606
VIII.	De Libertate Voluntatis.	ibid.
IX.	De Peccato.	607
X.	De Iuſtificatione.	608
XI.	De Regeneratione & Pœnitentia.	610

XII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Cap.		Pag.
XII.	*De Fide.*	612
XIII.	*De Bonis Operibus.*	613
XIV.	*De Sacramentis.*	614
XV.	*De Magiſtratu.*	ibid.

In ϖ. ψ. Anabaptiſtarum.

I.	*DE Sacra Scriptura.*	615
II.	*De Trinitate.*	618
III.	*De Chriſto.*	619
IV.	*De Officio Chriſti.*	621
V.	*De Libero Arbitrio.*	ibid.

Cap.		Pag.
VI.	*De Peccato Originali.*	622
VII.	*De Iuſtificatione.*	ibid.
VIII.	*De Eccleſia.*	623
IX.	*De Baptiſmo.*	624
X.	*De Cœna Domini.*	625
XI.	*De Magiſtratu.*	626
XII.	*De Iuramento.*	627
XIII.	*De Vindicta.*	ibid.
XIV.	*De Communione bonorum.*	628
XV.	*De Conjugio.*	ibid.
XVI.	*De Reſurrectione Carnis.*	629

FINIS.

IOAN-

IOANNIS MACCOVII,
SS. Theol. Doct. & Profeſſoris,

ANTI-ECKHARDVS.

CAPUT PRIMUM.
De Scriptura.

QUÆSTIO I.

AN *Philoſophia ſit principium demonſtrationis in quæſtionibus Theologicis?*

Rationem neceſſariam dicimus ad intelligendum Scripturam, non ut *argumentum*, ſed ut *inſtrumentum*. Ratio eſt, quia nec inſani, nec infantes, ex defectu rationis apti ſunt eſſe auditores Scripturæ.

Cum quæſtiones Theologicæ duplicis ſint generis, vel ſimpliciter Theologicæ, vel mixtæ; hoc eſt, quarum vel ſubjectum vel prædicatum Philoſophiam ſpectet, dicimus, rationes adhiberi poſſe in hoc poſteriori genere propoſitionum ad illas probandas, vel refutandas, qua ad philoſophicam aliquam diſciplinam ſpectant.

De abſolutis quæſtionibus Theologicis dicimus iſtud axioma Theologorum, quod ex Scholaſticis hauſerunt, *Myſteria fidei debent eſſe libera ab Argumentis Philoſophicis.*

Docemus interim; Philoſophiam ſanam non repugnare Theologiæ, etiamſi Theologica tractare ipſius non ſit: verum enim illud eſt, *Verum vero non repugnat.*

Interim fatemur, aliam eſſe veritatem, ſeu diverſam veritatem, de qua Philoſophus agit, ut ſunt diverſæ res à Theologiæ veritate.

QUÆST. II. *An Calviniani ſincere credant & certo ſtatuant, Verbum Dei eſſe indubiæ & immotæ veritatis?*

Dum docent Orthodoxi, Verbum Dei videri pugnare ſæpe prima fronte cum voluntate ejus, non docent pugnare; namque ſi Verbum Dei conſideratur ratione finis, quo Deus illud proponi vult hominibus, & quem aliquando reticet, quique non niſi ex eventu patet, tum certe Verbum Dei nullo modo pugnat cum voluntate ipſius ſanctiſſima.

Exemplis fiet res illuſtrior: Jubet Deus Abrahamum immolare filium, Pharaonem dimittere populum. Utrobique videtur Voluntas Dei repugnare Verbo, & Verbum Voluntati, quia noluit immolari filium Abrahæ, ut ex eventu patuit; interim certe non repugnat, ſi ratione finis qui reticebatur, ſpectetur. Namque juſſus eſt immolare Abraham non eo fine, quod voluerit hoc Deus, ſed ut exploraret. Pari ratione de Pharaone dicendum; Præcepit Deus; ſed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ſed non eo fine, quod voluerit dimitti, ſed ut convinceretur Pharao de malitia ſua. Sumptum ergo Verbum cum fine, ut ſumi debet, nullo modo Voluntati Divinæ repugnat, vel voluntas Verbo.

QUÆST. III. *An Theologia tranſcendit regulas Logicas?*

Non admittimus ullas inuſitatas propoſitiones; idque eo, quod omnes propoſitiones Theologicæ referantur ad has quas habemus regulas, analogice tamen.

QUÆST. IV. *Num excuſationem mereatur D. Lutherus, quod Epiſtolas Iacobi & Iudæ Apoſtolicas eſſe aliquando negaverit?*

Lutherus excuſari poteſt, & non poteſt. Non poteſt abſolute excuſari apud eos, qui idem committunt, hoc eſt, Pontificios.

QUÆST. V. *Num aliunde, quam ex Scriptura fidei Chriſtianæ confirmatio peti, expectari, vel addiſci debeat?*

1. Abſurdus eſt Adverſarius, quod doceat, Zwinglium aliunde dogma aliquod fidei didiciſſe, quam ex Scriptura. Nam utut fuerit monitus in ſomniis ab aliquo Zwinglius, de modo quodam loquendi Sacramentali, tamen manifeſte comperit, in Scriptura hoc fuiſſe; proinde recepit, non quia monitus, ſed quia ita rem ſe habere comperit, idque ſecundum monitum Spiritus Sancti, *Omnia probate.*

2. Videtur hic hypotheſin iſtam præſupponere in oppugnatione Zwinglii, quod Deus homines hoc tempore nunquam ſoleat in ſomniis de rebus aliquibus monere. Quæ hypotheſis refellitur ex eo, quod illi agnoſcant, etiam his temporibus aliquando hominibus immitti ſomnia Divina.

CAP. II.

De Deo.

QUÆSTIO I.

AN *vocabulum* τετραγράμματον Jehova *uni ſoli Deo ſit proprium?*

Nos Affirmamus; propterea, quæ Vorſtius affert, nihil ad nos.

QUÆST. II. *An Deus habeat genus?*

Deo tribuitur genus analogum, non vero proprie dictum.

QUÆST. III. *An Deus prædicetur de perſonis ut genus?*

Deus prædicatur de perſonis, ut genus analogum.

QUÆST. IV. *An Myſterium Sacro-Sanctæ Trinitatis ex rationis ductu, & lumine naturali, cognoſci poſſit?*

Non probamus illud Keckermanni, quod Sacro-Sancta Trinitas lumine naturæ cognoſci poſſit.

QUÆST. V. *Num in Divinis Eſſentia gignat Eſſentiam?*

Eſſentia Divina non gignit eſſentiam; alioquin duæ erunt eſſentiæ.

Exceptio ipſius, quam adfert, Eſſentia cum modo ſubſiſtendi gignitur, ſcilicet determinata modo ſubſiſtendi; non liberat ipſum à vi Argumenti. Nam eſſentia τρόπῳ ὑπάρξεως determinata, eſt hæc ipſiſſima eſſentia, quam ille dicit abſolute conſiderari; hæc ipſiſſima, inquam. Nam inter hanc eſſentiam determinatam τρόπῳ, & eſſentiam abſolute, τρόπος tantum ὑπάρξεως diſtinctionem facit.

Quod affert de Sapientia, ex *Prov.* 24. 25, quam dicit genitam, dicimus, Sapientiam non ratione eſſentiæ genitam, ſed ratione modi ſubſiſtendi; idque ob eam cauſam, ob quam negamus eſſentiam gignere & gigni.

Solent

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Solent afferre & locum Joan. 5, *Sicut habet Pater vitam in ſe ipſo, ita dedit Filio habere vitam in ſe ipſo*; quo hoc ipſo probare volunt, eſſentiam gignere eſſentiam. Sed ut ad prius reſponſum, ita & ad hoc, Datum eſſe Chriſto, non *quoad rem ipſam*, ſed *quoad modum ſubſiſtendi*. Alioquin, ſi non tantum ratione modi ſubſiſtendi gignitur Filius, ſed etiam ratione eſſentiæ, non erit αὐτόθεος. Præclare quidam ad hoc dicit, Chriſtus eſt αὐτόθεος, ſed non eſt αὐτόυιος, ut ſcilicet hoc exprimat, quod nos dicimus.

QUÆST. VI. *An perſonæ divinitatis differant realiter?*

Cum diſputat de differentia perſonarum Divinitatis, calumniatur Keckermannum, & dicit, in Sabellianam hæreſin incidere. Nam Sabellii error hic fuit: In eſſentia Divina una eademq; non eſſe plures hypoſtaſes, ſed unam hypoſtaſin, eamque vocari jam Patrem, jam Filium, jam Spiritum Sanctum. At quantum abeſt Keckermanni ſententia ab hac?

Quæ affert ex noſtris; non petunt Keckermannum. Ratio eſt, quia *realiter differre*, apud Philoſophos dupliciter accipitur, in lata ſignificatione, prout opponitur diſtinctioni rationis; & ſic realis diſtinctio comprehendit ſub ſe realem, formalem, modalem. Et hoc modo non negat Keckermannus, perſonas realiter differre à ſe ipſis. Aliquando vero *realiter differre* accipitur ſtricte, prout opponitur non tantum diſtinctioni rationis, ſed etiam formali & modali; & hoc modo profecto perſonæ non differunt à ſe realiter; quandoquidem certiſſima eſt regula Philoſophorum & Theologorum, *Vt quid eſt, ita ab altero diſtinguitur*.

QUÆST. VII. *An Calviniani ſincere credant Dei Omnipotentiam?*

Accuſat Orthodoxos, quod non credant Omnipotentiam; quia dicunt, reſtringi ad certa quædam. At vero illa ad quæ reſtringitur, ſunt ea quæ non implicant contradictionem, hoc eſt, reſtringitur ad ſuum proprium objectum. Si enim extra hoc objectum velis extendere Omnipotentiam Dei, jam illam per hoc ipſum evertes. Quia extra hæc, quæ non implicant, non ſunt potentiæ, ſed impotentiæ; Quandoquidem omne, quod implicat contradictionem, mendacium eſt: dicit enim, idem eſſe; & negat, idem eſſe.

QUÆST. VIII. *An in Scholis Calvinianorum ſarta tecta retineatur doctrina de Miſericordia Dei?*

Non tollit Miſericordiam Dei, qui eam non ad omnes & ſingulos extendi aſſerit. Si enim tolleret, Paulus illam tolleret, qui dicit *Rom.* 19, *Miſeretur cujus vult*; quo ipſo ſignificatur, non omnium ipſum miſereri.

Deus non propter peccatum reprobat, ut videtur velle auctor; Nam teſtatur Scriptura Rom. 9, *Antequam quicquam boni vel mali feciſſent*. Proinde, ſi Deus reprobat, non propter peccatum poteſtatem habuit hoc ipſum faciendi.

Quod aliqui dicunt, hoc pacto videri pugnare poteſtatem Dei cum juſtitia Dei, quandoquidem ex poteſtate reprobat abſque intuitu ullo ad peccatum: neminem autem condemnat niſi peccatorem, ut liquet Gen. 18. v. 25, *An judex totius terræ non exerceret jus?* Sciendum eſt, juſtitiam in Deo eſſe duplicem; *Iuſtitia abſoluta*, ex qua oritur deſtinatio certorum hominum ad mortem æternam, & ad peccata per quæ ad illam deducuntur; de qua illud eſt Rom. 9. 14, *Quid igitur dicemus? Num injuſtitia apud Deum?* Alia autem, *juſtitia vindicatrix*. Prior non pugnat cum poteſtate Dei, ſed nec ſecunda. Nam, utut reprobatio non eſt facta propter peccatum; tamen Deus, quos reprobavit, decrevit punire propter peccatum.

Argumentum ad Rom. 11, *Concluſit Deus omnes ſub peccato*, &c. Male explicat. Explicandum enim illud ex *Gal.* 3. 22.

Diſtinctio inter *voluntatis propenſionem* ad commiſerandum, & ipſum *commiſerationis actum*, nullo modo ipſum juvat. Nam *primo* in Deo omnia ſunt actus puriſſimi, &, ſi dicatur facultas, vel potentia, non ratione ſui dicuntur, ſed ratione ſubjectorum, quæ ſubeunt vim iſtam Dei. *Secundo*. Nulla applicatio poteſt eſſe diſtinctionis ad dictum Scripturæ, quæ pro ipſo faciat. Nam quid hoc eſt, *Miſerebor, cujus mi-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

miſertus fuero? ſcilicet quoad propenſionem, non quoad actum. hæc ſunt inintelligibilia. *Tertio*, Miſereri eſt ipſe actus.

QUÆST. IX. *An in Myſterio ſalutis & prædeſtinationis locum habeat diſtinctio Calviniſtarum, qua Voluntatem Dei diſpeſcunt in voluntatem ſigni & beneplaciti, Deumque nonnulla velle ſingunt voluntate revelata, quæ revera nolit voluntate occulta?*

Voluntas ſigni non eſt proprie dicta voluntas, ſed eſt effectum voluntatis; eſt enim nihil aliud, quam Lex & Evangelium. Vocatur ergo voluntas per metonymiam cauſæ.

Inter Verbum Dei & voluntatem ipſius nulla eſt pugna; neque enim quod proponit alicui, eo fine proponit ſemper, quod velit ipſi obediri quod proponit, ſed aliquando ut exploret, aliquando ut convincat.

Videtur hoc agnoſcere Adverſarius in objectione ad argumentum Bezæ; 1. Inquit, iſta præcepta ſunt probationis. Ergo agnoſcit, dari aliquando Verbum non eo fine, quod Deus velit ipſi obediri. In hoc tamen fallitur, quod tantum exempla dari putat probationis ſeu explorationis, cum dentur convictionis; ut in Pharaone, qui jubetur dimittere populum, & tamen ipſum Deus indurat. Sic in Judæis *Eſai.* 6. *Ioan.* 12, quos occæcat, & tamen mandat, ut credant.

Quod dicit, *voluntatem quæ per ſe eſt*, vult malum non eſſe vere voluntatem; Ineptit. Nam Voluntas Dei duplex; *effectiva*, & illa certe malum non vult; *permiſſiva*, & illa vult.

QUÆST. X. *An in ſignificatione lata Deus omnium hominum ſit & dici queat Pater?*

Nos non negamus, neque Beza, ut ille calumniatur. videri poteſt Bezæ; nam addit, *de vocabulo ſe non diſceptare.*

CAP. III.

De natura Chriſti humana.

QUÆSTIO I.

AN *Caro Chriſti nihil proſit?*

Caro Chriſti nihil prodeſt; duplici ratione hoc accipiunt noſtri. 1. Si intelligatur caro Chriſti hominis puri ac ſimplicis, quemadmodum Capernaïtæ arbitrabantur. 2. Si ſciſſa ac comminuta in fruſta ore comedatur. Proinde Adverſarius cum ſua umbra pugnat.

QUÆST. II. *An ſanguis Chriſti in ara Crucis effuſus computruerit?*

Negat Adverſarius, quia quo redempti ſumus, non eſt res caduca. Antequam diſtinguamus, oſtendemus abſurditatem Argumenti, idque ex mente auctoris.

1. Quæritur, An Sanguis Chriſti abſumebatur in Chriſto calore nativo, dum viveret, ut reliquæ partes, ita ut ad reſtaurationem iſtarum oportuerit, Chriſtum cibum quotidie capere, ut reliqui homines? Negare certe hoc non poteſt.

2. Quæritur, Annon eſt vera hic ſynecdoche, cum dicitur, ſanguine Chriſtum nos redemiſſe; & intelligitur mors? Certe neque hoc negare poteſt. Sed eſtne mors res permanens, ut ille vult? Miſeros nos, ſi adhuc Chriſtus à morte detinetur.

3. Non tantum temporariam mortem Chriſtus pro nobis ſuſtinuit, ſed etiam æternam: Anne & illa adhuc durat? Abſurdum hoc ſequeretur, quod non eſſet victor mortis, ſed victus à morte.

4. Diſtinguimus ergo, Sanguine Chriſti ſumus redempti, non *materialiter conſiderato*, ſed *formaliter*, ut ſacrificium, ut λύτρον erat.

QUÆST. III. *An locari, contrectari, & videri, ſunt idiomata Corporis Chriſti eſſentialia?*

Negat. Nos diſtinguimus; & dicimus, locatio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

cationem eſſe idioma eſſentiale Corporis Chriſti, quia omne corpus locum habet.

Negat ipſe, & inquit, Chriſtus eſt ſupra cælos, ubi locus non eſt, Ergo non eſt in loco. Negamus, ibi, ubi Chriſtus eſt, non eſſe locum: negationis ratio eſt *Ioan.* 14. 2, 3.

Quod ad ſecundam partem quæſtionis: Reſpondemus, prævaricari hominem; Nam non dicimus, idiomata eſſentialia corporis eſſe contrectari & videri, ſed viſibile eſſe ſeu viſibilitatem. Scimus enim, non omnia corpora ſemper palpari, videri, ſed tamen ſemper eſſe palpabilia & viſibilia.

Quanquam ne hoc quidem verum. Nam ſunt quædam corpora, quæ nec palpabilia ſunt, nec viſibilia; ut ſunt corpora ſimplicia, ut aër, &c. Nec eſt, quod dicat, ſe non loqui in genere de Corpore Chriſti: Nam aut hoc Corpori Chriſti competit, qua abſolute Corpus eſt, aut competit Chriſti Corpori, qua compoſitum Corpus eſt. Si prius urget, enſtaſis ab aëre contra ipſum procedit: Si poſterius, tum fallitur, quia non tam, ut diximus, *τὸ attrectari* vel *videri*, eſt idioma, ſed *viſibile* & *palpabile eſſe*, quod omni corpori ſoli & ſemper competit.

QUÆST. IV. *An ſemen mulieris*, Gen. 3, *de Chriſto, an vero de toto genere humano, ſit accipiendum?*

Reſp. Calvinum ſolum hoc ſtatuere. Bezam autem & Pareum eum excuſare. Nobis iſta non placent, ac proinde ſententiam, quæ unius alicujus eſt, non debet impingere Eccleſiæ toti. Nam de Eccleſiæ ſententia judicandum eſt ex Confeſſionibus publicis.

CAP. IV.
De unione Perſonali.

QUÆSTIO I.

AN λόγος *ſit extra carnem aſſumtam?*

Noſtra ſententia eſt: λόγον eſſe *totum* in humana natura, ſed non *totaliter totum*. Ut hoc intelligatur, ſciendum eſt, aliud eſſe, *totam naturam* divinam alicubi eſſe; & aliud eſſe, *totam totaliter* eſſe. Nam totam eſſe totaliter hoc notat, quod ibi, ubi ſit, non tantum tota ſit, ſed etiam ita ſit, ut extra illud non ſit. Deus autem ubicunque eſt, totus eſt, ſed non ita, ut extra hoc non ſit etiam in aliis rebus totus.

Argumentum ipſius primum diſtinctione allata ſolvitur; ſed præter hoc, conſequentia iſta negatur; quod, ſi ſit totus extra carnem, diſſolvatur unio; hoc enim tum demum ſequeretur, ſi ita totus eſſet extra carnem, ut non ſimul totus eſſet in carne.

In 2 Argumento primo præſupponit hypotheſin falſam, λόγον eſſe in loco. Namque Deus dum dicitur eſſe alicubi, non dicitur eſſe *ut locatum in loco*, ſed *ut cauſa conſervans, in ſuis effectis*. Secundo, Conſeq. Majoris iſta nulla. Nam utut λόγος eſt etiam in humanitate, hoc eſt, non ita totus eſt in humanitate, ut non etiam totus ſit extra humanitatem in aliis rebus.

3 Argumentum eodem vitio laborat, proinde eadem reſponſio accommodanda.

4 Argumentum nihil concludit. Nam Major iſta, reducta ad propriam, oſtenditur manifeſte falſa. Eſt autem hæc: In quo λόγος eſt per unionem hypoſtaticam, extra illud nuſquam eſt.

Quæ ad objectiones reſpondet, nullius momenti ſunt. Et primo, ſenſus nullus eſt in reſponſione ad primam Obj. Tertiam Obj. delumbat, ſed reſtituenda eſt. Ita ergo argumentatur Sanchius: Quod non fuit extra uterum Mariæ, illud non eſt ubique: In incarnatione, ſc. conceptione & formatione, Corpus Chriſti non fuit extra uterum Mariæ: Ergo non fuit ubique. Jam Adverſarii reſponſio nihil quadrat ad Argumentum.

Notandum hoc bene hic venit, Lutheranos modernos graviſſime inter ſe contendere, utrumne, dum caro Chriſti adhuc eſſet in utero Mariæ, imo utrumne toto tempore ſtatus exinanitionis, Corpus Chriſti fuerit ubique? Plerique ipſorum diſtinguunt, ut *Mentzerus*, *Wittenbergenſes*, *Lipſienſes*; & dicunt, Fuit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

actu primo, non *actu ſecundo*; hoc eſt, *potuit eſſe*, ſed non *erat*. Quæ ſi vera ſunt, evertunt omnia Argumenta Adverſarii contra nos allata.

QUÆST. II. *An natura aſſumpta in unione maneat extra Trinitatem?*

Argumentum primum eſt, quod humana Chriſti natura Verbo eſt internum quid, non externum. *Reſp.* Diſtinguimus, externum eſt ratione naturæ; non enim humana natura eſt in Divina natura. Non eſt externum quid ratione modi ſubſiſtendi, quia non eſt extra hypoſtaſin λόγȣ.

Hac diſtinctione obſervata corruunt pleraque ipſius argumenta.

In 2 Argumento præſupponit hypotheſin falſam, quod Chriſtus ratione humanæ naturæ vocetur Filius Dei. Quod certe falſum. Nam Spiritus Sanctus diſtinguit in ipſo, qua parte eſt Filius Dei, & qua non. Ita Rom. 1, *de Filio ſuo, qui eſt ex ſemine David ſecundum carnem.* Rom. 9, *qui eſt ex patribus ſecundum carnem, Deus benedictus in ſecula ſeculorum.* & paſſim.

QUÆST. III. *An in Chriſto ſit duplex Vnio Hypoſtatica?*

Impingit Bezæ, quod in Chriſto duplicem unionem hypoſtaticam ponat. Dicimus, Bezam erraſſe in hoc, ob quod à Phagio reprehenſus fuit. Itaque quod unius Doctoris erat, ille toti impingit Eccleſiæ, quomodo ſecum & cum ſuis agi nollet.

QUÆST. IV. *An Calviniani ſint rei Neſtorianiſmi?*

Reſp. ad 1 Argument. Nemo noſtrum negat, quod humana Chriſti natura pervenerit in communionem hypoſtaſeos, quandoquidem docemus omnes, humanam Chriſti naturam aſſumptam eſſe in hypoſtaſin τȣ λόγȣ. Ergo in hoc Argumento nos calumniatur.

2 Argument. itidem nos calumnia onerat.

3 Argument. *Reſp.* Secludere nos à conſortio SS. Trinitatis, quia certe humana natura Chriſti non eſt Deus; ſed non ſecludere ab hypoſtaſi τȣ λόγȣ. Neque enim ſequitur, Eſt in hypoſtaſi τȣ λόγȣ, Ergo non eſt diverſa natura à λόγῳ. Imo vero tam eſt diverſa, quam diverſa eſt creatura à creatore.

4 Argument. cum ſuis conſectariis nihili eſt. Nam ita ſtatuimus Chriſtum extra carnem totum, ut ſimul eundem totum ſtatuamus in carne.

5 Argument. Calumnia nos onerat. Nam non docemus, ſi ὕπαρξιν ſumit pro hypoſtaſi, prout ſumere videtur, quod hypoſtaſis humanæ Chriſti naturæ ſit in loco aut ubique, ſed hoc eſſentiarum eſt; ſi enim hypoſtaſis eſſet ubique, tum eſſent tria realiter diſtincta, infinita, immenſa; quod abſurdiſſimum.

6 Argument. Nos dicimus, λόγον inhabitare in carne totum, ſpeciali modo, aut, ut aliqui volunt, ſingulari. Interim tamen ita totum, ut non totaliter ibi ſit, hoc eſt, non ita ſit in carne, quin extra carnem totus ſit, ubicunque eſt.

7 Argument. quod humana Chriſti natura capax ſit infiniti. Scriptura hoc non dicit; ſed hoc dicit, quod ſit aſſumpta in hypoſtaſin τȣ λόγȣ, aſſumi, ſuſtentari, conſequitur hoc; quia enim humana Chriſti natura in hypoſtaſin λόγȣ aſſumpta eſt, ideo ſingulari modo ſuſtentatur.

Argument. 9 dicit, nos negare communicationem naturarum. Inepte; niſi diſtinguat. Nam nos quemadmodum unionem naturarum ſtatuimus, ita & proprietatum. Statuimus autem non *tranſitivam*, ſed *intranſitivam*. De Diſtinctione hac, ex Scholaſticis deſumta, conſuli poteſt Sadaël in tract. de Veritate humanæ Chriſti naturæ.

QUÆST. V. *An Calviniſtarum ſimilitudines, quas illuſtrationis ergo adferre ſolent, myſterio unionis perſonalis ſint convenientes?*

Similitudines iſtæ, quas noſtri afferunt, ſunt optimæ eo modo, quo afferimus. Argumentum enim ipſorum hoc impugnamus his ſimilitudinibus, quando ita argumentantur: Ubi eſt unum eorum, quæ unita ſunt indiviſibiliter, ibi & alterum. Hinc ſubſumimus, & oſtendimus, falſam eſſe Majorem.

CAP.

CAP. V.

De Propoſitionibus Perſonalibus.

QUÆSTIO.

AN *ſit prædicatio ſynonymica vel tropica in propoſitionibus*, Deus eſt Homo, Homo eſt Deus, Filius Mariæ eſt Filius Dei? *&c.*

Ubi primo notandum, Adverſarium in ipſo limine impingere. Nam prædicatio ſynonymica non opponitur tropicæ, ſed paronymicæ, prout tropicæ contradiſtinguitur propria.

Dicimus ergo, in propoſition. *Deus eſt Homo*, & *Homo eſt Deus*, eſſe prædicationem paronymicam, ſimilem iſti, *aliquid, quod eſt corporeum, eſt ſpirituale*, ſive *capitatum aliquod eſt manicatum, & manicatum aliquod eſt capitatum*, ſcilicet pars in concreto ſumta prædicatur de altera in concreto ſumta. Clarius liquet hoc in accidentibus; ſimilis ergo hæc prædicatio iſti eſt: *Aliquod dulce eſt album, & aliquod album eſt dulce.*

Interim in iſtis tropum etiam agnoſcimus certa quadam ratione. Nam ſi prædicatum hic accipitur pro alterutra natura, & in abſtracto; ſubjectum vero in concreto pro tota perſona, tum hic tropus futurus eſt ſynecdoche.

Itaque Argumentum ipſius primum & ſecundum, nihil ad nos.

Tertium argumentum corrigendum eſt. Nam ſi prædicatum & ſubjectum concrete accipiantur, tum diſparata hæc non ſunt; non magis certe diſparata, quam ſi quis dicat, *Vlyſſes eſt deformis & prudens*; deformem enim eſſe, & prudentem, uni attribuuntur.

Argumentum ipſius, quo dicit, Omnem tropicam reſolvi in propriam, concedimus, ſed illum male reſolvere aſſerimus. Ita enim reſolvi debet: *Deus eſt homo*, hæc perſona, quæ eſt Deus, ſecundum humanam naturam eſt homo: quemadmodum & hæc: *Homo eſt Deus*, hæc perſona, quæ eſt homo, ratione Divinæ naturæ eſt Deus.

2. In Argumento, quo dicit: Eadem eſt ratio propoſitionis hujus, *Deus eſt homo*; quæ illius, *Deus eſt paſſus*. Concedimus; ſed negamus, quod hæc explicanda non ſint tropice. Nam certe perſona, quæ eſt Deus, paſſa eſt ratione humanæ naturæ; ſi enim proprie Deus ratione Divinæ naturæ pateretur, Deus non eſſet Deus.

Quod ad 3 Argumentum attinet, ubi inquit, Deus nominatur humanitas &c. Ineptit; Nam nos non dicimus, Ubicunque Deus nominatur; ſed, Ubi Deus Chriſtus nominatur. Et certe confuſio hic nulla metuenda, ſi doctrina ſana Theologorum noſtrorum de concreto & abſtracto, itemque de communicatione proprietatum naturarum reali in perſona; in naturis, verbali, recte intelligatur.

CAP. VI.

De Communicatione Idiomatum.

QUÆSTIO I.

AN *Communicatio Idiomatum ſit verbalis?*

Communicatio idiomatum *realis eſt in perſona*, *verbalis ratione naturarum*; hoc eſt, perſonæ tribuuntur proprietates naturarum realiter, ſed naturis verbaliter. Scilicet hoc erit verum, Deus, id eſt, hæc perſona, quæ Deus eſt, paſſa eſt realiter; at verbaliter ſaltem, qua Deus. Item, hæc perſona, Filius hominis, eſt in terra, cælo, eſt realiter ibidem; at verbaliter, quatenus filius hominis.

Communicationem certe non negamus proprietatum *realem intranſitivam*.

Argumenti tertii nulla conſequentia. Nam certe, utut hæc perſona, quæ eſt Deus, ratione humanæ tantum naturæ paſſa eſt, tamen hæc paſſio ejus eſt perſonæ, quæ eſt Deus.

Argumentum 4 præſupponit hypotheſin falſam, quod hæc exaltatio *ſupra omne nomen* referenda ad humanam naturam. Negat hoc Zanchius ob iſtas rationes: 1. quia nomen ſu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

pra omne nomen eſt nomen Dei per naturam. 2. Quia creatura non flectit genu creaturæ & adoptivo Deo, ſed vero Deo. 3. Quia in gloria Patris eſſe, & Deum eſſe, ſunt unum & idem. Dicitur ergo hoc de Chriſto in concreto, ſed ratione tantum divinæ naturæ.

5 Argumentum impingit in iſtam diſtinctionem communicationis tranſitivæ & intranſitivæ.

Jam pergit reſpondere ad Argumenta noſtra.

Ad 1 excipit, Non ſequi, Si realis, Ergo eſſentialis; quia unio eſt realis, nec tamen eſſentialis; Dico, ubi hoc, quod communicatur, eſt res & eſſentia, ibi reale & eſſentiale conveniunt. Atqui attributa Dei ſunt res, non hypoſtaſes. Ergo communicatio attributorum realis, etiam eſt eſſentialis.

Ad 2 nil reſpondet niſi Chimæras; propterea relinquimus. Addit tamen de anima, quod anima revera ſuas facultates atq; proprietates communicat corpori unito. Dicimus: Eſſe iſta diverſiſſima; neque enim λόγος habet ſe in Chriſto homine ut anima, neque homo Chriſtus ut corpus. 2. Impingit in Philoſophiam. Namque facultates in anima eſſentialiter ſunt, in corpore accidentaliter. Idcirco vita, quæ eſt in anima eſſentialis, in corpore eſt accidentalis.

Ad 3 Sohnii nil reſpondet. Nam certe diſtinctio & talis communicatio, qualem illi ponunt, penitiſſime repugnant. Ita enim communicari dicunt humanæ naturæ proprietates Dei, ut illam faciant omnipotentem, immenſam, hoc eſt, Deum.

Ad 4 Sadaëlis non reſpondet. Nam certe repugnat humanæ naturæ, ut Deum eſſe, ita omnipotentem, immenſum.

QUÆST. II. *An Communicatio Idiomatum ſit Tropus?*

Communicatio idiomatum tropus eſt; hoc enim quod unius partis eſt, toti tribuitur, ut præclare docet Beza dicto loco.

Argumentum 1 ipſius, Qualiter eſt intelligenda naturarum κοινωνία, talis etiam proprietatum. Atqui κοινωνία intranſitiva intelligenda eſt, quæ non repugnat tropo. Secundo, quod dicit, Non eſſe prædicationem tropicam, Dicimus *Dominus gloriæ*, eſt concretum nomen, notans totam perſonam. *Deus paſſus*, eſt concretum, notans totam perſonam. Cum igitur hoc perſonæ non competit niſi ratione naturæ unius, tropus hic erit neceſſario.

Ad Argum. 2. Non ſequitur, quod ſupponenda in locum ſubjecti humanitas. Neque enim iſta vox *Deus* naturam ſignificat, ſed perſonam; quemadmodum ergo dum dico: *homo eſt mortalis ſecundum corpus*, male dicitur corpus eſſe mortale, ſed hominem eſſe mortalem ſecundum corpus. Ita & hic obtinet.

Ad 3 Argum. *Reſp.* Caro Chriſti eſt vivifica, quatenus ſubſiſtit in perſona λόγου, ideo dicitur caro Chriſti Dei; atque ita erit ſynecdoche: Eſt vero vivifica *meritorie*, non *efficienter*. Illa propoſitio: *Humanitas Chriſti adoratur*, vana eſt, ſi de adoratione religioſa agatur. Nam neque quatenus humana Chriſti natura, neque quatenus Mediator. Contra humanam naturam hoc Argumentum ſervit. Si Deus ſolus cultu religioſo adorandus eſt, Ergo non humana Chriſti natura. Atqui. Ergo. Conſequentia clara; Nam *ſolum* excludit omnia reliqua, quemadmodum in iſto Matt. 19, *Deus ſolus bonus eſt.* Contra officium Mediatorium: Quod competit Chriſto duntaxat ratione Divinæ naturæ, illud non competit ratione officii Mediatorii. Atqui cultus religioſus. Ergo. Major excludit omnia præter Divinam naturam. Minor, *Gal.* 4. *Matth.* 4.

QUÆST. III. *An in definitione Communicationis Idiomatum genus proprium & exquiſitum ſit prædicatio?*

Negat. Argum. 1. quia vocabulum ſecundæ notionis non poteſt eſſe genus vocabuli primæ intentionis. Sed tamen non ſequitur, quod non poſſit prædicari de vocabulo primæ intentionis: exempli gratia, *Animal eſt genus; homo eſt ſpecies.*

Argum. 2, ejuſdem eſt furfuris, ideo, ut primum, eadem reſponſione tollitur.

Prædicatio eſt genus primæ intentionis.

Cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Cum enim hic quærimus de communicatione idiomatum, intelligimus locutiones, quibus effertur communicatio idiomatum, quæque reſpondent communicationi.

Obj. Ergo eo pacto verbalis omnis communicatio. *Reſp.* Diſtinctionem iſtam communicationis realis & verbalis peti ex objecto: ut, quia realiter proprietates alterutrius naturæ communicantur perſonæ, ideo modo loquendi efferimus hoc, quod ſit realis communicatio; quia ratione naturarum verbalis eſt, iccirco exprimimus modo loquendi, quod communicatio ſit verbalis ratione naturarum.

QUÆST. IV. *An Communicatio Idiomatum facta ſit, & intelligatur, tantum in concreto?*

Diſtinguit concretum naturæ & perſonæ; ſed non tantum diſtinguere debuit, ſed & hanc diſtinctionem probare.

Argum. primum ſolvitur diſtinctione communicationis tranſitivæ & intranſitivæ.

Argum. ſecundum petit principium. Quædam enim, quæ Chriſto communicata in tempore, non ſolum humanæ naturæ communicantur, ſed etiam Divinæ: ut, quod humana natura data ipſi, *Heb.* 10. quod Mediator conſtitutus Dei & hominum; nec enim Mediator eſt tantum ratione humanæ naturæ, ſed etiam Divinæ.

Argum. tertium falſam hypotheſin præſupponit, ſcil. quod nos negemus, λόγον communicare naturæ humanæ; fatemur hoc, ſed communicatione intranſitiva.

Argum. quartum dicit, quædam eſſe concreta naturæ. Inepte hoc: & exempla, quæ affert, hoc non probant; nam caro Chriſti non ſignificat concretum, ſed abſtractum; idem ſanguis Chriſti. At forte inferet, tribui tamen hæc humanitati, quæ ipſius Divinitatis ſunt. *Reſp.* Alio certe modo, quam quo Deitati tribuitur. Nam Divinitati non tribuitur, quod ſit cibus vitæ; cibus enim vitæ effectum formalem notat humanitatis Chriſti; quod vero talis ſit, id obtinet ex eo, quod unita in hypoſtaſin τȣ̃ λόγȣ. In duobus poſterioribus exemplis diſtinguendum erit inter *emundare meritorie*, quod ſanguini & morti tribuitur; & inter *emundare efficienter*, quod ſolius Dei.

Ad Argum. Sohnii nihil reſpondet. Nam vocabula aliter accipit, ac ſunt in uſu; abſtracti nempe & concreti vocabulum in doctrina de perſona Chriſti: vocabula autem debent accipi prout in uſu ſunt, &c.

QUÆST. V. *An ſint diſtincta Communicationis Idiomatum genera?*

Oſtendimus antehac duplex genus, *verbale* eſſe, & *reale*. Beza nobis nequaquam repugnat, quod verbalem proprie dictam non agnoſcit. In qua ſententia omnes Orthodoxi ſunt.

Argum. primum. Agnoſcimus pro vero; quod dicit, Deus paſſus ſecundum humanam naturam tantum; & dicimus, ſibi repugnare ſtatim in ſequenti quæſtione. Dicimus & hoc, *Deus ſanguine* &c. accipi ſecundum utramque naturam, ſed non eodem modo: De Divina natura ſi verificabitur locutio hæc, ſanguis locum adjuncti habebit, ut & humana natura. De humana natura ſi verificari debet, ſanguis erit pars.

Argum. 2 refutatum eſt in quæſtionis præcedentis Argumento ſecundo.

QUÆST. VI. *An realiter, an verbaliter tantum aut* σχετικῶς, *Deus dicatur pro nobis paſſus?*

Diſtinguimus, ſi vox *Deus* accipiatur pro perſona, tum certe non verbaliter, ſed realiter eſt paſſus; ſin de natura, à qua denominatur perſona, tum certe nomine tenus dicitur paſſus.

Argum. primum ſolvitur, accipiendo vocem *Dei* pro natura, limitando, ſi Deus non realiter eſt paſſus, tum non erimus redempti realiter; ſi ſcil. humana natura, quæ ſola paſſa eſt, non fuerit humana natura æterni λόγȣ, & non ſubſtiterit in ipſius hypoſtaſi.

Argum. ſecundum: Infinitæ iræ Dei non poteſt ſatisfacere λύτρον finitum. Dicimus, λύτρον, quod Chriſtus ratione humanæ naturæ dependit paſſive, finitum eſſe natura, at infinitum valore.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Argum. tertium non eſt magni momenti. Dicit enim, ſuppoſitum vere patitur. Ubi hypotheſin præſupponit, perſonam Mediatoris conflari ex Divina & humana natura, cum tamen ſola ſit Divina natura perſona, humana autem natura ſit adjunctum ἐνυπόστατον.

Argum. quartum itidem parvi momenti eſt; illud enim proprium quod adfert, eſt proprium adjunctum ἐνυπόστατον. Hic autem ita res habet, ut pati potuerit hoc, & tamen non potuerit pati id, cujus erat adjunctum: quemadmodum mori iſtud potuit, ut & mortuum eſt; & tamen Divina natura mortua non eſt.

Ad Argum. quintum reſpondeo, Paſſionem Dei, id eſt, ejus perſonæ, liberare nos à peccato; non autem paſſionem Divinitatis, quæ nulla eſt. Urget ille: Paſſio humanæ naturæ non ideo, quia habet σχέσιν ad Divinam naturam, non poteſt nos liberare, quia etiam paſſiones fidelium habent σχέσιν ad Deum. *Reſp.* Ineptus eſt. Nam humana natura σχέσιν aliam habet, utpote quæ in hypoſtaſi τοῦ λόγου ſubſiſtit; fideles autem σχέσιν habent ad Deum, quia Deus ex fœdere eſt Deus ipſorum, & ipſi ſunt populus ejus.

Objectionem Urſini non ſolvit; nam quod dicit, Deum paſſum in carne ſibi appropriata, ſi concrete vocem *Deus* accipit, nihil contra nos; ſi abſtracte, fallitur; Namque Deïtas nullo modo poteſt dici pati.

QUÆST. VII. *An κοινοποίησις, ſeu communicatio Apoteleſmatum, ſit gradus communicationis Idiomatum?*

Negamus, nomina officii mediatorii, opera mediatoria, eſſe communicationem idiomatum. Tribuitur enim utrique naturæ & quidem ratione diverſi modi. Nam ratione humanæ naturæ tribuuntur ipſi meritorie; ratione Divinæ, efficienter.

Argumentum ipſius nullum eſt; Ratio, quia altera natura operatur in communione cum altera, ſed diverſo modo operandi, ut dictum eſt.

Ad Argum. Bezæ non reſpondet, niſi hypotheſi falſa præſuppoſita, quod ſcil. ſunt plura genera communicationis idiomatum. Secundæ reſp. Minor falſa & inepta eſt.

QUÆST. VIII. *An Calviniſtarum de κοινοποιήσει doctrina ſit conſentanea decretis Synodi Chalcedonenſis?* Neg. Eckhard.

Concilium Chalcedonenſe nihil contra Calvinianos. Nam nunquam Calviniani dicunt, quod opera mediatoria humana natura agat abſque communicatione Divinæ, & Divina abſque communicatione humanæ naturæ.

Quod ad Aſſumtum attinet, poteſt aliquid ſolum operari, ut cauſa partialis, & tamen non eſſe abſque communicatione alterius. Ita, exempli gratia, ſola natura humana meretur, & tamen non abſque communicatione Divinæ naturæ; quia, ſi abſque communicatione eſſet, non mereretur.

Argum. ſecundum ipſius nihili eſt. Nam poteſt ſolum operari in actionibus ſuæ naturæ propriis; & tamen non ſolum eſſe, dum operatur; ſed eſſe in communione τοῦ λόγου ut dictum.

Damaſceni Argumentum nihil contra nos facit. Nam certe non ſtatuimus, quod humana natura faciat ſine Divina, opera mediatoria; neque Divina ſine humana; etiamſi unaquæque natura agit quod ſuum eſt.

Ad inſtantiam Bezæ nihil reſpondet. Nam quod dicit, humanam naturam operari per Divinam, inſolens locutio eſt, & quæ nullo modo probari ex Scriptura poteſt.

QUÆST. IX. *An ſint humanæ Chriſti naturæ per unionem perſonalem communicata dona tantum creata & finita; an vero ipſa Divinitatis eſſentialia idiomata & dona infinita?*

Humanæ Chriſti naturæ per unionem non ſunt communicata dona infinita & increata. Intelligimus communicationem tranſitivam.

Argumentum primum cum probatione ſolvitur diſtinctione tranſitivæ & intranſitivæ communicationis. Item tertium Argumentum.

Argum. ſecundum. Neque cultus adorationis religioſus tribuendus eſt humanæ naturæ, neque omnium rerum ſcientia. Cultus non, quia ſoli Deo proprius eſt, *Matt.* 4. Omnium rerum ſcientia non, quia Chriſtus, qua homo, ne-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

neſcit extremum judicium, *Marc.* 13. Si vero putant, facultatem aliquam vivificandi, qualis ſcilicet in igne eſt calefaciendi, ineſſe humanæ Chriſti naturæ: falluntur; nam vivificat meritorie. Poteſtas etiam tribuitur ipſi, ut munus totum mediatorium. Eſt autem Mediator ratione humanæ naturæ meritorie; ratione Divinæ, efficienter.

In Argum. quarto falſa eſt Minor. Si enim cultu religioſo adoranda non eſt humana Chriſti natura, neque gloriam ſuam dat Deus alteri, *Eſaï. cap.* 42; tum certe Minor falſa.

Argum. noſtrum primum veriſſimum eſt, & nititur ratione iſta, quod ſi egrederentur ſua ſubjecta, oporteret & ſeparari poſſe à ſuis ſubjectis, & eſſe communia; quod contradictionem implicat. Reſponſa ergo illius nihili ſunt. Nam debebat nobis probare ſuam diſtinctionem. Quod de anima & corpore garrit, ſciendum, hoc eſſe unum eſſentiale, ſive conſtituere unum eſſentiale iſta; quanquam non eodem modo inſint facultates animæ & corpori, ut dictum à nobis ſuperius. Quod de igne & ferro dicitur, ſciendum 1, Calorem non communicari formaliter, ſed effective. Atqui hic ſermo eſt de formali communicatione. 2. Ignem etiam ſimul eſſe in ferro. Namque in ferro pori ſunt, in quos ignis ſeſe inſinuat.

Quod ad modum, quem indiſſolubilem putat, attinet, nihili eſt, & ſolvitur diſtinctione communicationis tranſitivæ & intranſitivæ.

Quod ad Bezam attinet, fruſtra ipſius Argumentum eludere vult. Namque eſſe proprium & eſſe commune, contradictionem in ſuis notionibus includunt, & naturis ſuis, proinde nulla limitatione conciliari poſſunt.

Argum. ſecundum Sohnii etiam ipſum ſtringit. Certiſſimum enim eſt, omnia idiomata eſſe unum & idem, eſſentiam ſcilicet Divinam, proinde, ſi unum tranſitive Chriſto tribuitur, tribuuntur omnia. Erit ergo Chriſtus ratione humanæ naturæ non tantum ubique & immenſus, omnipotens, ſed & æternus.

Quod ad reſponſionem ad Aſſumtum attinet, omnia ſolvuntur diſtinctione κοινωνίας tranſitivæ & intranſitivæ.

Inſtantiam Sohnii non amolitur: fundatur enim in iſta regula Logica, *Dici de aliquo, requirit ineſſe.* Si ergo omnia idiomata communicantur, dicentur etiam de humana natura.

Argum. tertium non ſolvit. Nam 1, ὑπόστασις λόγου communicatur intranſitive. 2. Quod de communicatione Spiritus Sancti ait, ineptus eſt, ſi putet eſſentiæ communicationem. Nam Spiritus Sanctus, quoad eſſentiam, ubique eſt, ut *Pſal.* 139. Ergo intelligitur hoc de communicatione effectorum Spiritus Sancti.

Argum. quartum Bezæ non ſolvit, & ipſe ſibi repugnat, ſi quæſtio octava expendatur; nam ait ibi, alteram naturam alteri communicari; hic vero videtur penitus hoc negare. 2. Quia ex unione Argumentum potiſſimum ad communicationem idiomatum, tam valebit à Divina ad humanam, quam ab humana ad Divinam naturam. Quod de cauſa finali garrit, nihil eſt: Nam ſicut unio facta eſt, ut λόγος maneat λόγος, ita etiam, ut humana natura maneat humana; etſi humanæ naturæ hoc peculiare, quod in hypoſtaſi erat λόγου.

Argument. quintum Piſcatoris non evertit. Neque enim hæc eſt Major; De quocunque prædicatur proprium, &c. Sed illa: De quocunque prædicatur proprium, quod eſt ipſa eſſentia, de illo etiam ipſa eſſentia prædicatur.

Ad Argum. ſextum Sadaëlis nihil reſpondet. Nam ſi attributa Divina ſunt Deus, cuicunque tribuitur attributum Dei, erit Deus.

Argum. ſeptimum Bezæ vult eludere quæſtione, An finita humanitas non fuit capax infinitæ Divinitatis? ſed certe, ſi vocabulum utatur prout in uſu eſt, humana natura non eſt capax Divinæ naturæ. Capacem enim ſignificat ita capere, ut comprehendas. Si igitur humana natura comprehenderet Divinam, Divina non eſſet infinita; Divina enim natura omnimode & abſolute eſt incomprehenſibilis.

Ad octavum Argum. Sadaëlis nihil quicquam reſpondet, quod mereatur reſponſum.

Argum. nonum Goclenii non ſolvit. Nam certe quorum eſt eadem operatio, eadem eſſentia. Quod addit diſtinguendo, de operatione *propria naturali*, evertitur per hoc, quod ita communicari doceat proprietates Chriſto homini, ut humanæ etiam ſint propriæ.

Argum. decimum Sohnii non ſolvit. Nam, etiamſi in Chriſto non eſt alter & alter, ſed aliud & aliud: nihilominus tamen certum eſt, ut, quod non eſt natura Deus, id religioſo cultu adorari non debet; ita & Deus iſti non communicat ſuam laudem.

Ad Argum. undecimum Bezæ, quia ſcil. ex communicatione idiomatum, confuſio ſequitur, nihil reſpondet; tantum cum ſuo ſimili animæ & corporis impertinenter iterum prodit.

Ad Arg. duodecimum, De exæquatione naturarum, quæ conſequitur ex communicatione idiomatum, inquit, accepit per gratiam. ubi committit fallaciam plurium interrogationum; nam 1, debebat probare quod accipiat. 2. quomodo accipiat.

De Omnipotentia.

QUÆST. X. *An Chriſto homini collata ſit potentia infinita?*

Hæc quæſtio à nobis negatur.

Argum. I, nullum; Nam aliud eſt ἐξȣσία· aliud, δύναμις. Nec juvat ipſum, quod data eſt ipſi poteſtas æterna apud *Daniel.* Nam eo dicitur pactio æterna, quomodo Angelus dicit, regnum Chriſti non habiturum finem, apud *Lucam*. Reſponſum contra ἐξȣσίαν & δύναμιν nihil, eſt. Locus *Apoc.* 5, minime probat. Nihil ibi aliud, quam hoc, Dignus ut honor deferatur Agno tanquam potentiſſimo &c. Virtus reſſuſcitandi, vivificandi, delendi peccata, aliter in Chriſto homine eſt, aliter in Chriſto quatenus Deus eſt. Nam in Chriſto homine eſt *meritorie*; in Chriſto Deo, *efficienter*. Quæ ex Luca profert, iſta diſtincte capiuntur, *Luc.* 4. 36. ut aliud δύναμις, aliud ἐξȣσία ſit. Hoc idem intelligendum eſt de *Luc.* 9.

Addimus hoc libenter, poteſtate iſta nunquam Chriſtum uti potuiſſe, niſi omnipotens eſſet; Omnipotens autem eſt ratione Divinæ naturæ.

Argum. II diſtinctione tollitur vivificandi *meritorie*, *efficienter*.

Argum. III nihil concludit, quia facta eſt particeps humana natura Chriſti naturæ Divinæ per hypoſtaſin τȣ̃ λόγȣ.

Argum. IV. Diſtinguendum inter ſedere ad dextram Dei, quod duo notat. Interdum gloriæ, majeſtatis, potentiæ, honoris Divini ſummam æqualitatem; & hac ratione ſoli Divinæ naturæ competit. Interdum vero qualitatem, id eſt, ſummam perfectionem & felicitatem carnis Chriſti ad dextram Dei collocatæ; quam gratiam habitualem vocant Scholaſtici. Itaque poſteriori ſignificatione ſeſſio eſt naturæ humanæ, quâ ipſa humana natura in Chriſto & beatior ceteris creaturis, & ſuper omnes creaturas habet regiam & judiciariam poteſtatem.

Argument. I Zanchii non ſolvit. Implicat enim contradictionem, beneficio alterius eſſe Omnipotentem.

Argum. II, de finito, quod non capax infiniti, defenſum ſupra.

Argum. III Bezæ non evertitur per hoc, unam eſſe omnipotentiam communicantem & communicatam. Nam repugnat communicari ut Divinitatem, ita & Omnipotentiam: Sunt hæc enim unum quoad rem.

Ad Arg. IV, & V, reſpondet, potentiam ſe non exeruiſſe; ſed non videt, aut videre vult, conſequentiæ rationem. Nam, ſi Chriſtus Omnipotens ratione humanæ naturæ & paſſus & mortuus eſt; Ergo Omnipotentia iſta ſublata in ipſo, dum pateretur & moreretur.

Argum. VI non ſolvit, ut liquet vel ex *Ioan.* 11. ubi qua homo implorat auxilium Dei: Neq; enim certe Chriſtus homo vivificare efficienter potuit Lazarum; quia hoc ſolius Dei eſt, utut voce in illo compellando uſus eſt qua homo.

Argum. VII Zanchii non ſolvit. Nam, ſi humana natura eſt Omnipotens, quocunque modo pallietur, non omne, quod Omnipotens, erit Deus.

De Omniſcientia.

QUÆST. XI. *An Chriſtus, qua homo, polleat univerſali & plena rerum omnium ſcientia?*

Hæc quæſtio à nobis negatur.

Argum. ipſius I, petitur ab unctione. Ubi 1, dicimus, vocem iſtam *unctionis* abſolute ſumtam,

ſumtam, referri & ad Divinam & ad humanam naturam, diverſo tamen ſignificato; nam quatenus ad Divinam naturam refertur, ſignificat ordinationem ad munus mediatorium; quatenus ad humanam, ſignificat donorum collationem. 2. *Vltra conſortes ſuos* non efficit quod Adverſarius vult: imo retorquetur Argumentum. Si *ultra conſortes ſuos*, Ergo non erit infinita illa ſcientia; neque enim infinita ſapientia particula iſta comparativa exprimi poſſet aut deberet.

Medius terminus, *non ad menſuram*, nihil probat; & ratio eſt, quia ibi Spiritus Sanctus opponit dona iſta, quæ pro menſura dantur Miniſtris Verbi Divini; quæ non ſunt omnia & quævis, ſed quædam: neque enim Spiritus Sanctus vult eſſe unum membrum in Eccleſia, ut vult unum eſſe caput, ſed multa membra. Opponit, inquam, iſta donis, quæ omnia & ſingula in Chriſtum collata, quæcunque ad perfectionem muneris mediatorii ad humanam naturam pertinebant.

Locum iſtum aliter ſolutum à quodam, quem non nominat, non recte accipit; & hoc, quod putat, ſimilitudinem à rebus terrenis non poſſe peti ad res ſpirituales. Comparantur ſæpe rebus corporeis terrenis ſpirituales. Vide *Matt.* 13. 19. & ſeqq.

Quod ad terminum, *ex ejus plenitudine omnes participamus*, nihil itidem ipſum juvat. Nam accipimus ex ipſius plenitudine, quatenus homo eſt, *meritorie*; quatenus Deus, *efficienter*. Vide *Eph.* 4. 15, 16.

II Argum. Dicimus, omnes Theſauros ſapientiæ & ſcientiæ in illo reconditos, quemadmodum habitat in ipſo Deitas corporaliter *intranſitive*, non *tranſitive*.

III Argum. nihil efficit. Nam Chriſtus erit Judex, qua homo, approbando judicium Divinæ naturæ, acquieſcendo in eo, & ſententiam proferendo; non autem peccata, quæ ſæpe interna ſunt, omnia cognoſcendo.

IV Argum. nihil probat. Neque enim ullibi humanæ Chriſti naturæ καρδιωγνωσία tribuitur; aut, ſicubi tribuitur, hoc ex revelatione Divinæ naturæ habuit: Solius enim Dei eſt ſcrutari cor & renes, *Ier.* 17. Opem fert Chriſtus, qua homo, *meritorie*; qua Deus, *efficienter*; ac proinde, qua homo, non eſt neceſſe, ut cogitationes cordium cognoſcat & perſpiciat.

V Argum. nos non attingit; quia, ſi nulla alia erat hæreſis Agnoëtarum, quam hæc, certe nulla fuit iſta. Nam Chriſtus ignorabat extremũ judicium, imo ignorabat ficum eſſe in ficu.

Argum. 1 Danæi non ſolvit: Inquit enim non eſſe argumentandum à ſtatu exinanitionis ad ſtatum exaltationis. Sed 1. Ne jam quidem novit Chriſtus, qua homo, judicium; aut, ſi novit, debet nobis hoc probari. 2. Abutitur iſtis terminis, *actu primo*, & *actu ſecundo*. Actus enim primus eſt facultas, actus ſecundus non eſt facultas. Atqui Omniſcientia eſt actus, non facultas; ſunt enim quædam attributa, quæ per modum actus efferuntur, ut, Omniſcientia, Omnipræſentia, &c. quibus, niſi ineptiſſime, iſta diſtinctio non adhibetur.

Ad Trelcatii, Junii, dicimus, iſta dici ab illis viris, ſed minime ſtare poſſe; namque eo pacto Pater etiam ignorabit diem judicii extremi, hoc eſt, non ut revelet aliis.

Obj. 2 Naümi vult eludere per hoc, habitualis ſapientia ſubordinatur Divinæ. Sed hoc nihil ad rem. Probare debebat, ſapientiam humanæ Chriſti naturæ fuiſſe eam, quæ eſt Divinæ naturæ. Quod ad manifeſtationem per actus externos attinet, dicimus, non poſſe dici creſcere aliquid proprie, dum manifeſtatur per actus externos; nobis autem à proprietate verborum temere non eſt recedendum.

Obj. 3 Polani non ſolvit negando conſequentiam. Nam qui novit, quæ ipſius intereſt, non ſimul & ſemel, ſed diſtinctis & ſucceſſivis cogitandi actibus, non igitur omnia ſimpliciter noſſe dicitur.

Obj. 5. Ad hanc in præcedentibus reſponſum eſt.

Obj. 6. Nihil reſpondetur. Nam ſi humana Chriſti natura eſt Omniſcia, quomodocunque tandem de humana natura Omniſcientia prædicetur, ſequeretur fore Deitatem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

De cultu Adorationis.

QUÆST. XII. *An humana Chriſti natura in perſona* τȣ͂ λόγȣ *ſit religioſe adoranda?*

Negativa vera eſt. Antequam autem ad argumenta Adverſarii reſpondebimus, etiam hoc dicimus, Chriſtum, quatenus eſt Mediator, non eſſe cultu religioſo adorandum. Idque dicimus cum Zanchio, Camerone, Leidenſibus: Argumentum in hanc rem proponimus hoc invictum:

Quod tantummodo competit Chriſto ratione Divinæ naturæ, hoc ipſi non competit ratione Officii Mediatorii, vel ratione humanæ naturæ. At cultus religioſus non competit Chriſto niſi ratione Divinæ naturæ. Major continet excluſivam, proinde neceſſaria eſt. Minor habetur *Matth.* 4. 10.

Jam ad Argumenta Adverſarii reſpondebimus.

Argum. I. præſupponit τὸ *donari* referri debere ad humanitatem, quia nihil Chriſto, qua Deus, donatur: in quo ineptit, & refelli poteſt ex Pſal. 2. 8, *Dabo tibi*.

Argum. quod huic ſubnectit tertium itidem præſupponit hypotheſin vanam, quod ſcilicet Chriſtus ratione humanæ naturæ tantum ſe exinanivit. Nam liquet ex *Phil.* 2, illum ipſum, reſpectu ejus, quo in forma Dei erat, ſe ipſum exinaniviſſe; quod de humana natura intelligi negavit.

In Argum. II diverſa ſunt, quæ diſtinguenda. Nam 1, dicit, de radice Davidis, Filio Davidis, Agno occiſo; & errat. Nam ſunt hæc concreta perſonam notantia: jam autem non omne, quod eſt perſonæ, eſt humanæ etiam naturæ; quia poteſt aliquid eſſe perſonæ ratione Divinæ naturæ tantum. Quæ enim naturarum ſunt realiter, communicantur perſonæ. 2. Obſerv. quod putet, illos, qui Chriſtum adorabant, ut, leproſus, mendicus, &c. adoraſſe ipſum cultu religioſo, non vero civili. Certe illi Chriſtum pro alio non habebant, quam pro filio Davidis, homine nudo & Propheta magno.

Argum. III refellitur ex *Ier.* 17. *v.* 5. & ex *Rom.* 10. ubi fides & invocatio conjunguntur. *Objici* poteſt: Atqui certe noſtra fides reſpicit ſatisfactionem Chriſti, meritum ejus. *Reſp.* Ita eſt, ſed reſpicit ut hoc propter quod ſibi velit conferri remiſſionem peccatorum & vitam æternam. Item propter quod velit exaudiri. Vide de hac re *Dan.* 9. 17.

Ad Argum. IV reſpondeo, Præſtitiſſe ſalutem aliter atque aliter: humanam naturam *meritorie*; Divinam, *efficienter*: & illa eſt adoranda, quæ hoc fecit efficienter.

Argum. V nihili eſt. Nam adoratur à nobis Dominus Jeſus cultu religioſo, hoc eſt, hæc perſona, quæ eſt Dominus & Jeſus; Non tamen ſequitur, Ergo & humana natura.

Quæ de Magis, Principe Scholæ, cæco nato; illa omnia poſſunt accipi de adoratione civili.

Quatenus & *quia* in doctrina de Mediatore non cadunt ſemper in unam naturam, & hoc ita eſt; Verbi gratia, Chriſtus, quatenus Deus, mittit Spiritum Sanctum, quia Chriſtus, qua homo, meritus eſt. Ita ergo jam intelligitur mittere Chriſtum Mediatorem, quia meritus eſt, ſed non quatenus meritus eſt: quia mittit, quatenus Deus eſt; meretur, quatenus homo eſt. Ita Chriſtus remittit nobis peccata efficienter, quia meritus eſt: at non remittit, quatenus meritus eſt: quia ſi, quatenus meritus eſt, remitteret quatenus homo. Ita infinita poſſunt proferri exempla: Vivificat nos efficienter, quia meritus eſt: at non efficienter vivificat nos, quatenus meritus eſt; quia hoc ſolius Dei eſt.

Quod ad *Caput* attinet, ſciendum eſt, Chriſtum dici caput apud Theologos, *potentia, efficacia, merito, exemplari*. Hinc ſubjectio intelligenda potentia & efficacia, quatenus Deus eſt; merito & exemplari, quatenus homo eſt; merito, quia meritus eſt, ut in populum adſciſceremur regni ſpiritualis; Exemplari, ut exemplar, quia conformamur ad ipſius imaginem & Spiritus Sancti: hinc jam ſubjicimur efficienter Chriſto in regno ſpirituali ſeu gratiæ, qua Deus, ſed ſubjicimur, quia Chriſtus meritus eſt, non quidem qua Deus, ſed qua homo. Subjectio enim hæc non differt à ſubjectione alia quavis, niſi 1, ex cauſa *efficiente*. 2. *ex ſub-*

jecto.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

jecto. 3. *ex fine*. Ex *cauſa efficiente* meritoria, quia omnia extra Eccleſiam ſubjiciuntur Deo *jure creationis*; Eccleſia, *jure redemtionis*. Ratione *ſubjecti*, quia ſubjiciuntur omnia, quæcumque tandem ſunt, jure creationis Deo, at in regno ſpirituali & mediatorio ſubjiciuntur iſti ſoli quos redemit. Ratione *finis* denique, quia alius eſt finis ſubjectionis in regno iſto, quod Deus jure creationis obtinet; alius in regno, quod obtinet jure redemtionis. Hinc efficaciter & efficienter nulli ſubjici poſſumus, niſi ſoli Deo, utpote, qui ſolus infinitam potentiam obtinet, quique ſolus conſcientias noſtras obligare poteſt: ex qua cauſa dicitur apud Jacobum *unus legiſlator*.

1 Obj. eludere vult I, Convitio; quod ipſi relinquimus. II. Rationibus; quæ ſunt, 1. Quia caro ipſius à nobis ſpiritualiter manducanda. Sed hæc ratio nil ipſum juvat: nam apprehendimus carnem Chriſti, quatenus illa pro nobis paſſa; hoc eſt, apprehendimus, quatenus eſt meritoria, propter quam Deus omnia, quæ Chriſtus loco noſtri præſtitit, imputat, & nos in filios ſuos adoptat, & heredes regni cælorum. 2. Quia baptizamur in mortem ejus. Et hæc ratio tantundem efficit ut prior; baptizamur enim in mortem, ut propter quam fide apprehenſam nobis condonat peccata, ab eiſque nos abluit. 3. Quia credimus in eum conceptum, natum &c. Ita eſt; ſed non quatenus conceptus, natus: & uno verbo, credimus in Deum manifeſtatum in carne, ſed non in carnem Chriſti. 4. Dicit committi elenchum, ſed nihil tale eſt. Nam qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, ille recedit à Domino; eſt enim hæc locutio ſimilis illi, *Deſine malefacere, & fac bonum.*

Ad Obj. 2 vult reſpondere ſuo κατ' ἄλλο, & κατ' αὐτό· ſed inepte. Nam ſi κατ' ἄλλο non poſſet humana natura eſſe Deus, neque κατ' ἄλλο poterit adorari.

Obj. 3 amoliri vult hoc ipſo, quod humana natura cum Divina eſt una perſona; ubi præſupponit hypotheſin falſam; conflari perſonam Chriſti ex Divina & humana natura: quod antea refutatum.

Ad 4 Obj. nihil reſpondet. Nam ibi Deus contradiſtinguitur ſibi per alterum, omne quod Deus non eſt. Atqui humana natura Deus non eſt.

Obj. 5 inferre vult, humanam Chriſti naturam eſſe benedictam, & per hoc ſolvere Argumentum. Sed ineptit. Neque enim dicitur in Argumento benedictum ſimpliciter, ſed ſuper omnia benedictum: qui cultus ſoli Deo proprius eſt.

Obj. 6. Argumentum noſtrum ſtat. Et diſtinctio iſta Theologorum hic obtinet, qua diſtinguunt inter adorari humanam naturam proprie & figurate. Plerique in hanc ſententiam dicunt, Chriſti carnem adorari, non eſt propria locutio, ſed figurata, quia non adoratur proprie caro, ſed Deus in carne manifeſtatus, ſicut rex cum ſua purpura.

De poteſtate judiciaria.

QUÆST. XIII. *An Chriſto ſecundum carnem data ſit poteſtas judiciaria ſuper vivos & mortuos?*

Hæc quæſtio unica diſtinctione tollitur; quod Chriſtus habeat poteſtatem judiciariam, qua homo, *meritorie*; quà Deus, *efficienter*. Imo ultra damus, quod *Chriſtus homo judicabit efficienter*, ſententiam externe enuntiando, & judicia Dei approbando.

De virtute vivificandi.

QUÆST. XIV. *An Caro Chriſti ſit vivifica?*

Itidem unica diſtinctione tollitur; carnem Chriſti eſſe vivificam *meritorie*, non vero *efficienter*.

De præſentia Chriſti hominis in his terris.

QUÆST. XV. *An Chriſtus poſt Aſcenſionem, Eccleſiæ ſuæ, in his terris militanti, Corpore ſuo ſit præſens?*

Argum. 1 nihili eſt; quia à viſione petitur, à qua

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

à qua ſi argumenta ducenda, næ ille Chriſtum monſtroſum nobis daturus eſſet ſecundum humanam naturam, cujus caput, pedes & totum corpus monſtroſiſſima futura.

Argum. 2 refellitur inde, quia Chriſtus expreſſe docuit ſe relinquere mundum & ire ad Patrem, *Ioan.* 16. 28. Adeſt igitur nobis non corporali præſentia, ſed per Spiritum ſuum. Illud, quod ad *ego* refert, ineptum eſt; Nam *ego*, nota eſt perſonæ, ita ut dici poſſit de Chriſto ſecundum perſonam, quod ſit nobiſcum, non tamen ratione humanæ naturæ.

Rationes ipſius refellendæ.

1 Ratio petit principium; nam probat, Chriſtum ſecundum carnem promiſiſſe ſe adfuturum, quia adeſt ſecundum carnem.

2 tollitur diſtinctione operationis ſecundum *efficientiam*, & *meritum*.

3. Major inepta, quæ enſtaſibus tolli poteſt: Ille, cui data eſt omnis poteſtas in cælo & in terra, Eccleſiæ ſuæ præſentiam promittit. Atqui Chriſto ſecundum humanam naturam (ut ille infert) data eſt poteſtas. Negatur, niſi velit ſtatuere, Chriſtum ſecundum Divinitatem non eſſe Mediatorem.

4. Apoteleſmata officii, &c. Reſp. per diſtinctionem, *meritorie*, ſecundum humanam naturam; *efficienter*, ſecundum Divinam.

5 inepta eſt, quæ præſupponit, ſeparari humanam naturam à Divina, ſi non ſtatuatur, ubi eſt Divina, ibi eſſe humanam.

6 nihili eſt. Nam aliud eſt *totus* Chriſtus; aliud, *totum Chriſti*. Totus Chriſtus eſt ubique, ſed non totum Chriſti.

7. Reſp. ad Majorem: Fatemur hoc: ſed quæritur de præſentiæ modo. Dicimus, præſentiam iſtam eſſe præſentiam fidei, cui ut præſentia ſunt futura, ita abſentia præſentia.

Contra *Ioan.* 8, ait: Nos non loquimur de Chriſto ante incarnationem, ſed poſt eam. Nihil dicit. Nam Chriſtus loquebatur hoc, poſtquam natus homo eſſet.

Contra 3 Exc. ait, confundi partes eſſentiales cum integralibus. Ineptus eſt; Nam 1. Divina & humana Chriſti natura non conſtituunt perſonam, neque enim conflatur perſona ex Divina & humana natura. 2. Dato quod ſint partes eſſentiales, tamen hoc nihil obtinet. Nam totus homo moritur, ut totum eſſentiale, non tamen totum hominis, certe non anima rationalis.

Contra Exc. 4 retorquere videtur: Præſentia ἐνεργείας ſubſtantiæ præſentiam prærequirit. Reſp. 1. ἐνεργείας cauſæ efficientis realis, non meritoriæ. 2. & nos præſentiam admittimus, quomodo præſentia fidei dicuntur & futura & præterita & abſentia.

Obj. 1. De articulo aſcenſionis ait, *Per aſcenſionem non intelligitur realis præſentia*, &c. Inepte: refellitur ex *Act.* 1.

Obj. 2. Refellitur ex eo, quod dicatur, ſedere ad dextram, ſed ſimul additur, in cælis, *Eph.* 1. 20.

Obj. 3. Reſponſio ejus petit principium, præſupponit enim id, de quo quæritur, ſcil. Chriſtum corporaliter adeſſe viſibiliter.

Obj. 4 non ſolvit, quia ita reliquit mundum, ut aſſumptus ſit, *Act.* 1. & à cælis capiatur, *Act.* 3.

Ratiunculæ, quas in Argumento addit, momenti magni non ſunt, 1. quia non eſt neceſſe eodem ſignificato intelligi in antapodoſi: verbi gratia, mulier, quæ vivit in deliciis, mortua eſt. 2. Inſtantia quam affert ex *Luc.* 24. *v.* 44, nihil probat: nam *cum eſſem*, diſtinguit, ante paſſionem, ante reſurrectionem, *Ioan.* 17. *v.* 11. Gualtheri explicationem libenter admittimus, quam ipſe adfert, non refutat.

Obj. 5 non ſolvit, ut contrarius plane textui videatur *v.* 1.

Obj. 6 non ſolvit: & nugatur. Nam non Chriſtus cælum cepit, ſed cælum Chriſtum. Non pugnat autem, in cælo eſſe, & ſupra cælos; ut non pugnat, in terra eſſe, & ſupra terram. Reliqua, quæ adfert, vana ſunt, aut impertinenter ad rem adducta, aut quæ petunt principium.

Obj. 7 non ſolvit, quia opponitur ibi, *Non ſemper habebitis*, corporali præſentiæ pauperum.

Obj. 8 non ſolvit. Nam iſta revelatio è cælo fiet. Ibi igitur ſit oportet.

Obj. 9 non ſolvit, quia præſupponit, per unio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

unionem perſonalem, & ſeſſionem ad dextram Dei, Corpus Chriſti eſſe redditum immenſum; quod abſurdum.

QUÆST. XVI. *An præſentia Chriſti in terris ſolius Eccleſiæ terminis finiatur: num vero reliquas etiam creaturas complectatur?*

Dicimus, præſentiam Chriſti, qua Deus eſt, eſſe vel generalem, qua adeſt rebus omnibus, conſervando, movendo &c. vel ſpecialem, qua adeſt fidelibus, quoad effecta quædam ſpecialia, ut, vocationem internam, fidem, juſtificationem, efficiendo. Priori præſentia adeſt omnibus; poſteriori, non niſi Eccleſiæ.

Argum. 1, nihili eſt. Nam Chriſtus homo, perſonæ vox eſt; & tamen utrique naturæ competit dominatus ratione humanæ naturæ, meritorie; ratione divinæ, efficienter. Quod ad Bezæ Inſtantiam attinet, an ſit Argumentum ipſius, ignoramus. Dicimus tamen, Adverſarium in reſponſione ſecum pugnare. Nam, 1. ſi corpus eſt ubique, per expanſionem eſt; ubicunque enim corpus eſt, per expanſionem eſt. 2. Modus dominii, qui tollit naturas, ineptus eſt.

Argum. 2 ineptum eſt. Nam totus λόγος habitat & eſt in humana natura, ſed ita, ut totus ſit extra eam. Reliqua, quæ adfert, refutata ſunt jam antea.

Ad Obj. 1 reſpondere vult, quod facultatem habuerit, ut eſſet Omnipræſens, ſed non ipſam Omnipræſentiam. Reſp. Hoc ipſum eſt, quod Adverſarium confundit. Nam, ſi potuit eſſe, & non erat, ubi igitur iſta Argumenta Adverſariorum manebunt? Si non erit ibi, ubi λόγος, Ergo erit Chriſtus incarnatus, excarnatus; & ejuſdem furfuris plura. Notandum de hoc Argumento graviſſimas controverſias motas inter Mentzerum, Wittebergenſes, Lipſienſes, ex una parte; & ex altera parte inter Tubingenſes, Ienenſes.

Obj. 2. Non attingit ſcopum. Nam Bezæ hæc eſt ratio, quod eorum, quæ unita ſunt, poteſt eſſe unum ibi, ubi non ſit alterum.

Obj. 3 Zwinglii non ſolvit. Nam ſi propter hypoſtaſin diverſam in eſſentia divina, dicitur de una perſona, quod de altera non dicitur. Ergo & propter naturas diverſiſſimas dicetur de una natura, quod de altera non dicetur.

Quod de hypoſtaſi garrit, quod ſit infinita, refutatum à nobis; nam non eſt hoc hypoſtaſeos, ſed eſſentiæ, infinitum eſſe. Si enim hypoſtaſis eſſet infinita, tria eſſent infinita diverſa.

Argum. 3: Qui aſcendit ſupra omnes cælos &c. *Reſp.* Poſſe aſcendere ſupra aliquid, & tamen hoc ipſi eſſe locum, non quidem circumſcribentem, ſed ſuſtinentem. Quemadmodum, verbi gratia, homines ſunt ſupra terram & tamen terra eſt ipſorum locus ſuſtinens. 2. Refellit Chriſtus ipſemet *Ioan.* 14. 2. 3.

Inſt. Aſcendit, ut impleret omnia. *Reſp.* ut impleret omnia, *quæ de ſe dicta ſunt.* Verum movet hic, quod eſt dignum conſideratione, etiamſi noſtram reſponſionem non tangat. Quærit ſcil. An humana Chriſti natura poſſit mereri, ut Divina regnet, aut impleat omnia. Ita enim ſibi videtur iſtam diſtinctionem *efficienter, meritorie*, evertere. Sed nihil eſt. Nam dicimus hoc, naturam humanam eſſe cauſam meritoriam effectorum ex poteſtate Chriſti Dei fluentium, non vero ipſius poteſtatis abſolute.

Ad Exc. Bucani reſpondet, quoties Spiritus Sanctus loquitur de impletione Scripturarum, ibi ſemper addit Scripturas. Dicimus, hoc falſum eſſe, *Ioan.* 19. 28.

Ad 2 Exc. reſponſum; Non opus noſtra reſponſione, nam eam non tangit.

Argum. 4 Major limitanda: Qui ſedet ad dextram Dei, totam, ita ut non reſtringatur ad certum locum; ita cadit Minor de Chriſto, quatenus homo: nam ita Scriptura docet, Chriſtum ad dexteram Dei ſedere, ut in cælis eundem affirmet.

Argumenti, quod ſubjungit, Major falſa; Nam dextra Dei eſt in cælis & in terra; ut liquet *Ioan.* 2.

Idem Argumentum aliter format; ſed diſtinctione ſeſſionis ad dextram Dei tollitur.

Ad Except. Sadaëlis regerit, quod ſupra cælos. At diximus, iſta poſſe conſiſtere ſupra, cælos eſſe, & in cælis eſſe; quemadmodum, in terra, & ſupra terram.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Pergit: *Illa phraſis*, In cælis *&c.* Inepte. Nam notari locum, vel inde liquet, quod inde venturus eſt, ut in Symb. Apoſtol. confitemur; Addit, excluſive non dici eſſe in cælis. *Reſp.* Imo vero, ut liquet *Matth.* 26. 11.

Ad Except. Bucani reſpondet diſtinguendo inter dextram Patris & Chriſti; Non male hoc, ſed non ad mentem ejus. Nam dextra Chriſti eſt infinita, ex ejus opinione; eſt enim hypoſtatice unita λόγῳ & nobis jam liceret contra ipſum ita argumentari: Si dextra Chriſti non eſt ubique, Ergo jam λόγος cum dextra, & ſine dextra. Quod ad thronum attinet, de quo *Apoc.* 3, illud aliter accipitur atque Adverſarius vult, 1 *Cor.* 6. 2, 3.

Argum. 5 nihili eſt. Nam præſupponit, Chriſti humanam naturam religioſo cultu adorari; quod negatum ante. Imo retorquetur hoc Argumentum contra ipſum, quia ille invocatur, qui gemitus & preces noſtras novit, id eſt, qui eſt omniſcius. Ergo humana natura non invocatur: & certum eſt, aliud eſſe *propter quem* Deus invocatur; quemadmodum *Dan.* 9. 17, *Audi nos, Domine, propter Dominum.* aliud vero hoc eſſe *propter quod* invocatur.

Ad Argumenta noſtra jam reſpondet.

Ad Obj. 1 nihil reſpondet. Nam quemadmodum non poteſt Deus verus dici alius per ſe, alius per aliud quid; ita etiam eo modo Omnipræſentia non poteſt diſtingui.

Ad Obj. 2 verboſe ſatis reſpondet, ſed nihil plane. Nam omnes ipſius reſponſiones conteruntur hoc ipſo, quod Chriſtus per omnia nobis ſimilis, excepto peccato, proinde de ipſius natura poteſt judicari ex legibus naturæ.

Quod ad Argumentum ipſius attinet, quo vult oſtendere, à corporibus noſtris non eſſe argumentandum ad Corpus Chriſti; in eo fallitur multis modis. Nam 1. præſupponit hypotheſin falſam, Chriſtum penetraſſe conclave & ſepulcrum obſeratum. 2. Fallitur, quod putet, vi Dei non poſſe ambulare ſuper aquas, ſicut & Chriſto homini hoc contigit; Nam certe Petrus legitur ambulaſſe ſuper aquas. 3. Quod ad conceptionem ſine virili ſemine, illud Chriſto proprium eſt; alioquin, ſi conceptus eſſet ex virili ſemine, & peccator eſſet futurus, & non fuiſſet in hypoſtaſi τȣ͂ λόγȣ. Quod ad jejunium 40 dierum, dicimus extraordinarium hoc fuiſſe, & non tantum ipſum ſervatorem, qua homo erat, vi Dei conſervari potuiſſe, ut dies 40 jejunaret, ſed & alios, ut expreſſe legimus de Elia, 1 *Reg.* 19, qui per 40 dies & noctes cibum non ſumpſit. Quod ad τὸ ſedere ad dextram Dei: Ad hoc antea reſponſum. Nam illud falſum, Corpus Chriſti factum inviſibile; aliud enim eſt, diſparuiſſe, alicui factum inviſibile; aliud, in ſe factum inviſibile; quod Lutherani volunt.

Ad 3 Obj. Sadaëlis non reſpondet. Namque admittit finitatem eſſentiæ humanæ Chriſti naturæ; quod ipſius priora omnia convellit. Neque enim quod loco ambiente non ambitur, ſi eſt in ſe finitum, eſt infinitum; alioquin nos in cælis, ubi nullus locus ambiens futurus, eſſemus futuri infiniti.

Ad 4 Obj. quæ reſpondet, ſolvuntur hac reſponſione, quam dedimus.

Ad 5 nihil reſpondet niſi objiciendo Neſtorianiſmum.

Ad 6 nil reſpondet. Fingit unitatis ſpecies, cum tamen hic clare de unitate numerica agatur, ſeu de eo, quod eſt unum numero.

Enſtaſis ipſius de eſſentia Dei nihili eſt, eo quod Sadaëlis argumentum eſt de eſſentia finita. Ineptit, quod garrit, in λόγῳ exiſtere illocaliter; namque humana natura Chriſti non habet ſe ut locatum ad locum, ſed tanquam adjunctum ἐνυπόστατον ad ſubjectum. Quod ait, circumſcriptionem poſſe tolli à corpore. *Reſp.* Externam quidem, at non internam; nam omne corpus finitur ſe ipſo & ſuis terminis. Vide Keckerm. de loco & locato.

Ad Obj. 7 Bezæ nil reſpondet. Nam Beza argumentatur contra reſponſionem, quando dicunt Lutherani, aliam eſſe rationem Corporis Chriſti glorioſi, quam fuit, cum non eſſet glorioſum. Hinc enim Beza infert, ne quidem Corpus glorioſum eſſe ubique, quia corpora noſtra quæ conformabuntur glorioſo Corpori Chriſti, non erunt ubique.

Ad Obj. 8 Zanchii non reſpondet; partim enim utitur iſta diſtinctione, potuit eſſe ubique, etiamſi non fuit ubique; præſertim quod, dum

dum Chriſtus conciperetur, quæri ex ipſo poſſet, an fuerit ubique, an vero in utero Mariæ. Si ubique, Ergo ubique ſub hoc formali id concipiebatur: quod abſurdum.

Ad 9 non reſpondet. Nam non negamus, fuiſſe perſonaliter unitas λόγῳ Animam & Corpus ejus; ſed dicimus non potuiſſe eſſe Corpus Chriſti & Animam ubique, ſi à ſe invicem ſeparabantur; quod enim ubique eſt, id ſeparari à nulla re poteſt.

Ad 10 Zanchii non reſpondet. Nam iſta diſtinctio, ex ſe Omnipotens & ex ſe Omnipræſens, tam abſurda, ac ſi quis diceret, ex ſe verus Deus, ex ſe non verus Deus.

Ad 11 Auguſtini non reſpondet. Nam Auguſtinus loquitur, uti Chriſtus loquebatur de ſubſtantia carnis ſuæ.

Ad 13. Hanc eludere vult *actu primo*, & *ſecundo*: quæ à nobis ſupra refutata. Hoc tantum addimus, quædam attributa à nobis concipi per modum potentiæ, quædam non poſſe concipi niſi per modum actus: qualis, verbi gratia, Omniſcientia, Omnipræſentia; nam concipiuntur ut actus, & definiuntur ut actus.

Argumenta è Sacris Literis deprompta.

1. *Heb.* 2. 17. Chriſtus nobis ſimilis, excepto peccato. Nos autem non ſumus Omnipræſentes. Ergo nec Chriſtus. Veriſſimum eſt cum hac limitatione, quoad φύσιν, non quoad ὑπόστασιν. Unde reſponſio nihil ad rem.

Ad 2 nihil reſpondet. De loco enim hic loquitur; at ille inepte oggerit hypoſtaſin & dextram Dei.

Ad 3 ex *Apoc.* Evincendum illi fuiſſet, debere hoc improprie accipi: quod non præſtat; pro nihilo igitur habendum. Quod vero ad terram iſta reſtringit, refellitur ex *Apocal.* 7. *v.* 16, 17.

Ad 4 nihil reſpondet, niſi petendo principium.

Ad 5 etiam. Nam *Angeli* vox, non eſt hic abſoluta.

CAP. VII.

De ceteris quibuſdam Symboli Apoſtolici Articulis Chriſtum concernentibus.

I. De Nativitate.

QUÆST. *An Chriſtus natus ſit clauſo & inviolato utero?*

Refellitur ex *Luc.* 2. 23. Quod Bezam allegat, ineptus eſt; Accommodatur enim hoc à Spiritu Sancto Chriſto, & quidem proprie.

Argum. 1, nullum eſt. Nam non nativitas tollit virginitatem, ſed congreſſus viri cum virgine.

Argum. 2 ridiculum, ideo ipſi relinquimus.

II. De obedientia Chriſti.

QUÆST. *An Chriſtus ſua obedientia ſibi aliquid promeruerit?*

Nihil contra nos: etſi aliqui ſint Theologi, qui contrarium ſuſtineant; ſed nos ſententiam negativam veram judicamus.

III. De deſcenſu ad Inferos.

QUÆST. I. *An deſcenſio Chriſti ad Inferos ſit idem, quod mors aut ſepultura?*

Etſi multa continentur in Argum. abſurda, tamen etiam admittimus per deſcenſum Chriſti ad Inferos non intelligi debere ſepulturam.

QUÆST. II. *An deſcenſio Chriſti ad Inferos metaphorice accipi debeat de cruciatibus animæ?*

Affirmamus. Argumenta ipſius, ex Symbolo Apoſtolico ducta, magni momenti non ſunt; Ratio, quia, cum Symbolum Apoſtolicum dicatur, non quod ab Apoſtolis ſit ſcriptum, ſed quod contineat doctrinam Apoſtolicam, ideo doctrina hæc ex Sacris Literis fuerit explicanda:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

da: Scriptura autem contraria eſt deſcenſui iſti locali ad Inferos; nam non deſcendit ſecundum Divinitatem, eſt enim ubique; non ſecundum humanitatem, non animam, quia fuit eodem die cum latrone in Paradiſo; non ſecundum corpus, quia fuit in ſepulcro.

Argum. 4. Locus Petri (Chriſtus deſcendit, 1 *Petr.* 3. 18, ζωοποιηθείς) quomodo ad rem faciat, nulla ratione videre poſſum; proinde inepte allegatur: niſi forte *verſ.* 19 reſpiciat; ſed hic nihil juvat ipſum: nam prædicabat Chriſtus ſpiritibus, non tum cum eſſent in Inferno, ſed iis, qui temporibus Noachi vixerunt, per Noachum; quia autem ſpreverunt iſtam prædicationem, jam ſunt in carcere.

IV. De Reſurrectione.

QUÆST. I. *An Chriſtus reſurrexit clauſo ſepulcro?*

Negativa vera eſt. Argumenta Sohnii non ſolvit.

QUÆST. II. *An Chriſtus ingreſſus ſit ad Diſcipulos occluſis foribus?*

Unica præceptio Grammatica refellit Adverſarium: Duo ablativi conſequentiam &c. θυρῶν κεκλεισμένων· at non, διά &c.

V. De Aſcenſione ad cælos.

QUÆST. *An Chriſtus in adſcenſione ſua occupaverit certum quendam locum, quo circumſcribatur & capiatur uſque ad extremum judicium?*

Inepte format quæſtionem. Nam ita debuit quærere:

An Chriſtus ſit in cælis tantum, & non in terra?

Nam nos ſtatuimus, ita in cælis eſſe, ut non in una particula aliqua certa cæli ſit, ſed quod ipſi cælum ſit locus communis, quemadmodum nobis terra; nobis autem dum dicimus terram eſſe locum, non ita hoc intelligimus, ut cuidam terræ particulæ affigamur.

Argum. 1 Major refellitur ex *Ioan.* 14. 3.

Argum. 2 in conſequentia laborat non minus, quam ſi quis dicat, *Baculus eſt in angulo.* Ergo &c. Nam, quia Chriſtus dicitur exaltatus ſupra omne nomen, id eſt, omnem poteſtatem habere in cælo & in terra, ideo aſſerit, ſuperiorem eſſe omni loco. Argum. hoc eſt, Exaltatus eſt ſupra omne nomen. Ergo & omnem locum.

Argum. 3 nullum. Nam non in dextra eſt, ſed ad dextram; & quidem ita ad dextram, ut ſit in cælis: quod antea oſtenſum.

Argum. 4 refellitur ex eo, Hypotheſin ineptam præſupponit, quaſi nos ita ſtatuamus Chriſtum in cælis, ut ſit affixus certo cuidam loco. 2. Hanc hypotheſin præſupponit, quod putet, humanam Chriſti naturam à nobis invocari: namque is invocatur, qui novit intima cordis; neque enim oretenus invocamus Deum, ſed & corde.

Obj. 1 Urſini illa certa eſt in hac materia. Nam Chriſtus dicitur aſcendiſſe proprie, quemadmodum venturus dicitur proprie ad judicium.

2 ex *Act.* 3, non ſolvitur: Nam ſenſus alius loci eſſe nequit, quam hic duplex, vel ut Chriſtus cælos capiat; quod abſurdum: vel ut cæli Chriſtum capiant, quæ noſtra ſententia eſt.

VI. De Seſſione ad dextram.

QUÆST. *An ſeſſio ad dextram ſit poſitio aut ſitus localis?*

Monſtroſe quæritur &c. Neque enim quiſquam noſtrum hoc ſomniavit; ſed de hoc quæſtio eſt, quam ille non tangit: *An ille qui ſedet ad dextram Dei, poſſit eſſe in loco?* Nos affirmamus hoc eo, quod Spiritus Sanctus docet, Chriſtum ſedere ad dextram Dei, & tamen in cælis. Vid. *Eph.* 1. 20. *& paſſim.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

CAP. VIII.
De Spiritu Sancto.

QUÆSTIO.

AN Spiritus Sanctus maneat in iis, qui poſt acceptum renaſcentiæ donum vivunt in peccatis contra conſcientiam?

Diſtinctione res tota ſolvitur; Qui ita vivunt in peccatis contra conſcientiam, ut peccent pleno appetitu & voluntate, & non voluntate reluctante ſemifracta. Diſtinctio habetur *Rom.* 7. Qui ita in peccatis vivunt, ut lucta ipſorum, quam cum peccato hoc habent perpetuam, non proficiſcatur ex deſiderio vitæ melioris, ſed ex metu pœnæ. Diſtinctio fundamentum habet *Rom.* 7. 24, 25.

Argum. 1. Spiritus Sanctus habitat in Sanctis; ſed in quibus ſanctitas iſta *inchoata* eſt, in hac vita, non *conſummata*.

Argum. 2. Crimen falſi committit. Nam aliud eſt, *dare operam peccato*, & *ſtudio peccare*; aliud, *ſimpliciter peccare*. Non omnes qui contra conſcientiam peccant, ſtudio & dedita opera peccant; ut videre eſt in Petro abnegante Chriſtum.

Argum. 3. Major hypotheſin præſupponit: Illud quod certo nobis Deus daturus eſt, non eſt precibus à Deo poſtulandum. Quod infinita exempla in Sacris Literis refellunt. Certo Chriſtus erat homo futurus, quod non poterat non impleri; tamen videmus quam ardenter petat Eſaïas, ut quam-primum exhibeatur. Refellit etiam Apocalypſis: Certe venturus eſt Chriſtus ad judicium, tamen precatur, *Veni, Domine Ieſu*.

Ad Obj. 1 reſpondet, quando Deus aufert dona ſua, tum non donorum incertitudo, ſed hominum inconſtantia arguitur. *Reſp.* Imo tum demum dicitur pœnitere, quando aufert dona ſua, 1 *Sam.* 15. 19. *Obj.* Si aufert, Ergo dona quædam auferri poſſunt. *Reſp.* Eſſe hic modum loquendi, qui vocari ſolet à Rhetoribus ἓν διὰ δυοῖν, de quo conſuli poſſunt: qualis tropus in iis Virg. verbis: *pateris libabat & auro*, id eſt, pateris aureis. Ita & hoc loco, *dona & vocatio*, id eſt, *dona vocationis*; alioquin certe quædam Deus dona aufert, ſed hoc genus donorum nunquam aufert, ut liquet Rom. 8, *Quos vocavit*, &c.

Obj. 2 non ſolvit. Nam non ſtatim peccatum contra conſcientiam, eſt peccatum regnans. In quibus enim eſt peccatum regnans, illi ſe ſiſtunt ſervos injuſtitiæ, *Rom.* 6. Quid ſit autem ſervum peccati eſſe, docet Chriſtus, *Ioan.* 8. 34.

CAP. IX.
De libertate in agendo.

QUÆSTIO.

AN omnia fiant neceſſitate abſoluta?

Sciendum 1, omnia eſſe neceſſaria, quæ eveniunt in *ſenſu compoſito*; eadem contingentia, in *ſenſu diviſo*. Ut hoc intelligatur, ſciendum eſt, res creatas, conſideratas in reſpectu ad decretum Dei, & ad providentiam ipſius actualem, dici in ſenſu compoſito. Abſolute autem conſideratas ſecundum habilitatem ſuam, ſecundum quam poterant à Deo ita vel ita determinari, dici in ſenſu diviſo; Exempli gratia, oſſa Chriſti, ſi reſpicias decretum Dei, ſeu providentiam actualem, omnia efficaciſſime gubernantem, frangi non poterant: At in ſe, ſi ipſa conſideres, habilia erant ad hoc, ut frangerentur.

Argum. 1. Negatur 1, Quod abſoluta neceſſitate eveniant omnia, nunquam hoc docemus, ſed docemus, evenire ex neceſſitate Decreti Dei & providentiæ ejus, quæ neceſſitas eſt ex hypotheſi. 2. Falſum eſt, quod illa, quæ eveniunt neceſſario, pœnis & præmiis digna non ſint. Angeli certe boni neceſſario ſunt & bene agunt. Ut Chriſtum Servatorem omittam, qui in terris dum viveret, neceſſario bene egit, & tamen præmio dignus. Præterea homines animales neceſſario peccant; caro enim non ſubjicitur Legi, imo nec poteſt quidem, *Rom.* 8. & tamen pœnis digniſſimi ſunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Argum. 2 parvi ponderis eſt. Namque refelli poteſt multis enſtaſibus ex Sacris Literis. Certe (ut unam feramus) neceſſario conſervati ſunt iſti omnes, qui cum Paulo navigabant, *Act.* 27. *v.* 24; & tamen Paulus hortatur paulo poſt, ut contineant nautas in navi, qui fugere volebant. Neceſſario Loth ſervatus eſt, quia clementer Jehova amplectebatur eum; & tamen monent eum Angeli, ut diſcederet.

Argum. 3, ineptum. Nam non dicimus, omnia agere ex vi ordinationis Divinæ, ſed bona tantum; decretum enim duplex eſt: Permiſſionis, & effectionis.

Obj. 1 non ſolvit. Ratio, quia ita dependent omnia à providentia Dei, ut ipſo nolente nihil fiat, ſed omnia eveniant, ut vult. *Thren.* 3. *verſ.* 27.

Obj. 2 non ſolvit, neque Argumentum Polani.

Obj. 3, nam Deus omnia operatur ſecundum conſilium voluntatis ſuæ, quæ bona ſunt. Cum enim τὸ velle bonum, & conſtanter ei adhærere, quæ in homine fideli ſunt, ſunt bona; Ergo & illa Deus efficit ſecundum conſilium Voluntatis ſuæ, ac proinde poteſt neceſſitas conſiſtere cum libertate.

CAP. X.

De Peccato.

QUÆSTIO I.

AN *ſit in infantibus peccatum, quod dicitur Originale?*

Affirmamus; ac proinde fruſtra ſe macerat in probando hoc; & calumnioſe vocat Keckermannum in ſuſpicionem, ac ſi hoc idem negaret.

Argum. 2, ineptiſſimum. Certe enim prævaricatio Adami actualis omnibus eſt communis per imputationem; hinc etiam diſtinguitur bene à Theologis peccatum in *imputatum*, & *inhærens*.

Argum. 5 Major inepta, ſi univerſaliter accipiatur. Nam Chriſtus baptizatus eſt, & tamen reus peccati non erat.

Quæ affert ex Cinglio argumenta, illa, ſi ita habentur, de quo valde dubitamus, non magis nos tangunt, quam Adverſarium tangit Flacci Illyrici error, qui ſtatuit, peccatum eſſe ipſam ſubſtantiam.

QUÆST. II. *An Deus ſit cauſa peccati?*

Inepte ab ipſo hæc quæſtio proponitur. Nam nemo eſt, exceptis forte Libertinis, qui hoc ſtatuat. Objici poſſet, Quædam poſſe deduci ex noſtris Theologis, quæ hoc oſtendant, utut Theologi hoc negare videantur; ita ut hic videatur occinendum; Proteſtatio contraria facto. Reſp. Imo tale nihil à noſtris Theologis docetur.

Argumenta, quæ adfert, iſtis diſtinctionibus certis ſolvi poſſunt.

1. Diſtinguendo decretum *Permiſſionis*, & *effectionis*.

2. Ex iſto axiomate Scripturæ, quod Deus peccata peccatis puniat; interim illius quod peccatum eſt, *qua peccatum*, Deum auctorem non eſſe, ſed *quatenus juſtiſſima pœna* eſt. Quod axioma probari poteſt *Rom.* 1.

3. Ex hoc axiomate, quod Deus aliquid facere poteſt diverſo fine, quam quo facit cauſa ſecunda, quam ad hoc ipſum adhibet: videri hic poteſt *Eſaï.* 10.

4. Quod Deo quædam liceant, quæ hominibus non licent; verbi gratia, licuit Deo ſine ullo peccato facere hoc, ut Joſeph venderetur; At non licuit hoc fratribus Joſephi.

QUÆST. III. *An Deus voluerit, approbaverit aut effecerit lapſum Adami?*

Hæc quæſtio calumnioſe nobis impingitur. Nam non dicimus, Deum approbando voluiſſe Adæ peccatum; ſed dicimus, *voluiſſe permittere*.

Argum. 1, nullum. Nam aliud eſt, non *delectari peccato*; aliud, *non velle permittere* peccatum.

Argum. 2, nullum. Nam ſi Major ita intelligatur: Quod Deus prohibet, id non vult permittere; tum iſta Major falſa, vel ex Lutheranorum ſententia; qui concedunt, Deum permittere peccata, quæ prohibet.

Ar-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Argum. 3 nihil ad nos, & continet meram calumniam.

Argum. 4 ſolvitur negando, quod Voluntas Dei fuerit, ut primi parentes propagarent imaginem Dei in poſteros. Si enim hoc Deus voluiſſet, utique & hoc eveniſſet; Nam ex eventu judicandum eſt de Voluntate Dei, *Thr.* 3. *verſ.* 37.

Argum. 5, cæcum eſt; neque enim dicitur quæ tentatio iſta Abrahami fuerit. 2. præſupponit hypotheſin falſam, quod ſcilicet gratia hominis regeniti non ſit major ratione perſeverantiæ, quam Adæ fuit. Nam Adam labi potuit, non poſſunt fideles à gratia excidere.

Argum. 6 falſa Minor, quod homo relictus ſibi (relictus autem eſt, dum permiſſus eſt labi) potuit facillime peccatum devitare; nam certe contrarium ſequetur, nullo modo evitare potuiſſe, quanquam Adam ſponte lapſus eſſet.

Obj. 1. Diſtinguit decretum conditionatum; ſed ineptit: & decretum Dei, aut Voluntas ejus, non minus inepte diſtinguitur in *conditionatum*, & *abſolutum*, quam ſi Deum diſtingueret in abſolutum & conditionatum.

Obj. 2 non ſolvit, quia idem dicit quod nos, Voluit permiſſive.

Obj. 3 non ſolvit. Nam de conditione quæritur, An Deus iſtam conditionem voluerit, nec ne? Si dicat, Noluit; Ergo non evenit. Si dicat, Voluit, Ergo evenit; nam inter velle, & nolle, nullum medium apud eum, qui nihil coacte agit, qualis eſt Deus.

Obj. 4 non ſolvit. Nam labilem dicit accipi de libertate arbitrii; Inepte plane. Nam labilitas non eſt libertas, ſed in libertate labilitas erat, & labilitas iſta non differebat à propenſione.

Obj. 5 non ſolvit; quia, ſi Deus voluit juſtitiam punientem & miſericordiam declarare, Ergo voluit ipſum permittere labi. Atqui voluit, *Rom.* 9. Quæ reſpondet, nihil ſunt, tertio excepto, quod dicat, Deus eſt perfecte beatus, ac proinde opus non habuit lapſu hominis ad juſtitiam ſuam declarandam. Reſp. Ineptit. Nam quæ Deus facit ad extra, propter ſe non facit, quaſi ſcil. iſtis egeat, ſed facit propter electos, ut electis opera ſua & natura innoteſcant.

Obj. 6 non ſolvit. Nam Deus certe dedit Legem hominibus, ut explorarentur. Atque adeo dedit Legem hoc fine, ut ad illam impingerent parentes, etſi hoc ipſis non revelaverat.

QUÆST. IV. *An renati peccatis contra conſcientiam excutiant gratiam Dei, fidem & Spiritum Sanctum?*

Primo quæri debebat, An regeniti peccant contra conſcientiam? Sed hoc nimis certum; & liquet in Davide, Petro; imo quilibet fidelis experitur.

Argum. I dicit nos ſic ſolvere velle, quod ibi conditionalis ſit; conditionem autem nihil ponere. Ergo vana erit ludificatio, ſi ſub conditione impoſſibili hæc comminatio facta. Reſp. Vanum hoc. Nam conditio oſtendit nexum inter rem & rei eventum; non autem dicit, eventum certo futurum. Vide de hac re, 1 *Sam.* 23. 12, 13.

2 Reſponſio nihili eſt. Non enim ſequitur, Ut unum oppoſitorum ſe habet, ita & alterum. Liquet hoc in bonis & malis operibus, quorum mala merentur pœnam, bona non, &c.

3 Reſp. Non poſſe proferri exemplum comminationis, cui annexa conditio prorſus impoſſibilis. Falſum eſt. vide *Hebr.* 6. *v.* 6. *cum* 9 *coll.*

4 Reſp. nullius momenti; Nam poteſt eſſe cauſa poſſibilitatis in aliquo, & tamen eventus non dari ob externum impedimentum. Exempli gratia, electi poſſunt natura ſua excidere gratia Dei, nec tamen excidunt, quia cuſtodiuntur virtute Dei ad ſalutem, 1 *Petr.* 1.

5 Reſp. nulla; neque enim eventus impoſſibilitatis dari poteſt.

Excep. 2. Nos reſponſum Theologorum noſtrorum non probamus. Sed dicimus, agi de juſtitia inhærente, & Deum animadvertere ſæpe in fideles, qui remittunt de hac juſtitia; tum morte temporaria, ut factum in pientiſſimo Rege Joſia; tum etiam calamitatibus, quibus exercere ſolet ſuos. Nam, quod per mortem non neceſſario intelligenda mors temporaria, multo minus æterna, ſed calamitates, id intelligitur ex Judæorum querela, ad quam Deus ibi reſpondet.

Ar-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Argum. II diſtinguitur. Nam qui ſunt ita illuminati, ut non convincantur tantum de veritate Evangelii, ſed & illa ipſis perſuadeatur, ſunt regeniti. At hi tales non ſunt, de quibus *Hebr.6.* 2. Qui ſunt per ſanguinem Chriſti ſanctificati κατ' ἀλήθειαν, non vero κτ δόξαν. 3. Qui participes ſunt facti Spiritus Sancti, quoad dona adoptionis filiorum, ſcilic. quoad vocationem internam, fidem juſtificantem, illi ſunt regeniti, non vero qui participes ſunt facti quoad dona communia fidelium & infidelium, ſcilicet quoad prophetiam ordinariam, extraordinariam,&c. 4. Qui habent guſtum donorum cæleſtium, eum qui ſolidus eſt, perdurans, non autem evaneſcens, illi ſunt regeniti.

Argum. III non plus concludit, quam ſi quis concludat, *Qui non manſerit in omnibus* &c. *Deut.* 27. non tamen certe Adverſarius, qui propugnat diſtinctionem peccati mortalis & venialis, admittet, eum, qui venialiter peccat, amittere fidem.

Argum. IV. Si non poſſunt excidere, Ergo vanæ adhortationes. Reſp. Hortatur Angelus Lothum, ut diſcedat Sodoma; tamen impoſſibile, ipſum involvi exitio Sodomitarum. Hortatur Eſaïas Hiskiam ut ulceri accommodet ficum, & tamen impoſſibile eum mori.

Argum. V, ab Exemplis, nihili eſt. Et 1, Adami. Nam diſpar ratio Adami & fidelium. Adam enim gratiam mutabilem accepit; fideles, immutabilem; Adam accepit poſſe ut vellet; fideles, non tantum poſſe, ſed & velle, *Phil.* 2. 2. ab Aarone. 3. Davide. 4. Salomone. 5. Petro, non magis concluſerint, quam illud, *Qui non manſerit in omnibus*, &c.

6, De ſervo livido, Argum. nihili. Nam parabolæ non probant, niſi ſcopo.

7. De Judæis. Sciendum, Judæos eſſe exciſos, non quod individua fidelia exciſa ſunt, ſed quod gens (in qua ut Eccleſia præcipua fuit, ita fideles) ita rejecta, ut Deus non habeat jam Eccleſiam in hac gente.

8. Diſtinguitur inter excidere à *gradu caritatis* & ſimpliciter *excidere à caritate*. Diſtinctio hæc clarum fundamentum habet *Matt.* 24. 12.

9 Argum. nihili; neque enim omnes infantes baptizati regenerantur, non magis, quam Judæi circumciſi, quos non omnes regeneratos docet Spiritus Sanctus, *Rom.* 2. 28, 29.

Obj. 1. Inquit, Certitudo ſalutis noſtræ pendet à certitudine promiſſionis Divinæ. Reſp. Ita eſt, atque ita nihil reſpondet. Nam promiſſiones Divinæ non tantum ſunt de fine, ſed etiam de mediis, ut liquet paſſim in Sacris Literis. Videatur *Ierem.* 32. *v.* 39, 40. *Ezech.* 36. 25, 26, 27. Contra Inſtantiam aliquid, ſed nihili; ut ex reſponſo priori patet.

Obj. 2 non reſpondet. Nam tale eſt Argumentum: Quicquid Chriſtus à Patre petit, in eo exauditur. Atqui pro credentibus &c. Reſpondet, cum conditione petere, ſi velint. Atqui τὸ *velle* pendet à Deo: & niſi Deus velle det, homo illud certe habere non poteſt. Præſupponit autem hypotheſin in ſua reſponſione, quod irregenitus poſſit velle credere.

Obj. 3. Dicit non haberi excluſivam. Sed certa eſt. Nam excluditur per particulam *ſemel*; quamvis non difficulter concedo, per fidem intelligendum, non illam, *qua credimus*; ſed *quam credimus*.

Obj. 4 non ſolvit: Nam, ſi Deus eam curam habet fidelium in calamitatibus & adverſis rebus, ut ipſis manum ſuperponat, multo magis hoc facit in peccatis; quandoquidem omnia ipſis ſunt adjumento ad bonum, *Rom.* 8. 28.

Obj. 5 non ſolvit. Nam præſupponit, Davidem, cum peccaſſet, amiſiſſe Spiritum Sanctum & fidem. Concedimus tamen ipſi hoc, quod fideles amittant Spiritum Sanctum ſæpe, non quoad *gratiam ipſam*, ſed quoad *ſenſum gratiæ*.

Obj. 7 non ſolvit. Quia fideles, ut omnes tempeſtates ſufferunt, ita omnes tentationes.

Obj. 8 non ſolvit. Quia dicit, Si in fundamento iſto hæreant: Atqui ſic fieri poteſt, ut deſinant inniti iſti rupi, tum fieri poteſt, ut portæ Inferorum contra ipſos prævaleant.

Obj. 9 non ſolvitur. Ratio eſt, quia, ſi fieri poteſt, ut oves deſinant eſſe oves, tum ſequetur, fieri poſſe, ut electi deſinant eſſe electi: quod Scriptura negat, *Rom.* 8.

Obj. 10 non ſolvitur. Quos enim Deus vocavit, eos juſtificavit, glorificavit. *Rom.* 8.

Obj. 11 non ſolvitur. Quia, Si fideles poſſunt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ſunt excidere fide, tum certe fundamentum Dei non ſtat firmum. Nam fundamentum hoc eſt cum ſcientia Dei certiſſima conjunctum; ut liquet loco dicto, *Novit Dominus qui ſunt ſui*, &c. Poſſet enim ſcire ſuos eſſe, qui paulo poſt non eſſent futuri.

Obj. 12 non ſolvitur. Dicit, agi ibi de varia profeſſione. Sed ineptit. Conferatur locus iſte cum *Joan*. 16. 37. & *Joan*. 17. 13.

Obj. 13 non ſolvitur. Nam in quo ſemen Dei eſt, in illo manet. Vid. *Matth*. 13.

QUÆST. V. *An in renatos cadat peccatum regnans?*

Negat hanc quæſtionem Spiritus Sanctus, *Rom*. 6. 14. uſque ad finem.

QUÆST. VI. *An tolerari poſſit diſtinctio peccati in mortale & veniale?*

Inepta eſt hæc diſtinctio. Nam omne peccatum meretur mortem æternam: &, ſi contingat remitti, qualia ſunt, peccata omnium regenitorum, illud fit non ex *natura peccati*; ſed *ex gratia* Dei, qua nos in Chriſto complectitur.

APPENDIX

De traduce Animæ.

QUÆST. *Num ex traduce, an vero per novam quandam creationem anima corpori infundatur?*

Hujus quæſtionis primam partem affirmat.

Argum. 1 ipſius, cum ſuis Inſtantiis, ſolvitur diſtinguendo inter *totum* generare *hominem*, & *totum hominis*. Homo *totum generat hominem*, ſed *non totum hominis*; verbi gratia, perinde hoc habet cum iſto, ac faber menſarius totam menſam facit, ſed non totum menſæ; non enim ligna facit.

Argum. 2 hypotheſin falſam ſupponit: Peccatum originis propagari per animam; nam peccato inhærente, tanquam morte ſpirituali, plectit Deus poſteros, ſimul ac incipiunt eſſe filii Adæ, propter imputatum. Vide hac de re Scharpium.

Argum. 4, nullum. Putat enim, animas tantum notare animas, cum præterea notent corpora. Vide *Lev*. 5. & *Act*. 2. 27.

Argum. 5. Chriſtus totam quidem naturam aſſumpſit ex Matre, quia natus eſt, ſed non totum humanæ naturæ.

Argum. 6 præſupponitur hypotheſis falſa, quod Deus non poſſit peccatum alterius, alteri imputare, & propter ipſum morte ſpirituali plectere. Nam certe omnibus poſteris Adæ peccatum imputavit, & plectit ipſos morte ſpirituali, id eſt, peccato originis inhærente.

Argum. 7 tollitur diſtinctione inter *totum* generare *hominem*, & *totum hominis*.

Ad Obj. 1. Multiplicationem vel propagationem immediatam. *Reſp*. Nullo modo; quia propagatio à ſubſtantia fit ejus quod propagatur. Deciditur ergo aliquid ex ſubſtantia. At hoc non poteſt dici de Spiritu ullo, quod de illo decidi aliquid poſſit tanquam ſemen.

Obj. 2 non ſolvit: Nam ſimilia, non probant; ſed illuſtrant: & quæ illuſtrare vult, debet prius probare.

Obj. 4 non ſolvit. Ratio, quia manifeſta eſt oppoſitio inter patres carnis & Spiritus; & hoc ad homines applicat, *verſ*. 7. Ergo hoc non ad Angelos referendum eſt.

Obj. 5 Elevare vult hac ratione, quia agitur ad primum ortum. *Reſp*. Dato quod ita ſit, tamen Argumentum valet, 1. quia ut in prima creatione animam hominis non ex materia fecit ulla, ita etiam in generatione fit; eadem enim anima in generatione nobis obtingit ſpecie, quæ Adamo. 2. Deus non ſemel extendit & poſtea deſiit; non ſemel fundavit terram, & poſtea fundare deſiit: ſed perpetuo hoc facit; conſervatio enim rerum à Deo, eſt continuatio creationis; ut docte oſtendit Scaliger.

CAP. XI.
De Lege.

QUÆSTIO I.

AN *in prima Legis tabula quatuor numerari debeant præcepta, in ſecunda*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ſex: an vero in prima tria, in ſecunda ſeptem?

Argum. 1, falſum antecedens; ſi enim non eſſet diſtinctum præceptum, quare opus eſſet à Deo diſtincte proponi? Aſſumti probatio falſa. Nam aliud abſolute Deum colere; aliud, per idola.

Argum. 2, nullum; neque enim exemplis, ſed regulis judicandum.

Argum. 3 ex Calvino, nullum; nam non eo fine dixit, ut idola toleraret, quæ ille plane averſatur.

Obj. I non ſolvit, quia aliud eſt ſummam tabulæ ſecundæ dicere; aliud eſt, præcepta, ex quibus illa colligitur. Ad iſta quæ regerit ad 1 probationem Minoris, De concupiſcentia uxoris; ſciendum, 1. Aliud eſſe, concupiſcere; aliud, facto ipſo implere quod concupiſcis. 2. Aliud, concupiſcere, ut abutaris uxore alterius, & tamen eam pro uxore habere nolis; aliud, ita concupiſcere, ut velis eam uxorem habere; quemadmodum Herodes, *Marc.* 6.

Ad 2 probationem Minor. non reſpondet. Nam aliud eſt, in uno verſu poni, ubi doctrina ipſa proponitur abſolute; aliud, cum accommodatur ad uſum.

Ad 3. Eadem reſponſio, quæ ad proxime allata fuit.

Ad Obj. II reſpondet petendo principium.

Ad Obj. III reſpondere vult de ſanctificando Sabbato, &c. Reſp. eſſe plane diverſam rationem; quandoquidem utut diverſis iſta verſibus ponantur, tamen ita, ut ſenſum ſingulis verſibus totum non compleant; id fit in primo & ſecundo præcepto.

Obj. IV non ſolvit. Nam nos ita utimur auctoritate humana, ut oſtendamus, non noſtram eſſe diſtributionem Decalogi, quam ſequimur.

QUÆST. II. *An ſacrilegii reus ſit Lutherus; in minori Catecheſi, verba de imaginibus omittens?*

Argum. 1, petit principium.

Argum. 2 itidem; ideo reſponſione indigna.

QUÆST. III. *An Eccleſia ad recitationem Decalogi,* Exod. 20 *deſcriptam, præciſe ſit alligata, ita ut nefas ſit, ab ea quoquo modo diſcedere?*

Reſp. Certe non minus, quam ad recitationem Orationis Dominicæ, aut ad formulam Baptiſmi ac Cœnæ Domini.

Argum. 1, nullum. Namque aliud eſt, doctrinam ipſam, prout abſolute propoſita eſt, ſpectare; aliter, prout illa ad uſum applicatur. Hæc reſponſio etiam facit ad tertium Argumentum.

2 antea refutatum. Nam aliud eſt, ſummam rei tradere, quam ipſe Deus tradit; aliud, præcepta iſta in ſingulari proponere: & qui ſummam rei tradit, confuſe proponit; qui rem ipſam particulatim proponit, diſtincte proponit.

QUÆST. IV. *An in præcepto de imaginibus, præter adorationem, ipſa etiam factura prohibita ſit?*

Reſp. Affirmando, quia ſi non factura, ſed adoratio prohibetur, tum fruſtra additum eſſet, *non facies*; ſuffecerit enim dixiſſe, *non coles* imagines.

Argum. 1, & 2, ſtolidum. Neque enim prohibemus imagines politicas, quæ extra loca ſacra ponantur, ſed imagines ſacras in loco ſacro.

Argum. 3, nullum; quia 1, licet Deo facere, quod nobis non licet: prohibuit, ne faceremus; & tamen voluit, ut fieret. 2. Iſtæ imagines fuerunt typicæ, ut, boves, & alia. 3. Non patebant ad oculos hominum; erant enim in Sancto Sanctorum repoſitæ. Hinc Argum. 4 ſolvitur.

Obj. 1 non ſolvit; quia altare exſtructum non fuit ſacrificii, ſed in ſignum teſtimonii. Neque enim ullibi reperies, Non facies altare, neque ſacrificabis, ut de imaginibus dicitur. 2 Reſponſio petit principium: ſic & 3. & 4.

Obj. 2 non ſolvit: Quod Deus, utpote Spiritus infinitus, pingi non poteſt. Nec valet, quod de Angelis loquitur; nam non valet exemplum, quod litem lite ſolvit.

Obj. 3 non ſolvit: Nam 1, illud, quod prohibi-

hibiturus eſt, ſi mali eſt cauſa, per ſe eſt cauſa; & certe Ezechias ſerpentem æneum, qui juſſu Dei factus erat, combuſſit, & in torrentem projecit.

Obj. 4 non ſolvit: Quia idolum, imago, ſculptile, unum & idem ſunt.

Obj. 5 non ſolvit: Quia diverſa ratio templorum & imaginum; neque enim jubet Deus templa everti, etſi imagines nolit tolerari. Quod de cibis, quæ dæmoniis &c. dicit, quia iſti cibi, dum à Chriſtianis uſurpantur cum gratiarum actione, vindicantur ab injuſto poſſeſſore, & tribuuntur vero auctori Deo, quemadmodum Paulus docet ibidem, uſurpans iſta verba, *Domini eſt terra & plenitudo ejus.*

Obj. 6 non ſolvit: Quia Chriſtus pingitur, non humana natura ipſius tantum, ſed ut totus, quantus quantus eſt, pingatur.

Obj. 7. Diſtinguit inter idola & imagines, ſed hæc diſtinctio protrita à Theologis noſtris. Vide *Catech. Vrſini.*

CAP. XII.
De Evangelio.

QUÆSTIO I.

AN *promiſſiones Evangelii ſint mere particulares?*

Argum. 1 ipſius Major falſa, ut liquet *Pſal.* 147. 19, 20. Illa non pertinebant ad hos; & tamen non tantum propter contemptum horum, ſed quod minus videtur, propter ignorantiam condemnati ſunt, ut patet *Rom.* 2. qui ſine Lege peccarunt. Minor quoque excluſiva falſa; nam non tantum propter neglectum promiſſionum, ſed & propter ignorantiam, increduli & impii damnantur.

Argum. 2, nullum. Nec enim ex eo, ſi promiſſio univerſalis Evangelica ſtatuatur, ulla firma conſcientiæ conſolatio. Quæ enim, quæſo, hæc erit conſolatio? Deus promittit omnibus & ſingulis vitam æternam. Ergo omnes & ſinguli ſalvantur. Hæc abſurda eſt concluſio, neque ex illa ulla conſolatio ad quenquam redundat. Dices, ad credentes pertinere. Reſp. retorquendo, Ergo ſunt particulares. Præterea, cum promiſſio de fide, ſit promiſſio Evangelica, & promiſſio ad fidem non eſt univerſalis, Ergo promiſſio quædam Evangelica non eſt univerſalis.

Argum. 3, nihili. Nam abundat gratia Dei ſuper peccatum non *latitudine objecti*; quod ſcil. ad plures ſe extendat gratia, quam peccatum: ſed *magnitudine beneficii*; quod ſcil. plus nobis ſit collatum per Chriſtum, quam amiſſum fuit per Adamum.

Obj. Non bona fide proponit; ita enim textus habet: *Iuſtificabit juſtus ſervus meus multos* &c. 2. Diſtinguit juſtificationem à redemtione: inepte. Nam, qui ſunt juſtificati, illi ſunt redemti; &, qui redemti, ſunt juſtificati: *Rom.* 8. *v.* 14. neque enim Chriſtus pretium pro aliquo expoſuit, cui illud in tempore non applicat.

QUÆST. II. *An Evangelium oſtendat peccatum?*

Diſtinguitur inter doctrinam, quæ aliquid habet ſuppeditatum ab alio; & inter doctrinam, quæ ex profeſſo aliquid proponit. Evangelium ex profeſſo non docet de peccato, ſed doctrinam iſtam accipit à Lege, & acceptam transfert ad uſum, oſtendendo hominibus, quod peccatores ſint; neque enim ex Lege juſtificari poſſunt, ſed per fidem, per quam à peccatis abſolvi poſſint. Ergo doctrina de peccato in Evangelio eſt mutuata à Lege.

CAP. XIII.
De differentia Sacramentorum Veteris & Novi Teſtamenti.

QUÆSTIO.

AN *utriuſque Teſtamenti eadem ſint Sacramenta?*

Reſp. Sacramenta utriuſque Teſtamenti ſunt eadem, quoad *rem ſignificatam*; ut liquet tum ex aliis; tum ex 1 *Cor.* 10. 4. Differunt autem,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

1. *numero*; ibi enim erant præter ordinaria, etiam extraordinaria. 2. In Novo Teſtamento *clarius* declarata ſunt Verbo, ibi *obſcurius*. 3. In Veteri Teſtamento *moleſta*, in Novo Teſtamento non item.

Argum. I nihili. Nam Vetus Teſtamentum habebat umbram quoad *ſacrificia*, non quoad *ſacramenta*; ſeu, ſacrificia erant umbræ, non ſacramenta.

Argum. II ipſius; Dicit quod Vetus Teſtamentum non fuit in ſanguine Chriſti, ſed in ſanguine *Agni*. Reſp. retorquendo, imo, quia in ſanguine *Agni*, etiam in ſanguine *Chriſti*; neque enim ſanguis Agni niſi typice poterat eſſe ſanguis Teſtamenti; alius igitur ibi requirebatur ſanguis.

Argum. III. Ad Min. dicit, calicem Veteris Teſtamenti non effundi in remiſſionem peccatorum, &c. Inepte tamen præſupponit, calicem præceptum eſſe in Vet. Teſtamento in uſu Agni. 2. Non minus dicitur de eo ſacramento, quod repræſentabat ſanguinem Chriſti in Veteri Teſtamento, ac dicitur de eo qui repræſentat in Novo. Nam de illo dicitur, 1 *Cor.* 10, quod *Petra fuerit Chriſtus*. Hic dicitur, quod *calix ſit ſanguis*.

Argum. IV Minor falſa eſt; &, ſi vera eſſet, oportuiſſet, ut ex *Ioan.* 6 liquet, omnes iſtos, qui ſub Veteri Teſtamento mortui erant, eſſe condemnatos.

Argum. V præſupponit falſam hypotheſin: Quod omnes, qui baptizantur in Novo Teſtamento, ſalventur & remittantur eis peccata. Ecce in contrarium Simon Magus, *Act.* 8.

Argum. VI. 1. Præſupponit, Sacramenta Veteris Teſtamenti, fuiſſe umbras ſeu figuras Novi Teſtamenti Sacramentorum: quod ineptum. 2. Non video rationem, quare Agnus Paſchalis & manna illuſtrius repræſentant rem ſignificatam, ſi analogiam ſpectes, quæ eſt inter ſignum & rem ſignatam, quam panis.

Argum. VII. Repetit illud de calice; quod ineptum. 2. Tam non eſt abſurdum, unam eandemque rem Apoſtolos percepiſſe in Agno Paſchali & Cœna Domini, quam non eſt abſurdum, Apoſtolos eandem rem percepiſſe in Circumciſione & Baptiſmo.

Objectionem non ſolvit. 1. Nam eandem nobiſcum eſcam comederunt; ut liquet, quia Chriſtum comederunt. Exceptio 3, nihili eſt, 1. quia ipſi docent, Chriſti Corpus ab iis percipi, qui deſtituuntur fide.

Inſt. non amolitur, quia in Epiſt. ad *Corinth.* ne γρῦ quidem de iſta collectione à minore ad majus, ſed abſolute iſta dicuntur.

CAP. XIV.
De fide ſalvifica.

QUÆSTIO I.

AN *infantes baptizati habeant fidem?*

Ubi primo videtur præſupponere de omnibus infantibus hoc dici, cum hoc quæri debeat de illis infantibus, qui ſunt Filii promiſſionis. 2. Fidem talibus attribuimus *habitualem*; non vero *actualem*, quæ ex auditu eſt.

Argum. 1 Major vera, quod nihil ſine fide placere poſſit, *actuali* ſcilicet, qualem ibi deſcribit, quoad adultos; non vero quoad infantes. Namque infantes placent vi fœderis, quod cum Deo habent.

Argum. 2 Major itidem de *adultis* vera, non de *infantibus*.

Argum. 3 diſting. Major. Qui Filium Dei non habet, neque vi fœderis initi cum Deo, neque quod ipſum fide non amplectatur; Prius ad infantes, utrumque ad adultos, pertinet.

Argum. 4. Dicimus, Deum juſtificare infantes, non quod actualiter in ipſum credant, ſed quod ipſis non imputat peccata, & imputat eis juſtitiam ex vi fœderis. Unde diſtinctio ad Maj. Juſtificari à Deo vi fœderis, non quod accipiant per fidem remiſſionem peccatorum.

Argum. 5, nihili eſt. Quia jubemur ſimiles eis eſſe non in *omnibus*, ſed in *quibuſdam*: duo autem notantur; *tranquillitas animi*, & *ſimplicitas*.

Argumentum, quod præcedenti ſubnectit, loquitur de puerulo, quod fidei capax eſſe poteſt, etiamſi fides in ipſo valde confuſa; proinde non vult fieri ratione fidei, ſed vult ratione virtutum, quas retulimus ſupra.

Ar-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Argum. 6. Diſtinguendi ſunt *infantes*, & *lactentes*. Nam aliqui ſunt tales, qui jam in pietatis rudimentis informari poſſunt, atque adeo fidem confuſam habere.

Argum. 7. Nemo eſt Filius Dei, niſi per fidem, vel *propriam*, vel *parentum*. Nam propter fidem parentum liberi ut ſunt in fœdere, ita filii Dei: Vide *Act.* 2. 39.

Argum. 8 ſolvitur. De puerulis ibi agitur, qui jam ſunt capaces, ut rudimentorum doctrinæ Chriſtianæ, ita fidei: quod textus oſtendit.

Argum. 9. 1. Minor falſa. Nec enim Baptiſmus omnis, infanti collatus, eſt ſalutaris, ſed infanti, qui eſt filius promiſſionis; *Rom.* 9. 8. 2. Major diſting. Nullum Sacramentum eſt ſalutare infanti ſine fide, vel propria, vel eorum ratione, quorum eſt in fœdere.

Ad Obj. 1 non reſpondet. Quia fides eſt certa perſuaſio & notitia, ut Catecheſis docet ex Verbo Dei; Ille vero ineptiſſime reſpondet, non pendere ab uſu rationis. Certe ita eſt: Non pendet, tanquam ab *argumento*, ſed tamen pendet tanquam ab *inſtrumento*: & hinc fit, ut infantibus, & inſigniter furioſis, non prædicetur Evangelium; in quibus nullus rationis uſus. Reſp. 2, inepta eſt, 1. Quia putat, Joannem Baptiſtam habuiſſe fidem actualem; de quo ne γρῦ quidem in Scriptura. 2. Putat, puerulum iſtum, quem ſtatuit Chriſtus in medio Diſcipulorum, non fuiſſe præditum uſu rationis aliquo. Reſponſio 3, vana; petit enim principium. Reſp. 4, itidem vana: quia Deus ipſos juſtificat, regenerat; etiamſi uſus rationis nullus eſt: at fides uſum rationis prærequirit, ut *inſtrumentum*.

Obj. 2 non ſolvit. Nam certe fides actualis eſt ex auditu. Reſpondet multa, ſed ſine ullo fundamento garrit. 1. Dicit, Verbum & Sacramenta non ſunt opponenda: ſed quis hoc facit? 2. Putat, Sacramenta eſſe poſſe ſine Verbo: in quo impingit in regulam Theologorum in Verbo Dei fundatam: *Accedat Verbum ad elementum, & fiet Sacramentum.* 3. Reſponſio ipſius nulla eſt; nam Apoſtolus ibi agit abſolute de fide.

Obj. 3 non ſolvit: Nam loquitur Piſcator de infantibus qui fiunt adulti, quod non poſſint reſpondere ad articulos fidei, niſi ſint inſtituti; unde reſponſa ejus ſunt nugæ. Illud vero abſurdum eſt, quod dicit, antecedens intelligi de fide hiſtorica; nam certe Argumentum hoc intelligitur de fide ſalvifica, quæ reſpicit articulos fidei.

Obj. 4. Argumentum non ſolvit, etiamſi non videtur Argumentum ullius momenti eſſe; Nam, ut diximus, Sacramentum non eſt ſine Verbo Dei.

Obj. 5 non ſolvit, quia certe, qui habet fidem actualem, ille eſt capax præviæ probationis, & poteſt commemorare mortem Domini.

Obj. 6 non ſatisfacit. Nam fides actualis eſt fiducia & notitia.

Obj. 7 non videtur magni momenti, ſi modo ipſa vere referat: interim & iſtud inepte ſolvit. Nam certe aliud eſt *mirabile*; aliud, *miraculum*. 2. Miraculum profecto videtur eſſe, cum ad rem terrenam res ſpiritualis confertur.

QUÆST. II. *An fides ſit propria Electorum?*

Negativam tueri vult.

Argum. 1 Major vana, ut apparet in Simone Mago, *Act.* 8.

Argum. 2, vanum eſt; Nam quod excidi dicuntur Judæi, non dicitur hoc ratione fidelium, ſed ratione gentis, in qua fuerunt ſoli fideles. Vide ſupra.

Argum. 3, nullum. Credunt, qui cum gaudio recipiunt Verbum Dei, ad tempus, non fide *ſalvifica*, ſed *hiſtorica*.

Argum. 4, nihil probat: Nam parabolæ probant ex ſcopo tantum.

Argum. 5. Diſtinguitur fides ſalvifica ab hiſtorica.

Obj. 1. Ille quidem negat conſequentiam: at conſequentia certiſſima; quia fides eſt medium electionis exequendæ: non ergo aliorum eſt, quam qui electi ſunt.

Obj. 2 non ſolvit. Inquit, Non ſequitur: Omnes ad vitam æternam ordinati credunt, Ergo reliqui non poſſunt credere. Certe ſequitur. Nam Chriſtus apud *Ioan.* dicit; illos non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

poſſe credere, quia non ſunt ex ejus ovibus, hoc eſt, ex electis.

Obj. 4 non ſolvit; Eſt enim hic illatio eadem, qua utitur apud Joannem; *Non poteſtis credere, quia non eſtis ex ovibus meis.* Hinc etiam ex ſimili phraſi, *Non poteſtis me audire, quia non eſtis ex Deo*, hoc eſt, reprobati.

CAP. XV.

De Prædeſtinatione.

QUÆSTIO I.

AN *Reprobatio etiam poſſit dici Prædeſtinatio?*

Argum. 1. ejus, committit crimen falſi; Nam falſe citat Scripturam, quæ ita habet: *Quos prædeſtinavit conformandos imagini Filii Dei.* Reliqua, quæ adfert, nullius momenti ſunt.

Obj. 1 non ſolvit; & non vult videri intelligere ipſam; Nam Argumentum eſt tale: Si accommodari poteſt iſta vox ſceleribus, quæ homines patrant, Ergo multo magis, quas Deus infligit, pœnis. Verum prius. Ergo & poſterius. Unde reſponſio ejus nihil ad rhombum.

Obj. 2 non ſolvit: Nam prædeſtinatio eſt genus. Ergo quemadmodum animal eſt genus hominis & bruti, male tamen inferrem: Homo eſt animal rationale, Ergo homo eſt brutum; ut iſte hoc videtur inferre.

Obj. 3 non ſolvit; Nam decretum de fine ſupernaturali hominum, & de mediis ad ipſum tendentibus, prædeſtinatio eſt.

Obj. 4 non ſolvit: Non definitio eſt hæc, ſed genus. Nam certe definitio prædeſtinationis eſt, decretum de fine & mediis ſupernaturalibus hominis; quæ definitio etiam competit reprobationi.

QUÆST. II. *An velit Deus omnium hominum ſalutem?*

Ille affirmat. Nos negamus.

Argum. 1, nihili eſt. Nam non vult mortem impii, ejus ſcilicet, qui *electus eſt*; ceteroquin vult mortem impii, *qui reprobus eſt.* Hinc etiam dicitur lætari in ipſorum interitu, *Prov.* 1. 26. *Eſai.* 1. 24. Alii ſic reſpondent: Non vult mortem impii, qui *convertitur*; alioquin ejus, qui *non convertitur*, vult mortem.

Argum. 2 ſolvitur, Quod non vult Deus ullum perire, *qui ſunt ſui*, 2 Tim 2. quique Chriſto dati ſunt, *Ioan.* 6. interim alios vult certe perire. Nam quomodo verum eſſet illud alias, quod in Scriptura dicitur, aliquos poſitos eſſe ad hoc, ut impingant ad ſermonem, 1 *Pet.* 2. Item: *præſcriptos* aliquos ad damnationem; in epiſt. Judæ?

Exceptionem non tollit. Nam certe Deus non omnes & ſingulos vult venire ad pœnitentiam, 1. quia nec omnibus Verbum ſuum curat annuntiari externe; Non omnes vocat interne, 1 *Cor.* 1. 23, 24. Excep. ipſius ſecunda nihili eſt. Nam doctrina de electione manifeſte oſtendit hoc, Deum non velle, ut omnes & ſinguli ſalvi fiant. Tertia ipſius Exceptio itidem eſt invalida. Nam Paulus vult, ut oremus pro regibus ex eo, quod Deus habeat ſemper in quovis ſtatu hominum ſuos.

Argum. 3 ſolvitur, ex *Gal.* 3. ibi enim explicatur, quod ita concluſerit Deus omnes, ut credentibus daret vitam æternam. Quod addit porro, ſolvitur *Rom.* 9. Nam ibi expreſſe negatur Minor, dicendo, *Miſeretur quorum vult.*

Argum. 4, nihili eſt; & ratio eſt, quia imago quidem Dei atque beatitudo individuo nexu cohærent, ſed non *imago prima*, quæ deperdi potuit, ſed *reſtaurata.* In omnibus autem non reſtauratur iſta imago.

Argum. 5. Multos medios terminos coacervat, iccirco nobis fuerint diſtinguendi. 1. diſtinguitur per *vocationem internam* & *externam.* 2. Ex *Matth.* 11, quæ adducit: Vult venire ad ſe illos, qui *ſenſu peccatorum ſuorum afficiuntur*; non vero qui aut *onuſti peccatis ſenſu nullo afficiuntur*, aut certe, *non vero ſenſu*, ſive ſalutari, quia ſcilicet ſunt ex iſtis, qui *oderunt peccare formidine pœnæ.* Quod ex *Matth.* 23 affert, in eo præſupponit hypotheſin falſam, quod Chriſtus voluerit congregare omnes & ſingulos, cum tamen ibi loquatur tantum de liberis. 2. Quod putet eos, quos voluit congre-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

gregare, congregaſſe. Quæ ex *Luca* affert, illa parabolica ſunt, & æſtimanda fuerint ex regula iſta: quod *Parabolæ ex ſcopo probent*.

Ad Obj. 1, dicit, non loqui de ipſa creatione; ſed quæri debet ex ipſo: Anne Deus fine, quem habuit in creatione, exciderit? Si excidit, quomodo ergo beatus? Si non excidit, tum certe iſtum finem habuit; ad quem homo improbus devenit.

Obj. 2. Negat de electione iſta accipi aut reprobatione. Sed valde inepte. Nam clariſſime hoc teſtatur Spiritus Sanctus, *Rom.* 9. 11, 19, 20, 21. Illud, quod inconveniens adfert, nihili eſt. Nam Scriptura diſtinguit, non omnes qui ſunt ex Abrahamo, filii promiſſionis. Quod adfert ex *Gen.* 27, illud etiam nullius momenti eſt. Nam aliud eſt, *excutere jugum ſervitutis*; & aliud eſt, *reprobum poſſe fieri electum*: & certe hæc loca *Gen.* 27, non agunt de electione vel reprobatione. Reliqua, quæ affert, nullius ſunt momenti. Pergit,

1. Aiunt; Paulus, *Rom.* 9, de æterna prædeſtinatione diſſerit. Reſpondet, non fieri hoc παραδειγματικῶς, ſed τυπικῶς, id eſt, non ut exempla afferri, ſed ut typos. Inepte profecto. Nam, ſi ita res habet, Ergo etiam Pharao ut typus proponitur. 2. Cum dicitur Iſmaël non fuiſſe filius promiſſionis, neque Eſau, eſſet etiam hoc typice accipiendum: quod ineptiſſimum eſt.

2. Aiunt, inquit, Deus ſcribitur Eſavum odiſſe. Reſp. *odiſſe* ſignificat *certo modo poſthabere*. Negat Spiritus Sanctus hoc. Nam additur, quod, quem odit, ejus non miſeretur, ſed ipſum indurat.

Pergit Inſt. *Hebr.* 12, odium illud vocatur reprobatum. Reſp. hunc locum impertinenter adferri, ſi ab aliquibus afferatur.

Quod vero ad 2. *verſ.* 12, dicit, diſtinguendum eſſe *inter propenſionem voluntatis* &c. Ineptit. Nam miſericordia actus puriſſimus eſt in Deo. Item quod adfert ad 3. verſ. 16, *non eſt volentis*, &c. non juvat; Nam certe non agitur ibi de juſtificatione, ſed de electione, ut quilibet videre poteſt: & hoc argumento eſt, quod ibi oppoſitum ejus, de quo tractat, eſt induratio; at vero juſtificationis oppoſitum non eſt induratio. Sed hoc ad Arminianos etiam pertinet. Juſtificatio certe, ut ad Noſtrum redeamus, ſi à Deo provenit miſerente, prout certe provenit, tum etiam certe & fides à miſerente ipſo; quemadmodum teſtatur Spiritus Sanctus, *Phil.* 1. 29.

Pergit ad 4. verſ. 17, *In hoc ipſum te excitavi*, &c. Reſpondere vult, non loqui de Pharaonis ad malum deſtinatione, &c. Certe non de deſtinatione, ſed loquitur hic Spiritus Sanctus de eo, quod *peccatum erat ratione Pharaonis*, quodque *ſanctum judicium erat ratione Dei*; nempe agit hic Spiritus Sanctus de eo genere pœnarum, quod ſimul peccatum eſt. Vide exempla ſimilia, 1 *Reg.* 11. 23, 26.

Ad 5. verſ. 18, *Quem vult, indurat*: dicit voluntate conſequenti. Inepte. Nam diſtinctio iſta vaniſſima eſt, voluntatis Dei in *antecedentem*, & *conſequentem*. 1. Quia pugnat cum decreto electionis & reprobationis. Nam, ſi Deus ab æterno quoſdam elegit ad ſalutem, alios reprobavit ad condemnationem. Ergo certe illos, quos ad condemnationem ordinavit, nunquam voluit ſalvos. 2. Pugnat hæc diſtinctio cum natura Dei multis modis. 1. Statuit voluntatem quandam inefficacem; at hoc abſurdum, ut liquet Eſaï. 46: *Conſilium meum ſtabit*. 2. Ponit in Deo ignorantiam. Nam ſtatuit primo voluiſſe ipſum omnes & ſingulos ſalvare, & demum poſt animadvertiſſe, quod non omnes potuerint ſalvari; hoc eſt, dum decrevit omnibus & ſingulis ſalutem, eventum ſui iſtius decreti ignoraſſe. 3. Ut infinita omittam, ponit in Deo mutabilitatem. Namque Deus voluit primo, omnes & ſingulos ſalvos fieri; & poſtmodum, cum vidit ipſos non credituros, mutat voluntatem ſuam.

Pergit ad 6. *verſ.* 19, 20, 21. & dicit, Deus ſua opera diligit & approbat. Conceditur. Atqui vaſa iræ, quatenus per hæc peccatores intelliguntur, non ſunt opus Dei. Certe aliud eſt facere ad iram vas; aliud, facere vas iræ. Proinde Excep. ſecunda nihil ad rem. In tertia quod dicit, *vaſa præparata à Diabolo*; refellitur; Namque ibi uni eidemque figulo utrumque attribuitur hoc, facere vas ad decus, & ad dedecus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Pergit ad 7. *verſ.* 22, 23. & reponit ſuam antecedentem, & conſequentem voluntatem; ad quod adhuc aliquid addendum fuerit. Dicimus ergo, ſi Deus Voluntate antecedente deſiderabat, optabat, ſerio volebat, omnes & ſingulos ſalvos fieri, tum ſi hoc non eſt aſſecutus, neceſſario eſt miſer, & ita neceſſario proprie contriſtatur, &c. Quæ omnia impietatem pluſquam Ethnicam redolent.

Obj. 3. Rom. 11. 7, *Quod quærit Iſraël* &c. Hîc petit principium, ponendo, aliquod decretum eſſe conditionatum.

Ad *verſ.* 32 reſpondet, *quoad reatum*, imo vero etiam *quoad permiſſionem*: quia permiſit, & permiſſionem ipſius neceſſario ſequitur peccatum; cum tamen peccatum impedire potuerit.

Ad *verſ.* 33. Ille aberrat à ſcopo. Nam noſtrum hoc eſt Argumentum: Reprobationem non eſſe factam propter peccata; aut electionem, propter fidem: quia nullus locus fuiſſet exclamationi iſti Paulinæ. Ratio enim humana comprehendit hoc facile, juſtum eſſe, ut qui peccant, & in peccato perſeverant, puniantur: qui vero convertuntur, ut ii ſalventur.

QUÆST. III. *An ſit in Deo Voluntas quædam adhuc arcana & abſcondita de myſterio ſalutis noſtræ?*

Negat Eckard. Ad Argumnt. 1 reſpondemus: Conſilium Dei dupliciter accipitur in Scriptura. 1. pro decreto Dei; & hoc pacto accipitur, ut paſſim, ita *Act.* 4. Aliquando accipitur pro præcepto; & hoc modo accipitur *Act.* 20. *Luc.* 7. 30. Nam quod ille ineptus arbitratur, hoc de decreto accipi debere, refutatur, *Rom.* 11. 34.

Argum. 2, quod petit ex *Eph.* 3, nihili eſt. Nam ibi agitur tantummodo de vocatione Gentium; quod ſcilicet revelatum ſit Apoſtolis & Prophetis tempus, quo Gentes vocari debebant ad communionem Filii Dei; & quod ille eſſet inſtrumentum, per quod Deus vocaturus eſſet Gentes. Sed quid, quæſo, hoc ad rhombum?

Argum. 3. Nunquam quenquam noſtrum hoc ſtatuere, quod iſta Voluntas Dei, quæ eſt de ſalute noſtra, nobis reveletur, qui fideles ſumus; etiamſi in Sacris Literis non exſtet, *tu, Petre, Paule, ſalvaberis.* Sed duntaxat iſta univerſalis, *Qui credit, ſalvabitur.* Nam poſtquam Spiritus Sanctus in Sacris Literis oſtendit, quæ ſit vera fides, nos ipſi experimur in nobis, atteſtante nobis Spiritu Sancto, fidem eſſe veram; ac proinde hoc pacto applicans nobis iſta per Spiritum ſuum, quæ de vera fide dicuntur, revelat hoc pacto nobis voluntatem ſuam. Nempe hoc illud eſt, quod *Rom.* 3. 16, dicitur.

Argum. 4, nihili eſt. Nam quid, quæſo, hoc ad rem? Deus nobis revelavit, quod homines redempti in gratiam eſſent redituri cum Angelis (ita enim hoc accipio, ſecutus doctiſſimos viros), qui hominibus, irato Deo, facti erant inimici. Ergo nulla Dei Voluntas eſt occulta.

Obj. Inde tantum ſequitur, non omnium conſtare nobis rationes; & hoc pacto ſi formet quæſtionem, quod ſcil. ratio electionis & reprobationis nos fugiat, præter beneplacitum Dei, tum equidem non videtur abſurde quærere; item ſi eo ſenſu quærit, Anne ſit aliquid quod ad ſalutem pertineat, quod tamen non revelat Deus? Tum certe hoc veriſſimum eſt, ut liquet, *Deut.* 29. 29.

QUÆST. IV. *An Deus reprobos crearit ad æternum exitium?*

Negat. Nos affirmamus.

Argum. 1 ipſius non concludit. Nam aliud eſt, creare hominem *ad imaginem* ſuam; aliud, *ad vitam*; hoc enim *finem* notat; illud, *qualitates* naturæ.

Argum. 2 non valet. Nam certe Deus homines, quales jam naſcuntur, creat; & illi ſunt peccatores: Ergo quales jam creat, odit. Obj. Ergo Deus, auctor peccati. Reſp. Nequaquam. Nam Deus, dum creat peccatorem, quod fit quotidie, jam in generatione humana, non creat ipſum, quatenus peccator eſt; etiamſi pœna iſta, quam infligit ipſi in creatione, ratione hominis, qui generatur, peccatum eſt; Nam ſciendum eſt, in ordinaria generatione homi-

hominum Deum ita generare homines, ut illud pœnæ ipſis concreet, quod etiam peccatum eſt.

Argum. 3 aberrat à ſcopo. Nam aliud eſt, *creare ad mortem*; aliud, *mortis eſſe auctorem.* 2. Diverſimode intravit mors per Diabolum; & diverſimode eſt Deus ipſius auctor. Namque mors introivit in orbem auctore Diabolo, quia Diabolus incitavit hominem ad peccatum, quod meritum eſt mortem æternam & temporariam. At vero, poſtquam homo meritus eſt mortem, Deus, ut juſtiſſimus judex, infligit iſtam mortem.

Argum. 4 nullius momenti eſt. Nam poteſt Deus non delectari morte morientis, quod dicitur *Ezech.* 18; & tamen velle mortem peccatoris, qui non reſipiſcit: quemadmodum Magiſtratus non delectatur morte facinoroſi, etiamſi vult mortem ejus.

Ad Obj. nihil reſpondet, ſed revocat nos ad ſuperiores reſponſiones, quas quia ſuſtulimus, non eſt, ut amplius aliquid hic addamus.

QUÆST. V. *An Deus pro omnibus hominibus redimendis Filium ſuum miſerit?*

Ille affirmat. Argum. 1 ipſius petitur à mundo. Reſpondet Polanus, *mundi* vocabulo ſignificari electos. Negat hoc ille ullibi accipi pro ſolis electis. Inepte certe, ut videre licet, *Rom.* 11. *v.* 11, 12. 2 *Cor.* 5. 19. Quod ad *Ioan.* 3, attinet, Molinæus, dum dicitur, *Sic Deus dilexit mundum*, intelligit per *mundum*, terram ſive orbem habitabilem, ut ſenſus ſit hic, Sic Deus dilexit orbem iſtum habitabilem. Tertia ipſius reſponſio nullius momenti eſt: Non enim verum hoc eſt, aliquem reum conſtitui ex eo ſaltem, quia ſpernit quæ ad ipſum pertinent; ſed etiam ex eo, quod mandetur ipſi divinitus hoc, quod ad ipſum etiam non pertinet; ut oſtenſum à nobis ſupra. Quod ad quartam, reſp., illa nullius momenti eſt, quia poteſt ſumi cohortatio à dilectione Dei ad dilectionem noſtri, etiamſi univerſalis illa non ſit, quemadmodum admonitio in Oratione Dominica fit, ut quia Deus condonat peccata, nos etiam condonemus proximis noſtris, etiamſi Deus non omnibus condonat. 5 Reſponſio ex 1 *Ioan.* 2, nititur voce *totus*, ſed hoc etiam nihil eſt, quia potior pars mundi ſæpe totius nomine inſignitur. vid. *Luc.* 2. *v.* 1. *Rom.* 1. 8. Addit nonnemo rationem, quare fideles dici poſſunt *totus mundus*, quia, inquit, fideles ſoli jus ſpirituale habent in mundum & ejus bona. Nam reliqui tantum ſunt uſurpatores injuſti.

Argum. 2 ſolvitur ex ipſo textu. Nam omnium poſuit peccata in Chriſtum, quos juſtificavit, *verſ.* 11. Ad reſponſionem noſtrorum reſpondet, Omnes nos quaſi oves erravimus. *Reſp.* textus oſtendit, ſermonem eſſe de his talibus, quorum peccata Deus in Chriſtum conjecit, & quorum Chriſtus iniquitates bajulavit, & quos juſtificavit.

In Argum. 3, particula *omnis* accipienda pro *generibus ſingulorum*, non pro *ſingulis generum.* Sed reſpondet ad Exceptionem; Primo, Soli fideles non ſunt omnes. Certum eſt; ſed hæc ridicula exceptio, & perinde habet, ac ſi quis argumentari vellet, dum dicit Scriptura, quod Phariſæi decimabant omne olus, aut, quod Chriſtus ſanabat omnem morbum; Quædam cujuſque generis non ſunt omnia. Secundum nihili eſt; Nam Paulus hortatur, ut quoſvis doceamus, quia Deus in quovis genere hominum habet ſuos. Videatur textus. Quæ tertio loco addit, illa refelluntur ex ipſo textu. Ut enim fœdus Dei non eſt cum omnibus & ſingulis; ita certe nec omnis eſt ejus peculiaris populus: id quod ex fœdere ſequitur.

Argum. 4. Locus iſte, quem adfert, nihil pro ipſo, ſed contra ipſum facit; Namque loquitur de illis, qui ſunt reconciliati: Atqui, qui ſunt reconciliati, illi ſalvantur. *Rom.* 5. *verſ.* 8, 9, 10, 11.

In *Reſp.* ad Object. Perkinſi, præſupponit ſuam diſtinctionem Voluntatis, in antecedentem, & conſequentem.

QUÆST. VI. *An ſatisfactio Chriſti ſit univerſalis?*

Nos negamus: Ille affirmat.

Argum. 1 ipſius Minor falſa; neque probatur ex locis allegatis. Non ex *Rom.* 5. quia clariſſime iſti omnes, qui in Antapodoſi ſumuntur, dicuntur juſtitia Chriſti conſtitui juſti; quod ad ſolos electos pertinet. Non ex *Cor.* 15. quia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

quia in Antapodoſi agitur de vivificatione, ſive reſurrectione ad vitam æternam. Videantur ſequentia *verſ.* 23. Non ex 1 *Tim.* 2. Nam reſponſum jam antea ad illum locum. Locus 2 *Cor.* 5 plane contrarius Adverſario. conferatur hic *verſ.* 14 *&* 15, *cum ſequentib. uſque ad finem*, & potiſſimum *cum verſ.* 21, *Hebr.* 2. particula *omnis* accipitur pro *generibus ſingulorum*, non pro *ſingulis generum*; ut liquet ex eo, quod illi, pro quibus Chriſtus eſt mortuus, condemnari non poſſunt, *Rom.* 8. 1.

Argum. 2 nihili eſt. Neque probatur ex 2 *Cor.* 5, ipſius Minor, ſed potius contrarium. Nam iſti mundo, quem ſibi reconciliavit, non imputabat peccata; beatus eſt, juſtificatus eſt, ut liquet *Rom.* 4. & *Pſal.* 32. Ad locum 1 *Ioan.* 2, reſpondimus antea ſatis. Hoc tamen hic videtur notandum, quod Menzerus putat invictum eſſe, quod oppoſitio inſtituatur apud Joan. *non tantum pro noſtris* (intelligi autem vult per hos ſolos electos), ſed etiam *pro totius mundi*, hoc eſt, etiam pro iſtis, qui electi non ſunt. Sed fallitur Menzerus. Nam oppoſitionem iſtam explicat Scriptura, in quo ſita ſit; 1, in eo, quod ibi oppoſitio fiat inter Judæos & Gentes, ſive inter electos, qui ſunt ex Judæis, & qui erant ex Gentibus. vide de hac re *Ioan.* 11. 52. 2. Quod iſta oppoſitio inſtituta ſit inter credentes & credituros, *Ioan.* 17. 2.

Ad 3 Argum. reſp. Poteſt dici perire, quem tu perdere vis, quemadmodum dicitur, *Matt.* 5, adulterare fœminam, qui eam adulterare voluit, etiamſi eam non adulteravit; vel perire, ut clariſſime ex textu hoc colligi poteſt, vulnerari quoad conſcientiam, 1 *Cor.* 8. 11, triſtitia affici.

Quod ad 2 *Pet.* 2. 1, attinet, ſciendum, vocem iſtam *mercari*, accipi aliquando, pro liberare, nullo interveniente pretio; aliquando vero, interveniente pretio. Hoc loco non poteſt accipi pro liberare interveniente pretio. Nam, ſi Chriſtus ſe pretium dediſſet pro iſtis, etiam ſe ipſum ſanctificaſſet; quod tamen negat *Ioan.* 17. Quod affert, effugiſſe illos ab inquinamentis mundi, id verum eſt de externa converſione, quæ etiam cadit in infideles, ut, verbi gratia, in Ninivitas: non autem de interna; ut liquet ex *verſ.* 22. Quod attinet ad illud, quod fuerint vere ſanctificati, idque ex eo, quia in textu ita habetur; Reſp. In textu Biblico quædam dici ſæpe κτ̀ δόξαν, non κατ᾽ ἀλήθειαν· quemadmodum, verbi gratia, *Matt.* 9, dicuntur quidam valentes, qui medico opus non habeant. 2 Reſponſio magni momenti non eſt. Nam non tantum æſtimatur quantitas peccati, & pœnæ, ex eo, quod quis rem pro ſe expenſam contemnat, ſed etiam quod in verbo oblatam non admittat. vid. *Hebr.* 2. 2, 3. 3 Reſponſio magni momenti non eſt; & ratio eſt, quia aliud eſt, Chriſtum crucifixum eſſe pro aliquo; aliud eſt, aliquem Chriſtum crucifigere.

Argum. 4 ſolvitur, ſi diſtinguamus Majorem: Quotquot baptizantur in mortem, ſcilicet tum quoad *externam confeſſionem*, tum quoad *internam renovationem*; ſed ita cadit Minor, quod aliqui baptizantur in mortem Chriſti, qui non ſunt electi. Ceterum diſtinctionis fundamentum vide *Rom.* 2. 28, 29.

Argum. 5 ſolvitur, diſtinguendo Majorem inter offerre beneficia, vocatione externa, & interna. Hac diſtinctione adhibita, Minor erit falſa: ſed & Major falſa, ſi omnes homines pro omnibus & ſingulis accipiat. Nam neque in Veteri Teſtamento, omnibus & ſingulis offerebat beneficia, per Chriſti paſſionem acquiſita, ut liquet *Pſal.* 147, *circa fin.* nec in Novo, ut ipſa experientia teſtatur. Namque multæ ſunt provinciæ in rerum natura, in quibus, ut nulla Eccleſia eſt, ita Verbum plane nullum.

Argum. 6 nititur hypotheſi falſa, quod ſcil. nemo damnetur propter neglectum rei, quæ ad ipſum non pertinet; cum tamen res à Deo mandetur; quæ hypotheſis jam ante refutata eſt.

Ad Obj. 1 reſpondet petendo principium, & utendo diſtinctione Voluntatis Divinæ antecedentis, & conſequentis; quæ ante refutata eſt. 2 Reſp. inepta eſt, quia ſi ſecundum conſilium Dei Chriſtus eſt Servator efficacia, Ergo certe quoad rem & eventum. Neque enim Deus conſilium ſuum mutat, *Eſai.* 46. neque illud aliquis irritum reddere poteſt.

Obj. 2 non ſolvit. Nam pro quibus Chriſtus eſt mortuus, illi tandem accipiunt remiſſio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ſionem peccatorum. Hinc iſta argumentatio Spiritus Sancti, *Rom.* 8.33, 34.

Obj. 3 affertur è Zanchio; quam non ſolvit. Nam diſtinctio ipſius orationis Chriſti, qua diſtinguit in eam, quæ abſoluta eſt, & quæ conditionata; quæ efficax, quæ inefficax; refellitur ex *Ioan.* 11.42. Nam, quod tanquam abſurdum objicit, oraſſe etiam pro inimicis, neque eſſe converſos; id falſum. Nam non oravit pro omnibus & ſingulis; & pro quibus oravit, illi ſunt converſi. vide *Act.* 2.

Obj. 4 Perkinſi non ſolvit. Affert quidem diſtinctionem notitiæ Dei generalis, & ſpecialis; ſed omnia iſta inepte. Loquitur enim Minor iſtius argumenti de iſta cognitione, de qua *Rom.* 8.29. Majoris autem conſequentia erit firmiſſima; quia Chriſtus eſt medium electionis exequendæ, ac proinde pertinebit, ut ad ſolos electos, ita etiam præſcitos.

Obj. 5 non ſolvit. Nam certe iſta vox *multi*, ſi proprie accipiatur, non notat omnes, ſed quoſdam. A proprietate autem verborum non eſt diſcedendum abſque neceſſitate. 2. per *multos*, ibi non poſſe intelligi *omnes*, apparet inde, quod Sanguis Chriſti dicitur fœderis Sanguis ibidem; in fœdere autem non omnes & ſinguli homines ſunt; *Rom.* 9.8.

Obj. 6 non ſolvit. Quia excluſive dicitur expoſuiſſe animam pro ovibus, pro electis, pro Eccleſia. Si quærat, ubi de iſta excluſiva agatur, dicam, In Scriptura dicitur, Chriſtum poſuiſſe animam pro ovibus, pro Eccleſia. Item excluſiva iſta: Si ita poſuit, ut oravit pro mundo, Ergo ſequitur, tantum pro ovibus poſuiſſe. Si enim poſuiſſet animam pro reprobis, tum certe voluiſſet applicationem reprobis mortis ſuæ, ac proinde oraſſet pro illis.

Ad Obj. 7 neſcio quid dicat. Non loquitur ibi, inquit, de officio Sacerdotali, ſed Eccleſiaſtico, ſive Prophetico, quaſi ſcilicet, propter quem Chriſtus non venit ut Propheta, propter ipſum dici poſſit veniſſe ut Sacerdos; quandoquidem Chriſtus propter quos venit Sacerdos, propter illos propheta & rex. vide 1 *Cor.* 1.30.

Obj. 8 plane non ſolvit. Nam putat conſilium Dei fruſtrari fine ſuo.

QUÆST. VII. *An velit Deus omnes homines aggregari ad ſocietatem regni cæleſtis, frui beneficiis per Chriſtum partis, pervenire ad cognitionem ſalviſicæ veritatis, & participes fieri gratiæ divinæ?*

Argum. 1 ſolvitur diſtinctione præcepti *obedientiæ*, *convictionis*, & *explorationis*. Certe, utut Chriſtus præcepit, ut doceantur omnes gentes, tamen præcepti iſtius in illis, qui docentur, finem unum & eundem eſſe non vult. *Rom.* 9.33. 1 *Pet.* 2.6, 7, 8. ita ergo refellitur proſyllogiſmus ipſius ſimul.

Argum. 2 ſolvitur. Nam certe non omnes ad ſe vocat, *Matth.* 11. ſed per hoc intelligit tantum eos, de quibus *Matt.* 6. Quod ex *Matt.* 22 affertur, ſciendum eſt, Adverſario huic perquam familiare eſſe, ut, etiam extra ſcopum parabolæ, argumenta ducat ex parabola; quod ſane vitioſum eſſe genus argumenti, apud omnes recte ſentientes, in confeſſo eſt.

Argum. 3 nititur mala expoſitione duorum locorum Scripturæ; 1 *Tim.* 2, ubi Spiritus Sanctus agit de *generibus ſingulorum*: ille autem putat de *ſingulis generum*. *Matt.* 23, in quo loco putat, per eoſdem intelligi iſtos, quos congregare voluit, & Hieruſalem, quæ noluit; id quod ante refutatum eſt.

Argum. 4 ſolvitur eadem diſtinctione, qua primum.

Argum. 5 Minoris falſitas liquet ex *Pſal.* 147. *Act.* 14. *v.* 16. Nec locus *Eſaiæ* ipſum quicquam juvat. Nam aliud eſt mandare, ut hoc vel illud facias; aliud eſt velle hoc, quod Deus mandat. Nam multa mandat, quæ non vult, ſcil. in reprobis.

Obj. 1 non ſolvit; & nugatur iterum de conſilio aliquo inefficaci. Nullum enim conſilium Dei fruſtraneum aut irritum.

Obj. 2 non ſolvit, niſi præſupponendo futilem iſtam diſtinctionem Voluntatis, in antecedentem, & conſequentem. Nam quod dicit, in Pſalmo totaliter referendum ad publicum miniſterium, refellitur ex eodem Pſalmo verbis iſtis, *ideoque jura iſta non norunt.*

Obj. 3 non ſolvit: dicit, *Tunc quidem per certas cauſas.* Sed hæc rem non juvant. Nam ille

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ille ſtatuit hoc, quod Deus velit omnes & ſingulos pervenire ad agnitionem veritatis; Jam autem dicit non ſemper hoc fieri; non fieri aliquando propter certas cauſas; quomodo ergo vera erit iſta ſententia, quam propugnat?

Obj. 4 non ſolvit; & diſtinctionem ipſius eſſe ineptiſſimam evincitur, tum ex aliis multis locis, tum ex *Eph.* 2. 12.

Obj. 5 non ſolvit. Nam 1, fatetur, culpa aliquorum fieri, ut non omnibus & ſingulis annuntietur Evangelium; ita ergo deſerit quæſtionem, quam ſumſerat defendendam. 2. Præſupponit, converſionem fieri vel extraordinario modo, vel ordinario; cum converſio unico modo fiat, ut liquet *Ezech.* 36, ubi deſcribitur, *verſ.* 25, 26, &c. niſi forte putet, cum quadam converſione concurrere quædam ſigna extraordinaria, ut in converſione Pauli. Sed iſta ſigna, adjuncta ſunt, non cauſa. Nam ſi cauſa eſſent, tum multo magis miracula, quæ facta apud Capernaïtas, futura fuiſſent cauſæ converſionis; reliqua, quæ addit, impertinentia ſunt, & nihil rationis ſanæ continent.

QUÆST. VIII. *An Deus omnes, quos per Verbum vocat, ſerio & ſalvationis fine vocat?*

Affirmat ille. Argum. 1 ipſius, crimen falſi committit; Nam dicit, Deum eo fine jubere & velle annuntiari Verbum ſuum, ut omnes reſipiſcant; cum hoc non ſit in textu; nam in textu eſt, quod mandet ut reſipiſcant.

Argum. 2 præſupponit hypotheſin, quod doctrina, mandatum, ſemper eo fine proponatur per miniſtros à Deo, quod velit illi obediri.

Argum. 3 eodem vitio laborat; eadem enim ibi hypotheſis: quæ falſa eſt. Nam Deus aliquando mandat cum annexa promiſſione, & tamen hoc, quod mandat, non eo fine mandat, quod velit obediri; ut patet, Matt. 28, *Docete omnes*, &c. *Qui crediderit*, &c.

Argum. 4 nihili eſt. Nam vocatio eſt externa; Vocat autem Deus multos externe, quos tamen venire non vult. Accedit, quod Argumentum ducatur ex verbis impropriis: quod nunquam efficax eſt; ideo verba ſemper impropria in accurata diſputatione permutanda ſunt cum propriis, & ſic demum Argumentum admittendum.

Argum. 5 præſupponit hypotheſin falſam, quod ſcilicet Chriſtus voluerit congregare Jeruſalem, quæ ipſi repugnabat; de quo antea monuimus.

Argum. 6 crimen falſi committit. Nam citat *Eph.* 4, perinde ac ſi verba iſta ibi haberentur, *una eſt vocatio.*

Argum. 7 ex parabola petitur extra ſcopum; ideo nullius momenti eſt.

Argum. 8 præſupponit hypotheſin, quod, ſi Deus aliquid mandat alicui, non eo fine, quod velit obediri, utique, ſi non obediatur, non poſſit propterea iraſci; quod falſum. Nam Pharaoni datum mandatum ita, ut Deus voluerit, nequaquam iſti obediri; ille etiam non obedivit, & tamen Deus iraſcitur.

Argum. 9 præſupponit hypotheſin, quod Deus non puniat aliquem propterea, quod rem ad ſe non pertinentem non acceptat. Nam certe punit ipſum, non ex eo, quod rem non pertinentem ad ſe non acceptet, ſed quod mandato Dei non obtemperet.

Argum. 10 ſolvitur diſtinctione inter vocationem internam, & externam. Nam Deus iis, qui pereunt, offert iſta, quæ hic dicit, & interim tamen facit hoc tantum vocatione externa. Quod dicit, eum, qui ſimulat, hypocritam eſſe; in eo fallitur. Eſt enim quædam ſimulatio licita; verbi gratia, Chriſtus ſimulavit ſe ulterius velle ire, *Luc.* 24.

Jam reſpondere vult ad Argumenta noſtra.

Ad Obj. 1 non reſpondet. Si enim Deus vellet finem, vellet media; vellet ergo etiam fidem.

Inſtantiam non ſolvit, quæ petitur à communi cæcitate. Namque, hoc eſt Argumentum noſtrum; Quod aliqui, qui cæci ſunt, convertuntur, aliqui vero ex illis non convertuntur. Hoc autem non poteſt aliunde proficiſci, quam ex Deo, qui aliquibus dat oculos ad videndum, aures ad audiendum; aliis vero non dat iſta.

Obj. 2 noſtram non ſolvit. Inquit, Lydia fuerat una ex proſelytis. Reſpondemus, Spiritus Sanctus evertit iſta, Rom. 9, *Non eſt volen-*

lentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei. Secundo, præſupponit hypotheſin falſam, hanc ſcilicet, ab homine irregenito Verbum Dei ſalutariter audiri poſſe.

Obj. 3 non ſolvit. Nam clariſſime liquet diverſitatem auditorum fuiſſe in eo, quod quibuſdam Deus dedit noſſe myſteria regni cælorum, reliquis non item.

Obj. 4 non ſolvit: quia putat illos tantum converti, qui ſunt devoti, attenti, dociles; præſupponens ſcil. aliquos irregenitos eſſe dociles; quod Scriptura negat planiſſime, dum docet, quod irregenitis Chriſtus ſit ſtultitia & ſcandalum, 1 *Cor.* 1.

Obj. 5 non ſolvit. Nam objectio hoc vult, ſi Deus quoſdam occæcat, quos vocat, Ergo non omnes eo fine vocat, quod velit eos ſalvari. Ille vero argumentum invertit. Quod addit, Deum non eſſe auctorem cæcitatis, certum eſt, quatenus eſt peccatum; alioquin auctorem eſſe cæcitatis, quatenus pœna eſt, liquet ex *Eſaï.* 6. & *Ioan.* 12.

QUÆST. IX. *An reſpectus fidei ingrediatur decretum electionis?*

Sciendum eſt, decretum electionis conſiderari vel ratione finis, ut eſt in intentione, & ſic reſpectum ibi nullum eſſe ad fidem; vel conſiderari ratione finis, prout eſt in executione, & ſic eſſe reſpectum ad fidem, tanquam ad medium. Verbo; fides ingreditur decretum electionis, non tanquam *cauſa impulſiva*, ſed tanquam *medium exequutionis*.

Jam ad argumenta ipſius veniamus, quæ pro ſua ſententia adfert.

Argum. ipſius 1 eſt: Quicunque eligitur, in Chriſto eligitur. Reſpondemus cum Auguſtino, Elegit nos, *non qui eramus in Chriſto*, ſed *ut eſſemus in Chriſto*; & hæc reſponſio ex ipſo textu probari poteſt.

Argum. 2 loquitur de electione, ratione finis, prout eſt in executione; ac proinde ad nos nihil pertinet: Nam dum nos dicimus, non includi fidem, hoc accipimus prout eſt de fine.

Argum. 3 præſupponit iſtam hypotheſin falſam, quod executio Voluntatis Divinæ eo ordine fit, quo ipſum decretum erat; Ubi falſitas ex eo liquet, quod in decreto Dei prius dicitur finis, quam media; propter finem enim media ordinantur: In executione vero contrarium fit. Primo itaque Deus deſtinat finem, poſt media ad finem iſtum ducentia.

Argum. 4 ſolvitur diſtinctione illa jam data de fide, prout eſt in intentione, & ut eſt in executione.

Arg. 5 ſimiliter eadem diſtinctione ſolvitur.

Argum. 6 ſolvitur diſtinctione. Elegit Deus divites in fide, *non qui erant*, ſed *ut eſſent*, eo ſcilicet modo, quo elegit heredes vitæ æternæ, ut ibidem aſſeritur. Secundus locus ſolvitur ex ipſo textu. Nam manifeſte ſubintelligitur ibi, elegiſſe ad ſalutem, conferendam per ſanctificationem Spiritus & fidem habitam veritati.

Argum. 7 præſupponit falſam hypotheſin quod idem ſit ordo in decretis, qui & in ipſorum executione; quod falſum eſt, ut jam ante oſtenſum fuit.

Reſpondere vult jam ad objectiones noſtras; Sed

Ad 1 Obj. non reſpondet: Nam quæ Deus præſcit, illa præſcit quia decrevit. Scientia enim futurorum in Deo, pendet ab ipſius voluntate.

Obj. 2 non ſolvit. Nam primo, cujus eſt cauſa electio, illud non poteſt eſſe cauſa electionis; jam autem, electionem eſſe cauſam fidei, patet Act. 13: *Crediderunt, quotquot ordinati erant ad vitam æternam.* Diſtinctio autem ipſius, quam allegat, ineptiſſima eſt; nam nullo modo pendet electio ab ulla re, non magis certe, quam Deus dependere dici poſſet ab aliqua re.

Obj. 3 non ſolvit. Quia ſi Deus nos elegit, eo quod prævidit nos in ſe credituros fuiſſe; Ergo certe nos Deum elegimus. Quod dicit de juſtificatione, ineptum eſt; namque fides non juſtificat nos aliter, quam approbando juſtitiam Chriſti, *Act.* 26.

Obj. 4 non ſolvit. Quia non eſſet mere gratuita electio, & ex ſolo Dei beneplacito non penderet, ſi fieret ob fidem prævisam. Namque fides prævisa hoc pacto haberet ſe per modum cauſæ meritoriæ impellentis.

Ad Obj. 5 etiam non reſpondet. Quia nullo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

nullo modo electio pendet ab ulla re. Eſt enim electio, Dei decretum; decretum autem Dei eſt voluntas, Dei. At Voluntas Dei à nullo dependet, quia ipſa eſt independens; Ergo nec electio erit dependens à fide, ſive, electionis cauſa non erit fides prævisa.

QUÆST. X. *An electio ſit facta intuitu meriti Chriſti?*

Dicimus, ita, ratione finis in ordine ad executionem, non autem finis prout eſt in intentione.

Argument. 1, & 2, ſolvitur hac ipſa diſtinctione.

Argum. 3 fallaciam continet diviſionis. Eligimur enim, ut ſimus in Chriſto, non autem ſimpliciter eligimur in Chriſto. 2. Solvitur reſponſione priori.

Argum. 4 graviter impingit; quærit an Deus iratus vel placatus nos elegerit? Reſpondemus, ſi iſtis terminis uti debeamus, qui de Deo dicuntur ſecundum ἀνθρωποπάθειαν, neque enim Deus mutationi ulli obnoxius; tum dicam non placatum, ſed qui placari voluit: id quod ex eo liquet, quod Chriſtum dederit & miſerit in mundum, vel per mortem ejus mundum ſibi reconciliarit. Vide *Rom.* 3. 25. 2 *Cor.* 5. 19. *Col.* 1. 20.

Obj. 2 Chriſtus eſt ipſe prædeſtinatus: addere debet, idque propter nos. Ergo non eſt cauſa prædeſtinationis noſtræ. Reſpondet: Prædeſtinatus ad crucem. *Retorquemus:* Ergo propter nos, quia propter nos mortem ſuſtinuit.

QUÆST. XI. *An Electio facta ſit ſecundum præſcientiam?*

Reſpondemus, πρόγνωσιν notare beneplacitum Dei, ſcientiam cum affectu, *Rom.* 8. plane eodem modo quo Pſal. 1, *novit Dominus viam juſtorum.* 2 Tim. 2, *Novit Dominus*, &c. Diſtinctione hac obſervata,

Argum. 1, 2, 3, nihili eſt.

Argum. 4, & 5, ſolvitur: Verum eſſe hoc, quod prædeſtinatio non poteſt eſſe ſine præſcientia futurorum, ſed ſcientia futurorum pendet à Decreto Dei; quæ enim Deus ſcit eventura, ideo ſcit, quia decrevit; ut liquet *Thren.* 3. 37. Hinc ergo, ſi Deus aliquid præſcit, præſcit quia decrevit. Quæritur ergo ex Adverſario, quare decrevit fidem huic, & illi non? & hic ipſum hærere oportebit.

Objectiones vult ſolvere, ſed ſe evertit.

1. Loca citata ita accipi putat, quemadmodum accipitur 2 *Tim.* 2. ille autem non accipitur niſi de ſcientia cum affectu.

2 Piſcatoris non ſolvit, quia beneplacitum à ſolo beneplacito Dei pendere aſſerit Spiritus Sanctus, non autem ab aliquo, quod ab homine proficiſceretur; neque enim hoc pacto firmum maneret decretum Dei, ut quod inniteretur effectui alicui humano.

QUÆST. XII. *An Prædeſtinatio ſit abſoluta?*

Reſp. Tota quæſtio ſolvitur, eſſe abſolutam electionem ratione *finis, prout eſt in intentione,* & *à cauſa impulſiva,* & *à mediis.* Ratione *finis, prout eſt in executione,* eſſe abſolutam *à cauſa impulſiva,* ſed non *à mediis.*

QUÆST. XIII. *An Reprobatio ſit abſoluta?*

Reſpondemus ſimiliter, ut ad priorem quæſtionem. Abſoluta eſt, ſi ſpectetur ratione *finis, ut eſt in intentione,* & à cauſa impulſiva, & à mediis. Non eſt abſoluta, *ut eſt ordinate ad executionem,* à mediis, etiamſi à cauſa impulſiva ſit abſoluta.

Argum. 1 Antecedens eſt falſum, ut in antecedentibus oſtenſum.

Argum. 2 falſa Major. Nam decretum, utpote definita Dei voluntas, nullam cauſam habet, unde non poteſt dici etiam propter aliquid eſſe; at rejectio, de qua *Rom.* 11, habet.

Argum. 3 præſupponit hypotheſin ineptam, Quod Deus vult omnes & ſingulos ſalvos fieri.

Objectiones non ſolvit;

1. Quia quæri poteſt ex ipſo, Quo fine reliquit Deus aliquos in lapſu, aliquos liberat? & hic hærebit.

2 plane non ſolvit; quæritur, cur opus eſſet Paulo exclamare, *O altitudo!* ſi Deus propter finalem impœnitentiam aliquos reprobaret?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ret? Certe nulla hic opus exclamatione eſſet; quia hoc ratio humana comprehendit, juſtiſſimum eſſe, eos, qui in peccatis permanent, puniri; at vero hoc ratio humana non capit, quomodo Deus aliquos homines prædeſtinaverit ad pœnam, & propter hoc ad peccatum; alios vero his ſimillimos ad ſalutem & media ad ipſam ducentia.

3 non ſolvit. Odium enim ibi accipitur pro *odio negativo*, hoc eſt, pro non diligere, non eligere ad vitam æternam, & certe conſequentiam ipſam, quam videtur negare, dat Spiritus Sanctus, affirmando, *Antequam quicquam boni vel mali feciſſent*.

4 non ſolvit. Putat non poſſe de reprobatione dici, eſſe *proſcriptos ad judicium*, ſed dico, Non minus per hoc intelligi poteſt reprobatio, quam per *poſitos eſſe*, 1 *Petr*. 2. Item, *poſitos ad iram*, 1 *Theſſ*. 5. Inquit, Non quadraret τὸ *olim*. Sed quare non? Certe per hoc æternitas non minus indigitatur, quam per *antiquum dierum*, apud Danielem, æternus.

5 non ſolvit. Quia nullum propoſitum eſt conditionatum.

6 dicit ſe ſolviſſe ſupra; ſed & nos ad ipſum ſupra reſpondimus.

QUÆST. XIV. *An fatalis ſit numerus electorum & damnandorum?*

Argum. 1 præſupponit falſam hypotheſin, quod ſcil. Tyrii & Sidonii, Sodomitæ, credituri fuiſſent verbo nude propoſito, & abſque efficacia Spiritus Sancti. Certe negat hoc Scriptura, *Ioan*. 12. 38. Hic vero Spiritus Sanctus, utitur modo loquendi ſimillimo, quo utitur *Ezech. cap*. 2. 15, 16, 17.

Argum. 2 falſi crimen committit, dum ſtatuit, Paulum affirmare, quod nunquam dicit, potuiſſe ſcil. ſe eſſe reprobum; nam alias ſibi Paulus repugnaſſet, *Rom*. 8. 38. 2. Reprobus hic accipitur, prout opponitur approbato ſive δοκίμῳ· hoc vero aliud eſt, quam reprobum fieri, ſed ſignificat potius reprobatum; quod autem ita accipi debeat, liquet, quia, ut reprobatio non fit in tempore; eſt enim decretum Dei æternum: ita nec reprobi.

CAP. XVI.
De Pœnitentia.

QUæ diſputat de Pœnitentia, illa, quoad Quæſtionem primam, ſecundam, tertiam, una atque altera diſtinctione conciliantur.

Nam 1, aliqui pœnitentiam ſalutarem latius ſumunt (1) pro dolore ob peccatum admiſſum, (2) ex fiducia certa remiſſionis peccatorum, (3) in propoſito non peccandi, & nova obedientia.

2. Alii vero in ſtrictiori ſignificatione, pro nova obedientia, ſive pro mortificatione veteris hominis, & vivificatione novi.

Mortificatio vero veteris hominis, & vivificatio novi, dupliciter ſpectari poteſt; vel quatenus includitur in propoſito hominis pœnitentis non peccandi, & ſic certe eſt pars pœnitentiæ, ſumptæ in lata ſignificatione; vel abſolute conſideratur, & ſic continet articulum de regeneratione; quemadmodum ſcil. & fides, ſi ſpectetur in homine pœnitente, apprehendente certa fiducia remiſſionem peccatorum, tum eſt pars pœnitentiæ; abſolute vero ſpectata, eſt effectum regenerationis.

CAP. XVII.
De Juſtificatione.

QUÆSTIO I.

AN *Calviniani ſartam tectam retineant doctrinam Apoſtoli de gratuita remiſſione?*

Negat, & calumniatur. Dicam autem cauſam, quare Lutherani in nos ita hic ſint injurii. Perpetuo vociferantur, opera bona non tantum non eſſe neceſſaria ad ſalutem, ſed etiam eſſe pernicioſa; & hinc diſputatio fuit inter noſtrates & ipſos, ante annos complures, ſuper hac re inſtituta. Noſtri, cum Verbo Dei, dicunt, opera bona neceſſaria eſſe ad ſalutem, neceſſitate *præſentiæ*, non *neceſſitate efficientiæ*.

Hinc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Hinc iſte etiam calumniandi occaſionem arripit, nos docere, bona opera neceſſaria eſſe ad juſtificationem. Quomodo autem hoc nobis impingi poteſt, cum expreſſe in omnium noſtrorum ſcriptis uſurpemus iſtam Auguſtini Regulam: *Bona opera non præcedunt juſtificandum, ſed ſequuntur juſtificatum?*

QUÆST. II. *An ſola obedientia Chriſti paſſiva, ſit noſtra coram Deo juſtitia; an vero activa ſimul?*

Admittimus tanquam orthodoxam: interim tautologiam ipſius miramur; nam quod quæſtione ſecunda tractat, hoc etiam tractat quarta.

QUÆST. III. *An juſtificari aliquis poſſit fide aliena, deſtitutus propria?*

Nos hoc de infantibus accipimus, qui ut in fœdere ſunt propter fidem parentum, ita & juſtificantur fide parentum.

Argum. 1, 2, ſolvitur diſtinctione juſti, qui eſt adultus, & infantis. diſtinctio hæc fundatur in doctrina de fœdere Dei.

Argum. 3 dicit, *ſi infantes piorum*, &c. Reſp. 1. Non omnium piorum parentum infantes recipiuntur in fœdus Dei: ut liquet ex Iſmaële, qui erat filius Abrahæ; & ex Eſau, qui erat filius Iſaac. 2. Impii dicuntur, vel qui alieni ſunt à fœdere Dei, quales Turcæ & alii Gentiles; & illorum infantes, decedentes in infantia, omnes certe damnantur, ut liquet ex 1 *Cor*. 7. 14. Sunt enim tales impuri. Sin vero intelligat impios, qui ſunt in fœdere quoad externam ſocietatem, tum dico, quod Deus non tantum hos reſpiciat, ſed avos abavoſque; & ita fit, ut etiam talium liberi ſæpe ſint in fœdere cum Deo, & fœdus pro ipſis apprehenſum eſt à prioribus parentibus.

Argum. 4 ſolvitur 1, quod nec omnes etiam piorum liberi ſunt tales. 2. Quod piorum parentum fides prodeſt liberis, dum ſunt infantes: ſed ubi jam adoleſcunt, & fidem ipſimet habent, tum fides iſta amplius ipſis neceſſaria non eſt.

Object. Bezæ non ſolvit. Priores duæ exceptiones nullæ. Tertia ſolvitur; nec enim ad hoc, ut filii in fœdus accipiantur, neceſſe eſt, ut fides parentum ipſis imputetur; parentes enim & pro ſe, & pro illis accipiunt, ſive acceptant fœdus hoc, quemadmodum illi, qui in fœdere politico conveniunt, non tantum pro ſe paciſcuntur, ſed etiam pro liberis. Exceptio quarta nihili eſt; liquet ex dictis.

Obj. 2 non ſolvit. Except. 1, & 2, & 3, vaniſſimæ ſunt. 4, Ridicula eſt, & aliena à Theologia; non enim eadem eſt ratio fidei, quæ animæ, quemadmodum non eſt abſurdum dicere, aliena juſtitia juſtum fieri. Reliqua vana, excepta Except. 6. Sciendum autem eſt, in fœdere Dei parentes ſuſtinere perſonam ſuorum poſterorum; quod iſte ineptus negat. Gen. 17, *Ero Deus tuus & ſeminis tui*, &c.

Obj. 3 plane non ſolvit, ſed confirmat noſtram ſententiam. Nam ſtatuit, promiſſiones Evangelii pertinere ad ſuos liberos, ut *Gen.* 17 dictum.

QUÆST. V. *An peccatorum remiſſio, ſemel accepta, poſſit fieri irrita?*

Nos negamus; Quia Spiritus Sanctus expreſſe juſtificationem cum glorificatione conjungit, Rom. 8, *Quos juſtificavit*, &c.

Argumenta nulla adfert, iccirco pro nihilo habenda.

QUÆST. VI. *An ſolis electis detur remiſſio peccatorum?*

Nos affirmamus, ex Rom. 8, *Quos prædeſtinavit, eos vocavit*, &c. Hic etiam argumenta habet nulla, &c.

CAP. XVIII.
De Sacramentis.

QUÆSTIO I.

AN *Sacramenti vocabulum præter externum elementum & ſignum, ipſam etiam rem ſignatam & cæleſtem denotet?*

Dicimus, Sacramenti vocem jam ſignificare tantummodo ſigna ſacramentalia, jam ſigna & ſignata ſimul.

QUÆST.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

QUÆST. II. *An Sacramenti genus exactum & accuratum, ſit ſignum?*

Si Sacramentum pro ſymbolis terrenis accipiatur, tum hoc verum eſt; ſecus, ſi pro rebus ſive elementis, & re cæleſti. Itaque diſtinctione hac obſervata, Argumentum ipſius 1 nullum eſt.

Argum. 2 vanum eſt; Nam ad Sacramenti conſtitutionem, ſumptam ſecunda ſignificatione à nobis data, non tantum res ſignificata, ſed etiam ſignum requiritur.

Argum. 3 ineptum eſt. Præſupponit enim hypotheſin falſam, quod ab indignis percipiatur res ſignificata.

Object. non ſolvit. Nam certe deſcriptio iſta talis eſt, quæ eſſentiam rei implicite continet, ut ex jam dictis patet.

QUÆST. III. *An Sacramenta ſint organa conferendæ gratiæ?*

Argumenta ipſius, quibus hoc probatum vult, nulla.

Ad Argum. 1 reſp. 1, Dato antecedente, conſequentiam negari: non enim eadem ratio eſt doctrinæ Evangelicæ, quæ Sacramentorum; neque Sacramentorum, quæ doctrinæ Evangelicæ. Secundo, diſtinguimus organon. Nam certe eſt inſtrumentum *morale* tantum; non enim confert nobis quiſquam rem ſpiritualem, præterquam ſolus Deus, ut teſtatur Spiritus Sanctus, *Eph.* 1. 3.

Argum. 2 ineptum eſt. Nam ſacramenta non tantum *ſignificant*, ſed etiam *certificant*. Præterea ineptiſſima iſta conſequentia. Certe in Veteri Teſtamento ſacrificia ſignificabant ſacrificium Chriſti, neque tamen omitti poterant citra diſpendium ſalutis.

Argum. 3 etiam ineptum. Nam, præterquam quod putat, Sacramenta (loquitur autem de Sacramento priori ſignificatione accepto) ſignificare tantum; quod falſum eſt, quia etiam certificant in legitimo uſu; etiam arbitratur Veteris Teſtamenti Sacramenta magis ſignificare: quod falſum; Namque Sacramenta Veteris Teſtamenti ſignificabant Chriſtum exhibendum; nova, exhibitum. Sacramenta Veteris Teſtamenti, habebant Verbum annexum obſcurius; nova clarius. Et ex hac etiam cauſa dicuntur abrogata, quia erant moleſta: Novi Teſtamenti Sacramenta moleſta non ſunt.

Argum. 4 nihili eſt. Ratio eſt, quia ſæpe in Scriptura, quod eſt rei ſignatæ, tribuitur ſigno; & quod ſigni, tribuitur rei ſignatæ: ſive etiam tribuuntur nomina & effecta rei ſignatæ ſigno, & explicantur per *ſignificative*; ita lavacrum aquæ abluit peccata *ſignificative*, non *realiter*.

Argum. 5 præſupponit hoc, quod per ſacramentum, acceptum ſignificatione priori, inſerantur fœderi Dei; quod falſiſſimum, ut oſtenditur clariſſime hoc ipſum, *Gen.* 17. Nam primo ſancit fœdus, pòſt illud firmat ſigno. Et certe infantes fidelium propterea ad Baptiſmum admittendi, quia ſunt in fœdere; oportet ergo ſis prius in fœdere, antequam ipſo legitime uti poſſis.

Obj. 1; in qua reſolvenda ineptus eſt. Nam Zwinglius hoc vult, Circumciſio eſt ſignum fœderis jam prius initi, Ergo per circumciſionem non inſerimur fœderi Dei.

Obj. 2 non ſolvit. Nam certe gratiæ ſpiritualis cauſa nulla eſſe poteſt realis præter ſolum Deum, ut qui ſolus & juſtificat & regenerat; poſſumus autem admittere, eſſe cauſam inſtrumentalem moralem.

Obj. 3 plane non ſolvit; Nam clariſſime hoc oſtenditur iſto axiomate; *Sacramenta non eſſe inſtrumenta juſtitiæ conferendæ.*

Obj. 4 Reſponſio ſolvitur per iſta, quæ diximus ad argumentum ſecundum.

Obj. 5 non ſolvitur. Nam certe aqua non poteſt agere in animam: nec enim corpus poteſt agere in animam ſine implicatione contradictionis.

Venit ad Aretii Argumenta. Sed illa quædam coincidunt cum objectionibus prioribus, ut prima cum ſecunda.

Secunda ratio eſt, Deus infundit gratiam vel ante, vel poſt. Reſpondet, Ordinem à Deo conſtitutum, &c. Sed 1, petit principium, dum præſupponit, Sacramenta eſſe organa gratiæ ſpiritualis. 2. Contradicit ſuis, in doctrina de Baptiſmo. Nam, ſi Deus non poteſt conferre ſuam

ſuam gratiam extra Sacramenta, Ergo Baptiſmus abſolute neceſſarius eſt.

Tertiam rationem non refellit. Nam 1, præſupponit hypotheſin falſam, Sacramenta infantibus non conferri, quin conferatur res ſignata. Nam certe, ſunt multi infantes, quibus confertur Sacramentum, nec tamen res ſignata; ut liquet ex Iſmaële & Eſau. 2. Quod dicit de adultis hypocritis; ſi eſſent organa gratiæ Dei ſpiritualis, utique qui participes fierent organorum, participes fierent rei ſpiritualis.

Quartam rationem non ſolvit; quia ſi in ſignis contineretur res ſignata, tum non diceret tantum, *ego baptizo aqua*, ſed, *ego baptizo aqua & Spiritu*.

Ad quintam rationem, in reſponſione petit principium, præſupponendo ſcilicet hoc, quod eſt in quæſtione, ſigna ſacramentalia eſſe organa gratiæ ſpiritualis.

QUÆST. IV. *An ſit omnium Sacramentorum Veteris & Novi Teſtamenti una eademque ratio?*

Hic primo diſtinguendum fuerit inter Sacramenta *initiationis*, & *continuationis*. Eadem ratio non eſt per omnia, Sacramentorum initiationis, & continuationis. 2. Diſtinguitur inter Sacramenta Veteris Teſtamenti, & Novi Teſtamenti. Nam eadem eſt ratio eorum, quoad res quas ſignant, *formaliter*, non *materialiter*.

1 Argum. præſupponit falſam hypotheſin, Sacramenta Novi Teſtamenti eſſe organa conferendæ gratiæ: quod refutatum jam.

2 Argum. ineptum. Nam forma iſta vel ſignificat analogiam, vel inſtitutionem verborum & Sacramenti. Quoad prius, eadem eſt forma; quoad poſterius, negatur: neque facit quicquam, ſi hoc ſit, ad infringendam rationem Sacramentorum, eodem modo, quo diximus.

Ad Obj. reſponſio ſolvitur ex *verſ.* 4. Nam dicuntur iſti Chriſtum nobiſcum bibiſſe.

QUÆST. V. *An forma Sacramenti conſiſtat in analogia ſigni ad rem ſignatam?*

Opponit Argumentum ex forma Sacramenti, ſcil. quoad inſtitutionem, ſeu formam externam, non vero internam.

Argum. 2 ſolvitur; Analogia ſignificativa non ſola Sacramento dat eſſe, ſed accedente ſimul formula inſtitutionis, & uſu legitimo.

Argum. 3. Agit de forma particulari externa, formula ſc. inſtitutionis Sacramentorum.

Argum. 4. Minor falſa, quia præſupponit hypotheſin falſam, quod ſcil. Veteris Teſtamenti Sacramenta ſignificent, Novi Teſtamenti exhibeant. Nam utrobique in legitimo uſu erat exhibitio, etiamſi ſigna non continebant & exhibebant rem ſignatam.

Object. non ſolvit. Nam aliud eſt *Sacramentum*; aliud, *Sacrificium*. In Sacramento Deus nobis aliquid offert: Ergo eſt ſignum Dei offerentis nobis. In Sacrificio autem Veteres Deo offerebant, propterea erat ſignum ratione hominum, etiamſi ex inſtituto Dei, Deo offerentium. vide *Gen.* 8. 20.

QUÆST. VI. *An unio ſigni & rei ſignatæ in Sacramento ſit pure & mere* σχετική?

Argum. 1 petit principium, quia putat, Sacramenta Novi Teſtamenti rem ſignatam continere in ſe, atque adeo exhibere per modum continentis: quod abſurdiſſimum.

Argum. 2 nihili eſt. Nam propter unionem relativam unum dicitur alterum. Ita amicus dicitur alter ego, etiamſi longiſſime abſit à me.

Argum. 3 nititur fundamento debili. Namque poteſt aliquid conferri cum aliquo, ſecundum quid, etiamſi non ſecundum omnia. Vide 1 *Cor.* 2. 11.

Urſini rationes non ſolvit. Non primam, quia petit principium. Non ſecundam, quia præſupponit falſam hypotheſin. Ineptum, quod in Veteri Teſtamento, Sacramento ſignificabatur res ſignata, non autem in legitimo uſu exhibebatur; in Novo autem Teſtamento exhibeatur: quod refutatur ex 1 *Cor.* 10. 4.

QUÆST. VII. *An fides ſit de eſſentia Sacramenti?*

Fundatur hoc in iſta regula certiſſima: *Nihil*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

hil habet rationem Sacramenti extra legitimum uſum.

Argum. 1 ineptum eſt; quia hic non agitur de fide *dantis*, ſed *accipientis*; ut ex regula data liquet.

Argum. 2 præſupponit falſam hypotheſin; quaſi ſcilicet Sacramentum, ſtatim ac accipitur, finem ſuum obtineat in hominibus. Præclare agit de hac re Calvinus in 2 epiſt. ad Weſtphalum, circa finem; Ubi ait: *Sacramentorum eandem eſſe rationem, quæ ſeminis eſt in terram conjecti, ut non ſtatim ſe exerat, ſed tempore ſuo ſæpe.*

Argum. 3 ineptum eſt, eo quod pœnitentia, quoad dolorem, quoad propoſitum non peccandi, confirmat fidem, & tamen pœnitentia eſt pars fidei. 2. Verbi pars ſunt Sacramenta, & tamen Sacramenta confirmant Verbum Dei, quoad promiſſiones à Deo factas.

Argum. 4. Non facit fides Sacramenta, ſcil. *efficienter*; ſed *formaliter*. Etenim certiſſima illa regula: *quod finis in accidentibus rationem formæ ſuſtineat.*

Obj. 1 non ſolvit. Nam 1, Argumentum loquitur de uſu interno, ex regula allata. 2. Inepte præſupponit, uſum internum ſpectare fructum ſolum. Nam certiſſimum eſt hoc de cauſa continente, ſive, ut vocatur à Græcis, συνεκτικῇ, quod non magis poteſt eſſe quis fructus ipſius particeps abſque cauſa, quam qui vellet fieri particeps facultatis alendi, quæ eſt in pane, aut quæ eſt in vino, abſque pane & vino; hoc eſt, non datur fructus participatio, antequam cauſa adſit.

Obj. 2 non ſolvit; & ratio eſt, quia ex abſurdo vult ſolvere inepto. Reus enim aliquis fieri poteſt Corporis Chriſti, etiamſi ipſum nunquam participet, ſicut rei facti ſunt iſti prandii, de quibus *Matth.* 22; Non quod illo *uſi* ſint, ſed quod *ſpreverint* illud.

Obj. 3 non ſolvit; & ratio data eſt ſuperius, quia meriti Chriſti non ſimus participes, niſi ſiamus Chriſti participes. 2. Quia rem cæleſtem non percipimus, niſi aut ſenſu, aut ratione, aut fide. Senſu non percipitur, quia non occupatur ſenſus circa res cæleſtes, alioquin omnis, qui ſenſu præditus eſt, occuparetur circa has res. Non ratione, quia res cæleſtis eſt ſupra rationem. Ergo fide.

Obj. 4 non ſolvit penitiſſime. Nam clariſſime Auguſtinus tribuit ſigno, quod eſt rei ſignatæ, quemadmodum hunc modum ſervat Spiritus Sanctus in Sacramentis.

CAP. XIX.

De Baptiſmo.

QUÆSTIO I.

AN *legitima ſit definitio Baptiſmi, quam Calvinus tradit* lib. 4. Inſtit. c. 15.

Sugillat deſcriptionem Baptiſmi à Calvino traditam; quanquam ineptiſſime. Nam primo, quod adfert, falſum eſt, quia comprehendit partes iſtas Baptiſmi eſſentiales, ſive potius integrales, ſignum, & rem ſignatam; ſignum, quia dicit Baptiſmum; rem ſignatam, quia dicit inſeri nos Chriſto, & filios ejus eſſe.

Secunda obſervatio ipſius inepta eſt, quia agit de Sacramento Novi Teſtamenti.

Tertia itidem inepta, quia Baptiſmus aquæ non emundat à peccatis *realiter*, ſed ſignificat hoc tantum, & confirmat in legitimo uſu.

Quarta inepta itidem: Nam præſupponit hypotheſin, Baptiſmum aquæ nobis conferre realiter hoc, quod ſignificat.

Quinta obſervatio nulla: Nam ſignum eſt initiationis, ratione Eccleſiæ viſibilis; etiamſi inſitionis in Eccleſiam Catholicam ſit tantummodo ſignum ſignificandæ & confirmandæ.

QUÆST. II. *An duplex ſit Baptiſmus, unus exterior aquæ, alter interior Spiritus Sancti?*

In hac quæſtione pugnat ſecum, ratione quæſtionis tertiæ. Namque hîc docet, nos duos Baptiſmos ſtatuere; in tertia impudentiſſime contrarium affirmat. Noſtra ſententia hæc eſt: Baptiſmum dupliciter accipi; ut Sacramentum, vel pro ſigno tantum; vel pro ſigno & re ſignata ſimul.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Argum. 1 nihil concluditur; quia Baptiſmus eſt unum quid per aggregationem.

Argum. 2 etiam nihil concludit; quia verum eſt hoc in uſu legitimo, non autem extra uſum legitimum.

Objectiones jam vult ſolvere; & contra

1, Negat ineptiſſime, Circumciſionem externam non potuiſſe ſeparari ab interna. Nam clare hoc docetur *Rom.* 2. 18, 19.

2 non tollitur. Nam inepte iſto effugio utitur; ſiquidem certe aliquando ſejungitur Baptiſmus aquæ à Baptiſmo Spiritus: factum hoc in Simone Mago, *Act.* 8.

In 3, negat, Baptiſmo externo ſordes ablui corporis; & ſcurriliter ac inepte quærit, an Joannes Baptiſta fuerit balneator. Nam certe ablutio non ſpectatur hic abſolute, ſed in analogia ad ablutionem à peccatis noſtris, quæ ſunt ſordes animæ.

4 ſolvere vult, hypotheſin iſtam præſupponendo, quod non poſſit ſeparari Baptiſmus internus ab externo.

QUÆST. III. *An Baptiſmus ſolius aquæ exterior, & ſolius ſanguinis interior, ſint unus Baptiſmus?*

Quæſtione iſta, oblitus ſui tam cito, contrariatur planiſſime quæſtioni ſecundæ.

Argum. 1 nihil valet. Nam poſſunt cauſæ unius rei eſſe diverſæ, & tamen res una eademque eſſe; ut fit in homine, cujus anima immediate à Deo, corpus ab homine, & tamen unus homo eſt. 2. Duo objecta poſſunt eſſe unum quid, ut poſtea ipſe loquitur, corpus & anima hominis; nam homo, ex utroque iſto conſtans, unus eſt. 3. Poſſunt eſſe duo fines, imo plures, & tamen res una; ut certe uniuſcujuſque Sacramenti plures ſunt fines, quam unus. 4. Poſſunt eſſe duo effecta, & tamen res una; ut hominis plura ſunt effecta, & tamen is unus eſt. 5. Poſſunt eſſe duo ſubjecta, & tamen res una: verbi gratia, juſtificatio, quæ cadit in quoſvis ſalvandos, habet ſubjecta multa, & tamen res una eſt. 6. Poſſunt tempore differre, & tamen res una; ut Hebr. 11, *Chriſtus hodie & heri*, &c.

Argum. 2 ſolvitur, quia tum, cum non ſunt iſta conjuncta, non ſunt unum; ſed quando conjuncta ſunt; quod fit in legitimo uſu.

Argum. 3 vanum eſt ratione totius entis aggregati, & quidem heterogenei, qualis Philoſophia, quale aggregatum ex ſigno ſignato, ſubſtantia, accidente.

Object. Bezæ non ſolvit, quia neque ſolus Baptiſmus aquæ, neque ſolus Baptiſmus Sanguinis Chriſti, conſtituunt Sacramentum, ſumptum pro ſigno & re ſignata.

Inſtantiam etiam non ſolvit. Nam homo interior & exterior unum conſtituunt hominem accidentaliter, nempe imperfecte regenitum.

Obj. 2 non ſolvitur; quia ſibi repugnat in ipſa quæſtione. Notanda hic diſtinctio Theologorum, quam ex Patribus habent, quod Baptiſmus alius ſit *fluminis*, alius *flaminis*, alius *ſanguinis*.

QUÆST. IV. *An Baptiſmus, in caſu extremæ neceſſitatis à religioſa muliere vel laïco adminiſtratus, ſit verus, licitus & legitimus?*

Argum. 1 nihili eſt, quia Circumciſionis & Baptiſmi longe alia ratio eſt; ut Danæus obſervat. In Novo enim Teſtamento, certæ perſonæ conſtitutæ ſunt adminiſtræ Baptiſmi. In Veteri autem Teſtamento nullæ, ſed relinquebatur hoc patrumfamilias arbitrio.

Argum. 2 ineptiſſimum, ut qui perſonas extraordinarias, prophetiſſas nempe, confundit cum ordinario miniſterio.

Argum. 3 etiam nihili. Nam aliud eſt, privatim inſtituere aliquem, quod nemini negatum; aliud, publice docere aut Sacramenta adminiſtrare.

Argum. 4 vanum eſt. Nam in Baptiſmo non ſpectatur vita, ſed officium, quo quis fungitur; & Eccleſia, à qua ipſi hoc impoſitum eſt.

Argum. 5 ineptum. Nam certe aliud eſt cibus, qui ſolis Sacerdotibus ſerviebat; hic enim dari potuit in caſu neceſſitatis aliis: aliud autem eſt Baptiſmus.

Argum. 6 calumniam continet; non enim docent hoc Calviniſtæ ſine ratione. Nam certe Deus oſtendit, licere hoc, dum Sacramenta inſtituit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ſtituit Veteris & Novi Teſtamenti; ita ut ad rem unam eandemque ſignificandam diverſis ſit uſus elementis: verbi gratia, in Veteri Teſtamento ad ſignificandum Corpus, manna; in Novo Teſtamento, pane. In Veteri Teſtamento, ad ſignificandum Sanguinem Chriſti, aqua; in Novo Teſtamento, vino.

Obj. 1 non ſolvit: Nam nos intelligimus de publico cœtu: quod ille ſub finem fatetur.

Obj. 2 non ſolvit; nam eadem eſt neceſſitas Cœnæ Domini, quæ Baptiſmi. vid. *Ioan.* 6. 56, 58; collato cum *Ioan.* 3. 5.

Obj. 3 non ſolvitur; Nam nulla eſt neceſſitas aſſumendi honorem, ad quem à Deo vocatus non es. vid. 2 *Sam.* 6. 6.

Obj. 4 non ſolvit; nam nulla neceſſitas tanta eſſe poteſt, ut id ſibi ſumat, à quo arcetur lege Dei.

Obj. 5 non ſolvit. Nam mulieri docere publice fas non eſt, 1 *Tim.* 6.

Ad Obj. 6 ridicule reſpondet; *quia*, inquit, *fecit nos Sacerdotes.*

Obj. 7 non ſolvitur: & certe eſt iſta neceſſitas, ſi illam putat abſolutam, imaginaria. Namque valet hic Regula Bernhardi: *Non privatio Sacramentorum, ſed contemtus damnat.*

Obj. 8. Hanc cum reſponſionibus nihili facimus, ut & 9.

Obj. 9 vix putamus ita proponi à Beza. Nam majus eſt docere, quam baptizare. Quemadmodum etiam Verbum Dei neceſſarium eſt abſolute ad vitam æternam; Sacramenta vero ex hypotheſi.

Obj. 10 ſoluta ante ex diſcrimine cauſæ miniſtræ in Baptiſmo & Circumciſione.

QUÆST. V. *An in Sacramento Baptiſmi, loco aquæ adhiberi poſſit quivis alius liquor, ſi ſc. aqua non adſit?*

Argum. 1 eſt, quod Chriſtus aquam conjunxit. Reſp. Aquam, quæ vel proprie, vel analogice talis. Namque omne illud, quod abluere poteſt ſordes corporis, adhiberi poteſt in hoc Sacramento, & eſt aqua analogice. Vide ſuper hac re 1 *Cor.* 10. ubi nube dicuntur baptizati & mari.

Argum. 2 Minor falſa ex priori diſtinctione, &

Argum. 3, itidem.

Argum. 4 ſolvitur negando, quod immutetur hic Sacramentum, ſi in defectu aquæ liquor, qui id ipſum præſtat quod aqua, adhibetur: Namque tum analogice dicta eſt aqua.

Argum. 5 nihili eſt. Nam non immiſcetur liquor aquæ, dum in defectu aquæ baptizantur infantes liquore aliquo, ſed ſolo liquore baptizantur, tanquam qui præſtat hoc, quod aqua, & ita analogice aqua dici meretur.

Argum. 6 ſolvitur diſtinctione aquæ proprie & analogice ſic dictæ.

Argum. 7. Proponit exemplum Apoſtolorum: ſi volebat hoc aliquid efficere, debebat oſtendere, aliquando laboraſſe Apoſtolos defectu aquæ.

Argum. 8 ſolvitur diſtinctione data inter aquam proprie & analogice dictam.

Argum. 9 eadem ratione ſolvitur, quoad propoſitionem.

Argum. 10 & 11, eadem diſtinctione.

Argum. 12 diverſitatis rationem habet; neque enim certe laïcus ullo modo poteſt eſſe miniſter, dum laïcus eſt; at liquor aliquis præſtare hoc poteſt natura, quod aqua.

Ad Bezæ Object. reſpondet inepte quidem. Nam certe, veriſſimum eſſe quod Beza dicit, liquet ex eo, quod Deus ipſemet rem eandem ſignificatam diverſis ſignis & ſignificabat, & confirmabat; ſignis, inquam, Sacramentalibus. Namque Corpus & Sanguinem Chriſti jam Paſchate & aqua, jam manna, jam pane & vino; pari ratione etiam rem ſignificatam eſſe in Baptiſmo, jam Circumciſione, jam nube, jam mari.

QUÆST. VI. *An Calviniani ſerio & ex corde loquantur, quando dicunt, Sanguinem Chriſti eſſe partem Baptiſmi ſubſtantialem?*

Argum. 1. Sanguis, inquit, Chriſti eſt in cælo, ita fieri non poteſt, ut abluat, ſecundum Calvinianos, in terris. Ineptiſſimus homo: 1, qui arbitratur, ſanguinem iſtum, quem jam Chriſtus in corpore glorificato habet, eſſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

partem Baptiſmi, cum ille non ſit, ſed ille, qui fuſus eſt. 2. Ineptus & in hoc, quod putet, ſanguinem Chriſti *efficienter* hoc præſtare, & non *meritorie*.

Argum. 2 dicit, quod eadem eſt materia interna, &c. Si materiam internam accipiat pro objecto, prout certe debet ex mente noſtrorum, tum certe inepte infert, quod Sanguis Chriſti non ſit objectum Verbi ſimplicis, hoc eſt, Evangelii.

Argum. 3 ineptum eſt. Solvitur; aſperſio enim Sanguinis antecedit aliquando Baptiſmum aquæ, ut certe factum in Apoſtolis & fidelibus, qui erant ex circumciſione; aliquando ſequitur: neque ex eo concludere poteſt adverſarius, non eſſe partem Baptiſmi, quia antecedit vel ſequitur; quia tandem fit, ut conjungatur cum aqua. Neque enim hic conjunctio ſpectatur phyſica, ſed σχετική.

Argum. 4 ſolvitur diſtinguendo legitimum uſum ab illegitimo.

QUÆST. VII. *An Calviniſtæ ex animo loquantur, quando analogiam ſuam Sacramentalem ita formant: Sicut aqua abluit ſordes corporis; ita Sanguis Chriſti abluit ſordes animæ & emundat peccata? Piſcator* vol. 2. loco 15. th. 12. *Polanus* pag. 248. *Sohnius* tom. 1. p. 246. *Bucanus* p. 666. *Beza* vol. 3. f. 332. 342.

Argum. ipſius ſolvitur, diſtinguendo inter emundare *efficienter*, & *meritorie*; ſanguis enim Chriſti mundat nos *meritorie*, non *efficienter*.

QUÆST. VIII. *An quicquam valeant argumenta Bezæ in Colloq. Mompelg. contra Iacobum Andreæ dicentem: Baptiſmi ſubſtantiam conſtare aqua & Spiritu?*

Non ſolvit Argumenta Bezæ. Nam Deus non poteſt eſſe pars ullius rei creatæ, quia non ingreditur cum ulla re creata compoſitionem. Eſſet enim mutabilis. 2. Eſſet minor hoc ipſo, cujus pars eſſet. Nam totum ſemper eſt majus ſua parte.

Argum. 2 magni momenti non eſt; ideo relinquimus.

QUÆST. IX. *An ſit à Chriſto præſcripta Baptiſmi adminiſtrandi formula?*

Nos affirmamus cum Beza & Bucano, contra Cinglium.

QUÆST. X. *An per Baptiſmi Sacramentum ex ordinatione Dei conferatur remiſſio peccatorum, adoptio, regeneratio, & renovatio?*

Argum. 1 ineptum. Nam 1, cum debeat probare, omnes qui baptizantur, renaſci; probat, illis qui renaſcuntur, eſſe Baptiſmum efficacem. 2. Putat, aquæ renaſcentiam tribui *proprie*, & non *ſignificative*.

Argum. 2. Quod hic annectit: Sine Baptiſmo nemo poteſt ingredi in regnum cælorum: ubi ſcil. haberi poteſt, & tamen omittitur. Alioquin valebit Regula Theologorum: *Non privatio Sacramenti, ſed contemptus damnat.*

Argum. 3 divertit à ſcopo. Nam non quæritur, An qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit; ſed hoc quæritur, An qui aqua baptizatur, ſalvandus ſit.

Ex Epiſt. *Petri*, Ubi omnia iſta tolluntur una diſtinctione, *ſignificative*, & *realiter*.

Ex Epiſt. *Pauli*. Solvitur tota quæſtio diſtinctione, *ſignificative* regenerare, mundare, ſalvare; & *realiter*.

Argum. 4 ſolvitur diſtinctione; quotquot baptizantur in *uſu legitimo*.

Baptizamur in remiſſionem peccatorum, Ergo. Reſp. Baptizamur ad ſignificandam, & certificandam, idque in legitimo uſu.

Argum. quod hoc loco tertium eſt, ineptiſſimum eſt; Nam nemo ſatis adhuc explicuit, quid ſit, Chriſtum venire per aquam.

Obj. 1 non ſolvit, quia remiſſionis peccatorum duæ tantum ſunt cauſæ; principalis, & minus principalis. Principalis, meritoria, Sanguis Chriſti. Minus principalis, fides, quæ Chriſti meritum apprehendit.

Obj. 2 non ſolvitur. Quia nulla cauſa creata pertingere poteſt ad animam.

Obj.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Obj. 3 non ſolvitur; Nam in regeneratione Deus nullo inſtrumento utitur, ſicut in creatione.

Obj. 4 non ſolvit; Namque, ut dictum ſæpius, Sacramenta non tollunt peccatorum onus, ſed id ſignificant & confirmant.

Obj 5 non ſolvit; quia regenerationis gratia non aufertur.

Obj. 6 non ſolvit; quia utut regeniti ſunt aliqui, tamen ſigna ſignificantia, quæ memoriam iſtam refricent, & certificantia, adhiberi debent, idque ex inſtituto divino.

QUÆST. XI. *An dictum Salvatoris*, Joan. 3, *Niſi quis renatus fuerit*, &c. *de Baptiſmo ſit accipiendum?*

Iſta tota quæſtio ſolvitur regula à Martyre data, & fundata in Scriptura: ad locum *Ioan.* 3, inquit ille: Sæpe in Scriptura tribuitur unus effectus duabus cauſis, cum tamen dependeat ab una neceſſario, ab altera contingenter. probatur hoc ad *Rom.* 10. *v.* 9. Tribuitur ibi profeſſioni externæ & fidei ſalus, non tamen æquali ratione. Nam neceſſario tribuitur fidei; non neceſſario, confeſſioni: alioquin multi fuiſſent condemnandi.

QUÆST. XII. *An Sancti ſint filii fidelium, etiam ante Baptiſmum?*

Argum. 1 nihili eſt, quia poteſt eſſe aliquis Sanctus, & interim tamen obligari ad uſum Sacramentorum, ut *Gen.* 17. & ratio eſt, quia Sancti tum debent certi fieri de promiſſionibus à Deo factis, tum quod creſcant in iſta ſanctitate.

Secundus Syllogiſmus non majoris momenti eſt: ſufficit promiſſio parvulis, ubi ſcil. adminiſtrari Baptiſmus non poteſt; non ſufficit, ubi haberi poteſt, & negligitur; liquet hoc ex circumciſione.

Tertius Syllogiſmus non magni momenti, quia poteſt eſſe aliquis in fœdere, & interim ſigno aliquo confirmari de fœdere iſto. vide *Gen.* 9. 16.

Argum. 2 ineptam hypotheſin præſupponit; quaſi ſcil. infans non renaſcatur, niſi ubi natus eſt. vide *Rom.* 9. 11, 13.

Argum. 3 ſolvitur diſtinguendo inter media, quæ *abſolute* neceſſaria, & quæ *ex hypotheſi*; item inter media *realia*, & *moralia*.

Argum. 4 ſolvitur diſtinct., mundari *ſignificative*, & *efficienter*.

Argum. 5. Quicquid in carne natum, eſt, ratione ea, qua natum eſt, eſt Deo exoſum; at vero quod ex carne natum, illi non repugnat vi Dei regenerari.

Ad Except. Trelcatii non reſpondet. Nam promiſſiones Evangelicæ abſolutæ ſunt ratione electorum; quia non tantum finis ipſis promittitur, ſed & media; ut liquet *Rom.* 8. 30.

Argum. 6 non concludit. Nam ille qui concipitur & naſcitur in peccato, in ſe conſideratus, reus eſt mortis æternæ; attamen talis, ut poteſt eſſe in Chriſto, ita etiam in Chriſto conſideratur. 1 *Cor.* 5. 17.

Argum. 7 nihili eſt. Concedimus enim, filios Dei non naſci ex carne; nec de hoc quæſtio ulla eſt, ſed de hoc, An ille, qui naſcitur ex carne, non poſſit vi Dei regenerari, cujuſcunque tandem ætatis ſit.

Jam ad Objectiones vult reſpondere.

Ad Object. 1 varie reſpondet; & *primo*, quod promiſſio hæc non ſit ex carnali generatione æſtimanda. Aberrat à ſcopo. Unde ergo æſtimabit? Anne ex Spirituali regeneratione? Atqui hæc non incurrit in oculos; proinde nemo erit baptizandus. Ergo æſtimanda eſt inde; & certe ſciendum eſt, aliquos ex iſtis, qui ſunt in fœdere externe, ad fœdus pertinere, etiamſi de hoc vel illo in ſingulari non poteſt, niſi conjecturis, ſcientia haberi. Fundamentum ergo 1 Reſponſionis ipſius nullum; certum enim eſt, illis benedici. Locus, *Rom.* 9, impertinenter allegatur, & contra ipſum eſt. Quomodo enim ſciet, infantes baptizandos eſſe, qui huc intendit? Petri Teſtimonium agit de adultis. Tertium fundamentum ſolvitur: Promiſſioni annectuntur ſigilla, &, ubi poſſunt, debent adeſſe. Quarta agit de adultis. Quintum; Non eſt abſurdum dici tales Sanctos, qui ex parentibus fidelibus naſcuntur; ſed diſtinguendum. Sanctitas enim *fœderalis*, & *relativa* hoc loco accipienda eſt, non vero *qualitativa* & inhærens.

Obj.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Obj. 2 & 3, agunt de ſanctitate fœderali.

Obj. 4 nihil aliud ſibi vult, quam hoc, quod filii promiſſionis pertinent ad omnia ex contractu & fœdere Dei atque parentis.

Obj. 5 nititur inepto ipſius effugio, Quod nulla promiſſio ſit abſoluta. Nam promiſſio de mediis abſoluta eſt.

QUÆST. XIII. *An per Baptiſmum fiat primus ingreſſus in fœdus Dei & Eccleſiam?*

Argumenta ipſius ſolvuntur diſtinctione ſigni.

Argum. 2 ſolvitur, ſi diſtinctio accommodetur ad Minorem.

Argum. 3 ſolutum eſt ex Martyris obſervatione.

Argum. 4. Fuit circumciſio ſignum ſignificativum & confirmativum fœderis, non vero cauſa fœderis.

Argum. 5 ſolvitur, diſtinguendo inter *ſignificationem initiationis*, & inter *ipſam initiationem*.

Argum. 6 ſolvitur diſtinctione jam ſuperius data ſigni.

Argum. 7. Conſequentia negatur, idque ex inſufficientia enumerationis. Nam omittitur hic promiſſio, qua Deus promittit, ſe fore fidelium & ſeminis eorum.

Obj. 1. Ad hanc reſpondet negando. Imo, fuit fœdus revera, & hoc fœdus confirmabatur ſubſequente Sacramento Circumciſionis.

Obj. 2 non ſolvit; Ratio eſt, quia, ſi per Baptiſmum inſerimur fœderi; Ergo illi non erant in fœdere; Atqui falſum; Gal. 3. 9, *Qui ex fide ſunt*, &c.

Obj. 3 non ſolvit; Quia ſi eſt medium reale inhærens Chriſto, omnes debent baptizari. Non certe minus hæc valeret conſequentia, quam ſi quis affirmet, cibum eſſe medium reale, ut qui debeant vivere, debeant comedere.

Obj. 4 non ſolvit, niſi nugis ſuis. Nam cum quo Deus fœdus init, illi etiam applicat.

QUÆST. XIV. *An Baptiſmus ſit neceſſarius ad ſalutem?*

Argum. 1 ſolvitur ex regula à Martyre antea data; Hic tamen ſubit mirari ineptulum iſtum, quod putet iſtas particulas, *Amen, amen*, eſſe particulas jurandi; nempe neſcit diſtinguere inter *aſſertionem nudam*, *aſſeverationem* & *juramentum*. *Aſſeverationis* iſtæ particulæ ſunt, non *juramenti*. Argumentum ergo ipſius, quod ſubjungit, ſolvitur ex iſtis.

Argum. 2 ſolvitur diſtinctione, ubi poterat commode circumcidi; alioquin contrarium vide *Ioſuæ* 5.

Argum. 3 nihili eſt; neque enim ea, quæ conjunguntur, neceſſario ejuſdem naturæ ſunt, & efficaciæ; vid. 1 *Cor.* 13, ubi conjunguntur fides, ſpes, caritas.

Argum. 4 ſolvitur; Eſſe medium hoc non abſolute neceſſarium, ſed ubi haberi poteſt; item eſſe medium *morale*, non *reale*.

Argum. 5. Neceſſarius eſt Baptiſmus, ubi haberi poteſt, non neceſſitate *medii* ſed *præcepti*.

Argum. 6. Fatemur neceſſarium Baptiſmum neceſſitate *præcepti*, & *medii* etiam *moralis*, ubi haberi poteſt.

Obj. 1 non ſolvit, niſi nugando de decreto Prædeſtinationis conditionato. In ſecunda reſponſione falſa hypotheſis, quaſi ſcilicet, quos prædeſtinat ad ſalutem, illis non conferat media, etiamſi non externa, ut fit in infantibus.

Obj. 2 ſolvere vult, ſed fruſtra laborat. Unum videtur dicere; ſed tamen nihil illud, quod dicit, confeſſionem oris eſſe effectum fidei; neque enim hic conſiderantur ut cauſa & effectum, ſed ut medium ad effectum unum producendum.

Obj. 3 non magni facimus, ideoque neque, quod ad illam reſpondet, magnopere curamus.

CAP. XX.

De Sacro-Sancta Euchariſtia.

QUæritur ſecundo loco, *Quodnam fundamentum ponant Lutherani oralis manducationis?*

Dico: primo, unionem perſonalem. 2. Ubiquitatem. 3. Verba Teſtamenti, quæ nunquam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

quam putant improprie accipi. Quæ omnia vaniſſima eſſe, apparebit.

QUÆST. III. *An Caput* Joan. 6, *de Sacramentali manducatione Corporis Chriſti agat?*

Reſp. Nullus noſtrorum hoc dicit, ſed omnes de ſpirituali accipiunt. Argumenta quæ profert, noſtra ſunt, quæ ex Danæo totidem verbis deſcripſit.

QUÆST. IV. *An Spiritualis manducatio ſit eadem, quæ Sacramentalis, à Chriſto in Sacra Cœna inſtituta?*

Pendet explicatio hujus Quæſtionis ex priori.

Argumenta quædam ipſius ſunt falſa; certe primum falſum eſt. Nam ſpiritualis manducatio diſtincte percipit Corpus & Sanguinem Chriſti.

Argum. 2, 3, & 4, nihil contra nos, ſed pro nobis. Imo & 5, ac 6.

Argum. 7 itidem Majorem continet falſam; aut diſtinguenda eſt. Nam eſt medium ſignificativum & confirmativum.

Argum. 8, noſtrum eſt.

QUÆST. V. *An vocabulum,* EDITE, *in verbis inſtitutionis, metaphorice poſſit accipi de comeſtione quæ ſit per fidem?*

Argum. 1 ſolvitur: Eſt ſubſtantiale, ſi Sacramentum accipias pro ſigno, & re ſignata.

Argum. 2 eodem modo ſolvitur.

Argum. 3 itidem ſolvitur, diſtinctionem ad Minorem applicando.

Argum. 4 itidem.

Argum. 5 ſolvitur; Eſt novum quoad ſignum, non quoad rem ſignatam.

QUÆST. VI. *An inſtrumentum, quo Corpus & Sanguis Chriſti in Cœna percipiuntur, ſit fides, an vero os corporis?*

Argum. 1. Minor falſa. Nam Corpus & Sanguis Chriſti non niſi fide percipitur: id quod probamus. Nam aut ſenſu percipitur, aut ratione, aut fide. Non *ſenſu*, quia res dudum præterita eſt; non *ratione*, quia ſupra rationem eſt; ut liquet *Eph.* 5. 32. Ergo *fide*. Spiritualis ergo iſta manducatio.

Argum. 2. Falſa Major, & præſupponit hypothesin ineptiſſimam, quaſi ſcilicet increduli perciperent Corpus Chriſti & Sanguinem ejus. Falſitas hypotheſeos liquet, *Ioan.* 6. 33, 35.

Argum. 3. Major falſa, ut ex dictis patet.

1 Proſyllog. Vana Major; & refellitur ex 1 *Cor.* 10. 3, 4. Nam certe eſcam comederunt, & potum biberunt Chriſti, qui futurus erat. Non ergo ore corporis.

2 Proſyllog. ineptus eſt, quia tribuitur ſigno nomen rei ſignatæ in Scriptura; neque tamen ſignum & res ſignata eodem modo percipiuntur ab hominibus. vide *Gen.* 17. ubi circumciſio vocatur *fœdus*, ſignificative ſcil. & certificative. Item *Exod.* 12. ubi eadem ratione Agnus vocatur *tranſitus Iehovæ*.

3 Proſyllog. etiam nihili eſt: Nam ſufficit, diſtinctionem iſtam implicite inferri. Nam quemadmodum, dum dicitur, Thren. c. 3, *Attollimus manus & corda noſtra ad te*; aliter attollere cordis intelligendum, aliter manuum: ita etiam, cum dicitur, *comedite*, relatum ad ſignum aliter accipiendum eſt, aliter ad rem ſignatam. vid. Joël. 2, *Scindite corda veſtra & non veſtimenta veſtra.*

Obj. 1. Vult tollere eam enſtaſi, verbo ſcil. Evangelii, quod dicitur percipi etiam auribus. Reſp. Percipitur dupliciter, quoad *ſonum* ac *verba*, & quoad *rem*. Percipitur quoad ſonum & verba auribus, non quoad rem; quemadmodum liquet, 1 Cor. 2, *Animalis homo non percipit*, &c.

Obj. 2 eadem enſtaſi vult enervare: ſed inepte, ut jam oſtenſum eſt. 2. Dicit eſſe quatuor terminos: inepte & hoc. Namque illud, quod nobis offertur in promiſſione, ſpirituale ſcil., illud non poteſt percipi, niſi fide. Nam quod nugatur, Corpus & Sanguinem Chriſti non eſſe ſpirituale; abſolute in eo ineptit. Non enim Chriſti Corpus percipimus materialiter, ſed ut cauſam meritoriam; cujus ratio tota ſpiritualis.

Obj. 3 non ſolvit. Nam debet adjicere, recipiens corporeum, & receptibile corporeum; & ita prima reſponſio tollitur. Secunda Reſponſio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ſio præſupponit hypotheſin, Corpus Chriſti & Sanguinem ejus eſſe in pane: quod ne quidem de Corpore glorioſo verum eſt, cum aſcendit in cælum, &c. Secundum de corpore, quale fuit, & jam non eſt, paſſum ſcilicet, vere eſſe poteſt. Tertia Reſponſio nihili eſt. Nam hic proportio *æqualitatis* intelligitur, non *inæqualitatis*. Verbi gratia: Certe eſt proportio inter acus foramen & camelum, proportio ſcilicet inæqualitatis; de qua verum eſt illud Philoſophorum: *Proportionatum inæquale & minus, ſumtum multoties, exæquat majus*; interim quis dicat, camelum poſſe duci per foramen acus?

Obj. 4 non ſolvitur; & ratio eſt, quia ut dictum, ſermo non percipitur auribus, niſi ratione ſoni & verborum. Secunda Exceptio: Corpus & Sanguis Chriſti nutriunt etiam carnem noſtram; non quod caro percipiat hoc, ſed quod fides pro anima & corpore percipiat; quemadmodum remiſſio peccatorum percipitur per fidem, non tantum animæ, ſed etiam corporis.

Obj. 5 non ſolvitur; & eſt ambiguum, nullam nobis eſſe conjunctionem ſecundum carnem. Nam ſi hic ſenſus ſit horum verborum, quod nos non conjungamur Chriſto, & ratione animæ & ratione corporis, per fidem: tum vero hoc falſiſſimum eſt. Nam quomodo non conjungimur ratione carnis, qui ſumus templa Spiritus Sancti? Sin vero accipiatur ita, nullam eſſe nobis conjunctionem ſecundum carnem, hoc eſt, carnalem; tum vero & hoc veriſſimum. Nam nulla certe nobis eſt conjunctio carnalis cum Chriſto & ipſius carne. Nam Chriſtus in cælis moratur, nos in terris. Chriſti corpus, cum quo conjunctionem habemus in Cœna, præteriit quoad qualitates & ſtatum, utpote paſſum.

Obj. 6 non ſolvit: niſi per ineptias. Major, inquit, excogitata eſt à Pezelio. Major vero eſt Scripturæ, non Pezelii; *Ioan. 6. 35.* Iſta quæ adjicit, quod Chriſtus non tantum redemit animam, ſed etiam corpus, libenter concedimus; ſed de hoc quæritur: Anne inſtrumentum hoc, quo percipimus remiſſionem peccatorum, ſit in corpore vel anima. Dicimus, in anima eſſe per modum *inſtrumenti interni*, etiam eſſe in corpore per modum *inſtrumenti externi*, quatenus ſcilicet, quod interno inſtrumento percipimus, hoc externo nos percepiſſe profitemur, *Rom. 10. 9.*

Obj. 7 non ſolvit; niſi petendo principium. Namque in ſacramentali manducatione alio inſtrumento percipimus ſigna, alio rem ſignatam.

Obj. 8 non ſolvitur; & ratio eſt, quia ſpiritualis etiam manducatio fit in Euchariſtia, in legitimo uſu.

Obj. 9 non ſolvitur; quia præſupponit, in Sacramentali, in uſu legitimo, non fieri ſpiritualem. Reſponſio ipſius altera eſt inepta. Namque dum dicitur, Credite Evangelio: &, Credite in Chriſtum: hoc idem eſt, quod, Edite Chriſtum ſpiritualiter. vid. *Ioan. 6. 35.* Hinc etiam illud Auguſtini decantatum; *Crede, & manducaſti.*

Obj. 10 nullo modo ſolvit; quia, inquit, de cibo naturali. At quicquid ore percipitur, eſt cibus naturalis ſive corporeus. 2. Præſupponit hypotheſin falſam, quaſi corpus Chriſti ſit immenſum.

Obj. 11 non ſolvit; dicit illam quidem Bezæ eſſe, ſed falſo; Nam Chriſti eſt, *Ioan. 6. 63.*

QUÆST. VII. *An hæc ſit vera manducatio Sacramentalis, quæ tantum in externis ſymbolis occupatur?*

Diſtinguitur; Nam quemadmodum Sacramentum accipitur, ut ſupra vidimus, dupliciter, vel pro ſigno tantum, vel pro ſigno, & re ſignata ſimul; ita etiam manducatio Sacramenti. Proinde, obſervata iſta diſtinctione,

Argum. 1 & 2 nihil facit ad rem.

Obj. Pezelii non ſolvit. Nam Pezelius intelligit manducationem ſacramentalem, in priori ſignificatione acceptam, cui contradiſtinguit ſpiritualem. Quod vero ille garrit de triplici cibo, *naturali*, *ſacramentali*, & *ſpirituali*; non probat hoc duplici actione, quæ eſt in duplici natura. Nam certe, in opere mediatorio unum quidem opus eſt, ſed diverſa ratione concurrit divina natura ad hoc; diverſa, humana. Hinc illud tritum in Scholis: *Mediator eſt,*

qua

qua Deus, efficiendo; qua homo, merendo. Tertia reſponſio nihili eſt; nam verbum conſtat ſono, verbis & re; ac proinde non ab eodem inſtrumento percipi poteſt: proinde retorquetur potius hoc exemplum.

Obj. 2 vult ſolvere; inepte. Nam ſacramentalis manducatio, priori ſignificatione accepta, mere phyſica eſt: id quod liquet ex organo, quo percipitur, ore ſcilicet; ex effectis, nutritione ſcilicet; in quibus conſtat analogia. In quibus, inter alia, analogia ſigni ad rem ſignatam conſtat.

Obj. 3 non ſolvit; niſi præſupponendo, quod res ſignata includatur ſigno.

Inſtantia Bezæ non ſolvitur; Eſt enim Major Chriſti, *Matt.* 15. 17.

Obj. 4 non ſolvit; niſi inepte petendo principium, quaſi ſcilicet aqua in Baptiſmo abluat animam realiter, & non ſignificative. Secunda reſponſio nihili eſt. Nam certe, corpus noſtrum abluitur Sanguine Chriſti meritorie, in quantum ſcilicet fide apprehendimus remiſſionem peccatorum; aqua autem, ſignificative.

Obj. 5 & reſponſum ad ipſam non moramur, niſi quod addimus, panem à veteribus vocari Corpus Chriſti ſignificative, atque ita dicitur Corpus Chriſti comedi ore.

QUÆST. VIII. *An manducatio Corporis Chriſti, quam Auguſtanæ confeſſionis Theologi profitentur, ſit Capernaïtica?*

Varia affert, quibus vult diſcriminari Capernaïtarum ſententiam à ſua: ſed rem non attingit. Capernaïtæ enim arbitrabantur, ſe ore corporis Corpus Chriſti manducare debere; vide *Ioan.* 6. 61, 62. Proinde reliqua, quæ accumulat, nihili ſunt. Nos vero comparat Capernaïtis, quia quærimus, quomodo? at ineptus eſt, nam, *quomodo*, eſt vel *docilitatis*, ita Maria Virgo quærit, *quomodo poteſt hoc fieri*? vel *incredulitatis*, ita Nicodemus, *Ioan.* 3, quærit, *quomodo?* vel *argumentationis* contra falſitatem, & ſic Matth. 22. 41, *Quomodo Filius ejus, ſi Davidis Dominus?* Et hoc genere eſt noſtrum *quomodo*, hoc eſt, *quomodo* eſt *redargutionis*, ut Martyr vocat.

QUÆST. IX. *An Auguſtanæ confeſſionis Theologi conſubſtantiationem, Synouſian & impanationem defendant?*

Certe hic Lutheranis hoc evenit, quod de ſtultis alibi Ariſtoteles loquitur, *Qui dant definitum, & negant definitionem*, hoc eſt, concedunt illi, in pane eſſe Corpus Chriſti, ita ut avena in ſacco, aut infans in cunis, aut pecunia in marſupio. Iſtis enim utitur Jacobus Andreæ in diſputatione Maulbrunnenſi. Negant tamen, datis his, definitionem.

Argum. 1. Major inepta eſt; Nam συνȣ́σιον dicitur de illis, quæ ſimul ſunt, ſive illa ſibi inſint, ſive non.

Argum. 2 nihili eſt, quia unio duarum naturarum in Chriſto in hypoſtaſi λόγȣ longe alia eſt, quam unio ſignorum, & rei ſignatæ in Sacramentis. Unio enim hæc eſt hypoſtatica, altera σχετικὴ, ſignorum cum re ſignata in Sacramentis.

Argum. 3 vult negare Minorem: ſed falſo illam negat; Nam Synecdochen ſuam in eo fundant, quod unum in altero concludatur. Bucerus defendendo homines iſtos, ulterius progreſſus eſt, quam par erat.

QUÆST. X. *An pronomen* δεικτικόν, Hoc, *in verbis inſtitutionis ſolum notet panem; an vero Synecdochicῶς Corpus Chriſti ſimul complectatur?*

Ubi Sophiſtice admiſcet, nudum panem. Nam panis, quo utimur in Cœna Domini, ſi finem ſpectes, nudus non eſt; hoc eſt, non eſt vulgaris ratione uſus.

Jam igitur ad ipſius Argumenta reſpondemus.

Ad Argum. 1, concedendo Majorem. Minor, quam vult probare, nihili eſt. Nam hoc de vino dici poteſt ſignificative.

Argum. 2 ſolvitur, negando Majorem. Particula enim *hoc*, ſubſtantive ſumta, poteſt rem ſimpliciter notare. vide exemplum, licet in diverſo genere, *Marc.* 12. 42. λεπτὰ δύο, ὅ ἐστι κοδράντης.

Argum. 3; admiſſo uſu, tamen hoc ibi obtinet, ubi unum continetur in altero: quod

de pane & Corpore Chriſti dici non poteſt.

Jam Objectiones ſolvere vult.

Obj. 1 non ſolvit; quia certe *Corpus* non præceſſit in præſenti, aut præcedere debuit.

Obj. 2 non ſolvit; quia additur excluſiva ad Majorem; Argumentum tamen verum eſt.

Obj. 3. Ludit in voce *viſibilis*. Nam certe id oſtendebatur oculis corporis; etiamſi non diffiteamur, mediate etiam objectum eſſe mentis ſive fidei.

Obj. 4 non ſolvit plane. Nam ut de calice dicitur, ita etiam de pane.

Obj. 5 non ſolvit; & repugnat plane reliquis Lutheranis, ut certe Jacobo Martini, qui has locutiones pro æquipollentibus accipit. Certe nulla variatio hic ſubjectorum, neque prædicatorum, niſi verbis.

Obj. 6 plane non ſolvit; & dicit tantummodo, eſſe ridiculum argumentum; ſed in ipſum hoc torqueri poteſt potius, ridiculam eſſe reſponſionem.

QUÆST. XI. *An per Synecdochen D. Lutheri, in verba inſtitutionis invehatur Tropus, aut illa à proprio & literali ſenſu flectantur?*

Negat tropum eſſe Rhetoricum; inepte quidem. Nam certe tropus eſt Rhetoricus, ubi continens nominatur, & contentum intelligitur: vel contra, ut hic fit. Namque, offerendo ſaccum, dicere, hæc eſt avena; offerendo cantharum, dicere, hoc eſt vinum; manifeſte eſt tropus Rhetoricus.

Object. Paræi non ſolvit; & ſe implicat. Nam jam admittit, Chriſti Corpus includi in pane; quod antea negabat. Præterea dicit, per *contineri*, non intelligi incluſionem; in quo abſurdiſſimus eſt. Nam perinde ait, ac ſi dicat, per *includi* non intelligi *includi*.

QUÆST. XII. *An Pronomen* δεικτικὸν, Hoc, *recte explicetur per Adverbium*, hîc?

Plane nihil contra nos. Nam & nos illam explicationem rejicimus.

QUÆST. XIII. *An copula* EST *in verbis Inſtitutionis poſſit ſuſtinere tropum, & Metaphorice accipi pro* ſignificat?

Quæritur, ſi iſta propoſitio tropica, *hoc eſt corpus meum*, ubi tropus ſit? Inter noſtros non convenit; alii ponunt in prædicato, alii in copula. Rectius illi, qui in copula, & in modo attributionis. Nam extrema ſunt diſparata; Ergo unum de altero proprie prædicari non poteſt. Eſt igitur tropus, nempe Metonymia, in verbo EST, ut ponatur pro *ſignificat*; ſicque, Hic panis eſt corpus meum, hoc eſt, vere ſignificat corpus meum.

Argum. 1 meram inſcitiam ſapit; Nam omnes intelligunt, in Parabolis & Metaphoris, itemque impropriis ſermonibus, Verbum *eſt* non poſſe proprie accipi, ſed habere parabolicam & impropriam ſignificationem. Hoc pacto refelluntur duo ſequentes Proſyllogiſmi. *Tertius* Proſyllogiſmus ſolvitur diſtinctione, quod copula, ſi improprie attribuit prædicatum ſubjecto, reſolvitur in *ſignificat*. ut Luc. 8, *ſemen eſt Verbum Dei*.

Argum. 2 ſolvitur, negando iſtam Majoris conſequentiam. Nam panis ſignificat Corpus Chriſti in analogia, in qua communionem habet cum Corpore Chriſti, ſcilic. quod, quemadmodum panis aſſumitur ore corporis, ita corpus ore fidei; quemadmodum panis nutrit nos ad hanc vitam, ita Corpus Chriſti nutrit nos ad vitam æternam.

Proſyllogiſmi Minor falſa eſt, ut ex ſolutione ad Argumentum ipſum patet.

Argum. 3 ſolvitur; Quod ſcil. falſam hypotheſin præſupponat Adverſarius, in Veteri Teſtamento rei ſignificatæ non fuiſſe participes fideles. 2. Quod præſupponat falſam alteram hypotheſin, quod ſcilicet tropis non utatur Spiritus Sanctus in Novo Teſtamento in doctrina Sacramentorum, quia ſcilicet ſunt clariora.

Objectiones noſtras non ſolvit.

Obj. 1 non; Quia præſupponit eandem hypotheſin, de qua paulo ante, quod ſcilicet rei ſignatæ fideles participes eſſe non potuerunt in Veteri Teſtamento. Secunda Reſponſio ipſius itidem nihili eſt. Namque nemo tam inſanus

erit,

erit, qui non videat, hanc propoſitionem, *Circumciſio eſt fœdus*, debere in hanc propriam reſolvi, *Circumciſio ſignificat fœdus*.

Obj. 2 non ſolvit; Nam, ut obſervant Theologi noſtri, pronomen ipſum oſtendit dici de Agno. Sed ille urget, Quænam eſt, inquit, ſimilitudo inter Agnum & tranſitum Domini? Sed reſpondemus, hac reſponſione Adverſarium non tam ſe nobis opponere, quam omnibus Theologis, etiam ſuis propriis, qui in Sacramentis omnibus, qualis fuit Agnus Paſchalis, ſignum & rem ſignatam ponunt, & inter utrumque analogiam, quæ eſt ſimilitudo, tanquam formale internum, inſtituunt. Ergo nos damus ſimilitudinem hanc: Quemadmodum Agnus ille, & ſanguis illitus poſtibus, erat in ſignum Angelo percutienti primogenitos Ægyptiorum, ut præteriret domos, nec attingeret aliquem; ita Agnus iſte Chriſtus, & Sanguis ejus, cauſa eſt, cur hi, pro quibus fuſus eſt, in judicium Dei non veniant. Calumnioſum vero eſt quod addit, à monitore nocturno fuiſſe ſuper hac re admonitum. Nam ſi reprehendit Zwinglium propter hoc, reprehendet Sanctos Dei homines, quales fuerunt Magi, qui ad Chriſtum veniebant, qui per ſomnium monebantur, ut alia via redirent. Idem de Joſepho, ſponſo Mariæ, dicendum, qui monitus eſt in ſomnio, ne deſereret uxorem; item, ut fugeret in Ægyptum, & rediret ex Ægypto. Sed ne Scripturæ exempla ei demus, videat, quid de Luthero ſcribatur in menſalibus colloquiis.

Obj. 3 non ſolvit; & ratio eſt, quia propoſitio hæc, *Petra erat Chriſtus*, reducta ad propriam, ita ſonabit, *Petra ſignificabat Chriſtum*. Hæc eadem reſponſio eſt ad Obj. 2, & 3.

Obj. 4, nec reſponſio ejus, eſt alicujus momenti; dum dicit, eſſe varios modos ſubſiſtendi; hoc enim facile concedimus; ſed tamen nihil facit ad rem: Nam enſtaſis, quam adfert, ita habet proprie, ut dicamus, Verbum carnem factum, non mutatione naturæ ſuæ in carnem, ſed in hypoſtaſin, carnis aſſumtione. Hoc pacto certe panis non eſt factus Corpus Chriſti.

QUÆST. XIV. *An in propoſitione illa Chriſti*, Hoc eſt corpus meum, *Corpus per Metonymiam idem ſit, quod ſignum Corporis?*

Non defenditur ab iſtis antiquioribus, Zwinglio & aliis. Wittakerus autem, in libro ſuo doctiſſimo de Euchariſtia oſtendit, longe commodius averruncari difficultates, ſi ponatur tropus non in prædicato, ſed in copula.

QUÆST. XV. *An in Verbis Chriſti*, Quod pro vobis traditur, *quod adverbialiter, pro* quatenus, *accipi debeat?*

Quærit: An verba hæc, *Quod pro vobis traditur*, &c. Sed mendaciter affingit noſtris ſenſum alium. Nam illorum eſt hæc mens, quæ omnium noſtrum, quod, *hoc*, ſignificat Corpus quidem Chriſti, ſed non qualecunque tandem, ſed quatenus illud in mortem pro nobis traditum eſt; proinde de nihilo garrit hic, quod affert.

QUÆST. XVI. *An tropus eſſe poſſit in tota propoſitione Sacramentali?*

Ad nos non pertinet.

QUÆST. XVII. *An ſit prædicatio Tropica*, Panis eſt Corpus Chriſti?

Vaniſſima eſt, utpote quam antea movit. Namque ſive ſit in copula tropus, ſive in prædicato, tropica eſt; quam tamen antea moverat.

QUÆST. XVIII. *An ſit prædicatio inuſitata*, Panis eſt Corpus Chriſti?

Nos negamus. Namque refertur ad genus prædicationum iſtarum, quando ſcil. ſignum prædicatur de ſignato, vel ſignatum de ſigno, hoc eſt, quando relatum de correlato, & viciſſim hoc de illo.

Argumenta ipſius non ſunt magni momenti.

Argum. 1. Major falſa: Namque de Herode dicitur, quod ſit vulpes; de vaccis, quod ſint anni: neque tamen hæc inuſitata ſunt. 2. Reſp. Si prædicaretur ſubjectum de prædicato proprie, forte obtineret Adverſarius.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Ad Argum. 2 reſp. Non eſſe iſtam propoſitionem regularem, ſed tropicam.

Argum. 3 continet 4 terminos. Nam dum dicit, Talis prædicatio, intelligit *notionalem*, non *realem*; viciſſim in Minori intelligit unionem realem. Major ipſius talis eſt: Qualis eſt unio, talis eſt prædicatio. Si unio eſt, quæ referri poteſt ad regularem, tum eſt regularis: Si unio eſt, quæ non poteſt referri ad regularem, tum non eſt regularis. Perinde eſt, ac ſi dicam: Qualis res eſt, ita refertur ad gradus prædicamentorum; ſi univerſalis, ad genus & ſpeciem; ſi ſingularis, ad individuum. In Minori autem agit de unione reali, atque adeo prædicatione reali, non de notionali.

Obj. 1 non ſolvit; Nam oſtendimus antehac, nullam propoſitionem dari, quæ non referatur ad aliquam uſitatam, etiamſi non omnis proprie, ſed quædam analogice.

Obj. 2, quæ litem movet de auctoritate hominis, nihili facimus. Nam rationibus & argumentis agendum hic eſt, &c.

QUÆST. XIX. *An verba Cœnæ ſubſtantialia*, Edite, hoc eſt Corpus meum: bibite, hic eſt Sanguis meus, *ſint* κατὰ ῥητὸν, *& in ſenſu proprio accipienda, aut per Metonymiam Sacramentariam exponenda?*

Egit hoc antea, ſed interim ad Argumenta ipſius reſpondendum. Dicimus ergo 1, multos tropos hic occurrere, quos Adverſarii negare non poſſunt. Nam 1, *Edite*, relatum ad fidem, proprie accipi non poteſt: Illi autem ſtatuunt, non tantum oraliter, ſed etiam fide, Corpus Chriſti comedi. 2. Tropus eſt in eo, *hoc eſt corpus*, quod traditum. Namque *hoc* non eſt præſens, ſed præteritum. 3. Tropus eſt in eo quod calix dicitur Novum Teſtamentum.

Argum. 1 ſolvitur, negando Minorem. Nam, ut Auguſtinus dicit, *Præceptum Dei facinus jubens, aut bonum prohibens, tropice accipiendum.* Jam vero facinus eſt, corpus humano ore vorare, & quidem tale facinus, ut nullam ob cauſam nobis magis ſint deteſtabiles carnicidæ, quam ob carnis humanæ eſum.

Argum. 2. Dicimus, explicari aliquid vel ex ſubjecta materia, vel ſic explicari, ut reducatur propoſitio obſcura aut impropria ad propriam. Hic quidem modus poſterior magis captui noſtro inſervit, ſed tamen Deus ſæpe tantum priori utitur.

Argum. 3 ſolvitur, negando Minorem. Nam oſtenſum à nobis ſuperius eſt, quod alio modo eſt panis communicatio Corporis Chriſti, quam ille arbitratur, hoc eſt, non ob id quod ineſt in pane, ſed in analogia & in nominum permutatione.

Argum. 4 plane idem eſt cum ſecundo.

Argum. 5. Minor negatur; & præſupponit in probatione ipſius falſam hypotheſin, quod in Teſtamentis Spiritus Sanctus non utatur verbis impropriis. Vid. *Gen. c.* 49. Item teſtamentum Moſis, *Deut.* 33.

Proſyllogiſmus idem eſt cum Syllogiſmo: & falſiſſima Major, ut liquet *Gen.* 17, ubi dicitur circumciſio fœdus. *Exod.* 12, quod Agnus ſit tranſitus.

Veniendum ad propoſitionem bimembrem. Membrum 1 ineptam præſupponit hypotheſin, quod Deus ita velit loqui clare, ut nulla occaſio litigandi detur; aut, ſi ita loquatur, quod ita certe, ne homines arripiant occaſionem litigandi. vide *Ioan.* 5. 46, 47.

In 2 Membro præſupponit, nos, quia negamus, proprie propoſitionem hanc accipi, *Panis eſt Corpus Chriſti*, ſpernere Teſtamentum Chriſti. inepte. Nam certe verba non permittunt, articuli fidei non permittunt. Nec enim diſparatum unum, eſt alterum, aut Corpus Chriſti crucifixum latet in pane, cum jam non ſit tale, ſed fuerit.

Argum. 6 ſolvitur negando Minorem. Nam, ſi panis eſt Corpus Chriſti, quod traditur; ſi vinum eſt Sanguis Chriſti, qui effunditur: Ergo non eſt literalis ſenſus. Nam tale corpus jam non eſt, neque ſanguis.

Argum. 7. Negatur Minor, quia interpretatio tropica conſcientiam tranquillat, ut quæ oſtendit articulorum fidei conſonantiam; at vero literalis conſcientiam turbat, ut quæ conſonantiam articulorum tollit. Oſtendit enim,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Chriſtum adhuc paſſum. Docet, in terris eſſe, contra articulum, *Aſcendit in cælos.* Docet, in pane latere, cum Scriptura teſtetur, venturum ad judicium, & non eſſe tale; & quæ talia.

Argum. 8 ſolutum eſt. Nam putat, omnia, quæ in Scriptura improprie dicta, explicari debere propoſitione proprie, cum ſæpe explicentur ex ſubjecta materia, ut in illis propoſitionibus quæ ἅπαξ λεγόμενα ſunt.

Argum. 9 eſt ſolutum. Nam & in *edite* tropus eſt, & *bibite*, & *copula*.

Obj. 1 non ſolvit, niſi præſupponendo, quod ſcil. Corpus Chriſti ſit ubique. Quod etiamſi daretur Adverſario, tamen nihil adhuc efficeret: quia debebat probare, quod Corpus ubique eſt crucifixum; Sanguis Chriſti ubique fuſus.

Obj. 2 non ſolvit; Nam hæc eſt conſuetudo Sacramentorum, uſitatiſſima omnium, ut ſignum vocetur nomine rei ſignatæ; ut liquet ex Circumciſione, *Geneſ.* 17; ex Paſchate, *Exod.* 12; ex poculo, quod vocatur Novum Teſtamentum; ex Baptiſmate, quod vocatur lavacrum regenerationis.

Obj. 3 plane non ſolvit; & revocat nos neſcio ad quas nugas, quas ipſi relinquimus.

Obj. 4 etiam non ſolvit; Nam ſi eſt propoſitio tropica, tum certe abjiciendum eſt τὸ ῥητόν· & vanum eſt, quod ſignatum non dicitur de ſigno, ut fœdus de Circumciſione dicitur.

Obj. 5 non ſolvit; Nam præſupponit, ac ſi petra, ex qua bibebant, non eſſet Sacramentum Veteris Teſtamenti.

Obj. 6 noſtram non agnoſcimus; oportet ipſum mutilaſſe. Nam non ſequitur.

Obj. 7 non ſolvit; Nam, ſi proprie accipi debeant iſtæ propoſitiones, tum certe tranſmutationem neceſſario inferunt; ut, Baculus eſt ſerpens: Aqua eſt vinum; & quæ talia.

Exceptio ipſius de verbis, *Verbum caro factum eſt*, nihil ad rem pertinet. Neque enim dicitur, Panis factus eſt Corpus Chriſti; ſed, Panis eſt Corpus Chriſti. Et enſtaſis ex eodem genere dicendi conſtare debet.

QUÆST. XX. *An nulla prorſus διάνοια in verbis Cœnæ admittenda?*

Ipſi relinquimus.

QUÆST. XXI. *An propoſitio Sacramentalis, quæ extat apud Lucam & Paulum,* Hoc poculum eſt Novum Teſtamentum in Sanguine meo, *patrocinetur Sacramentariorum Metonymiæ, quam in verbis Cœnæ ſubſtantialibus fingunt?*

Argum. 1 ſolvitur, 1. Quod ſibi repugnet. Agnoſcit enim manifeſte, propoſitionem hanc, *Hoc poculum eſt Novum Teſtamentum*, eſſe figuratam. 2. Refellitur inde, quod ab elemento removetur præſentia Sanguinis phyſica, utpote cum Sanguis Chriſti non jam eſt fuſus amplius, teſtante toties Spiritu Sancto in Epiſtola ad Hebr., quæ docet quod Chriſtus ſemel oblatus. vide *cap.* 9. 28.

Aſſumtio Proſyllogiſmi ſolvitur, quod ſine Sanguine Chriſti calix non poteſt dici Novum Teſtamentum, quia ſcil. ſignum eſt, non vero quia continet in ſe Sanguinem Chriſti.

Aſſumtio 2 ſolvitur negando Minorem. Namque, *Novum Teſtamentum in Sanguine* infert alium tropum. Nam Teſtamentum eſſe in Sanguine, non eſt propria locutio.

Quod attinet ad illud, quod dicit, *Hic eſt Sanguis meus*, perinde hoc dicitur ac, Panis eſt Corpus Chriſti.

QUÆST. XXII. *An particularum* IN, CUM, *&* SUB, *in myſterio Sacramentalis præſentiæ explicando, tolerabilis atque commodus ſit uſus?*

Antea negabat, Corpus Chriſti ineſſe in pane; jam hoc hic fatetur: ita ſcil. ſibi conſtat.

Argum. 1 ſolvitur; Quod inſervit præſentiæ Corporis Chriſti, ſcilicet ſpirituali, non vero corporeæ (neque tamen Chriſtus amplius hic eſt); ſive quod inſervit præſentiæ fidei.

Argum. 2. Ineptiſſimus eſt. Nam confeſſio ineptiſſima, vaniſſima, quoad punctum hoc, Ergo qualis confeſſio, talis erit illuſtratio.

Argum. 3 nihili eſt; imo contra ipſum peni-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

peniſſime facit, ut in diſceptatione apparebit.

1 Obj. Muſculi non ſolvit; Nam locum 2 Cor. 5, *Erat Deus in Chriſto*, ſic explicat, Erat Chriſtus Deus in Chriſto homine. Sed demus, omnia iſta vera, quæ hic congerit; tamen nihil ad rem iſta faciunt. Nam λόγος conjunctus eſt hypoſtatice cum humana natura; at panis & Corpus Chriſti non ſunt unita phyſice, quod probare hic debuit; ſiquidem Corpus Chriſti crucifixum non eſt amplius.

2 Obj. non ſolvit; Nam certe addunt Verbis Chriſti, imo ea pervertunt. Neque enim Chriſtus unquam docuit, Corpus ſuum eſſe in pane, aut Corpus ſuum eſſe hic in terris.

3 Obj. Muſculi non ſolvit; Nam certe non ſunt iſtæ æquipollentes propoſitiones, in quibus non eſt idem ſubjectum; propterea omnia in vanum, quæ hic loquitur, dicit.

QUÆST. XXIII. *An impii & increduli, vere participes fiant in Sacramento Corporis atque Sanguinis Chriſti?*

Argum. 1 ſolvitur. Præſupponit hypotheſin ineptam, quaſi ſcil. impii & increduli participes fiant Sacramenti. Obj. Atqui ſigni fiunt participes; Ergo & rei ſignatæ. Reſ. Non fiunt etiam, proprie dicendo, ſigni participes; ſed ejus, quod fidelibus ſignum eſt: Quemadmodum rebelles ſubditi, utut privilegia aliquando accipiant principis, illis tamen privilegia hæc non ſunt, quia ad ipſos non pertinent.

Argum. 2. Minor negatur, ſi impios intelligit, qui perpetuo in impietate perſeverant.

Argum. 3. Minor negatur; neque enim Corpus Chriſti paſſum, crucifixum, aliter à nobis percipi poteſt, quam fide.

Argum. 4 ſolvitur diſtinguendo; 1. rei fiunt tales Corporis Chriſti, ſigna ejus indigne tractando: Quemadmodum, ſi quis imaginem principis indigne & contumelioſe tractet, reus eſt criminis læſæ Majeſtatis. 2. Rei ſunt non *accepti*, ſed *ſpreti*, eo ſcilicet modo, quomodo illi, *Matt.* 22, rei ſunt prandii, ad quod invitati ſunt, ſed non *acceptati*, aſt *ſpreti*.

Except. 1 dicimus nihili eſſe, neque eam defendimus.

Except. 2. Reſpondet, non nudum panem ibi, & vinum, intelligi debere, ſed talem, de quo Chriſtus dixerat, &c. Reſp. Talem quidem, de quo dixerat, quod eſſet Corpus; at non omnibus, ſed illis, qui fide ipſum accepturi eſſent, ut liquet, *Ioan.* 6.

Ad Except. 3 reſpondere vult, irrito conatu. Nam certe Iſraëlitæ rei erant Corporis Chriſti, manducantes indigne manna, & bibentes indigne aquam ex petra ſalientem. Et hoc idem dici debet de Verbo. Secunda Reſponſio ipſius, quam addit, ipſum ſubvertit. Nam dicit, Panem manducat hunc, Ergo non Corpus Chriſti.

Argum. 5 ſolvitur negando Majorem: & Auguſtino opponimus Auguſtinum, qui hac de re ita alibi: *Iudas accepit panem Domini, ſed non panem Dominum.*

Obj. 1 non ſolvit; Nam certe Chriſtus non ſe obtulit niſi pro electis. Eſt enim medium electionis exequendæ.

Obj. 2 non ſolvit; Nam certe Chriſtus non dat Corpus ſuum canibus; ita enim communionem haberet cum canibus; quod negat Spiritus Sanctus, 2 *Cor.* 6, qui nullam communionem eſſe ait Chriſti cum Belial.

Obj. 3 non ſolvit; quia fundamentum ejus eſt 2 Cor. 6, *Non eſt communio*, &c.

Obj. 4 non ſolvit; niſi petendo principium, quaſi ſcil. increduli ore capiant Corpus Chriſti paſſum; quod jam non ſemel refutatum eſt.

Obj. 5. Corpus eſt vivificum, ita ut, qui particeps fit corporis ejus, vivat in æternum, *Ioan.* 6. Nihil ergo nugaces iſtæ diſtinctiunculæ ad everſionem Argumenti. Hoc quod circa finem addit, *Impii vivificantur in noviſſimo die*, &c. cenſuram meretur; videtur enim ignorare iſte homo, aliam eſſe cauſam reſurrectionis impiorum, aliam fidelium ad vitam. Nam impiorum reſurrectionis cauſa eſt decretum Dei. vid. *Hebr.* 9.22. Fidelium vero, reſurrectio Chriſti, 1 *Cor.* 15.22, 23.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Obj. 6 non ſolvit; Nam certe in Sacramento Corporis Chriſti non ſimus participes alia manducatione, quam quæ deſcribitur *Ioan.6.*

Obj. 7 non ſolvit: Nam putat, Corporis Chriſti communicationem aliquam poſſe fieri, quæ ſit non ſalutaris; cum hoc neget Chriſtus, *Ioan. 6.*

Obj. 8 non ſolvit; quia unum ſumus in Chriſto, qui ſcilicet pane iſto legitime utimur, *Eph.* 5. 23, 29, 30.

Obj. 9 non ſolvit; quia præſupponit, quod Chriſti intentio ſit, ut ſit unio inter omnes & ſingulos homines & ipſum: quod falſiſſimum eſſe liquet ex *Ioan.* 17. 9. *& ſeq.*

QUÆST. XXIV. *An Corpus & Sanguis ſubſtantialiter in Sacro-Sanctæ Cœnæ uſu manducantibus atque bibentibus exhibeantur?*

Dicimus, Quæſtionem iſtam male formari: Nam nos libentiſſime hæc fatemur, quod in uſu legitimo Cœnæ Domini veriſſime ſimus participes Corporis Chriſti; Ergo inter nos de hoc convenit. Sed de hoc quæſtio eſt: Utrumne Corpus & Sanguis Chriſti ita exhibeantur in uſu Cœnæ Domini, ut IN pane, CUM pane, IN vino, CUM vino, exhibeantur? proinde à janua, quod aiunt, aberravit.

Videamus tamen Argumenta ejus. *Primæ Claſſis*

Argum. 1 nihil contra nos. Nam certe ſtatuimus; quod in Cœna *cœnanti* vere adeſt Corpus Chriſti, ſed non *ſymbolis Cœnæ.*

Argum. 2 aberrat à ſcopo, & ignorantiam Elenchi continet. Cum enim debuerit probare, vere participes fieri in legitimo uſu Cœnæ Domini, Corporis & Sanguinis Chriſti, probat, quod ore percipiamus Corpus Chriſti. Occini hîc poteſt Adverſario illud adagium:

——— ——— Amphora cœpit
Inſtitui currente rota; cur urceus exit?

Argum. 3 etiam à ſcopo aberrat; & præter hoc involvit iſtud, quod in ſymbolis panis & vini contineatur Corpus & Sanguis Chriſti.

Sed hic accuſat in Proſyllogiſmo Bezam & Piſcatorem, quaſi dicant, quod ſit ſolœciſmus in Verbis Lucæ, &c. At, ſi recte meminimus, non vocat *ſolœciſmum*, ſed *ſolœcophonem*; hoc vero aliud eſt, quam ſolœciſmus: Videri poteſt in notis ſuis ad locum iſtum. Præterea, ſi diceret ſolœciſmum, oſtendit quomodo accipi velit, per irregularitatem ſcilicet.

Secundæ Claſſis Argum. 1 nihil facit ad rem. Neque probat quicquam quæſtionem: Eſt igitur ignoratio Elenchi.

Tertiæ Claſſis Argum. 1 Elenchi ignorationem continet.

Argum. 2 itidem; & præterea præſupponit ineptam iſtam hypotheſin, quod in uſu Sacramentorum Veteris Teſtamenti legitimo non fiebant Veteres participes Corporis & Sanguinis Chriſti: quæ refellitur, vel ex uno capite, 1 *Cor.* 10. *verſ.* 2. hanc præſupponit, quod in pane & vino lateat Corpus & Sanguis Chriſti.

Argum. 3 itidem ignorationem Elenchi continet. Nam non debebat hoc concludere, quod concludit, ſed hoc quod quæſtio præ ſe fert, Anne in Cœna Domini exhibeatur verum Corpus & Sanguis Chriſti in legitimo uſu.

Argum. 4 etiam committit ignorationem Elenchi. Certum enim eſt, & nemo noſtrum negat, quod quæſtio vult, modo addatur, de uſu legitimo. In hoc autem Argumento præſupponit iſtam hypotheſin, quod Sacramenta Veteris Teſtamenti fuerint typi Sacramentorum Novi Teſtamenti.

Proponit Argumentum, cujus concluſio remotiſſime diſtat à Quæſtione.

Veniamus ad Argumenta contraria.

Primæ Claſſis 1 Obj. defenditur hac ratione, quod ſemper memoria ſit rei præteritæ, & Chriſtus in ſui memoriam inſtituerit; Arcæ autem Domini aderat Deus, at non ſimpliciter, ſed quatenus ipſis dederat legem, manna; quæ res erant præteritæ.

2 Obj. non ſolvit; Nam nos dicimus, non ſimpliciter Corporis Chriſti eſſe nos participes, ſed quatenus illud paſſum.

3 Obj. non ſolvit; quia tam in hac propoſitione, *Hoc eſt Corpus meum*; quam in hac,

Hic calix eſt Novum Teſtamentum, de ſubſtantialibus Cœnæ Domini agitur.

Ad 4 Obj. nihil reſpondet; Nam dicitur Novum Teſtamentum in Sanguine, quia ſignificat Sanguinem iſtum, & confirmat, in uſu legitimo, de ejus participatione.

5 Obj. non ſolvitur; ut ex ſuperioribus liquet.

6 Obj. non ſolvit; Nam ex Evangeliſtis clarum eſt colligere, Chriſtum etiam panem comediſſe Sacramentalem.

7 Obj. non ſolvit; niſi petendo principium, quod ſcilicet Chriſtus hic ſit nobiſcum inviſibiliter. Scriptura vero plane negat, hic eſſe Chriſtum.

8 Obj. non ſolvit; Nam certe Chriſtus non fuit abſconditus in pane, ſed erat extra panem, dum diſtribueret panem.

9 Obj. non ſolvit; quia certe de verborum ſenſu quæſtio eſt; de verbis ergo ipſis, an proprie, vel improprie ſunt accipienda.

Secunda Claſſis Obj. 1 non ſolvit; Nam Deus non poteſt contradictoria facere, quia contradictoria mendacium involvunt.

Obj. 2 non ſolvit; quia Chriſtus ita eſt in cælis, ut inde ſit venturus; hic ergo non eſt.

Obj. 3 non ſolvit; quia Chriſtus dicitur ſedere ad dextram Dei in cælis, & inde venturus.

Obj. 4 non ſolvit; quia Chriſtus revera aſcendit in cælum, ita ut in terris non ſit.

Neque Obj. 5, quia nulla communio eſt carnalis, niſi inter conſanguineos, qualis communio non attenditur in Cœna Domini.

Tertia Claſſis 1 Obj. Chriſtus oralem manducationem rejicit, & hæc ipſa eſt Capernaïtica, ut liquet *Ioan.* 6.

2 Obj. non ſolvit; quia Chriſtus, reſpondens ad oralem manducationem, dicit, quod caro non prodeſt quicquam; ſcilicet 1, caro abſolute ſumta, & non ſumta ut eſt in hypoſtaſi τȣ͂ λόγȣ. 2, Sumta ore, nam hoc directe opponit orali manducationi, & non ei quæ fit fide.

3 Obj. non ſolvit; quia univerſalis eſt iſta propoſitio, Matt. 15. 17: *Quicquid ingreditur os*, de cibo loquendo; nec ulla diſtinctio adferri poteſt ex Scriptura, quæ infringat univerſalem iſtam.

4 Obj. non ſolvit; Et ratio eſt, quia Chriſtus eſt ad dextram in cælis; non ergo quærendus ſub elementis.

5 Obj. non ſolvit; Et ratio eſt, quia eſt ad dextram in cælis; non ergo quærendus ſub elementis.

6 Obj. non ſolvit; quia Chriſtus & in cælis dicitur eſſe, & ſupra; ita ut dicatur, ad dextram in cælis, ad dextram ſupra.

7 Obj. male formatur à Beza, ſi ſic formatur; & certe non male reſpondet ad illud tertia reſponſione. Conſuli poteſt ſuper hac re doctiſſ. Sadaël.

8 Obj. non ſolvit; ratio, quia, ſi Chriſtus poſt paſſionem ſuam in terris manſiſſet perpetuo, Sacerdos non eſſet. Sacerdotis enim erat, non tantum ſacrificium pro peccatis facere, ſed Sanguinem ejus in Sancta Sanctorum, quæ typus erant cælorum, inferre. Oportebat igitur etiam Chriſtum in cælos aſcendere, ut ibi hoc, quod pro nobis in terris præſtitit, præſentet.

9 Obj. non ſolvit; & ratio eſt, quia certe prohibitum erat in Veteri Teſtamento ſanguine veſci, & in Novo ad tempus aliquod: Non ergo Sanguinem Chriſti ore biberant Apoſtoli, aut qui illos proxime ſecuti; neque ergo nos.

Quarta Claſſis Obj. 1 non ſolvit; nam certe analogiam ſubvertit ſigni & rei ſignatæ, qui utrumque corporaliter dicit ore percipi. De analogia actum à nobis antea.

Obj. 2 non ſolvit; ut liquet inductione Sacramentorum; ita Circumciſio dicitur fœdus; Agnus, tranſitus Jehovæ; Calix, Novum Teſtamentum; Baptiſmus, lavacrum regenerationis.

Obj. 3 non ſolvit; niſi præſupponendo ineptam hypotheſin, in eo differre Sacramenta Veteris Teſtamenti à Novi, quod in Novi Teſtamenti Sacramentis contineatur res ſignata, in Veteris autem Teſtamenti non; cum in neutris contineatur, ſed in legitimo uſu, tam in Veteri Teſtamento, quam in Novo, rei ſignatæ participes fideles fiebant.

Obj.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Obj. 4. Petit principium.

Obj. 5 non ſolvit; niſi itidem petendo principium.

Obj. 6 non ſolvit; nam æque manducamus rem ſignatam in Verbo, ac in Cœna Domini: hoc tantum diſcrimine, quod in Sacramentis præter Verbum eſt analogia ſigni, & rei ſignatæ; & quod in Sacramentis uſus legitimus ſigni confirmat nos de rei ſignatæ exhibitione.

Obj. 7 non ſolvit; niſi diſtinguendo in communionem generalem & ſpecialem: Atqui non probat iſtam ſuam diſtinctionem, neque applicationem illius oſtendit, nedum ut eam quoque probet.

Obj. 8 non ſolvit; niſi negando, quod communionem in Veteri Teſtamento fideles habuerint cum Chriſto, quo ipſo omnes fideles Veteris Teſtamenti relegat ad orcum. Namque extra Chriſtum certe nulla ſalus, *Act.* 4.

Quintæ Claſſis, quam dicit Argumenta continere rationis,

1 Obj. non ſolvit; Nam ſolidi corporis eſt videri & palpari, niſi viſus impediatur, & tactus, ne tangat; at Scriptura nihil dicit viſum impediri, aut tactum, in hoc negotio.

2 Obj. non ſolvit; quia omne ſignum debet incurrere in oculos, alioquin non erit ſignum; Non vero res ſignata, quia contrarium teſtatur Spiritus Sanctus, *Ioan.* 6: nec ille quicquam contra ferre poteſt, quod ſit alicujus momenti.

3 Obj. non ſolvit: Inquit, *naturali ſeparatione nunquam*, &c. Atqui nos talem Sanguinem quærimus in Cœna Domini, qui naturaliter ſeparatus fuit à Corpore, fuſum enim Sanguinem communicamus.

4 Obj. non ſolvit; Nam aliter fuit Chriſtus Sacerdos, quatenus ſe obtulit; aliter quatenus oblatus. Nam oblatus eſt ratione humanæ naturæ: obtulit vero humanam naturam, qua Deus. Theologi ita ſolent diſtinguere: Oblatio eſt duplex, *activa*, & *paſſiva*; illa tribuitur Chriſto Deo, hæc Chriſto homini; adfertur ad diſtinctionem iſtam probandam locus Hebr. 9: *Qui per Spiritum æternum obtulit ſe inculpatum Deo.*

5 Obj. non ſolvit; Nam certe, quicquid neget, Sanguis Chriſti in terram effuſus computruit: neque eadem eſt ratio carnis & ſanguinis; caro enim principalis pars, ſanguis non item. Sed inſuper meretur cenſuram craſſa ipſius opinio. Nam arbitratur ille, fidem noſtram ferri in Sanguinem Chriſti materialiter conſideratum, non vero in Sanguinem ſub hoc formali, quatenus eſt *pretium redemptionis* noſtræ.

6 Obj. non ſolvit; Niſi negando, ſi in pane contineatur Corpus Chriſti, non eſſe diverſiſſimis locis.

7 Obj. non ſolvit; Nam idololatricæ Miſſæ fundamentum eſt inter alia, Chriſtum ibi eſſe præſentem, & ſecundum divinam, & ſecundum humanam naturam.

8 Obj. non ſolvit; quia contradictio omnis mendacium implicat; dicit enim idem eſſe, & negat idem eſſe. Ut autem Deus mentiri non poteſt, ita non poteſt ea loqui quæ contradictionem implicant.

9 Obj. non ſolvit; quia ſi ſimus participes Corporis Chriſti, abſque ore corporis, tum fruſtra ſtatuitur, ore corporis comedi.

QUÆST. XXV. *An loco vini in Euchariſtia poſſit adhiberi ſimplex aqua, vel aliud potionis genus?*

Negat; Nos affirmamus. Probatio noſtra potiſſimum pendet ex eo, quod, ſi ſignum eſſe poſſit, & ſignificare analogice Sanguinem Chriſti, Ergo poteſt adhiberi ad hoc ſignificandum, ubi ſcilicet vini copia non eſt. At verum prius, ut liquet ex 1 *Cor.* 10, ubi aqua idem ſignificabat Iſraëlitis, quod nobis vinum. Addo, non tantum aquam, ſed quemvis alium potum: ut, verbi gratia, in abſtemiis ſit; ut ſi, verbi gratia, abſtemius bibat lac; lac certe analogiam ſuſtinere poteſt & ſignificationem Sanguinis Chriſti.

Obj. *Signa hic duo*, &c. Limitamus; Vel panis, vel vinum, vel quod ad ſignificandum rem ſignificatam in analogia aptum eſt, ubi ſcilicet vini & panis veri copia fieri non poteſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Porro addit: Exploditur, &c. 1. Inepte; quia ſubſtantialia Sacramentorum ſunt, quoad ſigna, ut ſignificare poſſint quoad analogiam. 2 nihili eſt; Nam tam verbum habet promiſſionis in legitimo uſu illud, quod analogiam ſuſtinere poteſt in ſignificando, ac panis & vinum. 3 nihili eſt; Nam finis diſcriminat res.

Ad Bezæ Object. nihil reſpondet; Nam, ut diximus, ſub quovis cibo & potu, ubi vinum & panis haberi non poteſt, repræſentatur communio Corporis & Sanguinis Chriſti.

QUÆST. XXVI. *An fas ſit infantibus etiam Cœnam porrigere?*

Nos negamus; idque ex eo, quod, qui participant de Cœna Domini, debent ſe examinare; quod infantes non poſſunt: debent mortem Domini annuntiare donec veniat; quod infantes non poſſunt. Itaque, ſi quid tale ſentit Muſculus, quod tamen non putamus, ipſius ſententiam rejicimus.

QUÆST. XXVII. *An privatim etiam ægrotis in ipſorum ædibus adminiſtrari debeat Cœna?*

Nos diſtinguimus; Soli & uni homini non licet participare, ſed ſi plures ſint, qui cum ægroto participent. Vide 1 *Cor.* 11. *v.* 22. & *c.* 10. 17.

Secundo diſtinguimus. Nam aut ægrotus eſt, qui habet ſenſus exercitatos, & qui hoc non poſtulat; & tum illi deferendum non eſt: aut infirmus; & illi deferendum putamus cum priori conditione.

CAP. XXI.

De Adiaphoris.

QUÆSTIO I.

An Exorciſmus, quibuſdam Eccleſiis Confeſſioni Auguſtanæ addictis uſitatus, ſit res ſimpliciter impia, ideoque abroganda; an vero in claſſe rerum mediarum tolerabilis?

Quæ quia vaniſſima eſt, omni fundamento deſtituta, quamque multi Lutherani abjecerunt; idcirco eam ipſi relinquimus; ſi tamen difficultas alicui oboriatur ex ejus Argumentis, libenter ad illa ſumus reſponſuri.

QUÆST. II. *An fractio panis in Sacramento Cœnæ ſit neceſſaria & ſubſtantialis; an vero ritus ἀδιάφορος;*

Nos affirmamus; ille negat.

Argum. 1 ſolvitur; quia hoc neceſſarium eſt neceſſitate *mandati*, quia Chriſtus de omnibus iſtis dicit, quod acceperit panem, fregerit, dederit, & dixerit, *Hoc facite*.

Argum. 2. Sine fractione panis Cœna conſiſtit quoad *eſſentiam*, ſed non quoad *integritatem*. Poteſt enim eſſe homo totus eſſentialiter, licet manu, aut alia parte careat.

Proſyllog. nihili eſt; Nam aliud eſt, habere Sacramentum *verum*; aliud, *integrum*: Homo poteſt eſſe verus, etiamſi manu aut pede careat.

Argum. 3 ſolvitur; nam non tantum fractio conſiſtit in applicatione & diſpenſatione, ſed etiam in ſignificatione; vide 1 *Cor.* 11. *verſ.* 24.

Argum. 4 ineptiſſimum eſt; & certe fractio panis neceſſaria eſt τὸ διότι & τὸ ὅτι, hoc eſt, neceſſaria, & neceſſitate *cauſæ*, & *effecti*. *Cauſæ*, quia mandavit ut hoc fieret: *Effecti*, quia ſignificat nobis Corpus Chriſti fractum.

Argum. 5 ſolvitur; quia præſupponit hypotheſin falſam, quod fractio nihil ſignificaverit in Cœna Chriſti; cujus falſitas oſtenſa eſt ex 1 *Cor.* 11.

Argum. 6 ſolvitur, diſtinguendo inter fractionem *proprie* & *analogice* dictam: Nam divulſio membrorum à ſe invicem, analogice fractio; quia quemadmodum per fractionem divellebatur unum in multa; ita Corpus Chriſti per clavorum perforationem divellebatur partes in multas, &c.

Obj. 1 non ſolvit; & enſtaſis, quam adfert, inepta eſt, & refutata à nobis ſuperius; Reſpon-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ſponſio ſecunda petit principium; nam Chriſtus iſtis verbis, *Accepit, fregit, dedit*, ſubjicit, *hoc facite in mei commemorationem.* Reliqua, quæ adfert, ſunt ſtolida, neque micam ſalis habent; proinde etiam cenſuram noſtram non merentur.

Obj. 2 non ſolvit; & ratio eſt, quia Chriſtus juſſit fieri hæc omnia, accipere panem, frangere, & dare. & 2 quia non tantum diſtributionis ergo fregit, ſed etiam ſignificationis; Unde Paulus ad *Corinth.* dicit, Corpus Chriſti frangi.

Obj. 3 non ſolvit; quia, ut oſtenſum eſt, Chriſtus præcepit fractionem.

Obj. 4 non ſolvit; quia, ut diximus, ſignificatur fractione aliquid. Præterea ineptus eſt, dum putat, per fractionem diſtributionem notari; namque iſta diſtinguuntur in Cœnæ Domini inſtitutione; atque voculæ *fregit* ſubjungitur τὸ *dedit*.

Obj. 5 non ſolvit; Nam Baptiſmus, quoad aquam tantum, abluere debet ſordes corporis. Utitur Adverſarius ineptiſſimis enſtaſibus: ut, putat, vinum debere effundi: certe effunditur ex vaſe in vas; & effunditur dum bibitur. Reliqua, quæ attexit, vaniſſima, & ad rem non pertinentia.

Obj. 6 plane non ſolvit; Nam certe, ut diximus, Corpus Chriſti fractum analogice. Quemadmodum enim quæ franguntur, à ſe ſeparantur, ita in dilaceratione Corporis Chriſti contingit; partes quæ ſunt dilaceratæ, ſunt à ſe ſejunctæ. Vide *Goclen. in Miſcell. quæſt. Theol.*

Obj. 7 non ſolvit; quia vocatur quidem Cœna Domini, ſed non tantum; neque veſpera ſignificat aliquid, ratione rei ſignificatæ; at fractio ſignificat.

Obj. 8 non ſolvit; Proteſtatur quidem, ſe non docere, quod deliteſcat Corpus Chriſti in pane, & Sanguis in vino: ſed hæc proteſtatio eſt contraria facto; nam *c.* 20. *quæſt.* 22, proponit hoc, An IN, CUM & SUB pane, &c. & hoc ipſum defendit.

Obj. 9 non ſolvit; quia oſtenſum eſt, fractionem non tantum eo fieri, ut panis diſtribui poſſit, ſed etiam, quod panis fractus aliquid ſignificat, quod factum ſit in Corpore Chriſti.

QUÆST. III. *An placentulæ orbiculares, quæ apud nos in uſu ſunt, ſint verus panis Euchariſticus, an vero neceſſario panes grandiores & cibarios adhiberi oporteat?*

Contra hoc, Argumentum eſt certiſſimum; Quod fine deſtituitur panis, panis non eſt. Placentulæ iſtæ orbiculares, ſive oblatæ, quales ſunt in uſu Lutheranis, fine & uſu deſtituuntur panis; Ergo. Major illa certiſſima eſt, quia de rerum artificialium eſſentia & natura eſt finis. Minor vera eſt, certiſſima Medicorum confeſſione, qui dicunt, oblatas iſtas non nutrire, ſed nocumento eſſe utentibus, ſi copia mediocri ſumantur. Hiſtoriam aliquam lepidam referam, ex incerto auctore, quæ profligat totum hoc de placentulis: Invitaverat vir quidam magnus ad ſe Lutheranum Miniſtrum, & Orthodoxum; qui cum conveniſſent, diſputare cœperunt, Anne iſtæ oblatæ eſſent panis. Contendentibus acerbiſſime utroq;, interpoſuit hoſpes activus ſuam auctoritatem, & dixit, brevi ſe oſtenſurum utrius ſententia eſſet verior. Paulo ergo poſt adornat lautum convivium, ad quod utrumque vocat, & alteri quidem apponit panes, alteri vero plenam paropſidem oblatarum. Cum alter comederet, alter vero ringeretur, quod panem non haberet, & vero poſtularet ſibi panem tradi, adjicit hoſpes; ecce, inquit, diſputabas non ita pridem, oblatas eſſe panem, & jam non vis agnoſcere pro pane: atque hoc pacto conceſſit palmam Adverſarius.

QUÆST. IV. *An Symbola Euchariſtica manu prius accipienda ſint, quam ore?*

Urgebat perpetuo hactenus contra nos ſymbola Sacramentorum, quod non liceat aliis uti, etiamſi illa apta eſſent ad analogiam repræſentandam cum re ſignata, cum non poſſint alia haberi; & jam vult ſibi concedi, quod ore accipienda ſint ſymbola. Inepte hoc quidem. Nam certe liquet ex inſtitutione Cœnæ Domi-

ni, Chriſtum in manus dediſſe; non vero in os ingeſſiſſe; hoc enim verba iſta volunt, *Accipite, comedite.* Proinde quæ hic diſputat contra, vaniſſima ſunt.

QUÆST. V. *An Cantiones Latinæ, concentus Harmonici, & Organa Muſica, ex Eccleſia relegari debeant?*

Hæc Quæſtio multa continet; An cantiones Latinæ retinendæ in templo; id quod damnat Spiritus Sanctus, 1 *Cor.* 14. 2. An organa muſica ex Eccleſia relegari debeant? certe ita eſt. Namque organa iſta pars umbrarum erant; vide doctiſſime hoc oſtendentem Calvinum, in Comm. in *Pſal.* 34. Quæ adfert, reſponſione non digna.

QUÆST. VI. *An Cerei, aliquibus in Eccleſiis ad Sacræ Euchariſtiæ adminiſtrationem accenſi, ſint in claſſe rerum mediarum & licitarum?*

Stulta eſt, & ipſi relinquenda, in qua ſe oblectet.

QUÆST. VII. *An Altaria in Templis, ſuperſtitioni Papiſticæ dedicatis, reliqua, neceſſe ſit ſubverti & dirui?*

Vana eſt. ut enim ſacrificia nulla in Novo Teſtamento, proprie dicta, ita nec altarium uſus ullus; natura ergo ſua ſunt illicita.

QÆST. VIII. *An veſtis alba, qua Miniſtri aliquibus in Eccleſiis induuntur, ſit neceſſario exuenda & deponenda?*

Vaniſſima, de veſte exuenda; quam auctori relinquimus.

CAP. XXII.
De Vita Æterna.

QUÆSTIO I.

AN *futuri ſint gradus præmiorum & gloriæ in vita æterna?*

Contra nos non eſt. Nam nos idem ſentimus.

QUÆST. II. *An Socrates, Ariſtides, Numa, Camillus, Hercules, Scipiones, Catones, & alii Gentiles, participes futuri ſint vitæ æternæ?*

Itidem nihil contra nos; &, quod Cinglium accuſat, inepte facit; Nam Cinglius ex hypotheſi loquitur, ut oſtendit Bullingerus in Præfatione præfixa ipſius Operibus. Ex hypotheſi, inquam, ſi Socrates, & alii, religione Iſraëlitarum imbuti fuerint.

CAP. XXIII.
De Magiſtratu.

QUÆSTIO I.

AN *Magiſtratus capitali ſupplicio debeat animadvertere in hæreticos?*

Nos diſtinguimus inter hæreticos. Nam alii ſunt, qui propalam blaſphemant, quique ſeditiones movent; & in tales certe Spiritus Sanctus jubet gladio animadvertere; alii vero ſunt, qui & tranquilli ſunt, &, ſi quidem in fundamento errent, tamen blaſpheme non inſectentur alios; & cum iſtis agendum eſſe Magiſtratui mitius dicimus. Et hæc eſt ſententia omnium noſtrûm. Quam cum ille non animadvertit, more Andabatarum contra nos pugnat.

QUÆST. II. *An in foro Chriſtiano, ſecundum leges forenſes Moſaïcas judicari debeat?*

Præclare hanc rem tractavit Piſcator, in Præ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Præfat. ſua ad Exodum. Diſtinguit autem ibi leges forenſes: quaſdam *generales* facit; quaſdam *particulares*, quæ ob certas circumſtantias loci & aliarum rerum, quæ populo Iſraëlitico erant peculiares, datæ ſunt: hæ abrogatæ; illæ priores non ſunt abrogatæ; & ex illis judicandum eſſe docetur; 1. Quia lex divina perfecta eſt, pro quovis ſtatu hominis, Ergo pro judicibus in judicando. 2. Quia pientiſſimos Reges in Veteri Teſtamento voluit Deus omnia de finire ſecundum has leges; cur igitur etiam ſecundum has definiri non debeat? & cur leges divinæ non debeant præferri legibus humanis? &c.

Nos hic finem facimus. Deus nos ducat in omnem veritatem per Spiritum ſuum; & excitet ſemper aliquos in ſua Eccleſia, qui non tantum gregem ſibi commiſſum paſcere digne valeant, verum etiam contradicentes veritati Orthodoxæ convincere potenter poſſint. AMEN!

FINIS.

INDEX

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

INDEX CAPITUM.

Cap.		Pag.
I.	*De Scriptura.*	633
II.	*De Deo.*	634
III.	*De natura Chriſti humana.*	636
IV.	*De unione Perſonali.*	637
V.	*De propoſitionibus Perſonalibus.*	639
VI.	*De communicatione idiomatum.*	639
VII.	*De ceteris quibuſdam Symboli Apoſtolici articulis Chriſtum concernentibus.*	651
VIII.	*De Spiritu Sancto.*	653
IX.	*De Libertate in agendo.*	653
X.	*De Peccato.*	654
XI.	*De Lege.*	657
XII.	*De Evangelio.*	659
XIII.	*De differentia Sacramentorum Veteris & Novi Teſtamenti.*	659
XIV.	*De Fide ſalvifica.*	660
XV.	*De Prædeſtinatione.*	662
XVI.	*De Pœnitentia.*	671
XVII.	*De Iuſtificatione.*	ibid.
XVIII.	*De Sacramentis.*	672
XIX.	*De Baptiſmo.*	675
XX.	*De Sacro-Sancta Euchariſtia.*	680
XXI.	*De Adiaphoris.*	692
XXII.	*De Vita Æterna.*	694
XXIII.	*De Magiſtratu.*	ibid.

FINIS.

JOAN-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

JOANNIS MACCOVII,
S. S. Theol. Doctoris & Profeſſoris,

ANTI-SOCINUS.

CAPUT PRIMUM.

De Modo diſputandi cum Adverſariis in genere.

Quædam hic ſunt obſervanda externa, quædam interna.

Quænam ad externa pertineant.

1. *Videndum, quomodo hic agi debeat.*

Loquimur de modo, de tempore, de cauſis impulſivis. Nec enim de nihilo diſputandum, nec quovis tempore, neque cum quovis.

2. *Hoc attendendum, non eſſe temere diſputandum.*

Cum *temere* dico, intelligo & tum diſputare, cum nulla occaſio juſta offertur, & tum, cum nullus fructus ſperatur. Nam omnia debemus propter finem certum agere. Finem certum cum dico, ex *eventu* non dico finem certum; nam tum nunquam diſputandum eſſet: ſed dico finem certum ex *ſpe*, quam concipimus.

3. *Non diſputandum eſt, ubi nulla cauſa impulſiva, idque ne videamur oſtendendi ingenii cauſa diſputare velle.*

Deus enim non vult propter alium finem ſuſcipi diſputationem, quam ut ipſi gloria fiat; Hinc illud Pſaltis: *Non nobis Domine*, &c. *Pſal.* 115. Compertum hoc eſt, tales, utut ſæpe doctiſſimi ſint, confundi ab Adverſariis; quia Deus non vult, ut, quod ipſi debetur, ad nos trahamus; & media, quæ ordinavit ad fines hos vel illos, ad alia detorqueamus.

4. *Diſputationis vero juſta cauſa eſt cum Adverſario, vel cum provocamur, vel cum traducimur.*

Cum provocamur, tenemur reddere rationem fidei noſtræ; 1 *Petr.* 3. Cum traducimur, debemus, ut oſtendamus Eccleſiæ & externis, nihil tale in nobis eſſe, cujus accuſamur. Hinc confeſſiones exortæ apud Noſtrates, quas non modo ediderunt, ſed etiam defendendas apud quoſvis ſuſceperunt.

5. *Diſputandum non inconſultis aliis, ſive illi doctores, cum copia ipſorum eſt, ſive etiam qui æque docti non ſunt.*

Valde juvat conferre cum aliis conſilia, ſi fieri poteſt. Nam ſæpe hoc fieri non poteſt, præſertim cum ex tempore, inexpectato, cum aliquo agendum eſt.

6. *Nuſquam diſputemus, niſi aut plures adſint, aut aliqui ſaltem teſtes, ſi inter privatos inſtituatur diſputatio.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Non debemus facile diſputare ſine teſtibus; nam compertum eſt, Adverſarios, etiam tum, cum diſputationes conſignantur, multa ſolere mentiri. Occaſiones enim ipſis præciduntur tuto hoc faciendi, ſi aut deſcripta ſit diſputatio, aut etiam certi & fideles teſtes adſint, qui de toto negotio aliter teſtentur.

7. *Aliquibus videtur non inconſultum, ſi non tam voce diſputationes peragantur, quam ſcriptis.*

Utuntur potiſſimum hac ratione in rebus gravioribus. Et ita diſputatum eſt in Colloquio Altenburgenſi inter Theologos Saxonicos & Electorales. Ita diſputavit Reinoldus cum Harto. Et ita multæ diſputationes habitæ. Et modus quidem iſte non eſt malus, ubi tempus ſuppetit; at ubi tempus nullum eſt, modus iſte non eſt acceptandus. Quinimo hoc ipſo incommodior, quod plurima poſſunt pertractari, ſi voce inſtituatur diſputatio; cum, ſi ſcriptis agas, lente oporteat progrediaris.

8. *In diſputationibus debent etiam Moderatores quidam conſtitui, qui, ſi quis diſputantium exorbitaverit, eum in ordinem compellere & cogere poſſint.*

Ubi licentiam nanciſcuntur Adverſarii, fieri non poteſt, quin & conviciis agant, & tumultuarie, dum perſonas & rem inſectantur. Tumultuarie, dum nec alterum audire velint, & ſoli loqui; quod præcavetur, ubi Præſides & Moderatores colloquii, viri graves & prudentes conſtituuntur.

9. *In privatis colloquiis debemus efficere, ut non minus veritatem tueamur, quam ut modeſtiam præ nobis feramus.*

Non debemus turbas inter diſputandum excitare, ſed placide & modeſte agere; quicquid Adverſarii in contrarium agant; ſæpiſſime enim hoc facto homines, qui rem non intelligunt, etiam Adverſarii, in hanc deducuntur opinionem, ut agnoſcant, nos cauſam bonam fovere.

CAP. II.

ACTum de externis, agendum de internis, quæ ad Diſputationem requiruntur; Et quidem tum ex parte Opponentium, tum ex parte Reſpondentium, tum ex utriuſque.

Ex parte utriuſque quænam obſervanda.

1. *DEbemus perpetuo nos exercere, & , ſi nullum habemus Adverſarium, ipſimet legendo, meditando.*

Theologus Chriſtianus eſt miles quaſi: Sicut autem miles vanus & ineptus eſt, qui ſe non perpetuo exercet; pari ratione & Theologus. Hoc imprimis impellere debet Theologum ad hoc exercitium, tum quod ſit omnium difficillimum, tum quod ſit maxime neceſſarium. Nazianzenus alicubi dicit: *Sua proponere, non eſt magni laboris. At vero ea tueri contra alios impugnantes, aut etiam aliorum impugnare, hoc difficillimum.* Et quidem revera ita eſt. Nam multos reperies, qui ſua recte proponunt, ubi tamen ea fuerint defendenda contra inſultus Adverſariorum, aut aliorum impugnanda, tum non videmus perinde felices.

2. *Exercitia iſta ut commode peragi poſſint, Auctores bonos comparare debemus in omni genere controverſiarum, & eoſdem diligenter legere.*

Non omnes ita ſunt felices, ut ex ſeipſis, abſque adminiculo aliorum, aliquid agere poſſint; Ideo mediis, quæ Deus ſubminiſtravit, utendum eſt ſedulo.

3. *Optimum factu fuerit, ſi ipſimet, legendo auctores, libellum conficiamus, in quo certa methodo controverſias proponamus.*

Nihil enim facilius retinetur in memoria, quam cujus ipſi auctores ſumus.

4. *In hunc vero librum non quævis argumenta conferenda, neque quævis reſponſa;*

ſa; ſed primo quæ intelligimus optime, quibuſque videmus ineſſe robur.

Multa in controverſiis tractatis ab aliis occurrunt, quæ vix capi poſſunt; illa plane omittenda. Nam quomodo poſſumus vel proponere, ſi argumentum non bene intelligamus; vel uti alicujus reſponſione, quam non ſatis capimus? Ergo imprimis talia deligamus quæ capimus, & in noſtrum *Vade mecum* referamus.

5. *Operæpretium vero fuerit ita verſari in omnibus controverſiis, ut non occupemur circa antiquas hæreſes, ſed circa novas?*

Velle cogitare de Controverſiis Manichæorum, Donatiſtarum, &c. ineptum eſt; ſed de Pontificiorum, Anabaptiſtarum, Socinianorum, &c. id vero noſtri officii eſt.

6. *Dum ita collegimus omnia, ſpectandum eſt* πρῶτον ψεῦδος *in omni controverſia.*

Plurimum hoc juvat; nam hoc producto ſtatim apparet vanitas controverſiæ; & ex nulla parte impugnari magis dogma hæreticum poteſt, quam ex hac.

7. *Omnia etiam revocanda ad analogiam fidei.*

Commodiſſima ea eſt ratio diſputandi, vel ſimplicibus, ex Oratione Dominica, Symbolo Apoſtolico, Decalogo, ex Inſtitutione Baptiſmi & Cœnæ Domini. Verbi gratia; cum mihi diſputandum eſt in aliqua re cum Adverſario, video annon argumenta ſint, quæ hinc peti poſſint; verbi gratia, An ex operibus juſtificamur? Dico, In Oratione Dominica nos petere remiſſionem peccatorum: Ergo non datur juſtificatio ex operibus. Item, In Symbolo, Credimus remiſſionem peccatorum: Ergo non juſtificamur ex operibus. Diſputandum, quod tres ſint perſonæ in eſſentia divina; Primum ſumo ex Symbolo: Credo in Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Addatur ex Scriptura, Quod fides in Deum ſolum tendat. Secundum peto ex Baptiſmi inſtitutione, quem inſtituit Deus Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Ergo tres ſunt perſonæ unius eſſentiæ. 1. Quia auctoritas eorum eadem eſt: Non enim dicitur *in nominibus*, ſed *nomine*. 2. Quia cultum divinum inſtituere eſt ſolius Dei: Atqui Baptiſmus eſt cultus divinus. Uno verbo: ſemper prius videamus, an aliqua argumenta pro noſtra theſi, & contra Adverſarii theſin, exinde petere poſſimus, antequam ad alia argumenta conquirenda nos conferamus.

8. *Ad alia argumenta cum progredimur, videndum unde potiſſimum peti debeant.*

Sunt aliqui, qui Vetus Teſtamentum rejiciunt, & contra hos duplici cautione utendum; Primo, ut utamur argumentis ex Novo Teſtamento petitis; Secundo, ut utamur argumentis ex Veteri Teſtamento, in quantum illa in Novo ſunt uſurpata à Chriſto, & ab Apoſtolis. Verbi gratia, diſputandum; An liceat ſub Novo Teſtamento ſupplicia maleficis irrogare? Negant Anabaptiſtæ. Utor 1 ad Rom. 13, *Non fruſtra gladium gerit.* Quod argumentum magni momenti eſt. Utor poſt argumento, quo Chriſtus uſus eſt in Novo Teſtamento, *Matt.* 15. 3: *Quare vos tranſgredimini legem Dei, &c. Nam Deus dixit: Qui non honoraverit patrem aut matrem, mori debet, &c.* Hic nullum effugium Adverſario. Nec enim poteſt dicere, Eſſe locum Veteris Teſtamenti; quia Chriſtus ſub Novo eum uſurpavit.

9. *Ubi hoc labore defuncti fuerimus, tum conſideranda Theſis Adverſariorum, cum ipſorum articulis reliquis; & ibi ad duo iſta attendendum: 1. Anne ipſorum hypotheſes argumenta quædam pro nobis ſuppeditent; hæc vocantur argumenta ad hominem. 2. Num una hypotheſis ipſorum alteram deſtruat.*

Utrumq; doctrinam falſam neceſſario conſequitur: Nam veriſſimum eſt: *Verum vero conſonat; falſum vero, nec falſo, nec vero.* Hoc autem conſequimur iſtis argumentis, ut Ad-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

verſarii in ruborem dentur, & ipſis oſtendatur, doctrinam ipſorum totam vacillare.

CAP. III.

JAm veniendum eſt ad ſpeciale requiſitum Diſputatoris: & 1, ad Opponentis.

Opponentis quænam officia.

1. Primo, *ut diſtincte argumentum proponat.* Secundo, *ut diligenter attendat ad genus reſpondendi.*

Plurimum ſitum eſt in hoc: Nam ſæpiſſime Adverſarius garrit, & multiloquio utitur, quod indicium eſt malæ ipſius cauſæ. Facit autem hoc, ut à propoſito abducat.

2. *Agendum vero cum Adverſario, ut directe reſpondeat.*

Directe dum dicimus, hoc volumus, ut reſpondeat vel *diſtinguendo*, vel *limitando*, vel *negando.* Aliqui diſtinctionem, vel limitationem, pro eodem habent. In hoc quidem non eſt multum ſitum; interim, quia natura iſta diſtinxit, operæpretium eſt cognoſcere, quid inter iſta interſit. Particulæ quædam ſunt, quæ rem diſtinguunt; quædam, quæ limitant. Diſtinctio clara eſt; membris enim ſuis proponitur diſtincte. Limitatio vero plerumque, imo ſemper, uno membro conſtat. Particulæ limitantes ſunt, *non tantum*, *ſecundum quid*, & quæ talia; verbi gratia, ſi quis dicit: Deus creavit homines; dico, non tantum, ſed & creaturas, &c.

3. *Si diſtinctio ab Adverſario afferatur contra argumentum noſtrum, debemus petere, ut illa probetur, & ſenſus ipſius popularibus verbis explicetur; ſi ſcilicet diſtinctio ſit realis.*

Utiliſſimum hoc eſt; Nam ſæpiſſime (quod noſtris aliquoties Miniſtris contigiſſe meminimus) Adverſarius affert diſtinctionem, ad quam ſtatim obmuteſcunt Opponentes; & ratio, quia illam ſæpe non intelligunt; cum tamen debebant ab idiotis diſcere, non facile admittere diſtinctiones, ſed jubere illas probare; quod ſi obſcurius proponantur, jubere ut popularibus verbis explicent. Fide digna accepimus, cum in diſputationem deveniſſet aliquis Miniſter cum Jeſuita de Idolis, & Miniſter urgeret præceptum ſecundum: Jeſuita, cum ſe ſenſiſſet conſtrictum, uſus eſt diſtinctione ridicula: Non ſunt facienda, inquit, ſculptilia *per modum entis*, ſed *per modum moris.* Bonus Miniſter, cum neſciret quid eſſet, conticuit.

4. *Quod ſi diſtinctio futura ſit verbalis, hoc eſt, vocis ambiguitatum, & Adverſarius velit confingere ambiguitates, debet eas probare auctoritate probatorum auctorum.*

5. *Solent etiam confingere diſtinctiones vocum ſive ambiguitates, & dicere, Vox ambigua eſt, capitur enim in hac ſignificatione, & in hac.*

Ubi hæc duo obſervanda. 1. Ut omnes proferat, quibus vox iſta ambigua competit. 2. Ut ambiguitates probatorum auctorum auctoritate muniat. Nam ſicut phraſes & ſignificata earum non facile admittimus, niſi fuerint probatæ auctoritatis; ita nec admittere debemus ſignificata vocis diverſa. Ratio, quia voces valent uſu.

6. *In diſtinctione, hoc inſuper obſervandum, quod non ſuffecerit probaſſe diſtinctionem, ſed etiam applicatio diſtinctionis ad rem oſtendi debet.*

Poteſt eſſe veriſſima diſtinctio, & probari facile; ſed quæ nihil ad rem pertineat; idcirco, ubi probata fuerit diſtinctio, applicatio ejus urgenda fuerit.

7. *Videndum eſt etiam, annon diſtinctio impingat in aliquem articulum fidei, & præcepta morum: & ubi hoc compertum fuerit, ſtatim reſumenda eſt diſtinctio, & argumentum formandum.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Lutherani tum impingunt, cum aperte diſtinguunt contra articulos fidei. Verbi gratia; diſputamus, Chriſtum diſceſſiſſe à nobis: Reſpondent, Diſceſſit *viſibiliter*, non *inviſibiliter*: hoc eſt contra articulum de aſcenſione Chriſti. Cum urgemus, Chriſtum non poſſe eſſe in orbiculo panis; quia oporteret, ibi corpus contentum majus eſſe continenti: quod eſt contra omnem naturam. Reſpondent, *hyperphyſice*, non *phyſice*. Dicimus: at eſt per omnia nobis ſimilis, excepto peccato; noſtrum autem corpus neque phyſice, neque hyperphyſice, poteſt contineri in eo, quod ne milleſima parte adæquat corpus noſtrum.

8. *Quod ſi non occurrat ex articulo aut præcepto abſurditas aut falſitas, videnda loca Scripturæ, quæ de eadem re agunt.*

Omne quidem Verbum Dei, quod ad ſalutem ſcitu neceſſarium eſt, ad hæc refertur; interim ſæpe evenit, ut non videamus, quomodo aliquid cum articulo fidei pugnet; videmus tamen, quomodo cum hoc & illo Scripturæ loco pugnet; tum vero locus iſte adferendus.

9. *Si vero Adverſarius aliquid negaverit, rationem negationis dare debet.*

Apud Philoſophos turpe eſt negare quid ſine ratione; multo magis apud Theologos. Nam quæ diſputantur inter Philoſophos, non concernunt ſalutem æternam, niſi forte practica ſint. At de quibus diſputatur inter Theologos, concernunt ſalutem æternam.

10. *Opponens, argumentum ſuum debet ita inſtituere, ut, ubi videt, nullam bonam reſponſionem ſibi dari, & omnia percurrerit contra allata, addere debet: Quia argumentum meum manet in rigore, nec quicquam ad ſolutionem ejus aſſertur ſolidi, pergo ad aliud.*

Obſervandum hoc fuerit bene, ut non tantum re appareat, argumentum non ſolutum; verum etiam ut illud ipſum etiam teſtemur: ita commonefient rudiores de toto negotio.

11. *Opponens, accedens ad theſin oppugnandam, videat, an legitime ſit poſita.*

Jeſuitæ ſunt artifices miri in theſibus inſulſe ponendis. Apparuit hoc in Ratisbonenſi Colloquio, ubi diſceptandum erat de Judice Controverſiarum in religione. Formarunt autem ita theſin: Sacra Scriptura non eſt Judex Controverſiarum in dogmatibus fidei. Hæc theſis non proponebat id, de quo agendum fuerat: Nam debebat affirmative concipi, quis ille Judex Controverſiarum eſſet; idcirco urgendi fuerant à parte adverſa hoc pacto: Omnis vera negatio pendet à vera affirmatione: ſi vero hæc vera negatio, date veram affirmationem, ex qua hoc pateat.

12. *Sæpe etiam theſis perplexis & involutis verbis proponitur, ut ſenſus non facile appareat.*

Urgendi ergo fuerint, ut aperte theſin colſlocent, & oſtendatur, quis ſit ſtatus controverſiæ.

13. *Cetera, quæ forte omiſſa ſunt, ſuppleri poſſunt ex lectione eorum, quorum extant diſputationes publicæ, tum etiam ex modo peculiari diſputandi cum Socinianis, quem ſubjungemus.*

Hoc addimus: Præcipua duo membra Adverſariorum & fundamenta eſſe. 1. Ubi fuit religio veſtra ante Lutherum? 2. Patres. Sed quomodo in his debemus verſari, compendioſe & optime oſtendit Molinæus in Anatome ſua Miſſæ. *Primum* quidem, c. 21 lib. 1. *Secundum*, cap. 22 ejuſdem libri. Hæc diligenter legenda & ſervanda.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

CAP. IV.

Quomodo in reſpondendo Adverſariis nos gerere debemus.

1. *Partem aliquam oſtendimus contra Socinianos. Sciendum eſt in reſponſione potiſſimum eſſe, ut attendamus ad concluſionem argumenti, hoc eſt, an bene opponat, & directe contra hoc quod debet.*

Maxime ad hoc attendendum eſt. Nam multi ſunt, qui parum penſi habent, quid garriant, & ita ſæpe ignorationem elenchi committunt; ſi vero hoc factum fuerit, monendus eſt Adverſarius, ut directe contra theſin argumentum ſuum formet.

2. *Nobiliſſimum genus reſpondendi eſt, ſi enſtaſi, contra majorem vel minorem allata, tollere poſſimus argumentum.*

Verbi gratia, Pontificii dicunt: Cui commiſſa eſt cura paſcendi oves, ille eſt caput Eccleſiæ. Pontifici Romano eſt commiſſa, *&c.* *Reſp.* Majorem non eſſe univerſalem; quia cuivis Paſtori hæc cura commiſſa eſt. 1 Petr. 5, *Paſcite gregem*, &c. Et *Act.* 20.

3. *Si argumentum concipiatur verbis impropriis, rejicere debemus, & compellere Adverſarium, ut propriis verbis illud concipiat; quia, quæ impropria ſunt, obſcura ſunt; Obſcura autem non debent proponi, ſi perſpicua poſſint. Quod ſi vero ipſe non poſſit reducere ad propria, debemus nos ipſi hoc præſtare.*

4. *Si argumentum patitur ut diſtinguamus, debemus diſtinguere; Nam ad quod poſſumus per diſtinctionem reſpondere, nunquam per negationem reſpondendum.*

Duo conſequimur per hoc. 1. Quod non facile illaqueet nos Adverſarius. Nam, ſi negemus, cum diſtinguere poſſemus; aliquid veri negamus, & ita nos periculis objicimus. 2. Quod facile homines confundat diſtinctio, præſertim ſi ſit clara, & fundamentum in re habeat.

5. *Propterea, dum legimus bonum Auctorem, attendendum ad hæc duo. 1. Ad regulas Theologicas. 2. Ad diſtinctiones & limitationes.*

Ubi tale quid occurrit inter legendum, ſtatim referendum eſt in *vade mecum*, de quo ſupra; & ad locum eum, ad quem referri debet; ut poſtea prompte inveniamus. Nam regulæ faciunt nos bonos Opponentes; Diſtinctiones & limitationes faciunt nos bonos Reſpondentes.

6. *Non tantum diſtinctiones & limitationes obſervandæ, ſed videndum, qua ratione fiat applicatio ad rem; quod obſervandum, ut parati eſſe poſſimus ad omnia.*

7. *Hoc ergo imprimis in diſtinctionibus eſt obſervandum, ut, quotieſcunque inciderimus in diſtinctionem Patrum aut Scholaſticorum, aut recentiorum Pontificiorum, quæ noſtris conformis, & quæ pugnat cum aliorum Pontificiorum dogmate, illam bene notemus, ut ita per retorſionem, & argumento ad hominem, reſpondeamus.*

Utiliſſimum eſt hoc; verbi gratia: In diſputatione Mikolajewy cum Smiglecio, Wilnæ in Lituania, Smiglecius ipſi objecit, quod Petro ter dictum ſit, *Paſce oves meas*; Ergo Petrus per hoc conſtituebatur caput. *Reſpondit* ille, Eſſe fallaciam non cauſæ ut cauſæ. Non enim ter ipſi dictum eſt, *Paſce oves meas*, ut per hoc conſtitueretur caput Apoſtolorum: ſed quod exciderat per ternam abnegationem Chriſti; ideo per ternam confeſſionem reſtituendus fuerat. Et huc ſtatim afferebatur Auguſtini teſtimonium in hanc rem, quod Jeſuita non poterat rejicere. Ita utuntur Pontificii iſto, *Eccl.* 9, ut certitudinem de remiſſione peccatorum impugnent: *Neſcit homo, amore an odio*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ſit dignus. Jeſuitæ autem Sa & Salmeron dicunt, non agi ibi, niſi quod homo alter de altero non poſſit colligere, an ſit in gratia Dei, vel odio, ex rebus externis. Alioquin, inquiunt, certe non loquitur de homine ratione ſui ipſius, quia homo ſceleratus, & peccatis indormiens, novit ſe odio dignum.

8. *Imprimis commendatur Thomas Mortonus Anglus, ſive potius ejus Apologia Catholica, in qua plures diſtinctiones affert ex Adverſariis contra ipſos, quam aliquot millia. Sunt autem editæ partes tres Londini,* 1605.

9. *Si textus vulgatorum Bibliorum diſſentit à textu Originali, prout ſæpe diſſentit, textus Originalis citandus.*

Proinde cum *vade mecum*, aſſumendus erit Veteris Teſtamenti Originalis Hebræus, & Novi Teſtamenti Græcus. Plerique ſunt apud Pontificios, qui ne literam norunt vel Hebrææ vel Græcæ linguæ, imo ex ipſis Jeſuitis. Proinde hoc conſequimur, ut metum incutiamus talibus, & in pudorem ipſos demus. Ut videre licet in diſputationibus publice habitis; verbi gratia, citant ex Pſalmo: *In ſole poſuit tabernaculum ejus.* At tale nil in Hebræo reperitur. Citant Eccleſiaſtis, *Neſcit homo, odio an amore ſit dignus*, &c. Nil tale habet textus. Item, Oſeæ 13, *Perditio ex te ô Iſraël! ſalus ex me.* Quæ ſententia, quamvis ſana ſit, in textu minime habetur.

10. *Si neganda eſt vel Conſequentia, vel Major, vel Minor, ratio attexenda ſtatim fuerit.*

Verbi gratia, dicunt, Judex debet judicare, ut utraque pars intelligat ſententiam; id eſt, una pars ſe victam, altera victricem eſſe; Dico, negando iſtam propoſitionem. Enſtaſis datur, *Ioan.* 5, Moſes accuſabat Judæos, nec tamen ii ſciebant & noverant, ſe accuſari à Moſe. Ratio etiam negandi; Quia in hac vita duo genera hominum, fidelium ſcilicet, & qui fideles non ſunt. Fideles capiunt & intelligunt Verbum Dei; Infideles, nullo modo; Quia *animalis homo non percipit*, &c. Ergo fruſtra in hac vita hoc expectatur, ſed reſervatur hoc in vitam futuram, ſeu in judicium extremum.

11. *Si ratio non facile occurrit negandi, convertendus eſt animus ad oppoſitam ſententiam, quæ Orthodoxa eſt, & ad loca quibus probatur, & locus aliquis pro ratione negationis afferendus. Quia* vera negatio pendet ex vera affirmatione.

12. *Vltimo, antequam reſpondeas, videndum eſt, quod genus fallaciæ committatur ab Adverſario; hoc enim invento, reſpondebis facillime: nominanda autem erit fallacia.*

Hæc ſunt principia quædam de modo & ratione diſputandi, quæ, ex obſervatione auctorum, locupletari à quovis diligenti lectore multum poſſunt. Omne enim principium eſt minimum, & principiis facile eſt addere.

CAP. V.

JAm propoſitum nobis eſt oſtendere, quomodo in ſpecie cum Socinianis diſputandum. Hic vero quædam; tum quæ naturam ipſorum, tum quæ modum ipſorum diſputandi attingunt, conſideranda veniunt. Quæ naturam eorum concernunt, vel Generalia ſunt, vel Specialia.

Quænam generalia.

1. *SVnt audaces in provocando.*

Peculiare eſt hoc iſti Sectæ, quod audacter provocent, contra quod eſt hoc remedium. Illi qui cum ipſis congrediuntur aut congredi volunt, vel ſunt *Exercitati*, vel *Rudes*. Rudibus non eſt conſultum cum ipſis diſceptare, aut, ſi non poſſint effugere diſceptationem, non debent evagari extra Catecheſin; Ubi enim ſe continuerint intra has metas, Adverſarii difficulter poterint obtinere quicquam adverſus illos. Exercitati qui ſunt, illi quidem audaces eſſe non debent, ſed tamen debent eſſe intrepidi; Nam qui trepidat, non tam quærit pro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

motionem cauſæ, quam famam ſuam. Objiciat aliquis: *Quis tandem pro exercitato habendus? Reſp.* Ille qui Corpus Theologicum, quod Loci Communes vocari ſolet, perſpectum habet; qui in Sacris Scripturis eſt exercitatus; qui Linguarum & Philoſophiæ peritiam mediocrem habet.

2. *Sociniani Philoſophicis potiſſimum utuntur in iis, quæ præcipua ſunt.*

Hoc perpetuo in ore habent: *Quod ſana ratio non repugnet Theologiæ*; quod quidem verum eſt, ſed inepte ab ipſis allegatur: Nam poteſt non repugnare, & interim ad probandum hoc, cui non repugnat, non eſſe ſufficiens: verbi gratia; Ea, de quibus Mathematica agit, non repugnant iſtis, de quibus Phyſica agit; & interim tamen velle aliquid probare in Phyſicis per ea, de quibus tractat Mathematica, eſt nil aliud, quam illud vitium, quod à Logicis vocari ſolet μετάβασις εἰς ἄλλο γένος, committere.

3. *Præcipua dicimus, quæ Deum attingunt; nam in iis plerumque procedere ſolent à voce communi ad rem, ac ſi illa eſſet communis.*

Hoc bene expendendum fuerit. Nam ex eo, quod res creatæ nomen habent commune cum creatore, concludere volunt, ſemper rem eandem etiam eſſe, quæ vocibus iſtis deſignatur. Eſt autem hoc notorium: *Deum nihil habere cum creatura commune, præter nomen.* Nam, ſi commune aliquid haberet in re, haberet naturam communem, non eſſet ergo infinitus, ſed finitus. Facere autem hoc Socinianos ſolere, patet ex iſtis graviſſimis controverſiis. 1. De perſona, in qua volunt, omnem perſonam diſtinctam, diſtinctam etiam habere eſſentiam. 2. Patet hoc in generatione Filii Dei æterna, quam ut negent, argumenta petunt à generatione Phyſica; & multa talia, de quibus in progreſſu.

4. *Quoties ergo hoc fit ab Adverſariis, toties repellendi ſunt, oſtendendo inconſequentiam, vel in genere, eo quod hæc præter nomen nihil habent commune; vel in ſpecie, diverſitatem, quam Scriptura indigitat inter utrumque, afferendo.*

Eſt Regula Theologica: *Nullus locus ſecum fert difficultatem, quin ferat remedium.* Quæ regula hoc ſibi vult: nullum locum ita eſſe difficilem, & nullum locum tam arduam afferre objectionem, quin idem ſubjiciat reſponſionem, ſi modo locus iſte attente legatur. Propterea dico, auferendam eſſe diverſitatem. Ita autem tunc fieri debet, cum occurrit exemplum aliquod, aut ratio; alioqui fit ut aliquando non occurrat, non vitio rei, ſed culpa noſtra; quia hoc, quod clarum eſt, non videmus. Jam ergo per generale hoc, repellendus fuerit Adverſarius: *Quod creatura nil commune ſit cum creatore præter nomen.* Sed demus exemplum prioris iſtius, per quod redarguetur Adverſarius in ſpecie. Si ergo argumentetur: Quod generatur, poſterius eſt tempore eo, à quo generatur. Atqui Filius Dei generatur. Ergo poſterior eſt Patre, à quo generatur. *Reſp.* Negatur Major. Nam ecce Filius Dei, qui generatur, nec tamen eſt poſterior tempore Patre, à quo generatur; etenim *per ipſum omnia facta ſunt*; fuit ergo ante omnia, &, per conſequens, ante tempus. Item, argumentantur ita: Quod generatum eſt, non fuit; & deſiit generari. Filius Dei generatus eſt. Ergo. *Reſp.* Hic iterum nego conſequentiam; & dico, falſum eſſe, de omni hoc dici poſſe: Nam Filius Dei generatus eſt ab æterno; fuit ergo ſemper. Nam quod æternum eſt, ſemper eſt indiviſibiliter; Item; Filius Dei generatur in æternitate: Ergo non deſiit, nec deſinit, quia æternum eſt ſemper immutabiliter.

5. *Fieri tamen ſolet aliquando, ut talia ex Phyſicis proferant, quæ ne in Phyſica quidem vera ſunt; aut, ſi vera ſunt, non ſunt tamen univerſaliter vera; proinde refellendi fuerint ex ipſa Phyſica.*

Quod tamen cum proteſtatione fieri debet, ut dicas, etſi non faciat ad propoſitum, quia ſubjectum Phyſicæ & Theologiæ diſtinctum eſt; tamen, quia hoc falſum itidem in Phyſica, falſi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

falſitatem oſtendo: verbi gratia; ſolent argumentari: Generatio Filii Dei aut fit, aut deſiit; Si deſiit, eſt mutatio facta in eſſentia divina; Si fit, imperfecta ergo eſt; Neque enim terminum ſuum adhuc aſſequuta. Hæc ex Philoſophia redargui poſſunt; ſunt namque aliqui actus, qui fiunt, & tamen perfecti ſunt: tales actus ſunt actus videndi & audiendi; & hi fiunt, & nihilominus ſunt perfecti.

Quænam ſpecialia.

IN ſpecie in diſputando obſervanda ſunt, vel mos quem obſervare ſolent in reſpondendo, vel quem ſervare ſolent in opponendo.

De more, quem in reſpondendo obſervare ſolent, ſunt hi Canones.

1. *Sociniani ſemper promptiores ſunt ad reſpondendum, quam opponendum.*

Et hic Sophiſtas agunt; accipiunt enim hoc quod facilius eſt; eſt namque facilius deſtruere, quam aſtruere.

2. *Porro in reſpondendo ita ſe gerunt, ut ad inuſitatiſſimas ſignificationes voces detorqueant.*

Uſitatiſſima eſt iſta regula: Ab uſitata ſignificatione vocis, aut phraſeos, non eſt deſcendendum, niſi ob graviſſimas cauſas. Quam quidem regulam admittit Socinus, & interim tamen frequenter in ipſam peccat; ut in progreſſu audituri ſumus.

3. *Cum non debeat vox aut phraſis ab uſitata ſignificatione transferri ad inuſitatam, ſine ratione; tum vero turpiſſimum hoc eſt, & ſine ratione & exemplo, ubi voces & phraſes totius orationis ad inuſitatiſſimas ſignificationes detorquentur.*

Hoc ipſum facit ridiculos Socinianos. Nam in voce aut phraſi non ita vitium hoc apparet, ut in aliquo toto orationis contextu. Sed ne videamur eos abs re accuſare, exempla ſunt ſuggerenda. Sumamus ergo exemplum, *Ioan.* 1. 1. Et illud ita interpretemur, ut illi ſolent. *In principio*, id eſt, dum cœptum eſt prædicari Evangelium; *erat verbum*, id eſt, Miniſter qui prædicabat hoc Evangelium; *& verbum erat apud Deum*, id eſt, Miniſter non erat notus niſi ſoli Deo. *Per ipſum facta ſunt omnia*, id eſt, reformata ſunt omnia, & ipſi Angeli, de quo dicitur, Col. 1: *Reconciliavit ſibi omnia.* Item exemplum alterum peti poteſt, ex 1 Tim. 3. 16: *Deus manifeſtatus eſt in carne, juſtificatus in ſpiritu.* De quo ſic in Catecheſi inquiunt, *pag.* 95. Hujus teſtimonii ſententia hæc eſt: Religionem Chriſti plenam eſſe myſteriis; Nam Deus, id eſt, voluntas ipſius de ſervandis hominibus, per homines infirmos & mortales perfecte patefacta eſt, & tamen nihilominus propter miracula & virtutes varias, quæ per homines illos infirmos & mortales edita ſunt, pro vera eſt agnita; eadem ab ipſis Angelis demum eſt perſpecta; non ſolum Judæis, ſed etiam Gentibus, fuit prædicata; omnes ei crediderunt, & inſignem in modum & ſumma cum gloria recepta fuit. Talibus explicationibus plena eſt Catecheſis illorum, quæ ridiculos ipſos reddit, non minus certe, quam ineptos iſtos, qui Apocalypſin & verba Apocalypſeos detorquent ad lapidem Philoſophorum. Et certe modus iſte Scripturas interpretandi, quem iſti ſervant, eſt ſimilis iſti, quem ſervant Alchymiſtæ aliqui in Scripturæ locis interpretandis; cum vero illa loca iſtos ridiculos reddant, tum maxime ſi invicem copulentur & connectantur. Ad ejus exemplum editus eſt liber Lipſiæ, cui eſt titulus, Evangelium ſecundum Socinum. Notandum hic, quo ineptiores ſunt in talibus, eo ſibi magis ingenioſos videri.

4. *Solent & hoc uti artificio in reſpondendo, ut, ſi feras locum Scripturæ, & illi exceptiones aliquas afferant.*

Si porro locum vindicare velis & tueri ex locis, qui de eadem re tractant, continuo clamitant, Jam ergo deſeris locum primum, & ad alium venis. Ineptiſſimi & in hoc. Sed exemplo res fuerit illuſtranda: verbi gratia, ſi proponas hoc argumentum pro divinitate Chriſti, Quod *per ipſum facta ſunt omnia.* Reſpondent,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ibi accipi pro *reformata* eſſe: ſi vero pergas, & dicas, Hoc modo non debet intelligi, quia hoc factum dicitur de cælo & terra, *Hebr.* 1. hic ſtatim audies, Ergo jam depulſus es de loco iſto, quo antea utebaris. Non magis autem ipſorum ineptiæ refelli poſſunt, quam ſi oſtendatur ipſis, in uno loco perfecte de re aliqua non tractari, ſed in uno loco doceri hoc, in alio aliud; quæ, comportata in unum, definitionem conſtituunt. Definitio autem inter alia hoc habet, quod ex illa, recte tradita, ad quævis facile dari poteſt reſponſum ſolidum. Si quis ſpeciem iſtius videre velit, ille legat Sadaëlem, qui, antequam diſputationem aliquam aggrediatur, in veſtibulo ſolet demonſtrationem (quæ in accidentibus tantum, poſitione partium, differt à definitione) ex variis locis conſtruere.

5. *Solent & hoc genere reſpondendi uti, ut omnia per* Poſſe *eludere velint.*

Videre hoc licet apud ipſos, qui ſæpe utuntur: Poteſt hoc ita intelligi, non neceſſario tamen; Ergo non ita, ut tamen vis. Quo genere reſpondendi etiam noſtrates ſæpe utuntur. Sed ſciendum eſt, illa, in quibus utimur talibus, duplicis eſſe generis; quædam, quæ magni momenti non ſunt; quædam, quæ maximi momenti ſunt; in illis ſufficere poteſt, ut oſtendamus, poſſe aliter accipi; ſed in his inſuper oſtendendum, quod debeat ita accipi. Ratio, quia circa talia non debemus fluctuare, ſed certi eſſe.

6. *Vtuntur etiam hoc genere reſpondendi, ut, ſi reſponſa ipſorum redigantur in Syllogiſmos, & ad illos reſpondeatur, querantur, quam ſophiſtice ſecum agatur, ut ex Reſpondentibus Opponentes conſtituantur.*

Vide Smalcium hac de re diſputantem in epiſtola dedicatoria ad Academiam Heidelbergenſem, præfixa Prælectionibus Socini. Hic nobis duo exponenda ſunt. 1. Quæ occaſio Socinianis iſta movendi. 2. Anne poſſint reſponſa ad Syllogiſmos cogi. Occaſio iſtius hæc eſt, quod, cum noſtri utuntur hoc genere reſpondendi (ut Sibrandus, Paræus), ſolent ita concludere: *Poteſt ita eſſe*, Ergo *debet ita eſſe*; & ſtatim inferunt, *à poſſe ad eſſe non valet conſequentia.* Sed qua ratione hoc argumentum valere debeat, dictum à nobis ſupra. Quod ad poſterius attinet, ſciendum eſt, Theologicas diſputationes, quoad reſponſiones, reddere ſuas certas rationes, ſi veræ reſponſiones ſint. Videre hoc licet in diſputationibus ſeriis, habitis inter Orthodoxos & Hæreticos, in quibus nullam reſponſionem videas, cujus ratio non detur: quod ſi ratio datur, tum certe in Syllogiſmum colligi poteſt. Nam omnis ratio eſt aliquid, ex quo aliquid inferri poteſt.

7. *Quod ad opponendum attinet, unum hoc in ipſis obſervavi (plura forte alii), quod, cum recurramus ad fundamenta ſive hypotheſes noſtras, dicant, nos petere principium.*

Verbi gratia; Quando diſputant, Chriſtum minorem eſſe Patre, & proinde Deum non eſſe; ſi hic reſpondeas, quoad humanitatem, minorem, ſed quoad divinitatem, æqualem eſſe; ſtatim audies, Petis principium. Smiglecius, vir doctiſſimus, etſi Jeſuita, id negat, contra Smalcium; negat & Camero, in eruditiſſimo libello, quem vocat, Amicam collationem cum Tileno, *pag.* 62. Verba ejus hæc ſunt: *Ceterum, non erat quod mihi objiceres petitionem principii, quia, cum Reſpondentis locum tuear, principium petere, dum ad hypotheſin meam recurro, dici non poſſum.*

8. *Quæritur, utrumne verum ſit quod hi dicunt?* Reſp. *Diſtinguendum eſſe.*

Nam Reſpondens aut hoc ipſo utitur ad defenſionem ejus quod impugnatur; aut alio aliquo: Si prius, tum utique, ſi ratio non addatur, nil aliud eſt, quam petere principium: verbi gratia, ſi dicam, Minor Patre Chriſtus, quoad humanitatem, non quoad divinitatem, nulla ratione addita; manifeſte peto principium, quia hoc ipſum illud eſt, de quo quæritur, An Chriſtus ſit Deus? Verum, ſi addam ratio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

rationem, & dicam, hoc dici ratione humanitatis, cum aliud quid ſit in ipſo, ſecundum quod æqualis Deo, ut patet, *Phil.*2; tum nulla erit principii petitio. Quoad poſterius; non petitur principium ibi, cum ad hypotheſes meas recurro: verbi gratia; Diſputo, me legem non implere perfecte; quia aliena juſtitia juſtificor. Utrumque Socinus negat. Sed tamen, quia prius & poſterius probo, fruſtra mihi objicit Socinus petitionem principii, quia ad hypotheſes meas deſcendo; hypotheſis ergo ipſi impugnanda fuerit; & hoc ſenſu veriſſimum eſt quod dicit Smiglecius & Camero.

CAP. VI.

De modo diſputandi cum Socinianis, in materiis particularibus.

CIrca modum diſputandi cum Socinianis, de particularibus, hæc ſunt obſervanda.

1. *Notanda ſunt ipſorum abſurda, & in numerato habenda.*

2. *Si coram hominibus cum ipſis agendum eſt, quia perpetuo volunt eſſe reſpondentes (norunt enim, facilius eſſe deſtruere, quam aſtruere), tale quid ponendum, quod compellat ad abſurditatem; ibi enim ſtatim ſpiritus remittunt. Verbi gratia, ſi diſputatur cum ipſis de eo*, An Chriſtus ſit Deus, *hæc abſurda in promptu habent: 1. Chriſtum Deum eſſe ex poteſtate, non natura. 2. Poteſtatem iſtam depoſiturum eſſe tempore ſuo*, 1 Cor. 15.

Hic res ita inſtituenda: Dico, Chriſtus dicitur verus Deus; Ergo eſt natura Deus. Statim confugiunt eo: Vocem *Dei* eſſe nomen *poteſtatis*, non *natura*. Hic ad tria compelluntur. 1. Quod etiam in æterno Deo vox iſta poteſtatem ſignificabit. Debent ergo dare vocem, quæ naturam ſignificat; quod in æternum facere non poſſunt. 2. Ergo non ſemper erit Deus, quia poteſtatem iſtam tradet Patri. 3. Ergo Deus Pater jam non eſt Deus pro hoc tempore; quia expreſſe docent, Deum nunc non gubernare omnia, ſed Filio tradidiſſe gubernanda; Si ergo poteſtas conſtituit Deum, oportet Patrem non eſſe Deum, quia renuntiavit poteſtati; ſed demum futurum Deum, cum Filius ipſi iterum reſignabit poteſtatem. Hæc eos miſere torquent, & tamen ſunt omnia ex ipſorum ſententia.

2. *Reſpondent*: Verum opponi falſo: ac proinde omnes eſſe Deos veros, qui ex inſtitutione Divina ſunt Dii. Hic quæritur, 1: An quis poſſit eſſe verus Deus, qui non ſit natura Deus, contra illud, *Gal.* 4. 8? 2. An verum tantum opponatur falſo, & non etiam metaphorico ſive figurato? Utrumque falſum. Nam certe Deus metaphorice dictus, opponitur proprio, & vero; ut & Deus ironice dictus. *Verum eſt, quod principia rei ejus, qua dicitur, habet*: Verus homo, qui veri hominis habet principia; Verum aurum, quod veri auri principia habet. *Excipiunt*: Etiamne de talibus improprie dicitur *veritas*, ut, quando Chriſtus dicitur, *vera lux*, *verus cibus*? *Reſp.* 1. Quæritur an habeat vera lucis & cibi principia? negabunt proculdubio. 2. Quare dicatur vera lux? anne quod eſſentiam veram lucis habeat? an quod per metaphoram ipſi vere tribuatur? Si prius; Ergo Chriſtus eſt qualitas: Si poſterius; Ergo hoc tantum ſequitur, Vere metaphorice Chriſtum poſſe dici lucem; Neque enim tropus quilibet vere de quolibet dici poteſt. Hinc Rhetores fundamenta quærunt, cur quid de aliquo tropice dici poſſit.

Probamus, Chriſtum eſſe Deum, ex eo, quod dicatur de cælo deſcendiſſe & veniſſe.

Hic 1, fabulam, Mahumetanæ non abſimilem, habent, de Chriſto rapto in cælum, iſto ſcilicet triduo, quo aberat à parentibus, ut edoceretur in myſteriis Dei. Ratio illorum eſt: Quia Paulus raptus fuit in cælum. Ubi 1, præſupponunt, Deum in terris non poſſe docere myſteria ſua, ita ut oporteat docendos in cælum rapi. 2. Putant, Pauli & Chriſti eandem eſſe rationem, cum Scriptura contrarium teſtetur; in Chriſto ſcilicet habitare omnes theſau-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ſauros ſapientiæ Dei, & Deum ipſi admetiri Spiritum ſupra conſortes.

Dum probatur Deus eſſe, ex eo quod fuerit ante Abrahamum; commenti ſunt, non debere verti; antequam fuit Abraham, *ſed*, antequam fiat, *hoc eſt, antequam fiat Pater credentium.*

Ubi 1, graviſſime premuntur, admiſſa etiam iſta ipſorum explicatione, ex Epiſt. ad *Rom.*4. 11; ubi dicitur in præputio adhuc fuiſſe Pater credentium. Jam ergo tum fuit. 2. Intricant ſe ipſos hic; Nam Chriſtus fuit temporibus Noë, 1 *Petr.* 3. Qui locus illos torquet. Imo fuit ante omnia; quia *per ipſum facta ſunt omnia*, Coloſſ. 1. Ubi ipſi diſtincte tribuitur Creatio vetus & nova. 3. Abſurda explicatio; quia elidunt ſubjectum propoſitionis: Ita enim dicunt: Antequam fiat pater omnium credentium, ego ſum. Ubi ſubjectum deſideratur, quis fuerit pater credentium. 4. Inducunt Chriſtum impertinenter reſpondentem ad quæſtionem.

Probatur divinitas Chriſti ex omniſcientia.

Joan. 2. Joan. 21. *Tu, Domine, noſti omnia*, &c. Quod omnia videat & noverit. *Regerit* Smalcius, pro ſuo acumine, in *Diſput. cum Franc.*, *Non eſſe abſurdum*, *videre Chriſtum poſſe omnia è cælo*; *quia lynx videre poteſt per aliquot milliaria.* 2. *Reſpondent*: Scientia iſta tantum pertinet ad regnum Dei, hoc eſt, Eccleſiam. Sed falluntur: Nam Phariſæi non erant Eccleſia, & tamen noverat cogitationes ipſorum; Joan. 2, *Ipſe ſciebat, quid eſſet in homine*, &c. Igitur ſcientia iſta extenditur ad hoſtes; & deſcriptio, quæ Deo ſoli tribuitur, ei tribuitur, Apoc. 2, *Ego ſcrutor corda & renes*, &c. Quomodo ergo ſcientia ejus coarctari poteſt? 2. Chriſto tribuitur prædictio eventuum contingentium, ut ſciret, quid eſſent locuturi, quorum aſinus erat, cum Apoſtolos mitteret; quid reſponſurus eſſet ille, qui hydriam aquæ portabat. Effugium hic nullum. Nam, ſi dixerint, ex revelatione Dei habuiſſe; *Reſpondeo*, 1. Hoc fieri non potuiſſe. Negant enim, Deum ipſum ſcire contingentia. 2. Quia omnes theſauri ſapientiæ Divinæ in eo inhabitant. Deus per Spiritum ſuum revelat: Atqui nihil revelat Spiritus Dei, niſi quod audierit ex Chriſto; *Ioan.* 16.

Probanda Chriſti divinitas ex creatione.

Probamus, ex Joan. 1; *Omnia per ipſum facta, & ſine ipſo factum eſt nihil*, &c. *Regerunt*, Id dici de nova creatione. Hic ſe in difficultates maximas conjiciunt. Nam 1, Scriptura diducit, quænam ſunt illa omnia, *Hebr.* 1. *Cælum & terra.* Hic ineptum effugium quærunt. *Inquiunt:* Non pertinere iſta ad Filium; cum tamen id copulativa particula *&* clare oſtendat. Rationem adferunt; quia non comparatur Deus cum creatura; cum tamen ipſe textus comparationem importat. Nam *verſ.* 11, Comparatio inſtituitur inter cælos & ipſum. Item *verſ.* 12. Præterea oſtendit illud, *Col.* 1, Quod non ſolum terram, cælum, ſed omni aquæ in illis ſunt, creaverit, *v.* 16. Hic itidem inepte volunt effugere, dicentes, de officiis hic agi; quaſi per Chriſtum officia Angelorum ſint mutata, cum quædam hic ſint, quæ *naturas* notant, non *officia*. Ut, verbi gratia, *viſibilia & inviſibilia.* 2. Iterum difficultas ipſis. Nam ſi agitur de nova creatione; Ergo, antequam Chriſtus exhibitus eſſet in carnem, nulla nova creatio fuit. Quomodo autem hoc conſiſtit in Scriptura, quæ expreſſe creationem novam ſtatuit, Ezech. 36, *Eximam cor lapideum*, &c. Pſal. 51, *Cor mundum crea in me Deus*, &c. Deut. 20, *Circumcidet Deus cor tuum*, &c. 3. Quomodo non abjudicandi erunt omnes, ante Chriſtum, vita æterna; cum certum ſit, carnem & ſanguinem non poſſeſſurum regnum Dei; item veriſſimum: *Niſi quis renatus fuerit*, &c. Præterea fideles fuerunt in Veteri Teſtamento, & fideles tales, quales nos ſumus: ut patet, *Rom.* 4; ubi Abraham pater credentium ſtatuitur. At fidelis & regenitus ſunt unum & idem. Inſuper, quod nova creatio plus requirat, quam creatio vetus; Nam præterquam quod eandem potentiam requirat, infinitam ſcilicet, 1 *Cor.* 4, etiam fieri non poteſt, niſi prius ſatisfiat pro peccatis; cum tamen nihil tale requiratur in creatione:

tione: Quod patet ex Scriptura, quæ condonationem peccatorum cauſam vivificationis ſpiritualis aſſerit, Coloſſ. 2; *Et nos una*, inquit, *vivificati*, *condonatis peccatis noſtris*, &c. Condonatio autem peccatorum, & redemptio, ſibi viciſſim conjunguntur, ut intelligatur, peccata nobis condonari propter ſatisfactionem Chriſti; *Eph.* 1. 7. 4. In Epiſt. ad *Coloſſ.* 1, utramque ipſi creationem tribuit; *Veterem*, à *v.* 15, ad 17. *Novam*, à *v.* 18. ad 23.

Argumentamur pro divinitate Filii Dei, ab invocatione ejus religioſa.

Hic iterum hærent. Nam utimur argumento: Deus ſolus eſt invocandus, *Matt.* 4. Hic infinitas afferunt exceptiones. 1. Fuiſſe hoc præceptum tantum pertinens ad Vetus Teſtamentum. At, cum urgentur de Angelo, quod ipſi cultus præſtetur in Veteri Teſtamento, ut *Exod.* 3: *Gen.* 22: *Inquiunt*, Deum ibi in Angelo adorari. *Opponimus*: Cur ergo iſte Angelus, *Apoc.* 19, & 21, non paſſus eſt, Deum adorari in ſe? 2. Excipiunt: Chriſtus uſus hoc argumento tempore Novi Teſtamenti. Ignoravitne hoc Diabolus? Aut forte Chriſtus eum decepit? Tum etiam Paulus, in Novo Teſtamento, ad *Gal.* 4, Galatarum pravam conſuetudinem reprehendit, quod ſervierint Diis, qui tales natura non erant. 3. Ex una difficultate in alteram ſe conjiciunt, & dicunt: non eundem cultum plane deferri Chriſto, qui Deo; nec eodem modo; non eodem modo, quia Deum tenemur invocare, Chriſtum non tenemur invocare. Hic tamen hærent, & loquuntur, ut ipſos nemo intelligat. Nam dicunt, nos non teneri invocare; cum autem urgemus, Chriſtum invocatum ab Apoſtolis & Chriſtianis, prout, *Act.* 9, inquit Ananias: *Habet poteſtatem vinciendi eos*, &c. *Regerunt*: Nullum eſſe dignum nomine Chriſtiano, qui non invocat Chriſtum; quomodo ergo iſta cohærent: Non tenemur invocare; & non digni ſumus Chriſtiano nomine, niſi invocemus? Ut ergo hoc evitent, dicunt: Debere nos invocare aliquando, at non ſemper; ſed & hoc quomodo verum eſſe poteſt? 1. Cum expreſſe dicat Chriſtus, Joan. 16, *Quicquid petieritis in nomine meo*, &c. 2. Cum expreſſe, 1 *Pet.* 2, dicatur, quod preces noſtræ non ſint acceptæ Deo, niſi per Jeſum Chriſtum. Nam, quod garriunt de diverſo cultu, quem etiam probare volunt, ex Joan. 12, *Qui credit in me, non credit in me, ſed in eum qui miſit me*, &c. In eo ſunt ſibi ſimiles, hoc eſt, ſtulti. Nam & modum Scripturæ non intelligunt; & clariſſimis locis Scripturæ, qui eundem cultum deferunt Chriſto, quem Deo, refelluntur. Modus loquendi non hoc vult, quod incipiat fides à Chriſto, & deſinat in Deum; ſed hoc, quod non in Chriſtum tantum credant, ſed etiam in Deum. Eſt enim modus loquendi ellipticus, Joan. 5; *Doctrina non eſt mea, ſed ejus*, &c. Hoc eſt, non tantum mea, ſed etiam ejus qui me miſit. Ita & Act. 5: *Non hominibus mentitus es, ſed Deo*, &c. hoc eſt, Non ſolum hominibus, ſed etiam Deo. Sicut illud, 1 Sam. 8. 7, *Non te ſpreverunt, ſed me*, &c. hoc eſt, non ſolum te, ſed & me. Quod autem idem cultus deferatur Chriſto, qui Deo, id primo patet ex Decalogo. Nam unus cultus tantum religioſus eſt, qui præſcribitur prima tabula. Si ergo cultus religioſus tribuitur; Ergo unus idemque eſt. 2. Is cultus quem ſibi in Veteri Teſtamento vult tribui Deus, is tribuitur in Novo Teſtamento Chriſto. *Eſai.* 45, Cultus tribuitur Deo, & defertur Chriſto, *Rom.* 14. Cultus quem ſibi vult Deus deferri ab Angelis, *Pſal.* 9. 7, jubetur deferri Chriſto, *Heb.* 1. 3. Nunquam conſcientiam ſuam poſſunt componere, ut invocent eum, qui non novit omnes receſſus cordis. Nam non invocamus tantum ore ipſum, ſed ſæpe in mente; tum vero etiam debet ſcire, quis ipſum ex fide invocet; quæ non poſſunt cadere, niſi in omniſcium, hoc eſt, Deum.

Circa miracula, ex quibus probamus, Chriſtum eſſe Deum, etiam experiuntur difficultates maximas.

Proponimus Chriſtum facere miracula. Dicunt: Facere miracula poteſtate ſibi conceſſa. Hic 1, Urgentur: Potentiam iſtam, qua miracula eduntur, potentiam eſſe infinitam; non poſſe ergo communicari creaturæ, cum creatura ejus capax eſſe non poſſit, utpote quæ fi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

nita eſt. Quod vero hæc potentia infinita ſit, liquet ex miraculis, quæ duplicis generis ſunt; quædam, quæ nulli creaturæ poſſibilia, ut, revocare mortuos ad vitam, res transmutare, unam in aliam, aquam in vinum; quædam, quæ poſſibilia quidem ſunt naturæ, ſed modus agendi naturæ impoſſibilis: Ita, febrim tollere naturæ poſſibile; At in momento tollere, & ſanum facere, non eſt poſſibile. *Inquiunt:* Etiam Prophetis & Apoſtolis hæc poteſtas erat communicata. *Reſp.* Apoſtoli non fecerunt miracula, ut & Prophetæ; ſed indicarunt, dum futura eſſent, quid Deus facere vellet, 1 *Reg.* 2. 21. *Act.* 9. 34. Hinc Scholaſtici non male inquiunt: *Inſtrumentum ſi dixeris miraculorum, morale dixeris & indicativum.* At in Chriſto ſe aliter res habet. Nam ille hæc vocat *opera ſua.* Cauſa etiam, quam dat, oſtendit, ipſius propria eſſe opera. Nam inquit: *Pater in me eſt, & ego in Patre.* Item: *Quæ Pater facit, ea Filius ſimiliter facit.* Vide item, *Luc.* 8. *v.* 46. Hæc certa ſunt, & hic ſe non expediunt, niſi objiciendo aliqua.

Quoad Spiritum Sanctum, & ejus eſſentiam.

Si quæramus ex ipſis, quid ſit? concedunt hoc, quod diſtinctus ſit à Deo Patre, ſed quid ſit, dicere nequeunt; aut varie ſe torquent. Dicunt ergo, eſſe attributum Dei. Quærimus, ſitne *accidens*, vel *ſubſtantia?* Non accidens; quia illud in Deum non cadit; non eſſet enim infinitus, quia compoſitus; Si ſubſtantia, duplex ergo erit eſſentia in Dei natura. Hoc poſterius nolunt, ſed prius. Verum, ſi quæratur ex illis, quomodo Spiritus Sanctus, ſi ſit accidens, loquatur, accipiat, audiat? Sunt iſta mirabilia, eſſe accidens Dei, & tamen loqui, audire, de iis quæ ſunt Filii, *Ioan.* 16. Hic dicunt: Improprie dici, accipere, audire, loqui. Atqui dicendum eſt, quid ſibi elocutiones illæ velint. 2. Scriptura teſtatur, eum loqui: *Dixit Spiritus Sanctus*, &c. *Act.* 13. Item, *Act.* 28: *Recte de vobis dixit Spiritus Sanctus*, &c. *Hebr.* 3, *Sicut dicit Spiritus ille Sanctus.* Hic nullum effugium juſtum; ſed ſe non deſtituunt. Dicunt ergo, hic Patrem vocari Spiritum Sanctum: Sed exemplum & Scripturam nunquam dabunt, ubi Deus Pater vocetur Spiritus Sanctus. Proinde fruſtra dicunt.

Dicimus: Spiritum Sanctum eſſe immenſum & infinitum.

1. Pſalm. 139: *Quo ibo à Spiritu tuo?* 2. Quia eſt in omnibus fidelibus; fideles enim ſunt templa Spiritus Sancti, & Spiritus Sanctus eſt in illis, 1 *Cor.* 6. 19. Hic iterum turbantur. *Inquiunt:* Spiritus Dei eſt gratia Dei. *Reſp.* Abſurde. Nam, *Pſal.* 139, de gratia non agitur, ſed ſimpliciter de præſentia eſſentiæ.

Cum ad æternitatem pervenimus, & probamus eſſe Deum, quia eſt æternus.

Deus enim ſeipſum diſcernit ab omnibus aliis per æternitatem: Spiritum Sanctum eſſe æternum, non minus clarum eſt; Quia Deus nunquam fuit abſque Spiritu ſuo. Hic 1, negant majorem; Quod ſcilicet ſolus Deus ſit æternus, & quod hæc ſit proprietas ipſius. Nam materiam quandam ponunt coæternam Deo, ex qua Deus omnia creaverit. Ita infinitudo abſurditatum ab ipſis nobis reponitur. At quomodo dici poterit Deus ſolus bonus? explicare hoc debent: quod non poſſunt certe aliter, quam dicendo, Bonus ſolus *independenter*; Ergo omnia reliqua *dependenter.* 2. *Dicunt*, Spiritum Sanctum non ſemper fuiſſe, ex *Ioan.* 7. *Reſp.* Abſurde. Nam dicitur fuiſſe in Prophetis, 1 *Petr.* 1. Deinde, ſi Spiritus Sanctus non fuit ab ipſo condito mundo, non ſalvati ſunt fideles Veteris Teſtamenti. Ratio; Quia, qui non habet Spiritum Chriſti, non eſt ejus, *Rom.* 8. Hoc etiam ne tentant quidem ſolvere.

Diſputant de eo, utrum Spiritus Sanctus ſit perſona.

Negant. *Objicimus:* Nuſpiam dicitur in nomine alicujus aliquid fieri, ubi perſona non eſt. At vero de Spiritu Sancto hoc dicitur: *Euntes baptizate in nomine Patris*, &c. *Matt.* 28. Hoc loco autem, *in nomine*, ſumitur pro auctoritate, quæ eſt perſonæ. Pro auctoritate ſumi liquet, *Act.* 4. 7. Accedit hoc, quod auctoritas eadem tribuitur Spiritui Sancto, quæ Deo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Patri; non enim dicitur, *in nominibus*, ſed, *in nomine*; quorum autem eadem eſt auctoritas, illi ſibi ſunt æquales; æqualis vero nemo poteſt eſſe Deo, niſi ſit ipſe Deus.

Cum probamus, Spiritum Sanctum eſſe perſonam, & quod voluntate intellectuque ſit præditus;

Regerunt: Tribui hoc Spiritui Sancto per proſopopœiam. *Reſp.* Proprie tribui Spiritui Sancto omnia, quæ perſonæ ſunt. Nam tribuitur ipſi, 1. Subſiſtentia, ut qui in ſpecie appareat; quod non eſt accidentis, ſed ſubſtantiæ. 2. Tribuitur ipſi intellectus, 1 Cor. 2: *Nemo novit ea, quæ ſunt Dei*, &c. Et ſic nulla proſopopœia eſt. 3. Tribuitur ipſi voluntas, 1 *Cor.* 12. & quidem cum tali circumſtantia, quæ reſpuit omnem proſopopœiam; *Diſtribuit*, inquit, *dona*, *ſicuti vult.* 4. Tribuitur ipſi ſermo, ut ante audivimus, cum circumſtantiis, quæ reſpuunt itidem omnem proſopopœiam. *Dixit Spiritus Sanctus, Segregate mihi*, &c.

Porro, cum ab invocatione argumentum ducimus, hic etiam hærent.

Dicimus: Invocatur Spiritus Sanctus, perinde ac Pater & Filius; Ergo non tantum Deus, ſed etiam perſona eſt: Deus eſt, quia invocatur; perſona, quia diſtincte invocatur. Utrumque probamus, 1 Cor. 2. 19: *Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, & caritas Dei, & communicatio Spiritus Sancti.* In hoc modo loquendi ſophiſticantur. Sed tamen urgentur: Sicut gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti infert invocationem Chriſti, caritas Dei infert invocationem Dei; ita communicatio Spiritus Sancti infert invocationem. Nam cur priora inferrent invocationem, & non inferret etiam poſterius? *Secundo:* Invocatur verbis ſignificantiſſimis Spiritus Sanctus, *Apoc.* 1. 4. Hic nihil oggerunt, quam ſeptem iſtos Spiritus non eſſe Spiritum Sanctum. Nam quare vocaretur ſeptem Spiritus? Ergo per ſeptem Spiritus intelligi Angelos ſeptem aiunt, de quibus, *Apoc.* 7. *v.* 2. Accedit inſuper, quod dicantur in conſpectu Dei eſſe; quod non eſt perſonæ divinæ. *Reſp.* Hoc non eſt reſpondere, ſed ſe intricare. Nam 1. oporteret invocationem tribui poſſe & debere creaturis, quod abſurdum, vel ex ipſorum opinione, qui dicunt, ſoli Chriſto hoc conceſſum. 2. Nulla eſt ratio, cur invocaret ſeptem Angelos, & non omnes qui ſunt, quorum ſunt millia myriadum, & qui omnes ſtant in conſpectu Dei, & ipſi miniſtrant, *Dan.* 7. *v.* 10. 3. Rationem dent, cur, verbi gratia, Angelus iſte, *Apoc.* 19, & 21, non patiatur ſibi deferri cultum religioſum. Tum & hoc maxime urget, Quod, quem invocamus, in illum credere poſſumus: quomodo autem credere poſſumus in Angelos? Ad hoc quod dicunt, Vocantur ſeptem Spiritus, *reſp.* Vocantur ſeptem Spiritus ea ratione, qua dicitur Deus accipere de Spiritu Moſis, & ad judices deferre, quos ipſi addidit; aut quomodo dicitur, duplum iſtius Spiritus, aut portio dupla, tradi Eliſæo; hoc eſt, dicitur, ratione donorum, ſeptem Spiritus, non ratione eſſentiæ. Dicitur autem ſeptem, ob præcipuas proprietates, quæ ipſi tribuuntur in Scriptura, *Eſaï.* 11. 2. Quod autem dicuntur eſſe in conſpectu Dei, dico hoc etiam de Filio Dei dici, qui tamen Deus æternus eſt. Dici autem de ipſo, *Dan.* 7. *v.* 13, 14. Nec eſt quod dicant; nos enſtaſin afferre controverſam. Nam licet apud illos controverſa eſt, de nihilo tamen controverſa: & enſtaſes tales locum obtinent, ſi poſſunt Adverſario efficaciſſime ſine prolixitate & perplexitate ſtatim probari.

Iam oſtendendum eſt, quomodo contra Dei naturam diſputent; & quomodo cum ipſis agendum. Negant Deum infinitum.

Diſputatur contra, quod ſit infinitæ potentiæ. Negant. *Probatur:* Quia ex nihilo aliquid creavit. Negant. *Probatur:* Quia ſolus bonus. Hic oportet hæreant. Probatur, Deum infinitum, *ſecundo*; Quia, qui peccant in Deum, infinitas pœnas perferunt. Infinitam autem pœnam ſequi oportet, vel ex actu peccati, vel ex objecto. Actus peccati finitus. Ergo objectum infinitum ſit oportet. Hic negant paſſionem iſtam, ſive mortem æternam; hoc eſt, hærent, & in abſurda labuntur, quamvis inter ipſos ſit diſſenſio; ſed plerique ſtatuunt, prop-

pter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

pter illud, Joan. 5, *Et prodibunt aliqui ad vitam æternam*, &c. Et *Dan.* 12.

Dicimus, Deum eſſe ſimpliciſſimum.

Negant. *Vrgemus:* Compoſitus ergo eſt. Admittunt. *Opponimus:* Compoſitum non eſt à ſe ipſo; Nam nemo ſui ipſius cauſa eſſe poteſt. *Hærent.* 2. Compoſitum eſſe finitum. Admittunt. *Vrgentur:* Finiti finitam eſſe ſcientiam. *Hærent.* Nam Deo tribuitur, quod noverit omnia. Aliqui audacter negant hoc. Aiunt enim, Ignorare contingentia futura. *Vrgentur:* Res eſſe, quia Deus ſcit & decrevit, non contra. Negant. *Vrgentur:* Ergo Deus præſcit eas antecedenter ad voluntatem ſuam. Atqui ita aliquid erit independens præter Deum. Affirmant. *Vrgentur:* Non ergo proprium Dei erit independens eſſe. Affirmant. *Vrgentur:* Atqui per ipſum & in ipſo ſunt omnia. *Hærent.*

Aſſertur argumentum pro ſimplicitate Dei.

Deus dicitur Caritas, Veritas, Sanctitas, *Amos* 4; Æternitas, 1 *Sam.* 15. *Reſpondent:* Hoc pacto vocatur, ſicut dicitur ipſa pietas homo pius. *Vrgentur:* Ergo erunt accidentia in Deo. Concedunt. *Vrgentur:* Ergo Deus non poteſt eſſe abſque illis. *Affirmant*, Nec abſurdum eſſe hoc dicunt. *Vrgentur:* Ergo abſque illis operari non poteſt; Quia ut ſe in eſſe habet, ita in operari. Non negant. *Vrgentur:* Ergo perficiunt naturam Dei. Quomodo autem perfectiſſimum ab imperfectiſſimo perfici poteſt? *Hærent.*

De æternitate cum ipſis diſputamus.

Probatur. Deus ſolus æternus; quia proprietatem hanc ſibi ſoli tribuit, & ab omnibus rebus per hanc diſtingui vult. *Negant*, ſolum eſſe æternum. *Vrgentur:* Nihil dari præter Deum, quod ſit æternum. *Reſpondent:* Tempus eſſe æternum. Si enim tempus eſſet factum; eſſet factum, vel ab æterno, vel in tempore. Si ab æterno, æternum; ſi in tempore, temporis dabitur tempus; & ſic in infinitum. *Reſp.* Vanum eſt; Accidentia enim, quale eſt tempus, non creantur, ſed concreantur. Eſt ergo inſufficiens enumeratio partium. Aut ab æterno; aut in tempore; aut cum rebus; hoc addi debebat, quod omiſſum eſt: Et certe res ita habet. Nam, ſive agas de *duratione rei*, quæ eſt *tempus internum*, poſterior eſt natura re; ſive agas de *menſura rei* per motum ſolis aut lunæ, quæ eſt *tempus externum*, & illa certe poſterior Sole, Luna. *Dicunt:* Eſto quod tempus non ſit æternum, eſt tamen materia æterna: *Ex nihilo enim nihil fit;* Ideo Deus ex materia aliquid fecit. *Vrgentur:* Ergo Angeli materiati, vel anima. Hæc admittunt. *Vrgentur:* Atqui Spiritus contradiſtinguitur corpori. *Contradiſtinctum autem includit negationem ſui contradiſtincti. Regerunt:* Contradiſtinguuntur ſecundum magis & minus; eſt enim unum corpus magis tenue, quam alterum. *Inferimus:* Atqui Deus corpus non eſt; quia eſt Spiritus. *Negant*, corpus non eſſe. *Vrgentur:* Omne corpus vivum, ſentiens eſt, aut non. Deus ergo aut ſentiens, aut non. Si ſentiens, erit animal; & proculdubio rationale. Similiter & Angeli. Et Deus ergo, & Angeli, erunt animalia rationalia. Hic hærent, &c.

Diſputamus de alienitate naturæ Dei à creaturæ natura.

Dicimus, Nihil eum habere cum creatura commune, præter nomen. Negant. *Probamus:* Si habet aliquid commune cum creatura; ergo habet communem naturam. Natura iſta communis vel erit dependens, vel independens; Si prius, Creator erit dependens; Si poſterius, Ergo creatura erit independens. *Reſpondent:* Poſſe eſſe independens, nec tamen Deum. Et dant in exemplum Spiritum Sanctum, qui in Deo eſt. *Reſp.* 1. Si Spiritus Sanctus non eſt Deus, erit accidens. Non negant. *Vrgemus:* Si accidens, ergo eſt dependens. *Hærent;* Philoſophiam cauſantur. 2. Si independens Spiritus Sanctus; Ergo hoc ipſi commune cum Deo. Communem ergo naturam habebit cum Deo; habebit genus commune. Hinc ſequetur, Deum quid ſe latius habere; Quia genus latius eſt ſuis ſpeciebus. Deum quid ſe prius habere; Nam omne genus eſt prius ſuis ſpeciebus. *Hærent.*

Diſpu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Diſputamus de immenſitate Dei.

Dicimus, immenſum eſſe: teſtari hoc Scripturam paſſim; *Ierem.* 23. *Pſal.* 139. *Reſpondent*, Deum eſſe per *potentiam*, non per *eſſentiam*, infinitum. *Vrgemus:* Accidens non eſt extra ſubjectum; ſi ergo potentia Dei immenſa, Deus ipſe immenſus erit. *Negant* ſequi; & accidens poſſe eſſe extra ſubjectum; afferunt animam rationalem in exemplum, quam dicunt quidem eſſe poſt mortem in *potentia*, non in *actu*; & tamen eſſe accidens. *Vrgemus*, definitionem accidentis negari. *Negant* legitimam eſſe, quando definitur accidens, quod inhæret. *Vrgemus*, Diſcrimen tolli inter ſubſtantiam & accidens. Nam hoc ſolum eſt, quod ſubſtantia per ſe ſubſiſtat, accidens vero in ſubſtantia. *Hærent.*

Diſputamus de juſtitia Dei puniente: Iuſtitiam Dei Deo eſſe naturalem.

Negant; Quia ſi eſſet naturalis Deo, neceſſario puniret peccata. *Opponimus:* 1. Ipſos hypotheſin hanc præſupponere, quod naturalia attributa neceſſario exerantur ad extra. Affirmant. *Vrgemus* potentiam Dei, quæ non neceſſario exeritur ad extra. *Hærent.* 2. *Vrgemus:* Si Deus non ex juſtitia agit, dum punit peccata; Ergo ex beneplacito; hoc eſt: Non quod peccatum meretur puniri, ſed quod ita placeat Deo, punire peccatum. Ubi animadvertendum eſt, inſulſos iſtos homines Deum injuſtitiæ accuſare, imo tyrannidis, cum docemus, Deum, Chriſtum, Filium ſuum, pro nobis in mortem expoſuiſſe. Quomodo, quæſo, injuſtitiæ accuſamus, cum juſtus non ſit negative? Perinde ac ſi quis dicat, cæcum eſſe lapidem, quia non videt.

Probamus, Deum poſſe unum propter alium punire.

Negant. *Vrgemus*, Gen. 20, propter Abimelechi raptum punitam totam familiam. Et 2 *Sam.* 21, propter violatum fœdus cum Gabaonitis, dicitur, punitos filios Saülis; & propter numeratum populum à Davide, 2 *Sam.* 24, punitos Iſraëlitas; in diluvio infantes propter peccata majorum; in everſione Sodomæ & Gomorrhæ infantes. *Regerunt Sociniani*, 1: Admittere ſe, pœnam temporariam immitti propter peccata majorum, non æternam. 2, Occaſione peccatorum majorum, peccata vindicari infantum. Utrobique *hærent*. Quoad 1, Objicimus ipſis, *Rom.* 11. Propter ingratitudinem majorum rejectos à fœdere. At, à fœdere rejectum eſſe, non importat mortem temporariam, ſed æternam. Vide iſta capita, & confer cum *Eph.* 2. Ad 2, Scriptura clare dicit, non *occaſione* peccatorum majorum, ſed *propter* iniquitates majorum, puniri poſterorum peccata; Quod patet ex locis citatis, 1 *Sam.* 21: *Propter Saülem & domum Saülis*, &c. 2 Sam. 24, *Elige tibi propter tuum peccatum*, &c. Non dicit *occaſione* iſtorum peccatorum: ſed *propter* tuum peccatum: Et David fatetur: *Ego peccavi; quid fecerunt iſti?* Sed quid opus diſcurſu prolixo? In Decalogo habemus: *Viſitans patrum iniquitatem, in tertiam & quartam progeniem.* Hic plane hærent. *Objicitur*, *Ezech.* 18: Puniturum filios, ſi ſecuti fuerint patres in iniquitatibus. *Dico*: Nil ad propoſitum. Nam hoc loco, *Ezech.* 18, agitur non de peccatis patrum, ſed de peccatis uniuſcujuſque; *Exod.* 20, contrarium. Et videre licet in diluvio infantum. *Regeritur*: Vindicavit morte temporaria. *Reſp.* Si Adæ peccatum vindicatur morte temporaria tantum, non æterna; Ergo non ſumus rei mortis æternæ ex peccato Adæ. Abſurdum! De Judæorum rejectione dictum ante. Videamus rem penitus; Act. 13. 46: *Vobis neceſſe fuit*, &c. *Act.* 28. 26. Hinc argumentamur: Si propter majorum incredulitatem aufertur prædicatio Verbi in multas generationes; Ergo propter peccatum majorum morte æterna punimur. Nam ſine Verbi Dei auditu & fide non ſalvamur. Sed verum prius. Ergo & poſterius. vid. *Apoc.* 2. 5. Ad omnia iſta reſpondere poſſunt: Liberi in lumbis peccarunt; rationem annectunt, quia habetur in Græco textu, *Rom.* 5, ἐφ' ᾧ, *in ipſo*. *Reſp.* Particula iſta, ἐφ' ᾧ, dupliciter à Theologis ſumitur; 1. *Subjective*; & ſic accipiunt plerique. 2. *Cauſaliter*; & ſic accipitur à Piſcatore. Socinus etiam ita ſentit. *Quæritur*; Utra explicatio verior? *Reſp.* Piſcatoris rationes ſunt:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

1. Quia, ſi capienda eſſet locutio in hoc ſenſu, quo volunt priores, ſequeretur, non *unius* offenſa conſtitui nos injuſtos. Nam non Adæ ſolius, ſed etiam noſtra offenſa conſtitueremur injuſti. At Scriptura; *Vnius offenſa*, &c. *Rom.* 5. 2. Sequeretur, mortem & reatum non per unum tantum hominem tranſiiſſe in nos, ſed & per nos ipſos & per noſtram offenſam; contra, *Rom.* 5. 3. Sicut vita in nos tranſit ex Chriſto, ita tranſit in nos mors ex Adamo. Nam 1 *Cor.* 15, dicitur; *ſicut in Adamo omnes moriuntur*, &c. At in Chriſto, ita vivificamur, ut propter ſolius imputatam juſtitiam vivificemur; Ergo etiam ita morimur, ut per ſolius peccatum moriamur. 4. Sequeretur illud abſurdum, ſi propterea, quia fuimus in lumbis Adæ, peccaſſemus; quod conditio eorum, qui remotiſſime ab Adami creatione naſcuntur, ſit conditio peſſima, quia illi fuerunt in tot lumbis tot hominum, quot ab Adamo propagati ſucceſſione naturali; quod tamen nemo admittere vult.

Diſputant de Satisfactione, illam non poſſe conſiſtere cum remiſſione peccatorum.

Dicimus, iſta conjungere Spiritum Sanctum, Remiſſionem, & Redemptionem, *Rom.* 3. 25, 26. *Eph.* 1. 7. *Declinant* hunc locum, & inquiunt; Quomodo ſatisfactio poteſt eſſe, ubi remiſſio? *Reſp.* Poteſt eſſe; & damus locum clariſſimum in Epiſt. ad *Philem.* ubi Paulus petit, Oneſimo condonari, & ſe tamen de ſatisfactione offert. Hic locus eos mire turbat; Idcirco ad abſurda hoc trahere volunt; Ergo nos etiam debemus condonare ſatisfactione accepta; Quia jubemur ita remittere, ſicut Deus remittit. *Reſp.* Particulam *ſicut*, in relatione ad Deum, non eſſe notam *æqualitatis*, ſed *ſimilitudinis*. Ratio; Quia Deus nil habet commune cum creatura, præter nomen. Si enim haberet, eſſet illud vel finitum vel infinitum: Si infinitum; Ergo infinita creatura: Si finitum; Ergo creator finitus. Oſtendimus inſuper, quia nemo poteſt peccata remittere, niſi Deus. Ratio; Quia in neminem peccatur, niſi in Deum, *Pſal.* 51. *Vrgent.* Tamen dicitur: *Remitte nobis peccata noſtra, ſicut & nos remittimus*, &c. *Reſp.* Particulam *ſicut* non eſſe *æqualitatis*, ſed *ſimilitudinis*. Dum ergo Deus dicitur remittere nobis peccata, proprie peccata intelligimus, ut ante diximus: dum nos dicimur remittere, *noxam* dicimur remittere. Peccatum enim commiſſum in proximum, in ſe includit peccatum proprie, & noxam. Illud Deus remittit ſolus, hanc etiam homines remittunt.

Impugnamus illos, dum dicunt, Chriſtum, moriendo pro nobis, non ſatisfeciſſe pro nobis, ſed in exemplum tantum mortuum.

Vrgemus. Si in exemplum; Ergo non eſt mortuus pro fidelibus Veteris Teſtamenti; quod negatur, Hebr. 9. *Reſp.* Dici mortuum pro peccatis præteritis, non quoad rem, ſed quoad ſimilitudinem. *Vrgemus*, Act. 15. 11, *Credimus, quod per gratiam Domini noſtri*, &c. *Reſp.* Male locum à nobis accipi. Verba enim iſta, *ſicut*, & *illos*, referenda eſſe ad Gentiles, ſive ad diſcipulos ex Gentibus, de quibus illic agitur. *Reſp.* Abſurde; nam ibi quæſtio eſt: Per quæ media ſalvari debeant diſcipuli ex Gentibus. Argumentum affertur: Eo modo ſicut homines Veteris Teſtamenti; alioqui ſcopæ diſſolutæ erunt. Accedit hoc, quod, *Apoc.* 7. 14, dicitur, in regno cælorum fuiſſe eos, quorum ablutæ veſtes in Sanguine Chriſti: ita ut nullum ibi viderit aliter conſtitutum. *Hic hærent.* Argumentum aliud habent in eam rem, Chriſtum Sanguinem ſuum effudiſſe, ut doctrinam confirmaret. *Contra.* Hoc pacto etiam minime mortuus eſt pro veteribus, nec poteſt dici ipſorum Servator, quia ipſi mortis ejus conſcii non fuerunt, ex Socini ſententia. Hic illi torquentur; & negant, ullum adhuc ſervatum eſſe. *Vrgemus* illud ad Latronem; *Hodie mecum eris*, &c. Hic ridicule ſe gerunt, & textum punctuant, dicendo; *hodie* referendum eſſe ad *dico*, non ad *eris*, &c. *Reſp.* 1. Quid opus erat dicere *hodie*, cum hoc notorium fuerit? 2. Chriſtus reſpondet ad verbum; *Quando eris*; dicendo: *hodie eris*. *Vrgentur*: Col. 1. verſ. 16. *Reconciliavit omnia in cælo & in terra.* Quis ergo in cælo eſt, & reconciliatione opus habuit, niſi peccator? *Reſp.* Agi illic de homini-

minibus & Angelis bonis, quod invicem ſint reconciliati. Tenentur hic. Nam dicitur, *ſibi reconciliavit*, non homines Angelis, aut hos illis. *Vrgemus* præterea, Apoc. 14. 13, *Beati qui in Domino moriuntur*, &c. In Græco habetur, *comitantur*; *Opera*, metonymice pro mercede operum. *Regerunt:* Dici hoc de hominibus Novi Teſtamenti. *Reſp.* 1. Quicquid ſit, ſi hoc admiſerint, coguntur fateri, animas ſupereſſe à morte, vivere, & felicitate frui. 2. Tenentur etiam de omnibus fidelibus, 1 *Cor.* 15; Aut enim reſſuſcitabuntur fideles Veteris Teſtamenti ad vitam æternam, aut non. Si non, obruuntur nimbo locorum Scripturæ, electos cum Abrahamo, Iſaaco, Jacobo, &c. fore in regno cælorum, *Matt.* 8. Si prius; Ergo in Chriſto reſurgent. Nam nemo reſurget ita, niſi qui in Chriſto obdormivit. *Addimus*; Si propter exemplum Chriſtus mortuus, & confirmationem doctrinæ; expediant ſe, quæſo, de eo, quod nobis objectant, crudelem Deum & injuſtum fore, quod Chriſtum innocentem pro aliis, ſive vice aliorum, puniverit, cum illi fateantur, nullam ob cauſam, tantummodo propter exemplum & doctrinæ confirmationem, Chriſtum paſſum eſſe. Accedit, quod, propter exemplum quem affligere & confirmationem doctrinæ, non eſt propter peccata hominum affligere. Nam etiam Sancti Dei homines in exemplum & confirmationem mortui ſunt; nuſquam tamen legitur in Scriptura, quod mortui ſint pro peccatoribus. *Vrgent*, 1 Reg. 1. 21. Hoc eſt, moriemur pro peccatis aliorum. *Reſp.* 1. Non hoc; ſed, reputabimur peccatores à malis. 2. Si morimur pro peccatis aliorum, tum deberet dici, fieri illos peccatum pro nobis, ut fiamus juſtitia Dei in ipſis. Maxime vero illud evertit commentum ipſorum, quod non dicimur reconciliati Deo per ſanguinem ipſorum.

CAP. VII.

De Erroribus Socinianorum in Genere.

Sociniani, præter voces communes, nihil habent commune, ſive retinuerunt, cum Chriſtianis, in re.

Peſtilentiſſima iſta hæreſis nihil habet commune in re cum Chriſtianis; ſed vocibus, quas retinent, ſubſtituunt quædam monſtra cerebri ſui: Itaque illis aliud eſt Deus, aliud nobis. Nam Deus ipſis eſt, qui ſolus æternus non eſt, qui ſimpliciſſimus non eſt, qui ſolus verus non eſt: alius eſt ipſis Chriſtus Sacerdos, alius Chriſtus Propheta, alius Rex: aliud juſtificatio noſtri, aliud fides. Omnia denique alia; ut in progreſſu patebit.

In ſpecie, ipſorum errores ſunt, vel circa principium Theologiæ, vel circa objectum.

Circa principium, vel abſolute in ſe ſpectatum, vel ſpectatum in relatione ad ſubjectum.

De principio in ſe ſpectato ſunt hi Canones.

I. *Negant, Veteris Teſtamenti ſcripta, vel, Vetus Teſtamentum ita eſſe perfectum, quoad præcepta fidei & morum, ut Novum Teſtamentum.*

Scire debent ſtudioſi Theologiæ, hunc canonem eſſe omnium controverſiarum fundamentum, aut ſaltem graviſſimarum, inter nos & Socinianos. Hoc multis probationibus non eget; quare paucis contenti erimus.

1. *Act.* 26. *v.* 22, dicit Apoſtolus, ſe nihil, extra Moſen & Prophetas loquutum eſſe, & interim tamen Apoſtolus, *Act.* 20. 27, dicit, ſe Epheſiis omne conſilium Dei expoſuiſſe.

2. *Act.* 17. 11, Laudantur Beroënſes, quia ea, quæ dicebantur à Paulo, examinabant ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Scripturas (videl. Veteris Teſtamenti); nullæ enim præter has illis temporibus extabant, nec recipiebantur à Judæis, quales erant Beroënſes, quos dicit Spiritus Sanctus Judæos fuiſſe, *verſ.* 11. Ergo oportet, Vetus Teſtamentum doctrinam totam, quam Paulus prædicabat, continere; alioqui, ſi quid prædicaſſet, quod in illo non fuiſſet, hoc utique rejectum fuiſſet ab aliis; cum Spiritus Sanctus expreſſe mandaverit Judæis, ne diſcederent à Verbo ſuo dextrorſum, aut ſiniſtrorſum, *Deut.* 5. 38.

3. Probatur hoc idem, quia Chriſtus & Apoſtoli omnia quæ docent, probant ex Veteri Teſtamento; ut, naturam duplicem, divinam & humanam, eſſe in Meſſia, probant ex Veteri Teſtamento. Apparet hoc etiam ex *Matt.* 22. 31; ubi Chriſtus reſurrectionem mortuorum probat ex Veteri Teſtamento. Apparet idem ex Paulo, qui, *Rom.* 4. 2, 5, doctrinam de juſtificatione fidei probat ex Veteri Teſtamento. Et ita pleroſque articulos fidei probat. Atqui fieri non poſſet, niſi Vetus Teſtamentum perfecte contineret dogmata fidei, & præcepta morum.

II. *Hinc jam ultro ſequitur, doctrinam Evangelii in Veteri Teſtamento perfecte contineri.*

Probato priori canone, non eſſet opus conſectaria adjicere; quia tamen Adverſarii præter univerſale hoc, conſectaria quoque, quæ inde deducuntur, ſingulatim carpunt; idcirco nos ea etiam ſingulatim defendemus.

Primum ergo hoc eſt: *Evangelium fuiſſe in Veteri Teſtamento.*

Probatur hoc, 1. ex ſumma Evangelii, quæ eſt, Act. 10. 43: *Huic omnes Prophetæ teſtimonium dant; accepturum remiſſionem peccatorum per nomen ejus quemvis, qui credit in eum.* Si ergo ſumma Evangelii fuit; Ergo & Evangelium.

2. Act. 15. 11, *Per gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, credimus nos ſalvatum iri, quemadmodum & illos.* Hic manifeſte docet Spiritus, nos ſervari, quemadmodum Patres ſunt ſervati. Atqui Patres non ſunt ſervati ex lege; Ergo per fidem: & ita fuit doctrina Evangelii in Veteri Teſtamento. *Reſp. Adverſarii* ad hoc poſterius argumentum: *Illos*, non referri ad Patres, ſed ad Gentes. *Reſp.* Inepte. Nam 1. Nulla ratio eſt, cur ad remotius pronomen relativum referri debeat; & non ad propinquius. 2. Rationes ſunt, quare ad propinquius referri debeat; quia Gentes Græca voce, τὰ ἔθνη, genere neutro efferunt, cui articulus generis maſculini tribui nequit, niſi quis velit καταχρηστικῶς fieri. 3. Ratio petitur à reipſa; Nam Spiritus Sanctus comparat Apoſtolos & Gentes Patribus, & dicit, ſervandos Apoſtolos & Gentes per gratiam Chriſti, ſicut & Patres; non autem, Apoſtolos ſervatum iri, ſicut & Gentes, per gratiam Chriſti. Nam de hoc quæſtio non erat, quomodo Apoſtoli ſervandi eſſent, ſed quomodo Gentes.

3. Probatur, Evangelium fuiſſe in Veteri Teſtamento; quia ſi non fuiſſet, oportuiſſet aut non eſſe ſalvatos Patres, & homines Veteris Teſtamenti; aut, ſi ſalvati ſunt, doctrinam Evangelii non eſſe neceſſariam ad ſalutem: quod abſurdum. Atqui multi homines ſunt ſalvati in Veteri Teſtamento. Hinc illud, *Col.* 1. *v.* 20. *Reconciliavit quæ in terra, & quæ in cælo,* &c. Et Matt. 8, *Multi accumbent cum Abrahamo, Iſaaco & Iacobo,* &c. Oportet ergo illos jam ibi eſſe; ſed clariſſime hoc ex Epiſtola ad *Hebr.* 12. 23, liquet.

Objiciuntur *hic à Socinianis quædam, quæ paucis diluenda.*

1 *Obj. Rom.* 1. 2. Ubi Apoſtolus dicitur prædeſtinatus ad prædicandum Evangelium, quod antea promiſſum fuerat, & non exhibitum erat. *Reſp.* Vocem *Evangelii* dupliciter accipi: vel pro doctrina de Chriſto, & beneficiis per ipſum acquirendis; & hoc modo Evangelium ſemper fuit, ut patet, *Act.* 4, & 10. Vel pro doctrina de Chriſto, jam non exhibendo, ſed exhibito; & hoc modo Evangelium nondum fuit, ſed cœpit cum aſcenſione Chriſti in cælum. Atqui nos diſceptamus de doctrina ipſa, de Chriſto & beneficiis ejus; non de doctrina, prout illa modificatur ab objecto.

2 *Obj.* 2 Tim. 1. 30: *Vitam produxit per*

Evan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Evangelium. Reſp. Vitam produxit & incorruptibilitatem per Evangelium, in illuſtri adventu ſuo; non quod antea non fuiſſet doctrina Evangelii revelata, ſed quod id, quod antea promiſſum erat per Prophetas, illuſtri adventu ipſius magis eſſet exhibitum. Quod autem hoc ita accipi debeat, patet manifeſte ex *Rom.* 10. 16. Ubi dicit Spiritus Sanctus, tempore Eſaïæ jam fuiſſe Evangelium, ſive doctrinam Evangelii; Ita enim prædicto loco habent verba: *Sed non omnes auſcultarunt Evangelio. Eſaïas enim dicit, Domine, quis credidit ſermoni noſtro?*

Vita æterna quoque promiſſa & nota fuit in Veteri Teſtamento.

Socinus, inter alias cauſas, quare Chriſtus Salvator dicitur, hanc dicit unam, quod Chriſtus primus ſit, qui docuit vitam æternam. Chriſtum autem tum demum cœpiſſe, cum homo natus eſt; nam ipſum Chriſtum ſtatuit purum hominem. At hæc ſententia plane eſt contraria Verbo Dei.

1. Annon enim vita æterna promiſſa veteribus? Clariſſime hoc docet Spiritus Sanctus, Hebr. 11. 10; *Expectabat civitatem illam habentem fundamenta*, &c.

Objicit Socinus: Illos quidem expectaſſe vitam æternam, nihil tamen ipſis fuiſſe revelatum vel promiſſum divinitus; ſed illos conjecturis quibuſdam hac in re nixos fuiſſe. Inepte. Nam 1, dicitur hoc loco, quod per fidem expectaverint civitatem illam, cujus conditor Deus; ſi per fidem, ergo habuerunt hoc ex Verbo Dei; *Rom.* 10. 17. 2. Dicitur hæc ipſa civitas promiſſa, *c.*11. 3. Vanum ergo eſt, quod nihil de vita æterna fuerit ipſis promiſſum aut revelatum.

2. Idem docet Spiritus Sanctus, 1 *Petr.* 1. 9, 11: *Reportantes mercedem fidei veſtræ, ſalutem animarum, de qua ſalute exquiſiverunt & ſcrutati ſunt Prophetæ.* Ergo nota fuit iſta ſalus Prophetis. Ergo fuit nota in Veteri Teſtamento doctrina de vita æterna.

3. Probatur hoc, ex *Luc.* 16. 29: Petit ibi Epulo, ut mittatur Lazarus ad fratres ipſius, ne & ipſi damnentur; remittit ipſum Abraham ad Moſen & Prophetas, quos ſi audituri eſſent, non eſſent deventuri in locum inferni; quod ſi ita eſt, concluditur hinc, jam Moſen & Prophetas ſciviſſe de vita æterna. Namque, ex quorum doctrina cruciatus æternos evitare poſſumus, ex illorum doctrina poſſumus cognoſcere oppoſitum, ſcilicet vitam æternam; imo non tantum cognoſcere, ſed & obtinere; quandoquidem non poſſumus effugere inferni pœnas, quin & participes fiamus vitæ æternæ.

4. Argumentum pro hoc eodem, petitur ex Joan. 5. 39: *Scrutamini ſcripturas, & illæ ſunt quæ teſtantur de me. Reſp.* Socinus: Illos potuiſſe habere vitam æternam in Scriptura, ſed tamen hoc non revera fuiſſe, & propterea uti Chriſtum voce hac, *Videmini. Reſp.* Inepte. Nam illa vox Græca, δοκεῖτε, non ſemper opinionem infert falſam de re, ſed etiam ſæpe ſententiæ veritatem, ut 1 *Cor.* 7. 40: & quod hæc vox ſententiæ veritatem ſignificet, patet ex *Act.* 24. 14, 15.

Veteres non tantum temporales, ſed etiam ſpirituales, promiſſiones in Veteri Teſtamento habuiſſe certum eſt.

Conjungunt hic Sociniani dexteras cum Pontificiis, qui ſtatuunt, veteribus non factas promiſſiones ſpirituales, ſed temporarias. Hinc Bellarminus dicit: Propterea non poſſe veteribus tribui nomen Eccleſiæ, ſed nomen Synagogæ. Verum & iſte error convellendus eſt.

Hoc ergo ſit 1 *Argumentum*: Juſtificatio eſt ſpirituale quid; Atqui ea non tantum promiſſa, ſed & præſtita quoque, in Veteri Teſtamento, *Rom.* 4. *v.* 8, 9, 10: & 10. *v.* 7, 8. Ergo &c.

2. Regeneratio eſt ſpirituale quid, quæ & ipſa promiſſa, & præſtita, in Veteri Teſtamento; Deut. 30. 6: *Et circumcidet animum tuum*, &c. *Ezech.* 36. 26, 27.

3. Probatur hoc ab adoptione in filios Dei, quæ itidem promiſſa & propoſita in Veteri Teſtamento; *Ezech.* 36. 28. 1 *Cor.* 6. 12.

4. Quod Chriſtus nobis promiſſus ſit in Veteri Teſtamento; de quo, *Luc.* 7. *v.* 28; & paſſim; quomodo ergo non omnia bona ſpiritualia cum Chriſto promiſſa eſſent veteribus?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Nexus Apoſtoli firmiſſimus, eo quod ita ſoleat argumentari Spiritus Sanctus; *Rom.* 8. 30.

III. *Præcepta moralia Veteris Teſtamenti, ſive præcepta Decalogi, non ſunt completiora in Novo Teſtamento, quam fuerunt in Veteri Teſtamento.*

Adverſarii oppugnarunt doctrinam Evangelii; poſt convertuntur ad doctrinam legis, & ſatagunt oſtendere, præcepta Novi Teſtamenti perfectiora eſſe, quam ſunt præcepta Veteris Teſtamenti ſive decalogi. Nos primo canonem noſtrum probabimus, poſt ad argumenta ipſorum reſpondebimus.

Probatur autem ſententia noſtra his argumentis. 1. Quod Scriptura, agens de juſtificatione noſtri, nullam aliam legem urget, quam legem Moſis; & oſtendit, ex lege nullam dari juſtificationem; patet, *Rom.* 4, & 10. At veriſimile non eſt, Spiritum Sanctum citare legem, ex qua cognoſcatur naturæ noſtræ corruptela, imperfectiorem, ſi perfectior haberetur. Nam ex perfectiori maxime agnoſceretur vitium naturæ noſtræ, & impotentia ad juſtificationem.

2. Quod, dum Chriſtus dicitur pro nobis legi ſubjectus, ſive execrationi legis, ut nos ab execratione liberaret, nullam aliam legem nominat, niſi legem Moſis; vide hac de re, *Gal.* 3, & 4. At ſi Chriſtus nos liberavit ab execratione legis Moſaïcæ, & ſupereſt aliqua lex non Moſaïca perfectior, tum non continuo ſequeretur, ſi à Moſaïca lege liberati ſumus per Chriſtum, à quavis nos liberatos eſſe; imo ſequeretur, nos quidem liberatos ab imperfectiori lege, perfectiori tamen adhuc ſubjectos. Quorſum ergo Spiritus Sanctus commemoraret hoc tanquam bene factum, cui nihil addi poſſet.

3. Quod Spiritus Sanctus, in Scriptura reprehendens vitia, nulla alia utatur lege, quam Moſis. Hac de re vide, *Gal.* 5. *v.* 19. *Rom.* 1, & 3: & paſſim in Scriptura. Atqui ſi eſſet aliqua lex perfectior, utique ex illa aliquando arguerentur peccata.

4. Quod nulla juſtitia in Scriptura eſt, niſi juſtitia ex lege Moſis, & juſtitia fidei; *Rom.* 10. Atqui ſi eſſet aliqua lex præter legem Moſis, utique futura eſſet aliqua juſtitia tertia, diſtincta à juſtitia quæ in lege Moſis deſcribitur, & juſtitia fidei, cum tamen iſta immediate ſibi ſint oppoſita.

Multa contra hæc objiciunt; ſed ad ea, quæ in ſpeciem afferuntur, reſponſum à nobis eſt in Locis Communibus; duo tantum hic movebimus, quæ in genere contra ſententiam noſtram faciunt.

Obj. 1. In lege Moſis jubentur multa, quæ tamen jam poſſumus omittere, ex ſententia Adverſariorum (ut illi nos vocant). Nam Deus jubebat in uſuram dare pecuniam, cum tamen jam hoc non liceat, aut ſi liceat, poſſumus illud omittere ita, ut in legem non ſimus peccaturi; item, lex Moſis jubet accuſare, & ideo conſtituit Judices politicos. At hoc, aut non licet in Novo Teſtamento, aut ſi licet, poſſumus illud omittere ita, ut in legem non peccemus. *Reſp.* Duplex eſt præceptum (quæ diſtinctio, obſervata probe, multum obeſt Socino in controverſiis præſertim de Magiſtratu politico), *Imperii*, & *Indulgentiæ*: Præceptum imperii non poſſumus omittere, quin peccemus; quod enim præcepto imperii mandatur, officium noſtrum eſt. Ita, verbi gratia, Non debes furari; Debes honorare patrem & matrem, &c. talia ſunt præcepta, quæ omitti non poſſunt, quin graviter peccetur. At ſecus ſe habent præcepta indulgentiæ. Nam hæc non concernunt officium Dei erga te indulgentis. Ita præceptum indulgentiæ eſt de accuſando fratre aut proximo coram Magiſtratu politico, *Rom.* 16. At præceptum indulgentiæ eſt, quia, ſi hoc facias, non peccas; ſi etiam intermittas, itidem non peccas. Quæ afferunt Adverſarii, referuntur ad præcepta indulgentiæ, non imperii.

Obj. 2. Fides in Chriſtum, Sacramenta Novi Teſtamenti, &c. non jubentur in lege Morali; Ergo oportet altera aliqua lex ſit, quæ hæc præcipiat. *Reſp.* Quæ à lege jubentur, eorum duo ſunt genera: Quædam ſemper, & quovis loco; ut ſunt præcepta decalogi: quædam vero tum, cum ipſorum cognoſcendorum copia ſit; & iſta non ſemper jubentur, ſed eo tempore, quo promulgantur: verbi gratia, Iſraëlitæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

non tenebantur quovis tempore diſcedere ex Ægypto, tenebantur tamen poſtquam Deus juſſit, & tenebantur lege Moſis. Nam quæ cauſa, cur parendum Deo? Nulla alia, quam hæc, quod Deus ex toto corde eſſet diligendus; at eadem eſt ratio eorum quæ Adverſarii adferunt; vide hac de re Diſputationem Zwinglii in doctrina de providentia: & Molinæum in Anatomia Arminianiſmi.

IV. *Hinc jam apparet, vanum eſſe quod Socinus docet, Chriſtum,* Matt. 5, *reformare legem.*

Diſputatio oritur inter nos & Socinianos de hoc capite. Hi affirmant, ibi taxari legem Moſis; nos, pravas explicationes Scribarum & Phariſæorum. Probamus autem ſententiam noſtram ex ipſo textu.

1. Quod non dicat Chriſtus, *legiſtis*, dictum fuiſſe, ſed, *audiviſtis*; ut hoc ipſo diſcrimen innuat inter traditiones Phariſæorum, Scribarumque, & Scripturæ.

2. Oſtenditur hoc ex iſto, quod dicit: *Dictum fuiſſe veteribus: Non occides; quiſquis autem occiderit, reus erit judicii.* Atqui nihil tale extat in textu Moſis; prout & illa quæ ſequuntur, *reus erit confeſſus*, item *gehennæ*, non tantum non extant in Moſe, ſed adduntur à Judæis in Thalmud. Vide *Druſium in notis ad Novum Teſtamentum.*

3. Patet hoc idem ex verſ. 43: *Audiviſtis* &c. *Odio habebis inimicum tuum.* Atqui nec hoc in toto Moſe habetur. Nam videntur iſti, qui hoc dicunt, non omnem hominem pro proximo habere, cum tamen Moſes contrarium doceat; & Chriſtus convincit illos, quod is, quem pro Samaritano habuerunt, proximus fuerit.

Obj. Atqui hæc ſunt verba Moſis, *verſ.* 29: *Oculum pro oculo*; & tamen Chriſtus ea taxat. Ergo hic decalogus Moſis taxatur, & non pravæ Phariſæorum expoſitiones. *Reſp.* Non hic etiam reprehendit ipſa verba Moſis, neque legem, ſed abuſum legis. Nam hi arbitrabantur, ex hac lege conſequi, ut privatus quilibet ſe ipſum ulciſcatur, cum hoc expreſſe Scriptura prohibeat; quod autem hoc accipi debeat de vindicta publica, non privata, patet *Rom.* 13. 3, 4, ubi non prohibet vindictam publicam, ſed eam ſtatuit & ſtabilit.

V. *Leges Politicæ vim ſuam obtinent & obtinere debent.*

Hunc canonem non tantum impugnant Sociniani, ſed & Lutherani, & Jurisconſulti. Nam ſi hic canon obtinet, actum eſt de eorum jure. Nos primo diſtinguemus canonem, & poſtea ſententiam noſtram probabimus. Diſtinguunt ergo Theologi inter leges forenſes Moſis, & dicunt, quaſdam fuiſſe, quæ innitebantur certis circumſtantiis peculiaribus terræ Iſraëliticæ, qualis fuit lex de Jubilæis, de ſervis, &c. Hæ leges ſunt mutatæ, & non amplius obtinent: ſed dicunt, quaſdam alias leges, quæ ex circumſtantiis non pendent, ut lex de homicidio, furto, &c. ſemper obtinere.

VI. *Quod autem Deus forenſes leges nobis reliquerit plenas ac perfectas & ſufficientes in Verbo ſuo, ad omnia Politica judicanda, patet.*

1. Quia Deus eſt auctor Politicæ ordinatæ. At ordinata ſine legibus ſufficientibus eſſe non poteſt.

2. Quia præſcribit unicuique homini, quid faciendum ſit ipſi in omni ſuo officio; præſcribit patri omnia patrum & matrum familias perfecte; præſcribit ſua liberis, ſervis, &c. Quomodo non etiam Magiſtratui?

3. Quia in judiciis exequendis debemus ſequi leges tales, in quibus conſcientia acquieſcat. Atqui in legibus ab hominibus latis non acquieſcit, dubitat enim bene-ne an male ſit judicatum.

Obj. à Socinianis. Quod prohibeatur vindicta à Chriſto, *Matt.* 5. Leges autem Moſis jubent vindictam, ut quæ volunt, ut qui ſanguinem effudit, ejus ſanguis effundatur. Non ergo, inquiunt, jam leges Moſis ſuam vim obtinent. *Reſp.* Chriſtus prohibet vindictam privatam, quam & Moſes prohibet, ſed non publicam, de qua, *Rom.* 12. 13. & *Apoc.* 13. 9, 10. Contra hunc locum poſteriorem *excipiunt*,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

piunt, & dicunt; Dicitur hoc loco: *Oportet, ut, qui gladio occiderit, gladio occidatur*; iſtud autem referri ad eventum debet; inde autem non poteſt concludi, quod dicatur hoc fieri ex officio. *Reſp.* Verbum imperſonale δεῖ (ut notat Piſcator ad duplicationem Vorſtii, *p.* 201), triplicem habet ſignificationem. 1. Idem ſignificat quod *neceſſe eſt*, & refertur ad *eventum*. 2. Idem quod *oportet*, ſcilicet facere, & refertur ad *officium*, ſcilicet facientis. 3. Denique idem quod *opus eſt*, & refertur ad *indigentiam adminiculi*. Atqui hoc loco non poteſt accipi in prima ſignificatione; quia multi homicidæ in hac vita non puniuntur: neque in poſtrema ſignificatione, quia ſenſus nullus eſſet verborum ipſorum. Ergo debet accipi in ſecunda, ut referatur ad officium Magiſtratus. Juriſconſulti, cum neſciunt ſe expedire ex argumentis noſtris, inepta diſtinctione jus ſuum ſervare volunt: Verum eſt, inquiunt, in Scriptura haberi ſufficientes leges, ſed inquiunt, applicationem non doceri; quaſi vero Deus proponeret leges, & non uſum ipſarum; aut, quaſi jura ipſorum nihil continerent, niſi applicationem legum divinarum.

Vidimus Adverſarior. ſententiam circa Scripturam abſolute conſideratam; jam videnda eſt eadem circa Scripturam ad hominem. Eſtque hæc vel ad hominem tam regenitum, quam irregenitum; vel ad irregenitum tantum.

CAP. VIII.

De Scriptura, relata ad hominem tam regenitum, quam irregenitum.

ADverſarii Vetus Teſtamentum dicunt eſſe utile, *non* neceſſarium *ſcitu ad ſalutem.*

Nos contra dicimus: Neceſſarium ſcitu, ſed cum limitatione. Neceſſarium ſcilicet illis, qui ſenſus habent exercitatos in Scriptura. Rationes hæ ſunt.

1. Quia auctoritas Novi Teſtamenti pendet ex Veteri Teſtamento; hinc in Novo Teſtamento omnia probantur per ea, quæ ſunt in Veteri Teſtamento; vid. *Matth.* 22. *Luc.* 24. *Actor.* 4, & 10, & 15. *Rom.* 4, & 10, & 14; & paſſim.

Objicitur ab Adverſariis, Miracula ſola ſuffectura fuiſſe ad probandum divinitatem librorum Novi Teſtamenti. *Reſp.* Aut non ſola per ſe; aut, ſi ſola per ſe probarent, non ita efficaciter probarent, ut libri Veteris Teſtamenti; *Luc.* 16. 30, 31: *Si*, inquit, *Moſen & Prophetas non audiunt; nec ſi quiſpiam*, &c.

2. Spiritus Sanctus manifeſte oſtendit neceſſitatem Veteris Teſtamenti; *Tota Scriptura divinitus inſpirata, & utilis ad docendum*, &c. Hic tota Scriptura intelligitur de toto canone Scripturarum: neque enim vox iſta *tota* accipi poteſt pro *omni*, ut inepte quidam volunt; ſed ſimpliciter pro tota, ut doctiſſimus Sadaël probat in tractatu de Scriptura.

Dices: Utilem eſſe Adverſarii non negant, ſed neceſſariam. *Reſp.* Omne quidem neceſſarium eſt utile; ſed non contra. Hic autem hoc, quod utile vocatur, eſſe neceſſarium patet ex effectu; additur namque, *ut perfectus ſit homo Dei*, &c. Atqui hoc neceſſarium ad ſalutem; Ergo & cauſa erit.

Objicitur ab Adverſariis. Si res ita ſe habet; Ergo omnes Idiotæ condemnabuntur; Quia multi Idiotæ non norunt diſcrimen librorum Veteris & Novi Teſtamenti; aut, ſi qui norunt, obſcuriſſime norunt. *Reſp.* Non norunt quidem plerique diſcrimen librorum. At qui, & quot, & quales libri ſint, debent noſſe, ut & doctrinam, quæ in illis continetur, fundamenta ſcilicet præcipua dogmatum & morum; At illis, quorum majores ſunt profectus, neceſſaria iſta ſunt: eaque non tantum debent ſcire, ſed etiam contrarium ſentientes redarguere; Itaque non continuo, quod uni fideli non eſt neceſſarium, alteri quoque non erit neceſſarium.

Ratione irregenitorum, ſtatuunt Sociniani, Scripturam iis eſſe perſpicuam, & hominem, prout animalis eſt, ſine opera Spiritus Sancti intelligere per ſe Scripturam.

Cauſa, quæ eos impellit, ut iſta ſtatuant, eſt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

eſt, quod negent originale peccatum, & ſtatuant, hominem non cum aliis qualitatibus naſci, quam primus ſit conditus. At vero ſententia falſa eſt, ut patet ex Argumentis ſequentibus.

1. Quod Spiritus Sanctus pronuntiat, hominem animalem non percipere ea quæ ſunt Spiritus Dei, nec poſſe quidem; 1 *Cor.* 2. 14.

2. Quod expreſſe Spiritus Sanctus diſtinguat inter vocatos interne, & externe; & doceat, illis, qui externe tantum vocantur, Chriſtum crucifixum eſſe offendiculum, ſi Judæi ſint; ſi Græci, ſtultitiam: qui vero interne vocantur, illis demum eſſe ſapientiam & potentiam; 1 *Cor.* 1. 23. Expreſſe teſtatur Scriptura, ſalutarem verbi auditum non oriri in nobis, niſi Deus dederit nobis oculos ad videndum, aures ad audiendum, *Deut.* 29. 4. niſi prius ſimus bona terra, *Matt.* 13. niſi prius Deus nobis aperiat cor, *Act.* 16. Iſta omnia regenitorum ſunt; non poſſunt ergo irregeniti ſalutariter audire aut intelligere Verbum Dei.

Obj. 1. Verbum Dei eſt tum Lex, tum Evangelium. Atqui utut Evangelium noſſe non poſſunt, Legem tamen non poſſunt dici non noſſe: Nam eſt à natura cordibus inſcripta, *Rom.* 2. *Reſp.* diſtinguendo cognitionem; Alia eſt cognitio *apprehenſiva*; alia, *dijudicativa*. Et quidem apprehenſivam cognitionem cadere in irregenitos, facile concedimus, non tantum Legis, ſed & Evangelii. Dijudicativam autem, nequaquam; id eſt, intelligunt quidem de Chriſto & Evangelio, quid dicatur, ſed interim pro fabulis aut nugis iſta habent. Legis ſcientia quoque talis eſt in ipſis. Nam ſi dijudicativa ſcientia Legem apprehenderent, utique non ita præcipites ad quævis ſcelera ferrentur, & odiſſent mala, non *formidine pœnæ*, ſed *virtutis amore*; quod in illis ſecus evenit. Hinc etiam Scriptura, quia ipſam non æſtimant ſuo pretio, vocat illos ſtultos, cæcos, &c. Dijudicativam autem ſcientiam ſolum attribuit Scriptura, 1 *Cor.* 2. 15.

Obj. 2. Si, inquiunt, irregenitus non poteſt recipere Scripturam; Ergo fruſtra ipſi proponitur: & illudit ipſi Deus, quum ipſum vocat, quem ſcit ſe vocantem non intelligere: Perinde, inquiunt, Deus agere cum talibus dicendus eſt, ac aliquis, qui ſurdo concionatur: Namque fruſtra concionatur; Surdus enim iſta non percipit; & ſi ſcit ſurdum, ſtulte facit, quum operam fruſtra impendat. *Reſp.* diſtinguendo, non perinde eſſe acſi cum plane ſurdo ageret. Nam audit quidem homo externam vocem, ſed non intelligit, ſub *propria ſpecie*, illud quod ab ipſo poſtulatur. Nam ſi id intelligeret, utique non negligeret, aut ſaltem rebus nihili non poſthaberet. Illud vero, quod inquiebant fruſtra proponi, fruſtra eſt. Nam utut non poſſit percipere in ſe, potuit tamen in Adamo. Quemadmodum autem non eſt ſtultum petere à debitore, qui tibi debet, etſi non ſit ſolvendo; ita non eſt fruſtra petere quod Deus homini dedit, etſi illud amiſerit; Nec certe Deus ſemper aliquid eo fine petit, ut fiat, ſed ſæpe ut exploret; Ita Abrahamo præcepit immolare filium: Sæpe, ut inexcuſabiles reddantur; Ita præcepit Pharaoni, ut dimitteret populum. Et hinc nata eſt iſta diſtinctio præceptorum, quod alia ſint *obedientiæ*, alia *explorationis*, alia *convictionis*.

CAP. IX.

De Objecto Theologiæ.

PErſtrinximus breviter controverſias omnes & ſingulas, quæ nobis intercedunt de principio Theologico, ſive de Scriptura Sacra, cum Socinianis; ſequitur ut agamus de *Objecto Theologiæ*. Cum autem objectum Theologiæ ſit Deus, vel abſolute conſideratus, vel relatus ad creaturas, ut, *Creator*, *Redemptor*, *Sanctificator*, *Glorificator*; de omnibus deinceps agendum erit nobis. Nam nihil eſt in Theologia, quod intactum ab his relinquatur.

De Deo, prout cognoſci poteſt naturaliter, eorum ſententia eſt hæc.

Dei cognitionem nullam eſſe naturalem.

Expreſſe hanc ſententiam propugnant, contra expreſſum Dei Verbum, *Rom.* 1. 19, 20, &c. Qui locus clarior eſt, quam ut ullis ſtrophis eludi poſſit.

Pro ſententia Orthodoxa, *Argum.* 1 extruimus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

mus, ex *Rom.* 2. 14, 15, tale: Qui agnoſcunt Judicem, cui perſuaſi ſunt ſe reddituros rationem de omnibus factis ſuis, illi norunt Deum. Atqui tales ſunt Gentes. Ergo, &c. Major extra dubium eſt. Minor in textu.

2 *Argum.* petimus ex ſcriptis Ethnicorum ſapientiorum, quales Plato, Ariſtoteles, qui multa præclara de Deo chartis inſeruerunt.

Oppugnant *hoc tum Sociniani, tum Vorſtius.*

Illi quidem objiciunt; 1. Scriptura teſtatur, Pſal. 14: *Impius dicit in corde ſuo, Non eſt Deus. Reſp.* diſtinguendo: Sæpe hoc fieri, ut aliqui deveniant in iſtam opinionem; ſed tamen in ea non perſiſtunt. Nam in periculis aliud ſentire incipiunt, ut videre eſt in Tyrannis iſtis abominandis, *Nerone, Domitiano, Caligula*, qui, dum omnem reverentiam Dei abjeciſſent, in periculis conſtituti, quidvis pro Deo habebant. Ita Nero, cum matrem interfeciſſet, & propterea furiis ageretur, ad Diabolum & Magos confugit.

Obj. 2. Eſſe homines quoſdam repertos, qui nihil de Deo ſciverunt; ut, Americanos. *Reſp.* Vanum eſſe hoc, ex hiſtoriis patet, quæ teſtantur, ipſos Diabolum coluiſſe, ſed ita, ut dicerent, præter hunc eſſe Deum; ſed quia eſſet optimus, nec ulli malefaceret, non opus eſſe, ut illum colerent; Diabolum vero, quia peſſimus eſſet, oportere ſe venerari; vid. *Barſonem Mediolanenſem, & Lœrium Genevenſem.*

Obj. 3. Reperiuntur, inquiunt, nonnullæ gentes, quæ quidvis pro Deo habuerunt, boves, &c. In quos ludit Juvenalis in ſuis poëmatis. Ergo ſunt aliqui, qui nulla cognitione Dei præditi ſunt. *Reſp.* Pulcherrime retorquet hoc argumentum Calvinus in ſuis inſtitutionibus; *quia*, inquit, *eo ſe demittit reproba & faſtuoſa natura humana, ut potius lignum, lapidem, &c. credat eſſe Deum, quam ut omnino non credat eſſe Deum, idcirco hoc oportet infixum eſſe naturæ*, &c. *Deum aliquem eſſe.* lib. 1 Inſtit., cap. 11 ſect. 1.

Vorſtius eſt acutior in theſi hac.

Objicit ergo hoc argumentum. Quod nobis naturaliter ineſt, illud ſemper ineſt, ac non oportet ut acquiratur; Atqui cognitio Dei acquiritur, nec ſemper eſt; Ergo non eſt naturalis. Conſequentiam probat; quia diſcurſu, inquit, acquiritur, ut patet, *Rom.* 1. 20. *Reſp.* Naturale duplex eſt apud Philoſophos & Theologos, vel cui & *facultas* & *actus* ſimul inſunt; vel ubi *facultas* ineſt, licet actus non inſit, ſed interim, nullo docente, poſita facultate, ultro actus ſequitur, ubi poteſt per naturam; verbi gratia, homo à natura & naturaliter ratiocinatur, etſi actus ipſe non ſemper inſit, ſed tum demum, cum facultas ſe exerere poteſt. Pari ratione naturalis dicitur cognitio Dei; Nam facultas cognoſcendi Deum ineſt, & ſe tandem, nullo ſuperveniente adminiculo, exerit. Hoc modo dicimus naturalem Dei cognitioẽ.

Quomodo à nobis cognoſci poteſt Deus, de eo plane nihil recte ſentiunt, propterea ergo per omnia nobis eundum fuerit. Primo ergo negant,

Deum eſſe ſimpliciſſimum.

Conſectarium illud hujus axiomatis graviſſime impugnant: *Quicquid in Deo eſt, Deus eſt;* ut oſtendant falſitatem illius, quod Deus ſit ſimpliciſſimus. At ſi ſimpliciſſimus non eſt, erit compoſitus; Ergo, 1. Dabitur in eo potentia paſſiva; & ea tendit ſemper in mutationem. Nam eſt principium mutationis ejus, in quo eſt; Atqui in Deo ne umbra quidem mutationis, *Iac.* 1. 17. 2. Si erit compoſitus, habebit cauſam efficientem: à ſe enim componi non poterit, quia ſic ageret, antequam eſſet. 3. Æternus non eſſet; quia haberet cauſam efficientem. 4. Infinitus non eſſet; quia quod eſt compoſitum, ex pluribus diſtinctis eſt unitum; jam autem, quod ex pluribus conſtat, illud infinitum eſſe nequit; quia plura iſta habent ſe ut partes finitæ; pars vero quævis minor eſt toto; infinitum autem nulla re minus eſt. Si ergo ex finitis conſtat, ipſum infinitum eſſe non poteſt; quia finita, in infinitum cumulata, infinitum efficere nequeunt; nulla namque proportio eſt inter finitum & infinitum.

Objiciunt: Decreta Dei, quæ in Deo ſunt, non ſunt ipſe Deus. Sed ad argumentum hoc, & ad alia multa hujus generis, reſpondebimus in articulo de Voluntate Dei definita.

Hinc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Hinc jam negant; I. *Attributa Dei eſſe eadem cum Deo.*

Cum urgentur, neſciunt quo ſe vertant; nam ſi quæras, Quid igitur iſta attributa ſunt? *Reſpondent*, Quaſi accidentia; nec enim audent dicere, eſſe accidentia; idcirco illud opponendum ipſis fuerit, quod Cicero opponit Epicureo, ſtatuenti, Deum habere *quaſi corpus*, & *quaſi ſanguinem*; dicit ibi Cotta, apud ipſum: *Quid ſit corpus, novi, quid ſit ſanguis, novi; ſed quid ſit quaſi corpus, & quid ſit quaſi ſanguis, intelligere non poſſum*: Nempe hoc vult; Homines, dum deliramenta cogitant, non audere verbis, ex quibus intelligi poſſint, uti; ſed fingere monſtroſa vocabula. Nos rem melius excutiamus. Cum ergo dicunt, *quaſi accidentia*, aut & nomen & rem habent, aut nomen tantum; ſi nomen & rem, quare vocant *quaſi*? ſi nomen & non rem, quare vocant talia? Nam hoc perinde eſt, ac ſi ego ulcus, quod cancer vocatur, vocarem quaſi cancrum piſcem.

Obj. 1. Atqui in Deo multa ſunt attributa, cum una tantum ſit eſſentia. *Reſp.* Multa dicuntur non ex *natura ſua*, ſed partim ex *modo noſtro concipiendi*, partim ob *relationem ad diverſa objecta*, & ob diverſa effecta; verbi gratia, Deus vocatur Creator, Redemptor, &c. Non quod diverſus ipſe ſit, nam unicus eſt, ſed iſta diverſa nomina ſortitur, ob diverſa objecta & effecta.

Obj. 2. Sunt multa in Deo, quæ non ſunt neceſſario in Deo, nec neceſſario prædicantur de Deo; verbi gratia, Miſericordia, juſtitia puniendi, non ſunt neceſſario in Deo; nam niſi homo peccaſſet, neutri locus eſſet futurus; Ergo ſunt ſaltem quædam attributa accidentia. *Reſp.* Et juſtitia & miſericordia eſſent futura, quamvis peccatum non eſſet unquam futurum; quanquam non fuiſſent vocatæ iſto nomine. Nam ipſa Dei bonitas eſt miſericordia, prout reſpectum habet ad creaturam miſeram; ſanctitas ejus eſt juſtitia puniens, prout reſpectum habet ad peccatorem.

II. Negant, *Deum eſſe ſolum æternum, imo æternitatem eſſe Deum.* Hinc ſtatuunt, *AEternitatem eſſe Ens ſucceſſivum, ſive tempus dictum.*

Deum ſolum eſſe æternum negant, eo quod docent, *Tempus æternum.* Tempus eſſe æterternum, inquiunt; quia ſi tempus factum, factum in tempore; Ergo tempus ante tempus, imo proceſſus dabitur in infinitum; quia tempus in quo aliud factum, aut erat factum, aut non: ſi non, ergo obtinemus quod volumus; ſi factum, ergo iterum in tempore. *Reſp.* Accidentia proprie non *fieri*, ſed *confieri*; non *creari*, ſed *concreari*. Hinc illa Theologorum regula: *Subſtantiæ ſunt creatæ, accidentia vero concreata.* De decretis hoc inter alia habent (nam reliqua movebimus in doctrina de Voluntate Dei definita; & ad illa reſpondebimus); Urſinus, inquiunt, triplex æternum ſtatuit: *Unum*, quod nec initium, nec finem habet; ut, Deus. *Alterum*, quod initium non habet, ſed finem habet; ut, decreta Dei. Nam, inquit, decreta initium non habent, ſed tantum finem habent: quia decretum de condendo mundo, poſtquam mundus conditus eſt, amplius in Deo non eſt; item, de redimendo hominum genere, &c. *Tertium*, quod initium habet; quod Deus eſſe nequit. *Reſp.* 1. Multa excidere viris doctis, cum agunt abſque Adverſario, quæ tamen, ubi Adverſarius adeſt, dicta nollent: Ratio eſt, quia multa agunt minus accurate, ubi non diſceptant cum altero. 2. Dicimus, in bonum ſenſum poſſe trahi verba Urſini. Nam quod dixit, deſinere decreta, intelligit hoc ſecundum quid, ſcilicet quoad *terminationem ad objectum*; non autem deſinere id, quod erant in ſe; verbi gratia, dicitur Deus deſiiſſe ab operibus, non autem etiam deſiit ipſe in ſe.

Sed jam nobis probanda eſt pars prima canonis: Solum Deum eſſe æternum. Probamus autem illam his argumentis. 1. Æternitas tribuitur ſoli Deo; imo per hanc diſcerni vult ab omnibus aliis rebus. Ergo ſolus Deus eſt æternus. Antequam autem probaverimus, ſoli Deo tribui; ſciendum eſt, in Sacris literis, præſertim in Veteri Teſtamento, non eſſe iſtam vocem, quæ æternitatem exprimat, ſed Spiritum Sanctum uti periphraſi, ut efferat hoc his & ſimili-

milibus : *Antequam montes & colles eſſent*, Pſal.9, *Ante opera*, *ante ullum tempus*, Prov. 8. 22. Quod vero ipſi ſoli æternitas tribuatur, & quod per hanc diſcerni velit ab omnibus aliis, patet ex dictis locis.

2. Quod Deus ſolus ſit æternus, probatur Matt.19.17, *Nemo bonus niſi ſolus Deus*.Hinc argumentor: Si ſolus Deus eſt bonus independenter; Ergo ſolus eſt æternus. At verum prius. Ergo & poſterius.Majoris ratio certiſſima;nam ſi ſolus bonus independenter, ſolus eſt à ſe, reliqua ab illo; ergo ſolus æternus. Minor itidem certa; Nam, ut concilietur locus iſte cum *Gen.* 1. 31, nulla ratione fieri poteſt, niſi per hanc diſtinctionem.

3 Argumentum petimus ex *Rom.* 11. 36: *Nam ex eo & per eum*, &c. Hic intelliguntur omnia, excepto ipſo. Omnia ergo per ipſum erant, & ita nihil præter ipſum æternum.

Obj. Poſſe eſſe æternum, & factum. *Reſp.* Eſſe quoſdam ineptos, qui hoc aſſerunt, ſed ineptiſſime. Nam certiſſima eſt iſta regula: *Creatio infert novitatem eſſentiæ*; & invictiſſima probatur ratione. Nam quod creatum eſt, illud incipit durare, & eſt tempori ſubjectum; quod tempori ſubjectum eſt, illud, ut promovetur ætate indies, ita aliquando novum fuit.

Secunda pars canonis, *Vtrumne æternitas ſit ſucceſſivum quid, & tempus*; jam nobis expendenda. Notanda eſt ergo imprimis hæc regula; *Æternitati omnia ſunt præſentia*; de qua regula magna eſt diſceptatio inter Jeſuitas & Dominicanos. Jeſuitæ ita accipiunt iſtam regulam; Quod omnia præſentia ſint æternitati, ſive Deo, per *cognitionem*, non per *realem exiſtentiam*. Contrarium Dominicani ſtatuunt, quod per utrumque; quæ ſententia veriſſima eſt. Docent ergo hi, æternitati omnia coexiſtere, ſed non adæquate, verum inadæquate: Nam æternitas complectitur omnia. Probant autem hanc ſententiam; Quia ſi non coexiſtunt omnia quoad realem exiſtentiam præſentia, præterita, & futura; Ergo non & relatio realis inter creaturam & creatorem ex parte Dei; & ita creatura non eſſet creatura.

Hoc 1 Vorſtius impugnat hoc argumento, ex Apoc. 1. 4, *Deus qui eſt*, *qui erat*, *& qui venturus eſt*. Hinc, inquit, illa æternitas non eſt mutationis expers. *Reſp.* Dici hoc ratione modi concipiendi noſtri. Nam in Deum minime hoc cadit; alioqui Deus poſſit dici proprie, quod eſt apud Danielem 7. 13, *Antiquus dierum*, ſive ſenex; aut certe in eum talis mutatio caderet, quam expreſſe Spiritus Sanctus negat de Deo.

2 *Obj.* Æternitas eſt duratio; Ergo ſucceſſivum quid. *Reſp.* Durationem triplicem eſſe, ſcilicet, ea quæ eſt *æternitas*, ea quæ eſt *ævum*, & ea quæ eſt *tempus*. Poſteriora duo genera durationum ſucceſſiva ſunt, prius nequaquam. Hinc definitur à Boëthio, quod ſit, *tota ſimul & indiviſa vitæ poſſeſſio*.

III. Negant, *Deum eſſe infinitum*; *&, quod majus, immenſum eſſe negant*.

Deum infinitum eſſe, patet, 1. ex ipſius æternitate. Nam quod æternum eſt, nec cœpit, nec finitur, ac proinde caret terminis eſſentiæ ſuæ; ſi autem terminis caret, infinitus eſt. 2. Patet ex modo operandi in creatione immediata. Nam ex nihilo omnia fecit; Ergo infinitæ potentiæ eſt; quia nihil & ens in infinitum differunt. 3. Patet, ex illo decantato axiomate: *Abſolutum ab omni cauſa, eſt illimitatæ naturæ*; quia quod cauſam non habet, non eſt quod limitetur ad hanc vel illam perfectionem. Atqui quod illimitatæ naturæ eſt, infinitæ naturæ eſt: Cum ergo Deus ſit ens independens, erit abſolutus à cauſa, ac proinde infinitæ naturæ. Sociniani contra primum & tertium argumentum non habent, quod afferant; ſed ſecundum nolunt admittere: Quia Deus, *inquiunt*, non ex nihilo creavit omnia, ſed ex materia ipſi Deo coæva. *Reſp.* 1. Utut daretur, quod Deus ex materia quædam creaviſſet, tamen hoc non poſſet de omnibus creaturis dici, ſed tantum de corporibus, quæ materiata ſunt. At Deus non tantum ea, quæ materiata ſunt, ut, corpora, creavit; verum etiam Spiritus, ut, Angelos, qui, ut materiati non ſunt, ita non poſſunt dici ex materia facti. 2. Vanitatem iſtius, quod materia iſta prima ſit coæva Deo, apparere ex præcedenti diſcurſu de æternitate Dei, quo oſtenſum eſt, ſolum Deum eſſe æternum. Contra hoc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

hoc non habent quod objiciant, præter illud: Si Deus, *inquiunt*, infinitus eſt, ſive infinitum quid, tum erit indiſtinctum: Atqui Deus diſtinctiſſimus eſt in ſua natura ab omnibus creaturis; Ergo Deus non eſt infinitus. *Reſp.* Diſtinguendo inter infinitum, τὸ ἀόριστον, quod opponitur diſtincto; & certe ſic Deus non eſt quid infinitum; eſt enim hoc, & non illud: & inter infinitum, τὸ ἄπειρον, quod opponitur finito; & hoc modo Deus eſt infinitum quid. Deum eſſe immenſum, patet ex 1 *Reg.* 8. 27. *Ier.* 23. 23, 24. *Pſal.* 139. Contra immenſitatem Dei ſic plauſibiliter inferunt Sociniani. Si Deus eſt in terra, & ubique, cur ergo Sancti Dei homines, Deum invocantes, oculos & manus attollunt verſus cælum: Ergo, *inquiunt*, in cælis tantum eſt? *Reſp.* 1. Attollunt, non propterea, quod ubique non ſit, ſed quia in cælo luculentiora effecta præſentiæ ſuæ gratioſæ edit, quam ullibi alibi. Ex hac ipſa cauſa Daniel verſus Hieroſolymam precatus eſt, non quod Deus ubique non eſſet, ſed quod teſtatiſſimam faceret multis effectis eſſentiam ſuam gratioſam ibidem. 2. Non propterea attollunt manus ſurſum, quod ubique non ſit Deus, ſed ut hoc ipſo oſtendant deſiderium loci illius, in quo ipſi cum Deo futuri. Ad hoc vero, quod Deus non tantum in cælo, ſed etiam in terra ſit, facit locus, Joſ. 2. 11, *Iehova Deus noſter eſt Deus*, &c.

2 *Obj.* Si Deus immenſus; ergo etiam erit in obſcœnis locis; verbi gratia, in cloacis, &c. Atqui Sacra Scriptura videtur negare, Deum in talibus locis eſſe, *Deut.* 23. *v.* 13, 14. *Reſp.* Concedi totum argumentum; eſt enim ubique Deus, ut cauſa conſervans, in effectis: nec inferre licet: Ergo inquinatur. 1. Quia eſt Spiritus, qui à corporibus non attingitur. 2. Radii ſolares etſi attingant talia loca obſcœna, non tamen inficiuntur. Ratio vero præcepti ex *Deut.* allegati hæc eſt, quod hoc pacto Iſraëlitæ ſuam ipſorum ſalutem in periculum vocaturi fuiſſent, cum ex immunditie aër inficiatur, aër infectus cauſetur varios morbos & peſtem. Atqui præceptum Dei eſt; *Non occides.* Ac proinde dicit, ſe non fore cum ipſis, quemadmodum dicit, ſe non fore cum peccatoribus, hoc eſt, præſentia gratiæ ſuæ, præſertim cum ſordes corporis adumbrent illas, quæ ſunt animæ. Et certe hoc argumento Vorſtius uti non potuit, niſi coactus fuiſſet unionem hypoſtaticam in Deo negare. Nam in Chriſto habitabat, dum conciperetur, dum natus eſſet, dum in his viveret terris, omnis plenitudo Dei corporaliter, & interim tamen Chriſtus, ut quivis homo, ut comedebat, ita ſuperflua excernebat.

3 *Obj.* Si Deus eſt ubique; Ergo immiſcebitur omnibus rebus, in quibus erit; At abſurdum hoc; Ergo illud. *Reſp.* Ineptiſſimum eſt argumentum. Hoc enim pacto oportet etiam animam immiſceri corpori, & quidem multo magis hoc ſequeretur, quia anima eſt in corpore *formaliter*, cum Deus, quando dicitur ubique eſſe, non ſit ut locatum in loco, ſed ut cauſa conſervans in effectis.

IV. Negant, *in Deum cadere omniſcientiam.*

Socinus prolixum hac de re tractatum in ſuis prælectionibus inſtituit, quas dedicavit Academiæ Heidelbergenſi, ubi probare nititur, Deum non noſſe contingentia futura: adactus autem ad ita ſentiendum doctrina de Prædeſtinatione. Nam, cum nollet iſta admittere; Quod Deus nollet omnes & ſingulos ſalvos fieri; Item, quod non omnes quos externe vocaret, vellet ſalvos fieri. Negavit, ſcire Deum contingentia futura. Videbat enim ſibi oppoſitum iri, Deum ſcire, qui eſſent credituri, qui non, ac proinde non omnes ac ſingulos ſalvos fieri; Nec Deum omnes, quos vocat externe, velle venire; idcirco, ut hæc & ſimilia evitaret, negavit in Deo ſcientiam futurorum contingentium. Nos primo ſententiam Orthodoxam probabimus; poſt ad argumenta Socini reſpondebimus.

1. Probamus ſententiam noſtram, ex *Pſal.* 139: *Tu cognoſcis ſedere, ſurgere meum, intelligis cogitationes meas è longinquo*, &c. Socinus dicit, non noſſe Deum contingentia futura antequam eveniant. Atqui hæc omnia ſunt contingentia, quæ recenſentur; Si ergo unum contingens novit Deus, det rationem Socinus, cur non & tertium, decimum, & cur non omnia novit.

2. Patet hoc (nam Scriptura talibus plena), ex 1 *Reg.* 12. 3, collato cum 2 *Reg.* 23. 19. Hoc erat plane contingens, quod ibi prædicit Propheta; & quidem longe antequam res fieret, & Deus hoc ſcivit, quare non & reliqua dicendus fuerit ſcire? longum enim eſſet ire per omnia exempla.

3. Afferamus hoc, quod Chriſtus prædixerat Petro, quod ter ipſum eſſet abnegaturus, antequam gallus cecini ſſet. Vide jam quid Socinus contra ferat.

Obj. 1. Non entium nullæ ſunt affectiones, nullæ qualitates. Atqui ea, quæ nec fuerunt, nec ſunt, nec certo futura ſunt, ſunt non entia. Ergo Deo præſentia eſſe nequiverunt. *Reſp.* Ineptus; quod quæ futura ſunt, non certo futura putat. Nam quæcunque futura, certo futura; *Thren.* 3. 37.

Obj. 2. Voluntariæ actiones, quæ nondum revera extiterunt, certo futuræ non ſunt. *Reſp.* Si decretum Dei ſpectes, falſum; ecce enſtaſin, *Act.* 4. 27.

Obj. 3. De futuris contingentibus non eſt determinata veritas, ſunt namque hæc indifferentia ad utrumque. *Reſp.* Verum hoc quidem eſt reſpectu intellectus, qui non eſt menſura rerum; qualis non eſt intellectus divinus. Unde illud Metaphyſicum: *Veritas eſt conformitas rei cum intellectu*; *ſcilicet divino*. Nam intellectus divinus non conformatur rebus; id eſt, non ideo ſunt res, quia fuerunt, ſunt, & futuræ ſunt; alioqui daretur potentia paſſiva in Deo; ſed idcirco res fuerunt, ſunt & futuræ ſunt, quia ille ſcivit.

Hæc ſunt potiſſima Socini. Ad quæ, ſi hoc adjectum fuerit (quod ipſi cauſa & principium erroris), libertatem voluntatis non conſiſtere in indifferentia oppoſitorum, ſed in eo, quod, quæ agit, ſponte agat, ratione præeunte; tum ad omnia facile reſpondere quis poterit.

V. Negant, *Deum omnia ſcire ita, ut unico actu intelligendi omnia ſciat.*

In Deo nil eſt niſi Deus. Actus ergo intelligendi, qui in Deo eſt, erit infinitus. Cum ergo omnia intelligat, præterita, præſentia, futura, unico actu intelligit; cum iſte actus multiplicari nequeat ex rei natura. Quicquid in Deo eſt, Deus eſt; æternum igitur eſt. Cum ergo actus iſte in Deo æternus eſt, indiviſibilis eſt. Ergo erit & totus, & ſimul omnia. Ergo hoc unico actu intelligit indiviſibiliter ſimul.

Contra hanc doctrinam indubitatæ veritatis opponunt ſe Sociniani cum Vorſtio. Et Socinus quidem hoc habet pro probanda ſua ſententia: Ab Adverſariis, *inquit*, hoc affertur, Deo præſentia ſunt omnia, nempe quia tempori non ſubjacet, ſed in æternitate perpetuo ſit, in qua nihil prius, nihil poſterius. At, inquit ille, non valet hæc ratio, quia præſupponit, tempus non eſſe æternum; quod falſum. *Reſp.* 1. Nullam talem rationem afferimus. Nam ſic conſequentia nulla fuiſſet: Tempus non eſt æternum; Ergo Deo omnia ſunt præſentia. 2. Ineptum, tempus eſſe æternum, ut ex ſupra dictis apparet.

Vorſtius vero ita inſurgit contra hoc. Si Deus unico actu intelligendi intelligit omnia; Ergo in Deo affirmatio & negatio unum & idem erunt: quod abſurdum. *Reſp.* Ipſe Adverſarius abſurdiſſimus, qui hanc abſurdam hypotheſin præſupponit; Unico actu duas res oppoſitas non poſſe cognoſci, quin res iſtæ unum ſint; quod vel ex creaturis refelli poteſt. Nam unico actu poſſum videre album, & nigrum, & viride, & rubrum; quod ſi hoc viſus poteſt, multo magis intellectus; quod ſi intellectus creatus, quanto magis divinus, cum hujus ad illum nulla ſit comparatio?

VI. Statuunt, *in Deum cadere diſcurſum.*

Fluit hoc ex ipſorum axiomate, quod Deus non ſciat omnia. Nam diſcurſus eſt ignoti per notum collectio. At nihil habent, quo probent, diſcurſum in Deum cadere, præter hoc, quod in Deum cadat conſilium. Nam conſilium præſupponit conſultationem, ex conſultatione oritur diſcurſus. Sciendum vero eſt, conſilium Deo tribui κατ᾽ ἀνθρωποπάθειαν, idq; per metonymiam antecedentis & conſequentis, ita ut antecedens ponatur, conſequens vero intelligatur; cum ergo Deo tribuitur conſilium, voluntas ejus definita ſive decretum intelligendum eſt. Hinc conſilium & definita Dei Volun-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

tas pro eodē accipiuntur in Scriptura, *Act.*2.23.

VII. Statuunt, *in Deo Voluntatem aliquam dari quæ ſit inefficax.*

Commune hoc ipſis eſt cum multis hæreticis. Notandum tamen hoc eſt, aliud eſſe *voluntatem efficientem*; aliud, *voluntatem efficacem*. Nam non omnis Voluntas in Deo eſt *efficiens*, cum ſit in eo *permittens*. Voluntas nulla datur in Deo, quæ non ſit *efficax*. Probatur hoc, ex *Thren.*3. 37. *Eſaï.* 14. 27. *Eſaï.* 46. 10.

VIII. Statuunt, *in Deo non eſſe voluntatem permittentem, eo ſenſu, quo Orthodoxi ſtatuunt.*

Nota eſt iſta diſtinctio, quod alia permiſſio ſit *Ethica*, alia *Phyſica*. Phyſica quid ſit, de eo quæritur. Sociniani dicunt; Non impedire. Nos dicimus, ſi de Deo ſumatur, intelligendum, *ſubtrahere gratiam ſuam.* Namque aliter non poteſt Deus impedire, quam ſi ſubtrahat gratiam ſuam, quia ſi abſit gratia, hoc ipſo impedit; ut videre licet in homine regenito, cui quod adſit gratia, hoc ipſo labi non poteſt.

Obj. Si Deus ſubtrahat gratiam ſuam, tum ſequitur, Deum fore cauſam peccati; At Deus cauſa peccati non eſt; Ergo non ſubtrahit gratiam. *Reſp.* Negando conſequentiam, data inſtantia, 2 *Chron.*32. 31. Ita ut ſubtractio gratiæ non rationem cauſæ, ſed antecedentis tantum habeat.

IX. Statuunt; *Non, quicquid Deus vult, unico actu vult.*

Patet autem, Deum unico actu velle. 1. Quia voluntas ejus eſt actus ejus; Eſt enim Deus puriſſimus actus: Voluntas autem Dei unica eſt. Ergo unicus actus ejus. 2. Quia, ſi unico actu intelligendi intelligit; Ergo & unico actu volendi vult, quia quicquid in ipſo eſt, unum idemque eſt, licet videatur diſtinctum ob modum noſtrum concipiendi.

Objicit Vorſtius: Si unico actu volendi vult omnia, tum bona & mala idem erunt: quod abſurdum. *Reſp.* Conſequentiam nullam eſſe; Non enim magis conſequitur hoc, quam illud prius: Si intellectus intelligit unico actu omnia; Ergo unum oppoſitorum erit alterum.

X. Dicunt, *ratione Voluntatis Dei dari cauſas impulſivas, quæ ipſum ad hoc vel illud agendum impellant.*

Ita ſtatuunt, Dei cauſam impulſivam, cur reprobet peccatores, eſſe peccatum. Sed opinio hæc plane eſt abſurda. Nam ſi datur, ratione Dei, cauſa impulſiva, dabitur in eo potentia paſſiva, dabitur mutatio. Qui enim non erat motus, cauſa impulſiva nondum exiſtente, hac exiſtente movebitur.

Obj. Atqui Theologi noſtri plerique, dum de effectis Dei quærunt, inquirere ſolent cauſam impulſivam ratione Dei; Ergo datur cauſa impulſiva ratione Dei. *Reſp.* Theologi aut populariter loquuntur, aut, ſi ita intelligunt ut loquuntur & ſcribunt, tum falſum hoc & contra rationem; ut rationes oſtendunt.

XI. Statuunt, *in Deo aliquam eſſe velleitatem.*

Non eſt idem dicere, voluntas inefficax, & velleitas; propterea, cum actum ſit de voluntate inefficace, operæpretium duximus de velleitate agere. Nam non eſſe hæc duo eadem, inde patet, quia Voluntas Dei, ex ipſorum ſententia, jam eſt irrita facta, quæ in hunc modum concipiebatur: Volo omnes & ſingulos ſalvos fieri. At velleitas, poſtquam irrita Voluntas Dei eſt, ex ipſorum ſententia, manet, quæ in hunc modum concipitur, ad voluntatem irritam jam factam: Vellem, ſi fieri poſſet. Hæc velleitas pugnat, 1. cum natura Dei. Nam, in quem cadit velleitas, ille beatus hac ex parte non eſt, quia quæ optat, non aſſequitur, & ſcit ſe non aſſequuturum. Atqui Deus ex ſe beatiſſimus; Ergo. 2. In quo velleitas, ille non poteſt omnia efficere quæ vult. Atqui Deus efficit, & efficere poteſt, omnia quæ vult, *Eſai.* 14. 47. Ergo, &c.

XII. Ponunt & docent, *definitam Voluntatem Dei, ſive decretum Dei, non eſſe ipſum Deum.*

Voluntas Dei, & decretum Dei, non convertuntur, ſed Voluntas Dei definita, & decretum, convertuntur. Jam autem definita Voluntas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

tas Dei eſt ipſe Deus. Ratio eſt. 1. Quia in Deo nil eſt niſi Deus. 2. Quia ſi Deus non eſſet, creatura eſſet. Nam inter Deum & creaturam nullum eſt medium. Atqui Voluntatem Dei dicere creaturam, eſt abſurdius, quam ut hoc vel Adverſarii admittant. Nam Voluntas Dei eſt de eſſentia Dei; Deus autem eſt eſſentia ſpiritualis, infinita, intelligens, volens; creatura non.

XIII. Statuunt, *in Deum cadere potentiam paſſivam & activam.*

Proprie in Deum nulla harum cadit. Nam Deus actus puriſſimus eſt: & dum Deus dicitur poſſe aliquid facere, non intelligitur, eſſe in Deo potentiam, ut hoc faceret, ſed in creatura eſſe, ut actum ejus ſubeat. Proinde hic eſt, ut in igne, ignis actu eſt, dum eſt, & dicitur poſſe urere lignum, quod ipſi adjici poteſt; in ligno autem eſt potentia paſſiva, quod actum iſtum uſtionis ſubire poteſt. Potentiam paſſivam volunt in Deo eo oſtendere, quod in ipſum cadant affectus, ut dolor ex re non obtenta, deſiderium obtinendi, &c. *Reſp.* In Deum nullo modo cadere ut mutationem, ita nec potentiam paſſivam, patet, *Iacob.* 1. 17. Nam mutatio conſequens eſt neceſſarium potentiæ paſſivæ, ut ex definitione ejus patet.

Obj. Atqui Deus blaſphematur, adoratur: Ergo in eum cadit potentia paſſiva. *Reſpondet* ad hoc Spiritus Sanctus, *Iob.* 36. 6, 7, 8. *Si peccas, quid operaris illi? Si multæ ſunt defectiones tuæ, quid facis illi? Si juſtus es, quid das illi?* Breviter, ex materia hac diſtinctionem ſumimus inter paſſionem *objectivam* & *realem*. Objectiva forte paſſio dici poſſet: At hæc non niſi grammatica paſſio eſt, re ipſa non eſt.

XIV. Negant, *Deum eſſe omnipotentem.*

Contra expreſſum Verbum Dei; ſed illi ſe excuſant hoc pacto. Dicitur, *inquiunt*, omnipotens, quia facere poteſt, quæ fieri poſſunt, non autem quod faciat quæ fieri non poſſunt: quale eſt, verbi gratia, ex nihilo aliquid facere. *Reſp.* Inepti ſunt, quod putent, Deum non poſſe omnia facere ex nihilo. Nam quomodo non poteſt facere, cum fecerit? feciſſe autem, à nobis oſtenſum eſt ad attributum æternitatis Dei. ϖ. ψ. Si admittant, Deum ex nihilo creaſſe res, oportet admittant, infinitam eſſe naturam Dei, quod ſciunt ſibi, & multis dogmatibus ſuis, plurimum obeſſe; ſed operæpretium eſt, ut adducamus duo Sophiſmata Vorſtii, quibus probatum it, Deum non eſſe infinitæ eſſentiæ.

1 *Sophiſma.* Diſtat à Deo magis non ens, quam ens. Ergo Deus non eſt infinitus; quia non in infinitum diſtat ab ente.

2 *Sophiſma.* Imperfectum ens magis diſtat à Deo, quam perfectum. Ergo Deus non eſt infinitæ naturæ. Conſequentia utriuſque eſt: Quod magis diſtat ab uno, quam ab altero, id non in infinitum diſtat ab utroque; quia infinitum reſpuit magis & minus.

Reſpondeo ad *primum*. Utrumque quidem in infinitum dicimus diſtare, & ens, & non ens, ſed diverſo genere diſtantiæ. Nam ens diſtat *poſitiva diſtantia*; Non ens, *negativa*; utrumque in infinitum.

Ad *ſecundum*. Perfectum & imperfectum dicuntur magis & minus à Deo differre ſeu diſtare, non ex parte Dei, à quo omnia diſtant æqualiter, id eſt, in infinitum, ut patet *Eſaï.* 40. 17, ſed ex parte ſui, cum ex parte ſui relationem realem ad Deum habeant. Exempli gratia, Sol, ex parte ſui, æque facit viſibilem aërem ac aquam, magis tamen aqua lumine ſolis affulgere videtur, quam aër.

XV. Negant, *in Deo eſſe juſtitiam punientem.*

Falſo quidem adducti principio, Nam putant: Si Deo eſſet eſſentialis juſtitia puniens, peccatum impune dimittere non poſſet. Falſum, inquam, hoc principium. Nam verum quidem hoc, impune Deum non dimittere, nec dimittere poſſe, peccatum, ſed interim tamen non ex hac cauſa, ut poſt audiemus. Nam omnipotentia eſt eſſentialis Deo, nec tamen neceſſario ea, quæ facit, facit. Nam potuit ea non feciſſe, & ita potuit aliquid naturale eſſe in Deo, cujus effectus non neceſſario ederetur. Nos autem ſtatuimus, in Deo eſſe juſtitiam punientem, ut naturale quid ipſi. Probamus hoc; Quia juſtitia iſta puniens, & Sanctitas, in Script. idem ſunt. vid.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Ioſ. 24. 19. *Hebr.* 1. 13. Ceterum, cum quæritur circa hoc ipſum:

An Deus peccata, nulla ſatisfactione accepta, condonare poſſit?

Sciendum, in diverſas partes hic ire Theologos: Alios ſtatuere, poſſe, ſed non velle. Alios ſtatuere, nec poſſe, nec velle. Et quidem quod ad velle attinet, minor difficultas, quia hoc expreſſe teſtatur Spiritus Sanctus, ut à nobis alibi probatum; de poſſe, difficultas major. Oſtenditur autem, Deum non poſſe, manifeſte, ex *Hebr.* 1. 13.

1 *Obj.* Quilibet poteſt renuntiare juri ſuo, quod habet in aliud, ſalva natura ſua. Ergo etiam Deus poteſt renuntiare juri ſuo, quod habet in creaturam, & condonare ipſius peccatum. Ad hoc argumentum reſponſum eſt à nobis, in Theſibus de jure & poteſtate Dei.

2 *Obj.* Deus remittit nobis peccata; Ergo poteſt. Nec eſt quod quis dicat, non remittere nobis, ſed Chriſtum ſatisfacere pro nobis. Nam ſi ille ſatisfecit; Ergo nobis non ſunt condonata: Nam condonatio cum ſatisfactione ſtare non poteſt. *Reſp.* Falſum: poteſt; præſertim ſi alii condonetur, alius ſatisfaciat. Exemplum habemus in Epiſt. ad *Philem.* Ubi Paulus petit, ut condonetur Oneſimo à Philemone, & interim ſe ad ſatisfaciendum offert, *v.* 10, 18. Hinc Spiritus Sanctus iſta conjungit, ubi de eo agit, *Rom.* 3. 24, 25.

XVI. Negant, *Deo miſericordiam eſſe eſſentialem.*

Etiam decepti principio inepto, tum hoc quo circa juſtitiam decipiuntur; tum iſto, quod in Scriptura Sacra miſericordia Dei aliquando accipiatur pro effectis. Nam, utut hoc concedatur, non tamen propterea accipiendum ita erit, quod ſemper pro effectu ſit intelligenda. Arminiani, ut *Arnold. contra Tilen.* vident hic veritatem, propterea dicit ille, quod miſericordia ſit bonitas Dei: Ut autem bonitas eſt Deo eſſentialis, ita & miſericordia. vid. *Diſputationem noſtram de miſericordia Dei.*

Obj. Miſericordia non eſt neceſſarium quid in Deo; nam ſi homo non peccaſſet, miſericordiæ nullus locus fuiſſet. *Reſp.* Miſericordiam Dei eſſe attributum relatum; relata vero attributa Dei ſemper in aliquo abſoluto fundantur: Relata etiam attributa Dei, præter eſſentiam, relationem quoque quandam ad creaturas notant, indeque denominationem habent. Itaque relatio iſta neceſſaria non eſt, neque denominatio iſta neceſſaria; non tamen propterea res ipſa, cui accedit hæc relatio & denominatio, non neceſſaria judicanda. Quemadmodum, verbi gratia, denominatio creatoris neceſſaria non eſt, interim tamen Deus, cui denominatio hæc accedit, neceſſarium quid eſt.

CAP. X.

De Perſonis SS. Trinitatis.

I. NEgant, *in eſſentia Dei plures eſſe perſonas, quam unam.*

Sed convincuntur clariſſime vel ex ſolo Gen. 1. 26: *Faciamus*, &c. Item, Gen. 3. 22: *Ecce homo ſicut unus ex nobis.* Unde priora iſta majorem lucem accipiunt.

Obj. 1. Eſſentia intelligens, volens, eſt perſona; Atqui divina eſſentia eſt talis; Ergo eſt perſona. Ut ergo una eſt eſſentia Dei, ita una in iſta eſſentia eſt perſona. *Reſp.* Iſtam falſam eſſe definitionem perſonæ; Nam debet etiam hoc adeſſe, ut non ſit communis. Atqui eſſentia divina eſt communis tribus diſtinctis, Patri, Filio, & Spiritui Sancto. *Communem* dicimus, non *communicabilem*, ut quidam volunt, quia eſſentia Dei communis quidem eſt, ſed non communicatur. Communem autem eſſe iſtis tribus, infra patebit.

Obj. 2. Perſona eſt ſubſtantia prima, ſive ſuppoſitum; ſi ergo erunt plures perſonæ in eſſentia Dei, erunt plures ſubſtantiæ, ſive eſſentiæ. *Reſp.* limitando: Perſona eſt ſubſtantia, ſed non neceſſe eſt, ut diſtincta ſit, quoad materiale, ab altera perſona, ſi nempe iſta perſona eſt infinita; imo neceſſe eſt, ut non ſit diſtincta ab altera, quoad *materiale*, ſed tantum quoad *formale.* Materiale vocamus hic eſſentiam Dei. Formale modum certum ſubſiſtendi.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Obj. 3. Modus non cadit in Deum; quia modus omnis ortum habet & principium. *Reſp.* Habet ortum, ſed ille modus qui extra Deum eſt, non autem qui in Deo eſt. Dari autem in Deo modum, vel hinc patet, quod datur perſonalitas, quæ modus eſt.

II. *Perſonæ iſtæ ita ſunt plures, ut tamen ſint tantum tres.*

Multa contra hoc agunt Adverſarii. 1. Negant, hanc doctrinam fuiſſe notam in Veteri Teſtamento. 2. Doctrinam hanc eſſe falſam aſſerunt. Quod ad 1; In Veteri Teſtamento doctrinam hanc fuiſſe notam patet, 1. *Ieſ.* 63. 8, 9, 10. 2. Quia, quæ de uno vero Deo dicuntur in Veteri Teſtamento, illa in Novo Teſtamento applicantur ad tres diſtinctas perſonas; verbi gratia, quod *Eſaï.* 6 dicitur de uno æterno Deo, illud applicatur ad Chriſtum, *Ioan.* 12. 31, 41. Hic omittenda non eſt, antequam ulterius progrediamur, ineptiſſima exceptio Socini: Propterea, inquit, quæ tribuuntur Deo vero in Veteri Teſtamento, accommodari Filio & Spiritui Sancto: Quia Filius eſt inſtrumentum; Spiritus Sanctus, præter hoc, quod inſtrumentum eſt, eſt etiam potentia Dei. *Reſp.* Ineptiſſima ſunt. Nam ea quæ ſunt principalioris, ut principale eſt, non poſſunt tribui inſtrumentali, niſi confuſio rerum fiat.

Objicit Socinus. Si doctrina iſta fuiſſet in Veteri Teſtamento nota; tum proculdubio eſſet nota modernis Judæis. Atqui ipſis adeo ignota eſt, ut hoc ipſo deterreantur complures, ne nomen dent Chriſto. Ergo non fuit nota in Veteri Teſtamento. *Reſp.* Abſurdiſſimam eſſe iſtam conſequentiam; &, ſi obtinere debuiſſet, tum certe nec Chriſtus Meſſias eſſet futurus, aut ne Chriſtus quidem in Novo Teſtamento notus fuiſſet; quia jam iſti plebeculæ adeo notus non eſt; ut deterreat ipſos ab amplectenda religione Chriſtiana; 1 *Cor.* 1. 23. Et valde abſurda conſequentia iſta hinc, quod à Judæis ſive Iſraëlitis argumentetur, rejectis à fœdere Dei, & alienis ab Eccleſia Dei (vid. *Rom.* 10. *verſ.* 11. 2 *Corinth.* 4.) ad iſtos qui erant in Eccleſia, imo qui Eccleſiam ſolam conſtituebant. Vide *Pſal.* 147. *Actor.* 14.

Doctrinam autem hanc non eſſe falſam, his argumentis evictum dabimus.

1. Quia non tantum Pater & Filius; ſed etiam Spiritus Sanctus, Deus appellatur, ut verus Deus. De Deo Patre nullum eſt dubium: De Deo Filio notum eſt, 1 *Ioan.* 5. 20. De Spiritu Sancto quod hoc idem verum ſit, apparet ex 2 *Sam.* 23. 1, 2, 3. De Chriſto excipiunt Adverſarii, poſſe eſſe verum Deum, & tamen non æternum Deum. *Reſp.* Abſurdum hoc. Nam, 1. Si verus Deus eſt, eſſentia erit Deus; quemadmodum qui verus homo eſt, eſſentia homo eſt. 2. Si Chriſtus eſt verus Deus, ergo non vocabitur talis propter officium, & per conſequens non erit metaphoricus Deus: quod tamen volunt Adverſarii, quicquid contra proteſtentur. Notandum eſt fundamentum erroris hac in re. Putant, nomen Dei eſſe nomen commune, ac proinde eſſe multos Deos; quemadmodum nomen equi eſt commune ſive appellativum. At hoc falſum. Nam diſtinctio iſta habet fundamentum in Scripturis. Deus vel notat *naturâ* Deum, ut verum Deum, *Gal.* 4. Vel *tropice*; & ſic iterum dupliciter: vel *Metaphorice*, ut Magiſtratus, *Ioan.* 13. 34. vel *καταχρηστικῶς*, ut Diabolus, 2 *Cor.* 4. 4.

2. Tres ſunt perſonæ, qui cultu religioſo adorantur; Ergo tres ſunt perſonæ unius eſſentiæ. Conſequens patet, *Deut.* 6. *Matt.* 4. 10. *Luc.* 4. 8. Antecedens patet; de Chriſto quidem, *Rom.* 14. 10, 11. *Eſaï.* 45. 23. *Hebr.* 1. Hoc argumentum torquet ibidem maxime Socinum; & inquit, fuiſſe hoc mandatum in Veteri Teſtamento, ſed non in Novo Teſtamento. *Reſp.* Inepte. Nam Paulus reprehendit Galatas, quod ſervierint Diis, qui natura Dii non erant; &, *Apoc.* 19, Angelus prohibet ſibi cultum exhiberi. Operæpretium eſt videre, quid reſpondeant ad locum *Eſaï.* 42. 8, qui locus maxime facit ad probandam conſequentiam. *Deus*, inquiunt, *non vult gloriam ſuam dare alteri quod eſt ſculptile; ſed ei quod ſculptile non eſt, vult dare, qualis eſt Chriſtus.* *Reſp.* Univerſaliter dicitur; *Alteri non dabo.* Præterea etiam copulativa iſta oſtendit, illud *alterum* aliud eſſe quam ſculptile. Sed etiam illa quæ attulimus proxi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

proxime, refutant iſta. De Spiritu Sancto, quod ipſi attribuatur cultus religioſus, patet ex *Apoc.* 1. 4; Ubi Apoſtolus precatur gratiam & pacem, non tantum à Deo Patre, ſed etiam à ſeptem ſpiritibus. Hic iterum ſudat Socinus. Nam putat agi de Angelis; ſed inepte. Nam ut Angelis non tribuitur cultus religioſus, ita nec invocatio, quæ pars eſt cultus religioſi. Quæritur autem: *Quid per ſeptem Spiritus intelligatur? Reſp.* Spiritum Sanctum vocari ſeptem metonymice, ob effecta varia & proprietates varias; vide hac de re, *Eſai.* 11. 2. Vorſtius putat, in religioſo cultu dari gradus, inferiorem, & ſuperiorem. Sed inepte. Nam cultus religioſi ſumma continetur iſto: *Diliges Dominum Deum tuum*, &c.

3. Quorum auctoritas eadem, illi ſunt æquales; At trium iſtorum, Patris, Filii, & Spiritus Sancti, auctoritas eadem eſt. Ergo & per conſequens, unus æternus Deus. De Majore nemo dubitat. Minor probatur, *Matth.* 28. 19: *Baptizate in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti.* In nomine autem aliquid fieri, eſt mandato & auctoritate fieri, ut ex ſimili locutione in re diſſimili patet, *Act.* 4. 7. *Act.* 9. 29.

4. Quod hi tres ſint cauſa cultus religioſi. Cultus autem religioſi nemo poteſt eſſe auctor niſi ipſe Deus. Cultus religioſi cauſam eſſe illos tres, patet ex Inſtitutione Baptiſmi, ubi in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti, jubemur baptizari. Plura alibi à nobis allata ſunt in hanc rem, & à multis noſtris doctoribus, & imprimis Zanchio; proinde recta imus ad objectiones.

Obj. 1. Si tres ſunt in una eſſentia & unius eſſentiæ; Ergo, incarnato Filio, incarnabitur etiam Pater & Spiritus Sanctus: Atqui hoc eſt abſurdum; Ergo & illud. Conſequens probatur. Quia ſi eſſentiæ ſunt ejuſdem, & quidem indiviſibilis, non poteſt fieri, quin, incarnato Filio, incarnetur Pater & Spiritus Sanctus. *Reſp.* Si eadem eſſentia, & idem modus ſubſiſtendi. At ita cadit Minor. Quia utut eadem eſſentia, modus ſubſiſtendi tamen diverſus, ut à nobis ante oſtenſum.

Obj. 2. Si tres ſunt modi, aut ſunt de eſſentia divina, aut non: Si prius; Ergo conſequitur, quod ſint propria eſſentiæ divinæ: Si poſterius; Ergo poſſunt abeſſe, ſalva manente eſſentia, & ita per accidens combinati ſunt cum eſſentia. *Reſp.* Sophiſma hoc multis modis eſt vitioſum. Nam 1. Poteſt aliquid non eſſe de eſſentia, & tamen non accidentaliter combinari. Nam illa quæ ſunt *eſſentialia à poſteriori*, ſeu, ut Philoſophi dicunt, *conſecutiva*, ut ſunt propria quarti modi, non ſunt de eſſentia, id eſt, non ſunt eſſentialia conſequutiva, & tamen non per accidens combinantur cum re ſeu ſubjecto; nec ſeparari poſſunt à ſubjecto. 2. Negando non eſſe de eſſentia; nam dicuntur conſubſtantiales modi, ſibi invicem, & eſſentiæ.

Obj. 3. Si tres ſunt modi in eſſentia divina; Ergo eſſentia divina quid commune erit. *Reſp.* Eſſentiam habere ſe analogice per modum communis alicujus & univerſalis; ſi tamen res recte expendatur, *ſingulariter ſingularis* eſt, ut dici ſolet à Scholaſticis. Non enim modus ſubſiſtendi in re ſingulari efficit, ut res univerſalis proprie ſit, & communis; ſed hoc facit ſpecies ſingularum eſſentiarum.

Obj. 4. Si tres ſunt modi ſubſiſtendi; Ergo modi illi, vel finiti, vel infiniti ſunt: Si finiti; Ergo finita eſſentia, ut cujus modi ſunt finiti: Si infiniti; Ergo tria infinita: quod abſurditatem parit; *Nam plus uno infinitum eſſe nequit. Reſp.* Modos eſſentiæ divinæ, neque finitos, neque infinitos eſſe. Nam finitum vel infinitum eſſe, eſt eſſentiarum, non modorum. Unde ens dividitur in finitum & infinitum. Quemadmodum unitas non dicitur una, nec bonitas bona, nec exiſtentia exiſtens; ſic nec modus ſubſiſtendi in eſſentia divina dicitur finitus, vel infinitus. Vide *Bellarminum*, qui doctiſſime hanc rem excuſſit.

III. *In ſecunda perſona eſſentiæ divinæ duplex eſt natura, divina & humana.*

Negant hoc Sociniani; ſed inepte: adeo quidem ut ab Arrianis, è quibus illi proſeminati, in hoc accuſentur, quod negent duplicem in Chriſto naturam. Nam Arriani ſtatuunt duplicem in Chriſto naturam; Unam, quæ fuit, antequam mundus eſſet, quam tamen & ipſi creatam aſſerunt; alteram, quæ poſtmodum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

dum ex Maria Virgine prodiit. Noſtra ſententia clariſſime extat in Scriptura; ſed argumenta in hanc rem demus.

I. Dicitur Chriſtus fuiſſe ante mundum, & tamen idem dicitur natus ex Maria Virgine; quod intelligi non poteſt, niſi de diverſis naturis, & quidem quarum una divina eſt; Nam quod ante mundum fuit, æternum eſt. Æternitas enim deſcribitur per hæc: *antequam montes eſſent*. Atqui quod æternum eſt, Deus eſt; ut itidem à nobis in præcedentibus probatum. Quod vero fuerit ante mundum, patet ex Joan. 1. 4: *Omnia per ipſum facta ſunt*. Item, *Per ipſum mundus factus eſt*. Hic Sociniani excipiunt: Per ipſum dici mundum factum, non veteris, ſed novæ creaturæ. *Reſp.* Ineptum hoc multis ex cauſis. 1. Non patiuntur iſtam reſtrictionem præcedentia; *per ipſum omnia facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil quod factum*. Nota eſt regula certiſſima: *Univerſali definita in Scriptura non eſt apponenda exceptio, niſi feratur expreſſe ex Sacris Literis*. 2. In ſpecie iſtam univerſalem per particularia deducit Spiritus Sanctus, quæ minime ad creaturam novam trahi poſſunt, ut, quod in ipſo dicantur conditi Angeli, & omnia quæ in cælis, & quæ in terra, *Hebr.* 1. 10. 3. Quod ſi admittitur ipſorum explicatio, tum neceſſario futurum eſt, homines in Veteri Teſtamento non fuiſſe regenitos. Atqui hoc plane abſurdum. Nam expreſſe Spiritus Sanctus teſtatur, ſalvatos eſſe, *Act.* 15. *v.* 10. Conſtat autem, ex *Ioan.* 3, neminem, qui non ſit regenitus ex aqua & Spiritu, poſſe ingredi in regnum cælorum. Hinc jam iſta particularia deducuntur. 1. Illud quod, *Ioan.* 8, dicitur, *Antequam Abraham fuit, ego fui*, &c. abſurde torqueri ab Adverſariis. 2. Illud, 1 *Cor.* 10. 9, *Ne tentemus Chriſtum, ſicut*, &c. Et multa alia his ſimilia.

II Argumentum, quo probantur duæ naturæ in Chriſto, eſt: Quod Chriſto attribuantur attributa talia, quæ minime in unam naturam cadere poſſunt; ut, quod ſciat omnia, ita ut ipſum nihil fugere poſſit: quod ſolius Dei proprium eſſe evicimus, *Ioan.* 21. 17. Et quod quædam ignoraverit, ut ficus in ficu, *Marc.* 11. Item extremum judicium, *Marc.* 13. Item quod ſit omnipotens, ut appellatur frequenter in Apocalypſi, *cap.* 18; quodque per ipſum omnia conſiſtant, *Col.* 1. 17. Et quod ſuſtineat omnia potenti Verbo ſuo, *Hebr.* 1. Et interim, quod defatigatus fuerit ex itinere, *Ioan.* 4. Et quod ferendæ cruci par non fuerit, *Matt.* 27. *v.* 37. Et quæ plurima talia in hanc rem à noſtris Theologis afferuntur.

III. Probant duas naturas in Chriſto iſta loca, quæ in Chriſto expreſſe agnoſcunt duplicem naturam, & diſtinguunt in Chriſto aliud ab alio; quale illud, *Rom.* 1. 3, 4: & *c.* 9. 5. Hinc jam intelligitur illud Chriſti Servatoris, *Matt.* 22. *v.* 42, 43, &c. Ubi oſtendit ſe non tantum filium Davidis fuiſſe, ſed præterea & Dominum Davidis.

Obj. 1. Si ſunt duæ naturæ in Chriſto; Ergo duæ perſonæ; duplex ergo Chriſtus: quod abſurdum eſt. *Reſp.* negando Conſequentiam. Nam verum hoc eſſet, ſi utraque natura haberet ſuam peculiarem hypoſtaſin; At jam Minor falſa, ut clariſſime patet, *Phil.* 2. 7. *Hebr.* 2. *verſ.* 16.

Obj. 2. Si humana natura aſſumpta eſt in hypoſtaſin τοῦ λόγου. Ergo indignior eſt natura noſtra, quæ habet propriam ſubſiſtentiam. *Reſp.* Nego Conſequentiam. Nam non propterea humana Chriſti natura, quia non habet propriam ſubſiſtentiam, indignior eſt, ſed tanto dignior, quanto hypoſtaſis divina dignior humana.

Obj. 3. Si nobis per omnia ſimilis fuit, excepto peccato; Ergo, quemadmodum nos habemus propriam hypoſtaſin, ita etiam & ipſe habebit. *Reſp.* Nobis per omnia ſimilis, quoad φύσιν, non quoad ὑπόστασιν, *Hebr.* 2. 16.

IV. *Chriſti perſona non eſt compoſita ex humana & divina natura, ſed conſtat ſola divina natura.*

Canon hic non tantum contra Socinianos obſervandus eſt, qui ex eo, quod ſtatuamus in Chriſto duas naturas, hoc abſurdi deducere volunt, quod divina natura cum humana ingrediatur compoſitionem; ſed etiam contra Lutheranos, qui ſtatuunt, perſonam Chriſti Mediato-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

diatoris conſtare ex divina & humana. Nos contra hoc iſta opponimus.

1. Quia humana natura aſſumpta eſt in perſonalitatem τȣ λόγȣ. Ergo non conſtituit perſonam. Nam quod poſterius perſonalitate, illud etiam poſterius perſona. Ratio Majoris certa eſt, quia perſonalitas eſt forma perſonæ.

2. Si ingrederetur compoſitionem divina cum humana natura; Ergo *primo*, in divinam naturam caderet mutatio proprie dicta. Atqui hoc negat Scriptura, ut paſſim, ita etiam *Iacob.* 1. Conſequentia patet; Quia futura eſſet pars proprie dicta rei, cum antea totum eſſet. *Secundo*, ſequeretur, divinam naturam in Chriſto non eſſe infinitam; Nam pars minor eſt ſuo toto; Infinitum autem nulla re minus eſt, ſed omnia infinities excedit. *Tertio*, ſequeretur, natura divina dari quid melius & perfectius, quia totum in bonis melius eſt parte, itemque perfectius parte. Atqui divina natura nihil melius; cum hæc ſola bona independenter, nihilque perfectius. Quæris forte: Quid ergo eſt humana Chriſti natura in Chriſti perſona? *Reſp.* Nil aliud quam adjunctum internum.

Obj. Atqui Theologi ſtatuunt, Chriſti perſonæ duas naturas eſſe partes analogice dictas. vid. *Keckerm.* & *Goclenium*, non ignobiles Philoſophos & Theologos. *Reſp.* Dici quidem hoc ab ipſis, & poſſe etiam admitti in populari tractatione; at ubi accurate diſceptandum eſt, tolerari minime poteſt. Hinc jam diſtinctio iſta intelligitur: *Totus Chriſtus*, & *totum Chriſti*. Nam bene dicitur contra Lutheranos: Totus Chriſtus eſt ubique; & ratio eſt, quia divina natura ſola conſtituit perſonam. At non bene dicitur: Totum Chriſti eſt ubiq; quia præter perſonam eſt adjunctum internum.

V. *Ita duæ iſtæ naturæ ſunt in Chriſto, ut ſint unitæ indiviſibiliter, maneant tamen diſtinctæ, ut ipſæ, ita proprietates.*

Indiviſibiliter ſunt conjunctæ: quod patet, dum Chriſtus eſſet mortuus, tamen Princeps gloriæ & Princeps vitæ dicitur mortuus, 1 *Cor.* 2. 1. Et *Act.* 3. 15. Item; Deus dicitur ſanguine redemiſſe Eccleſiam, *Act.* 20. *v.* 28. Quod autem diſtinctæ iſtæ naturæ ſint, & proprietates ipſarum, patet; quia etiam Chriſtus verus Deus & verus homo appellatur. Item, dicuntur de ipſo attributa, quæ non poſſunt uni eidemque naturæ convenire, ut, quod fuerit ab æterno, & cœperit in tempore; ubique ſit, & in certo loco ſit; Omnipotens, & defatigetur; Omniſcius, & quædam ignoret.

Obj. Atqui quemadmodum communicata eſt divina natura humanæ naturæ, ita etiam oportet, proprietates divinæ naturæ communicari humanæ naturæ. *Reſp.* Diſtinctionem hic obſervandam Scholaſticorum: dicunt illi; Communicatur divina natura humanæ, non *tranſitive*, ſed *intranſitive*, id eſt, non ita, ut mutetur in humanam naturam, ſed ita, ut maneat quæ erat, & in ſui unionem aſſumat humanam naturam. Pari ergo ratione communicabuntur proprietates, non tranſitive, ſed intranſitive. Nam divinæ proprietates non differunt ab ipſa natura, ut à nobis ſuperius explicatum eſt. Hic à nobis pauca ſunt explicanda: quædam propter Lutheranos & propter Socinianos ſimul; quædam propter Lutheranos tantum.

Objiciunt in communi utrique, etiamſi finem diverſum ſpectent (Nam Lutherani, quia putant, rem ita habere; Sociniani, ut ad abſurdum nos deducant, admiſſa ſcilicet noſtra hypotheſi, quod humanæ naturæ ſubſiſtentia ſit ſubſiſtentia τȣ λόγȣ): Quod, quicquid dicatur de hypoſtaſi, dicendum ſit de humana natura; ut, cum hypoſtaſis æterna, æterna quoque humana natura; cum hypoſtaſis infinita, humana natura etiam infinita. Atque adeo, quod illud incommodi, quod vitare ſtudemus (ſcilicet non communicari propria divinæ naturæ tranſitive humanæ naturæ) nobis ſit admittendum. *Reſp.* Falſam hanc hypotheſin præſupponi utrinque, quod hypoſtaſis ſit finita, vel infinita; cum neutrum ſit. Et contra Lutheranos hoc facile obtinetur. Nam cum tres ſint hypoſtaſes diſtinctæ, de quibus convenit inter nos & ipſos, oporteret, ex ipſorum ſententia, tria ſtatuere infinita & æterna: quod abſurdum. Contra, Sociniani hoc modo coarguuntur erroris, quod ſubſiſtentiam cogantur fateri eſſe perſonalitatem; ſubſiſtentiam, in-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

inquam, eſſentiæ intelligentis, volentis; quod ſi hoc ſint daturi, prout hoc non inviti dant, tum jam quæram ex ipſis, quid perſonalitas illa ſit? Subſtantiane an accidens? Accidens eſſe non dicent; Subſtantiam ergo aſſeverabunt. Erit ergo hæc, vel *prima*, vel *ſecunda*: Secunda non eſt, quia nec genus nec ſpecies eſt; Nam perſonalitas iſtis contradiſtinguitur; ſi prima, ergo erit vel incompleta, ut pars, & hoc non dicent; vel completa, & ita vel ſuppoſitum ſimpliciter, vel ſuppoſitum & perſona: At abſurdum hoc; nam perſonalitas eſt abſtractum quid, perſona concretum; oportet ergo, quicquid ſit, ſtatuant diverſum quid eſſe, atque adeo, cum nec ſubſtantia nec accidens ſit, oportet ut ſit modus. Modi autem & entis non eadem ſunt attributa, ut iis, qui vel à limine ſalutant Metaphyſicam, liquet. Cum ergo perſona ſit vel finita, vel infinita, perſonalitas talis non dicetur. In Lutheranis vero hoc notandum, quod, dum eadem attributa, quæ divinæ naturæ ſunt, ſtatuunt cadere tranſitive in humanam naturam, de cauſa cur hoc fiat, non conveniunt. Nam aliqui ſtatuunt, cauſam eſſe hanc, quod hypoſtaſin τȣ̃ λόγȣ aſſumpſerit; quod quanti ſit roboris, jam à nobis expenſum eſt. Alii ſtatuunt, præter hoc eſſe ſeſſionem ad dexteram Dei; hinc ſtatuunt, in ſtatu exinanitionis non fuiſſe ubique actu ſecundo, ſed actu primo; de quo magnæ lites inter ipſos ortæ, inter Meiſnerum ſcilicet, & Tubingenſes. Sed ut nec prius verum erat, ita nec poſterius. Nam ſeſſionem ad dexteram Dei hoc non efficere, probat Doctiſſ. Urſinus in Confeſſ. Eccleſiarum Palatinarum.

VI. *Ex unione iſta oritur in Sacris Literis peculiaris loquendi modus, qui à Theologis vocari ſolet, Communicatio Idiomatum.*

Dicitur Filius hominis in cælo, *Ioan.* 3. 13. Dicitur Deus redemiſſe Eccleſiam Sanguine ſuo, *Act.* 20. 28. Dicitur Dominus gloriæ crucifixus, 1 *Cor.* 2. 8. ubi notandum, Socinianos nulla commoda ratione hos modos loquendi explicare poſſe.

VII. *Fit autem communicatio iſta realis, in concreto ſive in perſona; verbalis, in abſtracto, ſive ratione naturarum.*

Utiliſſimus hic eſt canon, & qui, ſi recte intelligatur, detegit facile multas inſulſas ineptias Lutheranorum. Breviter ergo hic nobis dicendum, 1. Quid hic nomine abſtracti & concreti veniat. 2. Explicandum, quid hoc ſit: *Communicatio realis in perſona; verbalis, in naturis.*

Sciendum autem hic, concretum & abſtractum accipi aliter à Theologis, aliter à Philoſophis. Theologi hoc loco accipiunt concretum pro eo, quod abſtractum eſt, non ultimatum, ut vocare ſolent Scholaſtici; verbi gratia, Chriſtus Deus, Chriſtus homo; Filius Dei, Filius hominis, &c. Et hoc notat perſonam. Abſtractum ipſis eſt id, quod vocant Philoſophi abſtractum ultimatum, ut humanitas, divinitas; vel, ſi non ſit abſtractum ultimatum, determinatio & limitatio additur, quæ concretum determinet ad abſtractum; Verbi gratia, Filius hominis, *quatenus* Filius hominis; Filius Dei, *quatenus* Filius Dei. Quod ad ſecundum, ſciendum eſt, Communicationem idiomatum fieri in *concreto*, *realiter*; *verbaliter*, in *naturis*; verbi gratia: Illa perſona quæ Deus eſt, vere ſuo Sanguine redemit Eccleſiam, ſed nominetenus, quatenus Deus eſt. Nam nec Deus, quatenus Deus, ullum Sanguinem habet, nec pati poteſt. Idem Filius hominis, qui erat in terra, erat in cælo, uno eodemque momento, vere & realiter perſona, quæ eſt Filius hominis; at, nominetenus, quatenus Filius hominis.

VIII. *Oſtenſum eſt à nobis, duplicem eſſe naturam in Chriſto. Vtriuſque origo nobis inveſtiganda in Scriptura. Divina ergo natura eſt ex paterna generatione.*

Pelagus ingredimur magnarum difficultatum. Sociniani enim, 1, negant cadere in Deum generationem, eo ipſo moti, quod generatio mutationem ſecum inferat. 2. Iſta, inquiunt, generatio, aut perfecta eſt, & ita eſt mutatio in Deo; aut adhuc fit, & ita Filius hominis per-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

perfecte nondum eſt genitus. Hæc nobis primo amolienda; poſt canon probandus.

Ad 1 ergo *reſpondemus*; Non omnem generationem inferre mutationem, ſed eam tantum, quæ eſt eorum, qui aliquando non fuerunt. At quæ æterna ſunt, ſemper fuerunt. Hinc Theologi noſtri diſtinguunt inter generationem *Phyſicam*, & *Hyperphyſicam*. *Obj.* Quod ſemper fuit, non opus eſt, ut generetur; At Filius Dei ſemper fuit; Ergo. *Reſp.* Præſupponitur falſa hypotheſis, quod ſcilicet in æternis principium originis eſſe nequeat. Ecce enſtaſis: Spiritus Sanctus æternus eſt, quemadmodum fatentur Adverſarii; Nam Pater nunquam fuit abſque Spiritu, & tamen Spiritus Sanctus habet principium originis, *Ioan.* 15. *verſ.* 26.

Ad 2 *reſpondemus*; Æterna nunquam ceſſare, ac proinde bene dicimus, Filium genitum eſſe, ac gigni. Nec eſt quod urgeant: Quod fit, imperfectum eſt; quia terminum ſuum nondum eſt aſſecutum. Hoc enim falſum eſt in Philoſophia, nedum in Theologia; ſunt enim quædam entia, quorum perfectio conſiſtit in fieri, & ſimul ac fiunt, perfecta ſunt, etſi fiant porro & continuentur; verbi gratia: Viſio, ſimul ac fit, perfecta eſt, & tamen continuari poteſt. Item, radius ſolaris, ſimul ac emittitur, perfectus eſt, attamen continuatur iſta emiſſio. Jam in divinis hoc falſum eſſe patet, *Ioan.* 15. *v.* 26 Quia dicitur, *Procedit à Patre*, & interim Adverſarii negare non poſſunt, Spiritum eſſe perfectum. Sed jam canon nobis probandus eſt.

Quod nempe generatio in Deum cadat.

Probamus autem hoc, 1. Ex *Pſal.* 2. *v.* 7. *Filius meus es tu, ego hodie genui te. Excipit Catecheſis Racoviana*, 1: Nihil ibi de æternitate dici, imo æternitatem ibi excludi voce iſta *hodie*. 2. Utut daretur, genuiſſe Deum, non tamen ſequeretur, ex *eſſentia* genuiſſe; & ratio eſt, quia hoc dicitur de Davide. 3. Accommodantur illa ad reſurrectionem, inquiunt, *Act.* 13. *v.* 33. 4. Ad glorificationem accommodantur, *Hebr.* 5. 5. vide *pag.* 57, 58, *Catecheſeos Racovianæ*.

Reſp. ad 1; Vocem *hodie* accipiendam eſſe ſecundum ſubjectam materiam. At ſubjecta materia Deus eſt, & qui genuit, & qui genitus eſt. De eo qui genuit, nullum dubium apud Adverſarios eſſe poteſt, ut patet ex hoc eodem Pſalmo. *Beatus*, inquit, *qui confidit in eum.* Atqui quemadmodum non jubemur credere niſi in ſolum Deum, ita nec fiduciam locare niſi in ſolum Deum, *Ier.* 17. 16. Unde jam conſequitur; ut tempus in Deum non cadit, eſt enim æternus; ita vocem iſtam *hodie* non notare tempus, ſed æternitatem.

Quæri poteſt: *Cur voce* hodie *æternitas indigitari debeat? Reſp.* In Scriptura uſitatiſſimum hoc eſt, ut præteritum tempus efferatur per *heri*, futurum per *cras*, præſens per *hodie*. vide exempla, *Exod.* 10. 4. *Deut.* 5. 30. *Heb.* 3. 7. His ita recenſitis, ſciendum; Spiritum Sanctum interdum æternitatem per iſta tria deſcribere ſimul, ut, Apoc. 1, *Qui eſt, qui erat, & qui venturus eſt.* Hebr. 13, *Chriſtus heri & hodie idem, & in ſecula.* Aliquando vero tantum per præſens. At vero hoc poſterius magis quadrat naturæ æternitatis, ut quæ nullam ſucceſſionem admittit, ita ut nihil in illa præteritum, nihil futurum. Atque ita ad primam exceptionem reſpondimus.

Reſp. ad 2; Exceptio hæc eſt nihili. Nam, 1, Putant Adverſarii, quod ea, quæ in Pſalmo dicuntur, Davidi competant ſuo modo, id eſt, ut typo. At falluntur. Nam multa dicuntur in Pſalmis de Chriſto, quæ nullo modo cadunt in Davidem; verbi gratia, Pſal. 114, *Dixit Dominus Domino meo*, &c. 2. Videntur ignorare typos & antitypum, itemque modos, quibus quid dicitur. De utroque nos paucis hic explicabimus. Sciendum ergo, 1, Quædam dici de typo, quæ nullo modo cadunt in typum, ut, *Act.* 2. 25, ſed tantum in antitypum; quædam dici de typo tantum, quæ nullo modo cadunt in antitypum. vide 2 *Sam.* 7. 14. Quædam vero dici de typo, quæ cadunt in utrumque, *Ioan.* 19. 36. Vide de iſtis Pareum, in libello, quem inſcripſit, *Calvinus Orthodoxus*. Utut autem iſta dicerentur de Davide, nullo modo tamen quadrant in Davidem, ut patet ex Epiſtola ad *Hebr.* 1. 5, 8.

Reſp.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Reſp. ad 3; Fatemur, iſta accommodari ad reſurrectionem, ſed ea ratione quemadmodum docet Spiritus Sanctus, *Rom.* 1. *v.* 4. Hinc jam argumentum noſtrum: Si eſt declaratus Filius Dei per reſurrectionem; ergo conſequetur, quod vel eo, quia reſſuſcitatus eſt; vel eo, quod ſe ipſum ſuſcitavit: Si prius, tum nihil habuit peculiare præ nobis, nam & nos divinitus reſſuſcitabimur; Si poſterius, tum jam conſequetur hoc, quod ſit verus ac æternus Deus; & proinde, cum ex Deo genitus dicatur, quod proprie genitus ſit. Accedit Scriptura, quæ dicit, quod fuerit declaratus: Si declaratus; fuit ergo antequam declaratus eſſet. Omne namque quod declaratur, tale eſſe præſupponitur, ac fuiſſe tale, antequam declararetur.

Reſp. ad 4; Et hæc exceptio nihili; Nam non dicit Spiritus Sanctus, *Glorificatus eſt*, & propterea dici, *Filius meus es tu, hodie genui te.* Sed dicit, quod is, qui dixit, *Filius meus es tu, hodie genui te*, tribuat ipſi, ut fiat Pontifex, &c. Hoc vero longe diverſum eſt ab eo quod Adverſarii volunt.

II *Argument.* pro probanda æterna generatione in Deo, petimus ex *Prov.* 8, & quidem verbis iſtis: *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, ante opera ſua*, &c. Locus hic eſt luculentiſſimus aſtruendæ generationi æternæ Filii Dei, quem adeo frivole impugnant Sociniani, ut liquebit ab exceptionibus eorum, contra eundem allatis. Eſt autem argumentum, quod hinc exſtruimus, tale: Generatio, quæ Deo tribuitur, duplex eſt in Scriptura, *propria*, & *metaphorica*: propria cadit in ſolum Filium Dei; metaphorica eſt regeneratio, quæ cadit in homines peccatores. His præſuppoſitis, ita argumentamur: Sapientia iſta dicitur generata; Ergo generatione aut propria, aut metaphorica: Non metaphorica (quæ eſt regeneratio), quia non poteſt intelligi, quomodo regeneretur, cum peccatum in eam non cadat; Ergo propria. Hinc Chriſtus, quia hic per ſapientiam indigitatur, in Scriptura dicitur proprius & unigenitus Dei Filius, *Rom.* 8. *Ioan. cap.* 1.

Excipiunt, 1: Iſtam ſapientiam non dici Dei ſapientiam. 2. Iſtam ſapientiam non eſſe perſonam. 3. Non haberi in loco citato, *ab æterno*, ſed *à ſeculo*.

Reſp. ad 1; Eſſe ineptiſſimum. Nam, ex ſubjecta materia innoteſcit, agi ibi de ſapientia Dei, quæ ante omnia opera, & ab æterno. Ad 2. Delirant Adverſarii; ſuntne iſta effectus perſonæ, *Per me reges regnant*: tum vero Deum perſonam eſſe negandum eſſet, quia hoc Deo maxime & propriiſſime attribuitur. Quod vero ad illud attinet, ex Prov. 9, *Sapientia virgines ſuas mittit*, &c. Ergo non eſt perſona, perinde eſt, ac ſi dicam: Decem virgines ſe præparant ad excipiendum ſponſum, *Matth.* 25. Ergo ſponſus iſte non eſt perſona; cum contrarium potius utroque evinci debeat. Ad 3. Proſtitutæ eſt hoc impudentiæ ſignum, quod dicant, ibi non agi de æternitate, cum expreſſe iſta ſapientia de ſe dicat, quod fuerit ante omnia opera Jehovæ, & ante ullum tempus, *verſ.* 22: quinimo ante monuimus, hæc talia, *Antequam montes eſſent*; *Antequam abyſſi eſſent*; *Antequam terra, tempus, primordia eſſent*, eſſe ipſam æternitatis Dei deſcriptionem.

III *Argument.* Ex Mich. 5, *Ex te mihi egredietur dux, qui paſcet populum meum Iſraël, & egreſſus ejus ab initio, à diebus ſeculi.* Hoc loco non probamus æternam generationem, ſed æternitatem Filii Dei; aut ſi quis probare velit generationem æternam, oportet hoc pacto ratiocinetur: Æternum quod habet principium originis, vel eſt Filius, vel Spiritus Sanctus; Atqui hic non eſt Spiritus Sanctus; Ergo Filius eſt. Is ergo per generationem æternam eſt, quemadmodum Spiritus Sanctus per proceſſionem.

Videamus, quid reſpondeant Adverſarii. Dicunt: Non eſt idem dicere, *à diebus ſeculi*, & *ab æterno.* Nam dies ſeculi idem notant, quod dies antiqui, *Malach.* 3. 4. Sententia vero hujus loci eſt, inquiunt, Chriſtum originem nativitatis ſuæ duxiſſe à diebus antiquis, id eſt, à Davide, qui erat auctor ſtirpis & familiæ Chriſti. *Reſp.* 1. Non effugiunt hoc modo. Ratio eſt, quia hic tribuuntur Chriſto quædam peculiaria, quæ in nos non cadunt. At vero duxiſſe originem à diebus antiquis, ſenſu Sociniano, id etiam in nos cadit; Quia nos omnes ori-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

originem ab Adamo trahimus: & Chriſtus communem habet cum multis originem ex Davide. 2. Forte hoc dari poſſet Adverſariis, ſi ſimpliciter diceretur, *à diebus ſeculi*, & non geminarentur iſta. At hîc ſecus habet. Nam iſta geminantur, *ab initio*, inquit, *à diebus ſeculi.* Mercerus vir in Hebræa Lingua doctiſſimus, dicit: *Quotieſcunque geminantur tempora aut ſecula, æternitas deſcribitur*; exempla inter alia ejus rei, vide Pſal. 90: *à ſeculo uſque in ſeculum tu Deus es.* 3. Et hoc hic obſervandum, quod abſolute dicatur, *ab initio*, ubi autem abſolute dicitur, ibi tempus eſſe non poteſt, niſi hoc ipſum ex ſubjecta materia pateat.

IV *Argum.* petimus, ex *Col.* 1. 15: *Primogenitus omnis creaturæ.* Sed adverſus hoc multa excipiunt. 1. Dici illum primogenitum creaturæ, ac proinde eſſe creaturam, & ex ordine creaturarum, quemadmodum, *verſ.* 18, dicitur primogenitus ex mortuis: unde conſequitur, ex ordine mortuorum fuiſſe. 2. Si inſtes & dicas; hoc pacto tamen futurum, ut ſit ante creaturas; *Reſpondent*, hic intelligi novas creaturas, ſive novam creaturam, de qua, 2 *Cor.* 5. *v.* 12.

Reſp. ad 1; Chriſtum non poſſe recenſeri in numero creaturarum, eo quod in textu addatur, quod per ipſum condita ſint omnia, quæ in cælis, & quæ in terris. Jam autem oſtenſum antea à nobis, ſi antea fuerunt, eſſe æterna; æterna autem creatura eſſe non poteſt. Quod attinet ad id, quod dicitur *primogenitus ex mortuis*; *Reſpondeo*, aliter loqui Spiritum Sanctum de hoc, aliter de illo: Nam hic dicit, quod ſit πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν· in priori vero, quod ſit πρωτότοκος πάσης κτίσεως. Unde colligitur, eum eſſe primogenitum ex ordine mortuorum, ſed non primogenitum ex ordine creaturarum. Hinc iſtud prius explicandum eſt paraphraſtice, non quod primus reſurrexerit ex mortuis, ſed quod primus *ſua vi* reſurrexerit ex mortuis; hoc vero poſterius, quod ſit ante omnes creaturas, ſive primogenitus ante omnes creaturas.

Reſp. ad 2; Involvi & intricari Adverſarios. Nam ſi hic agitur de nova creatura per regenerationem, tum ante Chriſtum nulla fuit nova creatura ſive regeneratio; perierunt ergo omnes iſti qui ante Chriſtum nati. Quia notorium hoc: Carnem & Sanguinem non poſſe poſſidere regnum Dei, 1 *Cor.* 15. Et, *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu*, &c. Accedit hoc in genere, quod dicuntur per ipſum omnia facta, quæ facta in cælis & in terra: at in hæc omnia non cadit regeneratio. Nam & in terra præter homines ſunt multa, quæ regenerationis capacia non ſunt: & hominum quoque ipſorum tantum minima pars regeneratur; in cælis vero Angeli regeneratione non indigent, quippe Sancti ſunt & inculpati, cum regeneratio tantum ſit naturæ peccatricis. Has difficultates probe vidit Socinus, proinde non contentus his, aliud addit, & dicit, intelligi ibi reformationem omnium rerum per Chriſtum inſtitutam, quoad officia: hinc, inquit, dicuntur etiam throni & poteſtates per ipſum factæ. At nec hæc explicatio ullo modo à textu admittitur. Nam 1, Quid, quæſo, officiorum competat in omnes & ſingulos; dicitur enim de omnibus & ſingulis, quæ in cælis & quæ in terra. 2. Utut nominet thronos & poteſtates, tamen non dicit, Angelos factos thronos & poteſtates; quod dici oportuit, ſi officia Angelorum indigitarentur: ſed ſimpliciter dicit, factas poteſtates & thronos. 3. Clare iſta omnia refutantur per hæc verba, *viſibilia*, & *inviſibilia*; quia hæc non *officiorum*, ſed *naturæ* & *creaturæ* nomina ſunt.

Objicit Catecheſis Racoviana. Si Chriſtus ex eſſentia patris genitus eſt, aut partem eſſentiæ ſumpſit à patre, aut totum; partem ſumere non potuit, eo quod divina eſſentia ſit impartibilis. Non totam ſumpſit, quia unica numero, ac proinde incommunicabilis. *Reſp.* Quod totam, cum certo modo ſubſiſtendi. At, *inquit*, eſt incommunicabilis, cum ſit una numero. *Reſp.* Si eſt communis Patri, Filio, & Spiritui Sancto; Ergo eſt communicabilis, videlicet ratione modi ſubſiſtendi. Quod vero communis ſit tribus perſonis, id vel hoc argumentum evincit clariſſime, quod antea à nobis datum, & quod illi in æternum non ſolvent, quod ea, quæ in Veteri Teſtamento dicuntur de uno vero Deo, in Novo Teſtamento

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

attribuantur ex æquo Patri, Filio, & Spiritui Sancto: quod fieri non poſſet, niſi eadem eſſet iſtorum eſſentia.

IX. *Data proprie dicta generatione in eſſentia Dei, hyperphyſica tamen, jam cognoſcitur, quare Chriſtus vocetur Filius Dei, Filius unigenitus, ſive proprius.*

Ut nihil intactum relinquunt immundæ hæ aves, ita nec hoc. Nam ſtatuunt illi, Chriſtum hominem vocari Filium Dei, non ex hoc, quod ex Deo genitus, ſed propter ternas cauſas. *Prima*, inquiunt, eſt, quod conceptus à Spiritu Sancto; quod, aiunt, innuitur verbis Angeli: *Spiritus Sanctus ſuper te veniet*, &c. *Secunda*, inquiunt, colligitur ex *Ioan.* 10. 36. Ubi Chriſtus de ſe dicit: *quem Pater ſanctificavit, & miſit in mundum.* Duas hic, inquiunt, Chriſtus producit rationes, quibus ſe non blaſphemare probat, cum ſe Filium Dei dicit: Una, quod Pater ipſum miſerit in mundum; altera, quod eum ſanctificaverit. *Tertiam* cauſam dicunt, reſurrectionem à mortuis, & citant, *Act.* 13. 33. Vide hac de re *Goclenium in refutat. Crellii.* pag. 60.

Nobis primo amolienda ſunt, quæ hic objiciunt, impedimenta; & poſt veniendum ad probationem canonis noſtri.

Primo ergo, quod putant, Chriſtum vocari Filium Dei ratione humanæ naturæ, eſt contra Scripturam. Nam Scriptura, dum Chriſtum, Filium Dei nominat, ex eadem cauſa nominat Deum; quod fieri non poſſet, ſi Chriſtus ratione humanæ naturæ vocaretur Filius Dei; vide duo loca æquipollentia, *Rom.* 1. 3. & 9. 5. Ubi quod in priori loco vocatur Filius Dei, in poſteriori vocatur Deus benedictus; vide etiam, *Ioan.* 10, ubi pro eodem accipit Chriſtus Deum & Filium Dei. Atqui certe nunquam Chriſtus vocatur ratione humanæ naturæ Deus. *Deinde:* Expreſſe Scriptura, cum ipſum vocat Filium Dei, contradiſtinguit iſti, ſecundum quod Filius Dei non eſt, *Rom.* 1. 2, 3; Atqui illud eſt id, ſecundum quod eſt ex ſemine Davidis; Ergo ea ratione Filius Dei non eſt. *Tertio*, Spiritus Sanctus, ad *Hebr.* 7. 3, proponit nobis Chriſtum ſine patre, ſine matre. Explicatio hujus eſt, quod ſit ſine patre ratione humanæ naturæ, & ſine matre ratione divinæ; ſi ita res habet, ergo conſequitur, eum ratione humanæ naturæ non habere Deum patrem, ac proinde non poſſe ratione iſtius dici Filium Dei. Sociniani vident hoc argumentum magnum, ac proinde reſpondent, referri iſta ad *officium*, non ad *naturam*. At valde abſurdum. Nam pater, mater, genus, initium dierum, vitæ finis, naturæ ſunt, non officii.

Iam nobis eſt reſpondendum ad ea, quæ inferri poſſunt contra hanc ſententiam, non tantum à Socinianis, ſed etiam à noſtris.

Et à noſtris quidem objici poteſt, 1. Diſtinctio iſta filiorum Dei, quod filius Dei alius ſit *creationis*, ut Angeli; alius *regenerationis*, ut omnes regeniti, qui & filii adoptionis vocantur; alius ratione *unionis hypoſtaticæ*; ut Chriſtus ſecundum humanam naturam; alius ratione *generationis æternæ*, ut Chriſtus Deus. *Reſp.* Dare nos tria membra diſtinctionis, duo ſcilicet priora, & ultimum: penultimum vero nos plane negare, ob rationes à nobis adductas. Nec quemquam movere debet, à magnis viris iſtam diſtinctionem proponi, ut, Urſino, Pareo. Nam certe non minores eam negant, quoad membrum hoc; & quidem juſta de cauſa Calvinum ipſum negare, in ſuis Inſtitutionibus videre eſt. 2. Quod adferri poteſt à noſtris, peti poteſt, ex *Luc.* 3. 23, *ad* 38. Ubi ultimo dicitur Filius Dei fuiſſe, cum antea nominatus fuiſſet filius hominis, ut videatur, ea ratione qua dicitur filius hominis, etiam fuiſſe Filius Dei? *Reſp.* Non dicitur hoc de Chriſto, ſed de Joſepho, qui erat filius Heli, & cujus Chriſtus exiſtimabatur filius. videatur totus contextus.

At Sociniani urgent, ut diximus, verba Angeli, Luc. 1. 35: *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te*, &c. *propterea etiam, quod ex te naſcetur, vocabitur Filius Dei.* En, inquiunt, propter conceptionem ex Spiritu Sancto vocatum iri Filium Dei. *Reſp.* Particulam iſtam *propterea*, vel eſſe *cauſalem*, vel *rationalem*. Adverſarii putant, eſſe cauſalem: nos rationalem dicimus, ex eo; quia, quem Virgo erat paritura, hic

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

hic debebat eſſe Emmanuel, ut *Matt.* 1, doceetur, ſive Deus nobiſcum in carne. Namque virgo nulla paritura erat, niſi una; & quæ paritura erat, talem paritura erat; ideo addita particula *&*, ut oſtendatur, non tantum ante incarnationem Chriſtum Filium Dei eſſe, ſed & eundem, jam incarnatum, eſſe Filium Dei: ac noſtra quidem explicatio evincitur eo, quod, ſi propterea, quod ex Spiritu Sancto eſt conceptus, dicendus ſit Filius Dei; ergo hoc pacto erit Filius Spiritus Sancti; & Spiritus Sanctus dicetur ipſius Pater; at inauditum hoc. Volunt quidem argumentum hoc effugere Adverſarii: ſed fruſtra. *Inquiunt*, non poteſt Spiritus Sanctus dici Pater Filii, quia perſona non eſt. Perſonam non eſſe probant. 1. Quia eſt donum Dei. 2. Quia petimus, ut Spiritum Sanctum Deus nobis largiatur. *Reſp.* Utraq; hæc ratio nihili eſt. Nam ſi ideo Spiritus Sanctus non eſt perſona, quia donum eſt; tum nec Filius eſt perſona, quia & ille donum eſt, *Rom.* 8. *v.* 32. Quem Veteres etiam ſub Veteri Teſtamento, unice in precibus ſuis exoptabant mitti. vide hac de re, *Luc.* 2. 26.

Vrgent, II; Eum dici Filium Dei, quia à Patre miſſus in hunc mundum, & ſanctificatus, *Ioan.* 10. *Reſp.* Eſſe quidem *rationem*, *ex qua* deducitur, Chriſtum eſſe Filium Dei, ſed non eſſe *cauſam*, *quare* Filius Dei ſit. Ratio eſt. Quia quem pater ordinavit (ita namque accipiendum eſt τὸ ſanctificavit, dicit Catecheſis Urſini) in Mediatorem, & quem miſit ad complendum munus mediatorium, ille Filius Dei eſt. Namq; hoc ſoli Filio Dei competere docet Scriptura: & propterea huic muneri mediatorio obeundo nemo par, præter Filium Dei.

Ad *tertiam cauſam*, ob quam Sociniani putant, Chriſtum, qua hominem, vocari Filium Dei, reſponſum eſt ſupra.

Rejectis Adverſariorum commentis, probandus jam nobis Canon. Vocatur ergo Chriſtus Filius Dei.

I. Quia ex eſſentia Patris genitus. Negant quidem hoc illi, & dicunt: Nos etiam Filios Dei eſſe, nec tamen propterea ex eſſentia Dei genitos. *Reſp.* Eſſe quidem hoc ita; ſed longe alia ratione ille vocatur Filius Dei. Nam ille ſic vocatur Filius Dei, ut Deum vocet proprium patrem, *Ioan.* 5. 18.

II. Quia vocatur Filius Dei verus, 1 *Ioan.* 5. 20. At verus filius ille eſt, qui ex ſubſtantia alicujus genitus eſt. *Reſpondent* Adverſarii, 1: Non haberi in textu *verus filius*. Sed utut quoad verba non habeatur; ſenſus tamen citati loci eſt clariſſimus: *& ſumus in vero illo, (id eſt) in ejus Filio Ieſu Chriſto; hic eſt verus ille Deus, & vita æterna.* 2. *Dicunt:* Poſſe Chriſtum verum Filium Dei dici, quemadmodum *Marc.* 15. 39. *Vere, iſte homo vere erat Filius Dei.* Sed inepte hoc ab Adverſariis dicitur. Nam aliud eſt, *vere* filium eſſe; aliud, *verum* filium eſſe: ex conſuetudine enim ſermonis ille eſt *verus* filius, qui ex eſſentia patris eſt genitus. At vero, *vere* filius etiam ille eſt, qui eſt adoptivus; cum *verum* filium eſſe nulli competat, niſi ſoli naturali.

III. Probamus, ex *Ioan.* 1, ubi Chriſtus unigenitus Dei Filius dicitur: Si ergo unigenitus eſt, certe ex eſſentia Patris genitus eſt. Nam unigenitus dici non poteſt ob adoptionem, alioqui non eſſet unigenitus, quia multi ſunt adoptivi. *Reſpondent* Adverſarii, 1. Dici eum quaſi unigenitum, *verſ.* 14. 2. Dici eum unigenitum pro illo tempore, quo nullus adhuc eſſet filius. 3. Dici unigenitum propter excellentiam donorum in ipſum collatorum. & hoc inquiunt ſe ex abundanti reſpondere; Namque ex voce hac *unigeniti* neminem inferre poſſe, Chriſtum ſolum ea ratione dici filium, quod ſolus ex ſubſtantia Patris genitus, patet, ex *Hebr.* 11. 17. Ubi Iſaac vocatur filius unigenitus Abrahæ, cum tamen habuerit fratrem natu majorem Iſmaëlem. Item, *Prov.* 4. *v.* 3, dicitur Salomon unigenitus fuiſſe matris ſuæ, cum tamen conſtet, ex 1 *Chron.* 4, plures fuiſſe Bethſabæ filios ex Davide. Nos ordine Adverſarios ſequemur.

Reſp. ergo ad 1; Iſtam particulam *quaſi*, non eſſe hoc loco *aſſimilativam veri*, ſed *veri expreſſivam*: quod ex eo patet, quia poſtea vocatur unigenitus abſolute, dicto capite, itemque capite tertio Joan. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Reſp. ad 2; Ineptum hoc eſſe, quod putent, nomen unigeniti non quovis tempore cadere in Chriſtum. Namque hæc quæ à Joanne ſcripta, longe poſt illud tempus ſcripta ſunt, quo Chriſtus primum in mundum venit, & interim tamen retinet illud nomen, nec ulla ratione mutat aut mutandum putat. Deinde ineptam Socinus præſupponit hypotheſin, quod ſcilicet adoptio filiorum Dei demum ſit facta poſt Chriſtum in carne exhibitum: quod falſum. Nam quis Patres Veteris Teſtamenti filios adoptionis eſſe neget, niſi ſpiritu Socini impuro infectus?

Reſp. ad 3. Si propter excellentiam donorum, quæ in ipſum Deus contulit, Chriſtus diceretur unigenitus, tum non fieret hoc ſatis commode; & ratio eſt, quia, ſi propter excellentiam donorum vocaretur aliquis filius, magis filius forte dici poſſet, præ eo, in quem tanta dona collata non eſſent; At unigenitus nullo modo dici poſſet. Hoc vero obſervandum, ut circa hanc reſponſionem, ita circa plures Socinianorum, quod, dum adferunt reſponſiones diverſas, quæ longe à ſe differunt, hoc ipſo oſtendunt ſe fluctuare animo, nec certam aliquam reſponſionem, cui acquieſcant, invenire poſſe; quod peſſimæ cauſæ optimum eſt indicium.

Ad illud, quod de Iſaaco, ex *Hebr.* 11, adfertur, *reſp.* Vere Iſaacum unigenitum fuiſſe, ratione Saræ, unde etiam hic unicus heres fuit, ejecto Iſmaële; vide *Gal.* 4. 30. Quod ad locum, *Prov.* 4. *v.* 3, attinet, male allegatur ab Adverſariis. Nam in originali non habetur primogenitus, ſed unicus, ויחיד לפני אמי, *unicus coram facie matris meæ.*

IV. Chriſtus vocatur Filius Dei proprius, *Rom.* 8. 32. Atqui proprius filius is eſt, qui eſt ex eſſentia Patris genitus. *Reſpondent* ad hoc argumentum; Vocem *proprii* non habere in Scriptura aliam vim ſignificandi aliquid, quam *omnino ſuum*, quale nullus alius habeat, 1 *Cor.* 17. 38: *Et unicuique ſeminum dedit proprium corpus.* vid. *Goclen. in refut. Crellii, pag.* 7, *&* 8. At nos *reſpondemus*; Proprii eſſe triplicem ſignificationem, eamque vulgatam apud omnes eruditos. 1. Proprium accipitur pro eo cui opponitur *commune*; ita dicitur propria domus, non tantum quæ aliena non eſt, ſed quæ alteri cum altero communis non eſt. 2. Accipitur proprium, prout opponitur *alieno*, quale eſt illud, 1 Cor. 6. v. 18, *Qui ſcortatur, in proprium corpus peccat.* 3. Prout opponitur *metaphorico*; & ita Aaron, Melchiſedech, proprii Sacerdotes. At fideles, cum vocantur Sacerdotes, *Apoc.* 1, metaphorici ſunt. Hic quæritur: *Quomodo accipiatur vox Proprii, cum de Chriſto dicitur, filius proprius? Reſp.* Prout opponitur metaphorico, ut patet ex ſubjecta materia. Nam Chriſtus dicitur filius, prout opponitur adoptivis; At adoptivi ſunt metaphorice filii; ut in vulgus notum. Ergo ille proprius dicitur, prout opponitur metaphoricis.

Vanum ergo eſt, quod Goſlavius affert; quanquam daretur ipſi, proprium pro non alieno accipi, tamen nihil obtineret. Nam eo pacto proprium ſecundum ſubjectam materiam eſſet intelligendum; & ita diverſa ſignificatio. Nam certe hæc diverſa ſignificant ex ſubjecta materia; verbi gratia, Proprium pallium, proprium corpus, proprius filius: Prius enim ſignificat adjunctum aliquod proprium; ſecundum, partem eſſentialem; tertium, correlativum; quæ certe, utut conveniunt in eo quod aliena non ſunt, ex longe tamen diverſa cauſa denominationem obtinent.

X. *Vidimus originem divinæ naturæ; humanæ, jam danda eſt. Chriſtus ergo, Deus exiſtens ab æterno, factus eſt homo in tempore, ex mero ſuo beneplacito, factus homo ex ſemine Mariæ Virginis.*

Canonis pars prima huc uſque probata; Secunda, quæ eſt, *Factus homo ex mero beneplacito*, jam nobis probanda. Hæc ſi probata fuerit, hoc ipſo etiam prior pars ſimul probatur. Namque hoc pacto oſtenditur, exſtitiſſe eum, antequam homo factus eſſet.

Probatur autem hoc, I. *Epiſtola ad* Hebr. 2. 14. Argumentum exhinc ferimus hoc: Spiritus Sanctus dicit, Chriſtum *participem factum carnis & ſanguinis, ut per mortem aboleret eum, penes quem eſt mortis robur.* Unde jam, ſi hoc

fine

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ſine voluerit eſſe particeps, tum certe prius exſtitit, antequam ex liberrima voluntate carnis particeps factus eſt. Nam, qui aliquo fine aliquid facit, libere facit illud; fuit ergo antequam hoc fecit, id eſt, antequam homo eſſet; ſi ergo fuit, quid, quæſo? quam hoc, quod Scriptura de ipſo teſtatur, Joan. 1: *fuit ſermo ille Deus.*

II *Argum.* petimus ex eo: Quod cauſa impulſiva ejus redditur, quare factus ſit particeps carnis; *quia*, inquit, *pueri* participes facti ſunt carnis & ſanguinis, ipſe quoque particeps factus eſt, &c. Atqui, ſi cauſam impulſivam habuit, quare factus ſit homo, fuit, antequam homo factus eſt; quia de nullo homine poteſt dici, eum habuiſſe cauſam impulſivam, cur natus ſit. Nam, ut non eſt, antequam natus eſt, ità nulla re impellitur ad hoc ut naſcatur. Si ergo fuit antequam naſceretur, quid, quæſo, fuit? ſi non *Deus benedictus in ſecula.*

III *Argum.* in hanc rem depromimus ex 2 Cor. 8. 9, *propter nos pauper factus eſt, cum eſſet dives.* At nullo modo intelligitur, quomodo dives eſſet, niſi ratione divinæ naturæ, ſecundum quam nulla re eget, & ſecundum quam *terra ipſius*, ut inquit Pſaltes, *& omnis plenitudo ejus.* Nam quatenus homo erat, ab ipſa infantia pauperrimus fuit, uſque ad terminum vitæ ſuæ. Huic tam manifeſto argumento Socinus nil aliud reſpondet, quam, Chriſtum in aliis fuiſſe divitem, videl. in donis divinitus collatis. At abſurdus eſt Socinus, ut ex contextu liquet, quia hic de talibus divitiis agitur, quæ paupertati externæ opponuntur; externis ergo divitiis. Hinc jam concluditur, Chriſtum ex libera voluntate, ut pauperem factum, ita & hominem. Nam commendatur ex hoc ipſius beneficentia.

IV *Argum.* petimus ex Phil. 2. 7, 8. *ipſe ſe exinanivit*, &c. Conferatur locus iſte cum *Hebr.* 2. 16. Nam loci iſti ſunt æquipollentes. Commendatur Chriſti erga nos benevolentia, quod formam aſſumpſerit ſervi, & quod aſſumpſerit non Angelos, ſed ſemen Abrahæ; Ergo ex libera voluntate factus eſt homo. Adverſarii multa reſpondent ad hoc argumentum: *Nam*, inquiunt, *forma ſervi non notat naturam humanam, ſed notat idem quod mancipium eſſe, ſervum eſſe; illud vero*, ſimilis hominibus factus, *nihil notat aliud, quam ſimilis factus hominibus vulgaribus, ſive factus ut unus vulgarium, quemadmodum accipitur hæc phraſis*, Judic. 26. 7, *de Sampſone*; *&* Pſal. 82. Alterum ad locum *reſpondent*, quod dicatur ibi *de aſſumptione in gratiam gentis Iſraëliticæ*, non vero *de aſſumptione humanæ naturæ.* Sed contra 1; Quemadmodum forma Dei notat naturam Dei; ita etiam forma ſervi, notat naturam humanam. At prius certiſſimum; quia ſecundum formam Dei æqualis Deo. Æqualis autem nemo poteſt eſſe, niſi ſit Deus; cum omnia comparata ad ipſum nihil ſint, & minus nihilo reputentur, *Eſai.* 42. *v.* 17. Unde jam ipſorum explicatio inepta apparet. Et certe Chriſtus, ut ut habitus eſt ut reus, ac indigne tractatus à Judæis, nunquam tamen habitus pro mancipio, quia nemo ſibi dominium in ipſum uſurpaſſe legitur. Accedit & hoc, quod iſta poſteriora, in ſimilitudine allata, refellant priora. Nam ſi priora ita explicanda erunt, quod ſe geſſerit pro mancipio vili, & pro tali etiam habitus fuerit, ut illi volunt, tum non conſequenter eſſent attexta, ſimilis vulgaribus factus. Nam deterioris conditionis eſt mancipium, quam homo vulgaris. Quemadmodum ergo in priori explicatio ipſorum ferri non debet; ita recte nec in hac poſteriori eſt toleranda; quia Spiritus Sanctus explicat, quid ſit, ſimilem factum eſſe hominibus. Dicit: *factum eſſe hominem*; *Hebr.* 2. *Rom.* 8. 3. Ad alterum locum quod attinet, *reſp.* Vanum eſſe quod Adverſarii aiunt. Non enim agitur hoc capite de aſſumptione Iſraëlis in gratiam, ſed agitur de participatione carnis. Accedit & hoc, quod Spiritus Sanctus utatur verbo iſto cum præpoſitione ἐπὶ & dicat, ἐπιλαμβάνεται, quod proprie ſignificat *ſuperaſſumere*, ut locus hic quodammodo clarior ſit, quam iſte alter, qui eſt, *Phil.* 2. 7. ubi extra compoſitionem hoc verbum ponitur, μορφὴν δούλου λαβών.

Reſtat explicandum tertium membrum canonis, Utrumne Chriſtus ex ſemine Mariæ, ſecundum naturam humanam, ſit factus?

Paucis diſtinguemus hoc membrum, propter Anabaptiſtas. Nam cum Socinianis nobis nulla hic pugna.

I *Argum.* petimus, Luc. 1. 31, *Ecce concipies in utero*, &c. Hinc argumentum firmiſſimum. Nam, ſi concepit Maria Chriſtum; Ergo ex ſubſtantia; quia conceptio nihil aliud eſt, quam ex propria ſubſtantia in utero formatio, ſive potius formationis principium & initium. Argumentum hoc inſolubile, quia ſumitur à definitione ſive deſcriptione conceptionis. At *regerunt* illi: Fœminas nihil conferre ad fœtus generandos. *Reſp.* 1. Quis illos docuit rem ita habere? 2. Ineptum hoc. Nam manifeſte teſtatur Scriptura, vim gignendi non tantum maribus, ſed etiam fœminis, divinitus eſſe tributam, *Gen.* 1. 28. Quinimo, ſi Philoſophis quibuſdam credimus, plus confert fœmina ad generationem, quam vir. *Philippus Melanchthon in lib. de anima*, quærit: quæ cauſa ſit, quod infantes matres plus diligant, quam patres; idque non ex conſuetudine, ſed naturæ ductu? *Reſpondet:* Quia plus ex ſubſtantia matrum, quam patrum, participant. Probat & hoc, matres ſuppeditare materiam ad generationem liberorum; Quia unus idemque vir ſanus, ex una uxore nullam prolem ſuſcipiat, qui tamen, mortua hac, cum altera junctus, prolem aliquando multam generat.

II *Argum.* petimus, ex *Hebr.* 2, & quidem in hunc modum argumentamur: *Primo*, Chriſtus particeps factus carnis & ſanguinis; Ergo caro iſta jam ante fuit. Ratio eſt; Quia nemo poteſt eſſe particeps ejus, quod non eſt. Atqui caro nulla alia fuit, niſi hæc noſtra; hujus ergo particeps factus eſt. *Secundo*, argumentamur ita: Chriſtus particeps factus carnis & ſanguinis; Quia participat, partem ſibi vendicat ex eo, quod participat; totum ſibi non vendicat, nec poſſidet. Si ergo communicavit cum aliis in hoc ipſo; Ergo oportet, ut hoc ipſum commune habeat cum ipſis. Cum ergo communicaverit nobiſcum, communionem nobiſcum habebit; & hoc eſt, quod Spiritus verbo μετέχειν, quo hic utitur, ſignificare voluit, quod nihil aliud notat, quam *ſimul habere*. *Tertio*, ex hoc loco argumentamur: Chriſtus ſimiliter factus eſt particeps carnis & ſanguinis; Ergo eodem modo conceptus & natus, ſi ſcilicet naturam ſpectes: Nam, quod ad cauſam efficientem attinet, illa eſt Spiritus Sanctus, ut ex Luca apparet. Atqui nos concipimur ex materia matrum noſtrarum; Ergo & Chriſtus. Tandem argumentamur ex hoc loco: Chriſtus factus eſt particeps τ͂ αὐτῶν, *horum ipſorum*, ſive *eorundem plane*. Ergo certe eandem naturam humanam nobiſcum communem aſſumpſit.

III *Argum.* petimus ex eo, quod dicitur, *Ex ſemine David*; quod dicitur, *Ex Patribus ſecundum carnem*; quod dicitur, *ſemen mulieris*, Rom. 1. & 9. *Gen.* 3. Ubi quoad prius, notandum eſt hoc, quod Socinus obſervat; *Dici ex ſemine alicujus aliquem naſci, quia materiam ſui, ſive remote, ſive proxime, ex ipſo habeat.* Ad ſecundum locum notandum eſt; ſi admitteretur Anabaptiſtarum opinio, quæ communior eſt, Chriſtum per Mariam tranſiviſſe tanquam per canalem, non autem ex ſubſtantia ejus, vel conceptum, vel natum; tum nulla ratione dici poſſet ex patribus ſecundum carnem. Nam, ſecundum carnem ex aliquo eſſe, eſt carnis ſuæ materiam habere ex eo. Quoad tertium locum, notandum eſt, eſſe ibi Metonymiam; Ubi materia ponitur, & materiatum intelligitur. Atqui tropus iſte aliter explicari non poteſt, quam hoc pacto: *Semen mulieris*, id eſt, quod ex ſemine mulieris conceptum & natum. Et hæc ſufficiant probando iſti membro tertio.

Iam veniamus ad objectiones Adverſariorum.

Obj. 1. Si Chriſtus eſt ex ſemine Mariæ; Ergo eſt peccator; At conſequens abſurdum; Ergo & antecedens. Conſequentia ſumpta eſt, ex Joan. 3. 6: *Quod ex carne naſcitur, caro eſt.* *Reſp.* 1, limitando: Si ex ſemine mulieris naſceretur ope virili, tum hoc eſſet verum. Sed ita cadit Minor, ſicut patet, *Luc.* 1. 2. Si natus eſſet ex Maria Virgine, ita ut maſſa iſta non eſſet perpurgata à Spiritu Sancto ab omni labe. Ita iterum cadit Minor; ut ex eodem, *Luc.* 1, apparet.

Obj.

Obj. 2. Joan. 1. v. 13, *Sermo ille factus eſt caro.* Ergo, inquiunt, ſermo mutatus eſt in carnem. *Reſp.* Verbum illud ἐγένετο, poſitum inter duo ſubſtantiva, non ſemper idem ſignificat. Nam aliquando ſignificat unius rei in alteram commutationem, ut, *Gen.* 19, Uxor Lothi facta ſalis ſtatua; Item, *Joan.* 2, aqua facta vinum: aliquando ſignificat idem, quod incipere eſſe, ut, *Luc.* 2, Chriſtus factus duodecennis, id eſt, incepit eſſe duodecim annorum. Hic accipiendum eſſe poſteriore ſignificatu, patet ex *Phil.* 2. 7. *Hebr.* 2. 16. Factus namque eſt, non ejus mutatione, quod erat, in aliud; ſed aſſumptione ejus, quod non habuit, in hypoſtaſin ſuam.

De Spiritu Sancto.

XI. *Sciendum eſt, Socinianos non audere dicere, quid ſit Spiritus Sanctus, ſubſtantiane an accidens.*

Sociniani, dum quæritur ab ipſis, quid ſit Spiritus Sanctus, ſubſtantiane an accidens: inquiunt, Eſt virtus; nec ultra progredi volunt. At, ſi virtus Dei ſit, dicendum ipſis, quid ſit? Subſtantiane, an accidens. Vorſtius videtur ſtatuere, *quaſi* accidens; ſed hæc portenta à nobis alibi exploſa. Hic ſaltem obſervetur, non bonæ cauſæ ſignum, nolle aliquid clare terminis in communi receptis explicare.

XII. *Spiritus Sanctus eſt verus Deus.*

Perpetuo nobis objiciunt, eſſe potentiam, eſſe virtutem Dei. quod quidem nos concedimus; ſed dicimus, eſſe potentiam, non ἐνεργητικὴν, ſed ὑποστατικὴν quia vocatur Deus, ut poſtea audiemus. Probandus ergo canon.

Probamus, I, ex eo, quod ea, quæ Deo vero, æterno, tribuuntur in Veteri Teſtamento, applicentur in Novo ad Spiritum Sanctum. Nos in hanc rem pauca hic proferemus. *Exod.* 4. 15. *Num.* 12. 8, dicitur Deus loquutus per os Prophetarum. At hoc ipſum tribuitur Spiritui Sancto, *Actor.* 1. 16. & 28. 25. Item, dicuntur Iſraëlitæ Deum irritaſſe in deſerto, *Num.* 14. 22. *Deut.* 6. 16. Hoc ipſum tribuitur Spiritui Sancto, *Eſaï.* 63. 10. *Act.* 7. 51. Item, dicitur de vero Deo æterno, *Deut.* 32. *v.* 12: *Iehova ſolus duxit eum, nec fuit cum eo Deus fortis alienigena.* Hoc ipſum tribuitur Spiritui Sancto, Eſaï. 63. 14, *Vt jumentum in convalle deſcendens, Spiritus Iehovæ quiete egit eum.* Hoc quod, *Pſal.* 95. 7, tribuitur Deo, *Hodie, ſi vocem ejus audiveritis*; accommodatur ad Spiritum Sanctum, *Hebr.* 3. 7. Quod tribuitur Deo æterno, *Ier.* 32. 37, 38; hoc tribuitur Spiritui Sancto, *Hebr.* 10. 17. Infinita talia proferri poſſunt. Sed videamus, quid Adverſarii nobis hic reſpondeant.

Obj. 1. Non ſequitur, ſi Deo & Spiritui Sancto eadem operatio tribuitur, quod propterea oporteat eſſe utrumque eundem Deum. Nam Spiritui Sancto tribuuntur iſta, tanquam inſtrumento; At Deo tribuuntur, ut principali agenti.

Obj. 2. Loca potius iſta evincere, quod ſint duo Jehovah. At hoc valde abſurdum, vel ipſis Adverſariis atteſtantibus.

Reſp. ad 1; Dicere quidem hoc ipſos, ſed nullo apice probare poſſe, nec audere, cum rotunde fateri nolint, quid ſit Spiritus Sanctus. 2. Scriptura hoc ipſum manifeſte refellit, dum ea abſolute tribuit Spiritui Sancto: Spiritus Sanctus egit eos, Spiritus Sanctus duxit eos, Spiritus Sanctus locutus eſt. 3. Sunt quædam ex illis quæ attulimus, quæ plane reſpuunt explicationem iſtam; ut, quod dicatur irritari Spiritus Sanctus. Nam quomodo, quæſo, irritari potuit, ſi ſit inſtrumentum, & præſertim inſtrumentum, quod vitale non eſt, vita deſtitutum? irritari autem, vel tentari, ſolum in perſonas cadit. Item, *Prædixit Spiritus Sanctus*, &c. *Act.* 1. *v.* 16, non poterit ex ipſorum ſententia explicari; quia prædicere futura, adeo Dei proprium eſt, ut per hoc ab omnibus aliis diſcerni velit, *Eſaï.* 41. 22, 23. 4. *& ultimo.* Quæ hic allata ſunt, dicuntur abſolute de Spiritu Sancto: *Spiritus Sanctus prædixit*, &c. At ſi abſolute dicitur, ineptum eſt, velle determinare ad modum cauſæ inſtrumentalis. Accedit, quod Scriptura, iſta accommodans Spiritui Sancto, quæ de Deo vero æterno dicta, nullum vel minutiſſimum indicium præbeat, ex

quo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

quo colligi poſſit, aliter iſta attribui Deo, aliter Spiritui Sancto; quod ipſum oſtendit, eodem modo tribui.

Reſp. ad 2. Quemadmodum vox Dei dupliciter accipitur, οὐσιωδῶς, καὶ ὑποστατικῶς· ita & vox Jehovah. *Obj.* Ergo tamen erunt tres ὑποστατικῶς dicti יהוה *Reſp.* Nequaquam. Nam, quemadmodum Deus ὑποστατικῶς eſt Pater, Filius & Spiritus Sanctus, nec tamen tres ſunt Dii, ſed unus Deus; ita quoque de voce Jehovah intelligendum. Ratio autem iſtius prioris eſt, quod Deus ὑποστατικῶς nihil aliud eſt, quam eſſentia cum modo ſubſiſtendi ſumpta; utut autem ſint tres modi ſubſiſtendi, tamen non ſunt tres eſſentiæ: utut dici poſſit, Deus Pater eſt Deus ὑποστατικῶς, tamen non poſſumus dicere: Ergo tres Dii. Bene hoc eſt notandum; quod non animadverſum à Theologis quamplurimis, multos modos incommode loquendi invexit in Scholas.

II *Argum.* quo adſtructum imus divinitatem Spiritus Sancti, eſt hoc: Quod Spiritus Sanctus vocetur Deus, & ita quidem, ut ex ſubjecta materia non poſſit intelligi niſi æternus Deus, 1 *Cor.* 3. 16. 1 *Cor.* 6. 19. & *cap.* 12, ſi conferatur *verſ.* 6 cum *v.* 11.

Varia *reſpondet* Socinus ad hæc. 1. Dicit, poſſe nos eſſe templum Dei & Spiritus Sancti, ita, ut ex eo non ſequatur, ſi ſimus templum Spiritus Sancti, & ſimus templum Dei, quod propterea Spiritus Sanctus ſit Deus.

2. Dicit ad priora duo loca; Deum Patrem etiam vocari Spiritum Sanctum. Probat autem hoc, quia vocatur Spiritus, *Ioan.* 4. 24. Sanctus autem vocatur, *Ioan.* 17. 11. Ad tertium locum, 1 *Cor.* 12, *reſpondet*; Quia Deus efficit per Spiritum Sanctum, idcirco hoc ipſe Spiritus Sanctus efficere dicitur.

Quod ad primum attinet; Sciendum eſt, vel ex eo evinci divinitatem Spiritus Sancti, quod habitet in nobis. Nam hoc pacto immenſus ſit neceſſe eſt, cum fideles per totum orbem terrarum diſperſi & ſeparati ſint; Jam vero nemo poteſt eſſe in rebus longe ſeparatis, niſi immenſus ſit. Immenſitas ſolius Dei proprium eſt, ut patet, 1 *Reg.* 8. & *Ier.* 23. Deinde; Cujus templum ſumus, ille æternus eſt; Atqui templum Spiritus Sancti ſumus; Ergo. Majoris conſequentia ab Auguſtino probatur ita: Si templum juberemur erigere Spiritui Sancto, hoc ipſo Deum ipſum eſſe teſtatiſſimum eſſet; quanto magis, cui non jubemur templa ædificare, ſed ſumus ipſi templa. Ratio autem, qua nititur iſte diſcurſus Auguſtini, eſt hæc, quod, cui jubemur templum exſtruere, illi jubemur cultum divinum exhibere, quia templum non erigimus, niſi cultus ejus gratia, cui templum ædificamus. Atqui cultus divinus non debetur niſi ſoli Deo, *Matth.* 4. *Deut.* 6. Ad illud quod dicunt, Deum Patrem etiam vocari, & Spiritum, & Sanctum, ac proinde & Spiritum Sanctum, vel pueri vident, eſſe fallaciam compoſitionis & diviſionis.

Quod ad locum, 1 *Cor.* 12, attinet; Eludit textus ineptias Socini. Nam addit, *Omnia hæc agit unus ille Spiritus, diſtribuens omnia ſicut vult.* Qui vero agit ex præſcripto, non poteſt diſtribuere ſicut vult.

III *Argum.* petimus ex attributis Dei propriis, omnipotentia & immenſitate. Spiritus Sanctus eſt omnipotens; Ergo eſt Deus. Ratio, quia omnipotentia eſt ſoli Deo propria, *Gen.* 17. 1. Spiritum Sanctum eſſe omnipotentem, patet, 1 *Cor.* 12. 6, 11. Hic Socinus nihil aliud habet, quam illa quæ adhibita ſunt ad proxime præcedens argumentum.

De immenſitate eſt hoc argumentum. Spiritus Sanctus eſt immenſus; Ergo eſt Deus. Ratio, quia ſolus Deus eſt immenſus, ut paulo ante patuit. Spiritum Sanctum eſſe immenſum, patet, ex *Pſal.* 139. 7.

IV *Argum.* petimus ab ipſis operationibus; quæ cum ſint variæ & multiplices, nos hic duas tantum afferemus. 1. Gubernatio ſuprema in Eccleſia. 2. Regeneratio. Et quidem, quod ad gubernationem iſtam attinet, liquido illa colligitur, vel ex *Act.* 13. 2. Ad hoc Socinus ita *reſpondet*, ut nulli non ridiculus & inſulſus videri poſſit. Ita inquit, contra Entapium: Dixit Spiritus Sanctus, id eſt, exſtitit vox divina, ſive virtute divina effecta, quæ hoc continebat: *Separate mihi Barnabam,* &c. Ita ut vox *mihi* non ad *vocem*, quæ per Spiritum Sanctum indigitetur, referri debeat, ſed ad eum, à quo

vox

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

vox iſta, id eſt, ad Chriſtum. Hæc talia refutare, eſſet non minoris dementiæ, quam ea confingere; proinde tanquam ridicula, & quæ nulla ratione ſuffulta, ſimpliciter ſunt rejicienda.

Quoad regenerationem, manifeſte patet, *Ioan.* 3. *v.* 5. *Objicit* Socinus hic, etiam aquæ tribui regenerationem, & Verbo Dei, 1 *Petr.* 1. 23. *Reſpond.* Aquæ tribui, tanquam ſigno, item & Verbo Dei: quamvis Verbum Dei ſit inſtrumentum, ut alibi à nobis oſtenſum; eſt tamen inſtrumentum *morale*, & non inſtrumentum *facultatis* in regeneratione, ſed ratione actuum ex facultate fluentium. At Spiritui Sancto, ut principali, tribuitur; patet, *Matt.* 28; quia in nomine ejus inſtitutus eſt Baptiſmus, qui eſt ſignum regenerationis. Illius autem eſt dare rem ſignatam, cujus eſt ſignum inſtituere. Nam ſignum eſt ſigillum confirmans de re certo obtinenda ab eo, cujus nomen ſigillum præfert.

V *Argum.* proferimus ex cultu divino, qui tribuitur Spiritui Sancto. Locum unum afferimus, ex *Apoc.* 4. Socinus multum *reſpondet* ad argumentum hoc, in exemplis ſuis, ut *pag.* 449. item 484. 488. ubi dicit, 1, Poſſe nos invocare Spiritum Sanctum eo pacto, ſi precemur pacem & gratiam ab ipſo. 2. Dicit, accipiendum hoc eſſe de Angelis. Quod ſi quis dicat: At ſolus Deus eſt invocandus. Ratio ea nihili eſt, inquit, quia nuſquam interdictum eſt, ne præter Deum aliquem invocemus: & præterea, etſi interdictum eſſet, non tamen excluderentur illi, qui Deo ſunt ſubordinati, quales ſunt Angeli.

At nos contra: 1. Si poſſumus gratiam & pacem petere à Spiritu Sancto; Ergo eſt Deus, qui eſt auctor gratiæ & pacis. Item, ſi poſſumus ipſum invocare, petendo pacem & gratiam; Ergo poteſt preces omnium & ſingulorum eodem tempore fuſas percipere: quod Dei ſolius eſt; quod patet ex inſectatione Baalis ab Elia facta, 1 *Reg.* 18. 27. Deinde ex hoc ipſo colligitur eſſe perſonam, quia petere poſſumus ab ipſo pacem & gratiam, & quia nos audire poteſt. Dicit quidem Socinus, poſſe etiam nos hoc ipſum petere ab aliquo attributo Dei, quod tamen perſona non ſit. Sed quia nec Scriptura, nec exemplo ullo alio probat, idcirco contemnendum eſt. Quod ſecundo dicit, poſſe etiam Angelos invocari. Abſurdum eſt. Nam 1, Oporteret Angelos eſſe omniſcios; quod tamen ſolius Dei eſt. 2. Hoc ipſo prohibetur in Scriptura invocare quemquam, quia jubetur Deum invocare, & quidem ita invocare, ut nullus præter eum invocari jubeatur. Nobis autem extra Deum nihil eſt comminiſcendum, quod ad religionem attinet. 3. Invocatio eſt pars cultus divini; quia quem invocamus, perſuaſi ſumus omniſcium eſſe, quod nos audiat; & omnipotentem & ſufficientiſſimum, qui præſtare poſſit quod petimus. At cultus religioſus ſoli Deo debetur. Eſt namque cultus ille, qui in prima legis tabula exprimitur: *Diliges Dominum Deum tuum.* Ultimo, convenienter hoc urgeri poteſt: Si Angeli poſſunt invocari, quia ſubordinati Deo; Ergo & Sancti mortui invocandi ſunt. Hoc non poteſt aliter effugere Socinus, quam ut dicat, Sanctorum animas à morte non ſupereſſe, non vivere, non ſentire; ita ſcilicet dum unum pedem extrahere vult ex luto, in quo hæret, alterum profundius immergit. Ad rationem, quam addit, ob quam Spiritus iſti non ſint Deus, reſpondemus, ea non eſſe tanti. Nam, ſi ponderis aliquid haberet iſta ratio, tum ne Chriſtus quidem eſſet verus Deus; Nam & ille ſtare dicitur, & quidem ante thronum, *Apoc.* 5. 5, 6, 7. *Dan.* 7. 13. At vero Adverſarii non negant, Chriſtum eſſe verum Deum, cum hoc, 1 *Ioan.* 5. 20, expreſſe contineatur; etſi inepte verum Deum pro metaphorico accipi velint.

XIII. *Spiritus Sanctus non tantum Deus, ſed ita Deus, ut etiam ſit perſona.*

Sociniani dicunt: Non opus eſt, ut probetis, Spiritum Sanctum eſſe æternum Deum; ſi probaveritis, eſſe perſonam, jam totum hoc eviceritis. Idcirco probandus nobis etiam hic canon.

Probamus autem his argumentis. I. In nullius nomine dicitur aliquid fieri, qui non ſit perſona; Atqui in nomine Spiritus Sancti jubemur baptizari; Ergo. Contra hoc argumentum nihil

hil habent quod opponant; & certe firmum futurum, donec enſtaſin tulerint contra Majorem; quod in æternum non poterunt; & oſtendant, ubi in nomine hujus vel illius attributi (nam Spiritum Sanctum attributum putant) jubetur aliquid fieri.

II *Argum.* Quod Spiritus Sanctus conjungatur cum perſonis divinitatis, *Matth.* 28. & 2 *Cor.* 13. 13. *Apoc.* 1. 4, 5. Exceptio Socini: *Hoc ultimo loco ita conjungitur, ut præponatur Chriſto.* Illi quidem garriunt, conjungi aliquando cum Deo, quod Deus non eſt, ut homines. *Sed reſpondeo:* 1. Hoc nihil ad rem. Nam homines etiam ſunt perſonæ. 2. Oſtendant nobis, tale quid ita conjungi, ut cum Patre & Filio, reliquis omnibus excluſis. 3. Ita conjungi, ut præponatur Filio Dei.

III *Argum.* Ipſimet definiunt perſonam, quod ſit ſubſtantia intelligens & volens. At utrumque cadit in Spiritum Sanctum; Nam Spiritus Sanctus intelligit, 1 *Cor.* 2. 11: habet voluntatem, 1 *Cor.* 12. 11.

IV. *Argum.* Tribuitur ipſi ſermo, & quidem eo modo, quomodo non poteſt tribui niſi ſoli perſonæ. Nec ulla proſopopœia fingi poteſt: Nam modus iſte loquendi excludit plane proſopopœiam. Unde Socinus loco iſto proſopopœias non quærit, ſed aliter loca clara eludere vult. vid. *Act.* 13. 2. & 21. 11. & 28. 25. *Hoc dicit Spiritus Sanctus. Bene ſane locutus eſt Spiritus Sanctus*, &c. Quam inepte reſponderit, audivimus. Ad ſecundum *reſpondet:* Intelligi ibi Deum per Spiritum Sanctum. At hujus rei exemplum nullum unquam dare poteſt, vel rationem ex Scriptura.

V *Argum.* Tribuuntur ipſi actiones, *Act.* 20. 28: *Conſtituit Epiſcopos.* Anne aliquid tale, quod perſona non eſt, poteſt dici ordinaſſe? Item, *teſtatur*, Act. 20. 24. *Obj.* Tribuitur hoc Spiritui Sancto, quia hoc efficiebat per Prophetas. *Reſp.* Non tantum propter hoc, ſed quod ipſe loquatur, tanquam principalis cauſa. 2 Sam. 23. 2, *Spiritus Iehovæ locutus eſt in me.*

Expendimus quid ſit Spiritus Sanctus; jam videndum, quid non ſit.

XIV. *Inepte igitur Spiritus Sanctus ſtatuitur Evangelium & Spes vitæ æternæ, à Socino.*

Statuunt hoc Sociniani in *Catecheſ. Racov.* pag. 209. At fuerit hoc nobis primo in genere refutandum. Deinde in ſpecie. Ergo ita argumentamur. 1. Ex 1 *Cor.* 12, Spiritus Dei eſt in Deo. Evangelium, & ſpes, non ſunt in Deo; Nam ſunt effecta Dei. Ergo. 2. In nomine Spiritus Sancti jubemur baptizari. In nomine ſpei & Evangelii non jubemur baptizari. Ergo Evangelium & ſpes non ſunt Spiritus Sanctus. 3. Spiritus Sanctus ſuſcitavit Jeſum ex mortuis, *Rom.* 8. 11. Evangelium & ſpes vitæ æternæ obtinendæ non ſuſcitant Jeſum ex mortuis; Ergo. 4. Per Spiritum Sanctum clamamus, Abba, id eſt, Pater, *Rom.* 8. 15. Per Evangelium & ſpem vitæ æternæ non clamamus. Ergo. 5. Spiritus Sanctus una cum Spiritu noſtro teſtatur, nos eſſe Filios. Evangelium & ſpes hoc non faciunt: Ergo. 6 & ultimum adferimus (infinita autem poſſemus), ex 2 *Petr.* 1. 11, *Acti à Spiritu Sancto locuti ſunt ſancti Dei homines.* Atqui ab Evangelio & ſpe vitæ æternæ non ſunt acti. Ergo Spiritus Sanctus non eſt ſpes & Evangelium vitæ æternæ.

Jam in ſpecie, nec Evangelium nec ſpem eſſe Spiritum Sanctum, oſtendemus eruditi cujuſdam viri rationibus. Nam non videntur iſta melius confutari poſſe. Hoc utitur argumento, ad oſtendendum, quod Spiritus Sanctus non ſit Evangelium. 1. Quia Paulus miſſus ad Evangelium prædicandum; Atqui hoc, ad quod miſſus eſt ad prædicandum, revelavit ipſi Deus per Spiritum Sanctum, 1 *Cor.* 2. 10. Ergo Spiritus Sanctus non eſt Evangelium. Nam aliud eſt hoc, quod revelatur; aliud, per quod revelatur. 2. Addamus nos iſti argumento aliud. Quodcunque locuti ſunt ſancti Dei homines, acti à Spiritu Sancto, illud non eſt Spiritus Sanctus; Atqui Evangelium locuti ſunt, acti à Spiritu Dei; Ergo Evangelium non eſt Spiritus Sanctus. Major notoria eſt, niſi quis velit cauſam confundere cum effectu. Minor eſt, 2 *Petr.* 1. *v.* 21. Nam acti à Spiritu Dei locuti ſunt Sancti Dei homines Verbum Dei. At pars

Ver-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Verbi Dei una Evangelium, altera lex. 3 Argumentum, quod non eſt noſtrum: Quod Spiritus Sanctus diſcrimen facit inter Evangelium, & Spiritum Sanctum, ut *Act.* 2. 4: & 4. 31. *Gal.* 3. 2. *Eph.* 5. 13. At ſi inter iſta diſtinctio eſt, eorum unum non erit alterum. Nam notoria eſt iſta regula è natura petita: *Omne contradiſtinctum includit negationem ſui contradiſtincti.*

Objiciunt Sociniani, Spiritum Sanctum vocari Evangelium. 1. Ex eo, quia, quod, 1 *Cor.* 2. *v.* 10, dicitur Deus revelaſſe nobis per Spiritum; illud, 1 *Tim.* 1. 10, dicitur nobis revelaſſe per Evangelium: Ergo, inquiunt, Spiritus Sanctus & Evangelium idem ſunt. *Reſpondet* vir doctus ad ineptias illas, Præſupponi falſam hypotheſin, cum dicitur ſcilicet idem fieri per aliquid, quod hæc eadem ſint. Nam poteſt fieri, ut unius effectus ſint plures cauſæ, nec tamen iſtæ cauſæ eædem ſint, cum poſſint eſſe diverſi ordinis, una principalis, altera minus principalis; vel etiam ejuſdem ordinis partiales. Prioris exemplum eſt; Spiritus Sanctus teſtatur de Chriſto, ſed teſtantur etiam Apoſtoli; *Ioan.* 15. 26, 27. Inde quis inferre poſſet, Spiritum Sanctum, & Apoſtolos, eſſe unum & idem. Alterius exemplum eſto; Deus Pater creavit cælum & terram; Filius creavit cælum & terram, *Hebr.* 1. Ergo Filius erit Pater; & contra. Abſurdus ergo hic modus procedendi Adverſariorum. 2. Proferunt locum ex 2 *Cor.* 3. 6; Ubi Paulus ſe non miniſtrum literæ, ſed Spiritus, vocat. Ergo, inquiunt, Evangelium eſt Spiritus Sanctus. *Reſp.* 1. Apoſtolum fuiſſe totius Verbi Dei præconem, atque adeo legis; ac proinde dubitare poſſe, an ibi per literam lex intelligatur, per Spiritum autem Evangelium. 2. Diſtinguitur inter Spiritum, & Spiritum Sanctum. Et dato, non conceſſo, quod hic per Spiritum intelligatur Evangelium, poterit hic ſenſus non incommodus dari: Vocari Spiritum, non tamen Sanctum, eo quod Evangelium res ſpirituales proponat. Ceterum, quid intelligi debeat per Spiritum & per literam, conſulatur Danæus in Bellarminum, qui doctiſſime hoc ipſum tractat, & oſtendit, quid per hoc intelligi debeat.

Quod ad hoc attinet, quod per Spiritum Sanctum dicant intelligi ſpem; in eo non minus ineptiunt, quam in altero: nec hoc probant ulla veriſimili ratione. Nos tamen prius refutabimus rem, & oſtendemus, Spiritum Sanctum non eſſe ſpem, nec Spem Spiritum Sanctum.

Oſtendimus autem hoc, I. Ex *Rom.* 8. 16: *Teſtatur Spiritus Sanctus ſpiritui noſtro, nos eſſe Filios Dei, etiam heredes.* Unde ſic argumentor: Si ex teſtimonio Spiritus Sancti oritur ſpes vitæ æternæ; tum certe ſequitur, Spiritum Sanctum, & ſpem, non eſſe unum & idem. At verum prius; Ergo & poſterius. Conſequens patet; niſi quis velit cauſam cum effecto confundere. Minor patet; Nam unde, quæſo, ſperamus vitam æternam, niſi ex certo aliquo & infallibili teſtimonio? At nullum eſt tale, niſi teſtimonium Spiritus Sancti, qui teſtatur, nos eſſe heredes, id eſt, obtenturos certo regnum cælorum.

II *Argumentum* petimus ex eodem *cap.* 38. *Perſuaſum mihi eſt*, &c. At unde perſuaſum? Non poteſt eſſe aliunde perſuaſum, niſi ex teſtimonio Spiritus Sancti. Spes ergo vitæ æternæ à Spiritu Sancto obtinenda eſt.

III *Argumentum.* Hoc idem liquere poteſt ex illa quæſtione, quam nobis Pontificii proponunt: Unde ſcis te ſalvatum iri? *Reſp.* Ex certis criteriis, quæ in me deprehendo, & quæ ſalvandorum ſunt, itemque ex teſtimonio Spiritus Sancti. Si ergo certitudo ſalutis meæ inde provenit, tum certe & ſpes ſalutis meæ inde provenit. Non poſſunt autem negare Sociniani, nos vere reſpondere, quia ſunt verba Scripturæ; *Rom.* 8.

Sed videamus, quomodo illi probent, Spiritum Sanctum eſſe ſpem. Probant autem hoc pacto: Quod Spiritus Sanctus vocatur arrha hereditatis noſtræ, 2 *Corinth.* 1. *verſ.* 22. Et quod obſignemur Spiritu Sancto. Unde tale argumentum: Spiritus Sanctus eſt arrha hereditatis noſtræ; Ergo eſt ſpes. *Reſp.* In utroque nulla eſt conſequentia; ſed interim, etſi iſta digna reſponſo non ſint, directe reſpondeamus. Primo ergo notandum, modos loquendi variare; Vocari Spiritum Sanctum arrhabonem,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

nem, *Eph.* 1.14, item arrhabonem, non *Spiritum*, ſed *Spiritus*, 2 Corinth. 1. verſ. 22. & *cap.* 5. *v.* 5. Hic Adverſarii nolentes volentes coguntur fateri, alterutrum eſſe improprie dictum; nunquam autem talem phraſin dederit aliquis, ubi illud, quod dicitur alicujus effectum, improprie ſic dicatur. Ergo prius. Quid ergo jam efficiunt hac ipſa citatione? 2. Dato, non conceſſo, quod Spiritus Sanctus ſit arrhabo ipſe, & non cauſa arrhabonis, tum certe non minus abſurde concluditur, arrhabonem iſtum eſſe ſpem, acſi quis concluderet, ſigillum eſſe ſpem. Nam arrha propter firmandam ſpem datur, ut ſigillum. Atqui quod firmandæ ſpei inſervit, non ſpes ipſa eſt. Quod ad alterum attinet, illud itidem ineptum eſt. Nam ſpe non obſignamur, ſed ſpes obſignatur. Hinc obſignamur Sacramentis, & tamen Sacramenta non ſunt ſpes. *Obj.* Aliter obſignamur Spiritu Sancto, aliter Sacramentis. *Reſp.* Omnino, ſed ſi modi iſti explicati fuerint diverſitatis, tum ubique collabaſcit tota ſtructura Adverſariorum. Nam ſignis obſignamur formaliter & effective, item inſtrumentaliter. Atqui obſignamur à Spiritu Sancto, tanquam cauſa efficiente principali. Notandum hic venit, quod à Theologis eruditis obſervatur: Quando aliquid de aliqua Perſona divina ablativo caſu dicitur, Spiritum Sanctum hoc ipſo innuere velle & modum operandi, & ordinem operandi. Modum operandi ſi intelligas, elliptica erit locutio, & addenda præpoſitio *à* vel *ab*. Ordinem operandi ſi intelligas, in æquipollentem mutatur per hanc vel illam perſonam; ut, *Spiritu Sancto*, id eſt, *per Spiritum Sanctum.*

Poſtquam reſponſum eſt ad Adverſariorum argumenta, quibus volunt probare, Spiritum Sanctum eſſe ſpem, refellenda adhuc ſuperſunt quædam argumenta, quibus conantur probare, Spiritum Sanctum non eſſe perſonam.

I *Argum.* Nulla perſona divina denominatur ab hominibus; ut, quod dicitur Spiritus Moſis, Eliæ, &c. *Reſp.* 1. Vana major. Ecce enſtaſis in contrarium. Deus vocatur Deus Abraham, Iſaac, & Jacob, &c. 2. Vocatur ab hominibus, non quod acceperit aliquid ab hominibus, ſed quod operetur aliquid in hominibus. Quemadmodum Deus dicitur ſervator omnium, maxime vero fidelium; non quod aliquid accipiat ab hominibus, ſed agat aliquid circa homines & in hominibus.

II *Argum.* quod afferunt, eſt: Spiritus Sanctus non eſt perſona, quia datur, idque cum menſura, vel abſque menſura; quia effunditur, quia augetur in duplo, datur in partes, diſtribuitur, tollitur, interdum eſt, interdum non eſt, item quia extinguitur; hæc & alia conjungunt in Catecheſ. *pag.* 213. *Reſp.* ad hoc, diſtinguendo; poſt Adverſarios adigemus, ut confiteantur, diſtinctionem, & bonam, à nobis afferri. Diſtinctio hæc eſt: Quod Spiritus Sanctus aliquando notet effectum, aliquando cauſam. Pro effecto accipitur, *Ioan.* 3. 34. Poſterius clariſſimum eſt, 1 *Cor.* 12. 11. Dicimus ergo, hæc omnia allata de Spiritu Sancto, dici de Spiritu, prout accipitur pro donis Spiritus Sancti, non prout accipitur pro ipſo Spiritu Sancto.

Jam extorquenda eſt confeſſio Adverſariis. Dicunt Adverſarii, in eadem quæſtione de Spiritu Sancto, quod ſit in Deo, quod ſit eſſentialiter; quia, dicunt, eodem modo eſt, ſicut Spiritus in homine. Quod ſi eſſentialiter eſt, quomodo, quæſo, dari poteſt extra Deum? Quomodo effundi? Quomodo in duplum dari? Numne Deus, dum alteri dabit, ipſe carebit? Certe neceſſario hoc ſequi debet ex iſta ſententia. Item, num Spiritus Sanctus dividi poteſt per partes? Non ergo accidens, ſed ſubſtantia: &, ſi dabitur ſecundum menſuram alicui, jam in Deo totaliter non erit; ſi abſque omni menſura, jam nullo modo erit in Deo: Si extinguetur, jam nullo modo, neque in quoquam, erit, cum plane non erit. Hæc & alia adigent Adverſarios ad acceptandam diſtinctionem à nobis allatam, & ad agnoſcendum, quod bene ſit applicata.

FINIS LIBRI PRIMI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

LIBER SECVNDVS.

CAPUT PRIMUM.

De Deo Creatore.

Vidimus Deum abſolute conſideratum; Agendum jam nobis eſt de Deo ad creaturas relato, hoc eſt, de Deo Creatore, Redemptore, Sanctificatore, & Glorificatore.

1. Creator dicitur ratione Creationis.

Hic jam nobis diſceptandum vel de voce creationis; vel de notitia naturali creationis; vel de objecto creationis.

De voce quæritur, primo: Vtrumne vox creandi aliquando accipiatur pro faciendi, & contra? Secundo: Vtra vox pateat latius natura ſua, creandine, an vero faciendi?

Quod ad primum attinet, illud notorium eſt, vel ex 1 cap. *Geneſ.* vide inter alia *v.* 25, 26, 31. Quod ad ſecundum, ſciendum, 1. Quare nobis moveant hanc litem? Movent autem ex occaſione objectionis iſtius, *Ioan.* 1. *Per ipſum facta ſunt omnia quæ facta ſunt*, &c. Dicunt enim, ibi Spiritum Sanctum ideo abſtinuiſſe à voce *creandi*, ne putemus, Chriſtum aliquid ex nihilo feciſſe; Nam, inquiunt, facere ex ſubjecta materia aliquid, aliud eſt quam creare. Sed inepti ſunt, quia ipſi expreſſe negant, Deum aliquid ex nihilo feciſſe; ac proinde Deo materiam extitiſſe coæternam ſtatuunt, ut à nobis in præcedentibus oſtenſum eſt. Ita ergo illi, ſua ipſorum ſententia, confundunt *creare* & *facere*. 2. Facere, latius patere, quam creare. Nam omne creare quidem eſt facere, ſed non omne facere eſt creare. Namque Deus etiam illa, quæ generantur, facit, imo omnia quæ opifices faciunt, facit; interim tamen non dicuntur iſta proprie creari, ac propterea Spiritus Sanctus, oſtendere volens, omnia per Chriſtum eſſe, utitur voce hac *faciendi*.

Quod ad cognitionem attinet, Sociniani negant, Dei cognitionem ullam naturalem eſſe in creaturis.

At clariſſime, vel ex ſola Epiſtola ad *Rom.* 1. 20, refutantur. Locus hic nimis manifeſtus, valde torquet Socinum; ita autem eum vult eludere, ut dicat, per conditum mundum ibi intelligi novum mundum. *Reſp.* Inepte & contra mentem Spiritus Sancti. Nam 1, dicitur abſolute, *à condito mundo*, *ex eis quæ fecit*. 2. Agitur hic de hominibus talibus, qui legem non habebant, *Rom.* 2. *verſ.* 14. Atqui tales Deum cognoſcere non poſſunt ex ſecunda ratione, quia talibus ut Evangelium patefactum non eſt, ita nec nota ipſis eſt doctrina de regeneratione, atque adeo de nova creatione. Socinus hoc uno argumento vult ſtabilire ſuam ſententiam: Per fidem, inquit, intelligimus, compactum eſſe mundum Verbo Dei, *Hebr.* 11. *v.* 3. Jam autem, quæ ex fide ſcimus, illa ex Verbo Dei haurimus, quia *fides ex auditu, auditus autem per Verbum Dei*, Rom. 10. *Reſp.* Cognitionem eſſe duplicem, vel perfectam, vel imperfectam: item, aliam ſalutarem, aliam non. Priorem ex Verbo Dei, poſteriorem ex natura haurimus.

Objectum creationis conſideratur, vel in genere, vel in ſpecie.

In genere, vel ipſum, vel ipſius conſequens.

De ipſo objecto in genere quæritur, *Vtrum Deus ex nihilo creaverit?* Nota eſt diſtinctio creationis in *Mediatam* & *Immediatam*. Sociniani negant, ullam eſſe immediatam, id eſt, ex nihilo; & volunt ſibi dari Scripturam in hanc rem. Nos autem articulo *de æternitate* ſatis probavimus. Sed ne ſubterfugere videamur, etiam Scripturam, quoad literam, in hanc rem

damus, *Rom.* 4. 17: *Vocante*, inquit Spiritus Sanctus, *quæ non ſunt, tanquam quæ ſunt*; Et Hebr. 11. v. 3: *Quæ cernimus, non ſunt ex apparentibus facta*. Interim hic obſervetur ipſorum inconſtantia, quod expreſſe, ubi de æternitatis attributo agunt, negent, Deum omnia ex nihilo feciſſe; ut vero noſtrum argumentum eludant, quod petimus ex *Ioan.* 1, quod per ipſum omnia creata ſint, quia per ipſum omnia facta, dicunt, *facere* & *creare*, non eſſe unum & idem: quia *creare* eſt, ex nihilo aliquid facere: *facere* autem, ex præſuppoſita materia aliquid producere.

In conſequenti creationis ignorant, quid ſit contingentia in rebus; ita enim ſtatuunt de contingentia, ut omnem providentiam Dei, tam illam quæ decreti eſt, quam eam quæ actualis dicitur, tollant.

Hic canon, recte explicatus, multos fœdiſſimos errores eorum circa providentiam Dei detegit. Nam notandum hoc fuerit, eos de providentia Dei aut nihil aut parciſſime loqui; unde conſtare non poteſt, quid credant; interim ex doctrina de contingentia facile hoc conſtare poteſt.

Sciendum eſt autem, nos ſtatuere hoc: *Quod nihil ſit in hac rerum univerſitate, quod non ſit neceſſarium in ſenſu compoſito, id eſt, comparate ad Deum, licet contingens ſit in ſenſu diviſo, abſolute extra Deum res conſiderando.* Hoc autem ſibi volunt iſta verba Scholaſtica: Omnia eſſe neceſſaria, ſi ſpectes decretum Dei; Item, ſi ſpectes actualem Dei providentiam: At vero contingentia, ſi ſpectes naturam rerum, eo quod res ita comparata ſit, ut potuerit fieri, vel non fieri, facere vel non facere, hoc modo facere, vel alio. Exemplis res fiet clarior: Oſſa Chriſti non poterant frangi, & neceſſario non frangebantur, ſi ſpectes Dei decretum; item, ſi ſpectes actualem Dei providentiam. At vero ſi illa ipſa in ſe ſpectentur, quia ſic natura ſua comparata fuerunt, ut frangi potuerint, contingens eſt ratione eorundem, quod fracta non ſint. Hinc dicunt, neceſſitatem ex hypotheſi non repugnare, quo minus contingentia detur in rebus, etiamſi fiat hoc diverſa ratione. Et hæc Orthodoxa ſententia eſt. Sociniani econtra ſtatuunt, *Contingentiam eſſe in rebus, ratione ipſius Dei.* Hinc (quod ab ipſis mutuatus eſt Arminius) ſtatuunt, unam eandemque rem nullo modo dici poſſe neceſſariam & contingentem. At vero, ſi res ita habet, tum 1. Nulla res erit neceſſaria extra Deum; quia omnis res, in ſe ipſa conſiderata, contingens eſt, ut audivimus: Tolletur ergo diſtinctio iſta (quæ locum habet in Scriptura perquam frequentem) neceſſitatis, in abſolutam, & ex hypotheſi. Et, ſi aliqua neceſſitas erit in rebus extra Deum, erit illa abſoluta, atque adeo Deus. 2. Si ratione Dei, quæ contingentia in ſe ſunt, erunt contingentia; Ergo conſequetur neceſſario, Deum nil de illis determinaſſe. Atqui hoc abſurdum, ut apparet, *Thren.* 3. *v.* 37. *Objiciet* forte Adverſarius: Decreta Dei ſæpe irrita reddi. *Reſp.* Sed hoc falſum. Nam quomodo irrita reddi poſſunt, cum nec quiſpiam illa irrita reddere poſſit extra Deum, *Eſai.* 14. *verſ.* 27. nec ille ipſe mutet, *Eſaï.* 46. *v.* 10. 3. Si ratione Dei, quæ contingentia in ſe ſunt, contingentia erunt; Ergo ſequuntur iſta inconvenientia: Deo rem conſervante, res poterit non conſervari, &, non conſervante, perſiſtere. Item, quod poſſit cauſa ſecunda agere, non mota à prima; & mota à prima, non agere. Nam in his conſiſtit, inter cetera, providentia Dei actualis. At, eſſe iſta omnia inconvenientia, ordine probabimus.

1. Ipſo non conſervante, res interire, patet ex his & ſimilibus Scripturæ locis; *Col.* 1. 17, *Per ipſum omnia conſiſtunt.* Hebr. 1. v. 3, *Suſtinet omnia verbo ſuo potenti. Obj.* Si Deus conſervat omnia, cur ergo pereunt quædam? *Reſp.* Dum à Deo ſervantur, ſunt; ſed non decrevit, ea ſemper ſervare. Nam, ut *Hebr.* 9. *v.* 27, habetur: *Statutum eſt hominibus ſemel mori.* 2. Quod ad poſteriora attinet, ſciendum eſt, cauſam ſecundam non agere, niſi motam divinitus, &, ubi mota eſt, non poſſe non agere. Prius patet; quia ut aliquid eſt in eſſendo, ita in operando; Atqui omnes res ita extra Deum ſunt, ut eſſe ſuum à Deo habeant, *Rom.* 11. 36. Ergo etiam ita agunt, ut dependeant

deant

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

deant in agendo à Deo, id eſt, ut non agant niſi motæ. Alterum, videlicet, cauſam ſecundam non poſſe non agere, ſi moveatur, patet: quia, ſi ex nihilo omnia ad nutum ejus fieri potuerunt, & impoſſibile erat, ut illa non fierent, tum multo magis ad nutum ejus & motum omnia agunt, quæ exiſtunt, ſive tum multo magis impoſſibile, ut illa, quæ exiſtunt, non moveantur.

Objiciunt contra hæc varia, tum Sociniani, tum Arminiani. Nos hic potiora aſſeremus, & ad illa reſpondebimus.

Contra prius, ſic *inquiunt:* Si res ita habet, tum peccati omiſſionis Deus eſt auctor. Nam ſi non moveat hominem ad id quod facere debet, tum certe homo illud non poterit facere. Ergo Deus auctor eſt iſtius omiſſi, quod fieri debebat. *Reſp.* Sequeretur hoc, ſi Deus obligatus eſſet alicui ad aliquid ipſi præſtandum. Id vero falſum eſt; *Rom.* 11. 35. *Inſt.* At ſaltem non poteſt exigere juſte, quod non dedit, & propter hoc non præſtitum non poteſt hominem punire juſte. *Reſp.* Falſa iſta omnia, utut videantur ratione firmiſſima & æquiſſima eſſe. Nam ecce enſtaſis: Adamo datum erat poſſe ſtare, ſi vellet; ſed non datum erat velle, ut poſſet; alioquin perſtitiſſet in ſtatu integritatis: & tamen exactum eſt ab ipſo divinitus, non tantum prius, ſed & poſterius; &, quod poſterius non præſtiterit, hoc ipſo peccavit, & obnoxius factus eſt pœnæ. Jam diſputet hîc ratio, juſtumne vel injuſtum. Nobis certe omne juſtum eſſe debet, quicquid facit Deus, qui juſtitia ipſa; etſi rationes iſtius aſſequi non poſſimus.

Contra alterum *objicitur*, 1. Si cauſa ſecunda, mota à prima, non poſſit non agere, Ergo ſequitur, quod Deus erit auctor peccati commiſſionis; quod itidem ſtatuere, blaſphemum eſt. *Reſp.* Nego conſequentiam, ob enſtaſes quæ ex Scriptura ferri poſſunt. Ita, verbi gratia, 2 *Sam.* 12. *v.* 11, dicit Deus, ſe ſuſcitaturum Abſolonem, ut ſuſcipiat uxores Davidis: jam Abſolon excitatus à Deo, ut dormiret cum uxoribus Davidis, non poterat non dormire; interim tamen Deus iſtius peccati auctor non eſt. Item, ut infinita alia omittam, 1 *Reg.* 11. 26, dicitur, quod Deus ſuſcitaverit adverſus Salomonem adverſarium, Jeroboamum, filium Nabethi, ut attolleret manum ſuam contra regem; hoc peccatum non poterat non fieri; interim Deus iſtius auctor dici non poteſt. Ratio hujus hæc eſt: Quia aliud eſt, in peccato commiſſionis, *motus*; aliud, ἀταξία· prius bonum quid eſt, ac proinde à Deo eſt; poſterius defectus eſt, & proficiſcitur, ut Philippus Melanchthon alicubi eleganter dicit, non à *cauſa efficiente*, ſed *deficiente*; non à potentia, ſed impotentia; & hæc ἀταξία eſt formale peccati, ſive peccatum ipſum, in peccato commiſſionis.

Obj. 2. Si cauſa ſecunda non poſſit non agere, mota à prima; Ergo conſequitur, cauſam volentem (quales ſunt homines, Angeli), non poſſe non agere, motam à cauſa prima. Atqui ſi hoc fiat, tum irreſiſtibiliter movebitur cauſa voluntaria; Item, neceſſario movebitur. Quomodo ergo hæc cum libertate conſiſtere poterunt? *Reſp.* Deum irreſiſtibiliter movere cauſas voluntarias, & tamen ipſas libere facere quæ faciunt; quod patet vel ex *Ezech.* 36. 26, 27, 28. *Faciam*, inquit, *ut in ſtatutis meis ambuletis.* & interim tamen libere ambulabunt in ſtatutis Dei. 2. Diſtinguendum eſt inter *neceſſitatem immutabilitatis*, & *coactionis.* Cauſæ voluntariæ neceſſario agunt neceſſitate immutabilitatis, non coactionis. Neceſſitas autem immutabilitatis, poteſt conſiſtere cum libertate: ut patet ex militibus iſtis, qui oſſa Chriſti non fregerunt; neceſſario hi abſtinuerunt à frangendis oſſibus, ſi immutabilitatem ſpectes; interim libere hoc fecerunt. Breviter, cauſa erroris ipſorum hæc eſt, quod ignorent, in quo libertas arbitrii conſiſtat: Putant illi, in *indifferentia quadam ad agendum* conſiſtere; Nos vero dicimus, conſiſtere in eo, *ut quis quod agit*, *ſponte agat*, *ratione præeunte*; quam definitionem veram eſſe liquet, ex diſputatis.

Hinc jam errores Socinianorum patefiunt.

Primus eſt: Deum nil cognoſcere extra ſe, antequam fiat. Ratio eſt; Quia omnia extra

Deum

Deum ſunt contingentia, ſi in ſe ipſis ſpectentur. Sociniani autem dicunt, quod contingens in ſe eſt, illud nec ratione Dei neceſſarium eſſe. *Objiciunt* Sociniani: Neceſſaria eſſe quædam extra Deum; unde & Philoſophi *ens dependens* dividunt in neceſſarium & contingens. *Reſp.* Ita quidem eſſe; Sed 1. Illud neceſſarium dicunt ex *hypotheſi* tale; quod Sociniani negant. Nam neceſſarium ex hypotheſi eſt hoc, quod contingens eſt in natura ſua, ſed reſpectu decreti Dei, & providentiæ ejus, eſt neceſſarium: & ita omnia ſunt neceſſaria: nec ita intellectum neceſſarium habet præter ſe aliquod contingens. 2. Philoſophi, dum unum contingens, alterum neceſſarium, ſtatuunt, faciunt hoc comparate, quod unum contingens ſua natura magis videatur neceſſarium, quam aliud, eo quod ad unum quodammodo determinatum ſit; qualia ſunt naturalia: alioqui de omnibus pronuntiant, quod ſint contingentia. Hinc illa diſtinctio contingentium apud eos uſitatiſſima: *Contingens ut raro; contingens ut æqualiter; contingens ut plerumque. Contingentia ut raro*, ſunt pleraque naturalia, quæ ad unum ſunt determinata, nec ab illo facile deviant, contingit tamen ut devient aliquando; ut, contingit hominem producere monſtrum, etſi raro hoc fiat; contingit ſolem ſtare, etſi raro hoc fiat; *Contingens ut æqualiter* eſt, ut quis in bello vincat aut vincatur; ut quis mercator mercaturam exercens dives evadat, aut pauper. *Contingens ut plerumque*, verbi gratia, ut ſortes in ſortilegio alicui nunc ſint faventes, nunc inimicæ.

Secundus error Socinianorum, qui hic pateſit, eſt circa providentiam Dei. Quia ſtatuunt, Deum condidiſſe res, ſed eas conditas reliquiſſe in ſuo ſtatu, & eaſdem à ſe ipſis conſervari, & moveri ad hoc vel illud agendum. Patet hoc ex iſtis quæ diſputavimus, in quibus inter cetera docuimus, Providentiam Dei conſiſtere. Itaque perinde de Deo cogitant, ac de principe aliquo terreno, qui regit externe tantummodo: & hinc, quæ ipſorum ſumma impietas eſt, ſtatuunt, Deum jam nullum regimen habere, ſed Chriſtum, qui purus homo eſt (ex ſententia illorum), regere externe tantum per miniſtros, qui modus eſt regiminis externi in hominibus. Docet hoc clariſſime in ſuis inſtitutionibus Socinus, *pag.* 95. Ubi & Chriſtum propter hoc honoratiori loco affirmat ſedere; quod itidem vel Diabolum puderet affirmare.

Tertius error Socinianorum etiam in hoc elucet, circa providentiam Dei actualem, quod negent, Deum immediate concurrere cum creaturis: ſed hoc illis commune eſt cum Arminianis, ut videre eſt in Tileno, qui ita contra hoc argumentatur in diſputatione, quam habuit cum Camerone: *Si*, inquit, *Deus immediate concurrit in agendo cum creaturis; Ergo in ſole lucebit, in igne uret*: &, rem ad ſuum propoſitum applicans, dicit: *Ergo in homine fideli credet: Et iſta*; inquit, *deliramenta ſunt Manichæorum, & Serveti, qui eos fuit ſequutus. Reſpondeo* autem, ineptum eſſe Tilenum, dum ita argumentatur; quod ut intelligatur, diſtinctio hic nobis adhibenda fuerit, quæ, ut vulgaris eſt apud Philoſophos, ita veriſſima. Dicunt ergo: *Effectus eſſe duplices; vel qui à ſola cauſa efficiente dependent; vel qui ita dependent à cauſa efficiente, ut hæc ipſa cauſa ſit ſimul forma compoſiti.* Hi priores vocantur ſimpliciter *effectus*; poſteriores vero, præter hoc, quod ſint effectus, vocantur *formales effectus:* concurrit Deus ad utroſque producendos, ſed ſolummodo per modum *cauſæ efficientis*, non *formæ*. Quia Deus nullius rei forma eſt. Itaque, utut de homine dici poterit, quod ſtet, ambulet, bibat, hoc tamen de Deo dici non poterit. Quia iſti ſunt effectus formales creaturæ: quatenus vero hi effectus poſſunt conſiderari ut effectus abſolute & ſimpliciter, eatenus bene dicitur de Deo, quod efficiat ſedere noſtrum, ambulare noſtrum; ſive, quod nos efficiat edentes, bibentes, faciat ſolem lucere, ignem urere, fidelem credere; non vero, ut abſurde vult Tilenus, in ſole lucere, in igne urere, in fideli credere: hæc *formaliter* creaturæ recte tribuuntur, illa *efficienter* de Deo rectiſſime dicuntur.

CAP.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

CAP. II.

De Creatione hominis, & in ſpecie de homine abſolute conſiderato.

VIdimus doctrinam Socinianorum de creatione in genere. Jam videnda eſt in ſpecie doctrina eorumdem de creatione hominis. Cæterum, hæc iterum conſiderabuntur à nobis, vel de homine abſolute conſiderato, vel conſiderato ut integer fuit.

De homine abſolute conſiderato hæc ſunt.

I. *Putant, animam hominis eſſe materialem.*

Hinc ipſorum error, quod ſtatuant, à morte hominis vel non ſupereſſe animam, vel, ſi ſit, quod tamen ſtatuere nolunt, nulla præmia vel pœnas ſuſtinere, eamque incapacem eſſe iſta ſuſtinendi. vide *Socini Explic.* pag. 489. & quidem Socinus ita; alii clarius iſta dicunt, animam eſſe organon ſive inſtrumentum. Sed inepte ac abſurde; quod vel uno loco refutari poteſt, 2 *Cor.* 12. Ubi Paulus dicit, ſe raptum in tertium cælum, ſeque ibi vidiſſe & audiviſſe dicit: & ignorat, an fuerit in corpore, an extra corpus. At ſi res ita habet, ut anima extra corpus nil ſentiat, nec ſentire poſſit, tum nulla cauſa fuerat dubitandi Paulo, fueritne in corpore, an extra corpus, niſi forte ignoraverit, quod jam ſcit Socinus & ejus aſſeclæ. Socinus, quo probet ſuum hoc delirium, nihil habet ſplendidius illo, 1 Cor 15: *Si*, inquit, *animæ ſentiunt à morte, tum utique ſentirent piorum animæ felicitatem æternam; male ergo diceret Paulus: ſi reſurrectio futura non eſſet corporum, quod omnino miſerrimi eſſent, qui in Chriſto obdormiverunt in hac vita. Quia, eſto, quod non ſit reſurrectio corporum, animæ tamen fruerentur æterna felicitate. Reſp.* Reſurrectionem non tantum dici corporum, ſed etiam opponi eorum ſententiæ, qui non tantum negant corpora reſurrectura, ſed etiam negant, quicquam hominis ſupereſſe à morte, in qua ſignificatione accipitur reſurrectio, *Act.* 23. 8. Nam Sadducæi docebant, non tantum corpus hominis non reſurrecturum, ſed nec animam ſuperfuturam. Unde, dum Paulus dicit: Si non eſt reſurrectio, intelligendum hoc ita eſt; Si nec corpora reſurgent, nec quicquam hominis ſupereſt à morte, omnium miſerrimi ſumus. Adeoque locus hic nil facit pro commento Socini.

II. *Sociniani putant, animam hominis non creari à Deo, ſed educi ex potentia materiæ.*

Error errorem parit. Quemadmodum namque ex eo, quod Sociniani ſtatuunt, animam extra corpus nec ſentire, nec ſentire poſſe, elicitur certiſſime, animam hominis eſſe materialem; ita viciſſim ex eo, quod ſit materialis, elicitur certiſſima conſequentia, quod ſit ex potentia materiæ educta. Namque materialis animæ hoc proprium eſt, ut non ſubſiſtere extra materiam, ita nec operari extra materiam; atque ita hac in re Ethnicis Philoſophis ſunt longe inferiores. Nam Ethnici Philoſophi ſaniores, expreſſe deprehendunt, animam hominis eſſe inorganicam in agendo ſive operando; ac proinde concluſerunt infallibiliter, eandem non eſſe materialem, nec educi ex potentia materiæ. Quia, *ut quid ſe habet in operari, ita etiam ſe habet in eſſe.*

Objiciunt Sociniani: Animam non poſſe dici inorganicam, eo quod utatur inſtrumentis, ex Philoſophorum ſententia. Nam vulgatum eſt apud ipſos hoc axioma: *Nihil eſt in intellectu, quod non prius fuerit in ſenſu.* Sed *reſp.* Si axiomatibus uti volunt Philoſophorum, etiam ad limitationes eorundem animadvertere debent. Dicunt enim, *animam rationalem egere quidem inſtrumentis* ad *intelligendum, ſed non in intelligendo, ſive* ad *operandum, non* in *operando.* Quam diſtinctionem, quoad poſterius membrum, probant exemplo ecſtaticorum. Nam in iſtis omnis functio ſenſuum ceſſat, ita ut homo à mortuo non differat, quoad externum aſpectum (unde etiam factum, ut, nonnulli in ecſtaſin abrepti, qualis fuit ſubtilis ille Joannes Scotus, pro mortuis habiti, ſepeliren-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

lirentur); Et interim operatio & vis ipſius intellectus maxima eſt.

Sed probandum nobis eſt, animam rationalem à Deo immediate creatam infundi.

Probamus autem hoc I. Zach. 12. 1, *Formatque ſpiritum hominis in eo. Reſpondent* illi ad hoc: Aliud eſt *formare*; aliud, *creare*. Sed inepte. Nam ibi inter opera creationis recenſetur hoc, *qui extendit cælos, fundat terram, format ſpiritum*. Ac proinde etiam apud Eſaïam *formator* ſæpe pro *creatore* ponitur.

II. Probamus, ex *Hebr.* 12. 9. Ubi Deus vocatur *Pater ſpirituum*; unde certum argumentum, ſpiritus hos immediate à Deo produci. Nam quemadmodum caro immediate producitur à patribus; ita ſpiritus immediate à Deo. Accedit, quod, ſi ſpiritus eſſent à patribus ut caro, tum diſtinctioni illi, qua Apoſtolus inter patres ſpirituum & carnis diſtinguit, nullus foret locus. Hinc jam alius illorum error; quod animæ piorum demortuorum non ſint in cælo à morte, nec fruantur æterna felicitate, nec impiorum in inferno cruciatus ſuſtineant. De his agemus infra in doctrina de Deo glorificatore. Hic ſufficiat oſtendiſſe, quomodo error ex errore ſcaturiat.

CAP. III.

De homine, in ſtatu integritatis conſiderato, quoad ſua principia.

SEquitur homo conſideratus in ſtatu integritatis; qui conſideratur vel ipſe, vel quoad ejus conſequentia.

Ipſe, vel quoad principia ſua, vel quoad accidentia, vel adjuncta.

Quoad principia. I. *Homo non erat natura mortalis, ut Sociniani volunt, etſi mori potuit.*

Differunt iſta, *eſſe mortalem*, & *poſſe mori.* Nam omnis, qui eſt mortalis, poteſt mori; ſed non omnis, qui mori poteſt, eſt mortalis. Hinc inepte iſta duo confundunt Sociniani, cum tamen poſterius latius pateat, ut quod & potentiam remotam & proximam includat, tanquam genus ſuas ſpecies; cum prius potentiam proximam tantum notet, atque adeo æquipollens ejus ſit, eſſe obnoxium morti. Proinde etiam Sociniani perinde habent, an homo natura fuerit mortalis; an natura fuerit obnoxius morti; an potuerit mori. Theſis autem Socinianorum, quod ſcilicet homo in ſtatu integritatis fuerit natura mortalis, eſt falſiſſima.

I *Ratio.* Quia ſi homo moriturus non fuiſſet in ſtatu integritatis, tum certe in ipſo potentia proxima moriendi non erat. At non erat moriturus, ut ex ſequente canone patebit. Ergo. Majoris conſequentia certa. Nam data potentia proxima, datur actus, niſi extra ordinem impediatur.

II *Ratio*, quæ magis ſtringit, petitur ex 1 *Cor.* 15. 53, 54. Ubi expreſſe Spiritus Sanctus teſtatur, mortalitatem provenire ex peccato; & Chriſtum, tanquam victorem, aboliturum mortalitatem. At Chriſtus, dum victor hoſtis dicitur, victor dicitur peccati, Satanæ, &c. Si ergo mortalitatis hoſtis eſt, illa certe à Deo non eſt. Namque nullius operis divini Chriſtus eſt hoſtis, ſed vel Diaboli, vel peccati, vel ejus quod per peccatum ingreſſum, mortis videlicet. Socinus ſe hic nobis opponit in ſuis prælectionibus, affertque rationes aliquas, quibus probare vult, hominem ante lapſum fuiſſe mortalem. Conjungemus autem argumenta ejus, quæ una reſponſione poterimus refellere; reliqua quæ reſponſionem aliquam poſtulabunt, ſingulatim propoſituri.

1 *Argumentum* ejus eſt hoc. Homo ante peccatum liberis procreandis erat deſtinatus, *Gen.* 2. 18. Qui autem immortales ſunt, liberos non procreant, dicente Chriſto, eos qui futuri ſeculi & reſurrectionis participes erunt, nuptias ideo non contracturos, quia amplius mori non poterunt, *Luc.* 20. 35, 36.

2 *Argumentum* eſt. Quia primus homo eſcis utebatur, *Gen.* 1. *v.* 29. Ubi autem immortalitas, ibi eſcis & cibo non eſt opus, quia ſcri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ſcriptum eſt, 1 Cor. 6. v. 13, *Venter eſcis*, *& eſca ventri*; *Deus autem & hunc & illum abolebit*. Huc pertinet argumentum illius ſextum, quod idem cum ſecundo, niſi quod hoc ſpeciale habet, quod homo debebat frui omni fructu, exceptis arbore vitæ, & arbore ſcientiæ boni & mali.

3 *Argumentum*, quod ipſius eſt ſeptimum, obſcure proponit, nos clarius ponamus: (Proponitur ab ipſius diſcipulis, Oſtorodo, & mihi coram à Smalcio Rakoviæ eſt propoſitum): Qui ex elementis corruptibilibus conſtabat, ille erat mortalis. Atqui homo primus, &c. Ergo. Major certa. Quia, *quale principium, tale principiatum*. De Minore nemo dubitat, aut dubitare merito poteſt.

Omnibus iſtis argumentis ſufficeret una reſponſio: Aliud eſt, *poſſe remote* mori; aliud, *poſſe proxime* mori, quod mortalitatem notat. Prius cadebat in hominem primum in ſtatu integritatis: poſterius non, ſed ex peccato provenit. quod probatur: Quia Chriſtus mortalitatem deſtruxit, 1 *Cor.* 15. Atqui ille non deſtruit niſi opera Diaboli, 1 *Ioan.* 3. 8. Noſtri ad hæc argumenta ita reſpondent: Non potuiſſe Adamum mori, ſed erat, inquiunt, in eo poſſibilitas ad moriendum: hæc autem diverſa eſt à poſſe, ut hoc modo oſtendunt: Eo modo ſe homo habuit ad peccandum, quo ad moriendum. At male diceretur de Adamo, fuiſſe in eo potentiam ad peccandum in ſtatu integritatis. Quia ſi fuiſſet, oportuiſſet eam fuiſſe à Deo; unde jam conſequeretur, Deum eſſe auctorem peccati. Quia, *quicquid eſt cauſa cauſæ*, *eſt etiam cauſa cauſati*; ſi ſcilicet effectus per ſe ſequatur: quod hic videtur. Quia per ſe eſt, ubi potentiæ tali reſpondet actus talis. Sed nobis parum intereſt, quid reſpondeatur, ſi tamen accurate quis reſpondere velit, priorem reſponſionem elegerit, meo judicio. Nam abſurdum, quod ab ipſis deducitur, non conſequitur. Quia diverſa ratio eſt hominis, prout ſe ad peccandum, & prout ſe ad moriendum habet; quod vel inde patet, quod Chriſtus potuerit mori & remote & proxime, poſtquam factus eſt vas pro nobis, & tamen in Chriſtum nulla poſſibilitas peccandi cadebat.

In ſpecie jam reſpondeamus ad argumenta quædam. Ad *ſecundum*, Majorem negando. Qui cibis veſcitur, eſt mortalis. Ecce enſtaſis, de Chriſto Servatore, *Luc.* 24. *v.* 42. Negant quidem illi, Chriſtum Corpus, quod tum habebat, intuliſſe in cælum; ſed inepte, ut poſt audiemus. Ad probationem, ex 1 *Cor.* 6. 13, *reſp.* Ventrem ibi non abſolute accipi, ſed ratione uſus: quod oſtendimus ex eo; Quia ſi venter acciperetur pro parte integrali corporis, tum Chriſtus cum ventre non aſcendiſſet in cælum: quod falſum. Sequeretur etiam, Enochum & Eliam non abſtuliſſe ſecum ventres in cælum; item iſtos, quos dies Domini reperit, ventres hic inferne relicturos, qui non morientur, ſed in ictu oculi mutabuntur, & cum ventribus rapientur in occurſum Domino. Duo hic objiciunt. 1. Quod nunquam dicatur in Scriptura aliquid interire, cum uſus ejus hic vel ille tollitur. 2. Oſtendere contextum, eo modo ventrem interiturum, quomodo interituræ eſcæ. At eſcæ interituræ abſolute; Ergo & venter. *Reſp.* ad 1. Utut modus loquendi talis non reperiatur in Scriptura, ecce tamen, *Hebr.* 1. 11, dicitur, cælos perituros; cum tamen cæli plane interituri non ſint ſecundum ſubſtantiam, ſed tantum quoad accidentia: quemadmodum oſtenſuri ſumus infra. Ad 2, *reſp.* Falſam hypotheſin præſupponi, quod idem vocabulum in eodem textu diverſis rebus attributum, eandem ſemper obtineat ſignificationem. Ecce enſtaſin ex Scriptura, *Ioël.* 2. 13: *Scindite corda veſtra*, *& non veſtimenta veſtra*, &c. Verbum *ſcindendi* & de veſtitu & de cordibus dicitur, & tamen diverſo ſignificatu: Sic verbum *deſtruendi* vel *abolendi*, etſi 1 *Cor.* 6. 13, ſumatur tum de ventre, tum de eſcis, non tamen ſequitur, quod eodem modo de utroque.

Ceterum hic nobis eſt expendendum, quod dicunt, Chriſtum non intuliſſe in cælum carnem, in qua natus, vixit, paſſus, mortuus eſt. Probant autem hoc futiliſſimo argumento, ut ex Oſtorodi inſtitutionibus patet: Quia, inquit, 1 *Cor.* 15, dicitur: *Caro & ſanguis non poſſidebunt regnum Dei*. Ineptiſſime. Nam 1, expreſſe teſtatur Spiritus Sanctus, in eadem carne Chriſtum reſurrexiſſe, *Ioan.* 20. Et eadem carne in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ne in cælos aſcendiſſe teſtatur, *Act.* 1. *verſ.* 9. 2. Quod maxime notandum eſt, poſt aſcenſionem Chriſtus dicitur ex patribus ſecundum carnem, *Rom.* 9. *v.* 5. Ad argumentum *reſp.* Carnem & ſanguinem aliquando accipi pro principio naturæ humanæ, ut Job. 19, *in carne mea videbo Dominum*; aliquando pro pravitate naturæ, contracta per peccatum Adæ, quemadmodum accipitur, *Rom.* 8. *v.* 7. Dicimus ergo, locum, 1 *Cor.* 15. *v.* 50, accipi debere pro pravitate naturæ: quod oſtendimus loco Jobi allegato; qui falſus eſſet, ſi accipi deberet pro altera parte hominis locus iſte ad Corinthios; ut & locus, *Rom.* 8. 7: quia caro hæc mala eſt; illa autem, ſcilicet altera pars hominis, quam Deus fecerat, eſt valde bona.

4 *Argumentum*, quod Socino eſt tertium: Primus homo ante peccatum corpus animale habuit: Ergo & mortale. Probatur utrumque ex verbis Pauli, 1 *Cor.* 15. 44, ubi corpus animale illud vocat, quod prius vile, corruptum, dixerat; verſu autem 45, dicit, primum hominem factum fuiſſe in animam viventem, & inde probat, ipſum habuiſſe corpus animale. Adamus vero in ipſa creatione factus eſt in animam viventem, *Gen.* 2. 7.

5 *Argumentum*, quod Socini quartum: Primus homo, antequam peccaret, jam erat terrenus, quia è terra formatus fuerat. Sed nos in eo, quod corrumpimur & morimur, primi hominis imaginem portamus, quatenus erat terrenus. Ergo primus homo, antequam peccaret, mortalis fuit.

Hæc ſunt argumenta duo Adverſariorum, in quibus ſibi valde placent. *Reſp.* vero ad illa: Aut hic *animalis* & *terrenus* conſideratur ratione ſubſtantiæ, aut qualitatis. Si quis dicat, ratione ſubſtantiæ; tum oportet ſtatuat diſcrimen inter nos & Chriſtum, quia hic diſcrimen inter nos & Chriſtum urgetur: Atqui Chriſtus ratione ſubſtantiæ non erat diverſus, pulvereus enim erat, corpuſque ejus ex elementis, ſicut & noſtrum, fuit compoſitum: & niſi divina vi conſervatus fuiſſet à corruptione, jam reſolutus fuiſſet in cineres, ut patet, *Act.* 2. Item Chriſtus fuit anima vivens, quoad ſubſtantiam: eſt nobis namque per omnia ſimilis abſque peccato, *Hebr.* 2. 17: & 4. 15. Ergo ſequitur, hic non de diverſitate ſubſtantiæ agi, ſed accidentium; qualis vero iſta qualitas accidentium, oſtendit nobis Spiritus Sanctus, ubi agit de mutatione iſta, *Eph.* 4. 22, 23, 24. *Col.* 3. 10. Hæc eſt vera explicatio textus. Sed videntur hic obſtare nonnulla. 1. Quod dicitur corpus cum gloria, ſive glorioſum, ſuſcitatum iri; talis autem non fuit homo in ſtatu integritatis. 2. Videtur hoc maxime urgere Socinus, quod dicitur homo factus in animam viventem, *Gen.* 2. *Reſp.* ad 1, retorquendo, quia agitur de corpore, quod ſuſcitandum eſt cum gloria. Ergo agitur ibi non ſimpliciter de homine primo, ſed ut de homine qui moriturus erat, *verſ.* 42, 43. Deinde, falſa hypotheſis præſupponitur. Quod ſi in ſtatu integritatis non erat talis; Ergo oppoſitum ejus erat. Oſtendo hoc hac ratione. Quum de homine agitur, qui eſt futurus in vita æterna, dicitur, quod ſit futurus ſine peccato; Ergo, inquiat aliquis, in ſtatu integritatis fuit cum peccato. Quia ſtatus glorificationis non tantum opponitur ſtatui peccati, ſed etiam ſtatui integritatis aliquando, *Luc.* 20. 35, 36. *Reſp.* ad 2; Eandem falſam hypotheſin præſupponi, quaſi vero ſtatus glorificationis tantum opponatur ſtatui peccati.

6 *Argumentum*, quod eſt Socini quintum, hoc eſt: Si peccatum mortalitatem homini attuliſſet jam naturalem; tum Jeſus Chriſtus, qui peccatum abſtulit, mortalitatem quoque naturalem abſtuliſſet, ac deleviſſet. At hoc non fecit. *Reſp.* 1. Eo pacto cognovit Socinus, mortis temporariæ eſſe cauſam peccatum, quia nobis moriendum eſt; Chriſtus autem qui peccatum abſtulit, mortem temporariam auferre debebat: Atqui illa non ſublata. Negat quidem Socinus, mortem temporariam ex peccato ortam, ſed nos hoc infra probabimus. 2. Suſtulit mortem temporariam & mortalitatem, 1. *De jure*, non *de facto*. Non quod de facto non ſit ſublaturus, ſed quod in præſentiarum nondum ſuſtulerit. Quemadmodum de jure nobis meritus eſt vitam æternam, de facto autem nondum contulit, ſed collaturus eſt, ubi nos ad ſe vocaverit, & animas noſtras cum corpore

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

pore copulaverit; Item de jure ſuſtulit Chriſtus omne peccatum in nobis, id eſt, meritus eſt nobis, ut eſſemus perfectè ſancti, & tamen hoc in hac mortali vita non eſt largiturus. Hinc illud Joannis: *Si dixerimus, nos peccatum non habere*, &c. 2. Suſtulit Chriſtus mortalitatem ſicut mortem, non *ut non ſit* in electis, ſed *ut mala non ſit*, & pœnæ rationem in iis non habeat: & cum antea fuerit janua ad mortem, jam ſit facta tranſitus ad vitam æternam. Quod inde oſtenditur, quod mors piorum jam non ſit maledictio, ſed felicitas, *Ecclеſ. 7. 1. Apoc.* 14. 13.

II. *Homo non erat moriturus, ſi non peccaſſet, atque adeo mors temporaria eſt etiam propter peccatum.*

Valde impugnat iſtum Canonem Socinus, quia videlicet, hoc ſtabilito, multa commenta, in quibus vult eſſe valde ſubtilis, videt collapſura. Duo jam nominabimus, ex quibus judicium fiat de reliquis. Si iſte canon obtinebit; Ergo Chriſtum oportebit vice noſtri mortuum eſſe. Nam aut propter ſua peccata Chriſtus eſt mortuus, aut propter noſtra. At non propter ſua; quia nulla habuit. Deinde evicto hoc canone, etiam originale peccatum evincetur. Quia infantes moriuntur. Ergo, aut propter originale peccatum, aut propter actuale. At non propter actuale, *Rom.* 4. 14. Ergo propter originale.

Duo argumenta ad probandum canonem adferimus, quæ illi nunquam eludere poſſunt, nec etiam tentant. *Primum* eſt, *Rom.* 8. 10. Si Chriſtus in nobis eſt, corpus quidem propter peccatum mortuum eſt. Hic non poteſt intelligi mors æterna, quia agitur de fidelibus, in quibus Chriſtus eſt, & in quibus nulla condemnatio, *Rom.* 8. 1. *Secundum*, 1 Cor. 15. 22: *Sicut in Adamo omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur.* Hic non agitur de morte æterna, ſed temporaria. Quia morte æterna non omnes moriuntur in Adamo, ſed temporaria tantum, *idque non ſubjective*, ſed *cauſaliter*, hoc eſt, propter peccatum Adami.

Objici poteſt: Non loqui Spiritum Sanctum de omnibus & ſingulis, ſed de iis duntaxat *qui* in Chriſto vivificantur. *Reſp.* 1. Eſto, ſtringit tamen argumentum. Nam ſi per hominem mors in tales redundat; Utique non æterna: Ergo temporaria. 2. Falſa hypotheſis præſupponitur, quaſi vero particula *omnis* eo modo in apodoſi accipi debeat, quo in protaſi. vid. *Rom.* 5. 19. Socinus hic nihil habet quo infringat hunc canonem, niſi hoc unum: Quod ſi mors temporaria eſſet ingreſſa propter peccatum; Chriſtus illam ſuſtuliſſet. Quia Chriſtus venit, ut diſſolvat opera Diaboli. Ut autem peccatum ipſum opus Diaboli eſt, ita etiam ea quæ peccatum, ut demeritum, conſequuntur. Atqui, inquit, non ſuſtulit mortem, quia nobis adhuc eſt moriendum. Ad hoc argumentum jam ſupra eſt reſponſum.

CAP. IV.

De accidentibus, & quidem de Imagine Dei in homine.

Conſideratus homo quoad principia; ſequuntur accidentia; De quibus hi Canones.

I. *Homo eſt conditus ad imaginem Dei; de hoc teſtatur Spiritus Sanctus*, Gen. 1. verſ. 27.

II. *Imago Dei eſt ens aggregatum, continens multa alia diverſa entia. Nam imago Dei notat tria hæc: Naturam, Rectitudinem, Statum, id eſt, Dominium.*

Quod in natura conſiſtat, probatur, *Gen.* 9. 6. Hic non poteſt intelligi vel rectitudo naturæ, quia hoc dicitur de homine eo, quem Spiritus Sanctus deſcripſit, *Gen.* 6. *v.* 5, cujus cogitatio omni die tantum eſt intenta ad malum. Hoc etiam non poteſt intelligi de ſtatu hominis, id eſt, dominio ſuper animantia. Nam hæc nulla eſſet ratio, quare homicidæ ſanguis deberet effundi. Ergo de natura hominis intelligi debet. Proinde Socinus valde ineptus eſt, quod hoc ipſo loco conetur probare, imagi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

imaginem Dei non conſiſtere in juſtitia & ſanctitate. Quia, inquit, dicitur imago Dei in homine, poſtquam jam lapſus eſſet. Nam, ut diximus, imago Dei non unum quid, ſed multa notat, cum ſit ens aggregatum.

III. *Rectitudo, in qua dicitur imago Dei conſiſtere, eſt juſtitia & ſanctitas, in qua primus homo fuit conditus.*

Vehementer impugnat Socinus hunc canonem, idque non de nihilo. Nam ſi evictus fuerit, per hoc ipſum originale peccatum inhærens probatur vel maxime. Novit Socinus probe, hominem non naſci cum juſtitia & ſanctitate, ut quem aliter deſcribit Scriptura. Hinc, ut ſupra habuimus, negat Socinus, hominem natura Deum noſſe. At nos canonem probabimus ex Scriptura.

1. *Eph.* 4. *v.*24. *Col.*3. 10. Argumentum tale eſt: Ratione cujus renovamur, in illo conſiſtit imago Dei. At ratione juſtitiæ & ſanctitatis renovamur. Ergo. Major eſt ad *Col.* 3. 10. Minor ad *Eph.* 4. 24. Hinc etiam Scriptura dicit, *Eccleſ.* 7. 29, Deum feciſſe hominem rectum. 2. Probatur canon ex *Gen.* 1. 31: *Et erant omnia valde bona.* Socinus contra hoc *excipit*; Dici hoc de omnibus rebus. Ergo hic non agi de bono morali, quia bonitas moralis non cadit in omnia. 2. *Dicit:* Non dicit Scriptura, quod homo fuerit bonus, ſed quod bonum fuerit, quod homo fuerit creatus talis. *Reſp.* 1. Inepte Socinus ſuggillat argumentum noſtrum hac enſtaſi. Nam de omnibus quidem dicitur hoc ipſum, ſed convenienter unicuique naturæ; ita ut extra hominem in aliis creaturis intelligenda ſit bonitas *phyſica*; in homine, & *phyſica*, & *moralis*. Nam homo non poteſt dici bonus, quatenus homo, niſi ſit moraliter bonus. 2. Ex textu refellitur. Nam non dicit textus, bonum eſſe, quòd creavit; ſed dicit, bona eſſe hæc quæ fecit. Itaque in faciem contradicit hæc Gloſſa Socini Spiritui Sancto, in verbo loquenti. 3. Ex Eccl. 7. 29: *Deus fecit hominem rectum, & perfectum. Reſpondet* Socinus ad hoc in ſuis prælectionibus: Diſtinguendum inter perfectionem *naturalem*, & *voluntariam*; & inquit, *intelligendum hoc de perfectione naturali. Iuſtitia autem non eſt perfectio naturalis, ſed voluntaria. Reſp.* 1. Inepte Socinus voluntariam naturali contradiſtinguit. Nam utut hæc aliquando ita opponantur, ita ut in idem cadere non poſſunt, tamen hoc ſemper non ſit. Ecce Deum, in quo eſt juſtitia naturalis, interim tamen ipſi voluntaria. 2. Diſtinguo ſtatum. Non eſt naturalis quidem juſtitia homini in ſtatu lapſus, ſed erat naturalis in ſtatu integritatis; quod in Chriſto Servatore videre eſt, qui ab ipſa nativitate fuit Sanctus, *Luc.* 1. 38. 3. Libet quærere ex Socino & ſociis ejus: Si non eſt naturalis, ſed voluntaria, hæc juſtitia, ecquid exiſtiment de injuſtitia; an etiam illa non ſit naturalis? Si dixerint, ita (cogentur autem dicere, etſi nolint; Nam Scriptura nobis depingit hominem, ut qui non poſſit bonum, & tantummodo operetur malum, *Gen.* 8. 1 *Cor.* 2.); tum videbunt quemadmodum naturalis eſſe poteſt injuſtitia, & tamen voluntaria, ita etiam juſtitiam poſſe eſſe naturalem & voluntariam; & ſic membra hæc naturalis & voluntariæ juſtitiæ non ſibi eſſe contradiſtinguenda, ſed ſubordinanda. 4. Diſtinguimus juſtitiam in facultates, & actiones ex facultate fluentes; quarum prior poteſt vocari juſtitia facultatis; poſterior, actualis. Hæc prior non eſt voluntaria in homine, quia erat connata homini (quemadmodum loquendi facultas non eſt voluntaria, quia connaſcitur homini, ſed actus ipſe loquendi eſt voluntarius). Ergo poſterior juſtitia, nempe actualis, eſt voluntaria.

Probata noſtra ſententia, jam reſpondendum eſt ad argumenta, quæ Socinus adfert contra eam, in Prælectionibus ſuis Theologicis, cap. 5.

Argumentum ipſius primum hoc eſt. Vel juſtitiæ originalis nomine intelligunt eam conditionem, ut non poſſet peccare; vel, ipſum non peccare, antequam peccaſſet. Non prius; Quia Adam peccare potuit, ut ex eventu patet. Non poſterius; Quia nemo peccat, antequam peccat. *Reſp.* Totus inſulſus eſt Adverſarius in hoc ſuo dilemmate. Nam, 1, eſt inſufficiens enumeratio partium. Quia datur inter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ter conditionem non poſſe peccare, & inter peccare poſitivum, medium, quale hic non intelligit Adverſarius, & quale intelligere debet; videlicet, medium, quod eſt, facultate præditum eſſe ad non peccandum, ſive ad implendum legem Dei. 2. Videat Socinus, an hoc argumentum ejus quadrare poſſit in hominem regenitum. Nam homo regenitus, eſt juſtus juſtitia inhærente, vel ob conditionem hanc, quod non poſſit peccare, vel, quia non peccat, antequam peccet. Hinc videbit ipſe inſufficientem enumerationem. Nam vel propterea, quia habitum juſtitiæ habet, inde juſtus dicitur, juſtitia inhærente. Hoc hic monitos velim Theologiæ ſtudioſos, quod juſtitia, quæ nobis jam crebris actionibus acquirenda, in ſtatu integritatis fuerit facultas: & ideo utimur facultatis vocabulo, cum de homine integro loquimur. 5. Puerilis Sophiſta eſt, dum ludit in vocabulo *peccare*. Nam quis ignorat, *non peccare* dupliciter accipi? *Negative*, ſcilicet ut in illo vulgari: *qui dormit, non peccat*; & *Poſitive*, 1 Joan. 3. 6, *Quiſquis in eo manet, non peccat*, id eſt, legem implet. Quod ſi dicat, ridiculum eſſe, ſtatuere, poſitive non peccare eſſe juſtitiam actualem, ipſe ridiculus eſt, ut qui contrarietur ipſi Verbo Dei manifeſto, 1 *Ioan.* 3. 6, 9.

2 *Argumentum* Socini eſt: Si propterea juſtus cenſendus fuiſſet in ſtatu integritatis, quia ante peccatum, quod commiſit in fructu vetito edendo, nullum aliud commiſit; Ergo juſtitia originalis non fuit, ſed actualis. At verum prius. Ergo & poſterius. *Reſp.* 1. Socinum ipſum jam fateri noſtram diſtinctionem, *non peccare*, poſſe vel negative, vel poſitive, intelligi, cum inquit, nullum commiſiſſe delictum, eſſe juſtitiam actualem. Atqui antea, *τὸ non peccare*, negative accipi volebat. 2. Si actualis juſtitia fuit; Ergo præſupponebat facultatem. Nam omnis actus facultatem præſupponit, omniſque actus fluit ex facultate proportionata, ac propterea actus oſtendit facultatem. Etiam hoc oſtendit, facultatem juſtitiæ fuiſſe in primo homine in ſtatu integritatis, videlicet, quod Diabolus, quem hoc non latebat, viderit difficultatem in illo ſeducendo, ut qui per fraudes eum aggreſſus eſt aſtutiſſimas.

3 *Argumentum*, ſeu potius proſyllogiſmus argumentorum priorum, quo conatur probare, Adamum, ante commiſſum delictum, non poſſe dici non peccaſſe, ſcilicet poſitive, hic eſt: Aut ideo non peccavit ante delictum primum, quia nullum mandatum, ſibi traditum, eſt tranſgreſſus; aut quia nihil adverſus propriam conſcientiam commiſit. At non propterea, quod nihil adverſus propriam conſcientiam commiſerit; quia hoc ipſi Adverſarii non approbabunt, quod fecerit ante delictum illud primum quicquam contra conſcientiam. Non etiam propterea, quod nullum mandatum, ſibi traditum, ſit trangreſſus. Nam aut nullum aliud habuit mandatum Dei, aut habuit: Si nullum habuit, etiam nullum tranſgredi potuit; Si habuit aliquod, dicant, quodnam fuerit, idque ab ipſo obſervatum eſſe doceant. *Reſp.* Quot verba, tot errores in hac ratiocinatione. Nam 1, dicit, ante peccatum Adamum aliquid commiſiſſe contra conſcientiam propriam, & ſic dicit, ante peccatum primum fuiſſe peccatum; quæ eſt cruda contradictio. Nam ſi fuit ante peccatum hoc primum, aliud, quomodo hoc primum dici poterit? Sed forte dicet, agere contra conſcientiam non eſſe peccatum. *Reſp.* Falſum hoc eſſe. Nam ſi fluctuante conſcientia aliquid facere peccatum eſt, *Rom.* 14. 23; Quomodo agere contra conſcientiam non erit peccatum? Quod ad ſecundum membrum attinet, *reſp.* Non fuiſſe tantum neceſſe, ut aliquod mandatum non tranſgrederetur, ſi juſtus eſſe debuiſſet, ſed ut hoc ipſum præſtaret. Nam poteſt non tranſgredi legem negative, & tamen non eſſe juſtus; cum, ſi juſtus eſſe debet, non debet tranſgredi legem privative, hoc eſt, præſtare debet, cum conditio legis præſtanda eſt; ut antea probavimus: & ſic, quia illud non fuiſſet tranſgreſſus, & juſtitia actuali juſtus, & juſtitia qualitativa (ſcilicet facultatis) juſtus fuiſſet, quia actus à facultate. 3. Ineptus eſt, quod neget, alia præcepta Adamum habuiſſe præter hoc, de non comedendo fructu vetito. At, inquies, non poteſt hoc probari. *Reſp.* Ita eſt, quoad literam,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ram, ſed probari poteſt per conſequentiam firmiſſimam; vide hac de re, *Eph.* 4. 23. *Col.* 3. 10. Accedit ad hoc, quod præter temperantiam, etiam aliæ virtutes erant futuræ in ſtatu integritatis, ut caritas, quæ nec in futura vita ceſſabit, 1 *Cor.* 13. At ſi virtutes erant præter temperantiam, etiam mandata erant.

4 *Argumentum* Socini. Sunt, inquit, aliqui qui primi hominis juſtitiam in eo fuiſſe aſſerunt, quod ratio appetitui ac ſenſibus dominaretur, nec ullum inter ipſos diſſidium eſſet. Verum, inquit, falſum eſt hoc. Namque fuit in Adamo in ſtatu integritatis diſſidium, nec bene rationi & appetitui conveniebat inter ſe. *Reſp.* Abſurdus eſt adverſarius. Nam ſi res ita ſe habuit; Ergo fuit in Adamo peccatum, antequam peccaſſet. Aut enim ratio male adverſabatur appetitui, & ita erat in ratione peccatum; aut appetitus male adverſabatur rationi, & ſic in appetitu erat peccatum. quo ſe vertat Adverſarius, non effugiet vim argumenti. 2. Iſta pugna rationis & appetitus aut per ſe fuit, aut per accidens. Si per ſe, tum talis à Deo condita & ratio & appetitus. At quis credit hoc, cui notum illud, *& erant omnia valde bona?* Præterea, ſi per ſe, Deus eſt auctor peccati. Nam diſſidium hoc per ſe ſequutum eſt peccatum. Quod autem eſt cauſa cauſæ, eſt etiam cauſa cauſati, per ſe ſcilicet dependentis. Si per accidens hæc ita comparata erant; Ergo fuit in ipſis peccatum, antequam eſſet peccatum; quod abſurdum. Sed notandum hic venit, Socinum ſtatuere, cupiditatem & proclivitatem peccandi à Deo eſſe, nec eſſe ipſum peccatum. Vide vero diſputationem noſtram ea de re, ad caput 7 ad *Rom.*

IV. *Tertium, in quo imago conſiſtit, eſt, dominium ſuper omnes res inferiores, ſex illis diebus à Deo creatas.*

Patet hoc, *Gen.* 1. 26. Notandum autem eſt contra Socinum, hominem iſto dominio non potuiſſe recte uti, niſi ſanctitate & juſtitia præditus fuiſſet; præſupponit ergo hic dominatus juſtitiam & ſanctitatem: ac proinde ſi homo ſic factus fuit, propter hoc fuit factus ſanctus & juſtus, quod tamen negat Socinus. Nos probamus; Quia in ſtatu lapſus nemo uti poſſet hoc dominio niſi fide præditus; Ergo in ſtatu integritatis nemo potuit uti dominio iſto, niſi juſtitia & ſanctitate præditus. Ratio conſequentiæ: Quia ſanctitatis iſtius pars eſt fides, cum fides ſit pars regenerationis noſtræ; regeneratione vero in ſtatum, de quo cecidimus, reſtituamur.

V. *Iuſtitia & ſanctitas in ſtatu integritatis fuit homini naturalis.*

Controverſia nobis gravis eſt cum Pontificiis, & Socinianis, de hoc canone; Sociniani negant omnino, fuiſſe talem juſtitiam in primo homine. Pontificii vero affirmant, ſed dicunt, fuiſſe donum ſpirituale. Nos, ubi probaverimus fuiſſe iſtas dotes naturales, utriſque ſat reſpondebimus. Fuiſſe autem naturales has dotes primævo homini, hæc evincunt.

1. Quia Spiritus Sanctus, agens de debito, quod debemus Deo, utitur iſtis, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, anima,* &c. Ubi naturam noſtram innuit. Namque & cor, & anima, & vires, nobis naturalia ſunt; innuit autem Spiritus Sanctus per hæc, non quid poſſimus, ſed quid debeamus, aut poteramus. *Obj.* Hoc ita dicitur ex corde *noſtro*, quemadmodum in oratione Dominica, *panem noſtrum,* non quod à nobis proveniat, ſed quod à Deo proveniat, & cedat in uſum noſtrum. *Reſp.* Longe iſta diverſa eſſe. Nam cor, anima, vires, ſunt de natura & eſſentia noſtra; At panis non eſt, cum ſit externum quid.

2. Probatur veritas canonis à reliquiis iſtarum. Nam reliquiæ in natura corrupta, natura nobis inſunt, *Rom.* 2. 14. Ergo dotes, quarum hæ ſunt reliquiæ, etiam nobis fuiſſent in ſtatu integro naturales.

3. Ex eo, quod dicamur renovari ad imaginem primi hominis, qui ſecundum Deum conditus erat. At hæc renovatio, naturæ corruptæ reſtauratio eſt, hoc namque vocabulum ipſum *renovationis* infert. Si res ergo ita habet, naturales nobis hæ dotes in ſtatu primævo fuiſſent. Ratio conſequentiæ; Quia reſtauratio naturæ & ejuſdem renovatio, eſt naturæ corruptæ in priſtinum ſtatum renovatio.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Iam videamus, quid Pontificii contra hoc ferant.

Obj. 1. Homo creatus eſt cum donis ſpiritualibus; Ergo hæ dotes erant ſupernaturales. *Reſp.* Nullam eſſe conſequentiam. Nam poterat cum donis ſpiritualibus creari, & interim hæc dona non fuiſſe dona ſupernaturalia. 2. Notandum, Theologos quoſdam noſtros, præſertim Pareum, in tract. ſuo contra Bellarm. tom. 4, ſatis incaute negare, hominem creatum cum donis ſupernaturalibus, & quidem tum *ſpecifice*, tum *communiter*. *Specifice*, quo ad ſexum viri, ut quod noverit naturas rerum, à nullo edoctus; item, quod noverit, Evam fuiſſe ex oſſibus ſuis, cum tamen, tempore quo illa fierent, ſopore vehementi oppreſſus eſſet. *Communiter*, quod nunquam morituri fuiſſent: de quo alibi.

Obj. 2. Bona iſta non ſunt naturalia in ſtatu corruptionis. Ergo etiam non fuerunt in ſtatu integritatis. *Reſp.* Conſequentiam non procedere à ſtatu lapſus, ad ſtatum integritatis. Nam ecce enſtaſin: In ſtatu lapſus homo neceſſario via ordinaria moritur, *Hebr.* 9. At in ſtatu integritatis non fuiſſet moriturus, ſi in integritate perſtitiſſet.

Quid utrique, tum Pontificii, tum Sociniani, de homine primævo ſtatuant, videndum eſt.

Pontificii quidem ſtatuunt, hominem fuiſſe indifferentem, quem illi vocant hominem in puris naturalibus, id eſt, nec extitiſſe bonum nec malum, ſed talis qui poterat eſſe bonus, vel malus, prout ſcilicet voluntas ejus ſe inclinatura erat huc vel illuc. Hinc negant juſtitiam originalem: Sed 1, Repugnat ipſis illud; *& erant omnia valde bona*. 2. Quod Spiritus Sanctus non tantum reprehendat hoc, quod in homine ſint pravæ qualitates, ſed etiam quod bonis qualitatibus careat. Qualitates ergo bonas habere debet, & qui non habet, hoc ipſo peccator eſt; Atqui Deus hominem peccatorem non fecit. Quod autem Spiritus Sanctus reprehendat, eo quod bonis qualitatibus careant, videre eſt, *Apoc.* 3. 17, 18: *Quia*, inquit, *nudus es*, &c.

Sociniani ulterius progrediuntur, & non ſatis ipſis eſt, ſtatuere hominem indifferentem, ſed inſuper docent, fragilitatem humanam eſſe ex ipſa creatione primæva, quæ ipſius Dei eſt. vide Epiſt. Socin. pag. 665. Ubi docet, hominem à Deo creatum labilem, ſive lapſui obnoxium. At hoc manifeſte eſt ſtatuere, Deum condidiſſe hominem peccatorem. Nam peccato eſſe obnoxium eſt eſſe, peccatorem, *Rom.* 8. 3.

Pontificiis, qui ſtatuunt, ſupernaturales iſtas fuiſſe dotes, ſi dicas; Ergo natura non eſt corrupta, dum illæ ablatæ. *Reſpondent:* Supernaturalia ablata, naturalia læſa. Atqui contrarium docet Spiritus Sanctus, ut ex argumentis noſtris, quæ in hanc rem attulimus, patet. Hinc totum hoc incommodum, & carentiam ſcilicet juſtitiæ, & pravitatem naturæ, naturæ corruptione indigitat Spiritus Sanctus, *Eph.* 2: *Naturâ filii iræ.*

CAP. V.

De adjunctis hominis in ſtatu integritatis conſiderati.

Vidimus hominem quoad accidentia; veniendum jam eſt ad adjuncta; De quibus hi Canones.

I. *Sociniani ſi quærantur de Paradiſo, ſique reſponſa ipſorum cum hypotheſibus eorundem conferas, plane repugnantes ſibi eos reperies.*

Ignoratur quid ſtatuant aperte, interim ſi conferantur inter ſe eorum hypotheſes, oportet iſtorum aliquid ſtatuant. Vel, 1. *Quod homines perpetuo in Paradiſo eſſent ſupervicturi.* At abſurdum hoc. Nam oportuiſſet homines perpetuo & in æternum propagari: hoc namque volunt Sociniani, ut habuimus de immortalitate primi hominis. Quia, quod vitam hanc vivit, generat. At qua ratione Paradiſus capax fuiſſet tot hominum, cum nec terra ipſorum capax fuiſſet? Vel 2. Ut ſtatuant, *victuros*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

fuiſſe, ſi non peccaſſent, in Paradiſo, & ſe invicem propagaturos, ſed Paradiſum dilatandum fuiſſe cum tempore, ut ſemper multitudinem hominum capacitate ſua adæquaret. At hoc ex Scriptura non habetur. Vel 3. Ut ſtatuant, *homines fuiſſe poſt certum tempus in cœlum transferendos.* Et ita ex ipſorum ſententia oportuiſſet nos mori; atque ita moriendi neceſſitas non fuiſſet propter peccatum, cum tamen Socinus ſtatuat, non ipſam mortem temporariam; ſed moriendi neceſſitatem, ex peccato eſſe. Quod autem oportuiſſet illos ita ſtatuere, hinc patet, quia dicunt; caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt, hoc eſt, homo, qui habet carnem & ſanguinem, vel qui eſt carneus & ſanguineus, ex carne & ſanguine conſtans, non poteſt ingredi in regnum cælorum. Vel 4, quo videntur inclinare, oportet ſtatuant, *poſt certum tempus morituros fuiſſe, eadem ratione, qua impii moriuntur*, id eſt, ut pecudes, nunquam reſurrecturi. At hæc ſententia pugnat cum decreto electionis & reprobationis. vide Matth. 25, *Venite benedicti, abite maledicti.* Ita ergo, ſi conferantur ipſorum hypotheſes cum Paradiſo, & ejus inhabitatione per hominem, res hæc ipſis erit difficilis explicatu.

II. *Sociniani de arbore boni & mali, itemque de arbore vitæ ita ſtatuunt, ut non judicent, iſta fuiſſe Sacramenta eorum, quæ de ipſis dicuntur, ſed fuiſſe cauſas phyſicas hæc ipſa producentes.*

Quid de arbore boni & mali aperte ſentiant, non reperio; interim judicium facio ex altero, de arbore nempe vitæ, quam illi putant, non fuiſſe Sacramentum vitæ, ſed habuiſſe vim propagandi vitam, non quidem in æternum, ſed ad longum tempus. Vide Socinum in refutat. Puccii, pag. 121. uſque ad 130. Ubi primum notandum, Socinum ſtatuere, hominem fuiſſe moriturum in ſtatu integritatis. Atqui jam ſibi repugnat, ut qui dicit, neceſſitatem moriendi ex peccato, non ipſam mortem. Deinde falſa eſt iſta opinio, quod iſtæ arbores eſſent futuræ cauſæ phyſicæ, una quidem ſcientiæ boni & mali, altera vitæ. Sic enim arbor cauſa phyſica fuiſſet, cur homo imagine Dei privaretur, & pravitate naturæ in iſtius locum ſuccedente, puniretur. At hoc plane eſt impoſſibile. Nam ut externa, & corpora, non agunt in animam, nec poſſunt, ita in ea nihil efficere valent. Quod ad poſterius attinet, illud probabimus, 1. Quia arbor vitæ ipſa erat corruptibilis, ut pote cum de fructu illius homo acciperet, & illud quod accepiſſet, oportuiſſet corrumpi, & tranſire in naturam hominis comedentis. At ſi ipſe fructus corruptibilis, quomodo hominem incorruptibilem efficere potuit? Nam quod quis non habet, alteri dare non poteſt. Fuit ergo utraque arbor Sacramentum.

CAP. VI.

De peccato originali.

ULtimo nobis videnda ſunt conſequentia; quæ ſunt, vel peccatum, vel quod peccatum ſequitur, ſcilicet pœna.

Eſt autem peccatum vel originale, vel actuale.

Originale eſt vel imputatum, vel inhærens.

Canones de peccato originali imputato ſunt hi:

I. *Quod Adamo erat actuale peccatum, illud in nobis eſt originale imputatum.*

Sciendum eſt, Adamum non unum illud peccatum tantum, quod in Paradiſo commiſit, commiſiſſe; ſed quia vixit in terra diutiſſime, poſthac multa ab ipſo commiſſa, quæ nobis tamen non ſunt imputata. Nam hoc unum nobis imputatum eſt. Cæterum quæritur: *Quæ cauſa fuerit Adamo peccati iſtius?* Socinianorum ſententia hic ridicula eſt. Nam illi, ut putant pœnam, quæ inflicta ſerpenti, tantummodo proprie dicto inflictam eſſe; ita oportet ſtatuant, ſerpentem proprie dictum ſolum fuiſſe, qui primos parentes induxerit, ut de fructu vetito comederent. Ut res clarior evadat, ſententiam ipſorum proponemus. Ita Sommerus quidam (qui ſe Doctorem Claudio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

diopolitanum ſcribit, contra Carolum, id quod approbat Smalcius contra Francium), inquit: *Non eſt hic promiſſio, ſed comminatio: non agitur hic de Diabolo, ſed de ſerpente, quod nempe inter ipſum & homines eſſet ſecuturum; quos nomine ſeminis intelligit.* Cauſa autem, quod ita ſtatuant, eſt, quod nolint concedere, Chriſtum eſſe iſtud ſemen; & quod porro nolint concedere, fide in ipſum veteres eſſe juſtificatos.

Jam nobis refellenda ſunt iſta, quæ Adverſarii hic docent. Et primo quidem, eſſe hic etiam promiſſionem, & non tantum comminationem, hinc patet, quod promittat ſemen, quod vindictam eſſet ſumpturum de ſerpente, per quem primi homines fuerant decepti. Atqui vindicta de ſerpente, qui deceperat parentes, non eſt comminatio ratione parentum, ſed promiſſio; Quia dubium non eſt, primos parentes, ob lapſum, per ſerpentem procuratum, maxime ſerpenti iſti fuiſſe infenſos; unde etiam Eva ipſum accuſat, ac proinde etiam vindictam non potuit non expetere, quæ hic etiam promittitur. Illud autem ridiculum eſt, quod adferunt, de inimicitiis inter ſerpentem proprie dictum, & ſemen mulieris, hic agi. Nam ex antecedentibus clariſſimum eſt, hic non intelligi ſerpentem proprie dictum, ſed Satanam: is namque primario hic intelligitur, qui induxit hominem ad peccandum: Atqui hominem induxit potiſſimum Satan. Nam Satan ſolus noverat ſtatum & conditionem hominis primævi, quæ ſerpenti, ut beſtiæ brutæ, non potuit non eſſe ignota. Præterea, Diabolus ſolus loquebatur; non enim eſt ſerpentis loqui. Deinde ſolus Diabolus diſcurſus faciebat. Ergo potiſſimum hic agitur de Satana. Et, cum non dimiſſus eſt Adam impune, qui per Evam deceptus; non dimiſſa mulier, quæ per ſerpentem decepta; non dimiſſus inſuper ſerpens proprie dictus, quo tanquam inſtrumento Diabolus eſt uſus; quomodo, quæſo, dimitti debebat impune, qui erat auctor omnium iſtorum malorum? Unde jam intelligitur, per vocem *ſeminis* non quemvis primario intelligi hominem, ſed hominem qui victor eſſe potuit Satanæ. At hic ſolus eſt Chriſtus.

Deinde de tali homine hic agitur, qui eſſet ſemen mulieris, non autem ſemen viri. Nam nulla ratio eſſet, cur non diceretur ſemen viri, ſi ex viro & fœmina proditurus fuiſſet. At vero ſemen mulieris non eſt niſi Chriſtus, *Eſai.* 7. 14. Hic nonnullæ difficultates diluendæ.

1. *Quomodo Deus proprie dictum ſerpentem juſte punire potuerit, cum ſerpens iſte obſeſſus à Satana fuerit?* 2. *Quomodo Calvinus non graviter erraverit, in quo etiam accuſatur potiſſimum à Lutheranis, quod per iſtud ſemen, non ſolum Chriſtum, ſed & omnes fideles intelligi debere ſtatuat?* Quod ad *primum* attinet, ſciendum, Deum etiam animadvertere in brutas beſtias, quibus homo utitur ad peccandum: vide *Levit.* 20. 15: quidni potuit plectere juſte ſerpentem, quo Diabolus abuſus fuerat ad peccandum? Quod ad *ſecundum* attinet, ſciendum eſt, Calvinum diſtinguendo hoc dicere: *Primario* in Chriſtum quadrat hoc: *Secundario* in nos, victores in Chriſto, *Rom.* 8. 37. At vero loco iſti, quod pace Calvini dictum ſit, non poteſt accommodari. Ratio eſt, quia, ſi per ſemen mulieris ſecundario intelliguntur homines ex muliere nati; tum Adam non pertinebit ad hoc ipſum, neque poterit de ipſo hoc dici, quod contereret caput ſerpentis; ſed nec ad Evam pertinebit; non erunt ergo pro fidelibus habendi. At falſum hoc. Nam promiſſio iſta, quæ Adamo & Evæ facta eſt, immediate ad illos pertinebat, mediate ad hos qui ex ipſis propagandi fuerant. Quod vero dixi, Adæ peccatum nobis imputatum, clariſſime id ex Scriptura liquet, *Rom.* 5. *v.* 12, 16, 17, 18. Infinita alia proferri poſſunt, quæ jam non attingam.

Objectio ſaltem hic nobis diluenda, qua potiſſimum Adverſarii in hac materia utuntur, ex Ezech. 18. 20, *Anima quæ peccavit, ipſa morietur.* Ergo, inquiunt, non poteſt peccatum alterius imputari alteri, ſine veracitatis divinæ imminutione. *Reſp.* 1. negando, hoc argumentum eſſe univerſale. Ecce enſtaſis ex Verbo Dei, *Ioſua* 7. Ubi peccatum unius Achanis imputatur primo filiis ejus, deinde toti Iſraëli, & propter hoc ipſum totus Iſraël punitur. Peccatum unius Davidis toti Iſraëli imputatur, & propter id plectitur totus Iſraël,

2 *Sam*. 24. Exceptiones quædam hic veniunt ſolvendæ, quæ partem hanc reſponſionis noſtræ videntur labefactare, quæ à noſtris etiam afferuntur.

Prima ergo eſt: Quod imputat quidem Deus unius peccatum alteri, ſed ita, ſi ſit affinis culpæ, ſive, ut *Ezech*.18, dicitur, ſi ſequutus fuerit peccatum parentum. 2. *Inquiunt*, puniuntur aliqui propter peccata alicujus, non ut cauſam, ſed ut occaſionem; verbi gratia, Occaſio erat, quare Deus animadverteret in peccata Iſraëlitarum, quæ ipſi commiſerant in propria perſona quilibet. Occaſio, inquiunt, erat peccatum Achanis, Davidis, non cauſa. 3. Concedunt tamen aliqui, imputari peccatum alterius alteri, ſed non ad mortem æternam, verum ad mortem temporariam, & calamitates.

Quod ad *primam* attinet, illa ſtare non poteſt, quia alicui peccata alterius imputantur, qui illa nullo modo ſequutus eſt, aut ſequi potuit; verbi gratia, Chriſto imputata ſunt peccata noſtra, *Eſaï*. 53. Neque tamen Chriſtus illa ſequutus. Abimelechi peccatum, de quo *Gen*. 20, imputavit Deus uxoribus & ancillis ejus, interim illæ in raptum Saræ non conſenſerunt. 2 *Exceptio* nullius eſt momenti. Nam, ſi propter peccatum Achanis, Davidis, punitus eſt Iſraël; Ergo non ex occaſione peccati Achanis, Davidis. Nam particula *propter*, nullo modo notat occaſionem, ſed notat hoc loco meritoriam & impulſivam cauſam. Deinde, ſi ex occaſione peccatorum iſtorum punirentur Iſraëlitæ, & non propter iſta peccata, tum ſequeretur, expiatis iſtis per mortem Achanis & Davidis, nihilominus tamen permanſuram fuiſſe iram Dei adverſus peccata Iſraëlitarum, donec illa fuiſſent. At ſtatim ac peccatum punitum in perſona Achanis, item in filiis Saülis, de quibus 2 *Sam*. 21, plaga divinitus inflicta quievit. Imo clariſſime hoc ipſum refutat Spiritus Sanctus, 2 *Sam*.24. 22, *Ego ſum qui peccavi*, &c.

Quoad *tertiam* exceptionem, *reſp*. Quod peccato Adæ rei ſimus mortis, & quidem ejus, quam Deus minitatus eſt Adæ. Atqui illa, ex ſententia noſtrorum Theologorum, eſt quadruplex: Mors *ſpiritualis*, quæ eſt peccatum originis inhærens; mors *corporalis*; mors *calamitatum*; mors *æterna*. Ergo ſumus ob imputatum peccatum etiam rei facti mortis æternæ. Adde, quod omne peccatum execrabilem reddat hominem, *Deut*. 27. *Gal*. 3. Execrabiles autem & maledicti rei ſunt mortis æternæ, *Matt*. 25.

Obj. Loquitur Spiritus Sanctus de peccato inhærente, vel de peccato, quod à nobis committitur, actuali, non autem de peccato imputato. *Reſp*. Vanum eſt hoc. Nam etiam ad peccatum imputatum applicat hoc Spiritus Sanctus, *Gal*. 3. Et ita reſponſionis noſtræ partem vindicavimus contra exceptiones.

Reſp. 2. Deum promiſiſſe Iſraëlitis, tum temporis ſe nolle unum punire pro altero. At non promiſit, ſe hoc unquam facturum etiam extra tempus hoc & caſum hunc. Quemadmodum Abrahamo promiſerat, ſe non perditurum fuiſſe Sodomam, ſi decem fuiſſent inventi juſti. Hæc promiſſio ſerviebat Sodomeis pro illo tempore. At ſi quis inferre vellet, Deum promiſiſſe, ſe parciturum rebuspublicis ac regnis omnibus, in quibus decem juſti reperirentur, ille profecto ineptiret, & ipſi experientiæ contradiceret. Nam cum regnum Judæ à Nabuchodonozore devaſtaretur, & Iſraëlitæ in captivitatem abducerentur, ibi profecto plures, quam decem, Deum timentes fuerunt, ut, Jeremias, Baruch, Daniel, tres ſocii Danielis, & alii multi. Quemadmodum ergo hic ſe res habet, ita & in loco Ezechielis; ut inepti ſint, qui ex hoc loco regulam conſtituere velint.

II. *Quare Deus hoc peccatum imputet, quæri ſolet; item quando & quo tempore?*

Quod ad prius attinet, cauſa nulla datur, quam beneplacitum Dei. Quod ad ſecundum, de eo variæ ſententiæ inter Theologos, de quo videri poteſt Scharpius. Nos noſtram dicemus.

1. Imputare, eſſe actum moralem, id eſt, cenſeri pro eo ab aliquo, ac ſi feciſſet hoc vel illud. 2. Actum iſtum fieri poſſe, nondum exiſtente objecto, vel potius ſubjecto, cui quid impu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

imputari poſſit, & habere rationem ad hoc ſubjectum futurum; ſive, poſſe peccatum alicui nondum exiſtenti imputari, ſed certò futuro. Ita verbi gratia, Chriſto Servatori imputata peccata noſtra, qua homini, & imputata ſimul ac promiſſus in mediatorem; quare ex eo liberi erant à morte æterna, qui ante natum Chriſtum vivebant fideles. His ita ſe habentibus, jam reſpondemus ad quæſtionem. Imputata peccata omnibus, qui ex Adamo propagandi erant, ſimul ac Adam peccavit. Nam, quod Scharpius putat imputari, cum homo incipiet eſſe homo, illud refellitur ex eo, quod materia, ex qua homo naſci debet, jam peccato inhærenti ſit inquinata. Hinc dicitur Spiritus Sanctus ſanctificaſſe maſſam, ex qua Chriſtus naſciturus erat: quod deducitur ex *Luc.* 1. 35. jam autem peccatum inhærens poſterius eſt imputato.

III. *Peccatum originale inhærens oritur ex peccato imputato, & peccatum imputatum eſt ipſius cauſa meritoria.*

Diſtinctio iſta bene tenenda fuerit ſtudioſis Theologiæ, peccati ſcilicet originalis, in *imputatum*, & *inhærens*; qua neglecta nil poſſumus diſtincte agere adverſus Adverſarios in hac materia. Mirum tamen eſt, quod negligatur à Theologis. Nam ex antiquis, præter Zwinglium, & ex Neotericis, præter Keckermannum, &, qui ex hoc deſcripſit, Scharpium, nullos, qui de hac agunt, habemus; cum tamen veriſſima ſit diſtinctio.

Dictum eſt in canone: *Originale inhærens proficiſci ex imputato, tanquam cauſa meritoria.* Hoc patet ex eo, quia inhærens eſt mors. Mors autem ſpiritualis, ut & omnis mors ex peccato. Hinc, cum Spiritus Sanctus, indefinite mortis nomine utitur, niſi ex circumſtantia textus reſtrictum fuerit, omnes ſpecies mortis intelligendæ ſunt.

IV. *Hinc jam eluceſcit, quod pœna eſt, etiam poſſe eſſe peccatum.*

Patet hoc in peccato originis inhærente, quod & pœna eſt, & peccatum. Arminiani cum Socinianis hic ſe conjungunt. At Arminiani quidem negant peccatum originale inhærens cum Socinianis, peccatum autem imputatum concedunt. Arminiani quidem negant, eſſe peccatum, ſed pœnam tantummodo. Ineptiæ utrinque. Quod ad 1; Non jam probabimus ſententiam noſtram. Nam hoc facturi ſumus in ſequente canone. Reſpondebimus jam ad argumenta Arminianorum, quæ contra canonem ferunt, poſt canonem probaturi.

Obj. 1. Si pœna peccati eſt peccatum; Ergo conſequitur neceſſario, proceſſum in infinitum in pœnis & peccatis fore. Nam ſi Deus peccata peccatis punit, tum jam idem peccatum, quo punivit primum, puniet ſecundo, ſecundum tertio, tertium quarto, & ſic in infinitum. *Reſp.* Obtineret hoc argumentum, ſi à Noſtris ſtatueretur, omne peccatum à Deo peccato puniri, ſed non ſtatuitur hoc. Nam docemus, ex Verbo Dei, Deum punire aliquando peccata peccatis, aliquando non. Hinc diſtinctio ea apud Theologos pœnarum divinarum, quod aliæ ſint ita, ut ſint tantummodo pœnæ, aliæ vero ita pœnæ, ut præter pœnas etiam ſint peccata. Prioris generis eſt mors temporaria: Poſterioris generis ſunt iſtæ, de quibus poſt acturi ſumus.

Obj. 2. Si Deus peccata peccatis punit. Ergo erit auctor peccati, Ratio conſequentiæ hæc videtur dari poſſe, quod oporteat prius ſit peccatum, antequam ſit pœna; Quia pœna relativum quid eſt; peccatum, abſolutum. Nam eſt vel in qualitate, vel in actione. Ita, verbi gratia, peccatum originale inhærens, quod peccatum non ab homine eſt, quia ipſe ſibi adimere non potuit imaginem Dei, utut potuerit mereri, ut ſibi adimeretur: neque efficere, ut pravitate naturæ liberaretur; nam hæc mortis ſpiritus eſt pars: ille autem, utut mereri potuit, ut morte æterna plecteretur, mortem tamen ſibi ipſi non intulit. *Reſp.* Falſum hoc univerſaliter eſſe, quod pœna, dum dicitur Deus peccata peccatis punire, ſemper ſit culpâ poſterior: ſive quod in eo, dum Deus dicitur peccata peccatis punire, quod peccatum eſt & pœna, prius peccatum ſit & poſt pœna. Idque ratione oſtendimus. Nam in originali peccato inhærente prius adimebatur imago Dei in homine, quam homo imagine Dei carebat. Nam ex-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ex eo, quia adempta erat, carebat illa. Atqui quatenus carebat, & habere debebat, peccatum eſt. Item in parte iſta poſteriore prius erat infligere pravitatem naturæ, quam pravitate naturæ laborare: illud erat pœna, hoc peccatum.

Obj. 3. Si carere juſtitia erat peccatum; ſi laborare pravitate naturæ erat peccatum; Ergo hoc utrumque efficere, erat etiam peccatum; & ita Deus auctor peccati. *Reſp.* Nequaquam hoc ſequitur. Nam, 1, Deus efficit, ſubtrahendo gratiam ab ipſa natura: ſubtracta autem gratia res in nihilum abit; & hoc factum eſt in privatione imaginis divinæ. 2. Efficit, ſubtrahendo vim ſuam conſervantem, non à natura, ſed à qualitatibus naturæ. Verbi gratia, iſtis quæ ad bonum ferri debebant, ſubtrahit gratiam; non ut qualitates non ſint, ſed in eo, ne bene ſint. Nam ne pravitas quidem naturæ noſtræ, quæ videtur poſitivum eſſe aliquid, eſt aliquid poſitivum; defectus enim eſt. Ita ergo in peccato originali inhærente non egit niſi ſubtrahendo; ſubtraxit autem juſte, quia merito ſubtraxit, propter peccatum Adæ imputatum. Sed nondum difficultas videtur expedita; Nam iſta videntur adhuc poſſe objici:

1. Quod pœna relativum ſit, & debeat fundari in abſoluto, peccato nempe.

2. Quod Deus, non ſolum ſubtrahendo, ejus auctor videtur eſſe, quod peccatum eſt, dum peccata peccatis punit. Iſta enim nonne quid poſitivum inferunt? 1 *Reg.* 11. *v.* 23. Item, 2 *Sam.* 12. Et quam-plurima talia occurrunt in Sacris Literis.

Reſp. ad primum: Pœnam fundari in ſubjecto, cujus eſt pœna: item, fundari etiam in eo, quod eſt peccatum. At hoc non ſemper, ſed in tali peccato, cui accedit eſſe pœna; ut, cum Deus permittit peccatum, ut in pœnam ſit.

Reſp. ad ſecundum; 1. In peccato commiſſionis perinde ſe Deum habere, ac ille, qui claudum equum impellit ad curſum. Nam, niſi equus impelleretur ut curreret, etiam non claudicaret; ita niſi homo peccator moveretur à Deo, moveri & peccare non poſſet. Attamen, quemadmodum ille, qui impellit equum claudicantem ad curſum, claudicationis cauſa non eſt, ſed equus ipſe, etiamſi claudicatio non exiſteret, niſi claudus equus impelleretur ad curſum; Ita & Deus, qui movet hominem peccatorem ad agendum, cauſa ἀταξίας non eſt, quæ in motu iſto eſt, ſed homo peccator; etiamſi alias iſta ἀταξία non exiſteret, niſi homo moveretur à Deo. vide hac de re Bezam diſſerentem in quæſtionibus ſuis. 2. (quæ reſponſio vulgaris eſt), Excitat Deus, & homo excitatur; ſed uterque diverſum finem ſibi propoſitum habet. Ita, verbi gratia, Excitat Deus Jeroboam, ut ſit Adverſarius Roboamo; Jeroboam excitatus, fit Adverſarius; ſed diverſum ſibi habet Deus finem propoſitum in hoc; diverſum, Jeroboam: Deus, ut puniret Roboamum; Jeroboamus, ut regni partem Roboamo eriperet, vid. *Eſaï.* 10. Ubi reſponſio iſta fundatur, *verſ.* 6, 7. Hinc nata eſt regula apud Theologos. *Fines diſcriminant actiones*; & ratio eſt, quia *finis eſt de natura actionum, & vicem formæ ſupplet.*

Quod ad illud attinet, quod diximus, Arminianos negare, Peccatum imputatum, eſſe peccatum, ſed tantummodo pœnam; illud ineptum eſt, & refellitur, *Rom.* 5. 14, 18, 19, & paſſim. Accedit quod, ubi non ſit peccatum, ibi non poſſit eſſe juſta pœna; quia peccatum eſt cauſa meritoria pœnæ. Jam ad probandum canonem veniamus; *Quod*, nempe, *Deus peccata peccatis puniat.* Probamus autem hoc, 1. Ex cæcitate ſpirituali, qua Deus propter peccata punit homines, quæ cæcitas magnum peccatum eſt, nemine negante. Deum autem punire propter peccata talia cæcitate, patet, *Deut.* 28. 28. *Eſaï.* 6. 10. & 22. 10, 11, 12. 2. Probamus hoc ex duritie, ne pareamus bonis; durities hæc peccatum eſt. Atqui tali duritie punit Deus homines, *Deut.* 2. 30, & paſſim. 3. Probamus ex inobedientia adverſus conſilia ſana; hæc peccatum eſt. Atqui hac punit Deus homines. Ergo peccata peccatis punit. Major certa eſt. Minor probatur, 1 *Sam.* 2. 25. Item, 1 *Reg.* 12. *v.* 15. 4. Probamus ex incredulitate; incredulitas peccatum eſt. Atqui Deus punit hac homines, *Rom.* 11. *v.* 8. 2 *Theſſ.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

2 *Theſſ.* 2. 12. Vide hac de re docte diſſerentem Urſinum in Locis Communibus ad finem non perductis.

V. *Datur peccatum originale inhærens; & huic etiam ſubjacent infantes, non tantum nati, ſed etiam concepti.*

Antequam probabimus canonem, præmittemus quæſtionem, qua probata, canon probatu erit facilior. Eſt autem hæc: *Vtrumne tales homines jam naſcantur, quales primitus conditi erant?* In hac opinione ſunt Sociniani. Probabimus autem, quod non naſcamur tales, quales creati ſumus.

1. Quia naſcimur animales, & animales odit Deus; quia animalis non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei, nec poteſt. Atqui Deus non odit niſi peccatores; Ergo peccatores naſcimur. Sed *reſpondent* forte Adverſarii, non naſci nos animales. *Reſp.* Manifeſte contra Spiritus Sanctus, 1 *Cor.* 12. Ubi docet, ſpirituales illos dici, qui Spiritum Dei acceperunt. Atqui Spiritum Dei non accepimus ex natura, ſed ex gratia. 2. Quia naſcimur caro. At caro inimica eſt adverſus Deum, *Rom.* 8. *verſ.* 7. Ac proinde odit. Nam, 1 Cor. 15. 50, *Caro & ſanguis non poſſidebunt regnum Dei.* Quod autem omnes & ſinguli natura caro naſcamur, liquet; Quia Spiritum, per quem eximimur ex numero eorum, qui plane caro ſunt, non habemus natura, ſed gratia, *Rom.* 8. *verſ.* 5. 3. Quia naſcimur vetus creatura, & vetus homo. At talem non condiderat Deus primitus. Nam veterem hominem odit, *Eph.* 4. 22. *Coloſſ.* 3. 9. Quod autem natura naſcamur veteres homines, manifeſte patet, ex 2 *Cor.* 5. 17. Ubi nova creatura dicimur in Chriſto Jeſu. Atqui in Chriſto ſumus non natura, ſed gratia divina. Plura ejuſmodi peti poſſunt; nos viam oſtendimus colligendi talia argumenta. Hinc ex talibus conſectarium illud eſt, Eph. 2. 3, *Natura ſumus filii iræ.* 4. Quia naſcimur in lapſibus mortui. Atqui Deus tales odit, non condidit. Ergo tales primitus non ſumus conditi; quod autem hoc ita ſit, patet, *Eph.* 2. *Col.* 2. *v.* 13. Naſci nos tales natura omnes, patet, quia vivificatio, qua vivificamur, non eſt naturæ, ſed gratiæ. Hinc, *Epheſ.* 2. *verſ.* 5: *Et nos una vivificabit, cujus gratia ſervati eſtis.*

Sed jam ad canonem noſtrum probandum veniamus. Proferemus autem prius argumenta quædam, quæ Socinus affert, daturi poſtea alia, quæ ille omittit.

I ergo Argumentum petimus, ex *Gen.* 6. & 8. Ubi cogitatio cordis humani dicitur mala omni tempore. Item, *figmentum hominis eſſe malum omni die. Reſpondet* ad hoc Socinus, Spiritum Sanctum ibi non loqui de *naturali* concupiſcentia, ſed de *voluntaria.* Nam, ſi de naturali loqueretur, certe, neque ea de cauſa immiſſo diluvio eos puniviſſet tam graviter: neque tanquam rem novam, & inexpectatam, eam Deo quodammodo accidiſſe Scriptura teſtaretur, adeo ut Deum eam ob cauſam indoluiſſe ac pœnituiſſe dicat, quod hominem condidiſſet. Hæc Socinus, ad *Gen. cap.* 6. Nos *reſpondemus:* Quod iſta diſtinctio inepta ſit. Nam propter utramque punivit, & propter concupiſcentiam (ut ille originale peccatum vocat) naturalem, & voluntariam, etſi voluntaria videatur præcipua cauſa fuiſſe. An enim Deus ſolos adultos diluvio punivit? Annon etiam cum illis innumerabiles infantes? Deinde etiam deducitur ex cupiditate naturali cupiditas voluntaria hæc. Nam, ſi cogitatio cordis humani duntaxat ſit mala omni tempore; Ergo oportet facultatem, unde iſta fluat, eſſe depravatam. Nam, ſi facultas corrupta non eſſet, daretur ſaltem aliquis, qui ab hac regula eximeretur; Item, poſſet forte infans aliquis ſub primum initium, quo cogitare incipit, recte cogitare. At nullus ab hac regula excipitur. Sed forte mihi *objicies*, quod tamen Socinus non facit, non poſſe hoc vere dici, quod omnis cogitatio omnium & ſemper mala ſit, cum homines Gentiles etiam aliquando videantur habere bonas cogitationes; ut, cum ſe accuſant aut excuſant, *Rom.* 2. *Reſp.* Tenendam hic iſtam regulam eſſe: *Non nomina, ſed adverbia, faciunt bona opera.* Non enim, ſi *bonum* facias; ſed, ſi *bonum bene* facias. Bene autem ut facias, oportet fidem habeas, quæ non eſt naturæ, ſed gratiæ, *Phil.* 1. 29.

Jam ad Socini rationes reſpondeamus, & utraque ratio etſi nihil jam obtineat, ob reſponſionem à nobis datam, tamen in ſpecie reſpondebimus ad utramque.

Ad 1, qua ſtatuit, *non diceretur Deus homines tam graviter puniviſſe*; *reſp.* eam ineptam eſſe. Annon propter Adæ peccatum imputatum, vel ex Socini ſententia, omnes ejus poſteri dicuntur morti addicti? Nam ita *reſpondit* ad *Rom.* 5, & 6, dum urgemus, ſtipendium peccati mortem eſſe, ibi agi de morte æterna. *Si ergo* morte æterna plectit imputatum Adæ peccatum in poſteris, quomodo mirum videtur Socino, propter hoc idem, accedente inſuper peccato originali inhærente, plexos fuiſſe morte temporaria per diluvium? Numnam prius illud majus poſteriori? Hæc ſecunda ipſius ratio eſt inepta, quod putet, Deo aliquid inexpectatum eveniſſe, eumque pœnituiſſe, quod hominem condidiſſet, & quidem proprie. Nam Deus non mutatur; 1 *Sam.* 15. 29. *Iac.* 1. 17. Ergo nec pœnitebit eum proprie. Nam non eſt homo, ut pœniteat eum. Quod ergo ἀνθρωποπαθῶς, & per Metaphoram, de Deo dicitur, hoc ille inepte putat proprie dici.

Ad 2 locum, *Gen.* 1, hæc excipit; 1. In textu, inquit, non habetur, *figmentum malum eſt*, ſed, *adverti, quod ſit malum.* 2. Non affert Deus cauſam, cur non amplius ſit execraturus terram propter hominem, nec amplius percuſſurus omnem virtutem, ſed dicit, hominis malitiam non amplius tantam vim habituram, ut ille propter hominem terram execraretur, quam malitiam non affirmat jam eſſe non omnino futuram, ſed ſi fieret, non eam vim apud ſe habituram, quam antea habuit: alioquin, inquit Socinus, ſi, ut vulgo ſolet, locum legamus & interpretemur, ſequitur, Deum dixiſſe, illud idem apud ſe cauſam eſſe, ne amplius immiſſurus ſit diluvium orbi terrarum, quod antea cauſa fuit, ut immitteret: quo nihil abſurdius, Deoque indignius, excogitari poteſt. Huc uſque Socinus. *Reſp.* 1. Paraphraſin ipſius, collatam cum textu, nullatenus quadrare, &, ſi accommodetur, eſſe ridiculam. 2. Quod ille putat abſurdum, ut, quod cauſa eſt pœnæ, cauſa ſit gratiæ, hoc non minus abſurdum eſt, quam dicimus, & vere quidem, peccatum Adæ cauſam eſſe, cur omnes rei fieremus mortis æternæ, & peccatum hoc, cum ſit maxima miſeria, eſſe cauſam, cur Deus noſtri miſereatur. 3. Paraphraſis vera & genuina oſtendit, abſurdum eſſe, quod addit Socinus. Eſt autem hæc paraphraſis ex mente ipſius. Non iterum ſum maledicturus terræ propter hominem, eo quod, ſi mihi maledicendum ſit propter ipſum, cum figmentum cordis ipſius ſit malum, ſemper & perpetuo oporteret me toties atque toties orbi terrarum diluvium immittere.

II *Argumentum* noſtrum, quod enervare vult Socinus, petimus ex Job. 14. v. 5, *Quis dabit mundum ex immundo?* Huic argumento admiſcet multa impertinentia, ex cap. 4. 17. & 15. 14, 15. & 25. 5. Et ad hæc omnia quidem, quæ admiſcet, reſpondet. Sed quia nos ex illis locis argumentum non formamus, propterea linquamus iſta loca, quæ ad hæc affert. Interim hoc addimus, nihil ipſum reſpondere ad locum, *Iob.* 14, ex quo ſolo nos argumentum petimus pro peccato originali. & certe non poteſt. Nam ejus æquipollens eſt, *Ioan.* 3. 6. Hoc adhuc prætereundum non eſt, quod ad *Iob.* 16. 6, reſpondere vult, quod ibi loquitur Eliphas, qui erat ex amicis Jobi, qui plerumque non bonam cauſam defendebant; & propterea non poſſe rationes ex Jobo allatas probari. *Reſp.* Etiamſi hic locus non directe probet peccatum originale, tamen locus verus eſt, ut patet ex æquipollente ejus, *Rom.* 3. 10, *uſque ad* 19. Nam quod dicit, ex libro Jobi non poſſe temere rationes ferri, eo quod ibi ſolus Job non agat, ſed etiam amici ejus, qui ſæpe malam cauſam agunt, ſciendum eſt, eſſe quidem hoc verum, ſed interim facile patere, ubi quid vere dicant, ubi falſo, ex Verbo Dei; quod cum ſufficienter contineat omnia dogmata fidei & præcepta morum, fieri non poteſt, ut exinde judicium haberi non poſſit, quæ bene dicta ab his, quæ ſecus.

III *Argumentum*, quod ille oppugnat, petitur ex Pſal. 51. 7, *Ecce in iniquitatibus natus ſum*, &c. *Reſpondet* ad hoc, eſſe hyperbolicum & figuratum loquendi modum; & affert ad probandum, *Pſal.* 58. 4. *Eſai.* 48. 8. Ubi ad-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

addit, his modis peccata exaggerantur, quanquam, ait porro, veriſimile eſt, Davidem potius ad excuſandum peccatum ſuum ita locutum eſſe, & in humana fragilitate commemoranda hyperbole iſta uſum fuiſſe, quaſi peccatum hominis res quædam plane naturalis ſit, non autem quod ita ſit revera, tametſi David non de homine quovis, ſed de ſe ipſo tantum loquatur. Addit porro, cupiditas & ad peccandum pronitas, licet in pleriſque ſit, in omnibus tamen protinus eam eſſe affirmare non poſſumus. *Reſp.* Quod ad 1 attinet, ineptus eſt, quod per loca iſta, *Pſal.* 58, & *Eſai.* 48, velit oſtendere hyperbolicam locutionem, & perinde eſſe, ac ſi quis hoc idem, quod Socinus iſtis locis probare vult, vellet probare iſtis prioribus, quia his ſunt æquipollentes, *Gen.* 6. 5. & 8. 21.

Objicit. Atqui tamen dicitur, ipſos erraſſe ab utero, cum tamen hoc cadere non potuerit, neque cadat, in homines. Nam errant, & loquuntur mendacium, qui jam uſum rationis habent. *Reſp.* Ab utero errare vel potius peccare dicuntur, non quod actu erraverint, ſed quod cauſam illius actus attulerint ex utero ipſo materno, id eſt, quod in iniquitatibus concepti ſint, ut ait, *Pſal.* 51. Et quod ex immundo nati ſint, ut ait, *Iob.* 14. Et quod ex carne nati ſint caro, *Ioan.* 3. Quod dicit, Davidem ad excuſandum peccatum ita fuiſſe locutum, eſt perinde ac ſi quis dicat, Paulum, cum conqueritur, *Rom.* 7, de malo, quod inhabitat, & propter quod non facit bonum quod vult, ſed malum quod non vult, afferre hoc, non quod ita ſit, ſed ad excuſandum peccatum ſuum; ſcilicet mentitus eſt David, ut ſuum peccatum excuſaret apud Deum! Ultimum, quod de cupiditate affert, & dicit, nos non poſſe affirmare, eam in omnibus prorſus eſſe, eſt contra Scripturam, *Rom.* 3. *v.* 10, 11, 12, 13, 14. *Gal.* 5. 16. 1 *Petr.* 2. 11. Antequam hoc argumentum relinquamus, notanda veniunt momenta, quibus aliqui docent, hominem infici peccato. Primum momentum dicunt eſſe in lumbis Adæ, de quo, *Rom.* 5. 12. *Secundum* momentum dicunt eſſe in conceptione, de quo, *Pſal.* 51. 7. *Tertium* in animatione, quod putant iſtis exprimi, *In peccato calefecit me mater mea. Quartum* in nativitate, de quo, *Eph.* 2. 3.

IV *Argumentum*, quod Socinus profert ex ſententia noſtra, petitur ex *Rom.* 7. Sed *reſpondetur*; Noſtros non uti hoc argumento ad probandum peccatum originale, niſi forte conſequenter, quod homo, & regenitus quidem, ſentit in ſe depravationem: proinde oportet cauſa ſit iſtius depravationis vel voluntas, vel natura, ut hoc faciat. At non voluntas hominis; Ratio eſt, quia quæ voluntaria ſunt, poſſunt non fieri, & in omnibus non contingunt. Pravitas autem hæc & non poteſt non fieri, ut patet ex hoc cap. 7; & eſt in omnibus caro, quæ pugnat contra Spiritum, *Gal.* 5, & contra quam nos jubet pugnare Spiritus Sanctus, *Eph.* 4. *Col.* 3. Inerit ergo nobis omnibus pravitas hæc à natura. Sed videamus quid Socinus ad hæc.

1. Fatetur hic agi de ſumma hominis proclivitate ad peccandum. 2. Dicit, non loqui de hominis cujuſvis natura Paulum ibidem, ſed loqui de eo, quod in pleriſque fieri contingit. 3. Inquit, non conſiderat hominem ſimpliciter, ſed quatenus à lege afficitur. Lex enim, inquit, ubi invenerit pravæ cupiditati obnoxium hominem, tantum abeſt, ut eum vi ſuá à malo liberet, ut potius illud in ipſo augeat. 4. Ait, concedi poſſe, quod cupiditas iſta mala naſcatur cum hominibus pleriſque, ſed hoc non fit ex peccato Adæ, ſed ex eo, quod humanum genus ex frequentibus peccatorum actibus habitum peccandi contraxerit, & ſe ipſum corruperit, quæ corruptio per propagationem in poſteros transfunditur. & addit rationem iſtius poſterioris: Quia, inquit, peccatum non habet iſtam vim corrumpendi hominem; nec interim Deo hoc adſcribi poteſt; quia Deus omnis rectitudinis auctor eſt. Ultimo addit, quare qui ex Adamo naſcuntur, eadem omnes conditione naſci oportuit, nihil namque, inquit, illi ademptum fuit, quod naturaliter habuit vel habiturus eſſet.

Quod ad *primum* attinet; Accipimus ipſius confeſſionem. Ad *ſecundum* dicimus, nullum excipi ex hoc niſi ſolum Chriſtum, quod quidem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

dem ipſi tanquam proprium tribuitur, ſive ipſius conceptionem ſpectes, ſive nativitatem & vitam; de conceptione, vide *Luc.* 1. 35. De nativitate, vide, *Hebr.* 2. 14. Ex quibus locis illud, quod κατὰ τὸ ῥητὸν non habetur quidem, per conſequentiam tamen certam deducitur, quod nobis per omnia ſimilis, excepto peccato, de reliquis vero omnibus, nullo excepto, dicitur, concluſos eſſe ſub peccatum, *Rom.* 11. *v.* 32. *Gal.* 3. 22. Unde jam iſta ex generali fluunt in Scriptura, 1 Reg. 8, *Non eſt homo qui non peccet.* Eccleſ. 7. 20, *Quamvis homo nemo juſtus ſit in terra.* Jacob. 3. 20, *In multis labimur omnes.* Unde porro Joannes in Epiſtola ſua prima concludit, cap. 1. verſ. 8, *Si dixerimus, nos peccata non habere, nos ipſos fallimus,* &c. Et hinc etiam in oratione Dominica omnes & ſinguli jubemur precari: *Dimitte nobis debita noſtra.* Ad *tertium* reſp. Ipſum ſibi primo repugnare. Nam ſi, ut ipſe loquitur, lex invenit hominem malæ cupiditati obnoxium, fuit profecto talis, antequam à lege inveniretur; in abſoluta ergo natura fuit talis. Deinde fatemur & nos hoc, quod dicit legem facere, ſed per accidens; alias enim lex non eſſet regula agendorum & omittendorum. Interim notandum hic, Socinum iſta ſua conditionali, *ſi hominem invenerit*, præſupponere, aliquem eſſe & eſſe poſſe, qui cupiditati obnoxius non ſit: quod à nobis ante refutatum. De capite iſto 7, ſufficienter agemus, Deo volente, in libro de Deo Sanctificatore. Antequam ad quartum reſpondeamus, ſciendum eſt, quid Theologi per cupiditatem intelligant; Intelligunt autem duo: 1. Proclivitatem iſtam naturæ ad peccandum; de quo, *Gen.* 6, & 8; & hæc, ut eſt contra præceptum Decalogi, ita omnibus prohibetur. 2. Cupiditatem, quæ decimo præcepto prohibetur, & quæ ſpecialis eſt. Cum peccatum originale dicunt cupiditatem, in prima ſignificatione cupiditatem accipiunt. Deinde notandum, quod Theologi per cupiditatem iſtam non totum peccatum originale intelligant, ſed partem tantum iſtam, quæ dicitur qualitas poſitiva, & quæ iſtis phraſibus effertur: *Tantummodo intenta ad malum: tantum fertur ad malum.* Nam præter hanc eſt qualitas negativa, quæ effertur his phraſibus: *Non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei, nec poteſt; non poteſt bones fructus ferre*, &c. His ita præſuppoſitis, *reſpondeo:* Inepte hoc dici à Socino, quod iſta cupiditas cum pleriſque hominibus naſcatur ex eo, quod, pluribus actibus contracta, transfundatur in poſteros. Nam, 1, ſequitur neceſſario ex hoc; Majorum virorum, & qui peccato dediti erant, prolem etiam ſimilem futuram, & bonorum prolem item ipſis ſimilem futuram. At hoc plane falſum in Scriptura. Annon enim optimorum parentum peſſima proles? Hiskiæ videlicet Manaſſes, Joſiæ Joachas, Jehojakim, Zedekias; & annon mali & peccato dediti hominis Achaſi filius optimus Hiskias, & Ammonis Joſias, optimi & præſtantiſſimi reges? 2. Non poſſumus non mirari, quod uti hoc genere reſpondendi ſuſtineat Socinus. Nam illius aſſeclæ perpetuo ſolent uti hoc argumento ad oſtendendum, quod peccatum originale non ſit, quia peccatum nec per corpus nec per animam propagatur, nec per utrumque; cum tamen Socinus hoc loco doceat propagari. Si autem propagetur, certe oportet, vel per animam, vel per corpus, vel per utrumque, propagetur. 3. Et hæc reſponſio ipſi Socino repugnat in eo, quod putet, ubicunque de peccato agitur, ibi quaſi de illius eſſentia eſſe, ut ſit voluntarium. Atqui hoc manifeſte dicit, aliquod non eſſe voluntarium, dum ſtatuit propagari in poſteros. Quod ad rationem illius attinet, illa nullam vim habet iſta efficiendi; Vel namque verba iſta intelligi poſſunt de cauſa efficiente *phyſica*, ſive reali, & veriſſima ſunt, quia peccata non habent vim hoc modo hominem corrumpendi: vel de cauſa *objectiva* & *morali*, & hoc ſenſu accepta verba falſiſſima ſunt. Nam peccatum, ut eſt cauſa meritoria pœnarum, ita & objectiva ſpecies; quia objectiva ſpecies eſt meritoria cauſa. Quod dicit, in Deum non poſſe tranſcribi pravitatem, fatemur, ſed non de hoc quæſtio, verum de hoc: *Utrumne Deus peccata peccatis puniat, ita tamen ut ejus, quod peccatum eſt, qua peccatum eſt, auctor non ſit?* Probatum hoc eſt à nobis luculenter in præcedentibus; proinde hic actum non agemus. Ad *poſtre-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

poſtremum; Concluſio ipſius cujus ſit commatis, cognoſci poteſt ex quæſtione, quam tractationi de peccato originali præmiſimus: *Vtrumne homines naſcantur, prout conditi fuerant primitus?*

V *Argum.* noſtrum, ad quod reſpondere vult, petitur ex Rom. 5. 12, *In quo omnes peccaverunt.* Ubi, inquit, citant hunc locum, tanquam, *in quo*, referendum eſſet ad Adamum, de quo proprie verba facta fuerint; verum addit, in Græco eſſe ἐφ᾽ ᾧ, quod nihil aliud ſignificat, quam, quod plerumque ſolet, *ex quo*, vel *quatenus*; ut ſenſus ſit, omnes homines penitus morti fuiſſe obnoxios, eo quod, vel quatenus omnes peccaverunt; *ſtipendium namque peccati eſt mors*, Rom. 6. v. 23. *Reſp.* 1. Socinum hic ſibi contradicere, qui in præcedentibus volebat accipi de pleriſque hominibus, dum ageretur de peccato hoc. Hic autem vult accipi de omnibus hominibus. 2. Senſus nullus, per unum hominem peccatum, ac per peccatum mors in omnes homines, quia peccaverunt. Nam quorſum additur illud, *per unum*, niſi eo quod per unum ita ingreſſum, ut omnes in hoc ipſo peccarent, vide *verſ.* 15, 16, 17, 18. 3. Non melius intelligitur quomodo hoc accipi debet, quam ex 1 *Cor.* 15. *v.* 22. Nam quemadmodum dicitur optime, omnes in Adamo mori, ita etiam dici debet, in Adamo omnes peccaſſe. Dici autem prius de nobis, manifeſte patet, Rom. 8. 1, *Nulla condemnatio iis, qui ſunt in Chriſto Ieſu.* Hinc illud, *Matt.* 3. 17, ἐν ᾧ εὐδόκησα. Sic vindicavimus argumenta quædam noſtra pro peccato originali. Jam addimus duo, non quod plura afferri non poſſint, cum multa à nobis afferantur, ſed ut oſtendamus, Socinum nec omnia, nec præcipua, in ſuo tractatu attuliſſe.

VI *Argum.* noſtrum, quod ab ipſo omiſſum eſt, petitur ex morte temporaria. Infantes moriuntur; Ergo habent peccatum: Non actuale; Ergo originale. Hoc eſt, quod Spiritus Sanctus dicit, Rom. 5. 14, *Quod regnavit in eos qui non peccarunt ad ſimilitudinem transgreſſionis Adami*; quia videlicet Adam actualiter peccavit. Socinus quidem negat, mortem temporariam hic intelligi, ſed æternam. Verum refellitur ex ipſo textu, quia dicitur mors iſta regnaſſe ab Adam uſque ad Moſen in omnes; conferatur *verſ.* 14, cum 12. At vero abſurde dixerit Socinus, ab Adamo uſque ad Moſen omnes mortuos morte æterna. Nam Spiritus Sanctus ſatis longum catalogum, *Hebr.* 11, texit eorum, qui ſalvati ſunt. Præterea, *Matth.* 8, dicit, *Multos venturos ab occidente & oriente, & accubituros cum Abrahamo, Iſaaco & Iacobo in regno cælorum.* Unde conſequitur, Abrahamum, &c. fuiſſe ſalvatos. Intelligi ergo hoc debet de morte temporaria.

VII *Argum.* noſtrum, quod itidem à Socino omiſſum, petimus ex regeneratione. Infantes debent regenerari, antequam ſalventur; Ergo habent peccatum: non actuale; Ergo originale. Antecedens patet, ex *Ioan.* 3. 3, 5. *Niſi quis*, &c. Conſeq. certa; quia quod nos excludit ex regno cælorum, eſt ſolum peccatum, *Apoc.* 21. 27.

Antequam caput hoc relinquamus, explicandi nobis ſunt termini iſti, qui de peccato originali inhærente uſurpari ſolent à Theologis. Nempe in peccato originali inhærente dicitur eſſe qualitas *poſitiva*, & *negativa.* Hanc vocant carentiam juſtitiæ originalis, ſive non poſſe bonum; illam vocant pravitatem naturæ, ſive poſſe tantummodo malum: De hoc vero ultimo quæritur: *Qua ratione dicatur poſitivum, cum omne poſitivum ens ſit, & omne ens ſit bonum? Reſp.* Poſitivum multipliciter Philoſophis eſſe. In præſentiarum hæc ſignificata tantum adferemus, dici nempe poſitivum *phyſice*, ut qualitas corporis; & ita phyſice poſitivum bonum eſt. Poſitivum *ethice*, ut virtutes; ita etiam hæ bonæ ſunt. Poſitivum *logice*: & hoc eſt affirmatio. Hoc pacto dicitur hæc qualitas poſitiva, ad diſcrimen prioris partis peccati, quæ negative effertur, cum hæc affirmative efferatur. Vide hac de re Zwinglium.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

CAP. VII.

De peccato actuali.

VIdimus peccatum originale; ſequitur actuale. De quo hi Canones.

I. *Diſtinguunt Sociniani lapſum à peccato, & peccatum à lapſu.*

Vide Socinum in defenſ. Diſputat. de loco, *Rom.* 7. pag. 87. Definit autem ibi peccatum ita: *cum quis ſciens, prudens, à ſibi deſcripta via deflectit*; lapſum vero, *cum id per ignorantiam facit, vel negligentiam.* Addit ibidem: Diſtinctione iſta utor, non quod negem, omnem ejuſmodi lapſum, latiori vocis peccati ſignificatione, merito peccatum dici poſſe; vel eum, qui ad iſtum modum labitur, ſi Deus ſummo jure cum ipſo agere velit, mortis æternæ reum non eſſe: ſed quo facilius & aptius intelligatur, quid ego de delictis regenitorum, quæ in ipſis inveniuntur, ſentiam, *reſp.* 1. Nos non intelligere, quid ſibi velit iſta peccati diſtinctio, in latiori vocis ſignificatione, & in ſtrictiori. Nam peccati definitio, quæ eſt 1 *Ioan.* 3. 4, peccato iſti, quod lapſum vocat, etiam competit. 2. Si res ita habet, ut lapſus ſit, cum quis per ignorantiam aut incogitantiam facit; Ergo ſcelera maxima lapſus erunt, non peccata, quia pleraque, quæ irregeniti committunt, per ignorantiam fiunt, & tamen plurima ſunt talia ſcelera horribilia. vide *Eph.* 4. 17, 18, 19. & 1 *Tim.* 1. 13. 3. Si res ita habet, tum oportet omne peccatum ſit lapſus. Quia omne peccatum fit ex ignorantia. Nam, *nemo vult malum ſub ratione mali*, ſed in quantum illud apparet bonum. Unde ſi apparet bonum, oportet intellectum aberrare in dijudicando, quale nempe illud ſit. Ex hac cauſa videtur Spiritus Sanctus omne peccatum, quod ſcilicet non ſit ad mortem, vocare nomine ignorantiæ & errorum, *Hebr.* 9. 7.

Obj. Atqui dicuntur aliqui ſcientes peccare. Unde iſta diſtinctio non videtur poſſe conſiſtere. Jam autem peccare aliquos ſcientes, patet ex *Luc.* 12. 47. *Reſp.* Duplex ignorantiæ genus occurrit in Scripturis: Unum quo quis ignorat tum in *theſi*, tum in *hypotheſi*; & de hoc ignorantiæ genere videtur Paulus loqui, 1 *Tim.* 1. 13. Alterum genus ignorantiæ eſt, quando quis aliquid ſcit in theſi, ſed ignorat in hypotheſi; ita, exempli gratia, fur ſcit quidem in theſi malum eſſe furari, ſed ſibi furari in hypotheſi eſſe malum, non putat. Ita Saül non poterat ignorare in theſi malum eſſe, ſi Deo non obediret; At in hypotheſi hoc ignorabat, malum fuiſſe non obedire Deo, ut internecioni devoveretur Amalek cum omnibus ſuis, 1 *Sam.* 15. Ita clariſſime iſtius ignorantiæ ſignum habemus, *Matt.* 25. 24, 25, 26. Noverat ſervus ille malus, Dominum metere, ubi non ſeminaſſet, & congregare, &c. Et tamen in hypotheſi ignorabat hoc, propterea reprehenditur à Domino: *Serve*, inquit, *male & ignave, ſciebas*, &c. Et certe ex hoc ipſo Scriptura peccatores vocat ſtultos & fatuos. Quæ enim major eſt ſtultitia, quam præferre peccatum ſanctitati, & mortem vitæ? 4. Refellitur Socinus. Nam lapſus & peccatum idem ſunt; ut Petrus lapſus, David lapſus, cum tamen de peccato ibi agatur, quod à ſciente commiſſum. 5. Danda nobis cauſa, quare iſtam diſtinctionem comminiſcitur Socinus. Facit autem hoc, propterea quod urgeatur iſto loco, *Iac.* 3. 2, *In multis impingimus omnes.* Urgetur, inquam, ut cogatur concedere, quod tamen non vult, hominem ſæpiſſime peccare; itemque, propterea facit, ut neget vere dictum, & bene dictum, (eo quod ab Eliphaz Themanite dictum ſit, qui non in omnibus de Deo bene locutus) illud, Job. 15. 16, *Vir imbibens ut aquam iniquitatem*, etiam de homine regenito, qualis eſt Job.

II. *Diſtinguunt Sociniani peccatum ad mortem, ab illo quod ad mortem non eſt.*

Abutuntur iſta diſtinctione. Nam illi per peccatum ad mortem aliud intelligunt, quam Spiritus Sanctus, 1 *Ioan.* 5. 16, 17, intelligit. Ad mortem peccata iſta eſſe dicunt, quæ deſcribuntur, 1 *Cor.* 6. 9, 10. *Gal.* 5. 19, 20, 21. Peccatum vero quod ad mortem non eſt, dicunt hoc, quod per ignorantiam, aut incogitan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

gitantiam committitur; ita ut videatur hæc ipſorum diſtinctio verbis tantum diſcrepare à priori. At, ut diximus, abutuntur iſta diſtinctione. Nam peccatum ad mortem illud eſt, quod non remittitur, neque in hoc, neque in futuro ſeculo, *Matt.* 12. 31, 32. Sive quod in æternum non remittitur, *Marc.* 3; & propterea pro hoc nulla hoſtia amplius, *Hebr.* 10. 36, nec pro hoc orandum, 1 *Ioan.* 5. *v.* 14. Atqui hæc peccata, quæ hic enumerantur, talia non ſunt, ut patet, 1 *Cor.* 6. 11. *Rom.* 6. 21, 22.

III. *Dicunt, peccatum ad mortem commiſſum, ordinarie non remitti; eſſe tamen aliquod momentum gratiæ extraordinarium, quo aliquibus non ſemper, ſed aliquando, offertur gratia.*

Argumenta ipſorum pro priore parte, ſunt hæc. 1. Quia pro peccatis talibus non eſt hoſtia, proinde, inquiunt, in Veteri Teſtamento pro peccatis levioribus, qualia ſunt peccata occulta, & quæ pollutiones vocantur à Moſe, ſacrificia offerebantur: At pro gravioribus nequaquam. Hinc, *Exod.* 21. 14, homicida jubetur ab altari abripi, & necari. 2. Quia, inquiunt, ſi repetatur ſæpius peccatum tale, tum ſequetur hoc, quod impurus ſpiritus ibidem, unde exierat, rediens, adduxit ſecum ſeptem deteriores, *Luc.* 11. *v.* 26. Unde fieri non poteſt, quin homo talis perſeveret, & peccata ipſius non remittantur. 3. Ubi, inquiunt, ſcriptum eſt, quod Deus nobis peccata, ad quæ ſæpius relabimur, velit dimittere. Videri poteſt hac de re Sommerus Claudiopolitanus, & Smalcius contra Francium, in theſibus de Hypocritis.

Antequam ad hæc reſpondeamus, ſciendum eſt, ipſos ſibi contradicere, & oſtendere, quod non intelligant, quid ſit peccatum ad mortem. Nam peccatum ad mortem, ſemel commiſſum, non remittitur; Eſt enim peccatum in Spiritum Sanctum, *Matt.* 12. cum *Hebr.* 10. & 1 *Ioan.* 5. At illi dicunt, ſæpius repetitum non remitti. Unde præſupponunt, ſemel atque iterum commiſſum poſſe remitti.

Jam ad argumenta *reſpondeamus*. Ad *primum*: Falſum, quod pro peccatis talibus, quæ illi dicunt ad mortem, & quorum exempla proferunt, 1 *Cor.* 6. & *Gal.* 5, non fuerint inſtituta ſacrificia: falſitatem iſtius oſtendemus, Deo volente, infra De Sacrificiis.

Ad *ſecundum* reſpond. 1. Itidem hic ſibi repugnare Adverſarios. Nam eo pacto non poteſt, niſi ſemel, condonari, quia, ſi poſt condonatum peccatum venit ſpiritus cum ſeptem deterioribus; Ergo certe homo talis nullo modo poteſt (ſi præſertim, ut illi volunt, ex ſe ipſo convertitur propriis viribus) converti, atque ita nec remiſſionem peccatorum conſequi. 2. Iſtud, *ſi repetatur*, dupliciter poſſe accipi: vel ut repetatur ſine intermiſſione, id eſt, ut, qui repetit, nunquam deſinat ita facere, & ſic male dicitur à tali ſpiritus egreſſus: vel cum intermiſſione; ſicque viciſſim dupliciter: vel ut deſiſtat, tantum quoad externa; vel ut ſimul interne renovatus. Quoad priorem attinet, ad talem ſpiritus redit cum ſeptem ſpiritibus deterioribus. Vide 2 *Petr.* 2. 20, 21. Quoad poſteriorem, à tali regreditur, nec unquam redit. Vide *Ioan.* 8. 36.

Ad *tertium* reſp. 1. Illud oſtenditur exemplis piorum virorum, qualis fuit Abraham, &c. qui aliquoties uxorem ſuam negavit, & in maximum periculum eam conjecit, ratione pudicitiæ ejus. vid. *Gen.* 20. Idque diffiſus providentiæ divinæ, quam circa ſe tantum non palpabat. Patet idem in Moſe, de quo legimus, quod toties atque toties peccavit. Patet in Davide, qui adulterium & homicidium commiſit, fuit πολύγαμος, populum ex faſtu & ſuperbia numeravit. Attamen his omnibus peccata condonata.

Reſpondent ad hoc: *Exemplum non facere regulam.* Reſp. Quando exempla faciant regulam, quando non, dictum alibi. Nam quod hæc faciant regulam, oſtendemus ex eo, quod, quoties dicat Spiritus Sanctus, ſanctos Dei homines miſericordiam fuiſſe conſecutos, addat, illud fore in exemplum, ut omnes confidant, & Deum invocent pro peccatorum remiſſione. *Pſal.* 32. 6, 7. 1 *Tim.* 1. 16.

2. *Reſp.* ad *tertium argumentum* Socini, Quod hoc Spiritus Sanctus teſtatur, *Ezech.* 18.

verſ. 21, 27. & 33. *v.* 14. Item, *Matth.* 18. *v.* 20, 21, 22.

Quod ad partem ſecundam canonis attinet, de *momento extraordinario*, hoc ita probant. 1. Quod dicitur hoc ipſo Eſaï. 1. 18, *ſi fuerint peccata veſtra velut dibapha.* & Ezech. 18, *vivo Ego, nolo mortem*, &c. & 33. 12, *improbus in improbitate non corruet, quo tempore reverſus fuerit.* Luc. 15. 7, *Gaudium in cælo ſuper uno reſipiſcente.* Dicunt autem, hoc momentum extraordinarium & tempus gratiæ indefinite proponi in Scriptura, Joël. 2. 14, *Quis ſcit, an reverſum pœniteat ipſum?* Item, *Act.* 8. 22, *Reſipiſce à malitia tua, & deprecare Deum, ſi forte remittetur tibi.* 3. *Inquiunt:* Tempus iſtud gratiæ, ſive momentum extraordinarium, non eſſe quotidianum, ſed rarum; & oblatum, non apprehenſum, nunquam redire poſtliminio. Adferunt ad hoc iſta, *Eſaï.* 1. *v.* 15, *vos clamabitis, & ego non exaudiam.* Et Jerem. 11. *v.* 14, *Non ores pro populo iſto.* Unde inquiunt: ut eſt *Hebr.* 12, cum neglexiſſet ſemel iſtud tempus Eſau, ne cum lacrymis quidem pœnitentiæ locum reperire potuiſſe.

Reſp. Ad ſingula iſtorum. Ad *primum.* Falſum eſſe, quod dicta iſta Scripturæ, quæ afferunt de tali tempore, quale iſti fingunt, accipi debeant. Nam dicuntur de omni tempore, quia indefinite uſurpantur; nec hoc tantum, ſed definite quovis tempore, ut illa quæ ex *Ezech.* afferuntur: *Quando improbus converſus fuerit*, &c. Itaque hæc loca, quæ pro ſuis commentis adferunt, maxime hæc commenta evertunt.

Quod ad *ſecundum* attinet. Dum docent, indefinite & dubitanter proponi in Scripturis tempus hoc, & ad illud allegant, *Ioël.* 2. *Act.* 8, ſciendum eſt, dubitanter proponi, non eo quod Deus non condonet peccata invocantibus ſe in fide; nam clariſſime hoc docetur, *Rom.* 10. 13. Sed quod ſæpe, ubi condonaverit peccata, caſtiget afflictionibus temporalibus; vide *Gen.* 3. Ubi Deus condonat peccata Adæ & Evæ, & interim tamen non vult eos immunes eſſe ab ærumnis, ſed illos ærumnis ſubjicit, *verſ.* 16, 17, 18. Item condonat quidem peccata Deus populo iſti, qui murmurabat adverſus Deum, *Num.* 14. 20. Interim tamen jurat, ſe nullum introducturum in terram promiſſam. Item, 2 *Sam.* 12. *v.* 13, condonat peccatum Deus Davidi, & interim tamen Deus propter hoc affligit ipſum, *verſ.* 15.

Objicitur. Atqui ſi condonet, cur ergo punit? iſta enim oppoſita ſunt, condonare & punire. *Reſp.* Non punit, ſed caſtigat; aliud autem eſt pœna, aliud caſtigatio. Nam pœna ab irato Deo proficiſcitur, caſtigatio ab amante, *Apoc.* 3. 19. Pœna cadit in malum ejus, qui pœna afficitur. At caſtigatio cadit in bonum iſti, qui caſtigatur, *Hebr.* 12. 7, 8.

Quod ad *tertium* attinet, ſciendum eſt, etiam eos, qui invocant Deum, ſæpe non exaudiri. 1. Si invocent Deum ſine fide, *Iacob.* 4. 3. 2. Si invocando non habeant ſibi propoſitam gloriam Dei, ſed tantum propriam ſalutem; cum autem in omnibus aliis præcipue gloriam Dei ſpectare debeamus, ut patet, 1 *Cor.* 10. 31, tum certe in invocatione. 3. Si invocando nomen Dei non diſcedant ab iniquitate. Vide hac de re, 2 *Tim.* 2. 19.

Quod attinet ad Eſau, quem Spiritus Sanctus profanum vocat, ibidem ſciendum eſt, duplicem eſſe pœnitentiam; hypocriticam & veram; & hanc iterum duplicem: Legalem, quæ ex peccati cognitione per legem ex ſenſu iræ divinæ & formidine pœnæ oritur, qualis fuit Caïni, Saülis, Judæ, & hujus Eſavi; & hæc pœnitentia non eſt Deo accepta; & Evangelicam, qua peccator, propter dolores ex formidine pœnæ per legem conceptos, graviter affligitur ob Deum patrem offenſum, & ex Evangelii prædicatione ſuæ miſeriæ medicinam, conſolationem & lætitiam quærit, mentemque, voluntatem, affectus & vitam in melius mutat. Vide de hac diſtinctione *Danæum in Ionam.* Item *Scharpium in Locis Communibus de Pœnitentia.*

IV. *Peccata quæ non ſunt ad mortem, dicunt vocari peccata occulta, itemque pollutiones, apud Moſen.*

Si intelligunt peccata iſta non eſſe peccatum in Spiritum Sanctum, tum utique conceditur hoc:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

hoc: ſed ſi putant, peccata hæc (Socinus autem ſic putat) non mereri mortem æternam, tum utique contradicunt Verbo Dei, quod maledictum pronuntiat omnem, qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis, *Deut.* 27. *Gal.* 3. Maledictos autem punitum iri morte æterna, patet ex *Matt.* 25. Nam illud neſcio quomodo defendere poſſint, quod dicunt de occultis peccatis; occulta namque peccata ſunt, vel quæ nobis nota & aliis ignota, & hæc poſſunt eſſe ſcelera maxima, quale fuit ſacrilegium Achanis, quod quidem Achani notum fuit, ſed non notum Iſraëli, antequam manifeſtaretur. Item tergiverſatio iſta Jonæ contumaciſſima adverſus Deum, quæ nota quidem fuit Jonæ, ſed non nautis, antequam ipſis per ipſum eſſet revelata. Vel occulta dicuntur, quia nobis, qui perpetravimus, occulta ſunt; & hæc itidem poſſunt eſſe ſcelera maxima. Ita Lotho ignotum fuit, quod concubuiſſet cum filiabus ſuis, & tamen fuit ſcelus longe atrociſſimum. vide *Gen.* 19. 33. Jam nobis cauſa danda eſt, cur numerant peccata occulta inter peccata non ad mortem. Faciunt autem hoc propterea, quod pro occultis Deus ſacrificia inſtituit, de quo, Deo volente, in doctrina de ſacrificiis. Atqui illi nolunt concedere, pro gravioribus peccatis ſacrificia eſſe inſtituta.

V. *Negant, homines, qui morte afficiuntur à Magiſtratu, item, qui morte immatura abripiuntur, item, qui aliquando morte extraordinaria pereunt, cujus exemplum proponunt*, Numer. 16; *ullo modo ſervari.*

Proponam Socini argumentum, quo hoc probat. Malefici, inquit, puniuntur ex lege: Si ex lege, ergo proprie dictam pœnam ſuſtinent, ac proinde dicta pœna ab irato Deo proficiſcitur. Si ergo ab irato Deo morte afficiuntur, qua ratione poterunt dici ſalvari? *Reſp.* Quæ ex lege infliguntur, ſunt pœna, ſcilicet politica, & interim reſpectu Dei poſſunt eſſe non pœna; ſive, ut clarius dicam, hypotheſis falſa eſt. Nam politica pœna poteſt ratione Dei tantum eſſe caſtigatio. vide exemplum, quod ſolum refutat Socinum, in latrone cum Chriſto crucifixo, *Luc.* 23. 28, &c.

CAP. VIII.

De pœna peccati.

TAntum de peccato; ſequitur alterum ejus conſequens, pœna. Eſt autem pœna iſta mors.

I. *Socinus negat, mortem temporariam eſſe pœnam; & quod propter peccatum Adæ omnes ſint rei mortis æternæ, (de qua ſola putat agi Socinus,* Rom. 5. & 6.) *id ait non eſſe pœnam, ſed conditionem geniture.*

Verba ejus ſunt hæc, libro de Servatore, part. 4, cap. 6: *Ea namque conditio, quæ genitori affixa eſt propter peccatum, perpetuo una cum ipſo generante neceſſario propagatur; exempli gratia, Si quis ob aliquod delictum, cujus participem uxorem habuit, una cum uxore ipſa ſervus fiat, ii qui poſtea ab iis gignentur & propagabuntur, eandem conditionem ſervilem neceſſario ſubibunt. Non quia illis genitorum delictum imputatur, ſed quia ejus conditionis eſſe ipſius geniture vi coguntur, cujus ipſi fuerunt, à quibus ſunt geniti & propagati. Quod exemplum ſi ad Adamum & genus humanum ab eo propagatum accommodemus, videbis unde fiat, quod rei mortis omnes ſimus.* Huc uſque Socinus.

Nos, quod attinet ad mortem temporariam, in ſuperioribus evicimus, eſſe propter peccatum in mundum ingreſſam. Argumentum tamen ipſorum amoliemur, cui illi plurimum fidunt, & quod tamen in mentem nobis non venerat refutare. Eſt autem hoc: Martyres moriuntur. At martyres non moriuntur propter peccata. Ergo non omnis mors temporaria propter peccatum eſt: quod nos tamen dicimus. *Reſp.* ad Minorem, diſtinguendo: Mors martyrum conſideratur vel ratione hominum, qui illam infligunt; vel ratione Dei: Si homines ſpectes, certe propter peccatum illam ipſis non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

non infligunt; ita Stephanum Judæi non interfecerunt propter peccatum, ſed propter conſtantem veritatis confeſſionem. At mors iſta, ſi Deum ſpectes, eſt propter peccatum.

Obj. Atqui talibus, qui in Chriſto Jeſu ſunt, nulla condemnatio, ac proinde nulla pœna, *Rom.* 8. 1. *Reſp.* Ita eſt; ſed propter peccatum, non tantum divinitus immittitur pœna, ſed etiam caſtigatio; propter peccatum, inquam, non ut illud expietur caſtigatione, ſed ne admittatur ab aliis.

Quod ad mortem æternam attinet; Abſurdus Socinus, qui putat, illam non eſſe pœnam. Nam ſi de morte æterna tantum agitur, *Rom.* 5. & 6, clariſſime evincitur, illam eſſe pœnam. Nam infligitur injuſtis & reis, *Rom.* 5. *v.* 18, 19. Deinde dicitur ſtipendium peccati, eo quod propter peccatum, tanquam cauſam meritoriam, immittatur, *Rom.* 6. & in extremo judicio, dum adjudicabuntur reprobi morti æternæ, adjudicabuntur tanquam pœnæ. Quanquam, ſi omnia hæc abeſſent, quis putet, unquam cruciatus iſtos æternos inflictum iri generi humano, non propter peccatum, ſed quia homines nati ſunt ex homine, qui mortis æternæ reus fuit. Accuſant nos, quod Deum faciamus injuſtum, quia docemus, propter peccatum parentum quandoque puniri liberos; At illi hic docent, propterea, non quod ipſis imputata peccata, ſed quod nati ſint ex parentibus, morti æternæ illos addici. Hoc argumentum tantum movet Socinum, ut ſtatuat, mortem æternam non eſſe hoc, quod in Scriptura nobis deſcribitur, ſed eſſe ſimillimam morti pecudum, quæ mortua nil ſentiunt; Nam nihil ex ipſis ſupereſt, nec amplius ſupererit, neque enim ad vitam æternam revocabuntur, quod ipſis commune erit cum reprobis. Sententiam hanc, Deo volente, clariſſime refutabimus in doctrina de Deo Glorificatore.

FINIS LIBRI SECUNDI.

LI-

LIBER TERTIVS.

CAPUT PRIMUM.

De Deo Redemptore.

EGimus de Deo creatore; Agendum nobis eſt de Deo Redemptore. Hic autem conſiderabimus quædam quæ ad vocem, quædam quæ ad rem pertinent.

Canones de illis, quæ ad vocem pertinent, ſunt hi:

I. *Aliter Chriſtus vocatur Redemptor, aliter Deus Pater, & Spiritus Sanctus. Filius vocatur Redemptor, & efficienter, & meritorie. At Pater, & Spiritus Sanctus, vocantur Redemptor efficienter tantum.*

II. *Chriſtus nos proprie redemit ab ira Dei.*

Graviſſima controverſia de hoc canone inter nos & Socinianos eſt. Nam Sociniani putant, Chriſtum Redemptorem vocari, non quod pro nobis pretium aliquod ſolverit, ſed quod ſimpliciter nos liberaverit, quemadmodum vox hæc ſæpius ſic accipitur in Scriptura. At nos contra dicimus, Chriſtum proprie nos redemiſſe, eo quod dicitur nos redemiſſe, & propter hoc, quod nos redemit, dicitur pretium, & carum pretium. Opponimus enim illis regulam iſtam, contra quam nihil huc uſque afferre potuerunt: *Quod, ubi in Scripturis dicitur redimere aliquis aliquem, & additur hoc, quo redimatur, illa proprie dicta eſt redemptio.* Atqui Chriſtus dicitur ita nos redemiſſe, ut ponatur hîc, quo nos redemit, quia inſuper vocatur hoc pretium, & carum pretium, *Matt.* 20. 28. 1 *Cor.* 6. 20. 1 *Tim.* 2. 6.

Videamus, antequam ad argumenta ejus, quibus oſtendere vult, Chriſtum redemiſſe nos improprie ab ira Dei, reſpondeamus, quomodo, poſtquam tamdiu nobiſcum contenderit de hac certiſſima regula, ipſam infringere velit. Adfert locum, ex *Proverb.* 13. 8, ubi inquit Spiritus Sanctus: *Redemptio vitæ viri, divitiæ ſuæ.* En, inquit, exemplum, ubi nominatur pecunia, & tamen non intelligitur proprie dicta redemptio. Sed inepte: Nam quomodo probant proprie dictam non intelligi? rationem enim nullam adferunt.

Objicit autem, 1. In omni vera redemptione iſta quatuor ſunt. 1. *Redemptor.* 2. *Captivus.* 3. *Λύτρον.* 4. *Ille cui λύτρον dependitur.* Atqui in hac redemptione non eſt hoc. Nam poſito, quod hic ſit captivus, quod ſit pretium, quod qui redimat. At non poteſt dici, illi dependi pretium, cujus captivi ſumus. Nam captivi ſumus Satanæ, oportuiſſet ergo iſti dari pretium à Chriſto; quod abſurdiſſimum. *Reſp.* diſtinguendo: Captivi ſumus vel Dei, tanquam ſummi *Domini*, in quem peccavimus: vel Diaboli, tanquam *famuli* & *miniſtri*. Pretium autem, quod dependitur pro captivo, non dependitur miniſtro carceris, ſed Domino ejuſdem. Cæterum diſtinctionis primum membrum (poſterius enim ultro admittunt Adverſarii) patet, ex Epiſtola *Iudæ verſ.* 5 & 6.

Obj. 2. Dicimur redempti ab iniquitatibus *Tit.* 2. 14, à prava converſatione, 1 *Petr.* 1. *v.* 18. Atqui neque iniquitatibus noſtris depenſum eſt pretium, neque vanæ converſationi. Ergo, dum Chriſtus nos redemiſſe dicitur, non intelligitur redemptio proprie dicta, ſed improprie dicta. *Reſp.* Iſtam Majorem, quam Adverſarii præſupponunt, quod, à quo redempti ſumus per Chriſtum, illi ſtatuamus depenſum eſſe pretium, falſam eſſe. Nam nos hoc neutiquam ſtatuimus, neque noſtra Major in hunc modum concipitur, ut Adverſarii volunt, ſed eo modo: A quo redimimur principaliter, tanquam ſummo Domino & Magiſtratu, illi depenſum eſt pretium; & hoc obtinet in Politicis:

ticis; nam dicuntur redimi à carcere, à captivitate, à pœna hac vel illa, non quod pretium dependatur captivitati, carceri, pœnæ, ſed dependitur ei, cujus principaliter captivi ſumus.

Obj. 3. Atqui nullibi dicitur, nos redemptos eſſe ab ira Dei; quod oportuiſſet dici, ſi pretium iſtud dependeretur. *Reſp.* Falſiſſimum eſſe, quod hoc non dicatur, etiamſi quoad literam non dicatur. Nam, dum dicitur à Spiritu Sancto, Chriſtum nos redemiſſe à lege, ab execratione legis, *Gal.* 3. *v.* 13. & 4. 5; hoc ipſum dicit. Nam quem liberat ab execratione legis, illum liberat ab ira Dei, quamdiu enim aliquis eſt ſub execratione legis, tamdiu manet ira Dei ſuper illum, *Ioan.* 3.

Obj. 4. Ergo Chriſtus diceretur pretium dediſſe Deo. At nuſquam hoc dicitur. *Reſp.* Falſum, quod non dicatur; ecce loca Scripturæ, Epheſ. 5. v. 2: *Dilexit nos, & tradidit ſe ipſum pro nobis oblationem & victimam Deo.* Apoc. 5. 6: *Redemiſti nos Deo per ſanguinem tuum.*

Obj. 5. Deus non poteſt eſſe accipiens; cum enim Scriptura teſtetur, dari nobis Chriſtum à Deo, hoc, quod datum eſt ab ipſo, non poteſt ei eſſe pretium. *Reſp.* Regulam iſtam eſſe falſam in Scriptura: *Quod dans non poſſit eſſe accipiens.* Nam Deus dedit arietem Abrahæ, prout omnia ab ipſo ſunt, *Gen.* 22, & tamen Abraham eundem illi offert.

Obj. 6. Si pretium eſt depenſum Deo Patri pro nobis; Ergo conſequitur, quod Filius magis ſit miſericors, quàm Pater; & Pater magis juſtus, quam Filius. Probatur illud, quia Filio nullum depenſum pretium; Filius remiſit peccata, nulla ſatisfactione accepta; Pater non remiſit ſine ſatisfactione. *Reſp.* Patrem æque miſericordem ac Filium, quia Filius quidem dependit pretium, ut patet, *Matt.* 20. At Pater dedit Filium, & hoc, quod pretium ipſum eſt, *Rom.* 8. 32. Deinde non poteſt Filius minus juſtus eſſe Patre; quia, ut Pater noluit ſine ſatisfactione condonare peccata; ita nec Filius eadem ſine ſatisfactione condonare voluit. Nam, cum Chriſtus ſit æternus Deus, ut à nobis in præcedentibus oſtenſum, Deus vero nullo pacto abſolvat ſontem, ut itidem probatum eſt in attributo juſtitiæ Dei; conſequitur etiam inde, Chriſtum non condonare, ſatisfactione non prius accepta.

Obj. 7. Ergo ſtatuitur Chriſtus ſibi ipſi dependiſſe pretium; cum tamen in Scriptura dicatur, pretium hoc obtuliſſe Deo. *Reſp.* Si Chriſtus eſt Deus, ut eſt, tum jam ſequitur, cum ultro non dimittere peccata impunita, nec poſſe dimittere, ſi ita res habet. Ergo quemadmodum optime dicere poſſum, ipſum non dimittere peccata impunita; ita etiam dicere poſſum, ſatisfacere eum ſuæ juſtitiæ & ſibi. Vide Urſinum prolixe & optime de hoc diſſerentem.

In quæſtione, *An Chriſtus apud ſe ipſum intercedat?* ſive, *An ſibi ipſi ſatisfaciat?* Pontificii ad hoc reſpondent: Cum in Chriſto duplex ſit natura, divina & humana, poſſe de illo dici, quod ſibi ſatisfaciat, ita ut humana natura ſit quæ ſatisfaciat; & divina, cui ſatisfiat. Sed reſponſio iſta præſupponit hypotheſin, quod Chriſtus ratione humanæ naturæ tantum ſit Mediator; quæ ſententia falſa eſſe oſtenditur ab Orthodoxis.

III. *Sociniani dicunt, Chriſtum Mediatorem vocari, non aliter ac Moſen, qui, Act. 7. 35, λυτρωτὴς dicitur.*

Gravis iterum inter nos & Socinianos de voce iſta *Mediatoris* controverſia. Socinus judicat, Chriſtum Mediatorem vocari, non quod pro nobis ſatisfecerit, aut Deum pro nobis placarit, ſed eo quod nomine Dei nos ad fœdus cum Deo invitaverit. Probat autem hoc his rationibus. 1. Quia qui iraſcitur alicui, ille non mittit ad ipſum Mediatorem. 2. Quia jam nobis Deus erat placatus, cum mitteret Chriſtum; ita enim ait, Rom. 5. 8, *Commendat caritatem ſuam Deus*, &c. 3. Hinc, inquit, ut nomine internuntii in Scriptura explicatur ab interpretibus quibuſdam illud, 1 *Tim.* 2. *v.* 6, ubi dicitur, Mediatorem ipſum eſſe, & dediſſe ſe ipſum conveniens pretium pro quibuſvis.

Reſp. Hoc itidem falſum eſt, quod non ideo vocetur Mediator, quia placaverit, ut patet, 1 *Ioan.* 2. 1.

Primum enim probationis membrum falſum eſt, quod qui læſus ab aliquo eſt, & iraſcitur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

tur alicui, non mittat ad ipſum Mediatorem. Vide *Luc.* 20. à *v.* 9, ad 13. Et quidem hoc poſſe fieri patet; cum Chriſtus jubeat, nos ipſos invitare eos, qui peccant in nos, ad reconciliationem, *Matt.* 18. 16, 17.

Quod ad *ſecundum* attinet: *Fueritne Deus placatus, cum Filium mitteret, an iratus? Reſp.* Similem quæſtionem ipſis opponendo, ex *Iob.* 42. 8; Jubet Deus Jobi amicos, qui male de ipſo erant locuti, offerre ſeptem juvencos & ſeptem arietes per manus Jobi; quæritur, *an placatus?* Si dixerint, Fuit placatus: refelluntur à Scriptura ibidem, *verſ.* 7. Ubi dicit Deus, *Accenſa eſt ira mea.* Ergo jam ſtatuendum erit, Deum iratum poſſe ſuppeditare media, per quæ ira ejus evitetur & placetur.

Reſp. ad *tertium*; momenti illud nullius eſſe. Nam non quæritur, quomodo aliquis interpretetur aliquid, ſed quomodo debeat. Moſen autem non fuiſſe ejuſdem generis Mediatorem, inde patet, quod nec ille ſe pretium dederit pro multis, nec propitiatio ſit pro peccatis noſtris; & quod typicus fuerit Mediator. Chriſtus autem revera Mediator eſt. Ex his jam liquet, functionem Mediationis Chriſti, quatenus à noſtris Theologis docetur, conſiſtere in iſtis: 1. Referre acta offenſæ partis ad reum. 2. Intercedere apud partem offenſam pro rea. 3. Satisfacere parti offenſæ pro rea. 4. Applicare parti reæ hanc ipſam ſatisfactionem. Vide *Keckerm. in Syſtem. Theologico.*

CAP. II.

De Redemptoris ſive Mediatoris Perſona.

VIdimus ea, quæ verba & voces concernebant; videndæ jam nobis res.

Spectatur ergo Mediatoris tum Perſona, tum Officium, tum Effecta.

De Perſona ſunt hi Canones.

I. *Perſona eſt verus Deus, & verus homo.*

Probatum hoc à nobis ante. Hoc hic addimus, humanam Chriſti naturam non conſtituere perſonam, quia aſſumpta eſt in perſonalitatem divinæ, ſed eſſe internum adjunctum ἐνυπόστατον.

II. *Chriſtus redemit nos, non tantum ratione humanæ naturæ, ſed etiam ratione divinæ.*

Vox Mediatoris ſumitur *active*, & *paſſive*; active iterum vel *efficienter*, vel *meritorie*; quà Deus, efficienter nos redemit; quà homo, meritorie. Multa contra hæc objicit Socinus. Et 1, inquit: Quomodo poteſt fieri, ut Chriſtus redemerit merito mortis ſuæ, ſive, redemerit nos per ſatisfactionem, cum mors Chriſti ſit mors unius; multi autem fuerunt rei mortis? præſertim cum mors Chriſti momentanea ſit, mors autem, cujus rei eramus, non tantum erat temporaria, ſed etiam æterna. *Reſp.* Fiebat hoc eo, quia hæc perſona, quæ mortua eſt, Deus eſt & erat, 1 *Ioan.* 5. 20. Princeps vitæ, *Act.* 3. 15. Erat Dominus gloriæ, 1 *Cor.* 2. 8. Unde ſatisfactio hæc erat infiniti valoris. Hinc etiam, 2 Cor. 5. 15, *Vt qui hoc ſtatuerimus, ſi unus pro omnibus mortuus eſt*, &c. Sed *inſtat* Socinus: Atqui Divina natura in ipſo paſſa non eſt, ſed tantum humana. Ergo non poterit dici id, quod paſſum eſt, infiniti valoris. *Reſp.* Fateri nos hoc; quod Divina natura paſſa non ſit, interim tamen paſſa eſt hæc perſona, quæ eſt Deus, etſi non paſſa quà Deus. Vide *Act.* 20. 28.

Objicit porro Socinus: Si paſſio Chriſti infiniti valoris eſt, eo quod hæc perſona paſſa eſt, quæ eſt Deus, etiamſi non qua Deus; Ergo minima quæque paſſio Chriſti erit infiniti valoris, ex eadem cauſa; quid ergo opus erat Chriſtum mori, cum minima paſſione ſatisfacere potuiſſet? *Reſp.* Paræus & alii diſtinctione iſta utuntur. Potuit, inquiunt, minima paſſio Chriſti ſatisfacere, ſi dignitatem perſonæ ſpectes. At non potuit, ſi ſpectes veracitatem comminationis divinæ, quæ erat hæc: *Quo die comederis, morte morieris.* Sed nobis non placet hæc reſponſio. Juſtitia namque divina, ut nec minus, ita nec plus in Chriſto requirere potuit, quam nos debuimus. Ergo reſponſio iſta melior eſt, Chriſtum factum eſſe noſtrum va-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

dem, non pœnæ quæ nobis debebatur commutatione in aliam, ſed ejuſdem in ſe derivatione & aſſumptione; factus enim eſt execratio, ut nos ab execratione liberaret, *Galat.* 3. Et factus eſt peccatum, ut nos fieremus in ipſo juſtitia, 2 *Cor.* 5. 21.

Objicit ultimo Socinus: Unum valore infinitum non poteſt ſufficere pro multis valore infinitis. Atqui Chriſti paſſio eſt unum valore infinitum. Ergo non potuit hoc unum valore infinitum pro tot valore infinitis ſatisfacere. Imo, inquit, ſingula peccata ſunt infinita valore, ex ſententia veſtra; quia unumquodque peccatum reos nos facit æternæ mortis, & in æternum duraturæ; cujus ratio hæc datur, quia peccatum eſt valore infinitum; eſt enim commiſſum in infinitum objectum. Vide *Iunium contra Samoſatenianos*. *Reſp.* Duplex eſſe infinitum valore: vel quod *objective* tale eſt, qualia ſunt peccata noſtra; vel quod & *objective*, & *ſubjective* tale; talis eſt ſatisfactio Chriſti, cujus ſubjectum perſona eſt Chriſtus; etſi ergo tantum ratione humanæ naturæ ſatisfecit, tamen & objective & ſubjective infinita eſt, quia is, qui ſatisfecit, Deus eſt. His ſic habentibus, dicimus, quod infinitum valore, quod & objective & ſubjective tale eſt, poſſit ſatisfacere pro multis infinitis valore, quæ infinita dicuntur objective. Vide hac de re, *Rom.* 5. 15. & ſeqq. 2 *Cor.* 5. 14, 15.

CAP. III.

De Officio Mediatoris triplici; & quidem de Prophetico in ſpecie.

TAntum de Perſona; ſequitur Officium Chriſti, quod triplex: Propheticum, Sacerdotale, Regium.

De Prophetico munere Chriſti ſunt hi Canones.

I. *Chriſtus non tantum interne docuit & docet, ſed etiam externe. Quod interne doceat, de eo infra agemus; quod externe doceat, liquet*, Deut. 18. v. 18.

II. *In externo iſto munere multum differt Chriſtus à Prophetis reliquis.*

1. In eo, quod ille ſit Dominus, hi ſervi. 2. Quod ille ſuam doctrinam propoſuerit; reliqui Prophetæ non propriam, ſed ipſius, imo Spiritu ipſius acti. *Prius* membrum clare extat, *Hebr.* 1. 1, 2, 3. *poſterius* itidem clariſſime patet, 1 *Petr.* 1. 10, 11. & 2 *Petr.* 1. 21. Sociniani, cum non concedant poſterius, eo quod vereantur, ſi obtineatur, obtentum iri nullo negotio, Chriſtum exſtitiſſe, antequam homo naſceretur, ita obſtrepunt, & locum hunc eludere ſatagunt, in *Catecheſi Racoviana*, pag. 112: *Spiritus*, inquiunt, *qui in Prophetis erat, Chriſti dici poteſt, non quod à Chriſto datus fuerit: ſed quod ea, quæ Chriſti fuerunt, prænuntiavit, ut ibidem Petrus ait: prænuntius, qui declararet eventuras Chriſto perpeſſiones; quem loquendi modum etiam habemus*, 1 Joan. 4. 6. *Vbi non propterea ſpiritus erroris, & veritatis, dicitur, quod error & veritas, tanquam perſonæ, eum ſpiritum conferant; ſed quod ſpiritus veritatis, loquatur quæ veritatis ſunt; & ſpiritus erroris, quæ erroris ſunt.* Sed *reſpond.* Quando ſpiritus perſonæ tribuitur, tum ſemper eo tribuitur, ut denotet ejus eſſe. vide *Rom.* 8. *v.* 9. id quod etiam de Chriſto accipiendum eſſe, manifeſte docet Spiritus ipſe, *Ioan.* 16. *v.* 13, 14, 15. Nec obeſt, quod Spiritus iſte prænuntiet paſſiones Chriſti; nam poteſt utrumque eſſe, & hoc, ut Chriſti ſit, & hoc, ut de Chriſto teſtetur.

Pro parte ſecunda differentiæ Chriſti & Prophetarum, ferimus locum, 1 *Petr.* 3. 18, 19. *Per quem ſpiritibus, qui ſunt in carcere, prædicavit*, &c. Adverſarii hic multa excipiunt. 1. *Dicunt*: Adjiciendam eſſe particulam *ſicut*, & ponendam ante voces, *cum ſemel*; ac proinde hic per *ſpiritus* intelligi debere ſynecdochice homines; per carcerem, *quaſi* carcerem. Sed inepta omnia. Nam prædicavit ſpiritibus, qui *olim* non paruerant; oſtendit autem, quando fuerit illud *olim*, *cum* ſcil. *ſemel expectabat*, &c. Deinde à proprietate verborum recedunt ſine neceſſitate in vocibus *ſpiritus* & *carceris*;

item-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

itemque ellipticam ſtatuunt ſine ratione. Imo, ſi ſimpliciter ſuppleatur per vocem iſtam *ſicut*, ſenſus nullus orationis foret. Nam quis ſenſus? Per quem prædicavit ſpiritibus, qui olim non paruerunt, ſicut eum ſemel expectabat, &c. *Dicunt* porro: Dicitur verſu præcedenti, quod morte affectus; Ergo, poſtquam mortuus, prædicavit. Non igitur potuit dici, quod iſtis prædicavit, qui fuerunt temporibus Noë; quia ut Noë fuit longe ante Chriſtum, ita etiam illi qui cum Noacho vivebant. *Reſp.* Ineptias iſtas tolli enſtaſibus ex Scriptura petitis; verbi gratia, de Chriſto, qui natus eſt ex Maria, dicitur, quod ſit Dominus Davidis, *Matt.* 22. 44. Ergo tum factus eſt Dominus, poſtquam natus eſt ex Maria? Item, dicitur de Chriſto, *Ioan.* 8, quod loquutus fuerit cum Phariſæis, & dixerit, ſe fuiſſe ante Abrahamum. Ergo, poſtquam loquutus eſt cum Phariſæis, demum fuit ante Abrahamum? Antequam relinquamus hunc canonem, ſolvendum nobis eſt argumentum, quod Arminiani ferunt, ut oſtendant, non eandem eſſe auctoritatem Verbi Divini, per miniſtros prædicati, cum eo, quod Chriſtus immediate prædicavit. Probare hoc volunt, ex *Hebr.* 2. 2, 3, 4. Sed *reſp.* Nihil tale ibi contineri. Si quid tale videatur, dico, diſtinguendum eſſe inter auctoritatem rei *externam*, & *internam*. Auctoritas Verbi Divini interna eadem eſt, ſive proponatur à Deo immediate, ſive mediate per Prophetas, Apoſtolos, & miniſtros. At externa auctoritas Verbi non eadem eſt. Quia major eſt auctoritas ipſius Dei immediate loquentis, quam miniſtrorum, etſi Deus per os eorum loquatur, *Matt.* 10.

III. *Sociniani dicunt, Chriſtum, ut Prophetam, multum adjeciſſe legi Moſis morali.*

Dictum à nobis paulo ante, vanum hoc eſſe in genere. Sed jam in ſpecie errores illorum refellendi ſunt.

Dicunt, 1. Ad primum præceptum additum eſſe per Chriſtum, de Deo invocando. *Reſp.* 1. Si ita res habet, tum certe, *Pſal.* 50, Deus ſe non jubet invocari; quod falſum, ex *verſ.* 15. 2. Si non erat præceptum de invocando Deo in Veteri Teſtamento, tum nec de credendo in Deum erat. Nam iſta conjungit Spiritus Sanctus, Rom. 10, *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?* In quem autem jubemur credere, illum etiam jubemur invocare. 3. Ad quid Sabbatum inſtitutum, niſi ut Deus eo ipſo die invocaretur? & quid Sabbatum fuiſſet ſine nominis divini invocatione? ut taceam de templo Salomonis, quod erat domus orationis, vel ipſius Chriſti teſtimonio, qui ejiciens illinc ementes & vendentes, dicit: *Domus mea domus orationis eſt*, Matth. 21. 13.

Adjiciunt: Certam formulam precandi, qualem Chriſtus inſtituit, non fuiſſe in Veteri Teſtamento. *Reſp.* Utut hæc precatio & formula Deum invocandi non fuerit, fuerunt tamen multæ aliæ, ut è Pſalmis Davidis liquet. *Obj.* Pſalmi diſtinguuntur ab invocatione, quod commemorent beneficia Dei, & decantent Deo gratias pro illis. *Reſp.* Oportet valde bardum eſſe Adverſarium, qui putet, omnes Pſalmos conceptos eſſe ob beneficia commemoranda, cum plurimi Pſalmi ſint, in quibus Deus adoratur, & diverſa beneficia à Deo petuntur. 2. In oratione Domini ſpectatur tum *formale*. tum *materiale*. Formale quidem non fuit in Veteri Teſtamento, id eſt, methodus iſta iſtarum petitionum inter ſe combinatarum. At petitiones ipſæ, quoad materiale, omnino in Veteri Teſtamento continebantur, ut prolixè à nobis oſtenſum in Theſibus noſtris ſuper Locos Communes, Diſp. XII. *Objiciunt*: Ubi habetur in Veteri Teſtamento, *fiat voluntas tua ſicut*, &c? Omnino illud habetur: dum nimirum David petit, ut Deus animum ſuum inclinet ad ſtatuta ſua, *Pſal.* 119; quod idem eſt plane, etſi diverſis verbis prolatum. Dum namque petimus, ut voluntas Dei fiat in cælo, ſicut & in terra, intelligimus voluntatem ſigni. *Obj.* II. Ubi in Veteri Teſtamento mandatum eſt, ut petamus remiſſionem peccatorum? imo, ubi hoc factum eſt? *Reſp.* Infinita dari poſſunt; ex Pſalmis Davidis vel unus quinquageſimus primus videatur.

Pergit Adverſarius & quærit, ubi in Veteri Teſtamento pro neceſſario habitum fuerit, ut Spiritus Sanctus haberetur ab hominibus, cum ne-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

nemini datus fuerit, priuſquam Chriſtus glorificatus eſſet, *Ioan.* 7. *v.* 39. *Reſp.* Rationem Adverſarii, ſi ſimpliciter ſumatur, prorſus eſſe falſam. Nam notorium eſt, ex 1 *Petr.* 1. 11: & c. 3. 18, 19: & 2 *Petr.* 1. 21, homines Veteris Teſtamenti habuiſſe Spiritum Sanctum. Quod vero hi ipſi putarint, Spiritum Sanctum neceſſarium fuiſſe, liquet manifeſte, è *Pſal.* 51. 13, quanquam vix opus foret his teſtimoniis, ſi conſtet, prout conſtat ex ſupra dictis, in Veteri Teſtamento eadem fuiſſe fidei dogmata, quæ in Novo; jam enim ultro iſta ſequentur: Veteres homines neſciviſſe, quid petere deberent abſque Spiritu Sancto, *Rom.* 8. Non potuiſſe eos Jeſum dicere Dominum abſque Spiritu Sancto; quomodo ergo non neceſſarius Spiritus Sanctus? 2. Ad rationem allatam directe *reſpondeo*, diſtinguendo inter dona Spiritus Sancti ſine ſignis viſibilibus, & ea quæ cum ſigno viſibili ſunt collata, & inter dona gradus perfectioris, atque imperfectioris. Dico, locum Joannis accipi debere de datione Spiritus Sancti, cum ſignis viſibilibus, & gradu perfectiore, quomodo non datus fuit, niſi poſt aſcenſionem Chriſti.

Ad ſecundum præceptum putant adjectum hoc: Quod non tantum jubeamur non adorare aut colere idola, ſed etiam frequentare loca illa, ubi religioſe coluntur, qualia fuerunt olim templa Ethnicorum, jam vero ſunt Pontificiorum.

Reſp. Ineptum hoc eſſe; Nam non ſimpliciter prohibemur loca illa vitare, ubi religioſe idola coluntur. vide hac de re, *Act.* 17. & 19. 2. Diſtinguo: Prohibemur in iſtis locis habitare ita, ut idola faciamus, aut ea colamus: ſed ita habitare, ut teſtemur, nos ea abominari & diſſenſionem profiteri, quemadmodum dictis locis patet, non prohibemur. Quod vero de habitatione dicitur, id etiam de frequentatione intelligendum eſt. Ad locum, *Exod.* 23. *v.* 24. & 33, prolatum à Francio, reſpondere vult Smalcius; prohibitum eſſe in Veteri Teſtamento, ne quis locum iſtum ob metum ſeductionis, aut colluſionis ſuſpicionem, frequentet; in Novo Teſtamento, etiam præter hoc, ne ſcandali ſubtilis cauſa fiat. Næ, ſubtiles ineptiæ! ad locum nihil reſpondet. Nam majus quid eſt, quod prohibetur, ne nomina Deorum nominentur, quam metus ſeductionis aut ſuſpicionis colluſio. Et præterea majus, quod prohibetur expreſſe, minus includit continetque.

Ad præceptum de non aſſumendo in vanum nomine Domini, dicunt adjectum eſſe: Quod in Veteri Teſtamento ſint prohibita juramenta falſa, non vero temeraria; & dicunt, vocem iſtam לשוא, Exod. 20. 7, *notare falſum, doloſum.*

Reſp. Vanum hoc eſſe, quod vox hæc tantum ſignificet falſum. Nam etiam ſignificat vanum, fruſtraneum, אמרתם שוא עבד אלהים, *Dixiſtis, vanum eſt ſervire Deo.* Malach. 3. 14. &, Jerem. 4. 30: לשוא תתיפי מאסו־בך, *in vanum reddes te pulcram*, vel *ornabis te.* Sic *Pſal.* 127: שוא שקר שומר, *fruſtra cuſtodit cuſtos*, v. 1. *Objicit* Catecheſis Racoviana: Non ſolum non licet pejerare, verum etiam nec in veris jurare, niſi graviſſimis cauſis adacti, iiſque quibus gloria nititur, ex *Matt.* 5. 34. *Reſp.* Locus nihil facit pro Catecheſi. Nam etiam nos fatemur hoc ipſum, quod non liceat niſi de graviſſimis cauſis jurare. Sed & hoc fuit ſervatum in Veteri Teſtamento; niſi forte hoc velint Adverſarii, licuiſſe profanare nomen Domini in Veteri Teſtamento, quod non licet in Novo; quod abſurdiſſimum.

Præcepto quarto dicunt adjectum hoc: Quod dies Sabbati mutetur in diem Dominicum.

Sed nugaciter. Nam id, quod ad circumſtantiam temporis adjectum eſt, non poteſt dici adjectum ad ipſum præceptum morum. *Obj.* Non eſſe mutatum diem Sabbati: quia ratio iſta, quare ſanctificandus ſit hic dies, adhuc durat: *Perfecit Iehova cælum & terram, & ſeptimo die quievit.* Hæc, inquit, ratio perpetuo eſt vera; Ergo & hoc, quod ex iſta ratione infertur, debet eſſe perpetuo durans. *Reſp.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Præſupponi hypotheſin falſam hoc argumento, quod ſcilicet præceptum illud, ſive res, quæ præcepto præcipitur, durare debeat durante cauſa, & ratione præcepti. Ecce enſtaſis: In Scriptura Veteris Teſtamenti prohibetur eſus ſanguinis, ob hanc rationem, quia anima cujuſque carnis eſt in ſanguine. Hæc ratio durat etiamnum; at vero res ipſa, quæ præcepto prohibetur, non durat.

Præcepto de non occidendo dicunt adjectum hoc: Quod omnis vindicta ſit prohibita. Unde jam, 1. Non licere aliis alios accuſare apud Magiſtratum. 2. Non licere Magiſtratui, quenquam ſupplicio afficere, ex quacunque tandem cauſa. 3. Non licere bella gerere. 4. Non licere arma cudere, quibus quis offendatur.

Nos ad omnia *reſpondemus* breviter. 1. Diſtinguimus vindictam, in privatam, & publicam; & dicimus, in utroque Teſtamento prohiberi privatam, juberi publicam: & quidem in Veteri Teſtamento vindictam publicam juberi, patet, ut ex aliis multis, ita ex *Levit.* 24. 20, *Fractura pro fractura*, &c. Prohiberi vero vindictam privatam, patet, *Levit.* 19. 18, *Ne ulciſcitor*, &c. Et Proverb. 24. 29, *Ne dicito, quemadmodum fecit mihi, ita faciam ei; reddam iſti viro ſecundum opus ejus.* In Novo autem Teſtamento mandatam eſſe publicam vindictam, patet, *Rom.* 13. 1, 2, 3, 4. 1 *Petr.* 2. 14, *Sive præſidibus, ut qui per eum mittantur, tum ad ultionem facinoroſorum, tum ad laudem bene agentium.* Itaque ex eo, quod prohibetur vindicta privata in Novo Teſtamento, non licet argumentari ad publicam, quaſi & illa ſit illicita. *Reſp.* 2. Vindictam privatam conceſſam in Novo Teſtamento, præſertim iſto caſu, ubi ſervari poteſt moderamen inculpatæ tutelæ, ut vocari ſolet; quod tum fit, cum vis ſubita ingruit, ita ut nequeamus evadere: & ſecundo, ſi vis ſit manifeſta, vitamque aliter tueri nequeamus, niſi occidendo. 3. Si fiat in continenti, non poſt aliquod temporis intervallum; quia, ſi datur intervallum, videtur poſſe evitari. 4. Si fiat ex animo defendendi, non ex impatientia, ira, aut vindictæ ſtudio. 5. Ut fiat cum proportione inſtrumentorum defenſionis, ne ſcilicet, ſi quis te invadat fuſte, tu eum bombarda trajicias. His circumſtantiis obſervatis, licet cuivis privato vindictam exercere privatam, ita ut & interficere iſto caſu liceat; quod probatur, *Exod.* 22. 2, ubi furem, noctu domum ſuffodientem, licet interficere.

Obj. At nos jam iſtud mandatum de ultione publica non habemus. *Reſp.* Mandatum hoc eſſe politicum & forenſe. Forenſia autem præcepta, ſive leges, duplicis ſunt generis, ut à nobis alibi oſtenſum. Nam quædam ſunt, quæ ortum habent ex certa ratione ad terram Palæſtinam, pertinentem ad populum Iſraëliticum; qualia præcepta erant de annis Jubilæis, de ſervis fugitivis. Hæc præcepta non pertinent ad nos, neque obligant nos. At eſt genus præceptorum forenſium diverſum ab hoc, & ad omnes pertinet; quale eſt hoc, de quo ſupra. Pertinère autem ad omnes, inde patet, quod, ſi non pertineret, tum utique ſtatuendum eſſet ex Verbo Dei, Deum conſtituiſſe Magiſtratum in vindictam ſceleratorum, & tutelam ac præmia bonorum, dediſſeque ipſi gladium in manus, & interim tamen non præſcripſiſſe ipſi præcepta, ſecundum quæ gladio iſto legitime uteretur; quod utique abſurdiſſimum eſt.

Quod porro dicunt, non licere exercere judicia Magiſtratui, ex eo refellitur, quod Spiritus Sanctus inſtituerit Magiſtratum, dederit leges. Ergo voluit judicia exerceri. Antecedens patet, *Rom.* 13. 1 *Petr.* 2. Conſequentia clara. Quia Magiſtratus & legum finis eſt inter alios præcipuus, judicium exercere. Hoc argumentum maximi facit Petrus Martyr, in ſuis Locis Communibus: & certe eſt inſolubile.

Ad capitalia ſupplicia quod attinet, manifeſta loca ſunt, Magiſtratui licere, imo debere, capitis ſupplicio afficere eos, qui meriti ſunt, *Matt.* 26. *v.* 52. *Apoc.* 13. 10. Sed *reſpondet* Smalcius ad hæc loca, & dicit, in utroque prædici, quid eveniat iſtis, qui occidunt alios; non autem dicit, quid fieri oporteat ex officio Magiſtratus. *Reſp.* 1. Imo vero manifeſte hoc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

fieri debet ex officio, ut patet, *Rom.* 13. 1 *Petr.* 2. *Reſp.* 2. Locus iſte Apocalypſeos clariſſime hoc evincit; Nam particula iſta δεῖ, qua ibidem utitur Spiritus Sanctus, aut idem valet quod *neceſſe eſt*, & refertur *ad eventum*; aut idem ſignificat quod *oportet facere*, & refertur *ad officium agentis*; aut denique ſignificat idem quod *opus eſt*, & ſic *ad indigentiam adminiculi* refertur. At neque prima, neque tertia ſignificatio hic habet locum. Ergo ſecunda, nimirum quod oportet hoc facere. Major patet ex verbi imperſonalis δεῖ generali uſu, quippe qui nunquam niſi in aliqua trium iſtarum ſignificationum reperitur. Quod autem non primam ſignificationem hic obtineat, nec tertiam, cuivis manifeſtum eſt. Ergo ſecundam. At ſi ſecundam obtinet, tum *oportet* notet officium agentis.

Quod ad illud attinet, *An bella gerere liceat?* Iſtius affirmativam alibi prolixe probavimus. Jam unicum argumentum, quod hanc rem evincit, afferimus à Joanne Baptiſta, qui, dum ex eo quærunt milites, quid ſibi faciendum ſit, non jubet eos vitæ genus deſerere, quod facturus fuiſſet, ſi bella gerere non liceret; ſed tantummodo eos ab oppreſſione & concuſſione abſtinere jubet. Smalcius ad hoc argumentum nil reſpondet, quam hoc. Ex Joanne non debere nos præcepta morum haurire, in Novo Teſtamento ſequenda. Abſurde profecto; annon Joannes ille erat, qui in virtute & ſpiritu Eliæ converſurus erat rebelles? Sed ita oportet ſe dent, qui veritatem manifeſtam oppugnatum eunt. Quod de armis movetur non fabricandis, prioribus everſis, per ſe corruit.

Præcepto de non mœchando dicunt hæc adjecta eſſe: 1. Quod non tantum prohibeatur externa mœchatio, ſed etiam interna; quod in Veteri Teſtamento factum non fuit. 2. Quod in Veteri Teſtamento non fuerint prohibitæ ſcurrilitates, vanitates, impudicitiæ, & turpitudines. At hæc omnia prohibita in Novo Teſtamento, Eph. 5. 4. Col. 3. 8. *3. Quod in Veteri Teſtamento fuerit conceſſus concubinatus & polygamia, quæ in Novo Teſtamento ſerio eſt interdicta; itemque de divortiis afferunt, quæ in Veteri Teſtamento permiſſa fuiſſe affirmant, cum tamen hæc eadem non permittatur in Novo.*

Breviter ad ſingula *reſpondebimus*; Et quidem ad *primum*: manifeſte prohibetur in Scripturis Veteris Teſtamenti concupiſcere fœminam, *Proverb.* 6. 25. Hinc reprehenduntur, qui alienas concupiſcunt uxores, *Ierem.* 5. *v.* 8. *Iob.* 31. 1. *Reſpondet* Smalcius ad hæc omnia, contra Francium: Proferri iſta, ex *Proverb.*, *Ieremia*, *Iobo*, cum non ſint ejuſdem auctoritatis cum iis quæ in Moſe leguntur. *Reſp.* Nec quæſtio eſt, an ex Moſe poſſint omnia, ſed an ex Veteri Teſtamento iſta poſſint probari: & certe Adverſarii videntur neſcio quid ſentire de reliquis libris Veteris Teſtamenti præter libros Moſis. Nam ſi non ſentiunt, eos eſſe canonicos, præterquam quod diſtinctionem notoriam, in Eccleſia receptam librorum canonicorum rejiciant oportet, ubi diſtinguuntur libri canonici in legem, prophetas, & ἁγιόγραφα, etiam hoc illos ſtatuere oportet, quod iſti libri canonici non ſint, & rationem ſaltem aliquam iſtius ſuæ aſſertionis adferre debent.

Quod ad verborum *ſcurrilitates*, *vanitates* attinet, illas prohibitas eſſe vel ex *Eccleſ.* 12 patet: *Lætare*, inquit, *juvenis in juventute tua.* Ubi duo hilaritatum genera Eccleſiaſtes videtur ponere, unum illicitum, alterum ex conſequenti licitum: & hic quidem de illicito directe agitur; hilaritates autem, quà ſe oblectat juvenis, illicitæ ſunt ſcurrilitates, verborum vanitates, & id genus alia; Atqui propter hoc genus illicitarum voluptatum & hilaritatum dicitur adducendus in judicium.

Sed in ſpecie nobis hæc ſunt probanda. Ergo ſcurrilitas & impudicitia ſpeciatim prohibetur, *Deut.* 22. Ubi mulieri prohibetur ſub maledictionis pœna, ne induat veſtes viriles, *Deut.* 23. Turpitudo prohibetur, ne quis intra caſtra alvum exoneret, neque extra caſtra relinquat non coopertum terra. Maxime vero ad rem facit, quod Spiritus Sanctus, agens de rebus obſcœnis, utatur verbis pudiciſſimis, ut, cum de coitu viri & fœminæ agit, exprimere

hoc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

hoc ſolet per vocem *cognovit: Cognovit Adam Evam*, Gen. 4. 1. Cum agit de exoneratione alvi, utitur phraſi iſta, *Texit pedes*, 1 Sam. 24. 4. Ad hoc argumentum longe efficaciſſimum *reſpondet* Smalcius: Hoc, inquit, Deus fecit, cum alloqueretur homines in Veteri Teſtamento; ſed interim non juſſit hunc modum ſervare in Veteri Teſtamento. *Reſp.* Spiritum Sanctum non de nihilo hoc feciſſe, ſed ut nobis exemplum præberet, quomodo in his & ſimilibus agere debeamus. 2. Si hoc ad ſanctitatem Dei pertinet, ſive, ſi ſit effectum ſanctitatis Dei, tum hoc ad omnes homines Veteris Teſtamenti pertinebit, quia habebant illi præceptum, *Levit.* 11, ut eſſent ſancti, ſicut & Deus ſanctus eſt.

Quod ad *concubinatum, & polygamiam*, attinet, illa negamus unquam conceſſa eſſe in Veteri Teſtamento; & negationem noſtram probamus ex *Matt.* 19. 5. Ubi Chriſtus legem, quam Deus tulit, *Gen.* 1. *v.* 27, repetit, *Erunt duo in carne una.* Ochinus contra hæc *objicit*, 1. Quod nunquam legatur Abrahami concubinatus, polygamia Davidis, Salomonis, & aliorum, eſſe reprehenſa in Scriptura. 2. Quod videatur Deus ipſe auctor fuiſſe polygamiæ, ut videre licet, 1 *Sam.* 12. 8. *Reſp.* Falſam hypotheſin præſupponere Adverſarium, quod, ſi aliquod factum in ſingulari non taxatur, id propterea in ſe non ſit vituperandum. Nam ubi, quæſo, inceſtus Lothi, ebrietas Noachi, taxantur? An propterea, quod non reprehendantur, peccata non ſunt? ſufficit ergo ſi ſit lex in genere tradita, ex qua poſſunt & hæc alia vitia cognoſci & prohiberi. & ita lex à Deo lata, à Chriſto iterata, facit tum contra concubinatum Abrahami, tum contra Davidem, Salomonem, & alios polygamos quoſcunque. Ad 2, *reſp.*, hic quoque Adverſarium falſam hypotheſin præſupponere, quaſi vero propterea, quia Deus tradidit uxores Saülis Davidi, Davidi licuerit omnes illas in uxores ducere. Oſtendimus hypotheſeos falſitatem è textu. Nam in textu etiam dicitur, Deum tradidiſſe domum Saülis Davidi, interim tamen Davidi non licuit illud, quod proprium erat Saülis, Saüli eripere, ac ſibi vindicare; quemadmodum videre eſt in Achabo, 1 *Reg.* 22. Qui auferendo vineam Nabotho, graviſſime peccavit. Diſtinguo ergo: tradidit Deus uxores, ut & reliqua omnia Saülis, Davidi, ut imperium in iſta haberet, non autem, ut quocunque tandem modo iis abuteretur.

Ad *divortium* quod attinet, fatemur hoc, quod Chriſtus ipſe dicit, quod pro duritie cordis ipſorum Deus ipſis permiſerit uxores dimittere. At permiſſio duplex nobis in Scriptura proponitur. Una, quando Deus ob duritiem cordis & contumaciam alicui permittit aliquid; & hæc permiſſio non excuſat à peccato: nec enim quia tibi permittit Deus, ideo quod hoc facis, immunis es à peccato; quia permittit in malum tuum. Alia permiſſio eſt, quando Deus libere aliquid permittit, dum permiſit Sabbatum profanari à Sacerdotibus, de qua, *Matt.* 12, & hanc permiſſionem qui ſequitur, non peccat. Cæterum prioris exempla vide, *Num.* 22, in Bileamo, qui, cum prohiberetur, ne iret ad Balachum populo Dei maledicturus, ille tamen hoc flagitare à Deo cum perſiſteret, permittit hoc ipſi Deus; ſed ille à peccato non excuſatur, quum facit hoc, quod ſibi importune flagitanti permiſerat Deus; propterea etiam Angelus Domini eum obtruncare voluit. Ita permiſit Deus coturnices, quas, manna ſpreto, poſtulabant contumaciſſimi Iſraëlitæ; illi tamen, quod iſtis veſcerentur, non liberi erant à peccato, ideo dicit Spiritus Sanctus, *Num.* 11. *v.* 33: *Earum caro erat adhuc inter dentes illorum, nondum exeſa erat, quum ira Iehovæ accenſa eſt in populum*, &c.

Præcepto de non furando adjectum aiunt: 1. *Quod non tantum prohibeamur res alienas auferre, quod fuit etiam vetitum in Veteri Teſtamento; Verum etiam hoc adjectum eſt, ne quis plus retineat, quam ad ſe alendum ſatis eſt. Hoc namque quod ultra eſt, ſi retineat quis, retinet, quod jure caritatis proximo debetur. Adfertur autem ad hoc probandum ab Adverſariis locus*, 1 Tim. 6. 8.

Sed *reſp.* Spiritus Sanctus loquitur hoc loco

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

potiſſimum de iis qui tenuioris ſunt fortunæ, ut patet ex *verſu 6*; alioqui nulli poſſent eſſe divites; cum tamen eodem capite *verſ.* 17, præſcribat Apoſtolus divitibus, quomodo ſe gerere debeant. 2. Quod liceat plus retinere, quam ad ſe alendum ſufficit, patet vel ex 2 *Cor.* 12. 14, ubi dicit Spiritus Sanctus, quod filii non debeant parentibus colligere theſauros, ſed parentes filiis. Si ergo debent homines congerere theſauros; Ergo poſſunt plura poſſidere, quam ad illos alendos ſufficiant. In Veteri Teſtamento vero fuiſſe habitam rationem pauperum, & præſcripta media ea, quæ ne in Novo Teſtamento quidem reperiuntur, ad illos ſublevandos, Adverſarii negare non poſſunt.

Media autem ſuccurrendis pauperibus deſtinata, hæc erant. 1. Ne ſeptimo quovis anno quiſquam mutuum repoſcere auderet, *Deut.* 12. 2. Ne appropinquante anno ſeptimo divites ad mutuandum fierent remiſſiores, ibid. *verſ.* 8: additur comminatio, *verſ.* 9, *Cave tibi*, &c. promiſſio, *verſ.* 10: *Liberaliter dato ei*, &c. 3. Præceptum erat divitibus, ut ſub jubilæum ſervos & ancillas libere dimitterent, non vacua manu: *Ne dimittito eum vacuum, liberaliter impone collo ejus de grege tuo*, &c. *Deut.* 15. 13, 14. 4. Agri vendi non poterant, nec ſervi, niſi ſub conditione redemptionis, *Levit.* 25. *v.* 24, 25. 5. Prohibitum erat, ne mutuo detur fratri pecunia cum ſpe uſuræ, *Deut.* 24. *v.* 6. 6. Præceptum erat, ut quovis anno ſeptimo pauperibus omnia eſſent communia è terra, & in arboribus creſcentia, *Levit.* 25. 7. Ne in meſſe præciſe demeterentur omnia avidiſſime, ſed etiam aliquid relinqueretur peregrinis & viduis, *Deut.* 24. 28: & 26. 11, 12, 13. Hinc, *Deut.* 15. 4, dicitur, egentem non debere eſſe in Iſraële; & tamen dicitur, *verſ.* 11, ejuſdem capitis, nunquam defore egentem in Iſraële. quod ita conciliatur ab interpretibus: Non erit, ut mendicet; erit tamen, ut à te ſine mendicitate ſuſtentari debeat.

Obj. Dictum eſt, de paupere ſublevando plura præcipi in Veteri Teſtamento, quam in Novo. Anne ergo Novum hac in parte imperfectius Veteri? *Reſp.* Non. Nam Novum utitur pro occaſione tantum illis, quæ ſunt in Veteri Teſtamento propoſita, non vero de novo iſta proponit, quemadmodum utitur jam hoc, jam iſto, præcepto legis pro occaſione, non autem ex profeſſo proponit doctrinam præceptorum, quæ in Veteri Teſtamento fuerunt propoſita.

Deinde dicunt, adjectum ad præceptum hoc in Novo Teſtamento: Ne diligamus mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. Ubi autem, inquiunt, hoc præceptum in Veteri Teſtamento? *Reſp.* Utut quoad verba hoc præceptum non erat, præceptum tamen hoc erat quoad ſenſum. Nam quid ſit, Spiritus Sanctus indicat, 1 *Ioan.* 2. 16. videlicet intemperantia in cibo & potu, libido, & ſuperbia. Atqui Deum præcepiſſe temperantiam in cibo & potu manifeſte patet, *Eccleſ.* 12. 14. item, *Deut.* 29. 18. Hoc idem colligitur, 1 *Petr.* 3. 5, 6. Ubi Sara & aliæ ſanctæ mulieres proponuntur in exemplum, & laudantur; non laudatur autem aliquid in Scriptura, niſi quod legi conforme eſt. Nam non eſt bonum moraliter, niſi quod legi congruum.

Ad nonum præceptum dicunt iſta adjecta eſſe: 1. Quod in Novo Teſtamento prohibentur mendacia ex levitate profecta; quæ in lege non prohibentur. 2. Quod in Novo Teſtamento prohibeatur, ne judicemus alios; quod in Veteri prohibitum non fuerit. 3. Quod in Veteri Teſtamento non fuerint prohibitæ obtrectationes, detrectationes, imprecationes: in Novo autem Teſtamento hæc omnia, inquiunt, prohibita.

Reſp. ad 1. Mendacia prohibita fuiſſe quæcunque tandem, patet, *Exod.* 23. 2. *Levit.* 19. 11. Ad 2. Manifeſte iſtius exempla proponuntur in Veteri Teſtamento, quæ etiam damnantur, ut 1 *Sam.* 1, ubi Eli Annam orantem ebriam judicabat: item, 2 *Reg.* 5. 7, in rege Iſraëlis, qui male judicat de rege Syrorum, quaſi Naaman miſiſſet, quærens occaſionem belli; & hoc ipſum indigitat manifeſte

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Spiritus Sanctus, *Exod.*23.1. Tertium exemplum detrectationis vide, *Num.* 14. 36, ubi Iſraëlitæ detrahunt terræ, & Moſi per conſequens; & *Gen.* 31, ubi filii Laban conqueruntur de Jacobo, quaſi abſtuliſſet eorum ſubſtantiam. Obtrectationes prohibitas eſſe, patet ex *Levit.*19.16. *Pſal.*101.5. *Prov.*4. 24. Quod ad *execrationem* attinet, dicunt Adverſarii, in Veteri Teſtamento licuiſſe imprecari, at non in Novo. Nos dicimus, etiam in Novo licere, certis caſibus, ut *Act.* 23. *v.* 3. *Gal.* 5. *v.* 12. Quod ſi dixerint, eſſe diſtinguendum; reſponſum habebunt in promptu. Nam quamcunque adhibuerint ad hæc, quæ attulimus ex Novo Teſtamento; eandem nos adhibituri ad ea, quæ afferunt ex Veteri Teſtamento. Cæterum, quando licuerit in Veteri Teſtamento imprecari, & quando non licuerit, doctiſſime tractat *Petrus Martyr in Locis Communibus.*

Ad decimum præceptum nihil habent, quod adjectum putent.

Smalcius tamen in fine dicit, leges plurimarum Gentium perfectiores eſſe legibus Moſis: quæ quidem aſſertio non tam in Moſen, quam in Spiritum Sanctum, eſt contumelioſiſſima, ut qui leges has, omnium Gentium leges ſuperare teſtatur, *Deut.* 4. 6. Ultimo addit Smalcius: Ubi, quæſo, jubemur animam ponere pro proximo? quemadmodum in Novo Teſtamento, 1 *Ioan.* 3. 16. *Reſp.* Jubemur, cum jubemur proximos diligere ſicut nos ipſos; & cum jubemur hoc, quod volumus nobis fieri ab aliis, aliis facere. Quemadmodum autem ego vellem, ut mihi periclitanti, alter cum periculo vitæ ſuæ ſuccurrat; ita & ego debeo cum periculo vitæ meæ, ſi aliter fieri nequeat, fratri periclitanti ſubvenire.

IV. *Non tantum Chriſtus eſt Propheta externe, ſed etiam interne docens.*

Eſt hic actus ſecundus prophetici muneris Chriſti, interne nimirum docere. Quod quidem à Theologis diſtinguitur: Quod internum docere Chriſti, ſit vel ſpeciale quorundam electorum, vel commune omnium. Speciale, ut, cum interne docuit Apoſtolos per Spiritum Sanctum, *Ioan.* 16. 13. Commune, cum ſc. illuminat omnem hominem, qui illuminatur, *Ioan.* 1, aperit cor Lydiæ, *Act.* 16, dat fidem, *Marc.* 9. 28. *Luc.* 17. 8. Atqui hunc actum Sociniani negare non poſſunt, & tamen hic actus talis eſt, qui ſoli Deo competit. Nam ſi ſolius Dei eſt cor ſcrutari, *Ierem.* 17, quanto magis ſolius Dei erit, cor hominis ſic vel ſic fingere ac refingere. *Obj.* Actus iſte non poteſt eſſe actus Mediatoris Chriſti, quia communis eſt Chriſto cum Patre & Spiritu Sancto. *Reſp.* Ea ratione non eſt communis, quod Chriſtus actum hunc edat, ita ut meritus etiam ſit hominibus bonum hoc, in quibus actum hunc edit. At nec Pater, nec Spiritus Sanctus, poſſunt dici meruiſſe.

CAP. IV.

De Officio Sacerdotali.

TAntum de Officio Chriſti Prophetico; ſequitur Officium Chriſti Sacerdotale. De quo ſunt hi Canones.

I. *Sociniani negant, Chriſtum eſſe proprie dictum Sacerdotem.*

Cauſa, quare negant, eſt, quia, admiſſo hoc, admittant neceſſe eſt, Sacrificium Chriſti eſſe proprie dictum; atque ita oportet porro ſtatuant, cum Chriſtus ſit hoc idem Sacrificium, vice noſtri eum immolatum eſſe. Sed de hoc inferius. Nunc probanda eſt affirmativa canonis contra ipſos.

Probamus autem canonem affirmative his argumentis, 1. ex *Hebr.* 5. Ubi Spiritus Sanctus, cum, *verſ.* 1, 2, 3, 4, deſcripſiſſet Pontificem proprie dictum, hanc ipſam deſcriptionem Chriſto applicat, *verſ.* 5, 6. At, ſi Chriſtus non eſt proprie dictus Sacerdos, deſcriptio talis ipſi non poterit applicari.

2 *Argum.* eſt, ex *Hebr.* 8. 3. Ubi infert Spiritus Sanctus, Chriſtum Pontificem habere quod offerat: quia omnis pontifex ad offerenda dona & victimas conſtituitur. At hæc ratiocinatio nullius momenti erit, ſi Chriſtus non erit proprie dictus Sacerdos; non eſt enim ne-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

neceſſe, ut, ſi proprie dicto aliquid competat, hoc idem competat improprie dicto; ut, ſi, verbi gratia, riſus proprie dictus competat homini, non ſtatim competit hic riſus proprie dictus amœnitati & viriditati pratorum.

Reſp. Socinus & Smalcius cum ipſo ad hoc argumentum reponunt: Collationem Pontificis non fieri cum Chriſto in ſacrificiis, ſed in modo ſacrificandi. At hoc contra clarum textum eſt, ubi comparatio fit in donis. Sed nos argumento rem evincamus. Ita ergo argumentamur. Ea collatio intelligitur in concluſione, quæ fuit in præmiſſis. Atqui oblatio in præmiſſis eſt proprie dicta. Ergo & in concluſione. Major patet, quia, ſi in concluſione de alia collatione agatur, in præmiſſis de alia, erunt quatuor termini, atque ita præmiſſæ erunt de allio, concluſio de cepis. At non judicandum eſt, Spiritum Sanctum tam turpiter hallucinari in Syllogiſmo formando.

3 *Argum.* Chriſtus dicitur Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedechi. Ergo eſt proprie dictus Sacerdos. Ratio conſequentiæ, quia Sacerdos, qui ordinis certi dicitur eſſe, eſt proprie dictus Sacerdos, prout ille, qui nullius ordinis eſt, metaphoricus recte dicitur; quales ſunt omnes fideles, qui in Scriptura vocantur Sacerdotes, idcirco metaphorice dicuntur tales. Hoc argumentum Socino inſolubile. Reſpondere tamen conatur, & dicit: dici ordinis Melchiſedechiani propter ſimilitudinem, quam habet cum Melchiſedecho. At, ſi propterea dicitur talis, tum non video, cur non etiam dici debeat ſecundum ordinem Aaronis, quia etiam ſimilitudinem habet cum Sacerdotio Aaronis; ut videre eſt in epiſt. ad *Hebr.* *à 1 cap. uſque ad* 10.

4 *Argum.* Si Chriſtus non eſt proprie dictus Sacerdos; Ergo non poterit dici perfectior Sacerdos, quam fuit Sacerdos Leviticus. Atqui perfectiorem aſſerit Spiritus Sanctus à *cap.* 7 *ad Hebr. ad* 10. Conſequentiæ ratio. Quia abſurdum eſt ſtatuere, metaphorice tale eſſe perfectius illo, quod eſt proprie dicendo tale; ut, ſi quis diceret, riſum pratorum eſſe perfectiorem hominis riſu. Quid ad hæc Socinus? *Dicit:* Illud, quod eſt improprie dictum tale, ſæpius eſt perfectius eo, quod proprie dictum tale eſt. Hoc nihil ad rem. Nam hæc non eſt quæſtio. Sed utrum hoc, quod proprie tale non eſt, ſit perfectius eo, quod proprie tale eſt; pro nobis ratio invicta eſt, quia, quod improprie tale eſt, perfectione iſta caret, quam habet illud, quod proprie dictum tale eſt. Res nobis exemplo illuſtranda fuerit; verbi gratia, Chriſtus dicitur lux; Lux eſt qualitas corporis pellucidi, ut ſolis, &c. At Chriſtus, qui dicitur lux, quatenus dicitur lux, non poteſt dici perfectior proprie dicta luce; quia præter nomen lucis nihil habet: etiamſi Chriſtus infinities præſtantior ſit luce, non tamen, quatenus Chriſtus, lux eſt; ſed quatenus Chriſtus, homo eſt & Deus.

Obj. 1. Chriſtum non poſſe dici proprie dictum Sacerdotem, quia nemo iſtius Sacerdotis meminit, niſi epiſtola ad Hebræos. At ſi eſſet proprie dictus Sacerdos, utique etiam alii ſcriptores Divini ita ipſum vocarent: Atqui ipſum propriis vocibus, non tamen Sacerdotem, nominant. *Reſp.* Hypotheſin falſam præſupponi, quaſi, ſi ſola hæc exempla ſunt, quæ illum Sacerdotem vocant, propterea oporteat hoc improprie accipi; an enim non ſunt multa in Scripturis ἅπαξ λεγόμενα, quæ tamen proprie dicuntur? 2. Falſum hoc, quod alii divini ſcriptores mentionem non faciant; quid enim ſibi vult illud Davidis, *Pſal.* 110, *Tu es Sacerdos*, &c. 3. Poſſe unam eandemque rem diverſis vocibus efferri, nominari: quare etſi eum alii ſcriptores nomine Sacerdotis non inſigniant, æquipollentibus tamen id faciunt; ut quod ab ipſis dicatur Advocatus, propitiatio pro peccatis noſtris.

Obj. 2. Si Chriſtus eſt proprie dictus Sacerdos; Ergo eſt Leviticus Sacerdos. *Reſp.* Conſequentiam nullam eſſe. Infringitur enim enſtaſi Melchiſedechi, qui fuit proprie dictus Sacerdos, nec tamen fuit Leviticus; patet namque reſponſio ex ſupradictis, ubi Sacerdotium proprie dictum, in Aaronicum, & Melchiſedechianum, diſtinximus.

Obj. 3. Sacerdotium deſcribitur interpellatione pro nobis. Atqui interpellatio non poteſt proprie accipi pro ſacrificio. Ergo nec

Chri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Chriſtus pro proprie dicto Sacerdote. *Reſp.* Nunquam Sacerdotium ſola interceſſione deſcribitur. Nam ut Sacerdotium non conſiſtit in ſola interpellatione, ut infra oſtenſuri ſumus, ita etiam ſola interpellatione non poteſt deſcribi.

II. *Sociniani negant, Chriſtum in terris ſacrificaſſe, aut Sacerdotem eſſe.*

Nihil eſt utilius diſputatori cum Socino, quam omnia excutere, quæ ad materiam, de qua diſputat, pertinent. Ita enim, ſi non in uno, in altero certe error clare deprehendetur. Nos contrarium canonis Sociniani in Scriptura clariſſima luce radiare aſſerimus.

1 *Argum.* Eph. 5. 2: *Tradidit ſemet ipſum pro nobis.* Quo loco agi de traditione in mortem dubium non eſt, hoc namque loquendi modo Scriptura utitur, cum Chriſtum ut pro nobis traditum proponit. vide *Rom.* 4. 25. Adverſarii *reſp.* ad hunc locum, qui ipſis ſolutu difficilis eſt, oblationem & victimam referri ad verbum *tradidit*, ita ut traditio iſta ſit oblatio illa cum victimis, non vero Chriſtus. *Reſp.* Fucus iſte eſt, non reſponſio. Nam hic non traditio, ſed res tradita, nimirum Chriſtus, oblatio & victima vocatur; alias, ſi non regantur à verbo *tradidit*, oblatio & victima, ſenſus nullus erit; quod tamen fieri oportet, ſi vox oblationis & victimæ referatur ad verbum *tradidit.* Accedit ſimilis locus, quem tamen illi pro ſe citant, *Phil.* 4. 18; ubi non miſſio vocatur hoſtia accepta Deo, ſed res miſſa; ita & in priori loco non traditio, ſed res tradita.

2 *Argum.* Hebr. 1. 3, *Purificatione peccatorum noſtrorum per ſeipſum facta.* Hinc tale argumentum: Si, purificatione peccatorum noſtrorum peracta, ſedet ad dexteram Dei; Ergo conſequitur, Chriſtum in his terris Sacerdotem fuiſſe; quandoquidem certum eſt ſecundum Scripturam, purgationem peccatorum non niſi ſacrificio peregiſſe, Hebr. 9. 12, *Per proprium ſanguinem ingreſſus eſt ſemel in ſacrarium, æternam redemptionem nactus.* Socinus & Smalcius non habent, quod huic argumento opponant, præter hoc, quod his locis non exprimatur, ubi iſta purgatio & redemptio ſit adepta. *Reſp.* Falſum hoc eſſe; Nam cum dicit, purgatione facta ſedere ad dexteram majeſtatis ſuæ, item, Redemptionem adeptus, ingreſſus eſt ſanctuarium æternum; hoc ipſo oſtendit, antequam in cælum aſcendiſſet, hæc facta eſſe. Atqui antequam in cælum aſcendiſſet, in terra fuit. Ergo etiam in terra purgationem peccatorum noſtrorum per ſe ipſum peregit.

3 *Argum.* petimus ex diſtinctione oblationis. Duplex eſt oblatio: Una, quæ proprie dicitur ſacrificium; altera, iſtius ſacrificii eſt præſentatio. Atqui oblationem iſtam primam, quæ proprie dictum Sacrificium dicitur, Spiritus Sanctus ſemel peractam eſſe docet, *Hebr.* 7. *v.* 27. & 9. 28. & 10. 10. Illa vero, quam Sociniani proferunt, oblatio, ſive potius præſentatio iſtius Sacrificii, quod peractum fuit in hac terra, non facta eſt ſemel, quia fit & futura eſt in perpetuum. Eſt namque actus continuus, propterea per præſens explicatur à Spiritu Sancto. *Reſpondet* Smalcius: Semel factum poſſe dici, etiamſi porro fiat. Sed falſum certe hoc. Nam quod fit, illud non poteſt dici ſemel factum. Hinc oblatio iſta, quam Chriſtus præſtitit ſemel, eſt cruenta, *Hebr.* 9. 20, nec ſine morte fieri poteſt, ut patet ex *verſ.* 27, 28. At illa, quæ in cælis, talis non eſt. Deinde ibidem ſtatuit, ſemel offerri debuiſſe; unde intelligitur, per oblationem ſemel factam, intelligi debere illam, quæ fuit in cruce per paſſionem & mortem. Smalcius oppoſitum potius inde deduci putat, nempe, Chriſtum introiiſſe in cælum, ut ſemel ſe ipſum offerret; ſed errat, cum putat iſta contraria; Offerre namque ſe ad mortem, & ſeipſum per mortem oblatum Deo repræſentando offerre, minime ſunt contraria, ſed ſubalterna, ut dici ſolet in ſcholis. Offerri namque ſacrificium poteſt, tum ut fiat, tum ut factum Deo repræſentetur; priorem oblationem dicimus factam in terris, quæ ipſa proprie dictum ſacrificium erat; poſteriorem in cælo, quæ erat conſequens Sacrificii, & non ipſum Sacrificium.

4 *Argum.* petimus ab Agno Paſchali, quem figuram & typum Chriſti fuiſſe, manifeſtius eſt, quam ut negari poſſit; certe hæc oſten-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

dent ita eſſe. Quia Chriſtus propterea dicitur *agnus, qui tollit peccata mundi*, Joan. 1. item *occiſus*, Apoc. 5. 9. item agnus paſchalis, vel potius, *paſcha pro nobis crucifixum*, 1 Cor. 5. 7. Hæ phraſes de Chriſto uſurpari non poterunt, niſi ob reſpectum agni paſchalis, tanquam typi ad antitypum. Atqui de agno iſto dicitur, quod mactatus & immolatus fuerit; inde permutantur iſta, mactare agnum, & ſacrificare, ſeu in Sacrificium offerre, *Luc.* 22. 7. Argumentum hoc ut eludat Socinus, *reſpondet*, ſolum ſacrificium anniverſarium fuiſſe typum Chriſti, reliqua autem non fuiſſe typos. Sed abſurdus eſt Socinus, & refutari poteſt vel ex Epiſtola ad *Hebr. cap.* 8: inferius vero, ubi de Sacrificiis acturi ſumus, hanc rem prolixius expediemus. Nunc tantum hoc obſervetur, Socinum preſſum hoc argumento, nullum effugium habuiſſe, niſi ad hæc manifeſte falſa deſcenderet.

5 *Argum.* petimus à ſacrificiis, quæ quotidie fiebant; Nam horum ſanguis non inferebatur in Sancta Sanctorum, cum in Sancta Sanctorum non niſi ſemel ingrederetur Sacerdos toto anno. Sacrificia vero hæc quotidie peragebantur, & interim tamen revera erant ſacrificia. Accedit & hoc, quod dum Abrahamus jubetur offerre filium ſuum in ſacrificium, nihil aliud juſſus eſt, quam mactare ipſum: quandoquidem iſthoc tempore, ut nullum tabernaculum erat, aut templum; ita ſanguis in illud offerri non potuit.

Objicit I. Socinus. Quemadmodum Pontifex, dum anniverſarium illud ſacrificium offerret, obtulit illud in Sancto Sanctorum, non ante, dum ſcilicet ſanguinem eo inferret; ita Chriſtus etiam ſtatuendus eſt, non extra cælum, cujus typus erat Sanctum Sanctorum, ſacrificium ſuum obtuliſſe. Sed nos retorquemus hoc argumentum. Imo, ſicut in illo ſacrificio anniverſario vitulus & hircus, priuſquam ſanguis ipſorum in Sanctum Sanctorum inferretur, occidi & immolari debuerunt; ita & Chriſtus immolatus eſt, antequam cælum ingreſſus eſt, ſe Patri pro nobis repræſentaturus. Negat Socinus, iſtam immolationem fuiſſe ſacrificium, ſed præparationem quandam ad ſacrificium. Sed hic Socinus ad falſum ſuum principium recurrit, nullum ſcilicet fuiſſe aliud proprie dictum Sacrificium, præter anniverſarium, cujus ſanguis inferebatur in Sanctum Sanctorum. Nam ſacrificia, quæ quotidie fiebant, erant vera ſacrificia, & tamen ſanguis ipſorum non inferebatur in Sanctum Sanctorum, cum in Sanctum Sanctorum non licuerit ingredi ſummo Pontifici, niſi ſemel quovis anno.

Objicitur II. Ex *Hebr.* 2. 17. Ubi dicitur, *debuiſſe Chriſtum per omnia fratribus aſſimilari.* Ex quo infert, prius Chriſtum paſſum & mortuum pro ſimilitudine, ſive ut nobis in omnibus fieret ſimilis, antequam fieret pontifex.

Reſp. Egregie! Quis non videt, Paulum non dixiſſe abſolute, ut fieret Pontifex; ſed ut fidelis & miſericors fieret Pontifex? certe aliud eſt fieri Pontificem abſolute; aliud, Pontificem miſericordem. Dicit ergo Paulus, debuiſſe Chriſtum fratribus aſſimilari in omnibus ærumnis & calamitatibus, non ut Pontifex fieret, ſed ut miſericors fieret. Omnium namque ærumnarum & calamitatum experientia efficit miſericordiam & fidelitatem; in eo enim quod perpeſſus eſt, cum tentatus eſſet, poteſt etiam iis qui tentantur, ſuccurrere, *Hebr.* 2. *v.* 15. Non igitur neceſſario infertur ex Pauli verbis, Chriſtum ante paſſionem & mortem non fuiſſe Pontificem, ſed ante paſſionem & mortem non expertum eſſe ærumnas noſtras, ex quibus fieret fidelis & miſericors Pontifex.

Objicitur III. Ex Hebr. 4. v. 15, *Habentes igitur Pontificem*, &c. Unde ille infert, antequam cælos penetraret, non fuiſſe Pontificem, & eo fine penetraſſe cælos, ut Pontifex fieret. At nihil horum ex verbis Pauli concludi poteſt; is namque ſolummodo Pontificem dicit penetraſſe cælos; ex hoc autem non poteſt inferri, Ergo, antequam penetraret, non fuit Pontifex; vel, eum eo fine penetraſſe, ut fieret Pontifex. Sed ſolum concluditur, Chriſtum in cælo quoque Pontificio munere defungi, cum eo fine cælum petierit, ut vultui Dei aſtaret pro nobis. Deinde etiam eadem Scriptura, quæ ait, Chriſtum Pontificem cælos penetraſſe, aſſerit, peracto ſacrificio penetraſſe, pur-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

purgatione peccatorum ante facta, & redemtione inventa, ut antea à nobis, ex *Hebr.* 1. 3, oſtenſum eſt. Item ex ſimilitudine legalis Pontificis conſtat, qui non ideo in Sanctum Sanctorum ingreſſus eſt, ut offerret, ſed ut ſanguinem, ante Sanctum Sanctorum oblatum, inferret, atque in Sancto Sanctorum præſentaret. Non igitur & Chriſtus eo fine penetravit cælos, ut ibi Pontifex fieret, ſe ipſum ibi oblaturus demum, ſed ut ſe oblatum faciei Dei ſiſteret, & illinc redemptionis ſuæ, quam in cruce peregit, fructum atque perceptionem ad nos demitteret perpetuo.

Objicitur IV. *Hebr.* 7. 26. Ubi Paulus ait: *Talis enim nos decebat Pontifex, Sanctus;* &c. *excelſior cælis factus.* Ex quo Socinus infert: neceſſe fuiſſe, ut cælis ſublimior fieret, ſi Pontifex eſſe voluit. *Reſp.* Paulus nihil tale dicit, ſed ei à Socino affingitur. Paulus tantum dicit, Pontificem noſtrum excelſiorem cælis factum, ad quod verificandum non opus eſt dicere, tum demum factum, cum factus eſt cælis excelſior. Nam quemadmodum Pontifex legalis non tum demum fiebat Pontifex, cum ingreſſus eſſet in Sanctum Sanctorum, ſed ante ingreſſum etiam Pontificis munere defungebatur, ſic Chriſtus, &c.

Obj. V. Scriptura dicit: Si ſupra terram eſſet, ne Sacerdos quidem eſſet; *Hebr.* 8. *v.* 9. *Reſp.* Socinus Pauli mentem evertit. Nam non dicit Paulus, eum, qui ſupra terram eſt Sacerdos, non eſſe Sacerdotem; cum hoc contradictionem implicet, & mox contrarium à Paulo aſſeratur, nempe non deſiiſſe legales Sacerdotes, qui ſuper terram offerrent munera, eoſque veros fuiſſe Sacerdotes: ſed hoc ſolum dicere vult, quod ſi Chriſtus tantum Sacerdos in terra eſſet, non eſſet Sacerdos, id eſt, non fuiſſet à Deo factus Sacerdos, quia nimirum talis Sacerdos in Pontifice præfigurabatur, qui non ſolum ante ſanctuarium, ſed etiam in ipſo ſanctuario pontificis munere fungeretur; vel, quod in idem fere recidit, non fuiſſe neceſſe ut fieret Sacerdos, ſiquidem ad Sacrificia ſuper terra, ſufficiebant Sacerdotes legales, ad eum modum, quo, cap. 7 ad *Hebr.* *v.* 11, dixerat: *ſi conſummatio per Leviticum Sacerdotium erat,* (quod in terra erat) *quid opus erat, alium exoriri Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedechi?* Ex quo patet, quid Paulus intellexerit per ſacrificium ſuper terram; nempe eum, qui tantum in terra Sacerdos eſſet, & ſuum ſacrificium oblatum in terra, non poſſet inferre in cælum, nullum eſſe Sacerdotem, id eſt, non profuturum generi humano. Id quod ex ſubjecta materia, & omnibus loci circumſtantiis, & ex typo Pontificis legalis patet. Si enim Chriſtus talis Sacerdos eſſet, qui tantum ſuper terram ſacrificaret, nec ſuum ſacrificium in cælum potuiſſet inferre, non fuiſſet à Deo factus Sacerdos. Nam non fuiſſet tali Sacerdote opus; cum non deeſſent Sacerdotes legales, qui ſuper terram tantum ſacrificarent.

Obj. VI. Hebr. 10. 5, 7. *Quapropter ingrediens mundum dicit: Sacrificium & oblationem noluiſti; corpus adaptaſti mihi; tunc dixi, ecce adſum,* &c. Hunc locum ita intelligit Socinus, ac ſi de Chriſti ingreſſu in cælos interpretandus ſit. Mundi namque nomine cælum intelligi vult, in quod Chriſtus illico ſacrificium obtulit. Verum hæc ſumma cum temeritate adferri ab Adverſario, vel ex eo probamus, quod mundus abſolute dictus in ſua propria ſignificatione accipi debeat, niſi aliquid ejuſmodi adjiciatur, ex quo neceſſarium ſit, in impropria ſignificatione hanc vocem accipi. At hoc loco mundi nomen abſolute ponitur: nec aliqua loci circumſtantia requirit, ut improprie ſumatur; non poteſt ergo hic mundi nomine cælum intelligi. *Attamen,* inquit Adverſarius, *is mundus eſt intelligendus, in quem ingrediens Chriſtus ſtatim ſe ipſum obtulit: talis vero mundus non eſt iſte præſens, ſed futurus. Nam in hunc mundum Chriſtus ingreſſus, illico ſe non ſacrificavit, in cælum autem ingreſſus mox ſe ipſum obtulit.* Verum hic perperam affingitur Paulo, quaſi dixerit, ingreſſum Chriſtum in mundum ſe illico ſacrificaſſe, cum tantum dicat: *Ecce adſum,* id eſt, *paratus ſum,* non dicit; *Ecce venio, ut me ſtatim ſacrificem,* ſed paratus ſum ad me ſacrificandum juxta voluntatem tuam Deus, ſive ſtatim, ſive quando opus foret. Ad utrumque enim hic modus loquendi ſervit. At urget porro Socinus: *Corpus ad-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

adaptaſti ſive perfeciſti; hæc verba, inquit Socinus, *indicant*, *Corpus Chriſti ad oblationem perfectum*, id eſt, *immortale eſſe debuiſſe, quale non habuit Chriſtus*, *cum in mundum veniret*, *ſed poſtea à reſurrectione hoc conſequutus eſt*. *Reſp.* Sive legamus *aptaſti*, ſive *perfeciſti*, non de alia perfectione hoc intelligendum eſt, quam de ea, quæ ad finem oblationis eſt neceſſaria. Porro ad oblationem, quæ ſemel facta eſt in cruce, non requiritur corpus immortale, ſed mortale; non igitur de perfectione immortalitatis ſermo eſt, ſed de perfectione naturali corporis; ut ſenſus ſit: Corpus verum, & omnibus ſenſibus perfectum, dediſti mihi, ut in eo pati, mori, ac conſequenter per mortem tibi illud offerre poſſim. Ecce ergo adſum, id eſt, quando jam tibi, ô Pater, libuerit, paratus ſum illud deſtinato à te fini impendere.

CAP. V.
De Sacrificio.

SAcerdoti reſpondet Sacrificium. Canones:

I. *Sacrificium proprie dictum Chriſtus obtulit.*

Probatum antea aliqua ratione hoc, ſed jam probatur ex Sacerdote. Chriſtus erat proprie dictus Sacerdos, ut proxime præcedenti capite eſt oſtenſum. Ergo etiam obtulit proprie dictum ſacrificium. Nam qualis Sacerdos, tale ſacrificium: Et quale ſacrificium, talis Sacerdos; id quod Sociniani bene vident; propterea, ut negant, Chriſtum proprie dictum Sacerdotem, ita negant, proprie dictum ſacrificium obtuliſſe.

II. *Omnia Sacrificia Veteris Teſtamenti erant typi ſacrificii Corporis Chriſti.*

Clariſſime hoc oſtenditur, ex Epiſtola ad *Hebr. cap.* 7, 8, 9, 10.

III. *Sacrificia pecudum vice hominum fiebant, ſive pecudes in ſacrificiis vice hominum mactabantur.*

Controverſia nobis graviſſima eſt de hoc canone cum Socino: nec mirum. Quia, ſi evictum fuerit, ſacrificia eſſe typos Chriſti, & pecudes ſacrificiales eſſe mactatas vice hominum, jam ſimul evictum erit evidentiſſime, Chriſtum vice noſtri eſſe mortuum, quod ſolum tanquam principale oppugnat Socinus in libro ſuo de Servatore. Probamus autem canonem hoc ſyllogiſmo. Quæcunque anima recipit ex inſtitutione Divina ſuper ſe peccatum alterius animæ, & ita offertur ad delicta alius animæ expianda, illa offertur vice ſive loco alterius animæ. At anima pecudis in ſacrificiis recipit ſuper ſe ex inſtitutione divina peccatum alterius animæ, & ita offertur vice alterius ad expiandam animam. Ergo anima pecudis in ſacrificiis offertur vice ſive loco animæ humanæ. *Major* eſt certa, & vel ex *Ezech.* 18 probari poteſt, ubi portare iniquitatem alterius, nil aliud ſignificat, quam puniri propter peccatum alterius. *Minor* probatur, *Levit.* 1. 3, 4: *Si holocauſtum ejus erit è bobus*, &c. Similia de manuum impoſitione ſuper pecudum ſacrificialium capita, ad odorem quietis Jehovæ extant, *Levit.* 4. 15, 29, 32: & 16. 21: *Nitenſque Aaron ambabus manibus ſuper caput*, *confitebitur ſuper ipſum omnes iniquitates filiorum Iſraëlis*; & v. 22, *Nam portabit hircus ille ſuper ſe omnes iniquitates eorum*. Et hæc clara expoſitio impoſitionis manuum ſuper caput hirci, perſpicue docet, quid ſibi impoſitio manuum ſuper alia pecora facta, voluerit: nimirum hoc ipſum & nil aliud, quam quod ſibi impoſitio manuum die introitus ſummi Sacerdotis in Sanctum Sanctorum voluit, ut ſcilicet peccata in pecus ſacrificiale devolvantur.

Duo hic *objicit* Socinus. 1. Dum dicitur hircus iſte portaſſe iniquitatem, explicandum hoc eſſe per *quaſi*, quaſi ſcilicet portaverit peccata filiorum Iſraël. 2. Non poſſe mori pecudes vice hominum peccatorum, quia hoc pacto culpæ eſſent capaces. At quod culpæ capax non eſt, id neque pœnæ capax eſſe poteſt; cum pœna ſequatur culpam, tanquam cauſam meritoriam. *Reſp.* Ineptum eſſe Socinum. Nam ſi liceat ita ludere in Sacris Literis, quidvis eludere cuivis promptum erit. Verbi gratia, dici-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

dicitur Chriſtus paſſus, per Socini licentiam licebit dicere, quaſi paſſus; mortuus, id eſt, quaſi mortuus; reſurrexit, id eſt, quaſi reſurrexit. *Sed*, inquit, *admittatur oportet hoc* quaſi. *Nam alias proprie cadent peccata in hircum; quod tamen videtur abſurdum. Reſp.* τὸ *cadere*, dupliciter capi poteſt, vel ut notet *inhærentiam* peccatorum in hirco, & ita non cadit peccatum in hircum; vel, ut notet peccatorum *imputationem* hirco factam, tanquam typo; & ita certe peccatum cadebat in hircum. *Reſp.* ad 2; Pœnam non cadere in pecora ſacrificialia niſi typice: id quod à noſtris ſæpe reſpondetur. Ut vero homines Veteris Teſtamenti plus quam certiſſimi eſſent, pecora ſacrificialia mori pro hominum peccatis, & vice hominum, claris verbis eos de eo edocuit, ut clarioribus non eſſet opus, Levit. 17. 11: *Nam anima cujuſque carnis in ſanguine eſt: ego vero deſtinavi eum vobis, ad expiationem faciendam pro animabus veſtris. Nam ſanguis iſte eſt, qui pro anima expiationem facit.*

IV. *Sacrificia ſuo modo peccata expiabant.*

Socinus parte 2, de Servatore, cap. 11, ad marginem, dicit: *Ipſas legales victimas expiaſſe peccata, nunquam fortaſſe legitur in Scriptura.* Ubi notanda ipſius fluctuatio primum, quod dicat *fortaſſe*. 2. Falſum eſt quod dicit; nam clariſſime hoc ipſum docet locus jam, ex *Levit.* 17. *v.* 11, allegatus. Syllogiſmo rem ita evincimus. Quæcunque anima ex inſtitutione divina in ſe accipit peccata alterius animæ, & ita datur ſuper altare ad expiandam illam animam, illa anima expiat animam: anima pecoris ſacrificialis ex inſtitutione divina in ſe accipit peccata alterius animæ, & ita datur ſuper altare ad expiandam animam humanam. Ergo anima pecoris iſtius ex inſtitutione divina expiat humanam animam. Socinus contra hoc *objicit*, 1. Sacrificia expiare dicuntur, non quia expiant, ſed quia declarant, talem eſſe, qui expiatus eſt; quemadmodum, *Levit.* 15, Sacerdos dicitur contaminare eum, qui leproſus eſt, *verſ.* 11 vulgatæ verſionis; non quod contaminet, aut quod polluat, ſed quod declaret, contaminatum & pollutum eſſe. *Reſp.* 1. Nihil habere commune expiationem quæ fit per ſacrificia cum loco allegato, quia pecus recipit in ſe peccata typice, & moritur ita vice hominis peccatoris, ut oſtenſum ſupra. 2. Quia expreſſe Spiritus Sanctus teſtatur, abſque ſanguinis effuſione, quod applicatur ſacrificiis, non fieri remiſſionem peccatorum, ſed omnia ſanguine purificari, *Hebr.* 9.

Obj. II. Atqui dicitur Sacerdos expiare per ſacrificium, cum expiandi vis neque ſacrificiis tribui, neque Sacerdoti, poſſit. Deus namque ſolus expiat peccata. Hinc apud Eſaïam dicit: *Ego ſolus, qui deleo iniquitates tuas.* Ergo quando tribuitur expiatio peccatorum vel Sacerdoti, vel ſacrificiis, aliud quid oportet ſignificari iſta expiatione.

Reſp. Iſta nihili eſſe quæ affert Socinus. Nam Deus expiat efficienter, Chriſtus meritorie, ſacrificia typice, ut typi Chriſti merentis. Et quod dicit de Sacerdote, quod expiet, ſciendum eſt, in Scriptura tribui miniſtris Verbi Dei, quod juſtificent alios, (juſtificationis autem pars eſt expiatio à peccatis, ut inferius oſtendetur:) ut patet, Dan. 12. v. 3, *Juſtificantes multos ut ſtellæ ſplendebunt:* quomodo autem juſtificent & expient, docet Spiritus Sanctus, Job. 33. 23, 24, *Si adſit ei nuntius interpres unus ex mille, qui indicet homini æquitatem illius; & de gratia eum alloquutus dixerit; redime eum, ne deſcendat in infernum, expiatione quam inveni.* Ergo juſtificant, docendo viam, quomodo quis juſtificari poſſit; quod Spiritus Sanctus hic indigitat voce *indicandi.*

V. *Sacrificia non ſunt media ſimpliciter ex inſtitutione divina, ſed quæ etiam adumbrant ſatisfactionem Chriſti.*

Media ſunt duplicia; quædam eorum nihil conferunt, ſed tantummodo ſigna aliqua ſunt, ad quæ Deus hæc & illa operatur; ita, verbi gratia, Eliſæi mortui oſſibus contactus mortuus excitatur; hic contactus tantum ex ordinatione divina erat medium. At vero aliud medium eſt, quod natura medium eſt, non tantum ordinatione. Sed interim hoc poſterius

diſtinguendum nobis fuerit. Nam natura eſt vel tale, quod aptum eſt efficere hoc, ad quod adhibetur, ut cum Ezechiæ ulceri adhibentur folia ficuum; Vel quod quidem non aptum eſt efficere, ſed adumbrare & figurare aptum eſt. Talia media expiandi peccata dicimus eſſe ſacrificia. Socinus autem putat, quod ſint primi generis media. Ipſius verba, 2 parte operum cap. 11, ſunt hæc: *Dicimur & nos & certe poſſumus dici expiare peccata noſtra, non quia pro ipſis juſtitiæ Dei ſatisfacimus: ſed quod facimus quod ille à nobis fieri omnino vult, ſi hanc ipſius liberalitatem experiri volumus; rectum enim eſt, ſi ab eo peccata noſtra condonari volumus, ut illi aliquam obedientiam præſtemus. Reſp.* 1. Nunquam in Scriptura dicimur nos expiare peccata noſtra, utut dici hoc poſſit de miniſtris Eccleſiæ, ut jam ante oſtenſum eſt. 2. Si res ita habet, tum Deus nullam rationem habuit, cur potius ſacrificia voluit offerri pro peccatis, quam ſi congeriem lapidum juſſiſſet congeri in locum aliquem, &, præſtito hoc, promitteret ipſi condonationem peccatorum ipſius. 3. Si ſacrificia voluit fieri tantummodo, ut obedientia ipſi præſtetur; quomodo ergo de ſacrificiis dicuntur iſta, quod fuerint exemplaria ac umbræ ſacrificii Chriſti?

CAP. VI.
De impletione Legis pro nobis.

SEquitur Sacerdotii Chriſti functio, quæ eſt: 1. Legem implere ſancte vivendo. 2. Satisfacere legi pro peccatis. 3. Interpellare pro nobis.

De impletione legis eſt hic Canon:

Chriſtus implevit legem ſancte vivendo, non propter ſe, ſed propter nos.

Socinus oppugnat hunc Canonem, una cum quibuſdam noſtratium, qui quidem non negant, Chriſtum pro nobis legem impleviſſe, ſed ita, ut ſtatuant, eum etiam propter ſe impleviſſe. Socinus hoc eo facit, ut oſtendat, Chriſtum nobis nihil mereri potuiſſe. Ubi ſciendum, Theologos meritum à ſatisfactione diſtinguere; & hanc ſancte vivendo Chriſtus pro nobis meritus eſt, moriendo pro peccatis ſatisfecit. Socinus autem dicit, eo non meritum eſſe, quod hoc pro ſe ipſo debebat, quia ad id obligatus erat, ut ſancte viveret. Nos vero hoc negamus. Argumenta negationis noſtræ ſunt hæc.

1. Quia nullo modo ſuo bono eſt natus, ſed quod natus ſit, noſtro bono eſt natus, ut docet Spiritus Sanctus, *Eſai.* 9. 6. Si ergo nullo modo propter ſe natus. Ergo etiam nullo modo propter ſe Lex ipſi erat implenda.

2. Si legi erat ſubjectus propter ſe; Ergo non poterit dici, quatenus Filius hominis, Dominus Sabbati, *Matth.* 12. 8. Atqui Dominus eſt Sabbati. Ergo non ſubjectus eſt legi. Conſequentia clara. Nam ſubjectum eſſe, & Dominum Sabbati eſſe, ſimul conſiſtere non poſſunt.

Obj. I. Eſt Dominus Legis, quoad unum præceptum, non autem dicitur quoad alterum præceptum. *Reſp.* Si quoad unum præceptum eſt Dominus, ratio nulla cur non quoad omnia.

Obj. II. Dicitur Filius hominis per communicationem idiomatum, cum Filius hominis in Chriſto notet perſonam, non naturam.

Reſp. 1. Dicimus ipſum Dominum, quatenus eſt templo major. Atqui templo major, non tantum quà Deus infinities major templo, ſed quà homo; quia ibi comparatio inſtituitur inter Chriſtum & templum, cum hæc talis inter Deum & templum nunquam & nulla reperiatur. 2. Dato, quod ibi dicatur de Deo, tamen, cum humana Chriſti natura non ſit perſona, ſed in ὑποστάσει perſonæ Chriſti ſubſiſtat, tum hoc pacto quoque Chriſtus homo, in ὑποστάσει τοῦ λόγου exiſtens, Dominus erit Sabbati.

Sed Socinus *opponit* primo: Chriſtus erat creatura. Omnis autem creatura rationalis obligata eſt Deo propter ſe. *Reſp.* Ut creatura fuit, ita obligatus fuit. At creatura factus eſt, non propter ſe, ſed propter nos. Ergo & propter nos legi ſubjectus eſt.

Pergit Socinus: Chriſtus præmium conſequu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

quutus eſt, *Phil.* 2. *v.*9. Ergo propter ſe fecit. Nam ſi propter nos tantum feciſſet, præmium tantum ad nos redundaſſet. *Reſp.* Chriſto dicitur non ex merito datum, quicquid datum, ſed *donatum.* Utitur enim Spiritus Sanctus voce iſta ἐχαρίσατο· Unde nihil ſibi meritus. Ac ita non propter ſe Legem implevit, ſancte vivendo. Deinde etiam hoc præmium, quod ipſi datum, non eſt ipſi datum propter ſe, ſed propter Eccleſiam. Videre hoc licet, *Epheſ.* 1. *v.* 22, 23. At vero noſtrates urgent hoc, Chriſtum propter ſe, ſancte vivendo, legem impleviſſe, quia non poterat eſſe Sacerdos & victima, niſi eſſet ſanctus, ut patet, *Hebr.*7.26. *Reſp.* Aliud eſt innocentem eſſe; aliud, juſtum. Adam, antequam feciſſet quicquam, in ſtatu integritatis erat innocens. At non erat juſtus. Deinde diſtinguimus juſtitiam; Fuit juſtus: At iſta juſtitia fuit *habitualis*, non *actualis*; jam applicemus ad Chriſtum; Oportebat, ut Chriſtus innocens eſſet, ſi victima eſſe debuit. Oportebat, ut eſſet juſtus, juſtitia habituali; At non requirebatur, ut eſſet juſtus juſtitia actuali, de qua hic ſermo eſt.

CAP. VII.

De ſatisfactione Chriſti pro nobis.

SEquitur ſatisfactio, qua Chriſtus plene ſatisfecit juſtitiæ divinæ pro peccatis noſtris.

Eſt juſtitia Divina aliqua Deo eſſentialis.

Gravis nobis controverſia de hoc cum Socino. Negat enim juſtitiam Deo eſſentialem, quæ requirat pœnam pro peccatis. Quod autem talis ſit juſtitia in Deo, probatum à nobis alibi, ſed inſuper probabimus etiam aliis argumentis: *Apoc.*16. 5, Angelus dicit: *Iuſtus es, Domine, qui hoc judicaſti. Quia ſanguinem ſanctorum & Prophetarum effuderunt, & ſanguinem eis dediſti ad bibendum.* Et verſ. 7: *Domine, Deus omnipotens, vera & juſta judicia tua.* & toto illo capite agit Apoſtolus de effuſione phialarum iræ Dei. Item, *Apoc.* 19. 2: *Vera & juſta ſunt judicia ejus.* Item, 1 Theſſ. 1. 6, 7: *Siquidem juſtum eſt apud Deum viciſſim reddere iis, qui affligunt vos, afflictionem; Vobis vero, qui affligimini, relaxationem nobiſcum, in revelatione Domini Ieſu de cælo, cum Angelis ſuis potentibus.* Socinus, *lib.* 1. *de Servatore, cap.* 1, allegat hunc locum hoc ſenſu, quod documentum juſti Dei judicii eſſe dicat Apoſtolus, quod, qui pro regno Dei mala patiuntur, ipſo digni habeantur; & juſtum eſſe apud Deum, ut qui nunc affliguntur, relaxationem habeant, cum patefiet Dominus de cælo. Sed cur alterum illud omiſit Socinus, *ſiquidem juſtum eſt apud Deum, viciſſim reddere iis, qui affligunt vos, afflictionem?* Eo nempe, quia videt cauſæ ſuæ plurimum obeſſe hoc. Sed pergamus in propoſito. Hæc juſtitia Dei etiam probatur, ex Rom. 3. v. 5, 6, *Num injuſtus Deus, qui inferat pœnam? Abſit: alioquin quomodo judex erit Deus mundi?* Proſtant ſimilia quamplurima oracula de juſtitia Dei vindicatrice eſſentiali. 2 Paral. 12. 6: *Iuſtus eſt Iehova*, inquiunt ii, qui jam incipiebant pœnas ſentire ob prævaricationes ſuas, Rex & Principes Iſraëlis. Vide etiam, Nehem. 9. 33. Pſal. 11. 7, *Iuſtus es Iehova*, Videlicet, ut ex antecedentibus patet, quando pluit ſuper improbos ſulphur & ignem: Pſal. 129. 4, *Iehova juſtus truncavit denſos fines improborum.* Jer. 12. 1, dicit Propheta, Deum quidem eſſe juſtum, ſed ſe mirari, cur malos non puniat. Thren. 1. v. 18: *Iuſtus eſt Iehova*, videl. illata captivitate Babylonica, quia ori ejus rebellavi. Dan. 9. 13, *Iuſtus eſt Iehova Deus noſter in omnibus factis ſuis.* Item: *Feſtinavit in illo malo ſuper nos, quia juſtus eſt.*

Objicit contra hæc quædam Socinus. 1. Inquit: Si Deo juſtitia eſſentialis, Ergo nullum peccatum dimitteret impunitum. At falſum hoc. Ergo. *Reſp.* 1. Hypotheſin falſam præſupponere Socinum, quod, ſi aliquod attributum ſit eſſentiale, ejus actus ſe neceſſario ad extra exſerat. Namque potentia Deo eſſentialis eſt, & tamen Deus non neceſſario eam exercuit in mundi creatione & conſervatione. 2. Non eſt falſum, quod ille putat, Deum nullum peccatum dimittere impunitum, ut poſt patebit.

Obj. 2. Si in Deo erit juſtitia puniens, tum in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

in ipſo non eſt futura miſericordia, quia illa contrariantur ſibi. *Reſp.* Actus quidem iſtorum contrarii videntur, condonare ſive remittere peccata, & punire. At illa non ſunt contraria in ſe. Nam ſi in homine virtus una, ut miſericordia, non repugnat alteri, ſcilicet juſtitiæ, etiamſi actus ipſarum oppoſiti ſunt, neque certe in Deo oppoſita iſta erunt.

Canones de juſtitia Dei vindicatrice ſunt hi.

I. *Deus ex juſtitia ſua nullum peccatum impunitum dimittit.*

Probatur hoc, Exod. 34. 7, *Qui nullo pacto abſolvit ſontem.* Item, Num. 14. 18, *Qui prorſus non abſolvit ſontem.* Item, *Deut.* 29. 20, *Non acquieſcet Iehova, ut condonet.* Item, *Nahum.* 1. 3, *Iehova nullo pacto abſolvit.* Hinc jam Theologi noſtri dicunt, ſe nolle diſputare de eo: *Vtrum Deus poſſit condonare peccata, ſatisfactione pro illis nulla accepta, nec ne?* Cum conſtet ex Verbo Dei, nolle ipſum ullo modo condonare peccata, ut ex locis jam citatis manifeſtum eſt. Sed Sociniani putant, hoc falſum eſſe, & inquiunt: *Annon Deus in Scriptura dicitur peccata remittere?* Quomodo ergo dici poterit, Deum nulla peccata impunita dimittere? *Reſp.* Dicitur remittere peccata, non quod nullam ſatisfactionem accipiat, ſed quod à nobis non accipiat, qui debebamus, ſed in Chriſto, quem nobis in hunc finem dedit, ut pro nobis iræ Dei ſatisfaceret. *Rom.* 3. 25, dicitur *præſtitutus eſſe, ut eſſet placamentum per fidem, ad demonſtrandam juſtitiam.* Sed, inquit Socinus; quod non poſſit remiſſio conſiſtere cum ſatisfactione. Nam remiſſio adeo eſt contraria ſatisfactioni, ut qui remittit, ſatisfactionem non accipiat; qui ſatisfactionem accipit, non remittat. *Reſp.* Utrumque legi in Scriptura, & Deum remittere nobis peccata propter Chriſtum, & propter ſanguinem ejus remittere; utrumque conſiſtere poteſt, quia, ut jam à nobis dictum, nihil à nobis in ſatisfactionem peccatorum accipitur; idcirco nobis peccata remitti dicuntur, & nullo pretio accepto. Quia vero Chriſtus pro illis ſatisfecit, ut inferius audiemus, idcirco, etſi reſpectu noſtri dicitur remiſſio, reſpectu tamen Chriſti ſatisfactio dicenda eſt in re. *Vrget* porro Socinus: Atqui nullo pacto remittitur peccatum, pro quo alter ſatisfecit. Ubi enim nullum debitum manet, ibi nulla eſt remiſſio: quandoquidem ſatisfactione alterius totum debitum tollatur. Nullus ergo locus reſtat remiſſioni. *Reſp.* Hypotheſin falſam præſupponi ab Adverſariis, quod remiſſio conſiſtere non poſſit cum ſatisfactione. Ecce enſtaſis ex Scriptura: Paulus orat pro Oneſimo, ut ipſi Philemon condonet, & interim offert ſe ſimul ad ſatisfactionem. Hinc Politici diſtinguunt debitum in *reale* & *perſonale:* dicunt reale debitum, quod eſt in rebus, & poteſt ſola ſolutione tolli. At debitum perſonale, quod ex injuria aut offenſa oritur, requirit remiſſionem injuriæ, etiam ſatisfactione poſita; maxime cum is, qui offenſus eſt, poſſit ſatisfactionem omnem reſpuere, etſi per ſe ſufficiens ſit & par illatæ injuriæ. *Vrget* porro Socinus, & dicit: Ita nobis Deus condonat peccata, quemadmodum à nobis condonari vult proximo noſtro. Atqui vult à nobis proximo noſtro condonari nulla ſatisfactione accepta, vel ab iiſdem, vel ab aliis, qui loco ipſorum ſatisfaciant. Ergo ita etiam Deus condonat, ut nullam ſatisfactionem requirat. Majorem ſuam probat ex *Matth.* 18. 33. *Reſp.* Eſt fallacia in hoc argumento à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter. Hactenus nempe divina remiſſio noſtræ remiſſioni æquiparatur, quatenus hæc minime ſimulata, ſed ex ſincero corde proficiſci debet, *Eph.* 4. 32. Ex quo tamen colligere non licet, remiſſionem noſtram per omnia, ſive in cauſis efficientibus, ſive in forma & modo, ſive in adjunctis antecedentibus, &c. Divinæ remiſſioni parem eſſe, vel poſſe, vel debere.

II. *Ex hac juſtitia ſua Deus non tantum non dimittit peccata impunita, ſed nec poteſt.*

Hic canon non tantum opponitur Socino, ſed etiam multis noſtratibus Theologis, qui admittunt hoc, Deum potuiſſe quidem peccata remittere nulla ſatisfactione accepta, ſed decreviſſe illa non dimittere. vide Jacob. ad Portum, qui ita ſentit, Sibrandum Lubbertum,

&c.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

&, qui erudite in hoc genere ſcripſit, Smiglecium Jeſuitam. Nobis canon, quo plures ſunt Adverſarii, eo accuratius probandus. Ad argumenta ergo veniamus.

I *Argum.* petimus ex Pſal. 5. verſ. 6: *Odiſti omnes peccatores.* Unde argumentum: Si Deus non poteſt non odiſſe peccatum. Ergo non poteſt non punire. Conſequentia patet, quia odium peccati eſt puniendi peccatum voluntas. Antecedens à nemine negabitur.

II *Argum.* ex *Deut.* 4. *v.* 34, verbis iſtis: *Iehova Deus tuus ignis conſumens eſt.* Hoc argumentum à quibuſdam objicitur Socino, nec poteſt ille aliter à ſe amoliri, niſi ut dicat, Deum ignem dici non ab *eventu*, ſed à *potentia*; id eſt, non quod faciat, ſed quod poſſit facere. Sed ineptus eſt. Nam hoc addit Moſes in terrorem populi; quis autem eſſet modus iſte deterrendi à peccato, ſi quis diceret: Deus poteſt peccata punire, ſed non punit? quamvis inepta hujus loci hæc explicatio manifeſte redarguatur ex ſenſu verborum; Nam cum ſigna potentiæ Dei aliqua vidiſſent illuſtriora, eo quod peccato inquinati eſſent, abſumptum iri ſe judicabant. Vide *Iud.* 13. *v.* 22. *Eſaï.* 6. 5. Tractat hoc argumentum præclare Martyr in ſuis Locis Communibus, & Perkinſius, in ſecundo Tomo operum ſuorum, ad locum iſtum, *Eſaï.* 6.

III *Argum.* adferimus hoc: Quod expreſſe Spiritus Sanctus doceat, Deum non poſſe impunita ferre peccata, Habac. 1. 13: *Purior es oculis, quam ut aſpicias malum, & intueri moleſtiam poſſis.* Et Eſaï. 1. 13, *Non poſſum ferre iniquitatem.*

Vide jam quid Socinus contra noſtram ſententiam ferat.

Opponit 1. hoc: Si privato cuivis licet de jure ſuo remittere, multo magis Deo. *Reſp.* 1, Hypotheſin præſupponi falſam, nimirum quod licet homini & homo poteſt, id poteſt Deus. Ecce enſtaſis: Jus duplex ſtatuitur à Theologis; Jus *dominii*, & jus *judicii*; Licet homini renuntiare juri dominii, & poteſt hoc homo. At de Deo hoc affirmare, abſurdiſſimum. Nam ſi poſſet Deus renuntiare juri dominii in creaturas, tum poſſet fieri, ut Deus non eſſet Deus, creatura non creatura. Nam quamdiu Deus eſt, imperium ipſi in omnia, & ſubjecta ipſi omnia, utpote à quo omnia dependeant, *Rom.* 11. *ult.* Et quamdiu creatura eſt, tam diu Ens dependens eſt ſubjacens Deo. 2. Deum non conſiderari in puniendis peccatis tanquam privatum, ſed tanquam judicem univerſæ terræ. Huic autem impoſſibile non exercere jus, id quod Abraham teſtatur, Geneſ. 18. 25: *An judex totius terræ non exerceret jus?*

Objicit 1 Socinus, Quædam peccata in Deum committi immediate, atque adeo ut privatum. Hanc etiam reſponſionem urget Goſlavius. *Reſp.* Ineptus eſt, dum Deum dicit privatum. Nam privatus dicitur ratione ſocietatis, qui ſeparatus eſt à munere publico in ſocietate, in qua eſt privatus. Atqui Deus in nulla eſt ſocietate, ſed omnis ſocietas ſubeſt ipſi Domino.

Obj. 2. Si Deus poteſt hoc, ut unius peccatum in alterum derivet, & unum propter alterum puniat, tum etiam poterit peccatum non punire. At verum prius. Quia peccata noſtra in Chriſtum derivavit, ex ſententia noſtra, & Chriſtum propterea punivit. Conſequentia videtur per ſe clara. *Reſp.* 1. Conſequentia nulla, quam Adverſarius claram dicit, & non probat: ut autem hoc manifeſtum fiat, dicimus, quædam juſta eſſe, quia Deus vult; quædam velle, quia juſta ſunt: Vult peccata punire, quia juſtum eſt, & propterea non poteſt non punire. Nam ea quæ vult, quia juſta ſunt, non poteſt non velle. At quædam juſta ſunt, quia vult; tale eſt hoc, imputare alteri peccatum, & ipſum propter peccatum punire: & hoc tale eſt, ut, ſi faciat, juſtum ſit; ſi non faciat, itidem juſtum ſit. Prioris exemplum, *Geneſ.* 22. 1 *Samuel.* 21, & 24. *Ioſ.* 7, in Achan. Poſterioris exemplum habes, *Ezech.* 18: *verſ.* 20.

Obj. 3. Atqui hi, quibus imputatum erat peccatum aliorum, puniti quidem ſunt; illi vero alii, quorum peccatum imputatum, non propterea immunes à pœna erant, quod videmus in Chriſto, per quem immunes reddimur à pœna. *Reſp.* Ita eſt. Sed ratio iſtius erat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

1. Quia hic peccatum aliorum erat imputatum aliis, ſed ipſi etiam erant peccatores; Chriſto imputata erant peccata noſtra, ſed ipſe non erat peccator. 2. Quia hi non poterant juſtitiæ Dei ſatisfacere per pœnas, quas ferebant, ut pote homines puri. At Chriſtus, qui erat verus Deus, & homo, potuit. Hinc, cum de ſatisfactione præſtita loquitur Scriptura, dicit, *Dominum gloriæ eſſe crucifixum*, 1 Cor. 2. 8. *Principem vitæ interemptum*, Act. 3. 15. *Deum acquiſiviſſe ſanguine Eccleſiam ſuam*, Act. 20. v. 28. *Reſp.* 2. ad argumentum ſuperius principale: Duo eſſe, circa quæ verſatur juſtitia Dei vindicatrix; peccatorem, & peccatum: ſed diverſimode circa utrumque. Nam circa peccatorem per accidens, nempe propter peccatum. Odit enim Deus peccatorem propter peccatum. At circa peccatum verſatur per ſe, quia hoc quod Deus odit proprie, per ſe nil aliud eſt, quam peccatum. His ita explicatis, dicimus: Quod Deus circa objectum, quod odit per ſe, ita verſetur, ut neceſſario puniat. Nam aliter ſe habet circa objectum per accidens. Nam poteſt illud punire vel aliud propter illud, ſi ipſi ita videatur.

III. *Cum ergo dicimus, Chriſtum punitum eſſe ex juſtitia Dei propter nos, dicimus, Chriſtum ſuſtinuiſſe propter nos mortem temporariam & æternam.*

Utrumque negant Sociniani. Nam & negant, Chriſtum mortuum eſſe propter nos morte temporaria; &, ut negent, Chriſtum punitum propter nos, & ſuſtinuiſſe pœnas peccatis noſtris debitas, afferunt mortem æternam, quam dicunt Chriſtum non ſuſtinuiſſe, eo quod, ſi ſuſtinuiſſet mortem æternam, adhuc ſuſtineret, & in æternum toleraturus eſſet. At mortem temporariam ſuſtinuiſſe ipſum vice noſtri, patet manifeſte ex eo, quod mors temporaria ſtipendium peccati, ut à nobis oſtenſum in præcedentibus. Si ergo Chriſtus mortuus, aut propter ſua peccata mortuus, aut propter noſtra; At non propter ſua, quia nulla habuit; Ergo propter noſtra.

Obj. Socinus: Propter noſtra peccata quidem mortuus eſt, interim tamen non ſequitur, quod vice noſtri mortuus ſit. *Reſp.* At ſequitur, quia qui ita moritur pro alio, ut mors obtineat vim ſtipendii peccati in ipſo, certe ille vice ipſius moritur, prò quo moritur. At Chriſtus ita mortuus, ut mors in ipſo ſit pœna peccati, *Eſai.* 53. 4.

Socinus, ut porro eludat argumentum hoc graviſſimum de morte temporaria, profert Martyres, in quibus negat mortem ſtipendium peccati eſſe. Sed inepte. Nam injuſte quidem mors ipſis infertur ab hominibus; At vero ratione Dei juſtiſſime eam ſuſtinent. Quemadmodum, verbi gratia, Chriſtus injuſte crucifixus eſt à Judæis. Attamen à Deo juſtiſſime punitus, utpote qui noſtra peccata in ſe derivavit. Deinde in fidelibus mors quidem non eſt ſtipendium peccati, ſed hoc fit non per ſe, ſed per accidens, ut ſupra dictum.

De morte æterna dubitatur & inter Noſtrates, proinde aliqui plane nolunt dicere, quod Chriſtus mortem æternam ſuſtinuerit, ſed quod ſuſtinuerit morti æternæ æquivalentem. At nos contrarium probamus.

1. Quia, cum Chriſtus dicitur mortem ſuſtinuiſſe, indefinite ponitur mors, non tantum temporaria, ſed & interna intelligitur, *Gen.* 2. 17.

2. Probat hoc ipſum & hoc argumentum: Chriſtus ſuſtinuit omne id, in quod Adamus condemnatus erat. Atqui condemnatus inter alia etiam erat ad mortem æternam. Nomine enim mortis in Scriptura indefinite veniunt omnia mortis genera.

Opponunt ſe hic etiam Pontificii, & argumentantur. Si Chriſtus in hanc pœnam damnatus, in quam Adam; Ergo damnatus eſt etiam in mortem ſpiritualem. Ergo peccator erit inhærenter: quod abſurdum. *Reſp.* 1. Chriſtus damnatus in pœnam, quam tolleret. At ſi damnatus eſſet in mortem ſpiritualem, non potuiſſet tollere, quia ipſe peccator fuiſſet. 2. Imputatur peccatum aliter nobis, aliter Chriſto: nobis, ut *concludamur* ſub peccato, *Galat.* 3. 22. Non ſic Chriſto, ſed ut *tollat*.

3. Non tantum mortem ſuſtinuit, ſed, ut Scriptura plurali numero effert, *mortes*, Eſaï. 53. verſ. 9, annotante id Aria Montano ex Hebræo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

bræo במתיו. Per has autem quid Spiritus Sanctus intelligeret aliud, quam & mortem temporariam & æternam?

4. Quia Spiritus Sanctus teſtatur, per mortem ipſum aboleviſſe eum, penes quem erat mortis robur. Si ergo tantum ſuſtinuit mortem temporariam, nondum deſtruxit æternam; quod abſurdum.

5. Quod dicitur talia protuliſſe, qualia nemo protuliſſe dicitur, Pſal. 88. 8, *Super me incumbit*, &c. Et hinc etiam, quod de nullo alio dicitur, vocatur *vir dolorum*, Eſaï. 53.

Objicit Socinus, 1. Si mortem ſuſtinuit æternam; Ergo adhuc eam ſuſtinet. Mors enim æterna nullum finem habet. *Reſp.* diſtinguendo: vel eſt mors æterna *eſſentia*, vel *duratione*. Chriſtus ſuſtinuit mortem æternam eſſentia, non duratione. Intelligi poteſt diſtinctio ex oppoſito: Verbi gratia, Lazarus, itemque mulier, quam Petrus excitavit, *Actor.* 9, poſt mortem fruebatur felicitate æterna. At fruebatur illa, quæ erat eſſentia æterna, non duratione. Nam poſtea revocata eſt ad vitam hanc temporariam.

Obj. 2 Socinus. At nulla eſt proportio inter tot mortes, in quas incurrimus juſto judicio Dei, & hanc unam Chriſti; item inter tot mortes in æternum duraturas, & inter mortem Chriſti, quæ triduo ad ſummum duravit. *Reſp.* Si Chriſti mors fuiſſet hominis puri, & non ejus, qui erat ſimul æternus Deus, tum utique obtineret argumentum, quod Adverſarii volunt. At non obtinet; cum res ſecus habeat; & certe ſi homo purus fuiſſet, non fuiſſet ferendo tot pœnas, quæ omnibus & ſingulis debebantur, quaſque toleravit. *Eſai.* 53, dicitur, Deum conjeciſſe in ipſum omnium noſtrûm iniquitates. Et, *Gal.* 3. 13, dicitur nos redemiſſe ab execratione legis, dum pro nobis factus execratio. Hinc jam illud profluit, quod mors hæc Chriſti tanti ſit in judicio Dei, quanti mortes omnium noſtrûm. 2 Cor. 5. 15: *Vt qui hoc ſtatuerimus, ſi unus pro omnibus mortuus ſit, nempe iſtos omnes mortuos fuiſſe, & illum pro omnibus mortuum eſſe.* En Scriptura ipſa teſtatur, ipſius Chriſti mortem tanti eſſe, quanti omnium reliquorum hominum.

Sed *urget* Socinus, 3. Si valor iſte mortis Chriſti proficiſcatur ex dignitate perſonæ, tum utique non fuerat opus, ut Chriſtus mortem temporariam ſuſtineret, nedum ut mortem æternam perferret; Nam minima quæque paſſio ex eadem cauſa futura fuiſſet infiniti valoris, atque adeo ſatis ſufficiens λύτρον pro omnibus peccatis noſtris. Ad hoc argumentum *reſpondent* Paræus, Zarnovecius, & alii, diſtinguendo; & inquiunt, Si dignitatem perſonæ ſpectes, ſatisfacere potuit minima quæque paſſio pro peccatis noſtris. At ſi ſpectes veracitatem comminationis divinæ, tum utique ſatisfacere non potuit. Quia comminatio erat talis, ut quo die comederet homo de fructu vetito, moreretur. Nos reſponſionem ſolidiorem hanc putamus, qua utitur Zwinglius: Non potuit minima paſſio ſatisfacere, eo quod Chriſtus factus ſit noſter ſponſor non pœnarum mutatione, ſed pœnarum earundem, in quas incurreramus, in ſe derivatione.

Vide pag. 77. ad Cap. 2. 9. 2 circa finem. co 2 —

Obj. 2 contra hanc ſententiam, quod ſcilicet mortem æternam non ſuſtinuerit. Quia, ſi ſuſtinuit, deſperavit; Nam mortis æternæ pars eſt deſperatio. Atqui in Chriſtum deſperatio non cadit, alioquin fuiſſet in ipſo peccatum. *Reſp.* Ad hoc argumentum reſponſum à nobis prolixe in Theſibus: jam hoc addimus. Eum, qui ſuſtinet mortem ita, ut ab ea victus nullum exitum videat, deſperare; Sed Chriſtus non eſt victus à morte, ſed mortem ſuſtinendo, eam vicit, *Hebr.* 2. 14. Et exitum ex illa vidit, *Act.* 2. 24, 25. &c.

Obj. 3. Gehennalis pœna ſecum fert peccatum. Nam homines damnati peccaturi ſunt. *Reſp.* Non ſunt peccaturi, nec poterunt. Ratio triplex. 1. Quia ibi locus patiendi eſt, non agendi, *Ioan.* 9. 4. 2. Sequeretur, pœnas auctum iri in infinitum. 3. Ex Rom. 6. 7, *Qui mortuus eſt, liberatus eſt à peccato.*

Obj. 4. Si Chriſtus ſuſtinuit mortem æternam, cum mortis æternæ duæ quaſi partes ſint, pœna ſenſus, & pœna damni: & pœna damni ſit ſeparatio à communione Dei; Pœna ſenſus ſit vermis. Oportet Chriſtum utramque ſuſtinuiſſe. Atqui non prius; quia quomodo ſeparari potuit à communione Dei, qui inſepara-

rabi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

rabiliter erat unitus τ͂ λόγυ; Non poſterius; quia vermis ille rodens eſt conſcientia mala. Mala autem conſcientia non cadit in eum, qui nullam culpam commiſit. *Reſp.* ad 1, diſtinguendo: fuit ſeparatio, non *quoad rem*, à Deo, ſed *quoad ſenſum* gratiæ, ut videre licet, *Pſal.* 22. Quod attinet ad 2, dicimus, pœnam ſenſus non in hoc ſolo conſiſtere, imo non in hoc per ſe, ſed in anxietatibus, horrore & metu, *Matth.* 26. *v.* 37, 38. Pœna ſenſus exprimitur *Marc.* 14. 33, 35. Socinus dicit: Non potuiſſe fieri; fuiſſe enim Chriſtum, dum duceretur ad Caïpham, pacato animo. Ergo non fuerunt in ipſo tot dolores, &c. *Reſp.* Non fuit hoc malum continuum, ſed per intervalla recurrebat, ut in horto, in cruce.

Obj. 5. At eo pacto ſtatuis, Chriſtum metuiſſe: Si ergo metuit; quis timor ibi? *filialis*, an *ſervilis?* Utrumlibet dixeris, Chriſtus peccator; quandoquidem *filialis* eſt peccatoris regeniti. *Reſp.* Falſam hypotheſin præſupponi, quaſi hæc ſit immediata diſtinctio timoris, cum & detur tertia ſpecies, metus ſcilicet naturalis, qui certe fuit in Chriſto; quia natura quod malum erat metuebat.

Obj. 7. Quid ergo dicendum eſt de iſta ſententia Theologorum noſtrorum, qui dicunt: Chriſtus non ſuſtinuit mortem æternam, ſed morti æternæ æquivalentem? *Reſp.* Qui primum illa uſi ſunt, illi bene uſi; nam uſi in hac ſignificatione: Chriſtus quidem paſſus mortem æternam *eſſentia*, ſed non *duratione*; durationi autem æternæ æquivalentem. At poſteriores omiſſo priori ultimum retinuerunt, ſed non bene. Nam Chriſtus ſuſtinuit hoc ipſum, in quod Adam condemnatus fuit; Adam autem condemnatus fuit non tantum in temporariam mortem, ſed etiam in æternam.

CAP. VIII.

De eo; An Chriſtus mortem æternam & temporariam vice noſtri, an vero bono noſtro, ſuſtinuerit?

Quia Chriſtus pro nobis ſuſtinuit mortem & temporariam & æternam, dum dicitur pro nobis mortuus, vice noſtri mortuus eſſe cenſendus eſt.

Socinus oſtendit, & contendit, particulam *pro*, ſive ὑπὲρ, dum Chriſtus pro nobis dicitur mortuus, accipiendam eſſe non pro *vice*, ſed *bono noſtro*, & *in uſum noſtrum*.

Et probat hoc, I. Ex 1 Joan. 3. v. 16, *Per hoc novimus caritatem Dei, quod ille animam pro nobis depoſuit, ideoque etiam nos debemus pro fratribus noſtris animas deponere.* Ecce, inquit, nos animas deponimus pro fratribus, ut Chriſtus depoſuit pro nobis. Atqui nos non vice fratrum ponimus, dum pro fratribus deponimus animas. Ergo neque Chriſtus vice noſtri mortuus. *Reſp.* Quoad finem hunc, quod bono noſtro Chriſtus mortuus, & nos pro fratribus, ipſorum bono, mori debemus, iſta duo conveniunt. At quod ad modum attinet, longe ſunt diverſiſſima iſta. Nam, 1, Chriſtus pro nobis moritur, ut in ipſum peccata noſtra conjiciantur, *Eſai.* 53. Nos non ita morimur pro fratribus. 2. Chriſtus ita mortuus pro nobis, ut fieret execratio. At nos non ita morimur, ut fiamus execratio. Hoc ſecundum diſcrimen torquet Socinum. Nam Chriſtum execrationem eſſe, dum moritur pro nobis, notat, eum loco noſtri maledictum eſſe. Quod vero ut eludat, hoc dicit: Chriſtus eſt execratio, non ratione divini judicii, ſed ratione eorum qui ipſum condemnarunt ad mortem, quemadmodum, 1 *Reg.* 1. *v.* 21, dicit Bathſeba ad Davidem: *Cum occubuerit rex cum patribus ſuis, erit ut ſim ego & filius meus Salomon peccatores*, videlicet, judicio hominum. At fallitur Socinus, cum utramque hanc locutionem ratione ju-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

judicii humani perfectam dicit. Nam ut poſterior talis eſt, prior tamen talis eſſe non poteſt, cum Chriſtus dicatur execratio legis divinæ, *Gal.* 3. *v.* 13. Sed quia Socino maxime placet hoc argumentum ex Joanne ſumptum, idcirco plura diſcrimina nobis danda ratione modi, ut ita clarius appareat, argumentum hoc nihili eſſe. 3. Chriſtus dicitur ita ponere animam pro nobis, ut hoc ipſo dicatur pretium pendere pro nobis, *Matt.* 20. 28. 1 *Tim.* 2. 6. At vero nos non dicimur animas noſtras ponere pro fratribus, nec ita dici poſſumus, ut dicamur animas ponere in redemptionem ipſorum. Hinc illa diſtinctio, quæ depromitur ex *Col.* 1: Chriſtus mortuus eſt pro Eccleſia *redimenda*, v. 14. Sancti patiuntur non pro Eccleſia *redimenda*, ſed *ædificanda*, verſ. 24. 4. Ita dicitur Chriſtus pro nobis mortuus, ut dicatur factus pro nobis peccatum, idque à Deo; nos, utut moriamur pro fratribus, nunquam tamen dici poſſumus à Deo facti peccatum.

II. *Objicit* Socinus: Deus, apud *Ezech.* 18, obligat ſe ad hoc, quod nolit punire alterum propter alterum. Quod ſi ita eſt; ergo falſo dicitur, quod Chriſtus punitus ſit vice noſtri; Aut certe veracitas promiſſionis Divinæ non conſtabit. *Reſp.* Deus ſe obligat ad hoc, quòd nolit facere in iſtis, de quibus hoc loco agitur. At vero non propterea, quod quibuſdam ſe obligavit, omnibus ſe obligavit, aut in hominibus omnibus hoc ipſum ſervat. Nam ſi ita eſt, quomodo familiam Abimelechi, de qua, *Gen.* 20, punire potuit propter peccatum Abimelechi? Item, quomodo punire potuit totam familiam Achanis propter peccatum Achanis, *Ioſ.* 7? Aut quomodo potuit propter peccatum Saülis plectere filios ejus, 1 *Sam.* 31. 6? Aut quomodo propter peccatum Davidis totum populum Iſraëliticum, 2 *Sam.* 24? *Reſpondent* ipſi ad hæc clariſſima documenta: puniri ipſos propter peccata parentum, quia ea imitantur; Sed inepte. Nam David ipſe ultimo loco agnoſcit, non propter illorum peccata puniri ipſos, ſed propter ſua; imo Deus ipſe dicit, propter peccatum Davidis ſe hoc facere, dum vult, propter numerationem populi Davidem eligere pœnarum hanc vel illam.

Canones de hac re ſunt hi.

I. *Particula* ὑπὲρ, *utut generalius aliquando pateat, quam* vice alicujus, *ſive* loco, *tamen etiam ſignificat* vice; *&, dum de Chriſto dicitur, quod paſſus* pro *nobis, intelligitur* vice noſtri: *id quod etiam ex particula* ἀντὶ, *quæ de hac re uſurpatur, & quæ* vicem *tantummodo notat, colligitur.*

Particulam iſtam aliquando accipi pro *vice alicujus*, patet, *Rom.* 3. *Matth.* 17. 27. An vero in materia Chriſti ita accipi debeat, diſceptatur ab Adverſariis.

Nos probamus; 1. ex 1 *Cor.* 1, 13. Ubi Paulus negat, ſe crucifixum eſſe pro ipſis. Atqui, dum ſe crucifixum negat pro ipſis, nihil aliud intelligi poteſt, quam vice ipſorum crucifixum. Nam ſi hoc debet explicari in uſum ipſorum, quemadmodum animam dicimur ponere pro fratribus, tum utique, utut Paulus non eſſet crucifixus, non tamen dici poſſet nullus pro Eccleſia crucifixus. Nam, ut legere licet in vitis Martyrum, multi crucifixi ſunt; & Paulus, utut crucifixus nondum erat, crucifigi tamen potuit, ut qui mortuus pro Eccleſia.

2. Patet ex hoc, 2 Cor. 5. 15: *Si unus pro omnibus*, &c. Hic locus non poteſt ſic explicari, *pro omnibus mortuus*, id eſt, bono aliorum, non vice aliorum: qui ſenſus in poſteriori nullus eſſet. Nam quis, quæſo, ſenſus eſſet; Si Chriſtus bono aliorũ mortuus eſt; Ergo & alii omnes quorum bono mortuus eſt, mortui cenſendi? certe nullus. At vero optimus hic ſenſus eſt, ſi Chriſtus vice omnium mortuus eſt, perinde habetur ac ſi omnes mortui fuiſſent in propria perſona.

3. Accedit & hoc irrefutabile: Quod, dum de Chriſto dicitur, quod ſit mortuus pro nobis, particula ὑπὲρ non tantum utitur Spiritus Sanctus, ſed etiam ἀντὶ, quæ ſemper *vicem* ſignificat, dum dicitur aliquis pro alio aliquid feciſſe, aut paſſus eſſe, *Matt.* 20. 28. 1 *Tim.* 7. 6.

4. Præterea particulam iſtam *pro* debere verti *vice*, probat doctrina ſacrificiorum; de quo ſuperius.

5. Item quod Chriſtus vice noſtri mortuus

ſit, oſtendit res ipſa, quia in ipſum conjecta ſunt omnium noſtrum peccata, *Eſaï.* 53. & 1 *Petr.* 2. 24.

Socinus ad locum hunc poſteriorem excipit, & dicit, verbum illud Græcum non tantum ſignificare, *in ſe portare*, ſed etiam ſimpliciter *auferre*. *Reſp.* Eſto, quod verbum ita poſſit accipi. At his in locis non poteſt, quia dicitur bajulaſſe. At qui bajulat, ille fert in corpore; quia dicitur expreſſe, *Tulit in corpore*. Bellarminus etiam & cum ipſo Jeſuitæ nolunt admittere hoc, quod Chriſto imputata peccata noſtra; quia, inquiunt, fuiſſet Chriſtus peccator; Atqui hoc eſt abſurdum, quia omnis peccator filius Diaboli. *Reſp.* 1. Scriptura vocat Chriſtum peccatum, 2 *Cor.* 5. 21. Vocat exſecrationem, *Gal.* 3. 13. Verum eſt: ſed Chriſtus ita eſt peccator, ut nos juſti. Atqui nos ſumus juſti per imputationem. Ergo etiam Chriſtus peccator fuit per imputationem, *Rom.* 5. *v.* 19. Cum peccator ſit vel imputatione, vel proprio peccato inhærente. At non omnis, qui peccato inhærente peccator eſt, ex Diabolo eſt, ut patet, 1 *Ioan.* 3. 8, 9. Quomodo ergo, ſi non omnis talis Diaboli filius dici poterit, hoc de eo, qui peccator eſt per imputationem, verificabitur? Tandem ſi quæramus ab Adverſariis, quare Deus punivit Chriſtum? oportet ut negent puniviſſe; & ita incurrent in Scripturam, *Eſaï.* 53. Aut, ſi fatebuntur, oportet fateantur pro nobis ipſum puniviſſe. At ibi particula *pro* non poterit accipi niſi *vice noſtri.*

II. *Cum ergo Chriſtus vice noſtri paſſus ſit & paſſus in tantum, in quantum nos pati debuimus, ſatisfecit pro peccatis noſtris, & illa expiavit.*

Chriſtum ſatisfeciſſe pro nobis, ex antecedentibus fluit. Nam ſi vice noſtri, juſtitia Dei ita poſtulante, paſſus eſt, & paſſus in tantum, in quantum omnibus patiendum erat, tum utique pro nobis ſatisfecit. Hoc vero, quod expiavit peccata, fluit ex eo, quod ſatisfecit. Nam qui ſatisfecit pro peccatis, ille eo ipſo peccata tollit; quemadmodum ſi quis ſolvat debitum, debitum tollit. Contra hanc doctrinam clariſſimam multa objiciunt Adverſarii.

1. Volunt ut illis ad literam oſtendamus, ubi habeatur, quod Chriſtus ſatisfecerit pro nobis. *Reſp.* Non eſſe neceſſe ut ad literam oſtendatur, modo contineatur in Sacris Literis per conſequentiam neceſſariam. At contineri probatum jam à nobis in antecedentibus.

Objicit Smalcius. At dogma ad ſalutem neceſſarium debet abſolute haberi, & expreſſe quoad literam extare, in Scriptura. *Reſp.* Negatum hoc à nobis, ob rationes certas in loco de Scriptura. Negatur hoc idem à Socino contra Franciſcum Davidis. Ubi, cum hic urget, in Sacris literis non extare hanc propoſitionem, *Chriſtus eſt invocandus*; Socinus ipſi reſpondet (etiamſi uterque in eo erret, quod putet, non extare mandatum de Chriſto invocando): *Non neceſſe eſſe, ut ad literã hoc oſtendatur, ſed ſufficere, ſi ex iis quæ ſcripta ſunt, clariſſime deducatur.*

Objicit ſecundo Socinus: Si ita res habet; Ergo nos Deum nobis reconciliavimus per Chriſtum, non Deus nos ſibi. Atqui in Scriptura habetur, quod Deus nos reconciliavit ſibi, non autem quod nos Deum reconciliavimus; 2 *Cor.* 5. 19. *Reſp.* Dici hoc, quod nos Deus ſibi reconciliaverit, ſed dicimur reconciliari eodem capite verſu ſequente; Reconciliari autem alicui, eſt partis offendentis, *Matt.* 5. Ergo dum reconciliamur Deo, ſuſtinemus partes perſonæ reæ. At vero *urget* Adverſarius: Dicitur tamen, quod nos Deus reconciliaverit ſibi, & non nos Deum nobis. *Reſp.* Ita eſt, ſed interim hoc non vult hæc phraſis, quod volunt Adverſarii; Sic enim non nos fuiſſemus filii iræ, ſed Deus; cum tamen contrarium legatur, *Eph.* 2. 3. Item, Chriſtus non eſſet apud Deum noſter Advocatus, ſed Dei apud nos. Item, non eſſet propitiatio pro peccatis noſtris apud Deum, ſed Dei propitiatio apud nos, contra illud, 1 *Ioan.* 2. Hæc omnia abſurdiſſima ſunt; proinde & hic ſenſus, quem intendunt Adverſarii. At, inquies, *reconciliavit ſibi mundum*, habetur. Fateor, & cauſa eſt quare; quia ille nempe Chriſtum nobis dedit, per quem ipſi reconciliati ſumus, ſive per quem ipſi reconciliaremur, *Rom.* 3. 25. Propterea etiamſi nos Deo reconciliati ſumus, quod etiam Spiritus Sanctus clariſſime teſtatur, *Rom.* 5. 10; tamen, quia dedit nobis Deus hoc,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

hoc, per quod reconciliati ſumus, dicitur nos ſibi reconciliaſſe: id quod clariſſime oſtendit ipſius æquipollens, *Eph.* 1. 6.

Pergit porro Socinus, & inquit: Non nobis Deum fuiſſe iratum, ſed nos Deo. Deum non fuiſſe nobis iratum, inde evincit, quod dicitur dilexiſſe nos, & ex illa dilectione Filium miſiſſe in mundum, *Ioan.* 3. *Rom.* 5. 8: *Commendat ergo Deus*, &c. Hinc inquit, Filius non potuit eum nobis reconciliare, nec erat opus, quia jam dilecti eramus; imo ex iſta dilectione factum eſt, ut nobis Filium mitteret. *Reſp.* 1, Ineptum eſſe quod dicit, quod Deus non fuerit nobis iratus. Nam quomodo iratus non erat, cum expreſſe Spiritus Sanctus teſtetur, quod peccata diſterminent inter nos & Deum, & peccata noſtra faciant, ut occultet faciem ſuam à nobis? Quomodo non fuit iratus, cum expreſſe, *Eſai.* 63. 10, dicitur (quod omnibus peccatoribus applicari poteſt), *Nam ipſis rebellantibus & dolore afficientibus Spiritum ejus, mutabatur ipſis in inimicum.* Infinita talia proferri poſſunt. *Reſp.* 2, A Scholaſticis diſtingui amorem, in *ordinativum*, & *collativum*. Ordinativus eſt, quando media ordinat ad reconciliationem. Nam, quando offenſus media ſubminiſtrat illi, à quo offenſus eſt, per quæ offenſæ ejus ſatisfieri poſſit, hoc ipſo bene vult ipſi, à quo offenſus eſt, neque tamen adhuc reconciliatur. At vero quando jam reconciliatur per iſta media, tum iſte amor collativus eſt. Diſtinctionem hanc probam eſſe, & commode applicari, patet ex Rom. 5. 8, *Nam ſi, dum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt*, &c. Clariſſime ibidem diſtinctio extat, ubi dicitur, Dei caritatem extitiſſe erga nos, dum mitteret Filium, & tamen reconciliari adhuc per mortem Chriſti ab ira ejus; unde quilibet videre poteſt, vel enſtaſi oppugnari poſſe Socini argumentum, quod plauſibile videtur. *Dicit:* Ille, qui nos dilexit, ille jam erat placatus, illum reconciliare non erat opus. Dico ego: *Nego* hoc. Ecce enſtaſis, *Rom.* 5. *v.* 8. Sed ut ſolutio melius percipiatur, exemplo aliquo illuſtri fuerit declaranda. Exemplum ad hoc accommodatiſſimum occurrit, *Iob.* 42. Ubi Deus oſtendit viam reconciliationis amicis Jobi, quod profecto ex amore profectum, interim ipſis reconciliatus non fuit, antequam hoc ipſum præſtitum eſſet, quod injunctum fuit.

Obj. Ille qui reconciliatur, exoſus fuit, non odit; At Deus reconciliatur; Ergo. *Reſp.* 1. Illud *reconciliari* eſſe relativum, & utrumque notat illum qui odio habetur; hoc teſtatur Spiritus, cum nos dicit filios iræ. 2. Patet hoc, ex *Rom.* 5, ubi reconciliatum eſſe, & juſtificatum eſſe, convertuntur. Ergo quæ argumenta probant, juſtificationem eſſe abſolutionem, ea probant, nos reconciliatos cum Deo. At ille juſtificavit. 3. Ex 2 Cor. 5. 19, *Non imputans peccata.* Ille autem qui imputat peccata, odio habuit, non qui non imputat. 4. Abſurdum hoc daretur, ſi Deus nos odio non habuit; Ergo, cum, 1 *Ioan.* 2, dicitur propitiatio pro peccatis totius mundi, dicetur, nos Deo propitios factos, non Deum nobis. At hoc abſurdum. Præter hoc, habemus Advocatum apud Deum. Ergo Deus habebit apud nos. *Rom.* 3. *v.* 25, Chriſtus placamentum in ſanguine. Ergo ſequetur, nos placatos ſanguine.

CAP. IX.

De Cauſis genuinis, cur Chriſtus dicatur noſter Servator.

Conſequitur ergo, Chriſtum Servatorem noſtrum eſſe & dici, non præcipue propter hoc quod Socinus putat; nempe: 1. Quia ſalutis æternæ viam nobis annuntiavit. 2. Morte confirmavit. 3. Vitæ exemplo, item ex mortuis reſurgendo, oſtendit. 4. Quia vitam æternam dabit.

Socinus, *diſput. de Servat. lib.* 1. *cap.* 1, has quatuor ponit cauſas, quare Chriſtus Servator dicatur.

Nos ſentimus, Servatorem dici, quia, pro nobis ſatisfaciendo, nos ab æterna legis execratione liberavit.

Inquiramus in cauſas, quas Socinus affert.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Primo, dicit, Chriſtum Servatorem noſtrum eſſe, *quia ſalutis æternæ viam nobis annuntiavit*. At I, ſi res ita habet, tum oportet ut etiam Prophetæ & Apoſtoli ſint noſtri Servatores; quia & ipſi viam ſalutis nobis annunciarunt. Hoc argumentum ut effugiat Socinus, ad palpabilia deſcendit abſurda, & negat, 1, Vitam æternam notam fuiſſe in Veteri Teſtamento, ac proinde nil docuiſſe eos de vita æterna; quod quam falſum ſit, ad oculum oſtendimus in ſuperioribus. 2. Negat, promiſſiones factas veteribus de donis ſpiritualibus; quod itidem, ut plane falſum, à nobis ſupra refutatum. Manet ergo primum argumentum intactum.

II. Si Chriſtus ex hac cauſa eſt Servator, quia viam ſalutis annuntiavit; Ergo profecto non erit Salvator eorum, qui ante eum mortui ſunt; Quia iſtis viam ſalutis annuntiare non potuit. Atqui poſterius falſum. Nam Spiritus Sanctus & ſalvatos dicit, & modum, quo ſalvati ſunt, in ſpecie ita deſcribit, ut oporteat plane amentes eſſe, qui Socino credant; *Act.* 15. 11, ubi de Patribus Veteris Teſtamenti agit, dicens: *Credimus, nos per gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti ſervatum iri, quemadmodum & illos*, ſcilicet Patres. Modus clariſſime explicatur, Hebr. 9. 15: *Itaque ob id novi pacti mediator eſt, ut morte ad redemptionem earum tranſgreſſionum intercedente, quæ fuerant ſub priore pacto, ii qui vocati erant, promiſſam æternam hereditatem acciperent.* Hoc argumentum Socino inſolubile cum clariſſimo loco, *Col.* 1. 20. (& eo pacto uterque melius intelligetur; quia alter alteri facem præbet): *&, pace per ſanguinem crucis ejus facta, per eum reconciliaret omnia ſibi, tum quæ in terra, tum quæ in cælis.* Nam ſi reconciliavit ea, quæ in cælis; Ergo aut homines aut Angelos reconciliavit. Non Angelos, quia hi non peccarunt. Ergo homines. Et hos, aut dum exiſterent in cælis, aut ante. Non tunc, cum exiſterent in cælis; alioqui homines qui juſtificati non eſſent, ſalvarentur. Ergo ante. Quomodo autem ante? niſi ut explicat nobis Spiritus Sanctus, *Hebr.* 9; &, ut dici ſolet in ſcholis, quod ſalvati ſint vi meriti Chriſti, quandoquidem meritoria cauſa effectum habere poteſt antequam exiſtat. Socinus non habet quicquam quod iſtis opponat; ut tamen abſurditatem ſuam hic etiam prodat, in ultimo loco explicando *reconciliationem* vertit per *recapitulationem*, & transfert ad Angelos, quaſi Angeli ſint per Chriſtum recapitulati; quod ille explicat, quaſi vero illis per hanc recapitulationem hæc aut illa officia data ſint. At hominem hoc ſaltem movere debuit: 1. Reconciliationem in cælo accipiendam eo ſignificatu, quo in terris; at in terris nil tale notat. 2. Reconciliationem eo modo hic ſumi, quo ſumitur cum de ea agitur, 2 *Cor.* 5. *v.* 19. *Rom.* 5. 10. 3. Debebat hoc dogma oſtendere ex Scriptura, de iſta donorum in Angelos collatione, quod nec fecit, nec unquam facere poteſt.

III. Si Chriſtus propterea Servator, quia viam ſalutis oſtendit & annuntiavit, tum ſequitur neceſſario hoc, quod infantum non poſſit dici Servator. Abſurdum poſterius; Ergo & prius. Ratio conſequentiæ, Quia infantibus viam ſalutis annuntiare non potuit. Et tamen etiam multi infantes ſervantur, qui in infantia moriuntur. Si ſalvantur, in Chriſto ſalvantur, quia omnis benedictio ſpiritualis in Chriſto confertur, Eph. 1. 3. *Et non eſt in ullo alio ſalus*, Act. 4. 12. Præterea, ut nulla eſt condemnatio iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu, *Rom.* 8. 1. Ita illi qui extra Chriſtum ſunt, in ignem tandem abjicientur, *Ioan.* 15. 6. Item, infantes aliqui ſunt filii promiſſionis, quibus promiſſio facta, *Act.* 2. 39. Promiſſio autem facta in Chriſto, & ratificata in Chriſto, 2 *Cor.* 1. 21. Quæ autem iſta ſit promiſſio, patet, Gal. 3. v. 22, *Concluſit illa Scriptura omnia ſub peccatum, ut promiſſio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus.* Atque ſic diſcuſſa eſt cauſa Socini prima.

Veniamus jam ad *ſecundam* cauſam, qua Socinus ſtatuit, Chriſtum Servatorem noſtrum eſſe: *Quia viam ſalutis, quam nobis annuntiavit, morte confirmavit.* Contra hanc rationem argumentum opponimus inexpugnabile. 1. Quod Chriſtus magis miraculis doctrinam ſuam confirmavit, quam morte. Ratio eſt, quia morte ipſius plerique irregenitorum offendebantur. Nam hoc ipſo deterrebantur à re-

ligio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ligione Chriſtiana. Hinc illud Pauli, 1 *Cor.* 1. *v.* 23: *Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem offendiculum, Græcis vero ſtultitiam.* At vero miracula ejus ita percellebant animos, etiam irregenitorum, ut non dubitarent (quod Centurioni, Chriſto jam crucifixo, accidit) hunc Filium Dei fuiſſe. Hoc argumentum Smalcius conatur refellere contra Smiglecium, ſed nihil affert quod dignum ſit relatu. 2. Si Chriſtus Servator eſt, eo quod doctrinam annuntiatam morte confirmavit; tum martyres, qui ante Chriſtum martyrium ſubierunt, itidem ſervatores ex eadem cauſa.

Pro *tertia* cauſa hoc adfert: *Quod Chriſtus tum vita exemplo, tum ex mortuis reſurgendo, viam ſalutis oſtenderit.* Et quidem quod ad exemplum vitæ attinet, hic nihil peculiare tribuit Socinus Chriſto præ aliis piis & ſanctis hominibus. Nam cum Socinus doceat, homines in hac vita perfecte Chriſtum imitari poſſe, jam conſequetur neceſſario, Chriſtum ſolum exemplo viam ſalutis nobis non oſtendiſſe, ac proinde nec Servatorem dicendum ideo.

Reſpondebit hic Socinus, ſat ſcio, quod Chriſtus, ut primus fuit, qui de vita æterna docuit, ita etiam præcepta ad eam ducentia propoſuit primus, atque ex eo ſolum debere dici Servatorem, tum quod de vita æterna primus docuerit, tum quod primus præcepta de ea conſequenda tradiderit.

Reſp. 1. Socinum falſo præſupponere, Chriſtum moralia quædam præcepta adjeciſſe, quædam abrogaſſe, ut ſupra demonſtratum eſt. 2. Falſo etiam Socinum præſupponere, vitam æternam obſervatione præceptorum moralium obtineri; cum contrarium ubique teſtetur Scriptura, & expreſſe dicatur, quod *ex operibus legis non juſtificetur ulla caro*, Rom. 3. 20.

Quod ad reſurrectionem attinet, ipſius ſententia eſt hæc: Chriſtum fuiſſe primum, qui ex mortuis reſurrexerit, atque adeo, ex mortuis reſurgendo, vitam æternam eſſe oſtenderit. At 1. Falſum eſt, Chriſtum primum ex mortuis reſurrexiſſe. Nam teſtatur Scriptura, *Matth.* 27, quod, cum Chriſtus eſſet mortuus, multi reſurrexerint ante reſurrectionem ejus; dicitur namque in textu, quod, *poſtquam ſpiritum emiſiſſet, monumenta aperta ſint, & multi ex mortuis reſurrexerint, & in civitatem ſanctam ingreſſi ſint.* Socinus putat, eos reſurrexiſſe, ſed mortuos iterum; putatque ſe hoc probare poſſe, ex Joan. 3: *Nemo aſcendit in cælum, niſi Filius hominis.* ex Hebr. 9. 19, *ingredientem uſque in ea quæ ſunt intra velum.* *Reſp.* 1. Scriptura teſtatur, in Veteri Teſtamento quoſdam reſurrexiſſe. Ergo non ille primus eſt. Idem teſtatur locus ex Matthæo allegatus. Ille ſe ſatisfeciſſe putat, ſi reſpondeat, eſſe denuo mortuos. At, utut demus, priores mortuos, de poſterioribus unde conſtabit? Scriptura non dicit. Deinde ipſe Socinus in ea hæreſi eſt, ut dicat, Chriſtum corpus, quod ex Maria aſſumpſit, & in quo reſurrexit, non aſſumpſiſſe in cælum, ſed abolitum eſſe, & neſcio quod & quale ipſi datum. Allegat quidem Socinus ineptiſſime ad hanc rem locum, 1 *Cor.* 15: *Caro & ſanguis non poſſidebunt*, &c. Quem locum & ſupra aliquoties vindicavimus, & porro vindicaturi ſumus, ubi nobis de glorificatione agendum fuerit. Ad locum vero, *Ioan.* 3, *reſpondeo*, 1. Agi ibi de aſcenſione in cælos, non de reſurrectione; aliquos enim aſcendiſſe, priuſquam Chriſtus aſcendit, patet manifeſte in Elia & Enoch. 2. Utut aliqui aſcenderint, priuſquam Chriſtus aſcendit, tamen omnes aſcendiſſe vi meriti Chriſti, ut patet, *Ioan.* 14. *v.* 6, *Nemo venit ad Patrem, niſi per me.* Hoc pacto ergo Chriſtus dicitur prius aſcendiſſe, non quod prior tempore aſcenderit, ſed quod illi, qui aſcenderint ante ipſum, vi meriti illius aſcenderint, ſive quod ille cauſa fuerit, cur illi aſcenderint.

Quarta cauſa, ob quam Socinus putat, Chriſtum Servatorem dici, eſt: *Quia nobis vitam æternam daturus eſt.* At diſtinctio iſta bene hic foret obſervanda, quod Chriſtus Servator noſter ſit atque dicatur, & *merito*, & *efficientia*. Socinus vult, eum tantum eſſe efficientia Servatorem; idcirco nobis oſtendendum eſt, eum etiam merito Servatorem eſſe.

Oſtenditur autem ſic: 1. Quia liberamur per Chriſtum ab execratione legis. Factus enim eſt pro nobis execratio, *Gal.* 3. 15. Atqui per & propter hoc, quod ab execratione legis libera-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

mur & liberati ſumus, datur nobis vita æterna. Nam execrandi condemnabuntur. Ergo. 2. Juſtitia Chriſti juſti ſumus, *Phil.*3. 9. Atqui propter hanc juſtitiam nobis vita æterna datur. & hinc jam intelliguntur iſta, quæ frequentiſſime occurrunt in Scriptura, & quorum nullam rationem poteſt reddere Socinus ex ſua Theologia; ut, quod Sancti velint recipi in gratiam propter Chriſtum: *Scutum noſtrum aſpice ô Deus*, Pſal. 84. 10. Dàn.9. 17, *Nunc auſculta Deus noſter*, &c. *propter Dominum.* Hunc locum graviſſimum non tantum Sociniani, ſed & Judæi, impugnant. Et Sociniani quidem dicunt, *Propter* non potuiſſe referri ad Chriſtum, *quia Chriſtus nondum fuit*; aut, *utut daretur*, *quod fuiſſet Deus, non tamen homo: nec præſtiterat ea, quæ ipſi præſtanda fuerant, & propter quæ putant ſe Adverſarii exaudiri.* Cum vero urgentur, particulam iſtam *propter* in Veteri Teſtamento occurrere; *Reſpondent*, Vocem *propter*, ſi quando in Veteri Teſtamento cum nomine Chriſti aut ſimili jungatur, non ipſam perſonam deſignare; ſed, *propter Dominum*, ſive, *per Deum*, idem valere ac ſi dicatur, propterea quia nos fratres Chriſti ſumus. Sed *reſp.* 1: Inepti ſunt, quod negent, Chriſtum fuiſſe in Veteri Teſtamento: Nam ſi Chriſtus fuit Deus, quod à nobis in præcedentibus oſtenſum, tum utique non tantum fuit in Veteri Teſtamento, ſed ante omnia ab æterno. Deinde, utut homo non fuerit in Veteri Teſtamento; utut ea, quæ præſtanda ipſi erant, nondum præſtiterat, tamen poterant orare, & debebant etiam, pii in Veteri Teſtamento propter Chriſtum. Ratio eſt, quia Chriſtus, dum ipſi adjicitur iſta particula *propter*, notatur ut cauſa meritoria. Eſt autem cauſæ meritoriæ ea natura (ut à nobis ſæpius dictum), ut ejus effectus exiſtere poſſint, ea nondum exiſtente. Et ratio eſt, quia cauſa meritoria non producit vi ſua effectus, ſed cauſa eſt, cur producantur, adeo ut oporteat cauſam etiam poni, quæ producat effectus, quos cauſa meritoria meretur. Atque hinc illa diſtinctio profluxit, eſſe Servatorem *meritorie*, & *efficienter*. Quæ diſtinctio etſi quoad utrumque membrum in Chriſtum cadat, diverſo tamen id fit reſpectu. Nam meretur, qua homo in ὑποστάσει τοῦ λόγου efficit, qua Deus. *Reſp.* 2. Si res ita habet, ut illi dicunt, particulam *propter* propterea addi, quod fratres Chriſti ſimus; Ergo propter Chriſtum fratrem noſtrum exaudimur. Sed refelluntur etiam ineptiæ iſtæ ex iis, quæ ſupra diſputavimus. Nam Chriſtus pro nobis ſatisfecit, pro nobis meritus eſt. Ergo particula *propter* ad Chriſtum referri debet, tanquam ad cauſam meritoriam eorum, quæ nobis offerri volumus.

Judæi vero iſtud, *propter Dominum*, putant referri ad eundem Dominum, quem Daniel compellabat, & dicunt, quod ſubſtantiva iſta loco pronominis relativi poni ſoleant, ut Saül vocavit populum ad Saülem. Probant vero hanc ſuam explicationem Judæi, ex *verſu* 19 *capit.* 9. *Dan.*, ubi Daniel dicit: *Domine exaudi, Domine condona*, &c. *propter te.* Et, quod mireris, non tantum Judæi ſic explicant locum, ſed & Vatablus, deceptus, ut credo, ipſorum ratiuncula. *Reſp.* Si propheta, *verſu* 19, hunc verſum explicare voluit, quam cauſam hoc loco, *verſ.* 17, habuit, quod ſtatum orationis ad iſtum modum mutaverit, dum in priori verſus membro directe in ſecunda perſona appellet, & hanc deinceps locutionis formulam in tertiam perſonam mutet? hoc ſane citra affectatam textus obſcurationem fieri non potuit. 2. Clauſula hæc à præcedentis coli complexu per accentum *athnach* quaſi inſecatur, quæ res novæ periodi ſuſpicionem præbet: & ſimul hunc Dominum, quem tanquam ſequeſtrum appellat, ab illo Domino manifeſte diſtinguit, ad quem preces ſuas direxit. 3. Propheta, *verſ.*19, uſurpatæ ibidem phraſeos rationem reddit, quando dixit, *propter te Deus mi*; *Quia*, inquit, *nomen tuum vocatur ſupra civitatem.* Quod non video cur hic etiam non debuerit facere, ſi quidem de Dei compellatione potius hactenus, quam de alia perſona loquebatur.

Functio ultima Sacerdotii Chriſti, eſt interceſſio.

De hac ſunt hi Canones.

I. *Sociniani male nos accuſant, quaſi ſtatuamus, Chriſtum formaliter in cœlis pro nobis orare.*

Sunt quidem aliqui in ea ſententia tum Pontificii tum Lutherani, ut & noſtrates, qui putant, Chriſtum pro nobis *formaliter* orare in cælis; ſed tamen non omnes. Nam nos ſtatuimus cum multis aliis, Chriſtum *objective* pro nobis intercedere, id eſt, ſeipſum præſentare Deo, tanquam cauſam meritoriam, ob & propter quam, hæc & illa, quæ nobis peperit, conferuntur. Quod probamus, 1. Ex *Hebr.* 9. 24, ubi *intercedere* Spiritus Sanctus explicat per comparere pro nobis ad faciem Dei. 2. Explicatur idem, 1 *Ioan.* 2, ubi, cum Chriſtum Advocatum vocaſſet Spiritus Sanctus, explicat hoc porro, & dicit: *quia ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris*; quæ non *formalem rationem* intercedendi, ſed *objectivam* denotant. *Obj.* Cur ergo fertis tales, qui ita docent? *Reſp.* Error iſte levior eſt, nec ullum fundamentale dogma attingit, nedum ſubruit. De his talibus autem habemus admonitionem Spiritus Sancti, Phil. 3. 15: *Quotquot itaque adulti ſumus, hoc ſentiamus, quod ſi quid aliter ſentitis, hoc quoque vobis Deus revelabit.*

II. *Sociniani non agnoſcunt oblationem Chriſti in his terris, ſed tantum oblationem in cælis, ſive præſentationem ejus, quod oblatum eſt in terris.*

Duplex eſt, ut legalium quarundam victimarum, ita & Chriſti oblatio. Prior, *mactationis*; altera, *oſtenſionis*. Legalium victimarum prior peracta in templo; altera, in ipſo penetrali. Chriſti prior, in terris; poſterior, in cælis; prior tamen illa non ſacrificii præparatio, ſed ſacrificium; ut à nobis oſtenſum; poſterior non tam ſacrificium, quam Sacrificii prioris eſt commemoratio, *Hebr.* 9, & præſentatio.

CAP. X.

De Officio Chriſti Regio.

Actum etiam à nobis eſt de officio Chriſti Sacerdotali; jam agendum eſt de officio Chriſti Regio.

Regnum Chriſti duplex eſt: Eſſentiale, quod alias vocatur Regnum jure creationis; & Mediatorium, quod alias vocatur redemptionis.

Regnum redemptionis vocatur, non quod tantum efficienter redemerit, ſed præcipue meritoriè, & propterea hoc regnum Chriſti ſolius eſt.

Et quidem hic agimus non de Regno priori, ſed poſteriori; de quo Regno Chriſti Mediatorio ſunt hi Canones.

I. *Chriſtus eſt Rex & Dominus.*

Aliud eſt, eſſe Dominum; aliud, Regem. Omnis enim Rex eſt Dominus, ſed non omnis Dominus Rex.

Regis munera ſunt, ſubditos ab hoſtibus tueri; eoſdemque legibus, in pace mutua, & officio, continere, boniſque omnibus affluentes facere. His enim modis beate ac feliciter in Rebuſpublicis vivitur. Et hic eſt regiæ gubernationis finis. Porro in Regno duo conſiderari poſſunt. Imprimis regia dignitas, qua Rex ſupra omnes eſt, ad quam conſequitur Majeſtas & gloria, veluti ſplendor quidam regiæ dignitatis. Deinde poteſtas etiam, ſeu officium regendi. Hinc igitur perſpicuum eſt, Chriſtum & Regem eſſe, & Regem omnium maximum, Regem regum, & Dominum dominantium, *Apoc.* 19. 16. Non, inquam, Regem de hoc mundo, ſed cæleſtem potius & divinum; ut ipſe de ſe teſtatus eſt coram Pilato, *Ioan.* 18. 8. Reges enim de hoc mundo ſunt Reges regni temporalis, ſuoſque ſubditos ab hoſtibus temporalibus tuentur, leges ad bona temporalia ſpectantes condunt, boniſque temporalibus ſuos ſubditos adaugent, denique pro fine felicitatem tem-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

temporalem habent; Chriſtus vero ejuſmodi Rex eſt, qui nos ab hoſtibus ſpiritualibus tuetur, & legibus ſpiritualibus ad felicitatem æternam ſpectantibus gubernat, bonis ſpiritualibus adauget, denique ad felicitatem æternam perducit, quodque nullus Regum temporalium efficere poteſt, ut perfectam ſuis ſubditis felicitatem conferat, ab omnibus malis immunem, & bonis temporalibus omnibus affluentem, id Rex iſte longe maximus efficit, & ſuis ſubditis æternam felicitatem largitur.

II. *Eſt ergo Chriſti Regia dignitas, & munus Regium, diſtinctum à Sacerdotio Chriſti.*

Socinus Sacerdotium Chriſti, quod improprium vocat, putat nil aliud eſſe, quam Regii muneris Chriſti adminiſtrationem, & ad hoc affert inter alia, quod David fuerit typus Chriſti, nec ſimpliciter typus, ſed quoad Sacerdos. Unde audet aſſerere, Davidem etiam fuiſſe Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech: & hoc probare vult, ex 2 *Samuel.* 8, Ubi filii Davidis vocantur כהנים, per quod ille putat Sacerdotes intelligi. At כהן miniſtrum ſignificat, ut à Calvino bene obſervatum, qui proximus Regi eſt. Eſt autem Rex, vel cui imperium in conſcientias, & hic ſolus Deus; vel cui imperium in corpus, quales ſunt Reges mundani, qui *αὐτοκράτορες* vulgo vocantur. Reſpectu Dei כהנים dicuntur illi, qui populo Dei præſunt in peragenda re divina, quales fuerunt proprie dicti Sacerdotes, qui à Deo proximi videntur; reſpectu Regis illi כהנים ſunt, ut 2 *Sam.* 20. 26. Hira Jaïrites dicitur fuiſſe כהן Davidis: &, 2 *Sam.* 8, Filii Davidis dicuntur כהנים, id eſt, præcipui Regis Miniſtri, quæ dignitas ſumma fuit; &, ſi Judæis credimus, Abſolomo occaſionem dedit ſive præbuit (quia non fuit admiſſus in dignitatis hujus communionem) conſpirandi in Patrem; atqui ita ſe rem habere conſtat, ex 1 *Paral.* 18. *v.* 17. הראשנים ליד המלך, id eſt, primarii ad manum Regis: quod ideo afferimus, ut vel hoc ipſo exemplo probemus imperitiam Socini, qui ex loco, ut jam diximus, quo dicuntur filii Davidis כהנים, contendit, Davidem fuiſſe Sacerdotem, & quidem ſecundum ordinem Melchiſedechi.

III. *Chriſtus fuit vere Rex & perfecte, ratione regni Mediatorii, antequam reſurrexiſſet.*

Socinus putat, Chriſtum non fuiſſe Regem, antequam reſurrexit. Inepte: Nos dicta Scripturæ in contrarium adferimus. Magi, *Matt.* 2, ab Oriente venerunt, quærentes, ubi eſſet *Rex* Judæorum. Matth. 21: *Ecce Rex tuus venit. Ioan.* 13. *v.* 33, 38, vocatur itidem *Rex. Ioan.* 19, inſcriptio dicitur cruci impoſita: *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.* Talia quam plurima afferri poſſunt ex Scriptura. At, inquiunt, Rex fuit deſignatione, non reipſa. *Reſp.* 1. Diſtinctio inepta; Quia, qui deſignatione Rex eſt, ille Rex eſt revera. 2. Ineptum eſt traducere Scripturas à proprietate ſenſus ad improprietatem ſine ratione evidenti. 3. Refutat Spiritus Sanctus commentum hoc, *Pſal.* 2, ubi per Sion nihil intelligitur niſi militans Eccleſia. De eodem vide *Luc.* 4. 18, ubi dicitur unctus: confer cum *Pſal.* 21. 7.

Objicitur contra hoc à Socino ex *Act.* 2. 36: *Certo ſciat tota domus Iſraël, quod Deus hunc fecerit Dominum & Chriſtum, hunc ipſum Ieſum, quem vos crucifixiſtis.* Hinc, inquiunt, Jeſus eſt factus Dominus & Chriſtus demum poſt reſurrectionem. *Reſp.* Immerito hoc ſane inferunt. Nam non dicitur in eo ſenſu poſt reſurrectionem factus Dominus, quod antea Dominus non fuerit; fuit enim & quà Deus, & quà homo, perfectiſſimus Dominus. Nam nihil erat, quod ab ejus ſumma poteſtate excluderetur. Sed alia duplici de cauſa dicitur factus, quod ſui Dominii ac poteſtatis uſu, libens ac volens antea caruerit, poteſtatemque ſuam quaſi apud homines texerit, & ſponte noſtri cauſa ſeipſum exinanierit, atque ad eam vitæ rationem dejecerit, ut incognitus & ingloriosus inter homines maneret Dominus ſine ſubdito, & Rex ſine Regno, Deus ſine honore; poſt reſurrectionem autem Regni & Dominii ſui poſſeſſionem palam & manifeſte adit, ſubjectis ſuæ poteſtati Angelis, hominibus, dæmonibus, ut omnis lingua illum confiteatur Deum,

&

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

& debitam illi ſubjectionem atque honorem præſtet. Etſi enim antea fuerat Dominus quoad poteſtatem, quam ſemper habuit, tamen quoad poteſtatis actum & executionem poſt reſurrectionem primum cœpit eſſe Dominus;& uſum quidem poteſtatis ſuæ aliquem habuit antea, rebus aliquibus creatis imperando, univerſe tamen ſuam poteſtatem non exercuit in omnes res creatas in cælo & in terra; non quod non potuerit, ſed quod ex humilitate, & ſalutis hominum cauſa, noluerit. Cum enim in forma Dei eſſet æqualis Deo, exinanivit ſe ipſum, id vero dominio Chriſti nihil derogat, nec Chriſtum ſemi-Dominum (ut Sociniani, quicquid verbis negent, re ipſa ſtatuunt), facit. Dominus magis dicitur à poteſtate, quam ab actu dominandi. Secundam cauſam adferunt Theologi, cur Jeſus poſt reſurrectionem dicitur factus Dominus, & Chriſtus, quod etſi plenam poteſtatem ante reſurrectionem in omnes habuerit, tamen paſſione ſua & morte novum jus & poteſtatem obtinet, & novo titulo ac ratione.

IV. *Etſi Chriſtus non uſurpavit hoc Dominium ordinarie, tamen ſæpe uſum iſtius poteſtatis oſtendit.*

Ita verbis imperabat dæmonibus, *Matth.* 8. Aſinam & pullum ſolvi juſſit, & adduci, non interrogato Domino, *Matt.*21. Utendo ſcilicet ſumma illa ſua poteſtate, quam in omnes res creatas, ac in omnium bona ac facultates habebat; ita & in homines, quoad animas, poteſtatem ſe parem habere cum Patre, diſertis verbis indicat, *Ioan.* 5. 19. Quoad corpora, vitam eis tribuendi; quoad animas, judicandi, condemnandi, ſolvendi; in dæmones poteſtate iſta uſus, dum & ex hominibus eos expelleret, ut hinc quidem in porcos abſque ejus voluntate & permiſſu ingredi non auderent, *Marc.* 5, & *Matt.*8; Angelis denique præfuiſſe, ut Dominum ſervis ac miniſtris, luce clarius eſt: Si enim fuit Dominus hominum, Angeli autem adminiſtratorii ſpiritus ſunt, in miniſterium miſſi propter eos qui capiant hereditatem ſalutis; quis dubitet, Angelos quoque ipſius Dominio fuiſſe ſubjectos, ut ex nutu & voluntate ipſius in procuranda hominum ſalute penderent.

Objicit Socinus, 1. Teſtatur Chriſtus, *Ioan.* 5, quod nihil à ſe ipſo facere potuit. Ergo non habuit poteſtatem iſtam, quam nos aſſerimus, divinam in omnes. *Reſp.* Id non ex *defectu poteſtatis*, ſed ex *unitate naturæ*, & ejus *inſeparabilitate* à Patre credimus provenire: Quemadmodum enim natura ſunt inſeparabiles ab invicem, ita & poteſtate & operatione.

Obj. 2. Chriſti Dominium non plenum fuiſſe ante mortem, patet ex eo, quod non omnibus, ſed quibuſdam tantum imperaverit. Neque enim in Angelos plenam habuit poteſtatem, cum hi poſt reſurrectionem primum ei ſubjecti fuerint, *Eph.* 1, 20, 21. 1 *Petr.*3. 22. Neque in dæmones, cum *Hebr.*2. 14, dicitur, per mortem deſtruxiſſe eum, qui mortis imperium habebat. Neque in mortem, quia Scriptura, 1 *Cor.* 15, teſtatur, noviſſime abolendam mortem: id quod futurum eſt in extremo judicio, cum, immortalitate corporibus donata, mortis imperium plane evaneſcet. Deinde, *inquiunt*, Dominium Chriſti poſitum eſſe in ſeſſione ad dexteram Patris, in exaltatione ſuper omnem principatum, & poteſtatem, & omne nomen, quod nominatur non ſolum in hoc, ſed & in futuro ſeculo, & in omnium ſub pedibus Chriſti ſubjectione: hæc autem omnia nonniſi poſt reſurrectionem eſt adeptus. *Reſp.* Injuſta ſane exceptione utuntur: Dominium enim non tam *actu imperandi*, quam *poteſtate* definitur; Etſi namque ante mortem Chriſtus non omnem actum imperandi ſibi vindicaverit, quod ſtatuerit humilem & abjectam vitam noſtri cauſa ducere, & dominium ſuum & poteſtatem tantiſper diſſimulare: tamen poteſtatem, qua omnibus rebus imperare potuiſſet, ſi voluiſſet, habuit. Hac vero poteſtate Dominii eſſentia continetur, ut dictum eſt; fuit ergo ante mortem Chriſtus plane Dominus; quia nihil in mundo fuit, quod poteſtatem ejus excederet, nihil ei impoſſibile fuit vel arduum. Quapropter, qui impetratum ſanitatem veniebant ad Chriſtum, ea præfatione utebantur, *Domine, ſi vis, potes*; ut ad faciendum non *poteſtate*, ſed *voluntate* opus eſſe cenſeant, neque ulli unquam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

quam licuit, quamvis magna res eſſet quæ petebatur, dubitare. Angelos etſi poſt reſurrectionem de facto ſubjectos habuit, tamen quoq; de jure ante mortem ipſi ſubjectos fuiſſe non eſt dubium. Nihil autem eſt quod Angelis præcipere non potuerit, nec Chriſti imperium Angeli ulla in re detrectaſſent, quanquam nec gubernationem, nec miniſterium Angelorum ſibi in univerſum vindicabat, ſed eam gubernandi provinciam in cælum provectus, & ad dexteram Dei ſedens, primum palam & publice aſſumpſit; tunc namque manifeſte, ut Rex in Regnum ingreſſus, Angelis præeſſe cœpit; Non autem poteſt recte concludi ex eo, quod à gubernatione publica Angelorum juſtis de cauſis abſtinuerit, ipſum Angelorum Dominum non fuiſſe. Nam non ex *defectu poteſtatis*, ſed ex *arbitrio voluntatis* ea gubernatione ſuperſedit. Pari ratione, etſi per mortem decrevit deſtruere eum, qui habebat mortis imperium, ante mortem tamen poteſtatem, qua id efficeret, habebat. Neque enim tum demum Rex poteſtatem in rebelles acquirit, cum eos expugnat, ſed ante expugnationem jus & dominium ſeu potius poteſtatem, qua illos ſibi ſubjicere poteſt, habet. Neque judex, cum reum damnat, & morti adjudicat, poteſtatem judicis acquirit, ſed poteſtate ante habita utitur. Et quamvis in hominibus dominium cenſetur imperfectum, cum id, quod jure ſibi debetur, non obtinet, nec poteſtatem ac vires habet ad jus ſuum vindicandum: tamen in Chriſto id locum non habuit, quia non ſolum jus plenum in omnia habuit, ſed & poteſtatem ſummam ad inimicos ſuos coërcendos. Neque in mortem minus poteſtatis habere cenſendus eſt Chriſtus, eo quod nondum mors penitus deſtructa, & immortalitas corporibus nondum donata; hoc enim non ex aliquo poteſtatis in Chriſto defectu, ſed voluntatis beneplacito, proficiſcitur. Potuit namque, ſi voluiſſet Chriſtus, corporibus noſtris ſtatim immortalitatem tribuere, noſque à morte ſuſcitare, ut in proprio corpore fecit, ſed voluit ad noviſſimum uſque diem differre, ut omnibus corporibus ſimul immortalitas & gloria concederetur, Judicis ſententia ac publico decreto.

Jam, quod ad alteram partem argumenti attinet: Fateor, illum actum Dominii eſſe nobiliſſimum, ſedere ad dexteram Patris, pari cum Patre gloria, omniumque cum Patre rerum ſub pedibus ſubjectione. At Dominii eſſentia nequaquam illo actu continetur, ſed poteſtate, qua hunc honorem ſibi vindicare potuit, etiam antequam cæleſtem illam gloriam conſequeretur. Eſt namque actualis illa honoris & gloriæ poſſeſſio fructus & effectus quidam ſummi illius Dominii, quo Chriſtus præditus eſt, & quo omnes ſibi obligare potuit, ut ſibi ſubjicerentur & Divinos deferrent honores. Etſi igitur actualem hunc honorem & gloriam ad dexteram Patris ante mortem non habuit, tamen propterea non habuit imperfectum dominium tunc, quia perfectam habuit poteſtatem ea ſibi, quando vellet, vindicandi. Tunc enim ſine actuali, quis cenſetur imperfectus Dominus, quando non poteſt, etſi vellet, actuali Dominio potiri. At, cum quis ex mera voluntate ab actuali dominio abſtinet juſtis ex cauſis, cum alias, ſi velit, illo uti poſſit nullo negotio, id nihil perfectioni Dominii præjudicat; alioquin Divino quoque Dominio aliquid de perfectione hoc modo decederet, cum is actu in malis non regnet, nec honorem ſibi debitum ab illis accipiat, ſiquidem illos ſibi rebelles habet, & non ſubjectos.

CAP. XI.

De Juſtificatione.

Sequuntur effecta redemptionis, quæ ſunt vel immediata, vel mediata.

Immediata, eſt juſtificatio activa.

Mediata, ſunt effecta Dei Sanctificatoris, ut proximo libro audiemus.

Juſtificatio activa eſt, qua Deus nos juſtificat.

In nobis ergo erit ratione noſtri illa juſtificatio. At vero nobis reconciliari Deum, docent Theologi cum primis eruditi: *Pater*, inquit

quit Auguſtinus, *reconciliatus eſt morte Filii*, lib. 13, de Trinit. cap. 11. Calvinus ad Polonos ad Stancarum idem dicit. Verum hic loquendi modus noſtræ inſervit intelligentiæ, rei veritatem non explicat. *Apud Deum non eſt transmutatio, aut converſionis obumbratio*, Jacob. 1. 17. Quæcunque ſit mutatio, in nobis ſit, non in Deo; nobis certe, quod ad ſtatum & conditionem noſtram attinet, accidit mutatio. *Cum* namque *eſſemus filii iræ*, Eph. 2. 3. *Alieni à republica Iſraëlis, extranei quod ad fœdera promiſſionis attinet*, Eph. 2. 12. *Nunc in Ieſu Chriſto propinqui facti ſumus per ſanguinem ejus*, verſ. 13. Atqui hæc quidem ita intelligenda eſſe natura rei flagitat, quæ nullam in ipſo fieri poſſe mutationem contendit. Calvinus, ejuſmodi locutiones, ad ſenſum noſtrum accommodatas, ait, ut melius intelligamus, quam miſera ſit & calamitoſa extra Chriſtum conditio noſtra. *Inſtit. lib. 2. cap. 16. §. 2.* Omnino Scriptura nuſquam dicit, Deum reconciliatum eſſe nobis, ſed nos Deo reconciliati ſumus; Rom. 5. 10, *Reconciliavit ſibi nos*; 2 Cor. 5. v. 18, 19, *Placuit patri per illum ſibi omnia reconciliare*.

Canones de juſtificatione activa ſunt hi.

I. *Iuſtificavit nos Deus ex parte ſui, quando Filium ſuum in Mediatorem ordinavit, & in eum peccata noſtra conjecit.*

Doctrina hæc parciſſime tractatur à Theologis, & pauciſſimis, cum tamen momenti maximi ſit, plerique qui in hac materia ſcripſerunt ex recentioribus, ut Ameſius, Smoutius, dicunt, juſtificationem iſtam activam conſiſtere in decreto Dei; ſed male: namque juſtificatio mutationem infert conditionis noſtræ, ſimus enim ex inimicis amici Dei; cum actiones Dei immanentes, qualia decreta, nullam mutationem in creaturis inferant.

Obj. Atqui Theologi negant, juſtificationem mutationem inferre. *Reſp.* Ita eſt, ſed *phyſicam*, non *moralem*; certe moralem infert. Sed ad inſtitutum noſtrum redeamus: Dicimus ergo, Deum nos juſtificaſſe eo tempore, quo conjecit omnes iniquitates noſtras in Chriſtum; id quod ſic oſtenditur: Quando à nobis eſt ablatus reatus, eo tempore juſtificati ſumus; At vero quando in Chriſtum conjecta ſunt peccata noſtra, ablatus eſt à nobis reatus; Ergo tum juſtificati ſumus. Major eſt definitio juſtificationis activæ; ablatio namque reatus eſt noſtra juſtificatio. *Dices.* Atqui in ſola paſſiva juſtificatione non conſiſtit tota noſtra juſtificatio. *Reſp.* Ita eſt, ſed imputat nobis Chriſti meritum etiam tum Deus; quia quando ordinavit ipſum in Mediatorem noſtrum, non tantum conjecit in ipſum peccata noſtra, ſed etiam eo ipſo ordinavit, ut, legem vita ſancta implendo, vitam æternam promereretur.

Obj. At vero oportet omnes jam tales eſſe in gratia Dei, cum tamen tales, antequam regeniti ſint & fidem habeant (quod iſtis evenit qui ſero ad Deum convertuntur ex Gentilibus & Judaïſmo), inimici ſint Dei, ut ſuper quos ira Dei manet, Joan. 3. 36. *Qui non credit, ira Dei manet ſuper ipſum.* *Reſp.* Illis verbis à Spiritu Sancto ſignificari, quid peccatis & peccatoribus debeatur per ſe, non quid actu fiat ſemper. Ea namque eſt in peccato pravitas ſive malitia, ut peccatorem Deo exoſum reddat, ac Deus illud, & illum propter illud averſetur. Neque tamen ex illo conſequitur, Deum illos non amare, quos pro benevolo affectu voluntatis ſuæ juſtificavit, cum, *Rom.* 8, dicat, *Neminem eſſe, qui electos Dei condemnare poſſit, quia Deus juſtificet.*

II. *Iuſtificat Deus imputando juſtitiam Chriſti.*

De hoc Canone graviſſima controverſia cum Socino & Pontificiis. Nam Socinus hoc non vult admittere. Nec injuria. Nam ſi hoc admittat, jam totus ipſius liber craſſiſſimus cadit, quem ſcripſit de Servatore. Eo namque fine ſcripſit potiſſimum, ut hanc juſtitiam Chriſti imputatam tollat. Pontificii nolunt admittere, eo quod ſtatuant, hominem juſtificari ex operibus. Sed utrique fruſtra. Nam, I, expreſſe Spiritus Sanctus teſtatur, Chriſti juſtitia juſtos, qui juſti ſunt, *Rom.* 5. *à v.* 16, *ad* 20. Probatur, *Phil.* 3. 9. Ubi Paulus non vult juſtificari ſua juſtitia quæ ex lege, ſed juſtitia Chriſti; quomodo autem juſtitia Chriſti juſtus eſſe poteſt, ſi hæc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ſi hæc ipſi imputata non fuerit? III. Probatur hoc, 2 Cor. 5. 21, *Fecit enim, ut qui non novit peccatum, pro nobis peccatum eſſet, ut nos efficeremur juſtitia Dei in eo.* Hinc quemadmodum Chriſtus factus eſt peccatum, ſive peccator, ita nos juſtitia ſive juſti. Atqui Chriſtus factus peccatum, quia ipſi peccata imputata, ſive, ut Scriptura loquitur, quia in ipſum peccata conjecta. Ergo nos ſic juſti, quia nobis juſtitia Chriſti imputata.

Obj. 1, contra hanc ſententiam: Quod eſt putativum, non eſt revera; quia quod, putatur eſſe, illud revera non eſt. Atqui hæc juſtitia eſt putativa. Ergo revera non eſt. *Reſp.* Impudentiſſimos eſſe Adverſarios, qui nugis his utuntur. An enim unquam nos dicimus, putativam hanc juſtitiam? An idem eſt putativa & imputata? *Imputatam* dicimus cum Spiritu Sancto, *Rom.* 4. 6; Non *putativam.* Quod ſi illi putativam & imputatam idem putant, tum revera iſta non erit juſtitia, quam Deus juſtitiam vocat, *Rom.* 4. 6. Et ex qua beatum eſſe pronuntiavit eum, cui juſtitia hæc imputatur.

Obj. 2. Si juſtitia Chriſti nobis imputatur; Ergo erimus æque juſti ac Chriſtus. At abſurdum poſterius. Ergo & prius. *Reſp.* 1. Juſtitia Chriſti eſt, vel *quà Deus eſt*, vel *quà Mediator.* Et ſi eſſemus ea juſtitia juſti, qua Mediator eſt, non tamen ea juſtitia juſti eſſemus, qua Deus eſt. Non ergo æque juſti ac Chriſtus. 2. In iſta juſtitia, qua, ut Mediator, juſtus eſt, eſt diverſitas. Nam in Chriſto eſt *inhæſive*, & à Chriſto eſt *effective*; in nobis vero per imputationem, ſive *imputative.* Utut ergo juſtitia hac juſti ſumus; tamen, propter modum, quo Chriſtus & nos juſti ſumus, hac juſtitia Chriſti non poterimus dici æque juſti ac Chriſtus.

Obj. 3. Aut tota juſtitia Chriſti imputata, aut pars. Non tota; nam quod totum uni imputatur, alteri imputari nequit. Non pars; quia dicimur obedientia juſti, non parte obedientiæ. Ergo nullo modo imputatur nobis juſtitia Chriſti. *Reſp.* Utrumque membrum nos admittere poſſe. Nam quod dicunt, Si tota imputetur, alteri imputari hanc non poſſe; falſam præſupponunt hypotheſin, quaſi totum aliquod in ſolidum non poſſit imputari alteri. Ecce enſtaſis; Peccatum Adæ ſingulis noſtrûm imputatur, & huic, & illi, & tamen totum; cur ergo idem hoc non poſſet dici de juſtitia Chriſti? Et hoc genere reſpondendi utuntur Germani & Galli. Quod ad ſecundam partem Sophiſmatis attinet, dicimus, ineptum eſſe. Dicimur juſti obedientia. Ergo non parte ejus. Nam poſſumus dici obedientia juſti, ut tota tamen non imputetur; *quod* namque *dicitur de parte* (ut Logica regula habet), *dicitur de toto ſecundum illam partem.* Quod autem hoc genus reſpondendi verum ſit, ex ſubjecta materia patet ex Levitico, ubi pro quantitate peccati jubentur Sacrificia offerri, jam majora, jam minora. Hoc genere reſpondendi utuntur Angli, ut videre eſt in Parkero & Perkinſio.

III. *Iuſtificatio hæc ſimul & ſemel peragitur.*

Quia Deus, ut ſimul & ſemel peccata noſtra conjecit in Chriſtum; ita Chriſti juſtitiam nobis imputavit. *Obj.* At petimus quotidie remiſſionem peccatorum. *Reſp.* Petimus applicationem iſtius, & ſenſum; de quo, Deo volente, inferius prolixius agemus.

FINIS LIBRI TERTII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

LIBER QVARTVS.

CAPUT PRIMUM.

De Deo Sanctificatore & Regeneratore in genere.

AGendum jam nobis porro de Deo Sanctificatore.

Dei Sanctificatoris opus eſt Regeneratio. Hæc vel ipſa in ſe conſideratur, vel effecta ejus, ut juſtificatio ipſius, & bona opera; vel objectum, quod eſt Eccleſia.

Regeneratio in ſe conſiderata, conſideratur vel in genere, vel in ſpecie. De utraque hi Canones.

Ad regenerationem noſtri nulla datur præparatio prævia.

Multi ex Theologis noſtris hallucinantur in hoc, quod putent, prævias quaſdam ad regenerationem præparationes dari; Hæc enim opinio falſa. Nam, 1. *Homo animalis*, quamdiu talis eſt, *non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei*, 1 Cor. 2. 14, *cum ei ſint ſtultitia.* Animalis autem eſt, dum nondum factus eſt ſpiritualis; eſt enim immediata oppoſitio inter hæc, ut in ſuperioribus à nobis dictum. 2. Qui non ſunt vocati interne, illis Chriſtus crucifixus offendiculum & ſtultitia, 1 *Cor*. 1. 23. At irregeniti tales ſunt. Ergo. 3. Si præparatio erit aliqua ad regenerationem noſtri, tum futurum hoc, vel doctrina legis, vel doctrina Evangelii. Non doctrina Evangelii; quia hæc ſtultitia ipſis, 1 *Cor*. 1. 23. Non legis; Nam lex, tantum abeſt ut præparet homines animales ad regenerationem, ut eos inde abducat, cum conjicit in deſperationem. Nam ex lege, ut cognitio peccati in talibus oritur, ita *metus* proficiſcitur ille, qui vocari ſolet à Theologis *ſervilis*, 1 Joan. 4. 18, *Metus non eſt in caritate*, &c. 4. Spiritus Sanctus nobis oſtendit quales ſimus, quando regeneramur, *Eph*. 2. 5. *Col*: 2. 13. Ubi dicit, nos vivificatos, cum eſſemus mortui in lapſibus; id eſt, regeneratos. Nam vivificatio eſt regeneratio. At ille qui in peccatis mortuus eſt, quomodo dici poteſt ad regenerationem diſpoſitus? 5. Duplex gratia à Theologis ſtatuitur, *Reſtaurans*, & *Inhibens*; quarum hæc, *coërcitionis*; illa, *regenerationis*, vocatur. Jam iſti animales ſi dici debent præparati ad regenerationem, dicentur præparati vel ex gratia *regenerationis*, vel ex gratia *coërcitionis*. Non ex gratia regenerationis, alioquin jam eſſent regenerati. Ergo ex gratia coërcitionis. Atqui hæc non præparat. Nam qui inhibentur à malo, inhibentur metu pœnæ, non virtutis amore, juxta illud:

Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Eſt autem fons erroris quibuſdam etiam ex noſtratibus, quod non intelligant doctrinam de Regeneratione, & putant, initii regenerationis, ſive regenerationis primum factæ, cauſam moralem eſſe Verbum Dei; cum hoc falſum eſſe, à nobis ſuperius oſtenſum. Nam oportet, Deus prius aperiat cor, antequam ſalutariter audiamus Verbum ejus.

Sed *objicitur* 1. contra hoc locus ille, *Marc*. 12.34, ubi Scribæ cuidam dicit Chriſtus, quod non longe abſit à regno Dei. Hinc inferunt Adverſarii: Ergo unus longe abeſt, alter non ita longe: Atqui iſta diſpoſitio quædam eſt; Nam hic per regnum intelligitur Eccleſia, cujus membra regeniti ſunt. *Reſp*. Non longe à regno Dei poteſt quis eſſe, vel *præparatione ad fidem & regenerationem*, vel *confeſſione doctrinæ*. Hic non poteſt prius intelligi, quia regeneratio nullas habet prævias præparationes, ut oſtenſum jam; intelligendum ergo poſterius. Probatur hoc ex ſimili locutione & exemplo, *Act*. 26.28.

Obj. 2. Duplex eſt cæcitas, una communis, qua omnes irregeniti laborant, de qua 1 *Cor*. 2. 14, quod *animalis homo non percipit*, &c. Altera particularis, quæ ſupervenit iſti priori, qualis illa fuit, de qua *Eſai*. 6. & Joan. 12:

Occæca cor populi hujus, &c. Ex diſtinctione hac ita argumentantur: Magis diſpoſitus ad regenerationem, qui tantum communi cæcitate laborat, quam qui præter communem etiam ſpeciali laborat. Ergo datur diſpoſitio ad regenerationem. De antecedente, inquit, nemo dubitat. Conſeq. per ſe clara. *Reſp.* Utut iſti poſteriores pejores prioribus, tamen neutri diſpoſiti. Exemplo rem declarabo: Sit cadaver cujus partes jam defluxerint in cineres, & ſit cadaver recentis hominis demortui; illud magis corruptum eſt, quam hoc poſterius, non tamen hoc poſterius plus habet diſpoſitionis ad reſurrectionem, quam illud. Quod noſtra reſponſio, negatio videlicet conſequentiæ, vera ſit, patet ex notoria iſta doctrina, quod homo in regeneratione habeat ſe mere paſſive, potentia obedientiali ſive ſubjectiva.

De Regeneratione, prout conſideratur in genere, ſunt hi Canones:

I. *Regeneratio non eſt donum tantum Novi Teſtamenti.*

Socinus arbitratur, regenerationem non eſſe Veteris Teſtamenti, ſed tantum Novi Teſtamenti. Verba ejus ſunt, *pag.* 45, *de loco cap.* 7 ad *Rom.* adverſus reprehenſiones miniſtri: *Quanquam ad Davidem attinet, cum regeneratio Novi Teſtamenti eſſe videatur, ut ex pluribus locis, præſertim* Joan. 3, *intelligi poteſt*, &c. Socino quidem cauſa eſt, cur hæc ſtatuat, locus iſte, Joan. 1: *Per ipſum omnia facta ſunt*; quem ille putat accipiendum eſſe de ſecunda creatione; unde ſtatuit, regenerationem non fuiſſe ante Chriſtum. At nos contra. 1. Si res ita habet, quod regeneratio tantum ſit Novi Teſtamenti, tum certum eſt, neminem in Veteri Teſtamento ſalvatum, aut ſalvari potuiſſe. At ſalvati ſunt, ut patet, *Act.* 15. 11. Ergo regeniti fuerunt. Nam ut, *Ioan.* 3, Chriſtus dicit: *Niſi quis renatus fuerit*, &c. Si ergo ſalvati fuerunt, certe etiam regeniti. 2. Habuerunt fidem Veteres in Veteri Teſtamento; Ergo fuerunt regeniti. Conſequentia certa; Quia fides eſt pars regenerationis; quod à nobis infra probabitur. Habuiſſe fidem, vel ex ipſo Abrahamo patet, de quo, *Rom.* 4; qui dicitur *Pater Credentium.* Patet idem ex Epiſtola ad *Hebr.* 11, ubi Catalogus prolixus eorum, qui ſub Veteri Teſtamento vixerunt, & qui fidem ſalvificam habuerunt, texitur. Circumciſio cordis erat regeneratio. Atqui hæc cadebat in homines Veteris Teſtamenti *Deut.* 30. 6. *Rom.* 2. 28, 29. Ergo regeneratio cadebat in homines Veteris Teſtamenti.

Socinus quod putat pro ſe, ex *Ioan.* 3, non video quomodo ad rem facit, niſi forte hoc velit, quod dicitur, *Ex aqua & Spiritu*; & Spiritum doceat Novum Teſtamentum eſſe; quod alibi docet. ſed inepte, ſi hoc facit. Nam Spiritus Dei æternus eſt, ut à nobis oſtenſum.

II. *Regeneratio in hac vita nunquam eſt perfecta.*

Patet hoc inde, quia, quamdiu ſumus in hoc mundo, debemus pugnare adverſus carnem, Gal. 5. 17: *Caro concupiſcit*, &c. *Rom.* 13. 14.

Objiciunt contra hoc: Si res ita habet. Ergo dandum erit purgatorium Pontificium. Nam ſi regeneratio perfecta in hac vita non ſit; Ergo oportet ſit in altera vita, id eſt, in cælis, vel tertius locus detur. Atqui in altera vita non eſt; Nam *nihil immundum*, &c. *Reſp.* Cum dicitur, non in hac vita perficitur, non ſimpliciter hoc dicitur, ſed cum hac diſtinctione: non, dum vivimus in hac vita, ſed dum è vita migramus; patet ex 1 *Cor.* 15. *v.* 52, ubi iſti qui rapiendi in occurſum mutabuntur; ita eadem ratio noſtri erit in morte, quod ad corpus attinet, illud demum in ultimo judicio perfecte regenerabitur, ut patet, *Phil.* 3.

III. *Regeneratio noſtra in hac vita eſt ita imperfecta, ut, quanquam dicamur regigni perfecte, quoad perfectionem partium; quia tamen non quoad perfectionem graduum regignimur, dicamur inchoative regenerari.*

De hoc Canone controverſia nobis cum Socino. Nam Socinus expreſſe ſtatuit, dari perfecte regenitos, non tantum *quoad partes*, ſed etiam *quoad gradus*; itemque ridet hanc diſtinctionem: Regeneramur in hac vita *inchoative*,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

poſt regenerabimur *conſummative*; & inquit: *vel iſta diſtinctio à Spiritu Sancto ſuppeditata, qua diſtinguit inter adultos & infantes, falſa eſt, vel hac non admittenda.* Nam, ſi aliqui adulti, tum ſaltem de his dici non poterit, quod *inchoative* tantummodo ſint regeniti. Nos in utroque contra Socinum pugnamus. Et quidem quod ad primum attinet, probandum nobis eſt, hominem perfecte quoad gradus non regenerari, dum vitam hanc vivit.

Primum ergo *Argumentum* petimus ex hoc. Quia dum homo in hac vita eſt, carnem in ſe habet; dum autem carnem in ſe habet, imperfecte regenitus eſt. Antecedens patet; quia jubemur pugnare adverſus carnem, *Gal* 5. *Rom.* 13. *Quod ex carne naſcitur*, &c. Socinus arbitratur, per carnem intelligi debere, non *pravitatem naturæ*, ſed alteram *partem noſtri eſſentialem*, id eſt, corpus noſtrum. Sed falſo. Nam 1, Caro, quæ altera pars eſſentialis noſtri eſt, ſuſcitabitur, *Ioan.* 19. At caro, quæ non poſſidebit Regnum Dei, non ſuſcitabitur; non certe ad gloriam, quia non poſſidebit regnum Dei. 2. Chriſtus ex carne eſt ſecundum Patres, *Rom.* 9. At in Chriſto non eſt caro, contra quam ipſi pugnandum eſt: alioquin peccatum futurum eſſet in Chriſto; quod abſurdum. 3. Caro, contra quam pugnandum, non ſubjicitur legi, nec poteſt. At caro, quæ eſt pars eſſentialis noſtri, ſubjicitur; alioquin non ſalvaretur.

II *Argumentum*, quod afferimus, eſt: Quod Scriptura teſtetur, dum ſumus in hac vita, nos peccare, 1 *Reg.* 8. *Eccleſ.* 7; nec tantum peccare, ſed ſæpiſſime peccare, *Matt.* 18. 21. 22. & *Iac.* 8. 2. Sed *excipit* Socinus contra poſteriorem locum: & dicit, aliud eſſe lapſum; aliud, peccatum, in libro cui titulum dedit, *Defenſionem capitis* 7 ad *Rom.* Ineptum ſane. Nam quid eſt lapſus, niſi tranſgreſſio Legis, quod idem peccatum; quæ ergo definitione conveniunt, an inter ſe differrent?

III *Argumentum*: Quod non tantum Spiritus Sanctus oſtendit, nos peccare, dum ſumus in hac terra; ſed ita ſæpe peccare, ut non poſſimus reſpondere ad unum ex mille. *Iob.* 9. 3. Quomodo ergo regeneratio perfecta?

IV *Argumentum*: Debemus quotidie precari, dimitte nobis debita noſtra. Ergo debita iſta habemus; & hoc illud eſt, quod Spiritus Sanctus in Epiſtola *Ioannis* toties inculcat: *Si dixerimus, peccata nos non habere*, &c. *Reſpondet* ad hoc Socinus: *Peccatum habemus, quod à nobis commiſſum eſt, antequam regeniti ſumus: ſed non quod habemus, poſtquam regeniti facti ſumus, tanquam tunc à nobis commiſſum.* Sed aut putat, omnes eſſe irregenitos, & poſt regenitos; quod falſum; Nam aliqui ſtatim regeniti à conceptione ſua, ut paret in Jeremia. aut putat certe, poſtquam homo regenitus eſt, non amplius eum peccare; & in eo fallitur. Nam David peccavit; Joſaphat, Joſias, peccaverunt; Petrus peccavit; Forte hoc decepit Socinum, quod Spiritus Sanctus in Epiſtola *Ioannis* dicat: *Qui ex Deo natus eſt, non peccat.* Sed oſtendit ibi Spiritus Sanctus, quid per peccare intelligat, non ſimpliciter peccare, ſed dare operam peccato; hæc autem duo multum à ſe invicem differunt. Nam dare operam peccato, eſt plena voluntate peccare, *Eph.* 2. *v.* 3. *Rom.* 6. 12, 16. Sed jam expendendæ ſunt rationes Socini.

Primum ergo, quod de infantibus & adultis afferebat, non magni momenti eſt. Nam utut unus alterum gradu ſuperet, tamen uterque, ſi ſpectemus ea quæ nos manent, merito inchoative regenitus dici poteſt. Hinc, cum unum alterum excedere Spiritus Sanctus teſtetur, tamen de utroque communiter explicat, 1 *Cor.* 13, quod tanquam per ſpeculum, per ænigma, videant: &, *Rom.* 8, dicimur primitias Spiritus accepiſſe. Ergo (ut dici ſolet in ſcholis) comparative accipiendo, unus præ altero eſt adultus, ſed abſolute uterque inchoative eſt regenitus.

2. Urget Socinus, & dicit: In Scriptura multi perfecti vocantur, David, Joſaphat: & in Evangelio Lucæ Elizabeth & Zacharias juſti ambo in conſpectu Dei. *Reſp.* 1, in genere: Perfectum, ſive integrum, dici in Scriptura, vel quod opponitur *imperfecto*, vel quod opponitur *fucato* & *hypocritico*. Quæritur: Quomodo hic accipi debeat? Adverſarii putant, accipi debere prout opponitur *imperfecto*, ſed inepte. Nam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Nam quomodo alias ſtare poſſent loca iſta Scripturæ? *Non eſt homo in terra, qui non peccet*, 1 Reg. 8. *Reſp.* 2. in ſpecie: Manifeſte apparet, iſtos peccaſſe. Nam & David ſæpius peccavit, homicidium patrando, uxorem rapiendo, populum numerando. Joſaphat item male egit, conſociando ſe cum impiis Regibus, ut cum Achabo. Joſiam, alias pientiſſimum Regem, peccaſſe legimus, bellum non neceſſarium Ægyptio inferendo. Ergo accipi hic vox debet, prout opponitur hypocritico, ſive homini duplici corde, prout vocatur in Scriptura, Hoſeæ 10. 2: *Diviſum eſt cor eorum.* Hæc eadem reſponſio debet accommodari ad locum, *Luc.* 1, de Zacharia & Elizabetha.

Sed *urget* Adverſarius, & inquit, locum iſtum Lucæ plus aliquid continere. Nam dicuntur ambulaſſe in præceptis Domini inculpate. Si ergo in præceptis Dei inculpate ambularunt; Ergo prorſus non peccarunt. *Reſp.* Poteſt aliquis incedere inculpate, quod à nullo hominum culpari poſſit, & tamen hic ipſe non eſſe inculpatus ratione Dei. Patet hoc, *Phil.* 3. 6. Ubi Paulus de ſe ipſo prædicat, quod, cum eſſet Phariſæus, fuerit ἄμεμπτος, id eſt, irreprehenſibilis. Interim tamen hic ipſe non erat inculpatus ratione Dei. Patet eadem noſtra reſponſio ex eo, quod idem Zacharias graviter peccaſſe refertur, dum Angelo non credidit, & propter hoc etiam divinitus punitus fuit. Affert etiam Socinus locum, Apoc. 14. 4: *Hi ſunt qui cum muliere non ſunt inquinati, & in quorum ore non repertus eſt dolus.* Hic dicitur, inquit, quod non repertus ſit dolus in ore eorum, & dicuntur inculpati ante thronum Dei. *Reſp.* 1. Poſſe non eſſe dolum in aliquo, & tamen hic interim non carere peccato; patet hoc, *Ioan.* 1. 48. Ubi Nathanaël dicitur veniſſe ad Chriſtum, in quo dolus non eſſet, & tamen Nathanaël æque concluſus ſub peccatum, ut Spiritus Sanctus de omnibus concludit, *Rom.* 11. 32. *Gal.* 3, & alibi. 2. Locum hunc, quomodo ſint inculpati coram facie & in conſpectu Dei, explico ex Apoc. 7: *Qui lavarunt ſtolas ſuas, & dealbarunt in Sanguine Agni.*

IV. Rom. 7, *agit Paulus de ſe, ut regenito.*

Argumentum hinc ferri ſolet pro canone præcedenti probando. Sed quia Socinus controverſiam ſatis prolixam nobis movet, de hoc capite, idcirco ex profeſſo de hoc nobis agendum; & oſtendendum, Paulum hic agere de ſe ut regenito. Probamus autem hoc his argumentis.

I. Non dicit de aliquo alio, ſed dicit, *Ego*, *verſ.* 14, 19. Hæc clara ſunt. Secundum Socinum vero non dicendum erat *Ego*, ſed alius aliquis non renatus. Nam quod Socinus proſopopœïam hic comminiſcitur, ſciri debet, proſopopœïam patere, tum ex ſubjecta materia, tum ex ipſa ratione loquendi: neutrum hic eſt: fruſtra ergo Socini effugium hoc. Deinde Socinus dicit, poſſe dari, quod de ſe loquatur, qualis fuit, cum Damaſcum iter faciens, vincturus fideles, occæcatus fuit. *Reſp.* Hæc ſine ulla ratione probabili dicuntur, & propterea refutantur ex ſequenti argumento.

II *Argum.* Non dicit Paulus, *eram*; ſed *ſum.* Oportet autem eum dicere, *eram*, ſi agit de ſe, ut irregenitus fuerat, vel ut habebat ſe, dum Damaſcum contenderet. At jam utitur iſtis, verbi gratia: *Ego vero mortuus ſum.* Item, verſ. 14: *At ego carnalis ſum.* Item, *Quod perpetro, non agnoſco; quod facio, nolo.*

III *Argum.*, quod per plurima ſpecialia argumenta explicandum eſt, quod proprietates omnes homini regenito competant. Prima proprietas eſt, Velle & approbare bonum. Atqui hæc propoſitio eſt regenitorum, ut patet, *Rom.* 8. 7. *Gen.* 6. 5.

Objicit Socinus: Imo volunt & approbant bonum etiam irregeniti, ut patet, *Rom.* 7. 14, 15. *Reſp.* Diſtinguendum eſſe inter bonum *ſpirituale*, & *morale.* Nam omne quidem bonum ſpirituale eſt morale, ut probat *Keckermannus in Ethicis*, dum agit de fine Ethices & Theologiæ. Morale bonum approbant; ſed de ſpirituali alia ratio; Nam ut ſpirituale non agnoſcunt, ita nec volunt, nec approbant, 1 *Cor.* 2. Jam vero homo, de quo hic agitur, vult & approbat bonum ſpirituale, *verſ.* 14.

Se-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Secunda proprietas eſt: Homo conſentit in hoc loco Legi Dei, *Rom.* 8. 7, & illa delectatur, *verſ.* 16, 22, *capitis* 7. Atqui hoc proprium eſt hominis regeniti. Nam irregenitus non conſentit Legi Dei, nec illa delectatur, quia hoc proprium eſt regenitorum, *Pſal.* 1. 2: & 119, 77. Hic iterum Socinus opponit hoc: Hominem irregenitum conſentire Legi Dei, *Rom.* 2. 15, 16; itemque delectari Lege Dei. Poſſe enim irregenitos, etiam ex ſententia Evangelicorum, delectari Lege Dei, ut patet, *Matth.* 13. *v.* 20: *Qui ſermonem audit, & cum gaudio excipit. Reſp.* Conſentire irregenitum Legi Dei quoad *theſin*, non quoad *hypotheſin*, id eſt, ſcire quidem in genere ſæpe, quod malum eſt, hoc malum eſſe, ſed ubi ad ſe ipſos deventum eſt, arbitrari, quod in genere malum putant, in particulari ſibi bonum. Diſtinctio certa eſt; & quoad primum membrum, probat hoc ipſum, id quod Socinus affert, ex *Rom.* 2. Quod ad poſterius attinet, probatur *Gen.* 6. *verſ.* 5, ubi omnis cogitatio hominis ad malum. Quod ad alteram partem argumenti attinet, videlicet ad *delectari*, ſciendum eſt, aliter delectari irregenitos Lege Dei; aliter, regenitos. Nam irregeniti delectantur ob commoda annexa, quemadmodum illi, qui Chriſtum amabant non propter doctrinam, ſed propter panes, quibus ipſos pavit; & propterea dicuntur etiam in Scriptura radicem non habere, *Matt.* 13. At regeniti ex alia cauſa; Propterea enim tempore tentationis bonum hoc permutant illi rebus nihili, quod ipſorum ſtoliditatem prodit, & propter quod ſtulti in Scriptura vocantur. At regenitos nihil ab hoc abducere poteſt, ut patet, *Rom.* 8. 38, 39: *Cant.* 8. 3, 4. Et hoc eſt argumentum noſtrum, quod inter proprietates regenitorum recenſet Spiritus Sanctus, delectari Lege Dei; quod utique non feciſſet, ſi commune eſſet irregenitis cum regenitis.

Tertia proprietas eſt, verſ. 17: *Non amplius ego hoc perpetro*, &c. Hoc nulla ratione poteſt aliter accipi, quicquid agant Adverſarii, quam ut accipitur, 1 Joan. 3. 6: *Quiſquis in eo manet, non peccat*; & *verſ.* 8, ubi clarius hoc explicatur, *qui dat operam peccato, ex Diabolo eſt.* Item, *verſ.* 9. & 10: *Quiſquis natus eſt ex Deo, peccato non dat operam.* Atqui perpetratio hoc ſenſu hic accipi debet. Nam proprium hoc eſt filiorum Dei, dicit Joannes, non dare operam peccato, propterea de hoc non communicant cum ipſis impii & irregeniti.

Quarta proprietas eſt, ex verſ. 18: *Velle adeſt mihi*, &c. Hæc proprietas eſt etiam regenitorum tantum. Nam expreſſe teſtatur Spiritus Sanctus, quod irregeniti, ut non intelligunt bonum, ita nec velint. Irregenitos non intelligere bonum ſpirituale (de quo hic agitur, ut liquet *verſ.* 14), patet, ex 1 Cor. 2: *Animalis homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei*, &c. Quod autem quis non intelligit, illud nec appetit, juxta illud vulgatũ: *Ignoti nulla cupido.*

Quinta proprietas: quod hic ipſe homo habeat interiorem hominem. Atqui, qui eſt irregenitus, non habet interiorem hominem, *Eph.* 2. *v.* 15. Adde, quod Apoſtolus hoc loco interiorem hominem opponat carni & membris; ex quo colligi poteſt, quid hic per interiorem hominem intelligat. Arminius, prout & Socinus, putant, per hominem interiorem debere intelligi animam. Nam, inquiunt, poteſt aliter accipi homo internus & externus, quam ut hoc loco accipitur à Reformatis. Ut 2 *Cor.* 5. 16: ubi hæc habentur verba: *Etiamſi externus noſter homo corrumpitur, internus tamen renovatur in dies.* Arminius hic triumphos canit, inquiens: *Si hic accipias internum hominem pro homine regenito, tum hic ſenſus erit; etſi vetus corrumpitur, tamen novus renovatur in dies. Quæ inepta eſt enuntiatio, ac ſi quis diceret: etſi ille indies magis convaleſcit, tamen magis fit ſanus. Nam diſparatæ propoſitiones per diſparata vel oppoſita enuntiantur; hic nihil tale. Reſp.* Breviter: De nihilo hic ſibi triumphum promittit Arminius. Nam ſi accipi deberet proprie τὸ *corrumpitur*, 2 *Cor.* 4. 16, tum obtineret Arminius. At ita accipi non debere, patet, *Eph.* 4. *v.* 22. Erit ergo enuntiatio Spiritus Sancti, 2 *Cor.* 4. 16, talis: Etſi externus homo, ſive caro, indies fiat magis effera in electis, tamen ſpiritus magis invaleſcit. Propoſitionis iſtius ratio conſtat in Scripturis. Quanto magis enim caro impugnatur, tanto magis repugnat. *Gal.* 5. 17.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Sexta proprietas eſt: *Sentire luctam carnis & ſpiritus*, verſ. 23. At hoc etiam regenitorum tantum eſt, 1 *Petr.* 2. 11. Arminius hic iterum excipit, & inquit, luctam illam etiam dari in irregenitis. Annon, inquit, verum eſt illud Euripidis Tragici de Medea? *Video meliora proboque; deteriora ſequor.* Et præter hoc, inquit, docet hoc Spiritus Sanctus, *Rom.* 2. 15. ubi excuſant ſe & accuſant. *Reſp.* Non agi hic de bono quovis, ſed de bono ſpirituali, quod irregenitus ut non agnoſcit, ita nec vult; non ergo luctam ullam propterea ſentit, quod illud vel acceptare, vel reſpuere velit. Deinde, ſi lucta aliqua oriatur in talibus, non fit niſi ex eo, quod velint quidem male agere, ſed metu pœnæ cohibentur, *Gen.* 31. 29. At alia ratio eſt regenitorum. Nam regeniti volunt bene agere, virtutis amore, &, ſi non agunt, à carne impediuntur, *Gal.* 5.

Septima proprietas: *Captivari à lege peccati.* Nam qui captivatur ita, ut bellum gerat adverſus hoc, à quo captivatur, ille nolens captivatur. At hoc in irregenitos non competit. Nam in irregenitis regnat peccatum, irregeniti obediunt corpori, in cupiditatibus corporis, *Rom.* 6. *verſ.* 12. Irregeniti ſiſtunt membra ſua impuritati & iniquitati, ad patrandam iniquitatem, *Rom.* 6. *verſ.* 19. Irregeniti denique ſunt ſervi peccati, *Rom.* 6. Servus autem peccati ille eſt, qui dat operam peccato, *Ioan.* 8. 34. Jam, qui talis eſt, non belligerat, nec captivatur, ſed ultro ſe in captivitatem offert.

Octava proprietas eſt: Agnoſcere miſeriam, & petere liberationem. Hæc propria ſunt regenitorum; propterea hic Paulus de ſe, ut regenito, agit. Nam irregenitus cognoſcere quidem poteſt malum, at liberationem nullam ex eo videre poteſt, Quia Chriſtus ipſi ſtultitia, 1 *Cor.* 1; proinde deſperat. Socinus & Arminius dicunt: hunc, de quo hic agitur, non petere liberationem; dicit enim: *quis me eripiet ex hoc corpore mortis?* Dubitat ergo. *Reſp.* Locutiones ejuſmodi non ſemper eſſe dubitantis, ſed deſiderantis ſæpius. Ut, *Cantic.* 8. 1. *Ier.* 1. At quæritur, quomodo hoc loco accipi debeat? *Reſp.* Dico, accipiendam eſſe hanc interrogationem pro deſiderio; ut apparet ex ſequenti gratiarum actione. Addo, ſæpe ejuſmodi interrogativas propoſitiones converti cum negativa; ut Matt. 16. 26: *Quid enim prodeſt cuipiam, ſi totum mundum lucratus fuerit, animæ vero ſuæ mulctetur? aut quam dabit quiſpiam compenſationem animæ ſuæ?* quaſi dicat Chriſtus: Nil prodeſt cuiquam, ſi vel totum mundum lucretur, & animam ſuam perdat. Item, *Non habet homo quod det in recompenſationem animæ ſuæ.* Infinita talia dari poſſunt. Senſus ergo Pauli talis erit. *Quis me eripiet ex hoc corpore mortis?* id eſt, Nemo eſt mortalium, qui me eripere queat, niſi Deus, cui gratias ago per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, ut Paulus verſu ſequenti ait. Si enim dubitaſſet de ereptione, ut vult Arminius & Socinus, non egiſſet gratias pro ea, *verſ.* 25.

Nona proprietas, ex *verſ.* 25, eſt à gratiarum actione petita. Hinc dicit, ſe ſpiritu ſervire Legi Dei, quod proprium eſt regenitorum, ut apparet ex eodem capite, *verſ.* 6. nunc enim liberi ſumus à lege, ut ſerviamus in novitate Spiritus.

Jam videamus argumenta Socini, quibus impugnat ſententiam noſtram. Hæc autem vel ex hoc capite, vel aliunde petita ſunt.

Ex hoc capite, primum eſt, quod *peccatum, occaſione ſumpta, effecit in me omne peccatum,* vel *omnem cupiditatem*, verſ. 8. Hoc, inquit, non poteſt dici de regenito. Nam in regenito hoc nunquam fit. *Reſp.* Imo, ut diximus, ex *Eph.* 4. 22, ubi vetus homo dicitur ſeductricibus cupiditatibus corrumpi, quod enim vulgo dici ſolet:

Nitimur in vetitum ſemper, cupimuſque negata;

Illud obtinet etiam in regenitis. Accedente enim Lege Dei caro irritatur ad concupiſcendum hoc, quod à Lege Dei prohibetur, idque tanto magis, quanto à lege prohibetur.

II *Argumentum* petit, ex *verſ.* 9: *Ego vero vivus eram.* Hinc ita infert: Paulus loquitur de eo, quod erat aliquando abſque lege, ut patet, ex *Phil.* 3. *Reſp.* Aliud eſt, ſine lege eſſe, id eſt, præcepta legis non habere; aliud eſt, ſine intellectu legis eſſe. Paulus, dum eſſet Phariſæus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ſæus, erat ſine lege, id eſt, ſine vero legis intellectu. At non erat ſine lege, ut præcepta legis non haberet; ut patet, *Rom. 9. v.*31: & ratio eſt, quia finem legis ignorabat. Nam finis legis Chriſtus eſt, ut clare docetur, *Rom.* 10. 4. Ille autem, ut Chriſtum non novit, ita nec finem legis, adeoque nec legem ipſam; Quia *finis in accidentibus formæ locum ſupplet*.

III *Argumentum*; *Mortuus ſum*, ex *verſ*. 9. De tali hic, inquit, agitur, qui mortuus eſt. Atqui regenitus mortuus non eſt; agitur namque hic non de mortuo morte temporaria, ſed de mortuo morte ſpirituali, ut idem ſit quod dicitur, Eph. 2. Col. 2, *mortuus in lapſibus*. *Reſp*. At Socinus potius debebat ſignificationem petere ex oppoſito, *vivus eram*. Nam ut hoc accipitur, ita & oppoſitum. At prius non ſignificat vitam ſpiritualem; ergo nec poſterius mortem ſpiritualem. *Obj*. Quid ergo hic ſignificat? *Reſp*. Petendum hoc eſt ex oppoſita ſignificatione. Oppoſita autem ſignificatione nil aliud notabit, quam hoc, quod Spiritus Sanctus dicit, eadem Epiſt. cap. 3. 19: *ut omne os obturetur, & totus mundus condemnationi Dei obnoxius fiat*. Nam quemadmodum, cum intellectum legis non haberet Paulus, putabat ſe ex lege juſtificari, ut patet ex eadem epiſtola, ac proinde vitam obtenturum fuiſſe; ita, intellecta lege, viciſſim intelligebat, ſibi nil deberi niſi mortem. *Obj*. Quomodo dicit ſibi deberi mortem, cum, *Rom*. 8, dicat: *Nulla condemnatio* &c.? *Reſp*. Fit hoc per accidens. Nam per ſe legis illud eſt, *Rom*. 3. 19, 20: per accidens vero, quod in ipſis executionem non habeat, quia Chriſtus hoc in ſe ſuſcepit, atque, execratio pro nobis factus, ab execratione legis nos liberavit.

IV *Argumentum*, quod affert Socinus pro ſe, petit ex verſ. 11: *Nam peccatum illud, occaſione ſumpta*, &c. *ſeduxit me & occidit*. Hoc, inquit, non poteſt de regenito dici. Nam peccatum regenitum non poteſt ſeducere; aut, ſi ſeducit, certe non occidere. *Reſp*. Falſum hoc, quod peccatum hominem regenitum non ſeducat; & ratio eſt, ſi homo regenitus peccat, quomodo non ſeducitur? quandoquidem non peccat, niſi hoc, in quo peccat, ipſi bonum videatur, ſed non in *theſi*, ſaltem in *hypotheſi*. Nam certum eſt hoc & Theologorum & Philoſophorum: *Nemo intendens ad malum, operatur*.

Obj. Atqui dicitur per præceptum hoc fieri. *Reſp*. Dictum à nobis ſuperius eſt; lege accedente carnem adhuc vehementius inſurgere, cum ſcilicet videt ſibi impedimenta objici per ſpiritum. Hinc luctam dicit Spiritus Sanctus non in irregenitis, ſed regenitis; ut dictum à nobis in præcedentibus.

V *Argum*. Socini eſt hoc: Per peccatum hoc efficitur peccatum maxime peccans, in his, de quibus hic agitur. At præceptum legis non poteſt hoc dici efficere in regenitis, quia regeniti non maxime peccant. *Reſp*. Regenitos non maxime peccare, & maxime peccare. Maxime peccare *quoad modum*; quia quo major eſt ſcientia legis divinæ in aliquo, eo magis peccat, ſi peccat. Hinc, *Luc*. 12. 47, dicitur: *Servus ſciens voluntatem Domini ſui, neque faciens ex ejus voluntate, cædetur multis plagis*. At *quoad rem* gravius peccatur ab irregenitis, quia ſcelera longe graviora committunt, imo & quoad modum ex parte. Nam ut regeniti, ſi peccant, ſcientes peccant in theſi, nunquam tamen in hypotheſi, ac proinde nunquam plena voluntate; ita irregeniti plena voluntate peccant. Quod autem dicimus de graviori peccato, non eſt intelligendum de quovis peccato, ſed de peccato in Spiritum Sanctum, quod non cadit in quoſdam irregenitos: in quos tamen cadit, illi ſunt irregeniti.

VI *Argumentum* Socini eſt ex 14 *verſu*: Vocantur, inquit, iſti carnales; quod non poteſt dici de regenito. Item, dicuntur venditi, ut ſubjacerent peccato, quod proprium eſt irregenitorum, & quidem extreme improborum. Ut, cum de Achab dicitur, quod ſe vendiderit ad omnem iniquitatem patrandam. *Reſp*. Quod ad primum attinet, patet ex 1 *Cor*. 3, & regenitos vocari carnales. Vocatur autem homo regenitus carnalis, non *ſimpliciter*, ſed *ſecundum quid*, quia caro in ipſo eſt.

Urget hic Arminius: *A principali debet fieri denominatio*. *Reſp*. 1. Inepte hoc dicitur. Nam ab omni, quod ineſt, poteſt fieri denominatio; ut, cum homo à corpore dicitur pulvis, de-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

denominatio hic ab eo eſt, quod eſt minus dignum, ſcilicet corpore. 2. Eſto quod vera ſit regula hæc; Obtinebit autem, ubi agitur de alicujus rei dignitate & præſtantia.

Quod ad ſecundum argumenti membrum: Aliud eſt, ſeipſum vendere; aliud, venditum eſſe. Achab ſe ipſum vendidit. At hi dicuntur venditi. Deinde, cum vox illa tropica ſit, non habet ullam vim in probando, niſi revocetur ad propriam. Propria autem eſt, ſubjici peccato, ſive concludi ſub peccato. At omnis homo, qui concluſus eſt ſub peccato, irregenitus non eſt, quandoquidem omnes homines concluſi ſub peccatum, Rom. 11. Galat. 3. 22: *Concluſit omnes ſub peccatum, ut credentibus vita æterna daretur*. Idcirco illud vendi colligitur ex libertate. Quemadmodum autem in hac vita non ſumus liberi à peccato, neque à miſeria; ita ex hac cauſa recte dici poſſumus venditi.

Jam veniendum ad argumenta alia; quæ aliunde petit Socinus, cum confert loca alia Scripturæ, quæ loquuntur de regenitis, & oſtendit, pugnare illa è diametro cum his quæ dicuntur de hoc homine. Sic autem incipit: In hoc homine *peccatum operatur omnem concupiſcentiam*, verſ. 8. *Regenitus autem crucifixit carnem cum omnibus cupiditatibus*, &c. *Gal.* 5. 24. *Reſp.* Hæc inter ſe non pugnare. Nam mortificatio veteris hominis, quæ hic crucifixione exprimitur, non eſt momentanea, ſed ſucceſſive fit, ſicut diximus, regenerationem fieri in inſtanti; & ita fieri ſucceſſive, ut in hac vita inchoative tantum dicatur fieri; propterea Spiritus Sanctus, qui dixit hoc loco, quod crucifixerint carnem, *Col.* 1; jubet porro mortificare membra terreſtria, ſcortationem, impuritatem, &c. Poteſt ergo caro crucifixa eſſe, & tamen adhuc crucifigi. Zwinglius hic utitur ſimilitudine latronum in cruce pendentium: Hi, inquit, crucifixi erant, & tamen non mortui, adeo ut oportuerit eis crura frangi, ut morerentur. Poteſt ergo aliquis crucifigi, & tamen non mori. Sed operari omnem concupiſcentiam, & crucifixiſſe carnem cum affectibus & concupiſcentiis, videntur oppoſita. *Reſp.* 1. Non magis quam iſta, Carnem eſſe crucifixam in regenitis, & tamen mortificandā eſſe adhuc.

II. Dicit Socinus: In eo peccatum adeo vixit, ut illum morti manciparet, atque occideret, *verſ.* 9, 10, 11. At vero in regenito peccati corpus, id eſt, ipſum peccatum, deſtructum eſt; adeo ut etiam ipſi peccato mortuus ſit, nec peccatum amplius in eo regnet, aut dominetur, *Rom.* 6. *v.* 10, 11, 12, 13, 14. Nobis hic reſpondendum ad omnia ſigillatim.

1. In toto hoc capite non reperitur, quod primo loco ponit, Peccati corpus deſtructum. 2. Dato quod reperiatur, quod tamen falſum eſt, tum nihil erit aliud, quam illud, *Galat.* 5. Quod crucifixa caro in iſto ſit. At iſta non pugnant, Crucifixum eſſe, & debere crucifigi. *Inquies:* Imo vero habetur in textu *verſu* 6, *Crucifixum veterem hominem, ut corpus peccati aboleatur. Reſp.* Hoc aliud ſonat. Nam quemadmodum aliud eſt, quod, *Eph.* 5. 25, 26, 27, *Chriſtus dilexit Eccleſiam, ut eam ſanctificaret, & ſiſteret ſine macula & ruga*; ita & aliud eſt, facere aliquid, ut hoc ſequatur; aliud, feciſſe aliquid, ut conſecutum. Hic dicitur, crucifixiſſe, ut aboleatur corpus peccati; non autem, quod abolitum. Hoc namque præteritum tempus reſpicit; illud, futurum. Quod dicit, Peccato mortuus eſt, ac propterea peccatum in eo non vivit. *Reſp.* 2. Ita non opponi, Peccato mortuum eſſe, & vivere in eo peccatum. Nam mortuum eſſe peccato, eſt nihil aliud, ut Spiritus Sanctus docet, quam non auſcultare ei in cupiditatibus corporis, *Rom.* 6. *v.* 12. Neque ſiſtere membra ſua arma injuſtitiæ peccato. At vero peccatum vivere poteſt, cum non plane mortificatum, & dum adverſus ipſum Spiritus pugnat, *Gal.* 5.

Pergit in eodem argumento: Peccatum non regnat, ut dominetur in regenito, *Rom.* 6. 12. Atqui in hoc, de quo *Rom.* 7, vivit peccatum. *Reſp.* Neque hæc pugnant; Nam poteſt vivere & non dominari, quemadmodum Agar vivebat quidem in ædibus Abrahæ cum Sara, non tamen dominabatur Saræ; imo, cum Saram contemptui habere cœpiſſet, ejecta eſt prorſus.

III *Argumentum* quod adfert, eſt: Homo, de quo agitur *Rom.* 7, carnalis eſt. At regenitus non amplius eſt in carne, *Rom.* 7. 5, & 8, 9. *Reſp.* Ineptus hic eſt. Nam iſta, Carnalem eſſe, &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

& in carne eſſe, toto cælo differunt. Nam qui eſt in carne, non carnalis eſt ſimpliciter; ut patet *Rom.* 8. At vero eum, qui carnalis eſt, non ſtatim ſimpliciter & abſolute oportet carnalem eſſe. Nam poteſt fieri ſecundum quid carnalis; quod de regenitis uſurpat Spiritus Sanctus, 1 *Cor.* 3. 4. Hæc putat opponi, Venundatum eſſe ſub peccato, *Rom.* 7; &, Liberatum eſſe à peccato; quod eſt proprium regenitorum, *Rom.* 6. *v.* 18, 22. At hic oppoſitio nulla, quemadmodum non eſt oppoſitio inter hæc, Concluſum eſſe ſub peccato; &, Liberatum eſſe à peccato. Nam liberati ſumus à peccato, non quod immunes ſimus à peccato. Nam non eſt homo, qui non peccat, 1 *Reg.* 8. Sed liberati à peccato, quod nobis peccatum amplius non dominetur, nec nos ſervi amplius peccati.

Pergit Socinus, & ait: Iſte, de quo hic agitur, Rom. 7, *Quod vult bonum, non facit; quod autem non vult malum, id facit*, verſ. 19. Cum contra homo regenitus, non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum, ambulet, *Rom.* 8. 1, 4. Item, Spiritus actiones corporis perimit. At nec hoc quicquam ad rem facit. Nam non continuo qui ſecundum ſpiritum ambulat, hoc bonum, quod vult, facit. Namque illi, de quibus *Gal.* 5, ſecundum ſpiritum ambulant, & tamen bonum, quod volunt, non faciunt. Caro namque concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem, ut non, quæ velimus, illa faciamus; nec hoc ſequitur, Spiritus actiones corporis perimit; Ergo non poteſt de illo dici, Quod non vult, id agit: quemadmodum non ſequitur (ut ex æquipollenti oſtendamus): Regenitus deponit veterem hominem; Ergo de ipſo non poteſt dici, Malum, quod non vult, id agit. Nam perimit ſpiritus actiones corporis, ſed ita ut porro perimendæ ſint; quemadmodum crucifigit carnem, ſed ita ut porro crucifigenda ſit. Dicat tamen aliquis, Mira iſta locutio, quod non volo malum, id ago; & haud ſcio, utrum alicubi dicatur de regenito. *Reſp.* Omnino æquipollens, *Iac.* 3: *In multis labimur omnes*, &c. Et quæ illa multa ſint, explicat Spiritus Sanctus, *Iob.* 9. *v.* 3, *Si volet litigare cum eo, non poteſt reſpondere ei ad unum ex mille*; nec mirum, cum Spiritus Sanctus teſtetur, quod hic primitias tantum Spiritus habeamus.

VI *Argum.* Socini eſt: Hic, de quo agitur Rom. 7, *Captivus eſt legi peccati*, verſ. 23. At regenitus liberatus eſt à lege peccati, *Rom.* 8. 2. *Reſp.* iterum, Hæc non pugnant, quemadmodum Concluſum eſſe ſub peccato, quod de regenitis etiam dicitur (ut à nobis ſupra dictum); &, Eſſe liberatum à lege peccati, non pugnant. Nam captivus eſt legi peccati, quia immunis à peccato non eſt: liberatus à lege peccati; quia liberatus ab execratione legis. *Nulla* namque *condemnatio iis, qui ſunt in Chriſto Ieſu*, Rom. 8. *v.* 1.

VII & ultimum ejus argumentum eſt: Hic homo, de quo, *Rom.* 7, detinetur à corpore mortis, id eſt, ab ipſa morte, à qua liberari miſer cupit, *verſ.* 24. At vero irregenitus liberatus eſt à lege mortis, *Rom.* 8. 2. *Reſp.* 1. Quod dicit, *à* corpore mortis, falſum eſt. Nam non dicitur *à* corpore, ſed *ex* corpore mortis; hæc autem duo diſtincta ſunt. 2. Falſo putat, corpus mortis, eſſe ipſam mortem. Nam corpus mortis, non mors ipſa; ſed mortale corpus, more loquendi uſitato in Novo Teſtamento, notat: ut, cum dicimus, viriditas herbæ, id eſt, viridis herba. 3. Poteſt aliquis detineri in corpore mortis, ut nos omnes, qui vivimus vitam hanc; ut patet, 1 *Cor.* 15. 53: & interim tamen eſſe liberatus à lege mortis. Nam liberatum eſſe à lege mortis, nihil aliud eſt, quam liberatum eſſe à maledictione legis, *Gal.* 3. 5. Quærit alibi Socinus, in regenito, dum eſt in hac vita, quid prævaleat? Utrumne caro, an ſpiritus? Et, inquit, oportet ſtatuant, carnem. Nam dicunt, inchoative nos regenerari. Quomodo ergo ſpiritus ille unquam vincet carnem, cum tamen Scriptura teſtetur, quod plus quam victores ſimus omnium in Chriſto? *Reſp.* Prævalet caro *mole*, ſpiritus *efficacia*. Unde ob ſpiritum iſtum homines qui tranſlati ſunt de ſtatu irregenitorum, non amplius animales vocantur, etſi plus carnis in ipſis; ſed ſpirituales, videlicet propter efficaciam ſpiritus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

V. Homo in regeneratione habet ſe mere paſſive.

Patet hoc primo, Ex natura hominis animalis, qualis ille definitur, 1 *Cor.* 2. Hinc ſi talis eſt homo animalis; Ergo nihil poteſt conferre ad ſui regenerationem. 2. Dum Spiritus Sanctus de regeneratione agit, oſtendit, ſe hominem mere paſſive habere, Ezech. 36: *Eximam è vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum,* &c. 3. Oſtendunt hoc phraſes de eadem re agentes, Eph. 2. 3. Col. 2. 13: *Et nos una vivificavit, cum eſſemus mortui in lapſibus.* Plura alia argumenta à quovis colligi poſſunt. Nos jam ulterius progredimur, &, cum in canone dicatur, nos mere paſſive nos habere, quæritur, Qualis illa eſt potentia paſſiva? Dicimus, eſſe potentiam *ſubjectivam*, ſive, ut vocari ſolet in Scholis, *obedientionalem*, qualis ſcilicet in mortuo ad vitam; non naturalem. Unde non immerito à Gomaro dicitur: Eadem vivificari vita ſpirituali, qua vivificabuntur in extremo judicio. Rident quidem Adverſarii hoc ipſum, ſed ipſi ſunt ridendi; niſi putent, majus eſſe revocari ad vitam corporalem, quam ſpiritualem.

Objicitur I ab Adverſariis: Deus vult ut convertamur ad ipſum, vult ut nobis faciamus cor novum, &c. Ergo non habemus nos mere paſſive in regeneratione noſtri. *Reſp.* His & ſimilibus phraſibus oſtendit, quid debeamus; non vero quid poſſimus aut faciamus. Quemadmodum etiam illo, verbi gratia: *Diliges Dominum Deum tuum*, &c. Quid vero fiat in re ipſa, oſtendit Spiritus Sanctus, *Ierem.* 31. 18: *Converte me, & convertar,* &c. Thren. 5: *reſtitue nos Iehova tibi, ut revertamur.*

Obj. 2. Si homo ſe mere paſſive habet in regeneratione, tum ſe habebit ut truncus. At videtur hoc valde abſurdum, hominem habere ſe ut truncum. *Reſp.* 1. Non omne, quod eſt abſurdum rationi corruptæ, etiam abſurdum eſt fidei. Hinc diſtinguuntur abſurda, in abſurda *rationis* & *fidei*. Nobis non ſunt curanda abſurda rationis in Theologia, cum ratio non ſit regula Theologiæ, ut quæ captivari debet Verbo Dei, ſed curanda nobis ſunt abſurda fidei. Atqui non eſt hoc nobis abſurdum fidei. Nam non tantum homo ſe habet ut truncus, ſed, quod majus eſt, habet ſe ut mortuus, ut tenebræ, in regeneratione. 2. Inter *potentiam ad regenerationem conferendam* diſtinguo, & inter *ſubjectum*, in quod regeneratio introducitur; ſi ratione potentiæ ſpectetur homo, tum ſe habet magis ut truncus; ſed ſi ſpectetur ratione *habilitatis ſubjecti*, tum non habet ſe ut truncus. Quia truncus non eſt capax regenerationis; homo autem capax eſt, ſi eum ſpectes ratione potentiæ divinæ. Zwinglius dicit, diſtinguendum inter potentiam ad regenerandum, & habilitatem ſubjecti ad capiendam habilitatem.

Obj. 3. Si homo ſe mere paſſive habet in regeneratione. Ergo Deus irreſiſtibiliter regenerat. Atqui falſum poſterius. Ergo & prius. *Reſp.* Negando quod falſum hoc ſit, ut patet, Ezech. 36: *& faciam, ut in ſtatutis meis ambuletis*, &c. Sed illi probare volunt hoc, ex *Act.* 7. Ubi Stephanus objicit Judæis, quod reſtiterint Spiritui Sancto. *Reſp.* Aliud eſt, reſiſtere Deo quoad externam vocationem, ſeu *externe vocanti*; aliud, ei reſiſtere *interne vocanti.* Hoc prius Spiritui contingit; poſterius, nunquam; ut patet, Joan. 6. 45, *Quiſquis ergo audivit*, &c.

CAP. II.

De regeneratione in ſpecie, quoad fidem.

Vidimus regenerationem noſtri in genere; Sequitur ut videamus eam, quoad ſpeciem, nempe fidem; De qua hi Canones.

I. Sociniani negant, fidem eſſe habitum infuſum.

Dicunt, fidem acquiri ab homine. Nos fidem diſtinguimus in *habitualem*, & *actualem*; & habitualem dicimus infundi, ut pote cum ſit pars regenerationis noſtræ. Actualem proficiſci ab habituali, tanquam reali cauſa; ex Verbo Dei, tanquam morali.

Pro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Probamus autem, quod habitualis fides infundatur, I. Act. 16: *& aperuit cor Lydiæ, ut attenderet.*

II. *Probatur* ex vocibus æquipollentibus fidei, Oculis nim., auribus, mente; quæ Deus extraordinarie infundit homini, *Deut.29.* Nam ſi hæc dat ſine opera hominis, utique infundit. Atqui dat ſine opera hominis. Nam homo antequam hæc habeat, cæcus eſt, ſurdus eſt. Proinde non poteſt hæc ſibi ipſi dare; non magis certe, quàm cæcus cæcitate corporea, aut ſurdus ſurditate, poſſit ſibi dare vel oculos, per quos videat, vel aures, per quas audiat.

III. Hoc idem teſtatur Spiritus Sanctus ad *Phil.* 1. *v.*29. Ubi Paulus dicit: *Nobis gratis datum eſt in Chriſti negotio, non ſolum credere in eum,* &c.

Obj. Poterat dari, & interim tamen non infundi. Nam multa dona dantur nobis divinitus, quæ tamen non infunduntur. *Reſp.* Verum quidem eſſe de talibus donis. At hoc tale donum eſt, quod non datur niſi infundatur; ut patet, ex 1 Cor. 2. 14: *Animalis non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei.* Animalis autem non merito diceretur, niſi vi Dei, non tantum abſque ſua opera, ſed etiam ut plane ad illud ipſum ineptus, in fidem regeretur. Cauſa erroris, quare Sociniani non admittunt, fidem eſſe habitum infuſum, ea eſt, quod nolint concedere, hominem in regeneratione habere ſe mere paſſive. *Inſt.* Atqui fides ex auditu, auditus vero per Verbum Dei. Ergo acquiruntur hi habitus. *Reſp.* Agitur ibi de fide actuali, non habituali; proinde hoc argumentum non facit ad propoſitum.

Obj. Miraculum erit in fide danda non minus, ſi fides eſt habitus infuſus, quam fuit die Pentecoſtes, ubi habitus linguarum Apoſtolis fuerunt infuſi. At vero miracula jam ceſſarunt. *Reſp.* 1. Miraculum dicitur reſpectu ad homines, in quorum incurrit ſenſus, ut nomen ipſum indicare videtur; propterea hic miraculum non eſt, quia fides in ſenſus non incurrit. Nam nemini notum eſt, cui Deus largiatur fidem, niſi ſoli Deo; hominibus ſi innoteſcat, innoteſcit cognitione conjecturali. At vero in feſto Pentecoſtes innotuerat omnibus, quod Deus tales habitus ipſis infudiſſet. Nam loquebantur non una aut altera lingua, ſed omnium fere gentium linguis; quod non eſt poſſibile diſcere. Nam etſi de Mithridate dicatur, quod 20 & aliquot linguas calluerit, ita ut potuerit loqui gentibus ſibi ſubjectis, tamen quota pars illa fuit ad omnium nationum linguas? Cum præter hoc Auctores innuant, exactam linguarum iſtarum cognitionem non habuiſſe; In Apoſtolis autem fuit omnium exactiſſima. 2. Non abſurdum, Deum miracula jam edere, dum vivificat mortuos in peccatis; non minus hoc miraculum cenſendum, quam cum reſſuſcitat mortuos ad vitam iſtam temporariam. Nam, quod objicitur, miracula jam ceſſaſſe; *reſp.* Non ceſſarunt miracula abſolute, ſed ſecundum quid, eo tantum modo ceſſarunt, ut amplius per homines non edantur, alioquin Deus edit miracula, non minus jam, quam antehac.

II. *Fides eſt pars regenerationis.*

Patet hoc, 1. Quia oculi & aures ſpirituales ſunt. Atqui hæc ſunt pars regenerationis. 2. Apertio cordis eſt pars regenerationis. At hæc eſt fides habitualis. 3. Sanctificatio & regeneratio unum ſunt & idem. Atqui fides eſt pars ſanctificationis noſtræ; quia ſine fide nemo poteſt placere Deo, *Hebr.*11. Plura argumenta qui volet, conſulat Zanchium.

Obj. 1 contra hoc: Fidem in Chriſtum non eſſe partem regenerationis noſtræ, quia fides cadit in Diabolum, teſte Jacobo, qua credit & contremiſcit. *Reſpond.* Fides à noſtris diſtinguitur in fidem *ſalvificam*, & *hiſtoricam.* Fides hiſtorica cadit in Diabolos, non ſalvifica.

Obj. 2. Regeneratio eſt in eum ſtatum reſtitutio, in quo primus homo conditus fuit, *Col.*3. Atqui ibi non fuit fides ſalvifica, ſive in Mediatorem. Ut ergo fides non erat pars integritatis; ita etiam non eſt pars regenerationis in homine regenito. *Reſp.* 1. Hypotheſin falſam præſupponi, quod nobis tantum iſta reſtituta ſint, quæ in Adamo perdidimus. Nam plura nobis conceſſa ſunt. In Adamo enim acceperamus poſſe, ſi vellemus; Non autem velle, quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

quod poſſemus; Per Chriſtum utrumque nobis acquiſitum eſt: id eſt, in Adamo amiſeramus integritatem, quæ ſe mutabiliter habebat; At Chriſtus reſtituit nobis integritatem, quæ eſt immutabilis. 2. Falſum, quod fides non fuerit in Adamo hæc eadem *eſſentia*, quæ in nobis vocatur ſalvifica, etſi pro *objecto* non habuerit Chriſtum Salvatorem, & etiamſi ex eo non vocetur ſalvifica. Quemadmodum, verbi gratia, fuit in Adamo caritas in ſtatu integritatis, ſed ea nunquam vocari potuit miſericordia; quia caritas in reſpectu ad miſerum vocatur miſericordia; Miſero autem nullus erat locus futurus in ſtatu integritatis. Aut quemadmodum fides eadem erit eſſentia in vita futura, cum ea, quæ jam eſt, non tamen fides vocanda, 1 *Cor.* 13, ſed aſpectus; quia non reſpectus idem fidei ad objectum futurum, & illud quod non videtur, *Hebr.* 11. 1.

III. *Fides ſalvifica una tantum eſt.*

Patet hoc *Eph.* 4. 4. Socinus nobis hic litem movet, & ſtatuit, fidem iſtam duplicem eſſe; unam quæ tendit in Chriſtum, alteram quæ in Deum. Probat hoc ex *Ioan.* 12. *v.* 44, quia namque Jeſus dicit: *qui credit in me, non credit in me, ſed in eum qui miſit me.* Concludit inde, Chriſtum hoc loco ſibi non arrogaſſe fidem illam, quæ ſoli Deo debetur, licet monuerit diſcipulos aliquando, ut quoque in ſe crederent. Hoc probat tali Syllogiſmo: Si Deo debetur ea fides; quæ in ipſo Deo terminatur & acquieſcit, ut in prima & ſola cauſa omnis felicitatis, omniumque bonorum, quatenus prima; Ergo Chriſto hæc fides non debetur; etſi ipſi eſt confidendum. Confiditur autem ei, ſeu in ipſum creditur, quia à Deo poteſtate felices nos faciendi donatus, & huic muneri præfectus eſt. Ergo etiam non agnoſcitur Chriſtus, dum illi concreditur cauſa felicitatis noſtræ, nec in ipſo fides noſtra terminatur & acquieſcit, quia ſemper in Deum, tanquam in ultimum ſuum ſcopum, reſpicit, à quo omnis virtus & decretum nos ſalvandi proficiſcitur. *Reſp.* Chriſtus ex hypotheſi Judæorum loquitur, qui Chriſtum nudum ac merum hominem putabant, quam erroneam opinionem hac loquendi formula, quæ eſt elliptica ex idiotiſmo Hebræorum cenſenda, redarguit; quæ dum Socinus ex Græcorum & Latinorum vulgari conſuetudine æſtimat, à vero aberrat. Sumamus exempla extra dubium poſita, ut ex iis judicium de dubio fieri poſſit. Talia ſunt: *Gen.* 32. *v.* 28: *Non Iacob* (ſolum) *vocetur nomen tuum, ſed* (etiam) *Iſraël*; quam ellipſin hic ſtatuendam eſſe oſtendit hiſtoria ſubſequens, ubi nomen Jacobi retinetur. vid. *verſ.* 25, 26, ejuſdem capitis, & deinde capite ſeq. Item, 1 Sam. 8. 7: *Non te ſpreverunt* (ſcil. ſolum): *ſed me* (ſcil. etiam) *ſpreverunt.* quod patet ex fine ſequentis, in quo dicitur, Dereliquerunt me, & coluerunt Deos alienos, ſic ipſi faciunt etiam tibi. Item, Marc. 9. 37: *Qui excipit me, non excipit me* (ſcilicet ſolum): *ſed eum* (etiam) *qui miſit me.* Item, *Ioan.* 5. 30: *Non quæro voluntatem meam* (tantum): *ſed voluntatem* (etiam) *ejus, qui miſit me*; quod idem repetitur *cap.* 6. 38. Item, *Ioan.* 7. 16: *Mea doctrina non eſt mea* (tantum): *ſed ejus* (etiam), *qui miſit me.* quæ omnia ſunt ex hypotheſi Judæorum dicta, quod putarent, Chriſtum merum & nudum hominem eſſe; id quod hiſce locutionibus negat. Eodem ſenſu capiendum eſt hoc dictum, de cujus genuino ſenſu controvertitur: Qui credit in me, non credit in me ſolum, ut vos opinamini falſo, qui me nudum hominem eſſe arbitramini, ſed in eum etiam, qui miſit me.

IV. *Fides ſalvifica ſemper reſpicit Chriſtum ut Mediatorem.*

Hunc Canonem non ferunt Sociniani, & interim tamen veriſſimus eſt, non tantum in Novo, ſed etiam in Veteri Teſtamento. Nam in Veteri Teſtamento fidelibus fuit fides ſalvifica, ut patet *Hebr.* 11; & hæc fides reſpexit Chriſtum, ut patet *Act.* 10. 43. & *Hebr.* 11. *v.* 6, 7, 8. patet idem in ſpecie, *Ioan.* 8. 56. & *Hebr.* 11: *Majores ducens divitias probrum Chriſti*, &c. Et hinc illa clauſula exſtructa, *Actor.* 15: *Credimus, nos per gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti ſalvatum iri, quemadmodum & illos.* verſ. 11. Sociniani, ut diximus, non vident, quomodo fides in Chriſtum prodeſſe potuerit ſub

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ſub Veteri Teſtamento; nec admittere volunt, ab ipſis juſtitiam Chriſti fide apprehenſam, & juſtitia Chriſti ſalvatos; quod tamen docet Spiritus Sanctus, *Rom.* 10. *Hebr.* 6.

V. *Fides non eſt noſtra juſtitia, ſed hoc quod fides apprehendit.*

Hic præter Socinum & Arminius ſe opponit, qui ſtatuit, fidem ipſam imputari ad juſtitiam. Sed male. Nam, 1. Per fidem accipitur juſtitia. Ergo non eſt ipſa juſtitia; *Act.* 2, per fidem accipimus remiſſionem peccatorum. 2. Juſtitia, quæ nobis imputatur, non eſt noſtra juſtitia *effective*, ſed *ſubjective*. Hinc illud, Habac. 2: *Iuſtus fide ſua vivet.* 3. Juſtitia, quæ ex fide & per fidem eſt, eſt alia à fide. Atqui juſtitia, quæ nobis imputatur, ex fide & per fidem eſt. Ergo. Ex fide eſſe patet, *Rom.* 10. 6. per fidem eſſe patet, *Phil.* 3. 9.

Objicitur: Atqui dicitur, *Rom.* 4, quod *fides imputetur ad juſtitiam. Reſp.* Fidem ibi accipi debere & intelligi de ejus objecto, patet ex argumentis quæ dedimus.

VI. *Obedientia & bona opera non ſunt forma & anima fidei.*

Socinus etiam hic graviter impingit. Nam putat, bona opera, & obedientiam, eſſe formam & animam fidei: quod falſum eſſe oſtendimus.

1. Ex *Hebr.* 11: Ubi omnia opera, quæ ſine fide ſunt, diſplicere dicuntur Deo. Et, *Rom.* 14, citra fidem dicuntur peccata eſſe. Hic ergo diſtinguuntur opera & fides.

2. *Probatur* hoc, ex Jacob. 2: *Oſtende mihi fidem ex operibus*; ſi unum ergo per aliud oſtenditur, unum non ſunt.

3. *Probatur* idem ex eo, quod, ut ex his jam liquet, fides ſit cauſa bonorum operum; ſi ita, quomodo ergo opera poſſunt eſſe fidei forma? quandoquidem effectus poſterior ſua cauſa; quod autem poſterius aliquo eſt, id ejus forma eſſe non poteſt.

4. *Probamus:* Si ita res habet, ut Socinus vult, fruſtra à Spiritu Sancto bona opera opponuntur fidei, & fides operibus, *Rom.* 4. 5. *Iuſtificamur fide, ſine operibus*, Rom. 3. v. 28. Non ex operibus legis, ſed per fidem. Socinus dicit, opponi hic fidem & opera, perfecta ſcilicet, quæ nobis impoſſibilia in hac vita; non autem imperfecta. *Reſp.* 1. Hic Socinus oblitus ſui, ut qui in doctrina de regeneratione ſtatuit, hominem poſſe perfecte legem implere. 2. Ineptus eſt, quod putet excludi perfecta. Omnia enim opera excluduntur: quod inde evincitur, quod omnem gloriationem adimere vult Spiritus Sanctus hoc ipſo hominibus. At ſic non adimeretur omnis gloriatio, quia ut perfecta opera nobis non imputarentur, tamen aliquali ratione gloriari poſſemus. *Reſp.* 3. Si res ita habet, ut Socinus vult, ſalus eſſet ex nobis, ſi non ex cauſa totali, ſaltem ex particulari; quod tamen negat Spiritus Sanctus, ad Tit. 3. 5, *Non ex operibus juſtus*, &c. 4. Stulte hoc dicit Socinus. Nam imperfectum nos juſtificare non poteſt. Hoc enim quod juſtitia noſtra dicitur, debet eſſe perfectiſſimum, ut quod ſuſtinere poteſt legem, quæ maledictum pronuntiat omnem, qui non permanſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro legis. Sociniani non habent aliquod probabile, niſi illud, *Iacob.* 2. 26. Sicut corpus abſque ſpiritu mortuum eſt, ita & fides, quæ eſt abſque operibus, mortua eſt. Ergo eo modo ſe habent opera ad fidem, quo ſe habet ſpiritus ad corpus. Atqui ſpiritus eſt forma hominis. Ergo opera etiam ſunt forma fidei. *Reſp.* 1. Argumentum à ſimili, quod, quia non currit quatuor pedibus, ut dici ſolet in Scholis, plerumque claudicare ſolet, niſi detur hoc in quo ſimile. *Reſp.* 2. Diſceptatur à Theologis, quid hic intelligatur per ſpiritum; an ſpiritus, id eſt, anima; an ſpiritus, id eſt, vitales illi ſpiritus, qui per totum corpus diffuſi ſunt? Illi qui aſſerunt hoc poſterius, utuntur hac ratione, quod corpus mortuum à nobis non deprehenditur aliter, niſi ubi jam ſpiritus iſti plane defecerint. Nam quamdiu adhuc ſpiritus iſti ſunt, tamdiu incertum eſt, corpus eſſe mortuum. Si autem hoc ſenſu ſpiritus accipi debet, prout certe debet ob rationem datam, tum hic ſpiritus forma non eſt, ſed effectus vitæ. Priores non probant ſuam, niſi ex voce; quæ probandi ratio admodum Sophiſtica, ut alia omittam. *Reſp.* 3. Inepte dicitur anima noſtra forma corporis. Nam eſt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

totius compoſiti. quæ ratio confirmat poſteriorem reſponſionem.

CAP. III.

De juſtificatione activa & paſſiva.

ACTum de regeneratione, & in genere, & in ſpecie; ſequitur, ut agamus de effectis. Effecta autem ſunt juſtificatio paſſiva, & bona opera.

De *juſtificatione paſſiva* ſunt hi Canones:

I. *Paſſiva juſtificatio poſterior eſt fide.*

Socinus, cum legit apud noſtrates, per fidem nos juſtificari, infert ita, Aut ante juſtificati ſumus, & ita non per fidem juſtificamur; aut dum credimus, juſtificamur; quod etiam non eſt, quia fide credimus remiſſa peccata: Non ergo, dum credimus, remittuntur: ſed dum credimus, jam ante remiſſa credimus. *Reſp.* Peccata quidem remiſſa ſunt ante fidem ex parte Dei, ſed interim quod ex parte Dei factum, illud fide nobis applicamus; quæ applicatio per fidem juſtificatio paſſiva vocatur.

Obj. Atqui dicitur, nos accipere remiſſionem peccatorum per fidem. Ergo, dum credimus, remittuntur nobis peccata, non ante. *Reſp.* Imo ex hoc apparet, agi hic de applicatione remiſſionis. Nam ſi accipimus, fuit ante, ſed non fuit ex parte noſtri nobis applicata. Quod ut intelligatur, ita habeant: Deus, poſtquam conjeciſſet in Chriſtum peccata, juſtificavit nos, Eſaï. 53. 11: *Servus meus juſtificabit multos, quorum peccata ipſe bajulavit.* Nos vero quod factum à Deo eſt, & applicatum nobis eſt, applicamus nobis etiam per fidem.

II. *Iuſtificatio paßiva non fit ſimul & ſemel, ſed iteratur toties, quoties peccamus.*

Patet hoc è ſacrificiis, per quæ iſta remiſſio applicabatur toties, quoties peccabatur ab hominibus. Patet hoc idem ex Oratione Dominica, in qua petimus: *Dimitte nobis debita noſtra*; quo intelligimus remiſſionis peccatorum applicationem ex parte noſtri, & ſenſum ejus.

De *bonis operibus* ſunt hi Canones:

I. *Fides non poteſt eſſe ſine operibus bonis, etiamſi non ſemper eodem gradu manifeſta ſint opera.*

Membrum prius patet, ex *Iacob.* 2. Poſterius exemplo notum eſt. Auguſtinus in hanc rem ſimili appoſito utitur. Dicit enim, fidem noſtram perinde habere, ac arborem ad certa anni tempora. *Sunt*, inquit, *periodi, quibus fides perinde habet ac arbor hyeme, in qua vitæ effecta non niſi in radice conſpicua ſunt. Sunt viciſſim aliæ periodi, quibus ſe habet ut arbores tempore veris, ubi manifeſtiora vitæ indicia ſunt. Sunt iterum autumni, ubi declinare videntur, in omnibus tamen ſunt ſigna vitæ, etſi non in omnibus æque perſpicua.* Id quod probari videtur, Matt. 24. 12: *Et frigeſcet caritas multorum*, &c.

Socinus hic *objicit* multa. 1. Multos jactare fidem apud nos, qui tamen ſcelerate vivunt. *Reſp.* Ineptum argumentum, & quod refutatur *Iacob.* 2. *Except.* Atqui non eſt eo confugiendum, ipſos jactare hanc fidem, quia vere ſunt præditi iſta fide, id eſt, perſuaſi; omnia peccata per Chriſtum eſſe condonata. *Reſp.* Perſuaſio eſt, vel quæ nititur *rei veritate*, vel quæ nititur *opinione*; hic non nititur rei veritate, quandoquidem, ut Jacobus vult, fides, quæ vera eſt, ſuis non deſtituitur operibus.

Obj. 2. Si ubicunque fides eſt, ibi bona opera reperiri neceſſe eſſet; quid opus fuiſſet & Chriſtum ipſum & ipſius diſcipulos de vita emendanda tot verba facere? annon ſatis fuiſſet homines monere, ut iſta fide eſſent præditi?

Reſp. Imo ad utrumque monent, & ad hoc & ad illud, ut videre eſt, Hebr. 11. 6: *Sine fide*, &c. Et Tit. 1. 11: *Omnia munda mundis, pollutis autem & incredulis nil mundum. Inſt.* At ſatius eſt monere de uno eorum, quæ ita inter ſe ſunt combinata, ut unum abſque altero non poſſit exiſtere. *Reſp.* Quod nihilominus non de uno, ſed de omnibus ſolet monere Spiritus Sanctus; verbi gratia: Certa hæc eſt regula Theologorum: *Lex eſt una copula*; Quod pro-

probatur, *Iac.* 2. 10, & interim tamen Spiritus Sanctus non tantum de uno præcepto monet, ſed de omnibus.

Obj. 3. Cum bona opera, ut vobis placet, non niſi ab iſta fide proficiſci queant; nonne præpoſtere docent, qui ante omnia vel potiſſimum ad bona opera hortantur? Atqui à Chriſto & ejus diſcipulis ſæpe id factum invenias. *Reſp.* 1. Ad fidem habitualem, ex qua opera proficiſcuntur, neminem hortari poſſumus cum effectu, niſi ille habeat fidem; quandoquidem, ut ſalutaris verbi auditus haberi non poteſt, niſi quis fidem iſtam habeat, ita nec facere bona opera. 2. Diſtinctio iſta notoria eſt, juberi aliquid *explicite*, aliquid *implicite*; dum Chriſtus & Apoſtoli, &c. Jubent bona opera, jubent fidem, *implicite*, quia bona opera, ut dictum eſt, ex *Hebr.* 11. *Tit.* 1, non poſſunt eſſe abſque fide.

Obj. 4. Si minus illi feciſſent (loquitur de Chriſto & Apoſtolis), annon ſatis eſt, Joannem in initio prædicationis ſuæ ad vitam corrigendam, & ſic ad bona opera, populum maximo ſtudio fuiſſe hortatum? Utrumne Baptiſta, ſi ſine fide iſta emendatio non datur, fruſtra conabatur, quæ conabatur, cum populus adhuc omnino iſtius fidei expers eſſet? expers autem fuit; nam non opus fuiſſet, eos ad Chriſtum remittere, utque in eum crederent, monere, ſi jam in ipſum crediſiſſent. *Reſp.* 1. Joannes hortabatur ad bona opera, ſed ita, ut ſimul doceret de Chriſto; itemque de juſtitia fidei, ut videre licet vel ex *Ioan.* 1. 9. Urgebat ergo opera, ſed ex fide, quia urgebat opera quæ placerent Deo. *Reſp.* 2. Quod dicit, populum Iſraëliticum plane iſtius fidei expertem fuiſſe, fallitur. Nam fuit quidem fides in aliquibus ex populo in Meſſiam, qui venturus erat, non autem qui jam veniſſet. vide, *Luc.* 2, in Simone & Anna. Item, *Act.* 10, in Cornelio. Hoc vero valde ſtultum eſt, quod dicit, Si crediderunt, non opus erat monere, ut crederent. Annon expreſſe Spiritus Sanctus monet nos, qui fideles ſumus, ut ſimus fideles uſque ad mortem? *Apoc.* 2. *verſ.* 10.

II. *Homo irregenitus non poteſt præſtare bona opera, quoad circumſtantias operis.*

Poteſt bonum morale, ut patet, *Rom.* 2. Sed interim quoad circumſtantias, quæ ſunt tres. 1. Ut ſint ex fide. 2. Ut ad gloriam Dei. 3. Ut ſint in eo gradu quo lex requirit: nunquam præſtat: ſed de his ſuperius dictum.

III. *Omnia opera excluduntur ab efficientia ſalutis.*

Socinus putat excludi perfectiſſima. Sed inepte. Nam ſi perfectiſſima excluduntur, multo magis imperfecta, quandoquidem qui perfecte non implet legem, incurrit in illam maledictionem, *Deut.* 27. Notanda hic fuerit diſtinctio, quod bona opera excludantur à ſalutis *efficientia*, ſed non ſalutis *præſentia*; quia, ut Spiritus Sanctus ait ad Hebr. 12. 14, *ſine ſanctimonia nemo videbit Dominum.*

CAP. IV.

De Eccleſia.

Sequitur objectum ſanctificationis, Eccleſia. Hæc conſideratur vel communiter, vel ſpecialiter quoad Miniſterium. Communiter, vel ipſa, vel ejus notæ. De ipſa eſt hic Canon.

Eccleſia Catholica nunquam defecit vel deficiet, ſed continuo ab ipſo patefacto Evangelio cœpta, durabit uſque ad ſecundum Chriſti in carne adventum.

Nolunt hoc concedere Sociniani, idque ex eo, quod non poſſint oſtendere, ullos unquam fuiſſe ante ipſos, qui eandem doctrinam cum ipſis per omnia ſimilem profiterentur. Nos Canonem probamus,

I. Ex *Eſai.* 1. 9. Si Eccleſia aliquando defeciſſet, fuiſſet cum omnibus actum, ſicut cum Sodoma & Gomorrha. Atqui nunquam ita actum eſt cum omnibus. Ergo Eccleſia nunquam deſinet, aut deſiit. 2. Si Eccleſia non deſiit eo tempore, quod peſſimum eſt, nec deſinet eo tempore, quod peſſimum futurum eſt, tunc certe ſequitur, nunquam deſiiſſe, nec de-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ſituram eſſe. Atqui verum eſt prius. Ergo & poſterius. Prius eſſe verum, patet ex temporibus Noæ, quæ tempora ut peſſima Spiritus Sanctus notat; itemque ex ultimis temporibus, quæ temporibus Noæ comparat; & interim tamen his ipſis temporibus erit Eccleſia. Nam in adventu Chriſti erit Eccleſia, cum Spiritus Sanctus dicat, *Matth.* 28, alios relictum iri, alios aſſumptum iri ad Deum: &, 1 *Cor.* 15, raptum iri aliquos Chriſto in occurſum. *Obj.* In Scriptura ſæpe dici, quod Dominus dereliquerit Iſraël, ut *Iud.* 2; ac proinde quod tum defecerit Eccleſia. *Reſp.* Dicitur hoc de pleriſque, de omnibus non dicitur; quandoquidem Spiritus Sanctus mentionem facit Prophetarum, quos pios fuiſſe, ac proinde membra vera veræ Eccleſiæ, ex contextu apparet. Idem patet, 1 *Reg.* 19. ubi Elias loquitur, ac ſi fuiſſet ſolus relictus, & tamen apparet, multos fuiſſe, qui erant vera Eccleſiæ membra.

De notis Eccleſiæ in genere eſt hic Canon:

Operæpretium eſt ſcire, quæ ſint notæ veræ Eccleſiæ, ut ex illis agnoſci poſſit, quæ ſit vera Eccleſia.

Sociniani negant, operæpretium eſſe in ſigna Eccleſiæ inquirere. Catecheſis namque Racoviana ſic ait, pag. 297: *Non multum juvat in ſigna Chriſti veræ Eccleſiæ inquirere, cum tibi expoſuerim, quid veram Eccleſiam Chriſti conſtituat; nimirum, ſalutis doctrina, quam quicunque cœtus habet, & profitetur, eſt vera Eccleſia.* Et paulo poſt: *Tenere ſalutarem doctrinam cum Eccleſiæ Chriſti ſit natura, ſignum ipſius, ſi proprie loquaris, dici non poteſt, cum id ipſum à re, cujus ſignum eſt, differat.* Et Socinus in tractatu de Eccleſia, pag. 9: *Quod ſi dicas, ad ſalutem neceſſarium eſſe, ut quis ſit in vera Chriſti Eccleſia; ac propterea neceſſarium ſimul eſſe, ut Chriſti veram Eccleſiam inquirat, & agnoſcat; negabo iſtam conſequentiam. Nam ſimul atque quis ſalutarem Chriſti doctrinam habet, is jam vel reipſa in vera Chriſti eſt Eccleſia, vel, ut ſit, non habet neceſſe inquirere, quænam ſit Chriſti Eccleſia; id enim, ut dictum eſt, jam novit.* Hæc Sociniani, & Socinus. Ad quæ reſpondebo primo; poſt ſententiam noſtram confirmabimus. Quod ergo attinet ad primum Adverſarii argumentum: Tenere ſalutarem doctrinam eſſe naturam Eccleſiæ, ac proinde ſignum Eccleſiæ eſſe non poſſe. *Reſp.* Si formam Eccleſiæ dicant, concedere nos: ſed tamen inepti ſunt, ſi ex forma non putent intelligi, quæ ſit vera Eccleſia. Deinde diſtinguo inter *tenere doctrinam*, & *profiteri*: illa eſt natura; hæc, nota. Ad 2 argumentum *reſp.* Diſtinguendum eſſe inter Eccleſiam Catholicam, & particularem. Simul atque quis ſalutarem Chriſti doctrinam habet, revera in ipſa Eccleſia eſt, ſcilicet Catholica. At non eſt propterea in particulari.

Jam argumenta danda ſunt nobis, quod neceſſe ſit inquirere, quæ ſit vera Eccleſia in particulari, quæ non.

1. Neceſſarium eſt, nos uti Sacramentis; quia mandatum Dei eſt de uſu Sacramentorum Baptiſmi & Cœnæ Dominicæ. Baptiſmi quidem, *Matth.* 28. Cœnæ Dominicæ apud Evangeliſtas, & 1 *Cor.* 11. Atqui Sacramentis uti non poſſumus, niſi ſciamus, quæ ſit vera Eccleſia Chriſti particularis. Ergo neceſſarium eſt, ut in illam inquiramus, atque adeo neceſſarium, ut habeat notas, per quas, & ex quibus, cognoſci poſſit. 2. Neceſſaria ſunt quædam officia quæ in Eccleſia Dei præſtari debent, tum in communi, omnibus fidelibus; tum in ſpecie, quod debeamus benefici eſſe, maxime erga domeſticos fidei, *Gal.* 6. Quomodo autem poterimus eſſe in domeſticos fidei benefici, ſi neſciamus quæ vera Eccleſia, quæ membra ejus? Peculiaria vero etiam ſunt quædam auditorum erga doctores ſuos officia, *Hebr.* 13. 17. *Gal.* 6. 6. Prolixe hæc eadem officia recenſet Catecheſis Racoviana, pag. 309. Quomodo hæc iterum præſtari poterunt, ſi ignoretur quæ ſit vera Eccleſia? Tum etiam quædam ſunt officia miniſtrorum, quoad diſciplinam. Et quomodo diſciplinam exercere poterunt, niſi ſciant in particulari, quæ ſint membra Eccleſiæ illorum? Hoc vero quomodo ſcient, niſi ſciant, quæ ſit vera Eccleſia?

Sunt autem notæ Eccleſiæ in ſpecie: vel

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Doctrinæ profeſſio, vel legitimus Sacramentorum uſus.

De profeſſione veræ doctrinæ hic nihil agemus. De Sacramentis in genere eſt hic Canon:

Sacramentorum finis præcipuus & principalis eſt, confirmatio fidei noſtræ.

Probamus hoc, 1. Quia ſacramenta ſunt ſigna fœderis inter confœderatos, *Geneſ.* 17. *Rom.* 4. *verſ.* 11, & paſſim. Si ergo ſigna, tum confirmant fidem noſtram, ut de fœdere, ita de promiſſionibus quæ in fœdere continentur. 2. Quia totum Miniſterium eſt organon, quo Deus nobis ſuam voluntatem ſignificat, & fidem in nobis accendit, *Eph.* 4. 11, 12, 13, 14. Atqui hoc miniſterium non conſiſtit tantummodo in docendo, ſed etiam in adminiſtrandis Sacramentis, *Matth.* 21. Ergo ex hac etiam parte fides in nobis accenditur, confirmatur. 2. Quia ſacrificia à Sacramentis in hoc differunt; quod ſacrificia ſint obedientia, quam præſtamus Deo; Sacramenta ſint actiones Dei erga nos, quibus ille voluntatem ſuam de hac re ſignificat. Patet hoc ex doctrina Sacrificiorum. Nam dum aliquis dicitur ſacrificium obtuliſſe Deo, *Gen.* 8; In Sacramentis Deus dicitur dare; ut patet vel ex ſola Cœna Dominica. Atqui ſigna talia, quibus Deus voluntatem ſuam ſignificat, non poſſunt non firmare fidem noſtram. 4. Quia ſignis iſtis addit promiſſionem, ut, Circumciſioni, *Gen.* 17. Baptiſmo, *Ioan.* 3. *Matth.* 28. Cœnæ Domini, *Matt.* 26.

Socinus nihil opponit in genere contra Sacramenta, ſed in ſpecie non vult concedere, Cœnæ Domini hunc eſſe finem; ita autem hac de re in libro de uſu & fine Cœnæ Domini, pag. 25: *Quod omnes fere opinantur, hoc ritu, quem Sacramentum appellant, confirmari fidem noſtram, ne id quidem verum eſſe cenſeri debet, cum nec ullo teſtimonio probetur, nec ulla ratio ſit, cur id fieri poſſit. Quomodo namque in fide nos confirmare poteſt id, quod nos ipſi facimus? quodque licet Domini inſtitutum ſit, opus tamen plane noſtrum eſt, nihil prorſus miri in ſe continens, aut præ ſe ferens, nihil denique habens quod ſuadeat fidem noſtram, eamque confirmare queat.* Huc uſque Socinus. Ad rationes ejus *reſp.* 1. Probari aliquid teſtimonio ſacro, vel expreſſe vel per conſequentiam, probant argumenta allata. Ad illud vero, quod affert, Non poſſe fidem noſtram firmari ex eo, quod opus noſtrum eſt. *Reſp.* Niemoievius, homo Antitrinitarius, & qui hic diverſus abit à Socino, ita in tractatu ſuo, pag. 26, ait: *Nonne etiam eruditioni Verbi Divini id adimit, quod per eam confirmemur in fide; ſiquidem & hæc eſt opus noſtrum? At legimus, ex auditione eſſe fidem, quæ per eandem auditionem in animis piis perpetuo augetur, atque confirmatur.* Socinus nil hic habet quod reſpondeat, præter hoc, ſe non tantum hoc argumentum tuliſſe, ſed & alia. Ergo eo pacto fatetur, hoc argumentum eſſe vanum. Deinde, inquit, confirmatur non ipſa auditione Verbi, ſed Verbo audito. *Reſp.* Subtilitatem iſtam, credo, ipſe non intelligit. Nam quid, quæſo, intereſt inter auditionem Verbi, & Verbum auditum? etſi ſit inter hæc aliquid diſcriminis, non poterit negari de auditione, quod dicitur de Verbo. Nam Verbum, mediante auditione, fidem gignit & confirmat. Altera ratio Socini ibidem nulla eſt, ſcilicet quod illud, quod nihil miri in ſe continet & præ ſe fert, non confirmet fidem noſtram. Nam quid miri, ſi externa ſpectes, Circumciſio continebat, qua confirmabantur fideles de eo, quod eſſent in populo Dei, atque adeo quod ad ipſos promiſſiones pertinerent? vide 1 *Sam.* 17. 26. Ubi David acies Dei diſtinguit à populo, qui populus Dei non erat, per hoc, quod illi circumciſi, Philiſtæus præputiatus & incircumciſus eſſet. Deinde falſum eſt, quod nihil miri contineant, cum res ſpirituales & ſignificent & obſignent, unionem puta myſticam noſtri cum Chriſto, quæ, atteſtante Spiritu Sancto, *Eph.* 5. 31, 32, magnum eſt myſterium. Præterea annulus, qui ſponſæ à ſponſo datur in certificationis arrham, fidem ſponſæ de invariabili ſponſi erga ſe affectu confirmat, & tamen nihil miri in ſe continet annulus. Adeo ut falſa ſit Major: Quicquid nil miri in ſe continet, illud non poteſt confirmare fidem noſtram. Bona opera noſtra nil miri in ſe continent, & tamen ex iis, tan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

quam ex fructibus bonis, ad certitudinem fidei veræ, tanquam ad principium, argumentamur. Ultima ipſius ratio hæc eſt. Nihil deniq; habent Sacramenta, quod quicquam eorum verum eſſe oſtendat nobis, aut ſuadeat, ex quibus fides noſtra confirmari queat. *Reſp.* Falſum hoc. Nam dum Sacramenta ſignificant hoc, cujus ſunt Sacramenta, eo ipſo oſtendunt; & quia Sacramenta ſunt ſigna & ſigilla fœderis, ideo in legitimo uſu confirmant nos de eo, quod ſimus populus Dei, atque adeo, quod promiſſiones, quæ iſtis ſignis annexæ ſunt, ad nos pertineant.

De Baptiſmo ſunt hi Canones:

I. *Baptiſmus ſucceſſit in locum Circumciſionis.*

Hunc Canonem ſi obtineamus, tunc hoc obtinemus contra Socinum, quod Baptiſmus non ad tempus tantum fuerit inſtitutus, ſed ut perpetuo duraret in Eccleſia Novi Teſtamenti, quemadmodum Circumciſio duravit in Eccleſia Veteris Teſtamenti.

Probamus ergo, I. Ex *Col.* 2. 11, 12. Argumentum tale eſt: Qui acceperunt omnia in Chriſto, illi non debent traditiones hominum curare. At Coloſſenſes omnia acceperunt in Chriſto. Ergo non debent traditiones hominum curare. *Objicitur* tacite: Poſſumus habere in Chriſto rem ſignatam, & tamen etiam habere ſignum, quemadmodum pii Veteris Teſtamenti habebant in Chriſto regenerationem, & tamen etiam circumcidebantur. Ad hoc argumentum *reſpondeo*: Etiam hoc eſſe ſignum, quod Circumciſioni reſpondeat Baptiſmus, *verſ.* 12. II Argumentum petimus ex *Act.* 2. 38, ubi monet Petrus, ut baptizentur Judæi, quia ipſis facta promiſſio, *Gen.* 17, & liberis ipſorum. Atqui hoc argumentum nullius momenti erit, niſi hoc præſupponatur, ſucceſſiſſe Baptiſmum in locum Circumciſionis. Nam in capite iſto vult, ut, quibus facta promiſſio, non circumcidantur, ſed baptizentur. III. Gal. 3. 27, 28, 29. *Nam quicunque in Chriſtum baptizati fuiſtis, Chriſtum induiſtis. Non eſt Iudæus, neque Græcus,* &c. Hinc tale argumentum: Quod eſt ſignum, ex quo cenſemur in populo Dei, id ſucceſſit Circumciſioni. Atqui Baptiſmus eſt tale ſignum. Major patet ex oppoſitione ea, quæ occurrit in Scriptura inter præputiatum, & circumciſum. Nam ut præputium ſignum erat, aliquem non eſſe in populo Dei, ita Circumciſio ſignum erat, quinam eſſet de populo Dei. Minor clare lucet in capite dicto.

II. *Baptiſmus eſt divinitus inſtitutus.*

Patet hoc, ex *Luc.* 3. 3, in Joanne. Nam Joannis Baptiſmus, qui à Baptiſmo Chriſti non differebat, divinitus inſtitutus fuit. Hinc, *Luc.* 7, qui noluerunt baptizari à Joanne, dicuntur ſpreviſſe conſilium Dei adverſus ſe. Hinc etiam, *Matt.* 21, quærit Chriſtus, utrum Joannis Baptiſma fuerit è cælo, an vero ex hominibus? Chriſtus etiam ex mandato Dei baptizabat, ut patet, *Ioan.* 3. *v.* 27; quanquam Jeſus ipſe non baptizabat, ſed diſcipuli ejus, *Ioan.* 4. 2, id eſt, Chriſtus quidem baptizabat, ſed per miniſterium diſcipulorum. Quinimo aſcendens jubet baptizare diſcipulos, *Matth. c.* 28. *Marc.* 16. *Objicit* contra hæc Socinus: Si Baptiſmus aquæ eſt divinitus inſtitutus, hæc verba utique non potuit uſurpare Paulus, 1 Cor. 1. 17: *Non miſit me Chriſtus ad baptizandum, ſed ad evangelizandum.* Si namque baptiſmus fuiſſet divinitus inſtitutus, ad quid hæc Paulus diceret? *Reſp.* Inſtitutum eſſe divinitus patet ex illis quæ diximus. Argumentum, quod affert Socinus, magni momenti non eſt. Nam in Scriptura ſæpe, dum comparatur unum cum altero, id quod minus eſt, negatur in comparatione, etſi abſolute negari non poſſit, neque negetur; verbi gratia, Matt. 12. 7, *Miſericordiam volo, non ſacrificium*; hoc certe comparative dicitur; & ſenſus eſt: magis volo miſericordiam, quam ſacrificium; pari ratione etiam iſte locus explicandus fuerit, *Non ſum miſſus ad baptizandum*, ſcilicet principaliter, ſed ad docendum.

III. *Baptiſmus ita à Deo inſtitutus eſt, ut non eſſet duraturus ad certum tempus, ſed perpetuum.*

Sociniani putant, Baptiſmum tantum ad certum tempus durare debuiſſe. Sed inepte. Nam pri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

primo, dum Chriſtus præſcribit Baptiſmum, indefinite præſcribit, abſque certi temporis determinatione. *Secundo*, videmus poſt aſcenſionem baptizatos fuiſſe, *Actor.* 2. *Tertio*, longe poſt aſcenſionem Chriſti, circa annum ſexageſimum, ſcribens Paulus ad *Epheſios*, *cap.*4, dicit: *una fides, unum Baptiſma*. Et, *Hebr.* 6. *v.*1, 2, Baptiſmus introducitur, ut pars Catecheſeos. Jam vero quod eſt pars doctrinæ catecheticæ, illud perpetuum eſt, ut & ipſa catecheſeos doctrina. Sed Socinus locum, *Matt.*28, invadit, & dicit, per verbum iſtud, *baptizantes*, intelligi debere, docentes. Vox enim iſta prior μαθητεύσατε nil aliud ſignificat, quam diſcipulos facite; ut ſenſus hic ſit: Euntes facite diſcipulos, & docete omnes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. *Reſp.* Contorta iſta eſſe, & voces ab uſitata ſignificatione depulſas abſque ulla ratione. 2. Oſtenditur ex *Marco*, illud μαθητεύσατε, nil aliud ſignificare, nec ullo alio modo explicandum, quam per τὸ docere, *verſ.*15, Profecti, prædicate Evangelium: item, illud quod ſequitur, etiam reſpondet iſti, *euntes docete, baptizantes. Crediderit* enim reſpicit τὸ *docere*; *baptizatus fuerit*, τὸ *baptizare*. Et certe ſi τὸ *baptizatus fuerit*, foret vertendum per doctus fuerit, inconveniens foret iſta apud Marcum oratio. Nam illud, *Qui crediderit & baptizatus fuerit*, ita erit efferendum: Qui crediderit & doctus fuerit; quod abſurdum. Quia prius oportet doceri, quam credere: & præter hoc iſta non ſunt conjuncta, ita ut de utroque dici poſſit, Salvus fiet. Nam multi docentur, qui ſalvi non fiunt, qui non credunt; qui vero credunt, illi præſupponuntur neceſſario docti eſſe.

IV. *Baptiſmum adminiſtrare aliis non convenit, quam illis quibus commiſſa eſt cura Verbum Dei publice prædicandi, id eſt, miniſtris.*

Patet hoc, ex *Matt.* 28, ubi, quibus prædicandi publice Verbum Dei cura commiſſa eſt, iiſdem commiſſa cura baptizandi. *Obj.* Atqui in Veteri Teſtamento circumcidebant & mulieres, ut patet ex Zepora. *Reſp.* Circumciſionis nullas fuiſſe certas perſonas adminiſtras conſtitutas, ſed demandatum hoc fuiſſe patribus-familias, vel aliquibus in familia. Vide hac de re Danæum contra Bellarminum. At vero baptiſmi alia ratio eſt. Nam, ut dictum, iiſdem commiſſa eſt cura baptizandi, quibus commiſſa eſt cura Evangelii Dei publice prædicandi.

V. *Baptiſmus juſſus eſt fieri in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti.*

Sociniani contendunt nobiſcum de formula baptiſmi. Utrum nempe debeat adminiſtrari in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti: Sociniani penitiſſime negant, & dicunt; quoties in Actis Apoſtolorum legimus baptizatos, toties in nomine Chriſti dicuntur baptizati, *Act.* 2.38. & 10.41. Sed inepti ſunt. Nam expreſſum Chriſti mandatum eſt, *Matth.* 28. *Obj.* Imo hoc ipſum oſtendit, non agi ibi de baptiſmo aquæ. Nam ſi ageretur de baptiſmo aquæ, oportuiſſet omnes, quicunque baptizati ſunt, baptizatos eſſe in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti; quod tamen non fit in Actis Apoſtolorum. *Reſp.* Etſi toties dicatur in Actis, baptizatos fuiſſe in nomine Chriſti, hoc tamen non excluſive accipiendum. Quemadmodum ineptum foret argumentum, Chriſtus in Scriptura dicitur Deus; Ergo Deus Pater non eſt Deus. Aut: Deus Pater eſt Deus; Ergo Filius non eſt Deus. Ita hic ſi dicantur in nomine Filii baptizati fuiſſe; Ergo excluſive, non etiam in nomine Patris, & Filii. Præterea oſtenditur clariſſime, formulam iſtam ſemper fuiſſe uſurpatam, ex *Act.*19, ubi poſtquam diſcipuli iſti Epheſii dixiſſent, ſe ignorare an eſſet Spiritus Sanctus, quærit ex illis Paulus, *in quid ergo baptizati eſtis*? ac ſi diceret: Non poteſtis certe ignorare Spiritum Sanctum eſſe, ſi baptizati eſtis, quandoquidem qui baptizantur, in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti baptizantur.

VI. *Infantes fidelium ſunt baptizandi.*

Graviſſima de hoc Canone nobis cum Anabaptiſtis eſt controverſia, qui negant, infantes baptizandos eſſe. Nos ſtatuimus, baptizandos.

1. Quia Circumciſioni ſucceſſit Baptiſmus, ut à nobis ante probatum. Si ergo infantes fidelium, ut eorum qui in fœdere erant, circumcidi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

cidi debebant, etiam baptizari debent. 2. *Act.* 3. 39, *Vobis facta eſt promiſſio & liberis veſtris.* Hinc namque argumentatur Petrus, debere baptizari eos, quibus promiſſio eſt facta. At promiſſio eſt facta non tantum parentibus, ſed & liberis. *Obj.* Promiſſio facta eſt liberis, qui promiſſionem intelligere & ſibi eam applicare poſſunt. At tales non ſunt infantes. *Reſp.* 1. Imo vero indefinite hoc accipitur, unde quilibet liberorum intelligi debent. 2. Oſtendit Spiritus Sanctus, quales liberos hic intelligat, 1 *Cor.* 7. 13, 14. Scilicet omnes qui ex aliquo, qui eſt in fœdere, propagantur ac naſcuntur. Vide iterum, *Rom.* 9. 7, 8, 9. Hinc hoc argumentum exurgit, quomodo iſta accipienda ſunt quæ occurrunt *Act.* 16. 15, 33. 1 *Cor.* 1. 16, & alibi. Nam Adverſarii volunt hoc accipere ſynecdochice, ut patet ex prioribus argumentis. 3 Argumentum, & ultimum (nam hic omnium noſtratium argumenta proponere non eſt propoſiti noſtri), eſt ex *Actor.* 10. *v.* 47, *Quis aquam prohibere poteſt?* Hinc argumentum eſt, Eos omnes baptizandos, qui accipiunt Spiritum Sanctum. At infantes accipiunt Spiritum Sanctum; alioquin oporteret non ſervari infantes. Quia qui non habent ſpiritum Chriſti, non ſunt ejus, *Rom.* 8. Qui autem Chriſti non eſt, ille non ſalvatur, *Ioan.* 6. Infantes ergo ſunt baptizandi.

Obj. 1. Chriſtus juſſit docere, & eum qui credit, baptizare. Atqui infantes non poſſunt doceri, nec etiam credere. Ergo. Varie reſpondetur ad hoc argumentum. 1. Quod non ſemper, quæ primo loco commemorantur, etiam primo loco ſint vel fieri debeant; ita Chriſtus, *Matt.* 22, jubet reddere Cæſari, quæ ſunt Cæſaris; item, *Marc.* 1. *v.* 4, dicitur de Joanne, quod baptizabat & prædicabat; atqui oportebat, prius prædicaſſe, & poſt baptizaſſe, nihilominus tamen quod prius fiebat, poſtremo commemoratur. Nos iſtam reſponſionem ſuo relinquimus loco. Et 2, convenienter ad iſtum locum reſpondemus: Agi ibi de Gentibus, quæ erant extra fœdus Dei, ac proinde eos doceri primum, & poſtea baptizari. Nam & in noſtris Eccleſiis hoc obſervatur, ut Gentilium & Ethnicorum liberi non prius baptizentur, antequam in Chriſtiana religione edoceantur, & hinc tales in Eccleſia Dei vocari conſueverunt Catechumeni. *Obj.* 2. Unde ergo conſtabit, baptizandos eſſe infantes fidelium, antequam edocti fuerint? *Reſp.* Ex *Act.* 2, & 10, & aliis locis, quæ à noſtris in hanc rem adferri ſolent. *Obj.* 3. Si Sacramentorum omnium finis eſt, fidem confirmare; Ergo & baptiſmi hic finis erit. Ergo fidem habeat oportet, qui baptizatur, ut confirmatio applicetur. *Reſp.* Oportet vel ut habeat, vel ut ex caritate credatur habere; quemadmodum ex eadem caritate creduntur omnes, qui ſe Eccleſiæ adjungunt, eſſe fideles. *Reſp.* 2. Non neceſſe eſt, ipſos habere fidem actualem, ſed ſufficit habere fidem habitualem; infantes autem fidelium hanc habere, ex eo patet, quod hæc fides ſit pars regenerationis. *Obj.* Atqui videtur fidem actualem requirere. *Reſp.* Negatur. Nam circumciſio erat ſigillum juſtitiæ fidei, *Rom.* 4. 11. Requirebat ergo fidem non actualem, ſed habitualem; quod ipſe Socinus obſervat in tractatu de Baptiſmo aquæ.

VII. *In nullius hominis aut creaturæ nomine baptizari poſſumus.*

Adverſarii, dum argumentum pro Filii Dei divinitate, quod in nomine ejus baptizamur, ducimus, negant iſtam Majorem, quod is, in cujus nomine baptizamur, Deus ſit; & afferunt in contrarium illud, 1 *Cor.* 10. 2, Omnes in Moſen baptizatos eſſe. Ecce, inquiunt, in Moſen baptizatos, interim Moyſes Deus non eſt. *Reſp.* 1. In Moſen baptizatos eſſe, non idem eſt, ac in nomen Moſis baptizatos. Nam negat Spiritus Sanctus, in nomine alicujus baptizari aliquem, 1 *Cor.* 10. 15. Unde hoc colligitur, In cujus nomine baptizamur, ab eo nos denominari poſſe. At in nullo hominum denominari poſſumus; & patet hoc eodem loco. Ergo etiam in nullius hominis nomine baptizamur. Dicuntur vero illi in Moſen, id eſt, per Moſen, baptizari; At vero argumenta pro noſtra ſententia firma ſunt. Nam, 1. In cujus nomine baptizamur, ille eſt auctor Baptiſmi, eſt auctor cultus religioſi. Cultus autem religioſi nemo auctor eſſe poteſt, niſi ſolus Deus. 2. Qui Baptiſmum inſtituit, penes ipſum eſt

præ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

præſtare promiſſiones, quæ annexæ ſunt Baptiſmo, ſive quæ factæ ſunt iſtis, qui legitime utuntur Baptiſmo. Atqui promiſſiones iſtas nemo præſtare poteſt, niſi Deus. Nam promiſſio eſt ſalus; ſalvare autem nemo poteſt, niſi Deus. Hinc, *Eſai.* 43, ſe ſolum Salvatorem vocat.

VIII. *Baptiſmus neminem regenerat, ſed eſt ſignum regenerationis, ſignum quod non neceſſario cum regeneratione conjungitur.*

Videmur pro Socinianis jam agere; ſed falſo. Nam nos ſtatuimus, eſſe ſignum regenerationis, utut non regeneret Baptiſmus. Sociniani penitus hoc negant. At illi ſe expedire non poſſunt ex eo, quod Baptiſmus vocatur lavacrum regenerationis, *Tit.* 3. Nam vocatur ita, vel quia regenerat; quod plane abſurdum: vel quia ſignum eſt. Poſterius certum eſt; alioqui oporteret omnes, qui arcentur à Baptiſmo, non regenerari, ſed damnari; quod falſum eſſe, à noſtris oſtenditur, contra Pontificios & Lutheranos. At *objicitur* illud, Joan. 3, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua*, &c. Variæ & hic reſponſiones ad ſolvendum hoc argumentum ſolent adferri; Nobis maxime placet Martyris reſponſio, qua dicit: Sæpe conjungi duo, & de illis dici, effectum aliquem dependere neceſſario, cum tamen effectus ab uno tantum neceſſario dependeat: & adfert exemplum ex Epiſt. ad *Rom.* 10: Ubi dicitur: *ſi profeſſus fueris ore, & credideris corde*, &c. Hic dicitur effectus, ſalus nempe, dependere, & à confeſſione oris, & à fide cordis, cum hoc modo omnes muti à ſalute eſſent arcendi; & conſtet tamen, multos mutos inventos fuiſſe pios, & in Scriptura, cum legere potuerint, exercitatos. Vide hac de re *Horas ſucciſivas Camerarii*. Hic idem intelligendum dicto loco.

De Cœna Domini hic eſt Canon:

In Cœna Domini ſumus participes Corporis & Sanguinis Chriſti, id eſt, manducamus in Cœna Domini Corpus & Sanguinem Domini ſpiritualiter.

Negant hoc Sociniani cum ſuo Socino. Nos paucis hoc probamus. 1. Quia Chriſtus ipſe expreſſe, in inſtitutione Cœnæ Dominicæ, dicit: *Accipite, comedite, hoc eſt corpus meum.* Si ergo accipimus Corpus Chriſti, & comedimus Chriſti corpus, fruſtra hoc negatur ab Adverſariis. At *dicunt*, Manducatio tropice intelligenda eſt. Fatemur, ſed ex eo concludimus: Quia hæc manducatio fidei eſt, non oris; Ergo nos Corporis Chriſti vere participes fieri per fidem. 2. Quia Chriſtus eſt *cauſa continens* ſuorum beneficiorum. Non ergo beneficiorum Chriſti quis particeps eſſe poteſt, ſi Corporis Chriſti particeps non ſit. Hæc methodi cauſa ſcripſimus. Alias hæc, ut prolixè, ita accuratè tractata ſunt à Sadaële in tractatu de Manducatione ſpirituali. Ubi & objectiones, quas Socinus habet; imò & aliæ, quas non habet, ſolidiſſime refutantur. Præclarum quoque ea de re habet tractatum Urſinus, in quo argumenta Adverſariorum, à quibus ſua videtur mutuatus Socinus, valide proſternuntur.

CAP. V.

De Miniſtris Eccleſiæ, & eorum vocatione.

ACTum eſt de Eccleſia in communi; ſequitur ut agamus in ſpecie de Miniſtris Eccleſiæ, & vocatione eorum. De qua Canon hic eſt:

Ad Miniſterium Eccleſiæ legitima requiritur vocatio.

Catecheſis Racoviana, tametſi perſonas, quibus Eccleſia conſtat, diſtinguat in eas quæ præſunt, & alias quæ parent, pag. 299; tamen expreſſe negat, divinam miſſionem ad officium Eccleſiaſticum requiri, pag. 305. Verba ejus hæc ſunt: *Nullo modo, qui docent in Eccleſia, & ordini tuendo & conſervando invigilant, opus habent, ut ſingulari aliqua ratione mittantur.* Quæ opinio è diametro repugnat ſententiæ Apoſtolicæ, Rom. 10. 15: *quomodo prædicabunt, niſi mittantur?* itemque pronuntiato ipſius Dei, Jer. 23. 11: *Non mittebam Prophetas, & ipſi currebant; non loquebar ad ipſos,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

& ipſi prophetabant. His tam claris Sophiſta Socinus tenebras offundere conatur, in tractatu de Eccleſia, hoc modo: Apud Jeremiam de iis ſermonem eſſe, qui jactabant, ſe eſſe Prophetas à Deo miſſos, ut novi aliquid & ſingulare populo annuntiarent: Paulum vero loqui de ſuo tempore, cum adhuc eſſet nova & inaudita Evangelii doctrina, ac proinde res ipſa poſtularet, ut qui eam annuntiaturi eſſent, miſſionem ſuam docere poſſent; Cum autem hoc noſtro tempore nil novi adferatur, ſed antiquà illa doctrina proponatur, concluditur, non opus eſſe ſingulari vocatione vel miſſione. idque confirmari putat exemplis eorum, qui à morte Stephani hinc inde diſperſi prædicabant, *Act.*8.4: & 11.19: & 18.24. Adducit præterea exemplum à Baptiſmo, quem dicit poſſe à non vocatis diſpenſari; ubi iterum de Philippo ſcribit, eum docuiſſe & baptizaſſe ſine miſſione & vocatione. *Reſp.* Sententiam apud Jeremiam & Paulum eſſe generalem ſine ulla reſtrictione, videlicet neminem currere, prophetare & prædicare debere, niſi à Deo vocatum & miſſum; cujus regulæ fundamentum eſt: Quia Deus ipſe eſt, qui per prædicationem Evangelii ſibi colligit Eccleſiam; & miniſter Dei dici non poteſt, niſi quis miſſus ſit à Deo. Nemo namque ſui ipſius legatus eſt, ſed ſui Domini, 2 *Cor.* 5.20. Non poteſt namque homo accipere quicquam, niſi datum ipſi fuerit de cælo; ut de hoc ipſo argumento reſpondet graviſſime Joannes Baptiſta, *Ioan.*3, & nemo ſibi hunc honorem ſumit, ſed qui vocatus eſt à Deo. Quæ omnia ut tanto apertiora evadant, conferri debet praxis totius Eccleſiæ Veteris & Novi Teſtamenti cum iſta regula, *Hebr.* 5, 4: à Deo præſcriptum eſſe ordinem ejuſmodi, quo non niſi vocatis miniſtris locus relinquitur in Eccleſia. Quid,quod Chriſtus evectus in cælum Eccleſiæ ſuæ miniſtros dediſſe dicitur, *Eph.* 4. *v.* 11? Numnam primo iſto ſeculo dedit, jam non dat? Nihil minus.

Objectio Socini, 1: Dicit, dictum Pauli, *Quomodo prædicabunt*, &c. reſtringendum eſſe ad tempus prædicati novi Evangelii. Sed in eo ſibi craſſe contradicit, quando exempla adducit, de Philippo, Apolline, & aliis, ex Actis Apoſtolorum. Tota namque hiſtoria Actorum Apoſtolicorum anteceſſit tempus ſcriptæ Epiſtolæ ad Romanos, uti conſtat; hæc vero contradictio palpabilis. Quod à Philippo, aut aliis Diaconis non vocatis vel ordinatis, adferunt ex *Actor.* 8, qui tamen prædicarunt; ad id *reſp.* Quod in illam potius partem textum inclinare videamus, illos omnino vocatos & ordinatos ad hoc utrumque, ut ſublevarent Apoſtolos diſtribuendo eleëmoſynas, & ſimul concionarentur; id quod apparet, 1. Quia poſt electionem ſtatim de Stephano dicitur, quod plenus gratia & fortitudine fecerit ſigna & prodigia in populo; & quod non potuerit reſiſti ſapientiæ & ſpiritui, per quem loquebatur. 2. Quia ex illis ſeptem unus expreſſe nominatur Philippus Evangeliſta, *Act.* 21. 8. At Evangeliſtarum munus cum Apoſtolorum, Prophetarum, & Paſtorum, conjungitur, *Eph.* 4. 11. Ad eandem claſſem Apollos, qui, *Actor.* 17, etiam prædicavit, quin referatur, quid prohibebit? præſertim cum ex textibus his, 1 *Cor.* 3. *v.* 5, illud ipſum clariſſime poſſit conſpici; itemque, 1 *Cor.* 4. 1. Ad eorum numerum quoque referri debent ii, qui, *Act.* 8, diſperſim prædicabant, eo tempore quando Hieroſolymis prædicabant Apoſtoli. Inter eos ſiquidem diſperſos fuit Philippus, quicunque is fuerit, edebat virtutes & ſigna magna in Samaria; quod certe facere non potuiſſet, niſi pro more ipſi prius Apoſtoli manus impoſuiſſent, & hoc pacto facultatem & poteſtatem edendi illi communicaſſent: quod omne fiebat ad confirmandam prædicationem. Perlegatur totum caput 8 *Actorum*, & liquide apparebit, Philippum fuiſſe ex genere Evangeliſtarum, qui multis in locis etiam prædicabant, non tamen in adeo multis, quemadmodum Apoſtoli, qui loca ferme infinita peragrabant: & cum Philippum pro tali habere neceſſitas & cohærentia textus cogat, utique tales Evangeliſtæ fuerunt reliqui omnes, qui, remanentibus in urbe Hieroſolyma Apoſtolis, diſperſi pertranſibant, evangelizantes Verbum Dei. Breviter, fuerunt tales illi, qualis Timotheus, qui & ipſe, 2 *Tim.*4. 5, manifeſte dicitur Evangeliſta.

Ad illud, quod dicunt, non referre, etiamſi præ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

prædicent etiam illi, qui non per omnia intelligant Evangelium. *Reſpond.* Socinianos hoc ipſo prodere ſuam mentem, adeoq; ſcandala præbere maxima maximæ orbis terrarum parti. Quomodo huic ſententiæ conveniat cum Apoſtolo, 1 *Tim.* 3. 2, qui jubet miniſtrum eſſe didacticum, ſive aptum ad docendum; item: *verſ.* 9, qui teneat myſterium fidei in conſcientia, non video. At vero urgent illi exemplum Apollinis, de quo *Act.* 18, 24: Judæus quidam Apollos, vir eloquens & potens in Scriptura, qui docebat ἀκριβῶς, id eſt, accurate, quæ ſunt Domini; &, ut habet ultimus verſus, convincebat Judæos vehementer, publice oſtendens per Scripturam, Jeſum eſſe Chriſtum. Hic ſingula fere vocabula errorem eorum perſtringunt. Dicunt tamen, intermedia verba teſtari, quod fuerit adhuc rudis; Quia dicitur de eo, quod fuerit ſciens tantum Baptiſma Joannis: & additur, cum audiviſſent Priſcilla & Aquila, diligenter expoſuerunt ei viam Domini. *Reſp.* Verum quidem eſt hoc, ſed videamus, quidnam tum temporis ignoraverit. Scivit tantum Baptiſma Joannis. Ergo non ſcivit Baptiſma Chriſti? ſcilicet quoad illud, quod dicitur *Matt.* 3, quod Chriſtus baptizaturus eſſet igne & Spiritu; nondum audierat eſſe Spiritum Sanctum, id eſt, Chriſtum exaltatum per Apoſtolos, & per impoſitionem manuum illius temporis communicare dona miraculoſa, & alia, in Eccleſiæ ſuæ ædificationem & augmentationem. Nihil ergo eos juvat iſtius viri exemplum, quia hic tantum agitur de certa circumſtantia, cum Apollo alias in fundamento eſſet optime inſtructus, & eſſet potens in fide promulganda & docenda. 2. Illa tempora cum hodiernis temporibus in iſtis circumſtantiis conferri non debent; omni namque die omnia Chriſti dicta tunc non poterant ſpargi, ſicut hodie, ubique ſparſa, legi poſſunt.

Ad illud, quod urget, inſtituere aliquem in religione, eſſe opus caritatis maximum, ac proinde incumbere unicuiq;, ut hoc faciat: nec opus eſſe ad hanc rem vocatione aut miſſione aliqua; quandoquidem mandatum exſtet, ut quod nobis velimus fieri, alteri faciamus. Cum autem nemo ſit, qui non velit ſibi ſalutarem doctrinam proponi, omnes etiam, qui eandem ſciunt, debent ita eſſe comparati, ut illos qui eam ignorant, doceant. *Reſp.* Diſtinguendum eſſe inter inſtitutionem privatam & publicam. Tenemur omnes, qui ſcimus aliquid, alios inſtituere; at non tenemur publice. Quia, ut antea dictum eſt, non pertinet hæc res niſi ad eos qui tunc vocati. Exemplum habemus in Aquila & Priſcilla, *Actor.* 18, qui Apollinem privatim inſtituunt. Nam cum nemo, niſi vocatus, publice docere debeat, tum in primis fœmina nullo modo debet docere publice, nec ad hoc vocari; cum manifeſte Spiritus Sanctus prohibeat mulierem in Eccleſia loqui; & tamen hic videmus, Apollinem non tantum à viro, ſed etiam à fœmina, inſtitui.

Quod dicebatur de adminiſtratione Baptiſmi per Philippum, id refutatum eo, quod oſtenſum, Philippum iſtum fuiſſe vocatum ad munus Evangeliſtæ. Addimus ultimo, doctrinam hanc Adverſariorum, confuſionem ſummam in Eccleſiam introducturam, ſi reciperetur. Si namque vocatione opus non eſſet ad docendum publice, ſi non opus examine, quod tamen urget Spiritus Sanctus in Epiſtola ad Timotheum, ſi etiam rudes & ignari docere poſſunt, tum expectanda talis confuſio, qualis fuit Monaſterii, apud Anabaptiſtas, ubi quilibet pro ſuo beneplacito docebat.

FINIS LIBRI QVARTI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

LIBER QVINTVS.

CAPUT PRIMUM.

De Deo Glorificatore.

Reſtat ut agamus de Deo Glorificatore; cujus effectum eſt Glorificatio.

Glorificationis conſideranda Antecedentia; Ipſa Glorificatio; & Oppoſita.

Antecedentia duo ſunt: Reſurrectio mortuorum, & Extremum Judicium.

Reſurrectio eſt vel Chriſti, vel noſtra.

Reſurrectio Chriſti conſideratur vel ipſa, vel ipſius conſequens.

De Reſurrectione Chriſti hic Canon:

Chriſtus ſe ipſum ſuſcitavit ex mortuis.

Nolunt hoc concedere Adverſarii, ne cogantur in Chriſto duas concedere naturas, Divinam ſcilicet & humanam; Idcirco ad argumenta quædam noſtra reſpondent, quædam ne attingunt quidem.

Argumentum noſtrum I, ex, *Ioan.* 2. 19. *Diſſolvite templum hoc*, &c. Unde argumentum tale: Chriſtus ſe dicit expreſſe ædificaturum, quod illi erant deſtructuri. Ergo Chriſtus aperte dicit, ſe à mortuis ſe revocaturum ſecundum diverſas naturas, humanam ſcilicet à Divina revocandam, & à Judæis deſtructam reædificandam. Hic, inquiunt, vox Græca ἐγείρω ſignificare poterit *erigam*, ut ſenſus ſit, Chriſtum à Deo excitatum, ex mortuis ſuum corpus erexiſſe. Deinde, inquiunt, ſi quis obſtinate vocem urgere velit, is animadvertat, quid Jeſus alibi dicat, eum, qui perdit animam, vivificaturum eam, *Luc.* 17. 33. Ubi ſi quis inſiſtere velit iſtis verbis, eum colligere oporteret, credentes etiam ſe vivificaturos, & à mortuis excitaturos. *Reſp.* Utrumque hoc nihil facere ad rem. Nam Judæi petunt ab ipſo, ut ſignum aliquod oſtendat, ſive miraculum patret; Chriſtus reſpondet, à ſe tale miraculum factum iri, quod templum, quod illi deſtructuri erant, intra triduum ſit reædificaturus. At quid miraculi ſit ab homine, ſi excitatur, aut excitatus ſurgit? item, quid eſt miraculi, vivificare animam eo modo, quo eam dicitur vivificare, qui eam perdit? certe hoc pacto miracula nunquam ceſſabunt. Nam nunquam deerunt, qui propter Chriſtum animam perdere non recuſabunt.

II Argumentum eſt ex Joan. 10: *Habeo poteſtatem animam meam*, &c. *Excipiunt* Sociniani in Catech. Rakov. pag. 228: *Ea oratio*, inquiunt, *non efficit, Chriſtum mortuum aliquam virtutem in ſe habuiſſe, qua ſeipſum excitaturus erat; cum & de credentibus legamus, illis datam poteſtatem, ut filii Dei, id eſt, immortales, fierent: licet hoc certum ſit, Deum ipſos, donata immortalitate, filios ſuos effecturum. Reſp.* Ineptam eſſe iſtam enſtaſin, nec ad rem quicquam facere. Nam *Ioan.* 10 agitur de *poteſtate activa*; Joan. 3, quod illi pro enſtaſi adferunt, de *poteſtate paſſiva*. Atqui enſtaſis ſemper debet eſſe ejuſdem generis, ſi quid efficere debeat. 2. Nugantur in eo, quod τὸ *filios Dei* interpretentur per *immortales*; Verboque Dei repugnant. Nam 1. ſi filii Dei primum ſimus, cum immortales evadimus, quod futurum poſt extremum judicium, tum non poterimus hic filii Dei eſſe. Atqui ſecus teſtatur, *Rom.* 8. *v.* 16. 2. Non poſſemus Deum hic pro Patre habere. Nam ſi hic non ſimus filii, ille nobis Pater non eſt; nec eum quotidie nomine Patris in Oratione, quam Chriſtus nobis dicendam præſcripſit, compellare poterimus. At abſurdum hoc eſt, ut paſſim, ita Gal. 4. 6, 7: *Quoniam autem eſtis filii, emiſit Deus Spiritum Filii ſui in corda veſtra, clamantem Abba*, id eſt, *pater. Itaque non amplius es ſervus, ſed filius*, &c.

III Argumentum, quod illi omiſerunt, petitur ex *Rom.* 1; Ubi Chriſtus dicitur *declaratus Filius Dei potenter, per reſurrectionem ex mor-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

mortuis. Jam ſi Chriſtus ipſe ſe non ſuſcitavit, quomodo potuit declarari Filius Dei, ex hoc quod reſſuſcitatus? certe & nos reſſuſcitabimur; neque tamen hæc Oratio poterit de nobis verificari, quod ſimus declarandi filii Dei potenter per reſurrectionem. *Obj*. Chriſtum ſe ipſum non ſuſcitaſſe, ex *Eph*. 1. 19, 20. *Act*. 5. *v*. 31. *Rom*. 4. 24. *Rom*. 8. 11. *Reſp*. Vana eſt iſta exceptio. Deus Pater excitavit Chriſtum; Ergo Chriſtus ſe ipſum non excitavit. Nam non dicitur excluſive Deus Pater excitaſſe Chriſtum. Quia clariſſime oſtenditur, ut argumenta noſtra docent, Chriſtum ſe ipſum excitaſſe.

Chriſtus in eodem corpore, in quo paſſus, reſurrexit, & in cælum aſcendit.

Sociniani nolunt hoc concedere; eo quod, ſi hoc dent, dent quoque oportet, corpora noſtra, in quibus viximus, reſſuſcitanda, & glorificanda; quod tamen nolunt concedere. Probamus autem ſententiam noſtram: 1. Ex hiſtoria aſcenſionis Chriſti, *Act*. 1. 9; Ubi in eodem corpore, diſcipulis aſpicientibus, dicitur elevatus, & nubes eum abſtuliſſe ab oculis eorum. 2. Quod Chriſtus etiamnum dicatur eſſe ex ſemine Davidis, *Rom*. 1, & ex patribus ſecundum carnem. 3. Quia eum Spiritus Sanctus etiamnum vocat fratrem noſtrum, quia particeps factus carnis, ſicut & nos, *Hebr*. 2. At, ſi in eodem corpore non aſcendit, non poteſt amplius vocari frater noſter, ſed fuiſſe quondam frater noſter, non eſſe amplius; ceſſante namque cauſa denominationis, ceſſat ipſa denominatio. *Objicit* Socinus, ex 10. 5: *Ingrediens in mundum*, &c. En, inquit, loquitur primo de mundo futuro, deinde de corpore, quod ipſi adaptatum tum, cum ſacrificium oblaturus eſſet. Atqui Sacrificium obtulit non in terra, ſed in cælo. Prius probat, *Hebr*. 2. *v*. 5. Ubi dicit Spiritum Sanctum loqui de mundo futuro. *Reſp*. Ineptiſſima omnia. Nam nulla ratio eſt, cur, *Hebr*. 10, intelligatur mundus futurus; imo ratio eſt, cur non intelligi debeat. Nam quotieſcunque mundus abſolute ſumitur, nec circumſtantia ulla ſuadet reſtringendam eſſe vocem mundi, toties mundus proprie capitur. 2. Retorquemus, quia agitur de corpore, quod ſacrificaturus erat; & vero ſe ipſum obtulit in his terris, ut ſuperius clariſſime oſtendimus. Ergo agitur de hoc mundo, & corpore, cujus hic particeps factus.

CAP. II.

De Reſurrectionis noſtræ antecedente.

SEquitur reſurrectio noſtra; Cujus conſideratur vel Antecedens, vel Ipſa, vel ejus Connexum.

De Antecedente hic Canon obſervandus:

Animæ à ſeparatione corporum ſuperſunt, vivunt, & quidem cæleſti gloria fruuntur; impiæ ſentiunt cruciatus infernales.

Negant hæc omnia Sociniani, & quidem Socinus ipſe, in Epiſt. ad Joan. Volkelium, pag. 439, his verbis: *Id mihi videtur ſtatui poſſe; poſt hanc vitam animam hominis non ita per ſe ſubſiſtere, ut præmia nulla pœnaſve ſentiat, vel etiam iſta ſentiendi ſit capax; quæ mea firma opinio poteſt facile ex iſta diſputatione colligi.* Smalcius autem addit contra Smiglecium: *Animam ſeparatam à corpore nil ſentire; quia per inſtrumenta ſentit.* Et, de invocatione Sanctorum, *quomodo invocandi non ſint*. At nos dicimus, ſententiam iſtam plane eſſe erroneam. Prius membrum probamus, quod nimirum animæ ſuperſunt à morte;

I. Ex Eccleſ. 12: *Corpus redit in terram, unde ſumptum: ſpiritus autem redit ad Deum, qui dedit eum. Obj*. At omnes ſpiritus redeunt ad Deum; atque adeo etiam mali ſpiritus redituri eſſent, & conſequenter, ſalvarentur. *Reſp*. Omnis ſpiritus redit ad Deum, non autem eadem ratione. Vel enim redit ad Deum in Chriſto nobis *reconciliatum*; atque adeo ad *Deum*, qui eſt ipſis in *Patrem*, 2 Corinth. 6. 18: vel ad Deum *judicem*, ut malorum hominum animæ redeunt.

II. Matth. 10. v. 28: *Ne metuite vobis ab iis, qui corpus*, &c. Si ergo interempto cor-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

pore anima non poteſt interimi; Ergo ſupereſt à morte.

III. *Col.* 1. 20; Ubi dicuntur reconciliati quidam eſſe in cælis. At hi ipſi non potuerunt eſſe Angeli; Ergo pii, ſive piorum animæ. Plura non addimus ratione hujus membri, etſi infinita poſſent.

Jam quæ ratio eſt piorum, eadem etiam impiorum, id eſt, ſi animæ piorum ſuperſint, Ergo etiam impiorum ſuperſunt. Quanquam præter hoc de impiis etiam teſtatur Spiritus Sanctus, quod ſuperſint à morte, ut de Juda, *Act.* 1. 25, quod abierit in locum ſuum: item de illis impiis, qui tempore Noæ vixerunt, quos Spiritus Sanctus dicit eſſe in carcere, 1 *Petr.* 3. 19; quod ſi in carcere ſunt, utique ſuperſunt. Quod ad ſecundum Canonis membrum, quod ſcilicet animæ vivant, hoc patet, ex Matth. 22: *Deus, non eſt mortuorum ſed viventium, Deus.* Patet hoc idem, ex *Matth.* 17; Ubi Moſes mortuus apparuit Chriſto, & cum ipſo loquutus eſt.

Quod denique animæ poſt mortem fruantur felicitate æterna, aut ſentiant cruciatus, certum eſt. Et quidem de felicitate clariſſimus eſt locus, Apoc. 14. 13: *Beati mortui,* &c. Quoniam τὰ ἔργα αὐτῶν ἀκολουθεῖ μετ᾽ αὐτῶν. Ubi notandum, ab omnibus Grammaticis iſta, μετ᾽ αὐτῶν ἀκολουθεῖ, explicari, non per *ſequi*, ſed *incedere cum eis, comitari eos.* Vide elegantiſſime hac de re diſſerentem Joann. Reinoldum in *Cenſura librorum Apocryphorum*; ita ut ſenſus hujus loci ſit futurus: Beati mortui, quoniam ſtatim ac mortui ſunt, accipient mercedem deſtinatam eis. Huc pertinet illud, Act. 15: *Credimus, nos per gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti ſalvatum iri, ſicut & illos.* Facit & ad hoc ipſum probandum locus *Matt.* 8. 11: *Multi ab oriente,* &c. Spiritus Sanctus enim per diſcubitionem illam, intelligit beatitudinem cæleſtem; ut patet ex *Luc.* 16. Colligitur autem ex textu, Abrahamum, Iſaacum, &c. jam diſcumbere, id eſt, frui æterna felicitate. Nec omittendus fuerit latro iſte, qui cum Chriſto pendebat in cruce, & cui Chriſtus promiſit, quod eodem die eſſet cum ipſo in Paradiſo futurus, *Luc.* 23. Ad hunc locum ridicule regerunt Adverſarii, Chriſtum ita dixiſſe: *Amen, amen, dico tibi* hodie, *mecum eris in Paradiſo*; ſubintellige *aliquando.* At abſurdi iſti homines oſtendant nobis, cum Chriſtus toties iſta aſſeveratione utatur, *Amen, amen, dico,* &c. cur nunquam adjiciat vocem iſtam *hodie?* certe ratio eſt, non fuiſſe illa opus, quia nulli non notum erat, hoc ipſum eo die dicere. Sed præter hoc, textus ipſe refellit. Nam Chriſtus reſpondet ad latronis *quando*; ut, cum ille petit, *momento quando veneris*; Chriſtus reſpondet, *hodie eris.* Accedit ad hoc, quod oporteat etiam ipſos ſtatuere de Chriſto, quod anima ejus non ſuperfuerit, nec vixerit, nec ulla felicitate gaviſa ſit. Et hæc quidem de gaudio ac felicitate animarum. Sed etiam,

Jam videndum, an animæ impiorum ſentiant cruciatus. Clariſſime vero hoc evincitur ex *Iudæ* verſ. 7: *Sicut Sodoma & Gomorrha propoſitæ ſunt in exemplum ignis æterni pœnas ſuſtinentis.* Porro ad argumenta Socinianorum hic nobis reſpondendum foret; quod antequam fiat, fundamentum hujus aſſertionis evertendum eſt. Quod ſcil. animæ à corpore ſeparatæ nil ſentire poſſint. Sed ſi res ita habet, tum certe iſta Pauli, 2 *Cor.* 12, plane vana ſunt; ubi Paulus dubitat, fueritne in corpore, an extra corpus, dum eſſet raptus in tertium cælum, & ibi audiviſſet ineffabilia. Nam ſi anima extra corpus nil ſentire poteſt, jam hoc certum erit, Paulum non fuiſſe extra corpus. Oportebit ergo hic Paulum ignoraſſe, quod Sociniani jam ſciunt, animam ſeparatam à corpore nil ſentire, ac proinde hæc ex ignorantia loquutum eſſe.

Obj. I: 1 *Cor.* 15. 16: *Si in hac ſolum vita ſperamus in Chriſtum; miſerrimi omnium hominum ſumus.* Unde urgent Adverſarii, & inquiunt: Quorſum reſurrectione opus, ſi ante reſurrectionem beati? Quomodo tanta eſt hominum Chriſtianorum miſeria, ut omnium miſeriam ſuperet; ſi verum eſt, eos in requie eſſe, dum alii torquentur, & miris modis cruciantur? *Reſp.* Diſputatio illa accipienda non tantum de ultima reſurrectione, qua ex reſurrectione recipimus corpora incorruptibilia, ſed de vita, quæ nobis ſupereſt poſt

hanc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

hanc mortalem vitam, quam nomine reſurrectionis in Scriptura venire uſitatum eſt. Cum namque dicitur, Sadducæos negaſſe reſurrectionem, non refertur ad corpora, ſed ſimpliciter dicitur, ex eorum opinione, nihil ſupereſſe homini poſt hanc mortem; cujus rei argumentum eſt probabile, quod omnia, quibus ibi ſententiam ſuam aſtruit Paulus, uno verbo elevari poterant, ſi reſponſum eſſet, animas quidem vivere, corpora vero, quæ in pulverem converſa, reſſuſcitari non poſſe.

Obj. II. Si animæ fruuntur à morte felicitate æterna, tum utique inſigni injuria affecti ſunt homines, qui in Domino obdormiverunt, & interim ab eo revocati ſunt in vitam. Nam, quod majus incommodum poteſt accidere alicui, quam eum, qui erat in ſtatu feliciſſimo, iterum revocare ad miſerias? Reſſuſcitatos autem multos pios, notorium eſt; Lazarus, *Ioan.* 11; Tabitha, *Actor.* 9. *Reſp.* negando conſequentiam. Quia illi, qui ex Voluntate Dei dependent, gloriæ Dei ſervientes, quidvis ſufferre parati ſunt cum alacritate, quod ipſis imponere Deo viſum. Atqui non tantum tranquilla perferunt, ſed etiam turbulenta & cruces, *Act.* 5. *v.*41. Antequam ad alia veniamus, fontem aperiemus, ex quo fluit error. Eſt autem hic, quod ſtatuant, animam eſſe craſin corporis. Nam ſi craſis eſt, certe ſeparata à corpore interit. Ad hoc autem, quod craſin ſtatuunt, hac ratione inducuntur. Cum dicimus, Deum eſſe ubique, & eſſe totum ubicunque ſit; ſive potius, cum dicimus, Deum eſſe ἀμέριστον, negant, ullam eſſe ſubſtantiam talem: cum dicimus, animam rationalem eſſe talem, etſi ſit finita; negant, & dicunt, ne ſubſtantiam quidem eſſe, ſed craſin corporis.

CAP. III.

De Reſurrectione ipſa.

Sequitur ipſa Reſurrectio. De qua ſunt hi Canones:

I. *Alia eſt cauſa reſurrectionis electorum; alia, reproborum.*

Socinum hoc ipſum in errorem duxit, quod non intellexerit iſtam diſtinctionem; ita ut negaret, impios reſurrecturos. Nos breviter demonſtrabimus, quod Canon dicit. Reſurrectionis ergo impiorum cauſa eſt decretum Dei, juxta illud, *Hebr.* 9. 27. Piorum autem, præter hoc decretum, cauſa ſpecialis eſt reſurrectio Chriſti. Vide hac de re, 1 *Cor.* 15. *v.*17, 18, 19,&c. Sive, ut alii diſtinguunt, reſurrectio eſt vel *ad vitam*, & illius cauſa, præter decretum, eſt reſurrectio Chriſti; vel *ad mortem*, & illius cauſa eſt decretum tantum. Vide Bucanum.

II. *Reſurrecturi non tantum pii, ſed etiam impii.*

Negat hoc Socinus; ſed hoc pacto Atheïſmo feneſtram aperit. Certe Spiritus Sanctus teſtatur, ita rem habere, 1 *Cor.* 15. 32: *Edamus, bibamus*, &c. 2. Si comparebunt in judicio omnes impii, & ibi judicabuntur, tum oportet reſurgant; Sed verum prius; Ergo & poſterius, 2 *Cor.* 5. *Matth.*25. & paſſim. Sed *excipiunt*: *Qui non credit, jam condemnatus eſt*. Ergo non erit neceſſe, ut talis iterum judicetur. *Reſp.* Judicium duplex: *inchoatum*, & *conſummatum*. Inchoatum hic, conſummatum in extremo die. Vel, ut alii diſtinguunt, inter judicium *particulare* ac *occultum*, quo quiſque in particulari judicatur; & *univerſale* ac *manifeſtum*, quo omnes & ſinguli judicabuntur. Diſtinctio iſta probatur ex eo, quod, etſi Scriptura dicat, hic judicatos eſſe, qui non credunt in Chriſtum; docet tamen, eoſdem judicatum iri omnes & ſingulos à morte, *Hebr.* 9. 3. Probatur hoc ipſum, quia Scriptura expreſſe dicit, condemnatum iri reprobos una cum corporibus ſuis, 2 *Cor.* 5. *v.*20. Si ergo condemnabuntur cum corporibus, oportet reſurgant. *Excipiunt* Adverſarii, & dicunt: Imo dicuntur morte æterna morituri; quomodo ergo poterunt reſurgere? Nam hæc contradictionem implicant, morituros morte æterna, & tamen reſſuſcitatum iri. *Reſp.* Non intelligere ipſos, aut non velle intelligere. Nam mors æterna eſt ſeparatio à communione Dei, & abjectio in æternos cruciatus; hæc vero conſiſtere po-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

poteſt cum corporum reſurrectione. Cauſa erroris Socini hæc eſt, quod cauſam reſurrectionis unicam & ſolam omnium hominum putet eam, de qua, 1 *Cor.* 15, *à verſu* 12, *ad* 20.

III. *Reſurrecturi omnes in iiſdem corporibus, in quibus vixerunt, & in quibus mortui ſunt.*

Negant Sociniani. Nos ſententiam noſtram primo probabimus; tum ad argumenta ipſorum reſpondebimus. I Argumentum petimus à Corpore Chriſti. Chriſtus in eodem corpore reſurrexit, & in cælum aſcendit, in quo mortuus. Ergo & nos in eodem corpore reſurrecturi ſumus. Conſequentiam admittunt Adverſarii, ſed antecedens negant, quod ſuperius à nobis probatum. II, ex *Iob.* 19. Ubi Hiob expreſſe dicit: In *carne mea* videbo Deum,&c. Si in carne ſua, is qui eſt, tum certe eadem caro; nec enim homo eſt, ſi animam tantum habeat, & non corpus: Cum hic homo non ex anima tantum, ſed etiam ex hoc corpore conſtet. III petimus ex 1 *Cor.* 15. Oportet corruptibile *iſtud* induere, &c. Manebit ergo idem corpus, ſed mutabuntur qualitates. IV, 2 *Cor.* 5, ubi dicitur, quod reportabit quili bet, quæ geſſit in corpore. Juſtitia ergo Dei requirit, ut idem corpus reſſuſcitetur, & idem corpus vel æternæ gloriæ, vel ignominiæ particeps fiat.

Obj. I. 1 Cor. 6. 13: *Eſca ventri, & venter eſcis: Deus autem & hunc & eas abolebit.* *Reſp.* Non quoad ſubſtantiam, ſed quoad uſum. *Inſt.* Atqui eo pacto abolebitur venter, quo eſcæ, quia de hoc utroque eadem vox abolendi uſurpatur. *Reſp.* Falſa hypotheſis præſupponitur, quaſi vero eadem vox, in eodem contextu, non poſſit de diverſis rebus, diverſo etiam ſignificatu, venire. En enſtaſes, Joël.2: *Scindite corda, & non veſtimenta veſtra.* Item, Thren. 3.v.41: *Attollimus animas, & manus noſtras.* Urgebis porro. At quis finis ventris & aliorum membrorum? *Reſp.* In genere, ut corpus conſtituant, & una cum reliquis membris totum efficiant. 2. In ſpecie utut dare non poſſimus, quin tamen futurus ſit, nulli dubitamus. Sunt namque fines alii occulti, alii manifeſti. Vide hac de re *Keckermannum*, *in doctrina de Providentia.* Et, dum Adverſarii quærunt, quis finis? non melius illis reſpondetur, quam ſi quæras, quis finis ventris Corporis Chriſti à morte erat?

Obj. II. Ex 1 Cor. 15: *Caro & ſanguis*, &c. Si ergo caro non poſſidebit; Ergo non reſſuſcitabitur hæc eadem. *Reſp.* Carnem accipi vel pro altera parte noſtri eſſentiali, vel pro corruptione & depravatione naturæ. Quæritur, quomodo hoc loco accipi debeat? Nos dicimus, in poſteriori ſignificatione; & probamus hoc, quia, ſi accipi deberet in priori ſignificatione, tum Chriſtus quoad carnem non eſt in cælis: Quomodo ergo vera iſta erunt, *qui eſt ex ſemine David ſecundum carnem*, Rom. 9. v. 5: Item illud Jobi, *In carne mea videbo Deum*, &c?

Obj. III. Abſurditas ſequitur ex eo, ſi corpora noſtra eadem reſurrectura. Nam ſi homo hominem comedat, quod uſuvenit in anthropophagis, in reſurrectione cujus corpus erit hoc, quod comeſtum eſt? Si ejus qui abſumptus ab altero; Ergo ille qui abſumpſit, deſtituetur ſuis partibus. Nam qui erat abſumptus, converſus erat per alimentum; ut in partes abſumentis, ita & in corpus ipſius. Si dicatur, illius qui abſumpſit, tum jam ille, qui abſumtus eſt, deſtituetur ſuis partibus & ſuo corpore. Hoc argumentum ipſi magni faciunt, cum tamen nullius ſit momenti. Nam, 1. *Reſp.* Erit quidem ejus qui abſumptus eſt, neque tamen deſtituetur integro ſuo corpore, qui abſumpſit. Non aliter ſane ac manci, claudi, reſſuſcitabuntur corpore integro, etſi dum vivi eſſent, neque manus, neque pedes, habebant. 2.*Reſp.* Philoſophice, quia hoc argumentum ex Philoſophia depromptum videtur, diſtinguendo inter partes *conſiſtentes*, & *diffluentes*. Partes diffluentes illæ ſunt, quæ per calorem nativum abſumuntur, ita ut oporteat, quoad has, reſtaurari corpus per alimentum. & hæ non ſunt de natura corporis. Conſiſtentes illæ ſunt, quæ de natura ſunt. Eſſe autem tales partes probant Philoſophi, cicatrice impreſſa infanti, quæ durat etiam in ſenili ætate; quod non fieret, niſi aliquæ eſſent partes, quæ perpetuo manerent

rent

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

rent in homine. Ac proinde, cum illud, quod in alimentum cedit alteri, reparet partes diffluentes, partes iſtæ non erunt de ipſius natura, ac proinde poterunt abeſſe, & ille tamen fieri integer.

Fundamentum ſeu τὸ πρῶτον ψεῦδος iſtius ſententiæ eſt, quod putent Adverſarii, oculis nos viſuros Deum in cælis immediate. Unde, inquiunt, oportet non tales fore oculos, ac proinde non tale corpus. Sed ſententia hæc à nobis refutata eſt in doctrina de infinitate Dei.

CAP. IV.

De Reſurrectionis connexis, & quidem primum de immutatione ipſorum momentanea, quos dies Domini vivos repertura eſt.

SEquitur connexum reſurrectionis; quod eſt, immutatio ipſorum momentanea, quos dies Domini vivos repertura eſt. De hac ſunt hi Canones:

I. *Hæc immutatio non eſt futura mors.*

Expreſſe enim Spiritus Sanctus hanc immutationem à morte diſtinguit, 1 *Cor.* 15. *v.* 51. Et hoc eſt maximum contra Socinianos pro reſurrectione. Nam ſi illi, quos dies Domini inventura vivos, non ſunt morituri; & aliqui ipſorum ſalvandi ſunt: Ergo etiam in corporibus iiſdem, in quibus vixerunt, ſunt futuri participes regni cælorum. *Obj.* Hebr. 9: *Statutum eſt omnibus ſemel mori.* Si eſt ſtatutum; Ergo omnino omnes morientur; quandoquidem ſtatutum hoc eſt Divinum. *Reſp.* Statutum eſt omnibus ſemel mori, cum conditione, niſi forte, ab hac ſorte aliquos eripere decrevit. tales autem fuerunt Elias, Enoch, & hi ipſi, quos Dominus in adventu ſuo vivos inventurus eſt.

II. *Mutatio hæc præcipue ſpectat fideles; impios tamen etiam ſpectat.*

Præcipue ſpectat fideles, quia dicuntur hi ipſi, qui immutabuntur, rapiendi in occurſum Chriſto, ut cum Chriſto ſemper ſint, 1 *Theſſ.* 4. *v.* 17. Interim etiam mutatio obtinget in damnandis. Nam cum antea mortales fuerint, futuri ſunt malo ſuo immortales, ut cruciatibus æternis ſubjici queant.

CAP. V.

De Reſurrectionis connexo altero, videl. Extremo Judicio.

FUit primum Reſurrectionis connexum; ſequitur alterum, quod eſt Extremum Judicium. De quo hi Canones:

I. *Locus judicii partim futurus in terra, partim in aëre; in terra quidem futuri reprobi, in aëre fideles.*

Et hæc doctrina tota oppoſita eſt Socinianis, qui nolunt concedere, ut audivimus, improbos reſurrecturos. Nam ſi in Judicium omnes venient, quomodo non reſurrecturi? Venturos autem in Judicium patet, ut ex aliis multis, ita Eccleſ. 12. 1: *Lætare juvenis*, &c. *Sed cognoſce, te propter hæc omnia in Iudicium*, &c. Quod vero diximus, reprobos judicatum iri in terra, patet, *Matt.* 24, ubi dicit Spiritus, quoſdam raptum iri, quoſdam relictum iri. De fidelibus vero, quod in aëre futuri, inde evincitur, quod in occurſum Chriſti rapiendi ſint, ut unà cum ipſo maneant, 1 *Theſſ.* 4. 17. *Obj.* Fideles non judicatum iri, quia ſcriptum eſt, Joan. 5. *Qui credit ei qui miſit me, habet vitam æternam, & non veniet in judicium*, &c. *Reſp.* Judicium duplex, *abſolutionis*, & *condemnationis.* Non venient in judicium *condemnationis*, ſed venturi in judicium *abſolutionis.* Alioqui, quomodo verum eſſet, quod omnes ſiſtemur ad tribunal Chriſti? item quod unuſquiſque reportaturus eſt, quæ fecerit in corpore, ſive bene, ſive male; 2 *Cor.* 5.

II. *Quia etiam juſti in judicium ve-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

nient, idcirco locus futurus miſericordiæ etiam in extremo judicio.

Paulus, 2 *Tim.* 1. 11, precatur, ut Oneſiphorus miſericordiam inveniat apud Deum in die illo. Hoc item contra Socinianos eſt & Pontificios. Contra Socinianos: Quia, ſi aliqui tum reperient miſericordiam; Ergo non omnes; Ergo erunt aliqui qui condemnabuntur. Contra Pontificios: Solent enim hi argumentari ex *Matth.* 12; Ubi dicit Chriſtus, peccatum in Spiritum Sanctum non remiſſum iri, nec in hoc, nec in futuro ſeculo. Ergo, inquiunt, erunt aliqua peccata, quæ remittentur in futuro ſeculo. Noſtri reſpondent ad hoc: Ex duabus negativis inepte elici concluſionem affirmativam. Vide Martyrem in Locis Communibus docte hac de re præcipientem. 2. Dato hoc, quod Adverſarii volunt, in extremo judicio fore locum remiſſioni peccatorum; Dicimus, diſtinguendo, non ut tum demum *fiat*, ſed ut, quæ facta hic, ibi *declaretur*. Namque hic accipimus remiſſionem peccatorum per fidem, ita ut ex eo fidelibus nulla ſit condemnatio, *Rom.* 8. 1.

III. *Iudicabit Chriſtus, & judex futurus eſt, & quà homo & quà Deus: quà Deus*, efficienter; *quà homo*, approbative.

Dicitur de Chriſto, quod judicaturus, qua homo, approbative. *Obj.* Dicitur hoc idem de piis hominibus, *Matt.* 19: & 1 *Cor.* 6. *Reſp.* differre iſta. Nam Chriſtus judicabit approbative ita, ut ſententiam ſit prolaturus; ſancti ita approbative judicabunt, ut agnituri ſint juſtitiam Dei in condemnatione impiorum, & ex eo ipſum glorificaturi; non autem quod ſententiam aliquam prolaturi ſint. Socinus valde abſurdus eſt circa hoc ipſum, & inquit: Deum neminem judicaturum, quia dicitur, *Non judicabit quenquam*, Joan. 5. Socinus videtur hoc ipſum fateri in inſtitutione Chriſtianæ religionis, pag. 92: *Caute*, inquit, *verba iſta ſunt intelligenda, ut ſcilicet non intelligamus, Deum poteſtate & munere judicandi ſe exuiſſe, ſed tantum quod per Filium iſta exerceat.* Sed repugnat ſibi, pag. 95. Ubi inquit blaſpheme, quod Chriſtus in honoratiori loco ſedit, quam ipſe Deus; verba ejus hæc ſunt: *Chriſtus ſedet in honoratiori loco quam Deus; ſecundum quid ſcilicet, quatenus jam non & ipſe Deus in perſona ſua, ſed Chriſtus Eccleſiam gubernat, & in ea ſua exercet judicia. Nam & Paulus Apoſtolus de Chriſto ita loquitur, ac ſi Deo nunc Chriſtus ſubjectus non ſit, ſed ipſe loco Dei regnet.* Repugnat, inquam, ſibi hic Socinus. Nam ſi Deus per Chriſtum judicat, quomodo Chriſtus honoratiori loco? Nam, nonne ille qui agit aliquid per alterum, honorato magis loco, quam ille per quem agit? natura rerum falſitatem oſtendit. Deinde ineptus eſt, quod, Chriſtum purum hominem exiſtimans, putat, honoratiorem eſſe Deo ulla ratione. Nam ſi Chriſtus pura creatura eſt, ejuſdem honoris capax non eſt cum Deo, nedum ut ſit Deo honoratior. Honor enim vel *religioſus* eſt, qui non competit niſi ſoli Deo, *Gal.* 4. *Apoc.* 19: vel *civilis*, qui tanto inferior eſt honore religioſo, quanto inferior creatura Deo. Tertio, putat, regnum mediatorium adminiſtrare puram creaturam; quod eſt falſiſſimum. Nam 1. qui regnum hoc adminiſtrat, oportet immediate adminiſtret, quoad regimen internum, ubi nullum vicarium adhibere poteſt. Oportet ergo ut omnibus adſit. 2. Qui regnum hoc adminiſtrat, oportet dominetur conſcientiis. At hoc nemo poteſt, niſi Deus; utpote cum nemo ſit, qui ſciat, quæ cogitatio homini, præter ſolum Deum; quo ſolo etiam diſtingui vult ab omnibus creaturis, dum ſibi hoc attribuit, tanquam proprium, quod noverit corda, *Ierem.* 23.

CAP. VI.

De Glorificatione.

Glorificatio ſpectatur vel ipſa, vel ipſius oppoſitum. Ipſa ſpectatur, vel ratione noſtri, vel ratione Chriſti.

De Glorificatione Chriſti ſunt hi Canones.

I. *Sociniani putant, glorificationem Chri-*

Chriſti conſiſtere in ſumma poteſtate, quam adeptus eſt à morte; ob quam etiam dicunt eum vocari Deum. Hanc poteſtatem poſt extremum judicium dicunt reſignaturum Patri, nec illam ipſam retenturum.

Adducunt ad hoc probandum, 1 *Cor.* 15, *Tradet regnum Patri.* Qui locus quomodo accipi debeat, dictum à nobis ſæpius. Nunc hoc ſaltem velim animadvertatur à Theologiæ ſtudioſis, illos ſtatuere, Chriſtum non perpetuo Deum futurum, ſed tantummodo ad tempus Judicii. Nam ſi propter poteſtatem & regnum, ut Socinus vult, ſit Deus eo uſque; Ergo Deus futurus eſt, donec poteſtatem ſit habiturus. Depoſita autem poteſtate (quam ſtatuunt depoſiturum Chriſtum), ceſſabit etiam illa nomenclatura, quod Deus vocetur, atque adeo tum temporis non erit Deus. Hæc ex mente Socinianorum. Unde videre licet, cujuſmodi Deum ex Chriſto fabricent.

II. *Statuunt, Chriſtum ſibi meritum eſſe glorificationem, ex* Phil. 2. 9.

Sed falluntur. Nam 1. Ut Chriſtus non propter ſe venit in mundum, ſed propter nos, ita etiam nil ſibi meritus eſt. 2. Textus refellit ipſos. Nam additur ἐχαρίσατο, *donavit.* Donum autem & meritum ſunt incompatibilia. Sed urgent particulam διὸ, *propter. Reſp.* Particulam illam ſæpe non eſſe *cauſalem*, ſed *illativam*; hoc loco illativam eſſe, probatur ex æquipollenti, Luc. 24. v. 26, *Sed ipſi adegerunt*, &c.

De Glorificatione noſtri ſunt hi Canones:

I. *Glorificabimur non tantum in anima, ſed etiam in corpore.*

De anima concedunt Adverſarii; de corpore negant, ut quod reſurrecturum pernegant. At clariſſime Scriptura contrarium teſtatur, *Phil.* 3. *v.* 21. Iſtiuſque glorificationis ſpecies adumbrata quodammodo eſt in transfiguratione Chriſti, *Matt.* 17.

II. *In glorificatione iſta futuri ſunt gradus.*

Concedit hoc Socinus in Epiſtolis ſuis, pag. 535. Ubi præclara multa ſuper hac re ab ipſo ſcripta, à me ſaltem hic commemorantur eo fine, quod Sociniani, dum quibuſdam argumentis urgentur, impios cruciatum iri, eo quod dicantur magis cruciandi alii aliis; ſi autem omnes interirent more pecudum, dici hoc non poſſe; Reſpondent, Figurate hoc dici, quia in Inferno nulli gradus. Vide *Smalcii diſp. contra Franc. de extremo judicio.*

CAP. VII.
De damnatione.

Sequitur ultimo oppoſitum glorificationis, ſcilicet damnatio. De qua Canones:

I. *Reprobi æternum cruciabuntur ab extremo judicio.*

Negant Sociniani. Nos argumenta probantia proferimus. I. *Ioan.* 5. 29. Smalcius reſpondet ad hunc locum, eum eſſe allegorice intelligendum. Sed rationem nullam adfert Adverſarius, cur à proprietate verborum recedendum ſit. II. Ex Dan. 12. 2, *Hi ad vitam æternam, illi ad opprobria & contemptum æternum*; unde verba Chriſti, *Ioan.* 5, videntur deſumpta. *Smalcius reſpondet:* Imo vero hinc apparet, allegorice hunc locum eſſe intelligendum, de captivitate ſcilicet Babylonica. Quia iſta non dicuntur de omnibus, ſed de multis. Oportuiſſet autem dici de omnibus. *Reſp. Multi* aliquando accipiuntur pro *omnibus*, *Rom.* 5. *v.* 19, collato cum *verſ.* 18. Hoc autem loco *multos* debere accipi pro *omnibus*, ipſa ſubjecta materia oſtendit; quamvis poſſimus etiam concedere, *multos* ibi non accipi pro *omnibus*, quia ibi tantum de iis dicitur, qui mortui reſſuſcitabuntur. Atqui reprobi aliqui æternos cruciatus ſentient, qui nunquam mortui ſunt; quales ſunt illi, quos dies Domini inventura eſt. III. Ex Matth. 10: *Nolite timere eos*, &c. Reſpondet Smalcius, eſſe ſenſum hunc potius: Metuite hunc, qui corpus & animam in nihilum redigere poteſt. At ineptus Smalcius. Nam ſi hic ſenſus eſt iſtorum verborum, tum utique

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

hoc homines deſperati utraque manu amplecterentur: Imo hoc eſt, quod quærunt, ne ſuperſint; & eo ſibi manus inferunt violentas, quod putent, ſe non ſuperfore, adeoque ſe nullas moleſtias toleraturos. Sed & illud Chriſti, quod de Juda dicit, *Melius fuiſſet ut nunquam naſceretur homo iſte*, momenti nullius futurum eſt. Nam ſi non ſupererit à morte, quid erat opus voto, ne unquam natus fuiſſet, cum ſi à morte non ſuperſit, per mortem in ſtatum nihilitatis redeat, ac ſi nunquam natus eſſet? I V. *Matth.* 25, Chriſtus dicit: *Ite in ignem æternum*, &c. Smalcius hic neſcio quæ non diverticula quærit, ſed fruſtra contra textum clariſſimum, & explicationem ejus luculentiſſimam, *Apoc.* 14. *v.* 10, ubi τὸ *ite in ignem æternum*, explicatur per τὸ *& torquebitur igne & ſulphure, & fumus tormenti ipſorum aſcendet in ſecula ſeculorum*, &c. *verſ.* 11. V. *Matt.* 8. & *Marc.* 5. Ubi Diaboli alloquuntur Chriſtum ex hac cauſa, quod illos ante tempus venerit cruciatum, ubi tempus aliquod innuunt, deſtinatum ſuis cruciatibus; quod autem illud tempus ſit, ex Scriptura indagari non poteſt, præterquam illud, Matth. 25: *Ite in ignem æternum.*

II. *Diſcrimen erit inter hos cruciatus.*

Hic canon validiſſime probat priorem. Nam ſi interituri reprobi poſt extremum judicium penitus, cur ergo unus altero dicitur magis torquendus? Hæc profectò non poſſunt explicari ex mente Adverſariorum, ſine manifeſtis abſurditatibus. Ita enim eſſent explicanda, Magis unum interiturum quam alterum, & tamen omnes annihilatum iri. Numnam in annihilatione gradus dantur? In nihilo ergo dabuntur gradus; quod abſurdiſſimum. Dari autem gradus patet, ut ex aliis, ita *Matth.* 10. 15. & 11. 20, 21, 23, 24.

Nos jam hic finem facimus; Deum precati, ut Verbum ejus ſanctiſſimum currat, & eripiamur à protervis & ſceleratis nequam hominibus. AMEN.

FINIS.

IN-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

INDEX
Capitum, Rerum praecipuarum et Controversiarum ac Quaestionum Theologicarum In Maccovij ANTI-SOCINUM.

CAP: I. est
De Modo Disputandi cum Adversarijs in genere.

- Quomodo disputandum? . . . . p. 697.
  Non temere disputandum . . . . p. 697.
Non disputandum, ubi nulla causa impulsiva . . . p. 697.
Disputandum, quum ab adversario provocamur vel trahimur . . . . p 697
Non disputandum inconsultis alijs . . . . p. 697
Non disputandum nisi plures adsint, aut saltem aliqui testes . . . . p. 697
Consultum esse Disputationes haberi non tam voce quam Scriptis.
  Factum hoc esse in Colloquio Altenburgensi . p. 698.
  Item inter Reinoldum et Hartum . . . p. 698.
  Non tamen semper hoc fieri posse . . . . . Ibidem
Disputationibus interesse debere Moderatores, qui exorbitantes in ordinem cogere et compellere possint. Ibidem.
In privatis Colloquijs modeste agendum . . . . . Ibidem

CAP. II.
Officia Respondenti et Opponenti Communia.

Ad feliciter disputandum

1 Absente Adversario quisque se exerceat legendo et meditando . . . . . . p. 698.
2. In quovis genere Controversiarum Authores boni comparandi, et ijdem diligenter legendi . . p. 698.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

3 Legendo authores libellus conficiendus in quo certa
methodo controversiæ proponendæ. - - - - p. 69
4 In illo verò libellum non omnia argumenta, neque res-
ponsiones omnes conferenda, sed quæ intelliguntur optime,
quibusque videtur inesse robur - - - - - p. 69
5. Non versandum circa antiquas hæreses, sed circa novas. p. 69
6. In omni Controversia Πρῶτον ψεῦδος spectandum est. Ibidem
7. Omnia revocanda ad analogiam fidei - - - - Ibidem
8 Cætera argumenta, unde potissimum peti debeant
probè animadvertendum. - - - - - - Ibidem
Quæ cautiones adhiberi debeant cum iis qui V.
Test. rejiciunt. - - - - - - - Ibidem
9 In Disputatione Adversariorum thesis probè ex-
pendenda, et consideranda. - - - - - p. 699
1 Attendendum, an ipsorum hypotheses argumenta
quædam pro nobis suppeditent. - - - - Ibidem
2 Num una illorum hypothesis destruat alteram. Ibidem

CAP: III.

De Officio Opponentis.

Officium Opponentis in his consistit.

1. ut distinctè argumentum proponat. - - - - pag. 70
2. ut diligenter attendat ad genus respondendi. - p. 700
3. Agendum cum Respondente ut directè respondeat. Ibidem
quid sit directè respondere. - - - - Ibidem
Distinctio et limitatio quomodo differant. Ibidem
4 Urgendum ut Distinctio à Respondente ad argumen-
tum allata probetur, et popularibus verbis explicetur. Ibidem
5. Cavendum ne decipiamur distinctionibus adversariorum
solent enim illi confingere distinctiones, et vocum
ambiguitates. - - - - - - - - - Ibidem
6. Non sufficit probasse distinctionem, sed applicatio
quoque ad rem præsentem ostendi debet. - - - Ibidem

7. Videndum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

7. Videndum est etiam, annon distinctio impingat in aliquem Articulum fidei et praecepta moral. . . . Ibidem.
Lutheranorum inanes distinctiones. . . . . p. 701
8. Adversario aliquid negante, ratio negationis peti debet. . . . . Ibidem
9. Videndum Opponenti an thesis recte sit posita antequam eam oppugnet. . . . . . p. 701
Jesuitarum fraus in thesibus instituendis ponendis. . . . . Ibidem.

CAP: IV.

De Officio Respondentis.

Officium Respondentis hisce praeceptis munitur.

1. Attendenda 1o Conclusio Argumenti An bene et directe contra thesin opponatur. . . p. 702
2. Optime respondetur per instantiam. . . . p. 702.
3. Respondens Opponentem adigere debet ut argumentum verbis propriis, non impropriis concipiat. . . . . p. 702
4. Si per distinctionem ad argumentum respondere possit, nunquam per negationem respondendum. . . . p. 702.
5. Legendo authorem semper attendendum ad regulas et distinctiones theologicas. . . . . p. 702
6. Etiam applicatio quomodo fieri debeat probe perspiciendum.
7. Quoties inciderimus in distinctionem Patrum aut Scholasticorum, aut recentiorum Pontificiorum, quae cum Nostris conformis, et cum aliorum Pontificiorum pugnat, bene notanda. . . . . . . Ibidem
Augustinus quomodo intellexerit illud Pasce oves meas. . . . . Ibidem
Jesuitae Sa et Salmero quomodo explicent locum Eccles. 9. Nescit homo amore an odio dignus sit. . . . . p. 703.

Thomae.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Thomæ Mortoni Angli Apologia Catholica, cubi plures distinctiones adversariorum ipsorum doctrinæ repugnantes referuntur laudata . . . . p. 703

8 Ubi Versio dissentit ab Originali; Textus Originalis inspiciendus . . . . Ibidem

Jesuitæ sæpe linguarum Orientalium ignari . . Ibidem

9. Consequentia quoties, vel Major, vel Minor negatur ratio attendenda est . . . . Ibidem

10. Si ratio non facile occurrit Negandi tum sententia Orthodoxa loco aliquo Scripturæ probanda est . . . Ibidem

11 Videndum quodnam genus fallaciæ committatur ab adversario . . . . Ibidem

CAP. V.

De Modo Disputandi cum Socinianis In Specie.

Quædam concernunt Naturam ipsorum, de quibus hoc capite agitur.

Quædam vero Modum ipsorum Disputandi de quibus sequenti capite dicetur.

Quæ Naturam concernunt sunt vel Generalia, vel Specialia.

Generalia sunt.

Sociniani sunt 1.º Audaces in provocando . p. 703

Quodnam contra hoc malum sit remedium. Ibidem

Rudes ne disputent cum Socinianis. Ibidem

Exercitati vero sint intrepidi . . Ibidem

Quis pro exercitato sit habendus. Ibidem

2. Philosophicis potissimum utuntur in ijs quæ præcipua sunt . . . . p. 704

præcipua sunt quæ Deum attingunt. Ibidem

3. In ijs quæ Deum attingunt à voce communi procedere solent ad rem, ac si ea illa esset communis . . . . p. 704

Quomodo hic refellendi sint . . . . Ibidem

4. Ex Physicis male et fraudulenter sæpe argumentantur . . . . Ibidem

Quomodo tum refellendi . . . . . Ibidem

Specialia.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Specialia sunt.

Sociniani semper promtiores ad respondendum, quam ad opponendum. . . . . . . pag. 705.
2. Ad inusitatissimas significationes voces detorquent. . . . Ibidem.
Exemplo huius in loco Joh. 1. v: 1. 1 Tim. 3. v: 16 ostenduntur. . . . . . . Ibidem.
3. Ad allata Scripturæ loca semper in promtu habent exceptiones. . . . . Ibidem.
4. Per posse quomodo eludere omnia satagant Sociniani . . . . pag. 706.
5. petitionem principij Nobis exprobrant, quum ad hypotheses nostras recurrimus; sed male. . . Ibidem.
An quum Respondens ad hypotheses suas recurrit principium petat? . . . . . . Ibidem.
Sententia Smiglecij et Cameronis super hac quæstione proponitur. . . . . . . pa. Ibidem.

CAP. VI.

De Modo Disputandi cum Socinianis in Materijs particularibus.

1 Absurda Socinianorum notanda, et in numerato habenda . . . . pag. 707.
Absurda Socinianorum circa Deitatem Christi . . . . . Ibidem.
1. Christum Deum esse ex potestate non ex Natura . . . Ibidem.
2. Potestatem istam depositurum esse tempore suo, Christum probare nituntur ex 1 Cor. 15. . . . Ibidem.
Quomodo Absurda hæc refellenda sint. . . . . Ibidem.
1. An quis possit esse verus Deus, qui non sit Naturâ Deus? Ibidem.
2. An Verum tantum opponatur falso, et non etiam metaphorico seu figurato? . . . . Ibidem.
3. An raptus fuerit Christus in Coelum illo tribus quo aberat à parentibus, ut edoceretur in Mysterijs Dei? . . . Ibidem.
4. An illud quod de Christo dicitur, quod fuerit ante Abrahamum, verti debeat, antequam fiat Abraham, scil: pater Credentium? . . . . pag. 708.
5. An Christus sit Omniscius? Negant Sociniani. . . . . Ibidem.
6. An Creatio Mundi rectè Christo adscribatur? . . . Ibidem.
7. An Christus sit religiosè invocandus? et an ex invocatione illa eius Deitas rectè asseratur? . . . . pag. 709.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

8 An ex patratione Miraculorū rectè colligatur Deitas Christi? . . . . p. 7. 7[illegible]
10. Quid sit Sp. S. substantia-ne an accidens? . . . p. 71[illegible]
11. An ex æternitate Sp. S. rectè colligatur ipsius Deitas. . . . . . Ibid.
12. An Spiritus S. sit persona? . . . . . Ibide.
13. An quod Spir: S. sit persona rectè colligatur ex eo quod intellectu, et voluntate sit præditus? . p. 711
14. An ex eo quod Sp. S. invocetur, probari possit ipsius personalitas? . . . . . . p. 711
15. An Deus sit Infinitus? . . . . Ibide.
16. An Deus sit Simplicissimus? . . . . . . p. 712
17. An Deus sit æternus solus? . . . . . . Ibide.
18. An Deus habeat aliquid comune cum creatura præter nomen? . . . . Ibide.
19. An Deus sit immensus? . . . . p. 71[illegible]
20. An Justitia puniens Deo sit Naturalis? . p. 713
21 An Deus possit unum pro alio punire? Ibidem
22. An Satisfactio possit consistere cum Remissione peccatorū? . . . . p. 714
23. An Christus moriendo pro Nobis, non satisfecerit pro Nobis, sed in exemplum tantùm mortuus sit? . . . . p: 714

CAP. VII.

De Erroribus Socinianorum in genere

1. An Vetus Testamentum ita sit perfectum, quoad præcepta fidei, et morum, ut Novum Test.? . . . . . p: 715
2. An doctrina Evangelij, seu Evangelium fuerit in Vet. Testamento? . . . . p. 716
3. An Vita æterna quoque promissa et nota fuerit in V. T.? p. 717
4. An Veteres non tantùm temporales, sed etiam spirituales promissiones in Vet. Test. habuerint? . . . . p. 717
5. An Præcepta Decalogi sint completiora in N. Test. quàm fuerunt in Vet. Test? . . . . p. 718

6. An Christus Legem reformarit, aut correxerit? Math. 5. pag. 719
7. An Leges Politicæ vim suam obtineant et obtinere debeant? pag. 719
8. An Deus forenses leges Nobis reliquerit plenas, ac perfectas, et sufficientes in Verbo suo, ad omnia Politica iudicanda? . . . . pag. 719

CAP. VIII.

De

Scriptura, relata ad hominem tam regenitum, quàm irregenitum.

1. An Vetus Test: sit utile tantùm, non Necessarium scitu ad Salutem? . . . . pag. 720
2. An Scriptura lecta et audita intelligi queat solo dictu rationis, citra specialem Sp. S. illuminationem, et quidem intelligentiâ non solùm theoreticâ sed et practicâ salutari? . . . . p. 720.

CAP: IX.

De

Obiecto Theologiæ.

1 An Detur Notitia Dei Naturalis? . . . . . pag. 721.
2. An Deus sit Simplicissimus, omnis compositionis expers? Vide quæst. 16. Cap. 6. . . . . pag. 722.
3. An Attributa Dei sint idem cum Deo? . . .
4 An Deus solus sit æternus, imò ipsa æternitas? . . . pag. 723.
5. Utrum ne Æternitas sit successivum quid, et tempus? . . . p. 723.
6. An Deus sit Infinitus, et immensus? supra cap. 6. q: 15. 19. p. 724.
7. An Deus sit Omniscius? . . . . p. 724.
8. An Deus ita omnia sciat, ut unico intelligendi actu omnia sciat? . . . . p. 725.
9. An in Deum cadat Discursus? . . . . . p: 726.
10. An detur in Deo Voluntas aliqua quæ sit inefficax? . . . p. 726.
11. An in Deo sit Voluntas permittens sensu Orthodoxo? . . . p. 727.
11 An Deus quicquid vult, unico actu velit? . . . . p. 727.
12. An Voluntas Dei habeat causas Impulsivas? . . . . Ibidem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

13. An in Deo sit aliqua velleitas? - - - - - - - p. 72
14. An Decretum Dei sit ipse Deus? - - - - - p. 72
15. An in Deum cadat potentia activa, et passiva? - - p. 72
16. An Deus sit omnipotens? - - - - - - - - p. 72
17. An in Deo sit Justitia puniens? - - - - - p. 72
18. An Deus peccata nullâ satisfactione acceptâ condonare possit? - - - - - - - p. 72
19. An Deo Misericordia sit Essentialis? - - - - - p. 72

CAP: X.

De

PERSONIS. SS. TRINITATIS.

173 — 1. An in Dei Essentia plures personæ, quàm unâ? - - - pag. 72
2. An Personæ in Essentia divina ita sint plures, ut tamen sint tantum tres? - - - - - - - - p: 730
3. An doctrina de Trinitate personarum in Essentia divina fuerit nota in Vet. Test.? - - - - - - - p. 730
4. An in secunda persona Essentiæ divinæ, hoc est, in Christo sit duplex Natura Divina, et humana? p. 73
5. An Christi persona sit composita ex humana, et divina Natura; aut an solâ divinâ constet? Neg. prius Aff. posterius - - - - - - - - - p. 732
6. An duæ istæ Naturæ sint in Christo, ut sint unitæ indivisibiliter, maneant tamen distinctæ, ut ipsæ, ita proprietates? - - - - - - - - - - p. 733
7. An Divina Christi Natura sit ex paterna generatione - - - - - - - - - - - - p. 734
Cur voce hodie in script. æternitas significari debeat? p. 735
8. Quare Christus vocetur Filius Dei? an item ideò tantùm vocetur Filius Dei 1. quia conceptus à Sp. S. 2. quòd Pater ipsum miserit in mundum et sanctificaverit. 3º. quia à mortuis resurrexerit? - - - - - - - - - p. 738
9. An Christus assumserit Naturam humanam? an item extiterit antequam Naturam humanam assumeret — - - - p. 740
10 Utrumne Christus ex semine Mariæ secundùm naturam humanam sit factus? - - - - - - - - - p.

De Spiritu Sancto.

1. An Spiritus S. sit Verus Deus? . . . . pag. 743.
2. An Spiritus S. sit persona? . . . . pag 745.
3. An Spiritus S. sit Evangelium et Spes vitæ æternæ? . . pag. 746.

LIBER SECUNDUS.

CAP: I.

De Deo Creatore.

1. Utrum Vox Creandi aliquando accipiatur pro faciendi, et Contra? . p. 749.
2. Utra Vox pateat latiùs naturâ suâ, Creandine, an verò faciendi? . p. 749.
3. An Dei cognitio ulla naturalis sit in Creaturis? . . . p. 749.
4. Utrum Deus ex nihilo creaverit? . . . . . p. 749.
5. An omnia fiant necessariò respectu decreti divini; et an illa necessitas contrarietur Contingentiæ et libertati Causarum Secundarum? . . . . . . p. 750.
6. An Deus nil cognoscat extra se antequam fiat? . . . . p. 751.
7. An Deus immediatè concurrat cum Creaturis? . . . . p. 752.

CAP. II.

De Creatione Hominis, et in specie de homine absolutè considerato.

1. An Anima hominis sit materialis? . . . . . . p. 753.
2. An anima hominis non creetur a Deo, sed educatur ex potentia Materiæ? . . . . p. 753.

CAP: III.

De homine, in statu integritatis considerato, quoad sua principia?

1. An homo fuerit naturâ mortalis? . . . . . . pag. 754.
2. An homo fuisset moriturus, si non peccasset, atque adeò Mors temporaria sit propter peccatum? . . . . . . p. 757.

CAP. IV.

De Accidentibus, et quidem de Imagine Dei in homine.

1. An Rectitudo, in qua dicitur Imago Dei consistere, sit Justitia, et Sanctitas, in qua primus homo fuit conditus? . . pag. 758.
2. An Justitia et Sanctitas in statu Integritatis homini fuerit Naturalis? . . . . pag. 760.

CAP. V.

De Adiunctis Hominis in statu Integritatis considerati.

1. An Arbor Vitæ, et Arbor boni et mali, ~~non~~ fuerint Sacramenta eorum quæ de ipsis dicuntur, an verò Causæ physicæ hoc ipsa producentes? . . . . pag. 762

CAP. VI.

1 An quod Adamo erat actuale peccatum, illud in nobis sit

Originale

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

originale imputatum? . . . . p. 76
Quæ causa fuerit Adami peccati istius? . . . . Ibidem
An per Serpentem, qui primos Nostros Parentes seduxit, naturalis tantum Serpens sit intelligendus; an vero primario Sathan? . . . . p. 762
Quomodo Deus proprie dictum Serpentem juste punire potuerit, cum Serpens ille obsessus à Sathano fuerit? p. 763
Quomodo Calvinus non graviter erraverit, quod per istud Semen, non solum Christum, sed et omnes fideles intelligi debere statuat? . . . . p. 763
2. Quare Deus hoc peccatum imputet, item quando, et quo tempore? . . . . p. 764
3. An, quod poena est, etiam possit esse peccatum, et vice versa? . . . . p. 765
4. An detur Peccatum Originale inhærens, cui etiam subjaceant Infantes, non tantum nati, sed etiam concepti? p. 766

CAP. VII.

De Peccato Actuali.

1 Quo sensu Sociniani distinguant Lapsum à peccato, et peccatum à lapsu? . . . . p. 772
2. Quo sensu Sociniani distinguant peccatum ad mortem, ab illo quod ad mortem non est? . . . . p. 772
3 An peccatum ad Mortem commissum ordinarie quidem non remittatur, sit tamen aliquod momentum gratiæ extraordinarium, quo aliquibus non semper, sed aliquando offeratur gratia? . . . . p. 773
4. An peccata occulta et leviora mereantur mortem? . . . . . p. 774
5. An homines qui morte afficiuntur à Magistratu, item qui morte immaturâ abripiuntur; item, qui aliquando morte extraordinariâ pereunt (cujus exemplum. Num. 16) ullo modo salventur? . . . . p. 775

CAP. VIII.

De Poena Peccati.

1 An Mors temporaria sit poena, et quod propter peccatum Adæ omnes sint rei æternæ mortis; ~~an vero~~ eius sit conditio geniturae? p. 775

LIBER TERTIUS.

CAP. I.
De Deo Redemtore.

1. An Christus nos proprie redemerit ab ira Dei? . . . . p. 777.
2. Quo sensu Christus dicatur Mediator? . . . . . . p. 779.

CAP. II.
De Redemtoris, sive Mediatoris Persona.

1. An persona Mediatoris fuerit verus Deus et verus homo? . . . . p. 779.
2. An Christus non tantum humanæ sed etiam ratione divinæ naturæ nos redemerit? . . . . . . p. 779.

CAP. III. De Officio Mediatoris triplici; et quidem de Prophetico in Specie.

1. An Christus in munere Prophetico externo, non differat a reliquis prophetis? et quomodo differat? . . . . pag. 780.
2. An Christus Legem Moralem auxerit, et illi multa adjecerit, quoad singula præcepta? . . . . p. 781.
3. An Christus sit Propheta externe tantum, an vero interne etiam docens? . . . . . . p. 787.

CAP. IV. De Officio Sacerdotali.

1. An Christus sit proprie dictus Sacerdos? . . . . . p. 787.
2. An sit Christus Sacerdos qui in terris sacrificaverit? . . p. 789.

CAP. V. De Sacrificio.

1. An Christus sacrificium proprie dictum obtulerit? . . p. 792.
2. An omnia sacrificia Vet. Test. fuerint typi sacrificii corporis Christi? . . . . p. 792.
3. An sacrificia pecudum vice hominum facta fuerint, sive an pecudes in sacrificiis vice hominum mactatæ fuerint? p. 792.
4. An Sacrificia V. T. suo modo peccata expiarint? . . . p. 793.
5. An Sacrificia sint media simpliciter ex institutione divina, an vero etiam adumbrent satisfactionem Christi? . . . . p. 793.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

CAP. VI.

De Impletione Legis pro Nobis.

1 An Christus sancte vivendo impleverit Legem propter se; an vero propter Nos? - - - - p. 79

CAP. VII.

De Satisfactione Christi pro Nobis.

1. An Justitia Divina aliqua Deo Essentialis? - - - - p. 795
2. An Deus ex iustitia sua nullum peccatum impunitum demittat? - - - - p. 79
3. An ex iustitia Dei Vindicatrice Deus non tantum non dimittat peccata impunita, sed nec possit quidem? - - - p. 79
4. An Christus ex iustitia Dei punitus fuerit propter nos, et an propter Nos mortem temporariam, et æternam sustinuerit? - - - - p. 798

CAP. VIII.

1. An Christus mortem æternam, et temporariam vice Nostri, an vero bono nostro sustinuerit? - - - - p. 800
2. An Christus satisfecerit pro peccatis nostris, et illa expiaverit? - - - - p. 802

CAP. IX.

De Causis genuinis, cur Christus dicatur Noster Servator.

1 An Christus ideo tantum dicatur Servator Noster, 1 quod salutis æternæ viam nobis annuntiaverit; 2 Morte confirmaverit. 3. Vitæ exemplo, item ex Mortuis resurgendo ostenderit. 4 Quia vitam æternam daturus sit; An vero quia pro nobis satisfaciendo Nos ab æterna legis execratione liberaverit? - - - - p. 803.
2. An Christus formaliter pro Nobis in Coelis oret? - - - - p. 807.

CAP. X.

De Officio Christi Regio.

1. An Christus sit Rex et Dominus? - - - - p. 807
2. An Christi munus Regium distinctum sit à Sacerdotio eiusdem? - - - - p. 808
3. An Christus fuerit vere Rex et perfecte, ratione Regni Mediatorij antequam resurrexisset? - - - - p. 808.

4 An

4. An etsi Christus non usurpaverit hoc dominium ordinarie, tamen saepe usum istius potestatis ostenderit? p. 809.

CAP. XI.
De Justificatione.

1. Quid sit Justificatio activa? . . . . p. 810
2. An Deus nos ex parte sui tum justificaverit, quando Filium suum in Mediatorem ordinavit, et in eum peccata nostra conjecit? . . . . p. 811
3. An Deus nos justificet, imputando Justitiam Christi? p. 811
4. An Justificatio haec simul et semel peragatur? . . . p. 812.

LIBER QUARTUS.

CAP. I.
An ad De Deo Sanctificatore et Regeneratore in genere.

1. An ad regenerationem nostri ulla detur praeparatio praevia? . . . . p. 813
2. An Regeneratio sit donum tantum Novi Testamenti? p. 814
3. An Regeneratio in hac vita possit esse perfecta? . . . p. 814
4. An Regeneratio detur in hac vita perfecta non tantum quoad partes, sed etiam quoad gradus? . . . . . p. 814
5. An Paulus ad Rom. 7. de se agat ut de regenito? . . . p. 816.
6. An Homo in Regeneratione se habeat mere passive? . . . p. 822.

CAP. II.
De regeneratione in specie quoad fidem.

1. An Fides sit habitus infusus? . . . . p. 822.
2. An Fides sit pars regenerationis? . . . . p. 823.
3. An Fides Salvifica una tantum sit? . . . . p. 824.
4. An Fides salvifica semper respiciat Christum ut Mediatorem? p. 824.
5. An Fides sit Nostra Justitia; an vero illud quod Fides apprehendit? . . . . p. 825
6. An Obedientia et bona opera non sint forma et anima fidei? . . . . p. 825

CAP. III.
De Justificatione Activa et Passiva.

1 An Justificatio passiva sit posterior fide? . . . . . p. 82
2 An Fides possit esse sine operibus bonis? . . . . . p. 22

CAP. IV.

De Ecclesia

1. An Ecclesia Catholica nunquam defecerit, vel defectura sit, sed continuo ab ipso patefacto Evangelio coepta duratura sit usque ad secundum Christi in carne adventum? . . . . p. 827
2 An operae pretium sit scire, quae sint Notae Ecclesiae? . . . . p. 828

De Sacramentis

1 An Sacramentorum finis praecipuus et principalis sit Confirmatio Fidei Nostrae? . . . . p. 829
2 An Baptismus successerit in locum Circumcisionis? . . p. 830
3 An Baptismus divinitus sit institutus? . . . . . . p. 830
4 An Baptismus ita sit à Deo institutus ut duraturus esset ad certum tempus? . . . . p. 830
5 An Baptismum administrare solis Ministris conveniat? . p. 831
7 An Baptismus iussus sit fieri in nomine Patris, Filii et Spiritus S. . . . . p. 831
8 An Infantes fidelium sint baptizandi? . . . . p. 831
9. An in alicuius hominis aut creaturae nomine baptizari possimus? . . . . p. 832
10. An in S. Coena participes fiamus corporis et sanguinis Christi, id est an manducemus in Coena Domini Corpus et Sanguinem Domini spiritualiter? . . . . p. 833

CAP. V.

1 An ad Ministerium Ecclesiae legitima requiratur Vocatio? . . . p. 835

LIBER QUINTUS.

CAP. I.

De Deo glorificatore

1 An Christus seipsum suscitaverit ex mortuis? . . . . . p. 836
2. An Christus in eodem corpore, in quo passus, resurrexerit, et in Coelum ascenderit? . . . . p. 837

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

CAP: II.

De Resurrectionis Nostra Antecedente

1. An Animæ à separatione corporum supersint, vivant et quidem Coelesti gloria fruantur, impiæ sentiant cruciatus Infernales? . . . . p. 837.

CAP: III.

De Resurrectione ipsa

1. An resurrecturi sint non tantùm pij, sed et impij? . . . p. 839.
2. An resurrecturi sint omnes in ijsdem corporibus, in quibus vixerunt, et in quibus mortui sunt? . . . . p. 840.

CAP. IV.

De Resurrectionis connexis, et quidem primum de Immutatione ipsorum momentanea, quos dies Domini vivos repertura est.

1. An hæc Immutatio sit futura mors? . . . . . . p. 841.
2. An Mutatio hæc impios etiam spectet? . . . . . p. 841.

CAP. V.

De Resurrectionis connexo altero, videl. Extremo Judicio.

1. An locus Judicij sit futurus partim in terra, partim in aëre? . . . . p. 841.
2. An in extremo Judicio Deus sit futurus Misericordiæ? . . p. 842.
3. An Judicaturus sit Christus et quà homo, et quà Deus? . . p. 842.

CAP. VI.

De Glorificatione

1. An Christi glorificatio consistat in summa potestate quam adeptus est à Morte; ob id etiam dicitur Deus; et an potestatem hanc post extremum Judicium resignaturus sit Patri, nec illam ipsam retenturus? . . . . . . p. 843.
2. An Christus sibi meritus sit glorificationem? . . . . . p. 843.
3. An fideles glorificabuntur non tantùm in anima, sed etiam in corpore? . . . . p. 843.
4. An in glorificatione sint futuri gradus? . . . . p. 843.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

CAP. VII.

De Damnatione

1. An Reprobi aeternum cruciandi sint ab extremo Judicio? - p. 843
2. An discrimen sit futurum inter hos cruciatus? - p. 844

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

INDEX CAPITVM.

LIBRI PRIMI.

Cap. — Pag.

I. DE Modo diſputandi cum Adverſariis in genere. 697
II. De Officio tum Opponentis, tum Reſpondentis, tum utriuſque ſimul, in genere. 698
III. De Officio Opponentis in ſpecie. 700
IV. De Officio Reſpondentis in ſpecie. 702
V. Quæ ſit natura Socinianorum in diſputatione. 703
VI. Quem modum obſervare ſoleant. 707
VII. De erroribus Socinianorum in genere. 715
VIII. De Scriptura relata tum ad hominem regenitum, tum irregenitum. 720
IX. De Objecto Theologiæ. 721
X. De Perſonis SS. Trinitatis. 729

LIBRI SECUNDI.

I. DE Deo creatore. 749
II. De Creatione hominis, & in ſpecie de homine abſolute conſiderato. 753
III. De homine conſiderato in ſtatu integritatis, quoad principia. 754
IV. De accidentibus, & quidem de Imagine Dei in homine. 757
V. De adjunctis hominis in ſtatu integritatis conſiderati. 761
VI. De Peccato Originali. 762
VII. De Peccato Actuali. 772
VIII. De pœna peccati. 775

LIBRI TERTII.

I. DE Deo Redemptore. 777
II. De Redemptoris ſive Mediatoris perſona. 779

Cap. — Pag.

III. De Officio Mediatoris triplici; & quidem de Prophetico, in ſpecie. 780
IV. De Officio Sacerdotali. 787
V. De Sacrificio. 792
VI. De impletione Legis pro nobis. 794
VII. De Satisfactione Chriſti pro nobis. 795
VIII. An Chriſtus mortem æternam & temporariam vice noſtri, an bono noſtro, ſuſtinuerit. 800
IX. De Cauſis genuinis cur Chriſtus dicatur Servator. 803
X. De Officio Chriſti Regis. 807
XI. De Iuſtificatione. 810

LIBRI QUARTI.

I. DE Deo Sanctificatore & Regeneratore, in genere. 813
II. De regeneratione, in ſpecie, quoad fidem. 822
III. De Iuſtificatione Activa & Paſſiva. 826
IV. De Eccleſia. 827
V. De Miniſtris Eccleſiæ, & eorum vocatione. 833

LIBRI QUINTI.

I. DE Deo Glorificatore. 836
II. De Reſurrectionis noſtræ antecedente. 837
III. De Reſurrectione ipſa. 839
IV. De Reſurrectionis Connexis, & quidem primum de immutatione ipſorum momentanea, quos dies Domini vivos repertura eſt. 841
V. De Reſurrectionis connexo altero, videl. Extremo Judicio. ibid.
VI. De Glorificatione. 842
VII. De Damnatione. 843

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

JOANNIS MACCOVII,
S. S. Theol. Doctoris & Profeſſoris,

ANTI-GOSLAVIUS,

SIVE

GOSLAVIUS ENERVATUS;

Antehac contra Keckermannum publicatus.

CAPUT I.

QUæritur, *An intellectus in ſe ipſum reflectatur?* pag. 1.

Negat Goſlavius. *Reſpondeo:* Inepte. Nam intellectus intelligit, ſe intelligere, quod intelligit; reflectitur ergo in ſe. 2. Judicat intellectus de actionibus propriis; reflectitur ergo in ſe. *Objicit:* Omnia objecta ſunt intellectus, præter ipſum intellectum. *Reſp.* Verum eſt *directe*; at *indirecte* eſt ſui ipſius objectum. Nec mirum. Nam quædam ſunt quæ ſui ipſius objecta eſſe poſſunt. Ita Medicus, dum ſe curat, eſt ſui ipſius objectum.

2. Quæritur, *An intellectus ſe per ſpeciem intelligat?* pag. 2.

Negat, &, ut firmet negationem, concedit id, quod antea negaverat, ſcilicet intellectum ſe intelligere per reflexionem: quod probat auctoritate *Scaligeri.* Hinc videndum, quam ſibi conſtet. 2. Non intelligit quid ſcribat. Nam aliud eſt, per ſpeciem intelligere aliquid; aliud, intelligendo ſe, imaginem ſui formare. Illud antecedit intellectionem; hoc, ſequitur. Unde apud Scholaſticos Deus format ſui imaginem, dum ſe intelligit; cum tamen hoc apud ipſos nullo modo admittatur, quod ſe per ſpeciem intelligat: Nam ſe immediate intelligit; intelligere autem per ſpeciem, & immediate, opponuntur.

3. Quærit de Voluntate, *An reflexa ſit in ſeipſam?* pag. 2.

Putat hoc abſurdum; rationibus duabus fultus: 1. *Quia ſui ipſius eſſet objectum.* 2. *Quia eſſet ſuppoſitum. Reſp.* ad primum; Præſupponi hypotheſin falſam, nihil ſui ipſius eſſe objectum: ecce enſtaſin; dum homo de ſe & de natura ſua cogitat (cogitare autem certum eſt, quia deſcribit naturam ſuam in Phyſicis, quoad omnes partes, tum eſſentiales, tum integrales); annon eſt objectum ſui? Pudere debuit inſcitiæ tantæ. Sed directe ad objectiones ejus. Negat, voluntatem eſſe ſui ipſius objectum; Ergo ſequitur, voluntatem non velle ſe bene agere, & non optare hoc, ut perpetuo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

bene agat; quis autem hoc dicet, cum contrarium experientia teſtetur? Ad *ſecundum* reſp. Suppoſitorum eſt agere ut Principii *quod*: ſed accidentium & partium, ut Principii *quo*; Seu, ſuppoſiti eſt agere ut *Principale*; accidentium & partium, ut *Inſtrumenta*.

Quod ad formam Syllogiſmi attinet, ingenui hominis eſt, utut ab aliquo in ſingulari proponeretur, non ſatis tamen commode, accipere illud, prout communiter proponitur; ſcire enim debuit *Goſlavius*, hoc argumentum à Scholaſticis tractari plane eo pacto, quomodo proponitur à Scaligero, *Exerc.* ultima ſect. 3. Item quomodo proponitur à Bellarmino, de *Chriſto*, *lib.* 1, *cap.* 20, circa finem. item *lib.* 2, *cap.* 13. Sed ne quidquam deſideraverit in forma Syllogiſmi; nam quod dicit, plus inferri in concluſione, illud videri potuit contineri in præmiſſa: Præmitti enim debet; In illa eſſentia eſt gignens, imago genita, &c.

Pergit; *Aliud, quam eſt in quæſtione, concluditur*, &c. *Non enim*, inquit, *omne gignens eſt perſona*, pag. 2. 3. Otioſe iſta admiſcet, & ut chartas compleat; Anne Keckermannus dicit, *omne gignens*? Argumentum ejus tale eſt: In qua eſſentia perfectus intellectus, &c. Negabiſne hanc eſſe proprie dictam perſonam? *Perfectus intellectus in ſe reflexus*.

Pergit; *Imago genita, ſumpta pro ſpecie mente abſtracta*; pag. 3. Hic iterum non parvus error. Æſtimat ſcilicet ex intellectu creato increatum. Noſſe debuiſſet, non abſtrahere Deum unum ab altero; neque abſtracte noſſe aliquid; nam abſtracte noſſe aliquid, eſt uno cognito alterum non cognoſcere; quod pugnat cum omniſcientia Dei; Novit enim Deus omnia ſimul, ſed diſtincte unum ab altero.

Pergit; *Perſona*, inquit, *eſt ſubſiſtens & intelligens. Hæc imago nec ſubſiſtens, nec intelligens; Prius non, quia in eſſentia eſt; Poſterius non, quia intellectus in eo non eſt; quod ipſum ſubſiſtere nequit.* Videbimus quomodo habeant. Omnia inepta, abſurda. Inquit, perſona eſt ſubſiſtens & intelligens. Vitioſum. Nam anima ſubſiſtit, eſt enim ſubſtantia, & intelligibilis; nec tamen perſona. Sed fovet hic errorem, quem palam profitetur Socinus contra Puccium: Animam rationalem ejuſdem generis eſſe, cujus indoles & ingenium; & hinc conſequitur, quia eſt accidens, non eſſe perſonam. Videamus quomodo probet, non eſſe ſubſiſtentem, neque intelligentem, hanc perſonam; *Prius non*, inquit, *quia in eſſentia eſt*. Non ergo Filius Dei perſona, non Pater perſona; quia & Pater in Filio, & Filius in Patre, Joan. 14. *Poſterius*, inquit, *non, quia intellectus in eo non eſt; quod ipſum ſubſiſtere nequit.* *Reſp.* Præſupponit, quod eſt in alio, ſubſiſtere per ſe non poſſe; non dicemus jam, quomodo quid ſit in alio; videri hoc poteſt apud Ariſtotelem, *lib.* 4 Acroamat. Phyſ. *cap.* 8. Unum tamen, quia indiſtincte agit, ipſi propoſuero: Dicitur, Act. 17, *In ipſo vivimus*, &c. Quid? Dicturuſne eſt, proprie nos non ſubſiſtere? ſed hoc eſt, quod ultimo in hac materia addit; *Si*, inquit, *iſta imago eſt intelligens, ergo & ſe ipſam intelligit, & ita gignet iterum imaginem; & daretur imaginis imago, in infinitum. Reſpondeo:* Quod *intelligere* ſumatur dupliciter, vel intelligere cum characteriſtica relatione, hoc eſt, paternitate; ita filius intelligit cum characteriſtica ratione, termini relatione, filiatione nempe. Non vero poteſt gignere filium, quia intelligit cum relatione hac qua filius. Sed videri poteſt reſponſio ad hanc rem, apud *Bellarm.* de Chriſto, *lib.* 2, *cap.* 13, & 14.

Jam ad ſpiritum venit; *ſimiliter*, inquit, *falſum, impetum & pulſum eſſe perſonam.* pag. 3. *Reſp.* De eo non dubitatur, ſi impetus & pulſus creaturæ intelligatur; at hic Dei intelligitur: in Deo autem accidens nullum eſt; ſed vel eſt eſſentia, vel perſona; & quidem eſſentia, cum nulla origo ipſius recenſeatur. Nam non, quicquid in Deo eſt, peculiaris perſona eſt, ab aliis diſtincta. Ad hoc enim requiritur & peculiaris origo; ex origine enim Divinas Perſonas agnoſcimus & diſtinguimus: At vero Spiritus ita eſt in Deo, ut peculiarem rationem originis habeat; dicitur enim à Patre procedere.

Pergit: *Non eſt intelligens ob hanc cauſam, quod intellectum voluntas conſequatur.* pag. 3. *Reſp.* Abſurde de Deo judicat. Putat, voluntatem & intellectum in Deo diſtincta à Deo, item diſtincta à ſe invicem; aperit nempe myſte-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ſterium ſuæ ſectæ, Deum non eſſe ſimplicem, ſed compoſitum, quia corpus eſſet; quod non obſcure ſecta hæc præ ſe fert, ut deprehenſum in Vorſtio. Hoc referre, eſt refutare ineptum ejus diſcurſum.

Porro dicitur, *Perſonas eſſe*, *gignens*, &c. pag. 4. Certe non ita argumentatur auctor; nam addit, intellectus perfectus; *proprie* falſo ipſi adſcribitur. *Inquies:* Atqui perfectus eſt & intellectus humanus. *Reſp.* Certe; ſed non abſolute; verum in ſuo genere. Hic vero ita perfectus ſtatuitur, ut perfectiſſimus dicatur; id quod *pag.* 10 ipſe refers. Secundo hoc concludit Keckermannus, quod ſit gignens, imago genita, & Spiritus voluntatis impetu procedens. *Inquis:* Non ſequitur tamen, perſonas iſtas eſſe. *Reſp.* Certe non ubique. Dei autem natura talis eſt, ut non poſſit accidens cadere in ipſum; ſi enim accidens poſueris, eadem opera poſueris compoſitionem. Erit ergo vel eſſentia, vel perſona; Eſſentia non eſt, quia alioquin Deus non eſſet unus eſſentia; Perſona itaque erit. Nam nihil datur tertium.

Quæ addit ad finem iſtius diſcurſus, illa ſapiunt craſſam inſcitiam. Nam dicit, quod non ſit alia atque alia voluntas natura, ut oſtendat, voluntatem humanam eſſe eandem natura cum Divina; At Voluntas Divina, ut omnia, nihil habet commune præter nomen; quomodo vero natura eadem? Ecce tibi argumentum, quo hoc evictum eo: Aut habent quid commune quoad rem, aut quoad nomen tantum; ſi quoad rem commune erit; eritne finitum vel infinitum? Si finitum, Deus erit finitus, ob communitatem naturæ; ſi infinitum, creatura erit infinita.

Nego gignens, &c. pag. 50. Sed cur negas? An ergo intellectus non concipit imaginem ejus, quod intelligit; ſi negaveris, non intelliget ergo ſeipſum. Sed *objicies*; Ergo & gignet imaginem rerum creatarum. *Reſp.* Creatus ſcilicet, non increatus. Nam hoc diſcrimen inter creatum & increatum, quod ideo res ſint, quia increatus intelligit & vult; eſt enim menſura rerum; At vero creatus intelligit res, quia ſunt; ſunt enim res menſura intellectus creati. Sed videamus, quam egregie neges, eſſe gignens. *Hoc gignens eſſet vel eſſentia*, *vel intellectus*, *vel utrumque ſimul*; Sumas de Deo, ut de Deo par eſt accipere. Dico, disjunctionem iſtam eſſe vitioſam; Nam præſupponis, in Deo diſtingui iſta realiter; quod tibi jam ante diſcuſſum eſt. Ais, non eſſe eſſentiam, quia non gignit. *Reſp.* Certe abſolute ſumptam; ſed cum relatione hac paternitas gignit.

Pergis: *Eſſentia & Perſona definitione differunt, maximeque, juxta Adverſarios, in Deo*; pag. 5. *Reſp.* Quis te docuit hoc, aut ubi hoc legiſti? cum tantum *modaliter* doceant differre; Nam, quod ais, definitione differre; puriliter laberis; nam ea quæ formaliter differunt; hoc eſt, ſubordinate in eadem Categoria, differunt definitione. Anne putabis realiter? Dicis: *Perſona eſt relatio mera*; ibidem. *Reſp.* Abſtracte ſumpta, non vero concrete; ſed tamen, quicquid in buccam venit, dicis. *Intellectus*, inquis, *habet ſuum eſſe abſolute*; ibid. *Reſp.* Intellectus abſolute ſumptus, non intellectus gignens; ut eſſentia abſolute non gignit, ſed eſſentia ut Pater, ſive eſſentia hac relatione definita.

Fortaſſe utrumque ſimul acceptum, &c. *Et hoc falſum*; *Ratio: Nam quomodo hoc quod eſt in alio, eſt illud ipſum in quo eſt*, ibid. *Reſp.* Quia tibi placet ineptias tuas toties reponere, nos oportet toties iterare veritatem; Nempe negas, quicquid eſt in Deo, Deum eſſe. Indignum hoc refutatione. Nam qua ratione hoc negas? Sequetur enim, in Deo aliud & aliud, atque adeo compoſitum; ideo non à ſe, ſed ab alio; nihil enim ſeipſum componit; dependens ergo, & ſic non Deus erit.

Pergit: *Præterea gignens eſt relatio.* pag. 6. *Reſp.* Dictum ante: gignens, ſecundum hoc, quod gignit; non abſolute. Objectionem tibi moves lepidam; *Me ſcilicet rationibus recte demonſtraſſe*, &c. *In Divinis*, *ſed non demonſtraſſe univerſaliter*. *Reſp.* Cucurbitas pingis in aëre; nam quis tibi hoc dederit? Nonne *Keckermann.* diſtinxit, agere ſe non de quovis intellectu, quaſi imago in illo ſit perſona; ſed in intellectu eſſe imaginem; In hoc vero intellectu, ubi accidenti nullus locus datur, ibi demum eſſe perſonam? Itaque tua iſta ad te redeant.

Uni-

Unicum adhuc in præſenti, &c. *Cum dicitur, in eſſentia reflexum intellectum habente. Reſp.* Iterum tibi reddendum de anima rationali; nam omnia quæ hic dicis, competunt in animam rationalem ſeparatam; anne tibi anima rationalis erit perſona?

Pergis: *Perſona in perſona ſubſiſtere nequit; Ergo nec Pater in Filio; & vice verſa. Accidens eſt*, inquis, *quicquid in alio inhæret. Reſp.* Significata ineſſendi diſce prius; tum redi, & diſcurre nobiſcum.

Præterea obſervandum, &c. pag. 11. Hic annotat, non debere eſſe hoc ipſum, ſed ut ſit magis tale. Et certe hoc evincit; quia enim dat intellectum, oportet ut ipſe ſit intellectus, & incomparabiliter major. Sed de his dictum ante.

Sequitur: *Secundo, ſi univerſaliter ſumitur, falſa eſt. Non enim omne ens Divini intellectus eſſet objectum; ac conſequenter, Deus non omnia, ſed quædam tantum*, &c. pag. 12. Hoc argumentum eſt Adverſarii: Si objectum intellectus Divini erit perfectiſſimum, tum aut omne erit, aut quoddam. Utrumque falſum. Poſterius falſum; quia nil eſt, quod Deus non intelligat, & exactiſſima intellectione. Prius falſum. Propoſitio ſi univerſaliter ſumitur, probat, 1. *Quia nil eſt quod Deus non intelligat, & exactiſſima intellectione, quia infinita ſunt fere entia numero. Perfectiſſimum vero unum tantum.* pag. 12. *Reſp.* Intelligit quidem Deus omnia, ſed non eo intelligit, quia res ſunt, ſed res ſunt, quia ipſe intelligit; loquimur de rebus extra Deum conſtitutis: At ſeipſum novit, quia eſt. Hæc diſtinctio tibi fuerat obſervanda, quam tu neglexiſti. Nam quod res intelligat, inde intelligit, quia ab æterno decrevit illas fieri, non vero commenſuratur intellectus Divinus rebus, ſed res ei; ſecus ac vos ſentitis, qui non omnes res à decreto Dei ſuſpenditis. Hinc de contingentibus nullam definitam Dei Voluntatem adſtruitis, ac proinde nec ſcientiam. Ignorare enim putatis Deum futura contingentia. Proinde non bona fide dicis, omnia Deum noſſe, nam aliter tibi ex mente tuorum dicendum.

Pergis: *Nihil enim Deus præter ſeipſum intelligeret, ac ne creaturas quidem, quas ipſe formavit.* Nec quicquam abeſt ab hac abſurditate illud quoque, quod pag. 10 ais: *Per naturam ſuam falſum intelligere non poſſe:* Inde enim concludis, *Deum facillime falli poſſe*; Deinde, *non poſſe Deum, verum intelligere, ſi ejus contradictorium falſum non intelligat*, &c. *Si per naturam non intelligat falſum, per naturam decipi poteſt, & per naturam verum neſcit:* pag. 12. Ita te facit doctum ignorantia tua. Neſcis quid hoc ſit, intelligere per naturam. Dicam tibi; dupliciter capi poteſt, ſi vocem ſpectes; Per naturam, id eſt, natura ſua intelligere falſum; vel, per naturam, hoc eſt, per ideas rerum in mente ſua formatas; ut in iſta ſignificatione capitur à Phyſicis. Certe non intelligit falſum per naturam; Nulla enim idea falſi eſt, cum non eſt; & Deus non intelligit falſum, niſi mediante habitu; nec enim aliter intelligitur ac quod eſt. Cum vero ſit privatio habitus falſum, intelligit ut eſt. Hoc quia tu ignoraſti, ſcabiem ignorantiæ tuæ affricas Keckermanno; cum tamen ſcire debueras, illum qui ſe accingit ad refutandum aliquem, debere ſcire non tantum mentem, ſed & linguam ejus, quem refutat, ſi præſertim iſta lingua uſitata ſit.

Alterum membrum, nempe, voluntatem in ſe reflexam, &c. *Reſp. ad primam rationem: Conſiſtit in iſtis: Non continuo appetuntur quæ intelliguntur.* pag. 13. At homo inſanus debebat videre, quæ intelligimus tanquam ſummum bonum; & quod hic agatur de voluntate ſummi boni: quæ vero intelliguntur ut ſummum bonum, non poſſunt non appeti. 2. *Non concludit; quia præſens quæſtio eſt, An voluntas in ſe reflexa ſit? Neque enim concedimus, Voluntatem eſſe ipſum Deum, alias Voluntatis & Dei eſſet eadem definitio*: ibid. *Reſp.* Secundum te, oportet differre attributa Dei, atque ita plane dari compoſitionem in Deo; Nam attributa Dei definitionibus differunt. Quis non videt, te plane inſanire? Definitione enim differunt attributa, *ex parte conceptus noſtri*, non *ex parte naturæ Dei.* Nos concipimus Deum per varios conceptus inadæquatos, quia aliter infinitum capere non poſſumus: Cum vero in Deo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

omnia ſunt unum, nos ex modo noſtro concipiendi concipimus eum, jam juſtum, ſapientem, miſericordem, &c.

Altera vero comprehenſa his verbis: Omne quod eſt perfectiſſimum, Voluntas Dei vult. ſed quis, inquit, *non intelligit, hoc eſſe falſiſſimum? Annon intellectus etiam Keckermanno dicitur perfectiſſimus? Quid igitur? Intellectus erit objectum voluntatis? At ſi ſibi eſt objectum, certe non erit intellectus, niſi intellectus ſit ipſa voluntas, & contra: quod abſurdum.* pag. 14. & 15. Ut incipiamus à poſteriori, Dei intellectum non eſſe Dei Voluntatem, & contra. Ponas enim, voluntatem non eſſe intellectum; & viciſſim: quid tandem fiet de Deo? Componetur; effectum alicujus futurus; finietur terminis eſſentiæ ſuæ. Et hoc eſt Deus non Deus. At inquis: *Intellectus eſt perfectiſſimus, erit vero objectum voluntatis. Reſp.* Non ſub hac ratione, ut intellectus, ſed ut ens optimum maximum. Sicut enim intellectus objectum eſt hoc, quod voluntas; quia in Deo non eſt aliud & aliud; ſed non ſub hoc formali, qua voluntas, ſed qua ens veriſſimum; ita & voluntatis intellectus ſubjectum, non ſub hoc formali, qua intellectus, ſed qua ens optimum.

Præterea pergit: *Solane Deus vult perfectiſſima, an alia etiam, & quæ hac ratione perfectiſſima non ſunt? Si ſola, Deus non omnia, quæ reipſa ſunt bona, vult, ſed quod eſt bonum excellentiſſimum, omnium ratione; Quare nec illud illum voluiſſe, quod in creatione mundi viſum eſt illi bonum eſſe. Si autem non ſola, ab objecto Dei voluntatis ſunt excludenda ea, quæ non ſunt ita, ut illud, quod dicitur Divinæ Voluntatis perfectiſſima*, &c. pag. 14. *Reſp.* Sicut erravit circa intellectum Divinum, ſic errat circa voluntatem. Nam Deus ſe vult, quia bonus eſt, reliqua ſunt bona, quia ille vult; ſe vero vult proprie; Imo ſe ſolum vult, quia bonus eſt. Reliqua autem non vult, quia bona; ſed ſunt bona, quia ille vult; Nempe ita hic habet, ſicut in ſcientia Dei; Res ſunt, quia Deus ſcit & vult; non vero ſcit, quia res ſunt. Et certe in voluntate optime ita res habet; ſi enim Deus extra ſe res vellet, quia bonæ eſſent; daretur bonum extra Deum, & aliquid boni antecedenter ad voluntatem ejus. Daretur ergo extra Deum aliquod bonum independens; quod abſurdum.

Tertia & ultima ratio, &c. *Duo*, inquit, *pro conceſſo accipit; actum purum, ac æternum, Voluntatis Divinæ eſſe objectum; &, Voluntatem Dei eſſe actum merum, & æternum: Utrumque*, inquit, *probandum eſt*. pag. 14. *Reſp.* Miſera res eſt cum eo diſputare, qui nec terminos, quibus ſapientes utuntur, novit, nec naturam Dei ullo modo intelligit; & præterea perpetuo docendus; Nam quot verba, tot ineptiæ. *Reſpondeo* primo: Non putat, credo, Voluntatem Divinam non eſſe æternam. Si hoc largiatur, quomodo negabit, objectum voluntatis eſſe æternum? Nullumne habuit Voluntas Divina objectum? Ad ſecundum: *Quia*, inquit, *voluntas eſt facultas*, &c. pag. 15. *Reſp.* Putat, in Deo dari potentiam activam proprie dicendo. quod falſum probatur: Ubi eſt potentia activa promovens ſe ad actum, ibi eſt mutatio: In Deo nulla eſt mutatio, ne umbra quidem, Jacobo teſte. Sed condonandus ipſi eſt error, quia nunquam attigit ſolidam Phyſicam, vel Theologiam; cum in utraque harum oſtendatur, Deum eſſe actum puriſſimum.

CAP. II.

Præcipua cauſa, &c. pag. 15. Imo vero repetis eadem: ſcis quam placeat crambe recocta? ſed linquamus. Tu iterum more puerorum, quia ſyllogiſmus non eſt formaliter compoſitus, etiamſi materia bona, ex qua conflari poſſit à viro ingenuo & candido, ineptis. Nam argumentum jam eſt propoſitum. Intellectus perfectus, in ſeipſum reflexus, gignit perfectiſſimam & ſimillimam ſui imaginem. Dei intellectus eſt perfectus, in ſeipſum reflexus. Ergo gignit in ſe perfectiſſimam & ſimillimam imaginem. Productio imaginis ſimillimæ eſt generatio; Hinc: Productio ſimillimæ imaginis in eo eſt generatio. Quorſum vero tuæ nugæ, poſito ita ſyllogiſmo, niſi ut te oſtendas perpetuo puerum? *Deinde*, inquis, *propoſitio vera eſt de conceptione & productione eſſentiæ*: pag. 16. Et porro ais: *Generatio enim eſt ſubſtantiarum; reliquæ mutationes, accidentium,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

tium, &c. pag. 17. Et hoc oſtendit, quam ſis clarus Philoſophus: Generationem ſubſtantiarum non putas eſſe mutationem; at mutationem Phyſici vocant, quam poſtmodum diſtinguunt in ſubſtantiarum mutationem, & accidentium. Sed tu ex generatione creaturæ æſtimas Dei generationem; ſciendum tibi, Deum cum creatura habere nihil commune, præter nomen; quod tibi iterandum.

Secundo, cum negare non poſſis, iſtam imaginem in Deo, ſimillimam Dei, produci in Eſſentia Dei, niſi forte velis negare, Deum ſeipſum non intelligere; Non potes negare aliquid eſſe: Jam autem accidens non eſt; Quia in Deo accidentia nulla: Subſtantia non eſt, quia eſſent duo eſſe in Deo. Non relinquitur ergo niſi modus ſubſtantialis. Sed vis probare, productionem iſtam nonniſi Metaphorice productionem dici. Inquis: *Keckermannus dicit, cogitationes ſeu meditationes noſtras conceptus dici, & viros doctos, ſuos libros fœtus vocare. Ad rem*, inquis, *iſta non faciunt, quia improprie dicuntur.* Fateor, hæc improprie dici fœtus; nec enim ſunt fœtus. At hic, quæſo, attende ad productionem iſtam imaginis in Deo; eſtne illa generatio proprie dicta? In proprie dicta generatione effectus eſt id, quod dicitur generari; Anne vero productionem iſtam in Deo effectum etiam ſtatues? Effectum ergo aliquod erit in Deo, quod non erit creatura; effectum, quod non erit æternum: contradictio in adjecto, effectum, & tamen independens. Non ergo ita tibi cogitandum de rebus æternis, ſicut de temporaneis.

Cum ergo in Deo intelligi, & eſſe, idem ſint, &c. Inquit: *plura errata, quam verba.* Videamus iſta errata. Inquit: *Rationi & principiis Adverſarii repugnant:* pag. 17. Rationi forte tuæ. Nam nullam adfers: nec oſtendis, quomodo principiis Adverſarii repugnet hoc argumentum; At ais: *Aliud infertur, quam ex præmiſſis ſequitur.* Quomodo aliud? Keckermanno propoſitum eſt, 1. Oſtendere, & Patris & Filii eſſe unum eſſe, ſive unam eſſentiam; quod hic facit. 2. Oſtendere diverſam perſonalitatem; quod ſequenti paragrapho præſtat.

Nihil ergo à propoſito ait. Inquis: *Filii eſſe duobus modis proponitur & conſideratur. Prout Deus eſt, & prout Filius eſt.* pag. 20. *Reſp.* Inepte. Nam ſi duplex eſſe Filii, duplex eſſentia in eo. Inquies: *Diſtinctum tamen eſt eſſe Filii à τῷ eſſe Dei.* Reſpondetur, falſo dici, formale Filii eſſentiam perſonalitatis eſſe. Perſonalitas enim non eſt eſſentia, ſed modus eſſendi; ſicut paternitas non eſt eſſentia, ſed modus eſſendi; alioquin ſequeretur, in Patre aliud eſſe Dei, aliud eſſe Patris. Duplex ergo eſſe erit; quomodo autem hic evitabitur compoſitio? Aut quomodo evitabuntur eſſentiæ plures Divinæ?

Pergit; *Propoſitio*, inquit, *maxime repugnat rationi. Etenim intelligi præſupponit agentem ipſum; cum ſit paſſivum: at eſſe Dei nequaquam.* pag. 18. *Reſp.* Præclare quidem. Ergo, cum Deus intelligitur, non erit Deus, qua intelligitur; *Quia*, inquis, *intelligit agentem; at eſſe Dei nequaquam.* Videris, quomodo te hic expedias.

Pergis: *Sed quomodo & cum principiis Adverſariorum convenit, qui intelligi volunt eſſe ipſum, qua Filius eſt, Filii τὸ εἶναι*; pag. 18. *Reſp.* Iterum impingis in priorem errorem, quod putes in Filio duplex eſſe, qua Filius, & qua Deus: quod tibi excuſſum exemplo Patris; proinde &, quæ attexis, inde reſolvuntur.

Pergis: *De aſſumtione quid dicemus? Illud nimirum: Intelligi non eſſe ipſum Filii eſſe. Quid ita? Quia intelligi non dat, ut Filius ſit Filius, ſed generatio*, pag. 19. *Reſp.* Dictum autem, Deum ſeipſum intelligere, & intelligendo, imaginem ſui concipere; Dictum porro, imaginem non dici accidens, nec ſubſtantiam. Dices, *Quid ergo?* Et hoc antea eſt excuſſum; quia imago iſta, quæ producitur in eſſentia, dicitur perſonalitas. Inquis: *Addo, intelligi non infert Patrem; quod multa à Deo intelligantur, quorum ratione tamen non eſt Pater*, pag. 29. *Reſp.* Et ad hoc reſponſum antea. Nam quæ intelliguntur à Deo, non intelliguntur, quia ſunt; ſed ſunt, quia intelliguntur. At vero Deus ſeipſum intelligit, quia eſt; Hinc faciunt Theologi attributa Dei quædam, quæ naturam ipſius conſequuntur; quædam quæ natura ipſius ſunt; non quod differant in Deo, ſed quod ita à nobis concipiantur. Talia ſunt, intellectus, & voluntas.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

tas. *Niſi pro conceſſo*, &c. pag. 19. Atqui jam probatum eſt, intellectum, & intelligens, in Deo unum & idem; probatum inſuper, imaginem produci in intellectu Divino; quæ imago accidens non eſt, cum accidentibus locus nullus in Deo ſit. Probatum denique eſt, imaginem iſtam produci, generari; hinc jam eſſe Filium; Filius infert Patrem, prout Pater Filium; Nam, quod additur, *Sequeretur, in naturalibus rem ſimiliter habere*; ibidem; *Reſp.* Ineptus eſt, qui trahit Deum ad naturam, & ex natura vult cognoſci Deum; cum natura nil habeat commune cum Deo præter nomen.

Aphoriſmi de Spiritu Sancto: *Principio*, inquit, *Voluntatem Dei eſſe infinitam, dubitari poteſt*, pag. 20. *Reſp.* Dubitari ab inſano; Si enim Voluntas Dei non differt à Deo, & Deus eſt infinitus, quomodo Voluntas non erit infinita? Cujus opus eſt creatio ex nihilo, quomodo negabitur infinitum? At Voluntatis Dei opus eſt creatio ex nihilo. Tango tuum myſterium, qui negas, Deum ex nihilo creaſſe omnia, ſed ex materia quadam, quam Deo coæternam vultis: ſed tibi propono hæc conſideranda: Si Deus ſolus non eſt æternus, quomodo erit ſolus bonus independenter? qualis dicitur *Matt.* 19, *ſolus bonus*. Tum, ſi Deus ex materia creavit omnia, ergo & Angelos, & animas noſtras; ergo & hæ & illi corporei erunt. Hoc vos vultis; Propterea Diabolos morituros, & animas noſtras ſeparatas à corpore vivere negatis. Præclara dogmata! At aliter Spiritus Sanctus, qui ſpiritus à corporibus diſtinguit, & animas ſeparatas à corpore vivere docet, vel exemplo latronis; quod quam ridicule torqueris, omnibus notum.

Pergis: *Sine ratione poteſtatis ſeu facultatis*, &c. pag. 20. *Reſp.* Errores ſolent concatenari; & dato uno ſequuntur plures. Ita & hic. Putas, in Deo dari facultatem volendi, & actum ab ipſo prodeuntem diſtinctum; Promovet ergo ſe Deus à potentia ad actum; mutabitur ergo, & erit aliquando melior, aliquando minus bonus in natura ſua. Ecce probationem! Bonum ratione actus melius quam ratione potentiæ, hoc eſt, melius eſt, cum actu eſt, quam cum potentia eſt; ſicut malum melius eſt potentia, quam actu. Dabitur ergo in Deo talis mutatio, & aliquando ſeipſo futurus eſt melior; quod abſurdum. Præterea potentia de Deo non dicitur, niſi ratione modi noſtri concipiendi; Nam Deus actus puriſſimus.

Etenim cum infinitum, &c. *Reſp.* Iterum impingis graviſſime; inquis: *Si ſola voluntas eſſet, ſola vellet*, &c. *plura enim in eodem ſubjecto eſſe*, &c. ibid. *Reſp.* Ita iterum nobis das Deum, in quo plura ponis diſtincta, atque adeo Deum non Deum; nam compoſitionem quin dare debeas in Deo, evitare minime potes; Scito ergo, in Deo unam eſſe eſſentiam, quæ ex diverſis actionibus & ex conceptu noſtro inadæquato varia eſſe dicuntur. *Præterea haud Deus aſſequeretur, ſiquidem apprehenſione rei expetitæ voluntas terminatur*, &c. ibid. *Reſp.* Iterum hic mutationem importare vis. Nam ponis Voluntatem Dei, ut quæ ſe expetat, &, poſtquam ſe apprehenderit, quieſcat; ſed parum tu curas, quæ de Deo ſtatuas. Fingis, refingis; formas, reformas. Deinde, Deus ſe perpetuo vult, non amore deſiderii, ſed amore acquieſcentiæ; ſicut ſe intelligit, nec unquam deſinet ſe intelligere. Nam ponas, ipſum ſe deſiiſſe intelligere, ac ſubinde intelligere, jam non intelligere; præter mutationem, quæ neceſſario ſequitur, & aliquando obliviſcetur ſui, nec erit omniſcius, & dabitur facultas alia ab actu.

Adde, naturam voluntatis eſſe ad utrumque, &c. Inſulſus es. Non jam dicam de natura Dei, ſed de natura rerum creatarum. Philoſophiæ tibi hic quippiam referam. Anne eſt deliberatio voluntatis de fine, de mediis liquidis? Abi cum tua Philoſophia, & diſce.

Præterea dicis: *Niſi habeat ſe voluntas ad utrumque*, &c. *Reſp.* Ergo voluntas Chriſti fuit ſerva, quia non potuit peccare. Tango iterum myſteria veſtra. Vos enim hoc non admittitis; pudet tamen vos profeſſionis hujus. Dicam aliud: In cælo non poterimus peccare. Nam nec condemnari morte æterna poterimus, *Luc.* 16, *Magnus hiatus inter vos*, &c. Nec temporaria, Luc. 20, *Neque poterunt amplius mori*. Putasne ſenilem noſtram fore conditionem in cælo?

Per complectatur, &c. pag. 21. Quis, niſi

puer,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

puer ; ita *complecti* accipit ? *complecti* enim ſi capiatur ea ſignificatione, ut tu vis, ſenſum nullum parit. Nam, quis eſt iſte ſenſus, totum objectum appetit? Senſus vero hic eſt, comprehendere & perpetuo obtinere.

Atqui, inquis, *abſurde hæc dicuntur*, ibid. Imo tu abſurdus, ita ut nihil loqui didiceris, niſi abſurda.

Inquis: *Non eſt voluntas, niſi rerum poſſeſſarum*, ibid. Ergo dum in cælis futuri ſumus, & vitam æternam habituri, non volemus in poſſeſſione illa perdurare. Et hæc quidem de nobis; De Deo anne acquieſcentiam voluntatis non actum putas? Si putas actum, vides quam abſurdus es, quod ſcilicet putes, voluntatis actum nullum, niſi deſiderium. Nam deſiderium eſt rerum potiendarum & non poſſeſſarum; Poſſeſſarum, acquieſcentia. Quamvis & amor voluntatis effectus, qui oritur non tam ex poſſidendis, quam ex poſſeſſis. Hinc jam, quæ à paragrapho *Quippe* uſque ad *Voluntatem*, omnia ſublata.

Voluptatem atque amorem proficiſci ex voluntate, falſum eſt. Das rationem: 1. *Quia voluntatem non conſequitur amor, lætitia, ſed rem, quam aſſequimur, expetitam.* 2. *Quia ſæpe rerum potiti multum dolemus, pluſque mœroris, quam voluptatis ſeu lætitiæ, conſequimur*, pag. 21. Prior ratio non niſi te digna; Quid, Voluntatem non conſequi lætitiam, ſed rem? Ergo rem vel quam jam conſecuti ſumus, vel quam nondum. Quis poſterius aſſerit, niſi inſanus? Rem, prout illam conſequimur, & in ea acquieſcimus. Quomodo ergo voluntatem non conſequitur lætitia? Quoad ſecundum: *Potiti re, ſæpe dolemus.* 1. Phraſis inſulſa, *potiri malo.* Nam potitur quis eo quod appetit, non quod averſatur. Illud metuimus, non volumus; niſi forte putet, nos ſub ſpecie boni aliquid appetere, quo poſtmodum potiri, dolemus, quia apparebat bonum, quod poſtmodum reipſa comperimus eſſe malum.

Ergo dum æternus Pater, &c. pag. 22. Dicit: *In ſuperioribus demonſtratum eſſe, Filium à Patre per intellectum non concipi*, &c. Quam præclare hoc oſtenderis, docuimus. Jam pergis: *Neque enim illud affirmatur*, &c. Sed quomodo Deum, ut imaginem ſui producentem, ſive ſe intelligentem: Atqui imago producta Filius, ut oſtendimus.

Pergis: *Neque conſequitur, perfectiſſimum amorem*, &c. pag. 22. Si imago iſta, quam Deus concipit ſui, eſt optimum quid, quomodo amor Dei in illam non feretur? Et quomodo ex Filio in Patrem, tanquam archetypum, amor viciſſim non procedet, cum itidem optimum ſit? At, inquis: *An intelligendo Filius apprehendit Patrem? Ergo Pater Filii Filius etiam erit; Non enim eſt cauſa, cur imago Patris, ab intellectu Filii apprehenſa, non ſit Filius*, &c. ibid. *Reſp.* Superius reſpondimus, ſeu potius inſinuavimus reſponſionem ex Bellarmino, cur hoc non ſequatur; ideoque non repetimus.

Pergis: *Num hic amor & hæc voluptas conſtituent tertiam Divinitatis perſonam? Falſum, utrum eſt res per ſe minime exiſtens.* pag. 23. Adde *in Deo*. Quam præclare iſta ſonent, vel Gentiles teſtari poterunt. Eadem chorda perpetuo oberras, dum ſtatuis, in Deo eſſe aliquid, quod non ſit Deus, atque adeo compoſitum Deum producis. Addis: *Et mirum illud, cur ab hac quoque tertia perſona*, &c. pag. 23. *Reſp.* Inepte; quia amor & voluptas ipſa formaliter ſunt, non vero & amor amoris cauſa, voluptas voluptatis, &c. Sed hæc in Bellarm. præclare diſcutiuntur. *Cur filii mentio*, &c. *Reſp.* Inepte, & more puerorum; cum materia ſuggerat ſyllogiſmum, ludis circa illam; *Hoc*, inquis, *unum erratum*; Addidiſſes tuum circa conſiderationem argumenti. *Alterum*, inquit, *in antecedente; Eſſe enim, & velle, non ſunt idem in Deo.* *Reſp.* Dignus es odio cum tuis nugis; ſcilicet in Deo erit aliud & aliud! Nam ſi quid diverſi concipitur, concipitur propter inadæquatos conceptus noſtros, & relationes diverſas ad extra.

Pergis: *Tum velle dicitur eſſe Spiritus Sanctus*, &c. *Reſpondetur*, ratione modi, non ꝙ eſſe, quod unum eſt. Atque ita, crede mihi, magno cum tædio oportuit devorare iſtas tuas abſurditates.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

CAP. III.

[*Ex Theologis qui probant hoc ipſum, quod Keckermannus, & eo modo quo Keckerm., idque ex Scriptura.*]

IN *Veteri Teſtamento cum Scriptura*, &c. pag. 20. *Quod ſunt ſcopæ diſſolutæ, hoc*, inquit, *eſt iſtud argumentum*. ibid. At non propter te ſcribimus, verum propter tui ſimiles, ne à te rudes decipiantur, formavimus tibi ſyllogiſmum integrum. Si in Deo eſt diſtinctio, & diſtinguatur aliquid ab alio, oportet ibi diſtinctionem eſſe, vel inter eſſentiam Dei, vel proprietates, vel modos, vel perſonas; Non prius; nec poſterius; Ergo. Syllogiſmus totus & integer habebitur apud Keckermannum. Inquis: *Pro conceſſo ſumit*, &c. pag.25. Erras, Goſlavi. Proprietates ille non diſtinguit ſimpliciter ab eſſentia, niſi ratione modi noſtri concipiendi; nam novit, & tu etiam noſſe debebas, in Deo nullam compoſitionem dari.

Secundo. *Quod ipſum de modis*, &c. *à nobis negatur*.pag.20. *Reſp.*Sed abſurdiſſime. Nam oſtenſo, quod inter proprietates & eſſentiam nulla differentia, niſi ex modo concipiendi noſtro, relinquitur; tum, ſi ex natura rei eſt aliqua diſtinctio, non poteſt ulla dari, niſi perſonarum. In quam vos pedibus itis, dum ſtatuitis, ex parte naturæ Dei eſſe diſtinctionem inter Spiritum & Deum.

Pergit: *Non eſt ſufficiens enumeratio partium*. ibidem. *Reſp.* Si prudens eſſes, animadvertiſſes hoc; ſed videris cæcitate Sodomitica percuſſus; ſcis, ſi ſcis, quid Keckermannus, & ejus hæreſeos homines, (ſi ita illos velis vocare) ſtatuant; hoc nimirum, proprietates non differre ab eſſentia, niſi modo noſtro concipiendi. Debebas, ſi ſincerus eſſes, ex mente iſtorum agere, non ex tua maligna phantaſia; & ſcire debebas,etiam tuos doctiores hoc noſſe.

Deinde, inquis, *aſſumptio eſt falſa, ſi modo verum eſt*, &c. *Neque enim mente comprehendere*, &c. pag. 26. Vis diſtingui inter eſſentiam cum modo ſubſiſtendi ſumptam, & abſolute ſumptam; Certe diſtinguuntur; & oblitus tui tam cito es, & argumenti tibi ab Adverſario propoſiti. An non ille ſtatuit hoc? Non eſſentiæ, non proprietatum; Ergo perſonarum. Si tui ſimiles eſſent, quid putas, quam tibi inſultarent?

Pergis: *Neque comprehendere mente queo*, &c. *qua ratione Scriptura in his diverſitatem non faciat, ſi aliud eſt eſſentia abſoluta; aliud, reſpectiva*, &c. *Nam una proprietas non ſunt proprietates*. ibid. *Reſp.* Angli reſpondent proverbio; Ex Sartagine in prunas. Hoc tibi hic evenit; ut effugias diſtinctionem in Deo, tollis Deum; Ille jocatur in Epicurum: *Verbis Deum ſtatuit, reipſa tollit*. Vis tibi oſtendam? Attende: Si proprietates Dei diſtinctæ ab eſſentia Dei, ex natura rei, Deus erit, ut dicis, aliud per aliud, Deus non Deus; veſtra hæc eſt Dialectica. En exemplum: Ut interceſſionem negetis Sanctorum, quam Pontificii urgent, negatis ſupereſſe Sanctorum animas. Sic, ſic itur ad aſtra.

Apponis: *Non eſt alicujus momenti ratio, proprietates eſſe ipſam eſſentiam*. ibid. *Reſp.* Profecto Gentilis melius ſentit de Deo, quam tu & tui complices. Audi, cognoſce verba tua: Eſſentia rei dat eſſe; In Deo hoc ſtatuis, quando diſputaſtis Lublini, Deus dedit eſſentiam, dedit nomen Filio, &c. Ergo non ens dedit; hic ſtatuis, eſſentiam Dei dare eſſentiam Dei. Subſume, & vide, quam præclare egeritis in hac diſputatione; & quod agas hic, ut indocte, ita & malitioſe. Dicis, *quod Keckerm. hæc diſtinguat*; & paulo poſt, *Keckermannum ſtatuere, proprietates eſſe ipſam eſſentiam*.ibid. *Reſp.* Fidem tuam, Goſlavi? An putas homines fungos, qui ſine conſcientia dicis quod vis de nobis, & circa noſtra ita deliras? De noſtris velim te ſtatuere aliud quid à mente tua.

Pergit: *In Deo nil eſt, niſi Deus*, &c. Certe. *At*, inquit, *ſunt perſonarum diſtinctiones*. ibid. Ita, ſed ſunt perſonarum diſtinctiones, non ut eſſentia ab eſſentia, ſed ut perſonalitas ab eſſentia. Dices, *Atqui perſonalitas eſt Deus ex Keckermanni mente, quia quicquid eſt in Deo, eſt Deus*. *Reſp.* Ineptum eſt utrumque; Nam à perſonalitate dicitur perſona, non Deus; ab eſſentia dicitur Deus. 2. Quicquid in Deo eſt ut ens, non ut modus ſubſiſtendi. Inquis, *at di-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

diſtincta ſunt. *Reſp.* Certe non *realiter, ſed modaliter*; Unitas & ens, veritas & ens, bonitas & ens, & differunt inter ſe; neque tamen differunt realiter, aut faciunt numerum; nam entium eſt facere numerum, non modorum.

At, inquis, *Perſona eſt Deus.* ibid. *Reſp.* Non abnuo, modo dextre capias; Nam perſona capitur abſtractive, vel concretive. Abſtractive nego, Deum dici perſonaliter; concretive admitto; non ratione modi ſubſiſtendi, ſed ratione τοῦ eſſe. Quæ vero hic philoſopharis, ex his refutantur quæ diximus.

Dicis: *His adjicio, numero eadem futura, ut poſſe & velle*, &c. pag. 27. *Reſp.* Quis negat, niſi inſanus, & qui naturam Dei tollit? Dicimus, te perpetuo in hunc ſcopulum impingere, quod ſtatuas, in Deo dari compoſitionem. Videamus, quomodo probas, poſſe, & velle, non eſſe idem; *Quia*, inquit, *multa Deus poteſt, quæ non vult*; *ut, hoc momento deſtruere mundum.* *Reſp.* Iſta diſtinctio non petitur ex eſſentia Dei, ſed ex objectis ad extra, & relatione ad eadem; Accidit, quod velle Dei abſolutum non latius patet, quam potentia ejus abſoluta; Quid enim eſt potentia Dei abſoluta, quæ poteſt omnia quæ contradictionem non implicant, quam Voluntas Dei abſoluta? De ordinaria potentia ſi dixeris, quæ definita Dei Voluntate eſt, quod plura poſſit, quam definita Dei Voluntas vult, abſurde dixeris. Neque enim Deus vult, aut velle poteſt, ejus contrarium quod decrevit.

Pergis: *Majorem propoſitionem hujus ſyllogiſmi*, &c. pag. 27. Addis: *Moneo te, lector*, &c. *Quia perpetuo concludit, modos diſtingui*, pag. 28. An, homo inepte, non disjunctivo argumento hoc probat Keckermannus? Diſtinguit, negare non potes, & quidem ex natura Dei; ergo vel diſtinguit eſſentias diverſas, vel attributa ab eſſentia, vel modos ſubſiſtendi; non eſſentias, quia una; non attibuta, quia illa idem quod Deus; ergo modos. Annon ergo iſta legitima illatio ex ſufficienti enumeratione?

Pergis: *Loquitur de Veteri Teſtamento*; *Ergo non de Novo*; *Reſp.* Lepidum caput! An non licet ipſi diſtincte tam ex Veteri Teſtamento, quam ex Novo, arceſſere loca ſub hoc termino, quod Scriptura diſtinguat aliquid in Deo ex parte rei?

CAP. IV.

DUplex hic argumentum, Goſlavi, quod tu ex malitia non capis. Primum eſt, *Dantur in Deo tria:* Intellectus ſeipſum intelligens; Imago ſui, & voluntas imaginem iſtam conſequens; Ergo iſta diſtinguuntur. Negare non potes, niſi aut negare velis, Deum ſe intelligere, aut intelligendo imaginem ſui habere; (ſiſte gradum; Intelligere ſe enim non eſt, niſi ſui imaginem habere); aut ſciendo ſe, ſummum bonum non velle. Si admittis hæc, admittis eſſe diſtinctionem in Dei eſſentia. Non eſſentiæ, ut oſtendit antea Keckermannus; non attributorum, ut oſtendimus clariſſime; Ergo modorum ſubſiſtendi. Da aliquod, ſi potes, quartum. Dicitur de hominibus quibuſdam, qualis tu es, quod per ruditatem ſuam non poſſint, niſi ridendo, exclamando, aliorum dicta excipere; Hoc in te liquet. Negas conſequentiam. Illa manifeſta eſt. Certum hoc. Dicis: *dico, duo hic eſſe falſa.* Qua ratione, quæſo te? Dicis quidem, Goſlavi, ſed non ille intellexit ſimpliciter; verum cum modo ſubſiſtendi certo: propterea dicit, voluntatem eſſe, ſive amorem; & ratio eſt, quia exſurgit ex diſcurſu; Keckerm. enim docet unam eſſentiam Dei, & tamen tria in hac eſſentia; Hæc tria non ſunt attributa, nec eſſentia; Ergo modi. Viciſſim, modi iſti ſunt in eſſentia, ac proinde eſſentia cum modo ſumpta differt quidem à modo altero, dum cum eo ſumitur, at non differt à ſe, ſumpta abſolute; hinc diſtinctio iſta fluit, perſonæ ſumptæ in abſtracto, & ſumptæ in concreto.

Pergis: *Spiritum hunc eſſe voluntatem*, &c. pag. 29. Duo adfers: *Non poſſe conciliari cum superioribus, in quibus dictum, Spiritum eſſe in eſſentia Divina*, &c. Hoc argumentum eſt: *quod eſt in eſſentia Divina, non eſt ipſa eſſentia.* *Reſp.* Inepta Major. Miſericordia, omnipotentia, &c. ſunt in eſſentia Divina; Ergo non ſunt eſſentia. Vide quam præclara concluſio emergat ex iſtis præmiſſis.

Pergis: *Deſtruit ſeipſam*, &c. pag. 29. *Reſp.* Hic

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Hic vere nequiter agis; oculariter tibi demonſtratur. Nam aliud eſt, voluntatem præſupponi; quod dicit Keckermannus: aliud, voluntatem præſupponere; quod tu dicis. Inquis: *Nec univerſaliter verum eſt, omnem intellectum præſupponere imaginem; & dicis, Scaligerum iſta dicere. Reſp.* Hoc dicit Scaliger: Non omnem intellectum per ſpeciem intelligere; & Deum excipit: Sed non dicit, quod aliquis intellectus ſit, qui ſe intelligat, & ſui imaginem non habeat; vis diſcere, quid ſit diſcriminis inter hæc duo? Hoc ſcilicet: Species transferuntur à ſenſibus exterioribus ad phantaſiam ſenſuum communem, & ita præſentantur intellectui; Intellectus mediantibus ſpeciebus concipit rem; hinc illa regula: *Nil eſt in intellectu, quod non ſit prius in ſenſu.* Idque ſive mediate, ſive immediate. At dum dicimus, intellectum Divinum intelligere ſe, & ſui imaginem formare intra ſe; imago hæc ordine naturæ conſequitur intellectum Dei; cum ſpecies, per quas intellectus creati intelligunt res, antecedant ipſum intellectum.

Secundum argumentum: Spiritus ferebatur ſuper aquas; & vis concludere, *Spiritum hunc non eſſe Spiritum Dei, ſed aërem.* Uteris his rationibus: 1. *Quia cæli & terræ mentio ſit, primo die quæ creata eſſent; cum tamen Keckermannus ſcribat, Moſen ſummatim loqui, & velut propoſitionem quandam præmittere.* pag. 30. *Reſp.* Quid Keckermannus dicat, parum curo. Attendo ad textum; dicit, cælum & terram facta; terram fuiſſe inanem; & addit: ſic fuit veſpera & mane diei primi. Hinc primo die dicit facta eſſe; nec unquam legeris, terram factam; quod opus fuiſſet, ſi primo die terra non fuiſſet facta: dicitur quidem, quod diſcreta ſit aqua à terra, ſed non dicitur, quod terra facta; ad hoc vero debuiſti attendere. *Alterum*, inquis, *non poteſt probari, quod non fuerit aër primo. Reſp.* Res clara. Nam locus ipſi nullus. Nam aër intra terram & nubes; atqui hæc non fuerunt diſtincta, niſi tertio demum die.

Pergis: *Dies non eſt abſque ſole, & tamen,* &c. *Quare ſi dies abſque ſole,* &c. *Sed non omnis ventus, proculdubio, eſt aër commotus,* &c. ibid. *Reſp.* Multa hic vitia. Dicis: *Diem non eſſe abſque ſole,* &c. 1. Quomodo tibi convenit tecum? Nam paulo poſt dicis, tempus eſſe æternum proculdubio abſque ſole: quomodo vero non dies? 2. Dies non eſt abſque ſole certe, ordinarius dies; Atqui ibi extraordinarii fuerunt, non quidem abſque luce, ſed tamen abſque ſole. Alterum, quod ſumis, ventum eſſe aërem commotum; Nam quomodo aër commotus, ſi ſit meteoron? Tibi meteora ſunt Elementa; apud omnes Phyſicos vapulabis. Diſce vero, quid ſit ventus, ex Phyſica; & noli ineptire.

Altera ratio: gloſſam hanc refutat proprietas naturalis venti, &c. Quærit, *unde hoc habetur? Reſp.* Textus Hebræus hoc habet; nam verbo iſto utitur, quo uti ſolet, cum docet, aves incubare ovis. Hinc certa Metaphora deductum, ad oſtendendum opus conſecrationis Spiritus Sancti.

Addis: *Crediderim, Spiritum Sanctum acquieviſſe. Reſp.* Atqui aquæ nondum erant diſtinctæ; ubi vero locus vento? Accedit, quod venti ſunt exhalationes ex terra; Atqui terra nondum libera fuit ab aquis.

Vltima ratio. Nuſquam legitur in Scriptura, Spiritum Dei pro vento, &c. *Et ut maxime,* &c. *Reſp.* Keckermannus non negat ſimpliciter, quod ſcilicet Spiritus Dei non poſſit capi pro vento, ſed negat, hoc loco accipi debere; & rationem adfert, quia Spiritus Dei conjungatur arctiſſime cum Deo. Notorium autem eſt, quod, quæ ambigua ſunt natura, ſæpe per contextum ita determinentur, ut non ſint ambigua. Tu vere debebas ad rationem ante allegatam attendere, quod ſcilicet ventus nullus adhuc erat, ac ne quidem locus generationis. Neque hic potes appellare ad hoc, quod à Deo extraordinarie creatus fuerit; Nam de hoc Scriptura ne gry quidem. Accedit, quod hic Spiritus fuit immenſus, incubuit etiam toti orbi; dicit enim indefinite, quod incubuit aquis: at vero aquæ circuibant totam terram, ut ex hiſtoria creationis notum. Fuit ergo circa totam terram. Immenſus ergo; quomodo ergo ventus? Dices, *non dicitur toti incubuiſſe. Reſp.* Ita quidem, definite non dicitur, ſed indefinite; cur autem uni parti incubuiſſet, & alteri non, rationem adferre non potes. Vis infringere ratio-

tio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

tionem ejus; quam affert ex textus arctiſſima connexione; & affers in contrarium, *Ioan.* 1. *v.*9: *In mundo erat, & mundus per ipſum factus.* Tu inquis: *Mundus, qui dicitur Chriſtum non cognoviſſe, alius procul dubio eſt ab eo, qui factus eſt per ipſum.* pag.32. Debebas meminiſſe illius:

Nil valet exemplum, quod litem lite reſolvit.

Tu vis effugere, data inſtantia controverſiſſima, imo falſa. Putas, homines ingratos, quales ibi Joannes deſcribit, non eſſe factos per Chriſtum. Per quem ergo, quæſo, facti? Annon poteris videre argumentum Joannis, quod mundus, qui per Chriſtum factus, ingratitudinis accuſetur? ſed tamen hoc vereris concedere, quod Chriſtum non prius extitiſſe ulla ratione feras, quam cum homo natus ſit. *Qui nomine Spiritus Dei*, &c. *Keckermannus reſpondet, creationem eſſe Spiritus Sancti opus, licet in hoc dicto non tantum perſona, ſed etiam virtus hujus perſonæ*, &c. pag.33. Reſpondet, non valere: *Danæus diſerte creationem Spiritui Sancto adſcribit; Ergo ſpiritus nomine, virtutem & efficaciam non intelligit. Cauſa una, quia alius eſt ſpiritus ſimpliciter, alius Spiritus Sanctus: Nec nos de ſpiritu Sancto loquimur. Omnis Spiritus Sanctus eſt Spiritus: Non omnis ſpiritus eſt Sanctus*: pag. 33. Primo obſervandum eſt, ponere illud aliud, & aliud, in Deo, atque ita compoſitionem; de qua ſupra. 2. Virtus in Scriptura ſumitur vel *eſſentialiter*, pro attributo Dei, potentia ſcilicet; & ita erit Deus: vel *perſonaliter*, ut capitur *Matth.* 12.*v.*25. Cum ergo Spiritus Sanctus perſona eſt, quæ concretive ſumpta eſſentiam includit, includet potentiam, quæ, ut diximus, non differt ab attributis, nec attributa ab ipſa; Ideo Keckerm. non male dicit, quod non tantum perſona, ſed & virtus hujus perſonæ hic intelligi poſſit. Altera ratio ejus eſt; *Quia utrumque*, inquit, *dicere poterat. Reſp.* Certe eo ſignificatu, quod dicimus; non vero quod ſibi contradicat.

Pergit: *Non negat Keckermannus, Danæum Spiritus nomine virtutem Dei intellexiſſe, ſed negat, perſonam propterea excluſiſſe; Quaſi non neceſſario hoc illud ſequeretur. An, ſi Spiritus Sanctus proprie denotat virtutem Dei, proprie etiam denotare poterit perſonam? Reſp.* Diximus, poteſt, non ut ſimpliciter virtus, ſed ut virtus perſonaliter ſumpta; Neque enim in Deo eſt aliud & aliud. *Sed deveniamus ad tertiam*, &c. *Antequam*, inquit, *confutabo*, &c. *Nihil concludere poſſe, quod eorum vel Magiſtri*, &c. pag. 32. Ineptus eſt totus; Quaſi vero, quia aliquis diſſentit à me, alter, qui mihi adverſatur, poſſit dicere, argumentum meum non eſſe firmum contra ipſum; Quaſi vero nos ab auctoritate alicujus pendeamus. Sed neque ipſi ea conditione cum aliquo diſputare vellent: Hinc, cum ipſis objicimus Socinum, ſolent dicere, ubi ipſis non placet (nam non ubique placet, religio enim ipſorum ambulatoria), *Non poſſum ego ob culpam Socini vapulare.*

Admodum eſt alienum, &c. *Contrariis qualitatibus ignis & aqua pugnant. At non ita tamen, ut unum alterum conſumat, ſurſum enim aquæ nullæ eſſent.* pag. 34. *Reſp.* Ut in Theologia nihil ſapis, ſic etiam in Phyſicis; Anne vero aquæ, ſive nubes, immediate ignem, & ignis immediate nubes attingit? Conſule Phyſicos, & te melius informabunt. Scito, Deum ita combinaſſe naturas, ut non extremum cum extremo, ſed extrema per media conjungat.

Secunda ratio Keckermanni: *Quia & ignis ille non poterat eſſe ante expanſum.* Quærit Goſlavius: *Cur non potuit*? p.35. *Reſp.* Non potuit eſſe, quia aër non potuit eſſe, & quia aqua cum terra quaſi unum corpus faciebat. Aqua enim undiq; complexa terram fuit, ita ut aquarum diſtinctio iſta, non eſſet inter ſuperiores & inferiores.

Ad locum pergit, *Faciamus hominem.* pag. 36. Locus, in quo expediendo hærent Adverſarii: Nam 1, Putantne Deum ita locutum eſſe, ut hoc Verbum, quod locutus fuit, accidentale fuerit? Sin ita, accidens hoc, fuit vel creatum, vel increatum. Si dixerint, creatum; quomodo factum? cum ante omnem creaturam fuerit. Si increatum, vide quid ſequatur, nimirum Verbum hoc increatum fuiſſe, & tamen diſtinctum à Deo. Jam ſi diſtinctum, attributum non erit, quia attributum non differt à Deo. Perſona ergo; quod tamen vos negatis.

Secundo, Faciamus hominem, &c. *Quæritur, utrum hic aliqua enallage numeri?* Hoc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Adverſarius aſſerit, pag. 36. *Reſp.* Omnia iſta in nihilum cadunt, ſi hoc obſervetur, enallages eſſe uſum in ſermone, dum aliquem alloquimur extra nos. At quem Deus hic allocutus extra ſe, dicere nobis debent. Nam aut hic homo erat aut Angeli, ſi præſertim corporeum ſit hoc verbum, quale putant Adverſarii. Nam homines tum nulli erant. Quorſum autem verba corporea formari debuerint? Angeli cum ſint incorporei, corporeis vocibus non indigebant. Neque vero ad Angelos verbum illud dirigebatur; Eos enim verbo ſuo vocabat, ut fierent, Rom. 4. & Hebr. 11, *Fide intelligimus aptata eſſe ſecula, hoc eſt, non exiſtentibus exiſtentia*; quo verbo & ipſi Angeli vocati, eſſe cœperunt; & ſicut omnes aliæ res, dicente Deo ut fierent, conditæ ſunt, ita de Angelis exiſtimandum eſt. Libet hic ſubjicere Cameronis diſſertationem ſuper hac re; Quale ſcil. iſtud Verbum Dei fuerit, Hebr. 1. Aio, inquit, quæ *Gen.* 1 docentur, *Dixit*, *Fiat*, Chriſtum ut Verbum Dei eſſentiale deſcribi. Quorſum enim, quæſo, attinebat, ut Moſes (quod nuſquam alibi in Scriptura fit tota), toties introduceret Deum dicentem: Illud & illud fiat, & poſtea factum eſt? Nam certe nullo tum Deus ſermone uſus eſt, ut, cum allocutus eſt Prophetas. Frigidum enim eſt reſpondere, ideo id factum eſſe, ut humano more ſignificaretur, omnia nutu ſuo condidiſſe. Quis vero ea de re dubitet, aut vero non certo ſciat, Deum ad fabricandum mundi machinam nullas vectes aut ferramenta adhibuiſſe? Deinde ſi ita ſe res habet, cur non & alibi Deus introducitur utens ſimili ſermone, cum magnum aliquod opus aut miraculum patravit? Nullus autem dubito, quin eo reſpexerit Joannes, cum Chriſtum vocaverit λόγον, quaſi diceret, Chriſtum iſtis formulis indicatum fuiſſe, *Dixit*, *& factum eſt*; Quanquam obſcure ſane, prout tempora iſta decebat; ſicut etiam obſcure fit mentio Spiritus Sancti in eodem capite: *Et Spiritus Dei ferebatur*, &c. Nam prima quidem fronte de vento aliquo loqui videtur; At quia nulla ratio reddi poteſt, unde ſit ortus iſte ventus; aut idonea cauſa, cur volutaret ſuper aquam; proclive eſt conjectari, Moſen eo loco alio reſpexiſſe. Ita etiam, cum nulla ratio poſſit reddi ſatis idonea tam operoſæ & anxiæ obſervationis, Deum ad ſingula quæque dixiſſe, *Fiat illud*, *& factum eſſe*; aliquod ſubeſſe oportet myſterium. Cum igitur in Novo Teſtamento docemur, eſſe Verbum, & omnia per illud condita; aut nobis illi hoc myſterium explicent, aut ne oſtendant ſe hac parte tam pertinaces. Hæc ſatis nugas profligant Goſlavii.

Putant hic de externo Verbo agi; ſed admittamus & hoc; ſi enim Deus plurali numero utitur more hominum, cur non ſemper utatur, dicant nobis; cur tunc cum legem tulit, qua ſuam Majeſtatem teſtatam voluit Iſraëlitis, eo non eſt uſus? Nihil enim habes, quam, *Ego ſum Deus tuus*, *qui te eduxi*, &c.

Succedit locus, Geneſ. 3: *Ecce Adam*, &c. *Deus alloquitur pares*, &c. *Ergo in una eſſentia*, &c. pag. 37. *Reſp.* Fatemur incommodius propoſitum à Keckermanno; Ita enim proponi debuit: Ubi plures pares, ibi plures perſonæ; At in eſſentia Dei ſunt plures pares; Ergo ſunt plures perſonæ. Dicis, non ergo tres. Aio, ex hoc quidem loco non probantur tres, ſed plures, eſſe perſonæ. Sed ſuppetunt alia infinita loca, quæ ad ternarium iſtum numerum perſonas reſtringunt.

Videamus, quid dicas ad infirmandum argumentum: Primo, *An ſi pares, propterea in unica eſſentia? At ſunt pares etiamſi non ejuſdem ſunt eſſentiæ.* pag. 38. *Reſp.* Agitur de paribus Deo. Atqui par Deo nemo eſſe poteſt, qui non ſit ejuſdem eſſentiæ cum Deo; quomodo enim par quiſquam poteſt eſſe infinito, niſi infinitus? Inter finitum enim & infinitum nulla proportio. Unum tantum ens.

Affers Calvinum, pag. 38; Sed iſta vana ſunt; nam ita formamus argumentum: Illi hic intelliguntur, quibus Satan perſuadere voluit, hominem ſimilem fore; At Satan non voluit perſuadere Adamo, Adamum ſimilem fore Angelis, ſed ſimilem *Diis*, ſeu *Deo*. Ergo Deus hic loquitur. Et hinc Theologi bene deducunt, pluraliter vocem bene capi pro perſonis. Quæ attexuntur, & quæ contra Keckermannum diſputantur, etſi plurima ad cenſuram trahi poſſent, quia ad argumentum nihil faciunt, omitto.

Per-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Pergis, adferſque aliam reſponſionem: Inquis, *Aliqui dicunt, allocutum Deum Angelos.* pag. 39. *Reſp.* At & hoc ineptum; Nam illos allocutus eſt, quibus Adam affectabat eſſe ſimilis. At non Angelis affectabat eſſe ſimilis, ſed Deo. Hoc enim Satan ipſi perſuadere voluit, quod, ſi de fructu ſumeret vetito, futurum eſſet, ut fieret Deus: Accedit & hoc, quod Adam fuerit ad imaginem Dei conditus, ad quam & ipſi Angeli conditi ſunt; ſimilis ergo jam erat Angelis, ita ut non opus fuerit affectare ipſum, ſimilem eſſe Angelis.

Dixerit quiſpiam, non poſſe probari, Angelos ad imaginem Dei conditos. *Reſp.* Quid, quæſo, eſt imago Dei, niſi ſanctitas & juſtitia? At vero illi in ſanctitate & juſtitia conditi; Scriptura enim eos vocat ſanctos, & docet, quoſdam à ſanctitate illa defeciſſe, idcirco & hic quæ affert ex Keckermanno, & quæ ille impugnat, nihil ad rhombum faciunt.

Vltimum argumentum eſt ex Exod. c. 11. 7: *Venite, deſcendamus, & confundamus linguas eorum*, &c. pag. 40. Ad argumentum, quod hic propoſuimus, attendat, & ad illud, ſi poteſt, reſpondeat: Cui competit confuſio linguarum, ille eſt Deus. Atqui illa pluribus in eſſentia Divina tribuitur; Ergo illi plures, ſunt Deus. Plures vero, vel ratione eſſentiæ, vel perſonarum. Non eſſentiæ; Ergo perſonarum. Tumore tuo pueriliter nugaris. Nam vides hoc eſſe argumentum, etiamſi omnia non ita expreſſa. Sed hoc eſt, cum non habes quæ reſpondeas, de forma ſollicitus es, idque in ſpeciem tantum. Et quidem indoctis videris aliquid magni agere, ſed doctis ludibrium debebis. Materiam vis attingere, numerum pluralem pro ſingulari poni hoc loco. Vide ut nobis exemplum proferas huic conforme: *Agedum deſcendamus: Agite deſcendamus.* Nam hoc quidem verum eſt, numerum pluralem ſæpe poni pro ſingulari, quamvis de Deo non ſine cauſa; nec tamen propter cauſam talem, qualem vos fingitis, ut more magnatum, &c. Hoc ſupra refutatum; ſed iſtis verbis, *Agite, faciamus hoc vel illud*, nunquam oſtendes, ſingulares uſos eſſe. 2. *Major etiam eatenus tantum concedenda, quatenus Deus prima eſt cauſa confuſionis linguarum.* pag. 41. *Reſp.* Revocas quæ dixiſti, & putas, creaturam poſſe linguas confundere, & poſſe uti miniſteriis in linguis confundendis. Multa ſunt quæ te non multum ſcientem oſtendunt. 1. Quod judicas, linguas poſſe confundi per creaturam; debebit vero primo intellectum immutare, debebit in inſtanti habitus quoſdam tollere, alios infundere; At quî poſſit hoc creatura, cum ignotum ipſi cor eſt & receſſus cordis? quomodo infundere poſſit habitus, & quidem in momento, & habitus loquendi; cum ſolus Deus habituum infuſorum cauſa ſit? Nam & cum ſucceſſione agit creatura, & non omnia agit. Audi: ſi eſſent hæc in poteſtate creaturæ, noſſet creatura ſermonem, antequam eſſet; nam minus hoc, quam infundere habitum loquendi; At hoc tribuit ſoli Deo Scriptura, *Pſalm.* 139. *v.* 4. Sed quid opus multis? ſibi hoc opus tribuit Deus, ut os ſtatuat homini: hoc eſt, efficit eloquentem, mutum, balbum; quanto magis vero ad Deum pertinebit, habitum linguarum infundere?

Adfert locum Matth. 3, *Et baptizatus deſcendit*, &c. Dicit: *Hunc locum vocat Keckermannus manifeſtum Trinitatis teſtimonium. Sed fallitur.* 1. *Quia non apparet, hunc Spiritum eſſe perſonam.* 2. *Non apparet, tres perſonas unica gaudere eſſentia.* 3. *Quod hæc à ſe invicem ſeparantur. Nam Pater de cælo loquitur; Filius in Iordane mergitur; Spiritus deſcendit.* pag. 41. 42. *Reſp.* Omnia nobis examinanda. Ad primum: Hoc hinc apparet, Goſlavi, non eſſe nudam virtutem, ut vos putatis, cum nudæ virtuti non competat, ſpeciem columbæ aſſumere, & deſcendere. Hinc jam porro, ſi non eſt accidens, eſt ſubſtantia. Hæc vel erit intellectu prædita, vel non; ſi intellectu prædita, quomodo, quæſo, non perſona? Nam perſona eſt, quæ intellectu & voluntate prædita eſt, nec pars alterius. Reſpondes: *Falſum eſſe, quod Spiritus Sanctus in ſpecie columbæ apparuerit.* pag. 44. *Reſp.* Hoc vero eſt in os Spiritui Sancto contradicere; lege *Luc.* 3. 22. Ne tamen veritati manus victas dare cogaris, contra Martinium dicis; *Locus iſte Lucæ, qui videtur plane oſtendere, Spiritum Sanctum in ſpecie co-*

lumbæ apparuiſſe, *aperte docet*, *non ita ſe rem habere*; *ſi enim id dicere voluiſſet, certe non* tanquam columba, *ſed* tanquam columbæ, *dixiſſet*; *unde apparet*, *voculam* tanquam, *voci* columbæ *junctam*, *tam hic*, *quam apud alios Evangeliſtas*, *tum ad verbum* deſcendere *referri*, *tum & columbini deſcenſus, non autem columbini corporis ſimilitudinem declarare*. *Reſp.* Probatio nulla eſt. 1. Quod procedit ex vitioſa verſione; quia in Græco textu non dicitur, quod Spiritus Sanctus ſicut columba deſcenderit, ſed diſertis verbis Lucas pronuntiat, deſcendiſſe Spiritum Sanctum in corporea ſpecie, qui caſus non tam ad verbum καταβῆναι, quam ad verbum πνεύματος, ſeu Spiritus, qui deſcendit, reſpicere videtur; ut ſenſus ſit, Illam corporalem ſpeciem, in qua Spiritus Sanctus apparuit, fuiſſe columbam. 2. Lucas ſine ſolœciſmo inſigni nec potuit nec debuit dicere, *ſicut columbæ*, quod ipſum dictum autumat Adverſarius, ſi ad ſpeciem columbæ digitum voluerat intendere; quia modus loquendi id non patiebatur; Cum enim verbum, καταβῆναι, ex altera parte regit accuſativum πνεῦμα, vocem ſequentem etiam, περιστερὰν, in eodem caſu poni omnino erat neceſſarium; &, ſi genitivo uti debuiſſet Lucas, tum particula ὡσεὶ eſſet omittenda. Veniamus ad tua Phyſica. Inquis: *Non apparet*, *tres iſtas perſonas unica gaudere eſſentia*, *imo contrarium apparet*, &c. Iterum prodis myſteria ſectæ tuæ; Nam Deum finitum arbitraris; quod ſi finitus, quomodo, quæſo, extra omnia localiter? 1 *Reg.* 8: *Cæli cælorum non capiunt te*, &c. Diſce vero, ſicut æternitas deſcribitur, quod ſit ante omne tempus; ita infinitas, quod ſit extra omnem locum. Et hoc unum grande erratum, ſi modo agnoſcas grande, quod tollit naturam Dei. Alterum, quod te ipſum petit, & tuos ſodales; Diſputatur inter nos, An Spiritus Sanctus ſit quid ſubſiſtens. Perpetuo negabis illud, quia in Deo eſt. At hic jam fateris, extra Deum eſſe; nam inquis, *ſeparata ſunt iſta*; *Quia Deus in cælo manet*, *Spiritus deſcendit*. Hunc bolum non facile concoxeris. Unicum adhuc reſtat argumentum: An Spiritus Sanctus æqualis eſſentiæ cum Patre. Tu ipſi hoc affingere videris; nam *ejuſdem* eſſentiæ dicit, non *æqualis*; diſtincta enim hæc ſunt. *Sequitur Keckermanni in eodem ordine teſtimonii*, &c. Addis: *Ex eo*, *quod Spiritus Sancti teſtimonium æquivaleat teſtimonio Patris*, *non ſequitur*, *ejuſdem cum Patre eſſentiæ eſſe Spiritum Sanctum*. *Nam nemo neſcit*, &c. *Quippe æquale teſtimonium*, &c. pag. 44. *Reſp.* Præclara Enſtaſis; Keckermannus dicit, teſtimonium Spiritus Sancti æquale eſſe teſtimonio Dei, &c. Dicis, *non ſequi*, *quia mille homines æquale teſtimonium dare poterunt*, &c. *Si teſtantur ut res eſt*. Anne homines non ſunt ejuſdem eſſentiæ ſpecifice? Et, an creatura poteſt æquale teſtimonium perhibere Deo? Quorſum vero iſta, *Omnis homo mendax*, &c? *Objici* poteſt: De hominibus dici, non de Angelis. At & Angeli labi poſſunt, *Ioan.* 4. Deus non poteſt vel labi, vel mentiri. Nec hoc verum, quod dicis: *Mille homines poſſunt teſtimonium*, &c. 1. Nam utut in exceptione tua altera addas, *ſi enim unus ſit magis idoneus ad teſtimonium dandum*, *quam alter*. Nec enim omnes æque idonei; Poteſt vero rem teſtari ut eſt, quod tua exceptione priore dixiſti; & tu non æque idoneus ad teſtimonium dandum, ac alter; qui enim ſemel mentitur, etſi vera dicat, ei non creditur.

Erit hic quod objiciet nobis ratione præſenti, &c. pag. 44. Imo vero nugaris; nunquam enim Keckermannus dicit, æqualis eſſentiæ eſſe Spiritum Sanctum cum eſſentia Patris, ſed ejuſdem.

At concedit neceſſario hoc ipſum, *qui neceſſarium*, &c. *Nam quod alicui æquale non eſt*, *illud ipſum cui eſt æquale*, &c. pag. 45. *Reſp.* Certe, ſed æqualis dicitur Spiritus Sanctus, non ratione eſſentiæ, verum perſonæ. Sunt æquales enim perſonæ iſtæ, eo quod unam eandemque ſingularem eſſentiam habeant, non quod æqualem.

Pergit: *Sed pondus habeat objectio*, &c. *At hæc nemo*, *niſi inſanus*, *dixerit*. Dicis: *Homo*, *& Angelus*, &c. *Reſpond.* Nemo hoc negabit, illum qui teſtimonium dat æquale teſtimonio Patris, eſſe Deum; non poterit enim æquale eſſe teſtimonium, niſi ſit independens. Nam dependentis ad independens nulla proportio. At affers, *hominem*, *& Angelum*, &c. *Reſp.* Nihil ad rem Enſtaſis. Nam & homo, & Ange-

gelus, ſunt naturæ dependentis finitæ; ſecus creatura, & Deus. 2. Nec hoc verum, quod homo, & Angelus, æqualiter teſtimonium dant. Nam ſemper ſubeſt periculum in teſtimonio hominis, etiam optimi, ne fallat, ut verum ſit ejus teſtimonium; de Angelo autem nihil tale ſuſpicari licet. Illi enim, ut labi non poſſunt, ita nec mentiri.

Affers præterea exemplum, 1 Joan. 5, *ad infringendum hoc argumentum*. Videamus quomodo concludas: *Tres ſunt teſtes in terra: Spiritus, aqua, & ignis; & hi tres unum ſunt.* Inquis: *An Spiritus, ignis, & aqua, erunt æqualis eſſentiæ?* pag. 45. *Reſp.* Debebas primo indicare, quid iſta ſignificent; Præterea ſi dixero æqualitatem, nihil abſurdi; hoc eſt, æqualitatem, ſi non ſpecificam, ſaltem genericam, hic dari poſſe.

Ergo erunt æquales illi ſuperioribus cæleſtibus, &c. ibid. Dictum eſt, quare non poſſint eſſe æquales: hoc contra te, qui omiſiſti, quod iſtorum trium in cælo teſtium teſtimonium, Dei dicatur; Deus ergo ſunt iſti tres: Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus.

Pergis: *Sed tamen æqualem, & non minorem, eſſe Filio Spiritum Sanctum probat, quod perhibeat teſtimonium Filio Dei*; & dicis, *Puerile hoc eſt argumentum*, &c. *Vt, Ioannes Baptiſta de Chriſto teſtatus eſt. Reſp.* Ita quidem poteſt teſtari; At hic teſtis non eſt creatura; quod ipſimet fatemini. Hinc, ſi creatura non eſt, creator erit. Et propterea etiam dicitur Spiritus Sancti teſtimonium, teſtimonium Dei, loco quem citaſti; Nec tu minorem probabis Filio Spiritum Dei. Nam Filius Dei tibi homo purus; At vero Spiritus Sanctus eſt attributum aliquod eſſentiale Dei. Quamvis non video, quomodo repellere poſſis ab eo, ut ne ſit perſona, quod concedas teſtari. Nam nemo teſtari poteſt, niſi perſona. Scommata tua in Auguſtinum, & Keckermannum, nihili facimus; eſt hoc eorum, qui, cum aliquid ſolvere non poſſunt, convitiis arrodunt.

Pergamus ad Matth. 25, de Baptiſmo: *Quid hæc concluſio*, &c. pag. 46. Credo te exulaſſe à te ipſo, cum hæc ſcriberes. Keckermannus probat, 1; Divinitatis unius eſſe tres perſonas. An tibi Divinitas non eſſentia Dei?

Sed pergis: *Duo ſunt quæ quæruntur*, &c. *Cæterum inter creaturas & perſonas Divinitatis eſt quid tertium; Iuſtitia, Miſericordia*, &c. *Reſp.* Ineptiæ, & portenta. Anne inter ens independens, & dependens, datur aliquod medium? Quis talia excogitare, præter ineptos tuos gregales, poteſt, qui Deum compoſitum ſtatuunt, finitum, & quæ non ejuſmodi, quorum vel Turcas pudeat? Nos hiſce non immorabimur: Nam aliis occaſionibus ſatis hoc confutavimus. Unum licet quærere: Anne iſta dici poſſunt bona bonitate, qua ſolus Deus dicitur bonus? Si ita; quomodo non erunt Deus? Si non; quomodo erunt independentia? Aut oſtende, dari tale medium, ratione aliqua.

Præterea aſſumptio in ea parte, &c. pag. 46. *Reſp.* Certe creatura; non hac parte tamen, quatenus Filius Dei. Nunquam enim tu oſtendes, Chriſtum Filium Dei vocari ratione humanæ naturæ. Scio quid dicas: *Quod in aliquem competit, nullo modo negari poteſt. Reſp.* Abſurde. Poteſt in oppoſitione & diſtinctione negari aliquid de aliquo, quod ipſi ineſt, *Matt.* 22. Negat ſe Chriſtus Filium Davidis, quatenus eſt Dominus Davidis; non tamen ſimpliciter, ſed in oppoſitione ad hoc attributum; Nam certe erat Filius Davidis, *Rom.* 1.

Verum rationes attendamus, &c. *Quia harum non*, &c. *Sed quibus argumentis*, &c. *Reſp.* Ineptus totus; vocem quidem hanc non probamus, rem probamus. Nam nec Cœna Domini vocatur Sacramentum; interim tamen ex conſuetudine Eccleſiæ vocamus Sacramentum. Nam vocamus Sacramenta iſtas cerimonias, in quibus ſigna viſibilia adhibentur ad rem ſeu gratiam inviſibilem oſtendendam; Quod in Baptiſmo aquæ eſſe nemo ſanus negaverit; Nam aqua ſignum eſt ablutionis per Sanguinem Chriſti. Cur enim vocatur lavacrum regenerationis? quare dicimur abluti Sanguine Chriſti? niſi quod aqua, qua abluimur, ſit ſignum ablutionis à peccatis noſtris. Sed dubitas, an *Matt.* 28 agatur de Baptiſmo aquæ. *Reſp.* Si illic de Baptiſmo aquæ non dicitur, unde vero eſt, quod baptizarint Apoſtoli? Anne fecerunt hoc proprio ductu, an juſſu Chriſti? Quid? Prius non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

non dices; poſterius ergo verum. At inquis: *Qui hoc loco baptizari jubentur, pariter ad baptizandum & docendum*, &c. pag. 47. Neſcio quomodo capis illud *pariter*; An qui miſſus eſt ſimul ad baptizandum, atque ad docendum? Ratio eſt, quia Sacramenta non ſunt ita neceſſaria ad ſalutem, ut Verbum Dei; Nam Circumciſio intermiſſa fuit per 40 annos in deſerto. Interim tamen, qui moriebantur, omnes non condemnabantur. At ſine fide, quæ ex Verbo Dei eſt, nemo ſalvari poteſt; Sed oportet te conveniamus argumento tuo ſimillimo; Anne Deus poſtulaverit ſibi pariter ſacrificia offerri, & miſericordiam proximo præſtari? Non negabis certe, ſi iſtud *pariter* capias tuo ſenſu. Atqui tamen dicitur, *miſericordiam volo*, &c. Diſcas ergo, tales locutiones in duplici differentia eſſe in Scriptura. Vel enim comparationem inferunt, ut hic ſit ſenſus: Non primario volo ſacrificium, ſed primario volo miſericordiam; quomodo hic locus eſt capiendus. Vel capiuntur tales locutiones, præſuppoſita particula ampliandi. Verbi gratia: Non veni facere voluntatem meam, id eſt, non tantum meam, ſed & Patris.

Pergis; *porro, quod nuſquam legamus*, &c. *Volve, revolve*, &c. ibid. *Reſp.* Abſurdus es, & talpa cæcior, ſi hoc non vidiſti. Vide *Act.* 19, ubi Paulus quærit, an Spiritum Sanctum acceperint iſti, quorum ibi mentio facta; Reſponderunt, Ne quidem ſcimus, An ſit, &c. Regerit: *In quid ergo baptizati eſtis?* Quæſtio unde oriri potuit, niſi ex eo, quod qui baptizatus eſt, baptizatur in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti? Verte tu te quocunque velis, & vide an excutias hoc argumentum. Dum vero in Actis legitur, baptizatos in nomen Chriſti; Excluſive hoc nunquam dicitur, ut hic locus te docere potuit. Sed age, anne, ubi præceptum eſt, oportet exemplum tibi afferri? Nonne ſufficit tibi præceptum? Nam quæ argumenta affers ad oſtendendum, quod ibi de baptiſmo aquæ non agitur; vaniſſima ſunt, ut ex ſolutione rationum tuarum facile liquet. Sed dabimus tibi argumentum, quod præponderabit tuis ineptiis, & inſulſis argumentis: Si Baptiſmus capiatur pro doctrina hoc loco, tum neceſſario iſtam tautologiam admittas oportet, *Docete docentes*; quæ tautologia abſurda. Inquis, μαθητεύσατε ſignificat, *Diſcipulos facite*. Annon etiam ſumitur pro τῷ docere? quomodo vero probabis mihi, capi pro facere diſcipulos? Secundo, vide conſequens, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit*; Ex tua ſententia dicendum, Qui crediderit, & doctus fuerit. Quis hic ſenſus erit? Eo dementiæ itis, dum certa & clara in dubium vocatis. Præterea oſtende, ubi Baptiſmus capitur pro doctrina; Adfertis loca, ſed nec ad rem, & dubia. At dubium non facit fidem dubio: nec controverſum controverſo. Oſtendite præterea, ubi capitur baptizare pro evangelizare; & quod antea nemo baptizatus fuerit, niſi qui crediderit; de adultis loquimur. *Act.* 5.

Altera ratio, inquis, *Quia nulla creatura ratione mandati*, &c. *Duo hic dicuntur*, &c. *Prius æquiparare*, &c. *Poſterius in eodem ordine*, &c. *Atqui verba Chriſti non præ ſe ferunt*, &c. pag. 47, 48. *Reſp.* Nihil vides, ſi hoc non vides. Annon dicitur, *In nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti?* Quid, quæſo, tu putas hic nomen ſignificare? certe non ſimpliciter nomen, ſed auctoritatem, mandatum. Vide *Act.* 4. 7: *Qua poteſtate*, &c. De poſteriori dicis, *non eſſe inuſitatum in Scriptura, conjungere creaturam cum Creatore, in rebus non minoris momenti*; 1 Samuel. 12, *Et timuit*, &c. Exod. 14, *Crediderunt*, &c. *Ideo nihil impedit*, inquis, &c. *Reſp.* Primo, quod Keckermannus dicit, *in eodem ordine*; Ordo hic non quilibet intelligitur, ſed ordo æqualitatis. Nam non dicitur *in nominibus*, ſed *in nomine*, ut ſignificetur eadem æqualis auctoritas & mandatum. Ad citata reſpondetur; Dicitur quidem de eo, quod timuit Dominum & Samuelem; alio tamen timore timuit populus Deum, alio Samuelem: Nam certe Deum timuit ea reverentia, quam Deo debet, quæ eſt religioſa; diverſa autem Samuelem, nimirum civili. Alter locus credo, quod tibi magis arriſerit, ut quo dicitur *crediaiſſe in Iehovam*, &c. Et hoc non de nihilo facis, ut ſcilicet viam ſternas ad eludendum illud, quod contra vos ferimus, pro Divinitate Filii Dei, quod in Chri-

ſtum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ſtum credamus, & credere jubeamur. Nam hic acceſſitis Enſtaſin contra nos, ſed inepte. Nam iſta phraſis apud Hebræos ambigua eſt, & ſecundum ſubjectum determinanda fuerit. Vide illud *Gen.* 15. *v.* 6. Et credidit in Dominum, & imputavit illud ei in juſtitiam: Quod Paulus vertit, credere Deo, *Rom.* 4. 3. Hinc illud apud Auguſtinum; *Aliud eſt credere eſſe Deum, quod Satan credit; credere Deo, quod & ille facit; & credere in Deum.* LXX Interpretes ſic locum vertunt. Καὶ ἐπίστευσαν τῷ Θεῷ, καὶ Μωσεῖ τῷ θεράποντι αὐτοῦ. Nil vero dixiſti hactenus, quod ad enervandum hoc argumentum facere poſſit.

Tertio loco affert, &c. *Hic tres nominantur,* &c. Reſp. *At ſi tres,* &c. pag. 48, 49, &c. Millies reſponſum ad nugas iſtas; ſed interim, quia Goſlavius ſe ita jejune gerit, repetamus vim iſtius argumenti. Primo ergo Spiritus Sanctus vocatur conſolator ille. 2. Spiritus Sanctus dicitur eſſe in Deo. Hinc jam ſi in Deo eſt, & eſt perſona, tum ſequitur, eſſe Deum. Nam hoc vos ipſi conceditis, ſi perſona eſt, eſſe Deum. Jam date mihi ex tota Scriptura, ubi aliquis vocetur conſolator, & perſona non ſit. Jam porro ſequitur, cum mittens non ſit inferior miſſo, Chriſtum quoque fore Deum, ut qui mittat hunc Spiritum Sanctum; Si vero tres ſunt, qui ſunt Deus, aut erunt diſtincti eſſentia, aut perſonis; At non eſſentia, quia ita eſſent tres Dii; Ergo perſonis. Vides quo tuus ſarcaſmus evaſit.

Pergis: *Locus quartus ex* 2 Cor. 13. v. 13: *Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti,* &c. *Non explicat,* inquit, *quomodo hinc conſequatur, quod in dubium vocatur; ideo,* inquis, *nulla refutatione eget,* pag. 49. At locus per ſe clarus; Qui invocatur, eſt verus æternus Deus. Atqui hic tres invocantur, Chriſtus, Deus Pater, & Spiritus Sanctus. Ergo erunt iſti tres Deus. Diſtinguuntur tamen aut ratione eſſentiæ, aut ratione perſonarum. Non prius; quia eſſent tres, non unus. Ergo ratione perſonarum. De Majore dubium nullum; Nam qui invocatur, in ipſum creditur; At fides non eſt niſi in ſolum Deum, Jer. 17: *Maledictus qui confidit in homine.*

Quintum teſtimonium conſtat, 1 Joan. 5. 7: *Tres ſunt qui,* &c. Ad hoc argumentum reſpondet: *Sequitur, tantum tres eſſe, non autem tres eſſe perſonas. Sed mox ſibi ipſi contradicit, inquiens: Dicimus, ex hoc loco unitatem eſſentiæ poſſe obtineri.* ibid. *Reſp.* ad hoc: Aliud eſt dicere extra dubium, poſſe nos obtinere hoc vel illud; aliud, poſſe & aliud obtinere. Keckerm. dicit poſſe obtinere, quod ſint tres diſtinctæ perſonæ, & quidem extra dubium; ſed & poſſe obtinere unam eſſentiam, etiam oblatrantibus tuis gregalibus; Eſtne hic contradictionis aliquid, Goſlavi? Et tamen quicquid in buccam tibi venit, audes tanquam oraculum promere.

Pergis: *Nec juvat quicquam Adverſarium,* &c. Inquis: *Quod enim ex conceſſione,* &c. pag. 50. *Reſp.* Totus ineptus es. Conceditis aliquid, quod non ſit ex loco, & quod à loco, non ex conceſſione inquis; Ergo quod locus inquit, vos non conceditis; Itaque quacunque parte tangeris, es inſulſus, & tamen his videris tibi admodum placere.

Pergis: *Quanquam falſum eſt, ex unitate,* &c. *Reſp.* Ex unitate quidem *voluntatis ſpecificæ* non ſequitur, unam eſſentiam eſſe; ſed ex *voluntatis ſingularis & numericæ* ſequitur certe, unam eſſentiam eſſe. Nam quorum voluntas eadem eſt numero, eadem eſt eſſentia. Præterea elicitur hic, Spiritum Sanctum eſſe perſonam; quod toties negatis. Nam qui conſentit cum altero, perſona eſt; neque enim alicui conſenſus tribuitur, qui perſona non ſit. Accedit, quo firmatur hoc argumentum, quod iſtorum trium teſtimonium dicatur ibidem eſſe Dei teſtimonium; Sunt ergo hi tres Deus. *Neque vero,* inquis, *concedo, his verbis, Et hi tres unum,* &c. *Ratio contextus,* &c. pag. 50. *Reſp.* At ſi hoc teſtimonium eſt, Jeſum eſſe Filium Dei, tum certe ſequitur unitas eſſentiæ ex hoc ipſo; nam qualem Filium eſſe teſtatur? Proprium nempe. At proprius Filius quis eſt, niſi qui ex eſſentia genitus? Hinc ergo duo ſequuntur: aut eſſentiam, aut perſonam in eſſentia genitam: At non prius; eſſent enim ita eſſentiæ duæ; Ergo poſterius. Ejuſdem ergo eſſentiæ Filius cum Patre. Scio quam ludatis in voce *proprii*, ſed ſatis vobis à noſtris reſponſum,

&

& hic reſpondiſſemus, ſi moviſſes cauſam.

Pergis: *Vt concedam, inquiet aliquis*, &c. *Si proprie*, &c. *Eſt figura*, &c. *Cum id, quod eſt rerum*, &c. pag. 51. *Reſp.* Præclare. Nam quæ cauſa eſt, cur fingas iſtam proſopopœiam præter neceſſitatem? Non fingimus nobis, nec fingere licet, tropos. 2. Accommoda rem ad Spiritum Sanctum. Nam credo, te non negare, Patrem eſſe perſonam; Filium perſonam; Spiritus Sanctus quid erit tibi? Inanimatum quid? *Objicis: Atqui dicitur & in terra teſtari, Spiritus, aqua, & ſanguis. Reſp.* Hîc tribuo facile tropum. Nam Spiritus, iſta explicans, ſic dicit, *Si teſtimonium hominum accipimus*, ut trium ſit omnium, Teſtimonium dicit hominum eſſe: Qua ratione autem dicitur hominum, explicant auctores. Nam per aquam intelligitur ſanctificatio; per ſanguinem, juſtificatio; per Spiritum, agnitio Dei Patris per fidem. Dixeris: *Quid hoc ad hominum teſtimonium, & quomodo hoc dici poteſt teſtimonium hominum? Reſp.* Ita, quod ſui ſanctificatione, ſui juſtificatione, ſui agnitione, teſtentur tres eſſe; nam ſanctificantur per Spiritum Sanctum, cui ſanctificatio attribuitur; juſtificantur per Chriſtum; cognoſcunt Deum Patrem in Chriſto, per Spiritum. Vide *Bezam in Annotat.*

Pergit: *Nunc attendamus, quomodo Keckermannus*, &c. *Duo autem hujus generis*, &c. *Locum hunc*, &c. *Quoad primum*, &c. pag. 51. *Reſp.* Quoad Syriacam illam editionem, non eſt authentica; proinde inepte affertur; Eadem ratio eſt de Latinis codicibus. Quoad Græcos, dicimus, quoſdam habere antiquiſſimos. 2. Oſtendimus hoc ex antiquiſſimis Patribus, Juſtino martyre, Nazianzeno, & aliis; ita ut non ſolum hic afferamus Hieronymum, ſed & alios. Præterea, præter eos quos diximus, Fulgentius, Epiphanius, habent hæc ipſa; ideo non tam facile eluditur hoc argumentum, ſolum Hieronymum reprobando. Nam & reliqui reprobari debebant: quod Adverſarius non audet.

Poſteriori rationi id opponit, quod ſuperius paulo probatum; ſcilicet, ſe ex hoc loco tantum velle probare perſonas tres diſtinctas, &c. pag. 53. *Reſp.* Keckermannus, & alii, putant, in eo aliquid ſitum eſſe, quod dicatur priori loco οἱ τρεῖς ἕν εἰσιν. poſteriori, καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσιν. Iſta nihil ad rem. Nam eſt quidem diverſus modus loquendi, ſed idem ſignificans; quod bene Martyr obſervavit, in 2 *Cor.* 6. 15. Sed hic non figimus pedem; Probamus, cæleſtes illos teſtes eſſe eſſentia unum, quia dicatur *Dei* teſtimonium, non *Deorum.* Dicimus, hos tres teſtes eſſe unum *ſpecie*, ſed non *individuo*; quia non dicitur teſtimonium *hominis*, ſed *hominum.*

CAP. V.

Scriptura tribus diſtinctis, &c. *Antecedens probatur*, Jerem. 23. *Vbi vocatur Chriſtus Iehova juſtitia noſtra.* pag. 53. *Reſp.* Vis intricare & implicare locum hunc; ſed clarior eſt, quam ut hoc poſſis. Vis vocari Eccleſiam Iſraëliticam Jehovam juſtitiam noſtram. Siſte pauliſper, ut tecum diſſeramus. Ubi tu audiviſti vocari ullam creaturam creatorem? Nuſpiam; Eſt enim vox hæc major, quam ut creaturæ tribui poſſit. Imo tribueretur ipſi contra naturam. Si jam hæc vox non poteſt tribui creaturæ, quomodo vox Jehovæ, quæ plus notat, quam creatorem eſſe? Nam notat eum, qui ex ſe eſt; & Deus quidem poterat non eſſe creator, non autem non eſſe ex ſe; hoc eſt, non poterat non eſſe. Hoc abſurdius, quod dicas, Iſraëlem juſtitiam noſtram vocari. *Reſp.* Tune Judæos, gentem toties rebellem in Deum, gentem, cui, ut vos docetis (nam ex veſtra hypotheſi loquor), non ſunt factæ promiſſiones ſpirituales, vocaveris juſtitiam noſtram? Fidem tuam! Mavis quidvis blaterare, quam ut Chriſto tribuas, quæ ipſius ſunt. Vide in Novo Teſtamento, quod hæc ad Chriſtum referantur, & ille ſit juſtitia noſtra, factus nobis à Deo, 1 *Cor.* 1. Et quomodo factus juſtitia, lege 2 *Cor.* 5. 21.

Pergis: *Eo vero magis in hanc ſententiam adducor*, &c. *Et citas locum* Jer. 33. 15. pag. 54. *Reſp.* Intricas iterum locum; ſed in vanum; Nam eadem te argumenta oppriment, quæ ante attulimus; præterea, ſi ad Jeruſalem refertur hoc, quod dicatur Jehova juſtitia noſtra,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ſequetur neceſſario hoc, ut ſit aliquis, cujus ſit Jehova Jeroſolyma futura; ſint aliqui, quorum ſit juſtitia futura. Dederis, quæſo, mihi aliquot tales. Præterea invocaturi aliqui ſunt Jeroſolymam, ſi eſt Jehova; nam Jehova invocatur. Denique, quomodo juſtitia futura eſt Jeroſolyma? quod æternum non poteris ex tua mente probare.

Addis non minus inepte; *Expreſſe Hebraïcus habet*, &c. *Quod pronomen eam neceſſe eſt, ut Ieruſalem referat*. pag. 54. *Reſp*. Certe Jeruſalem refert, ſed interim tamen non ſequitur quod vis. Nam ita Hebræus textus habet: *Ieruſalem habitabit in fiducia, & iſte qui vocabit eam, Dominus juſtitia noſtra*. Quid hic ad Jeruſalem, *Dominus juſtitia noſtra?* Præterea, ſi ad Jeruſalem pertineret, ita deberet eſſe; *Et is, qui vocabit eam, Dominum juſtitiam noſtram*. Vides, quam abſurda & contorta!

Pergis: *Demus*, &c. *Ille conditor cæli*, &c. ibid. *Reſp*. Anne datur Jehova, qui non ſit creator & conditor cæli & terræ? Tu quidem abſurde ſomnias. Nam an datur quid independens, quod ex ſe, & non ab alio, quod non ſit conditor cæli & terræ? Video vos murmurare, imo expreſſe ſcriptillatis, eſſe quædam, quæ ex ſe ſunt, quæ Deus non ſunt; Materiam enim primam Deus vobis non condidit, ſed ex ſe eſt, ut expreſſe ſcribit Moſcorovius contra Smiglecium. Locus ex ſe eſt, tempus ex ſe eſt. Mirum, Sociniani, qui non vocetis ipſa Jehovam.

Sed ad rem. Ieruſalem eſſet, inquit, *Iehova ille*. At abſurde ſumis pro conceſſo, Jeruſalem ſumi Jehovam & vocari; & cum dicis, *demus*, hoc ipſo videris ad tempus relinquere reſponſionem iſtam. *Sunt & alii*, inquis, *loci*. pag. 55, Exod. 24: *Ædificavit Moſes altare*, &c. Unde vero conſtat tibi, quod vocetur *Iehova exaltatio mea*, & non *Iehova vexilli mei*, ut nonnulli vertunt? Nam utrumque lingua Hebræa poteſt admittere. Sed ponas ita vertendum; hoc tamen pro te nil. Theologi noſtri facile hoc dant, nomen iſtud tribui creaturæ, vel in obliquo caſu, vel in complexione; in caſu obliquo, ut, Jehova vexilli mei: item, mons Jehovæ: In complexione, ut hoc quod affers, *Exod*. 24. Nec hæc obſervatio deſtituitur ratione graviſſima; Nam ſi nuſquam creatura in Scriptura vocatur creator, multo minus vocabitur Jehova; quia hoc plus notat, quam illud. At oportet hoc fieri, ſi in caſu recto, & extra complexionem, nomen hoc tribueretur creaturæ.

Pervenimus ad caput *Ioan*. 1: Ait: *Λόγος expreſſe dicitur* Deus, &c. *Qui in principio fuerit apud Patrem; inquis, utrumque locum ſolvam: ſed primum ita. Nomen Deus non eſt naturæ, ſed officii; non eſt alicujus proprium, ſed commune*. *Reſp*. Statim in limine cadis. Quid? Nomen Dei non eſt naturæ? Quodnam ergo erit naturæ, dixeris, quæſo, mihi. Nam certe ſine nomine, naturam exprimente, Deus non eſt. 2. Cur vox iſta diſtinguitur in propriam, & tropicam; idque apud omnes? Nam proprie Deo tribui dicunt; per Metaphoram, Angelis, Magiſtratui; Catachreſtice, Idolis, Ventri, Diabolo. 3. Scriptura vocat non, ut tu, inepte, officio Deum, ſed natura Deum, *Gal*. 4. 5. Vana ergo, quæ ſubjungis.

Pergis: *Atque ita, ut vix nec vix hac appellatione digni*, &c. ibid. *Reſp*. Certe nemo eſt dignus iſto nomine, ſi proprie accipiatur; Et Chriſtus intitulatur hoc nomine; non, ut tu opinaris, ex officio, ſed ex natura. Nam dixeris mihi, annon eadem Pauli reprehenſio in eoſdem caderet, qui Chriſto ſerviunt, ſi Chriſtus natura Deus non eſt. Ideo & in Scriptura vocatur *verus Deus*; Quem tu, quæſo, vocaveris verum hujus vel illius generis, qui naturam veram ejuſdem generis non habeat? Certe non dices hoc facile. Scio quid prætendatis; Dicitis, *etiam Metaphorica vocari vera*; ut, *Chriſtus vera lux*. *Reſp*. Vera Metaphorice; ſive, vere in ipſum quadrat Metaphora iſta. Nam, ne neſcias, & attributio Metaphoræ non cuivis vere competit, ſed illi qui in aliqua ſimilitudine inſigni cum aliquo convenit. Qui nullam ſimilitudinem habent cum alio, & tamen nomine ejus vocantur, falſo vocantur, & falſo Metaphora ad eos transfertur.

Pergis: *At eſſe nomen appellativum*, &c. *Deus*, &c. *Tum ille locus*, Pſal. 82, *Ego dixi*, &c. pag. 56. *Reſp*. Quoad primum locum, inepte affers. Nam perinde eſt, ac ſi quis dicat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Deus eſt ens entium; Ergo ens non ſignificat naturam in Deo; Et dicetur ens ex eadem cauſa, ex qua reliqua: quod abſurdum; Nam Deus cum natura nihil habet commune præter nomen. Præterea Deus ex ſe, creatura ex ipſo. Quoad 2 locum, *Reſp.* Nil; nam ſi ita eſt, quod ex eadem cauſa Magiſtratus Deus dicatur, ex qua Deus, cur vero Deus tantum unus dicitur? Verbi gratia, in toto Veteri Teſtamento. Vide item, 1 *Cor.* 5, ubi dicit, etſi multi Dii in cælo & terra, tamen nobis unus Deus; At juxta te erunt multi Dii. Nam excellentia unius præ altero non efficit, ut ſit unus aliquis Deus; ſed ut ſit excellentior aliis Diis. Neque enim ab eo, quod excellens quid eſt, dicitur unum, ſed excellentius eſſe. Ideoque nec Virgilius dicitur unus Poëta; Paulus, unus Apoſtolus. Accedit quod dicitur *ſolus* eſſe, non tantum *unus*, ut excludat omnes. Joan. 17, *Te ſolum verum*, &c. Nam qui excellentior eſt, ſolus non eſt, ſi alii ſint ejuſdem generis, etiamſi non ita excellant.

Pergis: *Vel, ſi hoc obtinere velint Adverſarii, Chriſtum eodem modo*, &c. *Reſp.* At oſtendunt millies vobis; vel unum hoc oſtendit argumentum, quod, quæ dicuntur in Veteri Teſtamento de vero æterno Deo, illa accommodantur Chriſto in Novo Teſtamento; confer *Eſaï.* 6 cum *Ioan.* 12; *Rom.* 14 cum *Eſai.* 45; *Hebr.* 1 cum *Pſal.* 97, & 102. Sed inquis porro: *Pater dicitur Deus cum articulo. Reſp.* Inſulſa & abſurda. Nam & venter dicitur Deus cum articulo. Anne vero venter tibi erit Deus?

Hic obiter attingam, &c. pag. 57. *Reſp.* Vis acumen tuum oſtentare hic, & inde ſubtiliter, more tuo, λόγον non eſſe ipſum Deum, apud quem fuerit, aſſeris. Quid opus erat iſtis ineptiis obtundere lectorem? An non toties auditis, non eſſe eundem quoad hypoſtaſin; eſſe eundem quoad eſſentiam. Hinc illud apud Theologos, Dei vocabulum ſumi vel οὐσιωδῶς vel ὑποστατικῶς.

Pergit: *Keckermannus in ſuo Syſtemate*, &c. *Fateor*, &c. *Non ratione naturæ*, &c. *Reſp.* Dicitis quidem hoc, ſed ineptis vos implicatis abſurditatibus. Nam, 1. Quid hoc eſt; Erat apud Deum prædicator? Ut hoc explicetis, ſubdatis. Nam dicitis: Nemini erat notus, niſi ſoli Deo. At quomodo prædicabat, & nemini notus erat? 2. Quod iſti λόγῳ tribuitur creatio omnium rerum; *Per ipſum facta omnia.* Si, ſecundum vos, ratione officii, facta per ipſum, non ratione naturæ; At officium ipſius eſt vel Propheticum, vel Sacerdotale, vel Regium; A quo tandem facta omnia? An forte ab omnibus? At accidentia iſta ſunt. Dices: Agi de ſecunda creatione, hoc eſt, regeneratione. *Reſp.* Miſerum te! Nulli ergo regeniti fuerunt ante Chriſtum natum. Perierunt omnes: *Nam niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu*, &c. *Ioan.* 3. 5. Accedit, quod Scriptura clare teſtetur, regenitos multos fuiſſe in Veteri Teſtamento. Fuerunt enim fideles, quod vel *caput* 11 ad *Hebræos* oſtendere poteſt. *At*, inquis, *unigenitus Filius exiſtens in ſinu Patris*, &c. *Reſp.* Quid ad rem? Baculus in angulo. Erras, Goſlavi, erras; Non tum demum, cum natus eſt; ſed ab initio creationis, 1 *Petr.* 1. 11, Spiritus Chriſti, ſi Spiritus Chriſti declarabat, *Ioan.* 15. *v.* 12, 13. Inſuper 1 *Petr.* 3. 9, 20.

Fortius forte iſtud tuum, Hebr. 1, *Multis modis olim locutus*, &c. Hinc concludis: Ergo ante non locutus in Filio; ſubintelligendum eſt, incarnato, ſive in carne exhibito. Faceſſe igitur cum tuis Metaphoris & Metonymiis.

Pergis porro: *An ſimpliciter aliquis noſtrum*, &c. *Nunquam negamus Chriſtum*, &c. Et probas hoc: *certo ergo ſciat*, &c. *Actor.* 2. *v.* 3. pag. 58. *Reſp.* 1. Vis probare, beneficio eſſe Deum; probas, eſſe Dominum factum & Chriſtum. Dici tibi hic poteſt:

> —— *Amphora cœpit*
> *Inſtitui, currente rota*, &c.

Debes probare factum Deum, probas *Dominum* & *Chriſtum*; Sed corrigis te: *Non impedit, quod non dicat Deum*, &c. *At diximus, vocem* Dei *ſignificare* Regem, ibid. *Reſp.* Dixiſtis; ſed vobis reſponſum eſt, Deum non dici officio Deum, ſed natura: & probatum, *Gal.* 4. *verſ.* 5.

Pergis: *Silentio non prætereundum eſt*, &c. ibid. Quid ad nos iſta? Scriptura ita non habet.

Quæ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Quærendum, quomodo factus Dominus; ſiquidem pro eodem capi videntur, 1 Cor. 5. *Reſp.* Duplex Dominium Chriſti. Primum, quod jure creationis habet; & ſecundum, quod eſt mediatorium. Dominium, quod jure creationis obtinet, non habet ſibi datum; Nam obtinet illud, ut diximus, jure creationis; At Dominium mediatorium illi datum eſt; Ideo non ſequitur, quod dicis, Quod ſi Regem fecit, fecit Deum; Nam Rex, Dominus, dupliciter accipitur, ut diximus; jure creationis, quod eſt ipſi eſſentiale; & redemptionis, quod datum ipſi. Factus vero Rex & Mediator; non factus Rex & Creator.

Pergis: *Principii nomine*, &c. pag. 59. *Reſp.* 1. Repugnat veſtræ hypotheſi iſta doctrina, quam hic urges. Nam vos dicitis, tempus eſſe æternum, & interim tamen tempus ſucceſſionem admittere. At omne quod ſucceſſionem habet, principium habet. 2. Diſtinguendum principium; ſi enim principium ipſius æternitatis intelligitur, à quo inceperit æternitas, ejuſmodi principio æternitas caret; eſt enim æternum, quod nunquam cœpit eſſe, ſed ſemper eſt, atque ex conſequenti caret omni durationis ſuæ principio. Si ergo principium ſumitur, non à quo æternitas incepit, ſed à quo cætera omnia incipiunt; Sic principium æternitati non opponitur, ſed eſt ipſa potius æternitas, & omnium aliorum principium, cum antecedat omnia, & cætera omnia ipſam conſequantur.

Pergis: *Quid igitur dices principii nomine*, &c. Et addis: *Nullum interpretationis genus eſt melius*, &c. *Reſp.* Præclara explicatio, & quidem, ut inquis, per Scripturam! Anne non ſumis hic multa ineptiſſima? Evangelium ſcilicet non fuit in Veteri Teſtamento. Quid vero eſt, quod Paulus dicat, ſe miſſum ad prædicandum Evangelium, *Rom.* 1. 1? & tamen dicat, nihil ſe extra Moſen & Prophetas dixiſſe? *Act.* 26. 22. Ergo hoc ſumis pro conceſſo, quod eſt falſiſſimum, Evangelium demum ſub Novo Teſtamento cœpiſſe. Sed videris hoc probare, *apud Marcum: Principium Evangelii*, &c. Et ais, *eadem ſententia accipi apud Ioannem. Reſp.* Inepte. Nam apud Joannem de tali principio agitur, ex tua ſententia, in quo nova creatura facta; at hic de tali non agitur. Nam Joannes fuit nova creatura (ſi forte hoc etiam admittis), & tamen per Chriſtum talis non eſt factus; anteceſſit enim Chriſtum, ut præpararet vias ejus; Diſce ergo, quod dicatur principium Evangelii, non quomodocunque, ſed Jeſu Chriſti in carne exhibiti. Alioquin Chriſtus Evangelium in Veteri Teſtamento prædicabat, tum immediate, quod tibi antea oſtenſum; tum mediate. *Hebr.* 3. 5, 6.

Pergis: *Mittamus hæc, &, num ex eo*, &c. ibid. Producis Keckermannum ita argumentantem: *Omnis Filius eſt ejuſdem naturæ cum Patre ſuo*; pag. 60. *Reſp.* Ineptis. Non enim ita Keckermannus argumentatur; Sed ita: Unigenitus Filius eſt ejuſdem naturæ cum Patre; Chriſtus eſt talis; Ergo. Majorem iterum inepte proponis; Et inquis: *Non ejuſdem naturæ individuæ, ſed ſpecificæ poteſt eſſe. Reſp.* At in Deo hæc diſtinctio non habet locum; cum ſit ſimpliciſſimus, alienus ab omni creatura. *Sed*, inquis, *dicitur Filius, eo quod ex Spiritu Sancto conceptus. Hoc indicant*, inquis, *verba Angeli, Spiritus Sanctus ſuperveniet in te*, &c. *Conjunctio διὸ καὶ, expreſſe cauſam exprimit.* pag. 60. *Reſp.* Nullo modo id ex tali particula concludi poſſe; quod ea non cauſa, ſed conſequentia ſæpe, ſeu cauſa illationis, ſignificetur; ſicut & aliis ſimilibus particulis. *Quare, quamobrem*, &c. Quod enim ex alio, quocunque modo, conſequitur vel infertur, ſolemus prædictis particulis deſignare, ſive illud aliud ſit vera cauſa, vel alia quapiam ratione ex illo aliud inferri poſſit: Verbi gratia, ſi dicam, Dies eſt, ideo ſolem eſſe ortum; proculdubio ex particula *ideo* non licebit concludere, Diem eſſe cauſam ortus ſolis, cum potius ſit ejus effectus & ſignum; ſimiliter & hic ex eadem particula non licebit concludere, conceptionem ex Spiritu Sancto eſſe veram cauſam, propter quam Chriſtus ſit vocandus Filius Dei; Sed oſtendamus, nullo modo indicari, conceptionem ex Spiritu Sancto eſſe cauſam veram, cur Chriſtus ſit vocandus Filius Dei. 1. Quia nunquam propter conceptionem vocatur Filius Dei, nec ſe ipſum ea de cauſa vocavit Filium

Dei. 2. Ex voce *Sanctum*, quâ quidem Angelus indicat longe aliam cauſam, cur Chriſtus vocandus ſit Filius Dei, quia nimirum id, quod ex Virgine naſcetur, erit tam Sanctum, ut jure debeat vocari Filius Dei; Non igitur ſecundum carnem, ſed propter Sanctitatem vocandum Filium Dei, prædicit Angelus. Idcirco additur; *Ideoque &, quod ex te naſcetur Sanctum, vocabitur Filius Dei*; non tam ob modum conceptionis, quam ob rem Sanctam conceptam. 3. Particula *&*. Cur enim Angelus poſt particulam *ideo* addit *&*? Ad conjungendum enim orationem ſufficiebat dixiſſe, *ideo*, *quod naſcetur*. Ne igitur otioſe addita credatur, comparationem indicat: ut ſenſus ſit, Non ſolum illud Verbum, quod ex Deo ab æterno natum eſt, eſt Filius Dei; ſed & quod ex te naſcetur Sanctum, vocabitur Filius Dei; quia nimirum Filius Dei ille æternus ex te naſcetur, & carnem aſſumet. Hoc argumentum ita vos urget, ut Smalcius, Socinus, dicant, particulam *&* eſſe otioſam. Apage autem talem amentiam; Iota unum, aut apicem, non præteriturum à lege, donec omnia fiant, docuit Chriſtus, ut ne iota quidem aut apicem crederemus in Scripturis eſſe otioſe poſitum.

Pergis: *Alteram cauſam affert*, Joan. 10. 36. &c. pag. 60. *Reſp.* Chriſtum eo loco non explicare, qua ratione & ſenſu ſit dicatque, ſe eſſe Filium Dei, ſed Judæos duntaxat malitiæ convincere, qui ipſi tanquam atrox facinus objiciebant, quod, cum homo eſſet, diceret ſe eſſe Filium Dei; Hoc nempe vult, cum Deum ſuum Patrem dicit, ſe nihil ſibi eo tribuiſſe, quo Judæi offendi debuerant, vel quod videri deberet ipſis novum, cum vulgata & familiaris ipſis eſſet, ex lege, illa Deorum & filiorum Dei appellatio, tributa & conceſſa quibuſdam hominibus. Perinde ergo eſt, ac ſi Chriſtus diceret: Eſto, ſim merus ac nudus homo, ut vultis, quia tantopere offendimini, meque blaſphemum ideo judicatis, quod me vocem Filium Dei, quaſi novum & inauditum vobis titulum mihi tribuam; cum tamen hoc ſit in lege veſtra familiariſſimum, ut illi qui à Deo ad munus aliquod ſingulare & eximium, Dei nomine inter homines peragendum, miſſi ſunt (ut ſunt Reges & Magiſtratus), Dii & Filii altiſſimi vocentur. Cum itaque negare non poſſitis, me à Patre & miſſum & ſanctificatum, ad munus hoc, quo jam inter vos fungor, peragendum; quod ſatis teſtantur opera illa, quæ à me fieri videtis; cauſa nulla eſt, cur blaſphemiæ crimen mihi impingatis, quod Deum dicam Patrem meum. Non vero, ut tu vis, Chriſtus hic docet, ſe non alia ratione eſſe Filium Dei, quam qua Judices & Magiſtratus, Dii & Filii Dei vocantur; ſed Judæorum calumniam duntaxat eo modo refellit.

Tertia cauſa eſt reſurrectio, &c. pag. 61. *Reſp.* Paulus quidem, *Act.* 13, dicit: Deum poſt reſurrectionem demum dixiſſe: *Tu es Filius meus*; non quod tum cœperit eſſe Filius Dei, & ab eo gigni, ſed quia tum demum potentiſſime Deus per reſurrectionem declaravit, eſſe Filium ſuum. Hic enim eſt Scripturæ mos, ut res tum dicatur fieri & naſci, cum manifeſtantur, & ſeſe produnt; ut, cum *Proverb.* 17 ait: *Amicum naſci in die malo*, hoc eſt, tum ſeſe prodere, cum nos premit anguſtia; Quod autem ita ſit, patet ex *Rom.* 1. 4. Ubi dicitur, *Chriſtum declaratum potenter Filium Dei, ſecundum ſpiritum ſanctificationis, per reſurrectionem à mortuis.*

Accedis ad locum *Rom.* 5, & dicis: *Vocatur Filius proprius, ut diſcernatur ab adoptivis, & doceatur eandem habere eſſentiam*, &c. Thraſonice reſpondes: *Chriſtusne*, inquis, *proprius Filius dici non poſſet*, &c. *Reſp.* Certe nemo eſt proprius, niſi eandem eſſentiam habeat cum Patre; ſi vero eſſentiam habebit cum Deo Patre eandem, vel ſpecie eandem habebit, vel numero: At non ſpecie; ſic enim eſſent duæ eſſentiæ Divinæ, & duo Dii. Ergo eandem numero. Hinc illa in Scriptura, quæ non dicuntur de ſpecifica eſſentia; quod Chriſtus dicatur in Patre eſſe, & Pater in ipſo; quod dicatur in ſinu eſſe Patris, quod dicatur abſque Patre nihil facere excluſive, non quidem ob *dependentiam in operando*, ſed ob *inſeparabilitatem naturæ*; Nam dicit, ſe æqualiter operari; æqualitas autem operandi non tribuitur iſti, qui pendet ab altero.

Pergis, quia vides hanc reſponſionem nihil eſſe:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

eſſe: *Dico igitur, vocem proprii,* &c. Et probas, 1 *Cor.* 15. 30. & *cap.* 6. 18. pag. 62. Hoc eſt, *proprium* hic capis, non qui opponitur *adoptivo*; ſed qui opponitur *alieno.* At ubi tu, quæſo, legiſti, Filium Dei dici proprium, ut opponitur alieno? Sed eſto, legeris; Hoc pacto omnes erimus Filii Dei, eo ſenſu quo Chriſtus eſt Filius Dei; Nam & nos non ſumus alieni, ſed, ſicut populus proprius Dei non eſt alienus populus, ita & Filii Dei non ſunt alieni Filii.

Sed, inquis, *nihil vetat, quominus Chriſtus ſit proprius*, &c. *Reſp.* Ita ab alieno ad peculiarem tranſis. Vides enim, in quas te anguſtias præcipitas. At proprius, prout opponitur alieno, non ſignificat peculiarem. Et hoc non oſtendiſti, quod proprius ſignificet peculiarem.

Nobiliſſimus ille locus, &c. *Nomen*, inquit, *Dei*, &c. *Reſp.* Et tibi antea reſponſum eſt, vanum hoc eſſe.

Præcipue autem attendendum eſt, &c. *Reſp.* Inſulſe. Et, quid, quæſo? Tanti vobis eſt Chriſtus, ut admittatis, ventrem poſſe dici Deum cum articulo, ſed Chriſto hoc non debere tribui contenditis. Ventri tribui, ad *Phil.* 3. 19, clariſſime conſtat. Ita Diabolus vocatur Deus cum articulo, 2 *Cor.* 4. Majoris apud vos Diabolus fit, quam ipſe Chriſtus. Sed vide falſitatem aſſertionis tuæ temerariæ, & diſce, nomen, cum articulo, Dei, tribui Chriſto, *Act.* 20. *v.* 28.

Huic reſponſioni tria opponit Keckermannus, pag. 63. *Reſp.* Inepte iſtam reſponſionem ille non tangit. Nam non tanti æſtimat nugas; ſed ille hoc urget, ὁ ἀληθινός. Inquis: *notiſſimum eſt omnibus fere Theologis, Apoſtolum hunc multum eſſe*, &c. *Reſp.* Præclare. Tautologon ais hunc Apoſtolum. Non noſti fortaſſe, quid ſit ταυτολογία apud Jeremiam: Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini. Ea enim ſapientis non eſt, ne quidem judicio Gentilium; ſed ita ſcriptores tractatis Divinos. Quia neſcis, quid reſpondendum ſolide, ideo tibi ταυτολογία eſt. At quod certo fine fit, illud ταυτόλογον dici nequit. Reſpondet poſtea; *In quibuſdam correctis exemplaribus*, &c. pag. 64. Miſerum eſt, quod, cum Chriſtum affirmetis verum Deum, hic tamen neges contentiſſime. Aliter ſcilicet loquimini, aliter ſentitis. Sed nullam rationem oſtendere potes, cur non ad Filium referantur iſta, ſi quidem τὸ *omnia*, *verſ.* 20, ad Filium referatur. *Vt cognoſcamus illum, qui verax eſt*; hoc ad Filium dicitur, ut videre licet ex ſequenti commate, *& ſumus in verace illo, hoc eſt, Filio ejus.* Dicis: *Pronomina relativa ſæpiſſime*, &c. ibid. *Reſp.* Ita quidem; ſed debet ratio oſtendi; quæ hic nulla. Præterea, certa regula eſt, quod relativa iſta pronomina referantur ſemper ad ſubjectum relationis, ſive illud ſit remotius, ſive propius. Hic autem ſubjectum orationis Filius eſt. Scimus, Filium Dei veniſſe, &c. Ex regula iſta vero, relativum ad Filium referri debet.

Tertia vero conſtat fallacia conſequentiæ. Conſuetiſſimum huic Apoſtolo, &c. *Sed non conſuetiſſimum, toties Filium*, &c. *Si ſolus Filius eſſet*, &c. *Quia hic fons*, &c. pag. 65. *Reſp.* Debebas ſaltem attuliſſe unicum locum, ubi Pater vocetur vita æterna; Non nego hoc, ſed ſæpe per attributionem voces attribuuntur uni Perſonæ divinitatis ita, ut aliis non accommodentur. Certe Deus Pater eſt Spiritus, & eſt Sanctus, tamen per appropriationem Spiritus Sanctus eſt nomen tertiæ Perſonæ, quod eo modo & hac ratione nunquam in Scriptura Patri tribuitur. Sed inquis: *Pater eſt fons*, &c. *Reſp.* Si putas fontem, & primam cauſam, contradiſtincte ad Filium, ineptis; Nam æque Filius in ſe habet vitam, ac Pater, *Ioan.* 5. *verſ.* 26. Inquies: Atqui Pater Filio dedit vitam habere in ſe ipſo. *Reſp.* Ita quidem, ſed vita iſta eſt eadem vita, quæ Patris, non diverſa vita à Patris vita: &, cum vita Patris non differat ab eſſentia Patris, non differt eſſentia Filii ab eſſentia Patris, præterquam modo ſubſiſtendi, qui modus exprimitur per vocem *dedit*. Et hinc Chriſto tribuitur in Sacris Literis, dare vitam, *Ioan.* 4. 10. *Apoc.* 21. 6.

Opponimus locum ad *Rom.* 9. 5. Dicis: *Eraſmus hunc locum ita interpretatur*, &c. *Plurimum ponderis habere debet*, &c. ibid. *Reſp.* Præclara ratio; Eſt trinitarius, Ergo quod dicit, verum dicit; quamvis valde dubium, quis fuerit; idque eo, quia negat, Spiritum Sanctum in Scriptura unquam dici Deum; ſed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

exemplum à vobis petimus. Crellius veſter ſtatuit, ex rebus creatis cognoſci Deum; Socinus negat. Utrius, quæſo, contra alterum argumentum hic erit magnū? Diſpicies, ubi apud te eris.

Pergis: *Non placet Keckermanno Eraſmi interpretatio*, &c. ibid. *Reſp.* Et merito. Nam ipſa ſeries oſtendit: *Ex quibus*, inquit, *Chriſtus eſt ſecundum carnem*; Quæſo te, quis ſenſus orationis erit? E quibus Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſupra omnia. Nam ad quem iſtud *qui* refertur; *Qui ſupra omnia*? Ad Deumne? Atqui Dei mentio nulla in antecedentibus; At vero particula *qui* eſt relativa, referturque ad aliquid antecedens. Habet quidem Eraſmus, non eſſe ſcriptum à Paulo ὃς ὢν, ſed ὁ ὢν. Sed hoc nimis frigidum eſt. Quis enim ignorat, articulum præpoſitivum ſæpe poni pro poſtpoſitivo, & adjunctum participio vim relativi habere? ut, *Matth.6*, legimus: Pater noſter, ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς. *At*, inquis, *pro noſtrorum Codicum*, &c. *Potuit fieri*, pag.66. *Reſp.* Unde hoc tibi conſtat? nam à poſſe non ſequitur. Potuit fieri, dum hæc tu ſcriberes, quod apud te non fueris, quamvis mihi æque conſtat de hoc, ac tibi de priori, de quo hoc aſſeris. Inquis porro: *Adverſarii depravant fidei ſuæ faciendæ cauſam*. *Reſp.* At unde hoc probas? *Dicis: Vocula* Deus *omittitur à Cypriano*, *Beza teſte*. ibid. *Reſp.* Præclare: ac ſi quis judicaret ex citatione Pontificiorum, aut veſtrorum, Scripturam eſſe authenticam, aut corruptam; quia ſcilicet vos inepte citatis. 2. *Reſp.* tibi, quod non omnes libri Cypriani tales ſunt; Cyprianus certe Aldi & Morelli habent hanc vocem *Deus*; nec poteſt deeſſe; nam in eo capite probare vult, Chriſtum vocari Deum; & affert loca Scripturæ, ubi vocatur Deus. Præterea, eximas voculam *Deus*, adhuc argumentum manet. Quia ſi Chriſtus eſt ſupra omnia, certe eſt Deus; ſiquidem ſupra omnia eſſe, nil eſt, niſi Deus.

Pergis: *Quæ vero addit ille, æquum fuiſſet*, &c. pag. 66. *Ridicula ſunt.* ibid. *Reſp.* Tu ridiculus es ipſe. Nam non ideo, quia tu & tui ſimiles in controverſiam quid trahunt, idcirco locus non meretur fidem, aut nihil probat; Nihil enim hoc pacto eſſet in Scriptura, quod probare poſſet. Nam quis locus eſt vel clariſſimus, quem hæretici non depravant? Hoc vero demum non probat, quod in controverſiam vocatur juſta de cauſa. Quod Keckermannus dicit, non ſine cauſa dicit. Nam mos eſt Scripturæ, dum de Chriſto & ejus præſtantia agit, ut non ſubſiſtat in humana natura, ſed totum hoc accerſat à Divina, *Matth.* 22. 42, 43, 44. Et *Hebr.* 1. 9, 10, 11, 12, 13, 14.

Pergis: *Subjungit Keckermannus: Alioquin cur adderetur* τὸ κατὰ σάρκα. *Reſp.* Argumentum maximum; Cui tu, nec tui, ſolvendo pares eſtis; cum ſit ipſiſſima veritas. Inquis: *Tribuitur etiam hominibus* τὸ κατὰ σάρκα. *Reſp.* Non abnuo, ſed debebas didiciſſe illam regulam Logicam; *Quot modis unum oppoſitorum capiatur, tot modis & alterum.* 2. Quod oppoſita judicanda ſecundum ſua oppoſita; Cum ergo de hominibus dicitur *ſecundum carnem*, opponitur ipſis *ſecundum promiſſionem. Gal.* 4. 23. Secundo, cum dicitur de hominibus *ſecundum carnem*, opponitur *ſecundum Spiritum.* Huc refer locum *Rom.*4. At vero cum de Chriſto agitur, *ſecundum carnem*, hæc ipſi opponuntur, quatenus eſt Filius Dei potenter, ſecundum Spiritum ſanctificationis, declaratus per reſurrectionem ex mortuis. *Inquies. Quid hoc? Reſp.* Plurimum; Nam quomodo declaratus Filius? Quia reſſuſcitatus? Hoc pacto & nos eſſemus Filii futuri; Atqui peculiare aliquid hic ipſi tribuit, ſcilicet propterea, quia ſeipſum reſſuſcitavit, ut docetur, *deſtruite templum hoc.* Quomodo non Deus, qui ſe ipſum reſſuſcitavit? 2. Illi *ſecundum carnem*, in Chriſto opponitur, *eſſe Deum*, & *Deum ſupra omnia*, ut loco iſthoc, *Rom.* 9. Accedit, quod, ſi eadem ſignificatione κατὰ σάρκα accipias de Chriſto dici, quomodo accipitur de Abrahamo, *Rom.*4; Ergo de Chriſto idem dicendum, quod non nactus ſit ſecundum carnem, juſtificationem ſcilicet, hoc eſt, quod non ſit juſtificatus, & quod non impleverit legem qua homo; Secundo, ſi hoc pacto capitur *ſecundum carnem*, quomodo capitur *Galat.*4; Ergo ſequeretur, Chriſtum non natum eſſe ſecundum carnem, ſed ſecundum Spiritum, Nam & iſta opponuntur. At vide, quo te præcipitabis, ſi hoc ſeque-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

queretur. Veriſſimum ergo, etiamſi verba idem ſonent, ſi diverſa oppoſita habeant, diverſæ eſſe ſignificationis.

Pergis: non eo te diſputaſſe, *ut negares*, &c. pag. 67. *Reſpondimus* ad hoc ſupra; proinde actum non agemus.

Nunc ad Spiritum Sanctum pergamus, &c. *Cæterum, quod Spiritus Sanctus revera ſit ὑφιστάμενον, probatur primo ab apparitionibus & aſſumptis ſpeciebus.* Reſpondet Goſlavius: *Non omne quod apparet*, &c. ibid. *Reſp.* Nonne pudet te ita nequiter agere? Detruncas rationem: nec enim hæc ratio eſt, *quia apparet*; ſed *quia apparet in aſſumta ſpecie.* Nec enim accidens ſpeciem aſſumit. *Spiritum Sanctum,* inquis, *ſpeciem aſſumſiſſe, vel columbæ, vel linguarum*, &c. *Locis citatis non probatur.* pag. 68. *Reſp.* De columba quidem certum eſt, quem locum miror quod non inſpexeris, *Luc.* 3. 22. De linguis ardentibus idem certum, Act. 2. 3, *qui & ſedit.* Quis fuerit ille qui ſedit, explica nobis, ſi non Spiritus Sanctus. *At*, inquis, ὡσεὶ, *ſicut, impedit.* Atqui particula *ſicut* non ſemper *eſt aſſimilativa veri*, ſed etiam eſt *expreſſiva veri.* Vide *Luc.* 22. 44.

Pergis, & vis jocari. *Quid*, inquis, *audio? Spiritus Sanctus eſt*, &c. *Reſp.* Vide tu quid nugeris; nec ſis ſollicitus de Keckermanno. Ille ſe tibi facile expediet. Modus ſubſiſtendi certe non eſt ens, non tamen nihil; ſicut relatio non eſt ens, nec tamen nihil. Tibi vero ens eſt. Nam parum curas, quid loquaris, & quid ſermonem tuum ſequatur. Relatio ergo erit ens juxta te, componet ergo aliquid cum altero. Habebit ergo relationem ad hoc; & ſic relationes in infinitum. 2. Perſonæ conſiderantur dupliciter: vel abſtractive, vel concretive. Concretive certe ens eſt; Abſtractive, modus ſubſiſtendi. *Secundo* ais: *Inquit Keckermannus: Probatur ab effectibus*, &c. *Certiſſima enim regula, individuorum eſſe actiones:* Et ais, *Keckermannus voluit dicere, ſuppoſitorum.* pag. 68. *Reſp.* Ita quidem; hoc non male obſervaſti; Suppoſitorum enim actiones, ut *principii quod*; Accidentium vero etiam eſſe poſſunt, & partium, ut *principii quo.* Sed quomodo eludis argumenta? Inquis: *Actiones etiam tribuuntur accidentibus*; & longum catalogum texis, ut hoc probes; & poſtmodum in hoc delaberis, ut dicas, improprie tribui Spiritui actiones, ac proinde Spiritum non eſſe ſuppoſitum. *Reſp.* Forte ad quaſdam actiones ita reſpondere poteris. Sed ad omnes, quæ ei tribuuntur, nulla ratione reſpondere potes. Nam dixeris mihi, qua figura explicueris illud Act. 28. 25? *Recte ſane Spiritus Sanctus.* Item, Act. 15: *Cum autem illi miniſtraret*, &c. Hæc & talia plura occurrunt, quæ oſtendunt clare, non improprie actiones Spiritui Sancto tribui, ſed propriiſſime, ut circumſtantiæ ipſæ clare oſtendunt: Nec enim tunc dixit per proſopopœiam, cui attribuitur; Item, *Recte dixit*; & quæ talia.

Eſſe Spiritum Sanctum Deum ita pergit demonſtrare, &c. *Ex hoc loco qua ratione, aut conſequentia*, &c. *Quod enim eſt alicujus*, &c. ibid. *Reſp.* Limitando; Quod eſt alicujus, ut pars rei, illud non eſt ipſum; Jam autem Spiritus Sanctus eſt in Deo, non ut pars eſſentiæ Divinæ quædam. Nam in Deo, utpote ſimpliciſſimo, & indiviſibili, nullæ ſunt partes. Ergo Spiritus poteſt eſſe illud ipſum, cujus eſt Spiritus; nempe verus & eſſentialis Deus. *Inſtant: Non continuo hic de Spiritu Sancto agitur, quia de Spiritu dicitur.* ibid. *Reſp.* Evidens hoc ex textu, neq; enim per vocem *Spiritus* intelligi poteſt Angelus movens ſe ſuper aquas, ut voluit Caietanus; quia moles primogenia, à Deo ipſo ſuſtentata, tali motore non indigebat. Neque Elementum ignis, ut voluit Valeſius; quia ille totius naturæ non tam conſervator, quam deſtructor eſt. Non aër, ut alii dixerunt; quia & ille, ante expanſum, ſecunda die nondum creata extitit. Nec ventus, ut vult Goſlavius; nam ille nihil aliud eſt, quam aër motus, ſicut vero aër tum non fuit, ita nec ventus: & ſi fuiſſet, nullum, ante ſegregationem totius molis, uſum habuiſſet. Nec deniq; peculiaris virtus Dei & efficacia; Nam illa per verbum *incubabat*, ſignificabatur; Ut taceamus, quod Deus, in creatione univerſi per ſimplicem nutum atque juſſum, nulla ejuſmodi virtute inſtrumentali, quam vos fingitis, opus habuit. Intelligitur itaque hoc loco ipſe Spiritus Sanctus, omnia ſuapte virtute & efficacia creans & ſuſtentans; quod haud dubie idem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

idem eſt, quod Pſalm. 33, *Verbo Domini cæli creati*, &c. Ubi per Spiritum oris Dei non poteſt intelligi juſſum & mandatum Dei, ſed potius tertia Deitatis perſona. Quando ergo Spiritus, hoc loco Spiritus oris Dei appellatur, eo ipſo innuitur, eum eſſe ejuſdem cum ipſo eſſentiæ; ſiquidem id quod in Deo eſt, & ex ore ejus procedit, non eſt quid ἀλλότριον & accidentale, ſed ei ὁμοούσιον & eſſentiale; Cui etiam idcirco opera Divina per naturam competunt. Quæ agit de intellectu, & voluntate, alibi excuſſa à nobis.

Pergis: *In Novo Teſtamento clariſſima ſunt teſtimonia*, &c. *Duo colligitis, ſed neutrum ſequitur*, &c. *Quia diximus*, &c. pag. 70. *Vel ut propius ad rem*, &c. *Reſp.* Scrutari profunditates Dei plus quid eſt, quam ſcrutari renes & corda hominum; At hoc ſoli Deo adſcribitur; cur ergo non & illud? *Et multo magis*, inquis, *actiones non tribuuntur ſolis perſonis*; *Agunt enim & illa, quæ perſonas non habent*, &c. Ergo tibi Spiritus Sanctus eſt aliquid vivens & rationis expers. Pugnant iſta cum textu; quomodo enim ſcrutari poteſt profunda Dei id, quod rationis eſt expers? tum nec Spiritus hominis rationis erit compos. Quomodo vero ipſi notitia tribui poterit? Itaque hic proſopopœia nulla: niſi & ſpiritui hominis hoc, quod dicatur noſſe quæ ſunt in homine, per proſopopœiam accommodaveris. Dixeris: Forte probas eſſe Deum, non probas eſſe perſonam; At hoc, quod diſtinguitur à Deo Patre, nec pars eſt; & cui tribuitur intellectus, illud perſona certiſſima eſt. Fer enſtaſin, ſi potes, contra hanc aſſertionem. Addis: *Et hic nota, Spiritum Sanctum non eſſe quid ſubſiſtens; quia eſt in alio.* Dictum de hoc ſuperius. Ne tamen videatur, tibi nos nil reſpondere; Ecce enſtaſin: Filius unigenitus, qui eſt in ſinu Patris; Et: An neſcis me eſſe in Patre, & Patrem in me? conclude jam, Filium non eſſe perſonam. *At*, inquis, *Spiritum Sanctum non eſſe natura Deum, inde patet, quia Dei eſt.* Nec hoc ex tuis conceſſis valet; Nam Chriſtus eſt Dei, 1 *Cor.* 11. *v.* 3. Interim tamen tu concedis, Chriſtum eſſe Deum; Inquies, ſed non natura; Atqui tibi *Dei* vox non naturam ſignificat, ſed officium, poteſtatem. Præterea, ſi quis eſt natura Deus, quod certe ſtatuimus, *Gal.* 4, oportet Chriſtum fatearis natura Deum, quia inter graviſſima peccata Galatarum refertur hoc, quod ſervierant iis, qui non eſſent natura Dii. Secundo *reſpondeo*: Non eſt quidem natura Deus is, cujus eſt Spiritus; Sed diſtinguimus; Nam vox Dei capitur οὐσιωδῶς, & ὑποστατικῶς· de quo & antea. Non eſt ergo Deus ὑποστατικῶς, perſona nempe, cujus eſt Spiritus; eſt tamen Deus; quia in una eſſentia tres perſonæ.

Pergis: *Pro conceſſo accipitur, Spiritum Sanctum intelligi.* Quis ergo Spiritus intelligitur, niſi hic Spiritus? niſi putes in Deo eſſe Spiritus. At Scriptura unum ſtatuit Spiritum Jehovæ, *Eſai.* 11. & 2 *Sam.* 23. 2. ut autem perſuadearis tanto facilius, de hoc Spiritu agi, quamvis inepta ſunt, quæ garris; vide *Eſai.* 40. *v.* 13. Nam ejus ſolius eſt, ſcrutari profunda, cujus non eſt, à quoquam diſcere.

Pergis: *Rationes excutiamus.* Reſpondes: *Eſt medium quid inter Deum & creaturas.* pag. 71. *Reſp.* Æternitas illa quid eſt? Subſtantia vel accidens? Tum actiones quid ſunt? *Facultates*, inquis, *Deus non ſunt, cum aliquando non fuerint. De Deo hæc dici nequeunt*, &c. ibid. Hic quidem Chaos eſt abſurdorum, de quibus antea egimus. Sed examinemus ea: *Actiones*, inquit, *non ſunt Deus, quia aliquando eſſe*, &c. At, quæſo, æternitas eritne Deus? Nam certe, æternitas nunquam cœpit; accedit, quod Deus æternitas vocetur, 1 *Sam.* 15. 9. Quid vero per facultates intelligis? Abſque omni dubio accidentia. Non ergo natura ſua & eſſentia Deus. Ait, *quod facultatibus eget in agendo*; Demas illi facultates, miſerrimus erit Deus; quin capiet perfectionem à ſuis facultatibus; abſque his enim nihil egerit. Videamus, diverſæne illæ, & quales? Proculdubio ex mente tua diverſæ; Multæ ergo. Nam diverſitas unius non eſt, ſed multorum. O amentes Sociniani! quis vos ita faſcinavit, ut ſuſque deque habeatis, quid de Deo ſentiatis? Deo adſcribit Scriptura omnipotentiam, quæ ex nihilo omnia facere poteſt, & fecit; hoc eſt, infinitam potentiam. Quid judicabis? Anne infinita potentia non erit Deus? At plus uno, infinitum eſſe nequit.

Ac-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Accedit, quod potentiam Deo non niſi improprie tribuit Scriptura, ratione objecti; ut, quia creaturis non repugnabat eſſe, & non repugnabat poſſe fieri à Deo, idcirco dicitur omnia poſſe; Alioquin eſt actus puriſſimus; cujus argumentum hoc accipe: In bonis melius eſt actu facere, quam in potentia poſſe; Si vero in Deo datur potentia, & datur actus, tum ſequetur, Deum aliquando eſſe meliorem, aliquando deteriorem; aliquando perfectiorem, aliquando imperfectiorem. Nam qui poteſt aliquid boni facere, imperfectior eſt eo, qui, non dicam, poteſt, ſed qui actu facit.

Pergis: *Velle Dei eſſet poſſe, & contra*, &c. pag. 71. *Reſp.* Certe ſic eſt; Nec enim in Deo eſt aliud atque aliud. Inquies: Non omnia vult quæ poteſt: ac proinde non æque late ſe extendit velle ac poſſe. *Reſp.* Diſtingue voluntatem abſolutam ab ordinaria. Tam late extenditur velle abſolutum, quam poſſe. Præterea eadem res, ratione objecti ad extra, poteſt jam ſe latius extendere, jam non ita late. Non negaveris, Deum unum eundemque creatorem eſſe & novæ creationis & veteris; & tamen ratione veteris creationis latius ſe extendit, quam ratione novæ; quia omnia, quæcunque ſunt, creavit; At non omnia, quæcunque ſunt, recreavit & regenuit; nam homines tantum, eoſque non omnes, recreavit, ut ita loqui liceat.

Pergis: *Tum de Miſericordia*, &c. *Prædicavetur*, &c. *Vox Dei*, &c. *Reſp.* Dixeris mihi, putaſne, quod poſſit de Deo dici æternitas, ſanctitas, caritas, veritas; & quod Deus de iſtis dici non poſſit? Secundo, ſunt attributa Dei abſoluta, quæ ipſe Deus ſunt; ut, ſapientia Dei Deus eſt, &c. Sed ſunt quædam relata; & quidem unus idemque Deus dicuntur iſta attributa relata, propter diverſa tantum objecta & effecta, nomina ſortiuntur diverſa; verbi gratia, miſericordia, juſtitia: cum tamen, ſi in ſe ſpectentur, unicum quid ſint, ſimpliciſſimum, & nihil ſint quam Deus miſericors, juſtus. Sed de his plus quam ſatis ante actum. Et certe hæc referre eſt refutare. Nemo enim non videt, talibus reſponſis vos naturam Dei penitus evertere. Dum enim ſtatuitis hæc talia, ut vobis antea oſtenſum, ſtatuitis compoſitum Deum ex multis; Mirum ſaltem videtur nobis hoc, quod nondum commenti eſtis, quis iſtum Deum compoſuerit; Neque enim quiſquam ſui ipſius auctor & cauſa eſſe poteſt. Effectum eſſe agnoſcitis, quia compoſitum agnoſcitis; ſed nondum nobis cauſam dediſtis Dei.

Pergis: *Poſterioris rationis talis eſt diſpoſitio*, &c. pag. 72. *Reſp.* Dicis, propoſitionem falſam te demonſtraſſe, *cap.* 3: & nos ibidem reſpondimus. *Pergis*, & vis reſpondere ad 1 *Cor.* 3. 16. *Keckermannus non demonſtrat*, inquis; & formas ipſe argumentum, &c. *Reſp.* Non tantum habitare, ſed etiam quod expreſſe dicamur templum Spiritus Sancti. Vide *cap.* 6. 19. Proinde non apud te fuiſti, cum circa finem ſcribis: *Spiritus Sancti nos, ſive fideles, eſſe templum*, &c. *Reſp.* Faceſſe, ecce habes locum, ubi expreſſe Spiritus Sanctus teſtatur, corpora noſtra eſſe templum Spiritus Sancti. *Sed probanda propoſitio*, inquis, pag. 72. Reponimus ergo tibi hoc; ſi templa non ædificamus, niſi ſoli Deo, certe multo magis, cujus templa ſumus, is Deus eſt. Nam, cui templum ædificamus, cultum religioſum præſtamus; Cultus autem religioſus nulli præſtari debet, niſi ſoli Deo.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

PARS SECVNDA.

CAPUT PRIMUM.

S*olvimus adhuc argumenta. Objectio prima, quam refert Keckermannus, ubi eſt perſona*, &c. pag. 73. *Reſpondet* Keckermannus, negando Majorem. Tu probas ita: *Vbi eſt perſona*, &c. Keckermannus iterum negat hanc. *At*, inquis, *nullo jure.* Quia ubi eſt eſſentia & perſona, ibi eſt unum per alia. At compoſitum eſt unum per alia, &c. *Reſp.* Quis tibi dabit ibi unum per alia? Annon petis principium? Nam unum eſſe per alia, & eſſe compoſitum, ſunt tibi unum & idem; Itaque qui negat unum, negat aliud; *Atqui*, inquis, *reſolvuntur*, &c. Quæ iſta reſolutio? Certe ne gry hic habes de hoc, nec exemplum ullum ſubjicis; Itaque ſtrepitum edidiſti verborum, non valorem.

Pergis: *Nec contemnendum eſt argumentum hoc; Vbi eſt ſubjectum*, &c. *Nam quamvis Keckermannus propoſitionis hujus*, &c. *Compoſitio non eſt inter rem*, &c. Reſpondes: *Compoſitum quid dicitur, non quod ſit ex re & re. Reſp.* Quid ſunt iſta alia? Suntne res? Si res; quid ergo nugaris? Nam proinde dicis, ac ſi diceres, nego ex re & re tantum compoſitionem fieri, ſed ex alia re & alia. Inquis: *Non eſt verum illud, relatio non eſt res: Præſertim ſi res ſumatur*, &c. *Reſp.* Quid ergo tibi erit relatio? Subſtantia, vel accidens? Non puto ſubſtantiam; Accidens ergo. Atqui ſubſtantia & accidens ſunt res, quia entia. Vide ergo quomodo tibi conſtes. Sed videamus, an relatio componat. Nam duplex hic relatio; ſi ergo relatio componet, tum ergo & illa relatio duplex, quæ habet illud quod componit, & componet; & ita dabis proceſſum in infinitum.

Altera ratio, quam adfert, &c. Reſpondes: *Vtrumque falſum: Nam ſi eſt accidens, erit ens; Ariſtoteles in Metaph. dixit eſſe ens. Reſp.* Citare debuiſti Ariſtotelem; ſed ſufficit nominaſſe. Pergis: *eſſe accidens, quia poteſt abeſſe & adeſſe.* pag. 75. *Reſp.* Hæc ſapiunt magnam inſcitiam. Nam eſt accidens, quod non poteſt abeſſe & adeſſe, ut proprium quarti modi.

Pergis: *Gradus in calore non componit calorem*, &c. *Aliud eſt componere; aliud, ex his compoſitum eſſe*, &c. *Gradus non componit albedinem*, &c. pag. 75. *Reſp.* Hæc flagris potius corrigenda; Nam ſi non componunt gradus, quomodo ex his compoſitum dici poteſt? & ſi ex his compoſitum eſt, quomodo non componunt?

Pergis: *Relatio inhæret.* pag. 75. *Reſp.* Quæritur hoc? Relatio eſt inter res, ergo non in rebus; Alioquin oporteret accidens duobus diverſis ſubjectis ineſſe: quod falſum. *Relatio, inquit Keckermannus, eſt ordo; ergo non ens.* Dicis, *Nec ordo eſt, nec ſi eſſet, propterea non ens, nec accidens; quia*, inquis, *ordo eſt in quantitate*, &c. *Reſp.* Debuiſti diſcere primo, quam ſcribere; adeo pueriliter agis; Nam qua ratione ordo eſt in quantitate? An ratione formalis ſui? Falleris. An ratione materialis, quod dicitur unum, duo, tres, &c. in ordine? At hic non quæritur de materiali.

Pergis: *Quia ordo eſt accidens*; & ſubjicis inſulſam definitionem accidentis, quæ jam eſt refutata.

Pergis: *Cauſam addit, cur ordo non ſit res, quia daretur proceſſus*, &c. pag. 76. *Reſp.* Bene hoc refers; Ineptiſſime reſpondes, nugas eſſe. Nam quomodo non eſt primum & poſtremum? *Reſp.* Parum penſi habes, quid garrias; Si in infinitum proceſſus, quomodo datur ibi primum & ultimum? Nam ſi primum datur & ultimum; quomodo infinitum?

Ad priorem illationem dico, peti principium, &c. *Negat Keckermannus, quod, cum dicit*, &c. *Quod ipſum in quæſtione eſt. Reſp.* Si quis te puerum vocaret ineptum, non eſt quod indignareris? Annon abſurdus homo es? Quæritur,

ritur, ordo ſitne res, nec ne? Tu affirmas, negat Keckermannus. Ad abſurdum te ita ducit: Omnis res habet ordinem. Ordo eſt res. Ergo. Quid ergo dicis?

CAP. II.

Ubi unum & tria, ibi quatuor. *In Deo*, &c. *Reſpondet* Keckermannus, ubi ſunt unum & tria entia; atqui modi non ſunt entia. Pergis: *Eſſe aliquid quod non ſit ens, pro conceſſo accipit, implicata contradictione*. pag. 77. *Reſp.* Modi ergo tibi ſunt entia; Ergo in Metaphyſicis unitas, bonitas, veritas, erunt entia; &, cum omne ens ſit unum, verum, bonum, oportet unitas habeat unitatem, bonitas bonitatem, veritas veritatem. Omnia abſurda, quæ tamen non horres, quia neſcis quid ſit abſurdum; nec mirum, quia neſcis quid loquaris. *At*, inquis, *non erit ens, ergo nihil. Reſp.* Modos connotare quidem ens: qua formale autem non eſſe nihil, nec etiam entia; ſed non entia: Quare admittendum eſt, ens, & nihil, opponi mediate ſeu contradictorie; ſeu, quod idem eſt, dari medium inter ens & nihil; Medium non per participationem, quod & medium formæ à Philoſophis dicitur, ſed per negationem utriuſque extremi. Ens quidem, & non ens, contradictorie opponuntur: ſed non ens, & nihil, non debent confundi; non enim æquipollent; nam quamvis nihil ſit non ens, non tamen omne non ens eſt nihil; quomodo contractio, extenſio manus, paternitas, filiatio, non ſunt nihil, nec tamen ſunt entia.

Dictis Keckermanni iſta qui repugnent? dicit, eſſe imaginem ſubſtantialem. Reſp. Quid inde? & modi ſunt ſubſtantiales, anne propterea entia? Quæ attexis, ſunt ante refutata.

Scribis: Vel hoc non convenit, &c. *Generare, ait, nihil aliud eſt, quam actus ſubſtantiæ.* &c. *Reſp.* Atqui actus modus eſt, ut ex Metaphyſica patet. *Atqui generatio*, &c. *Reſp.* Non dubito, quin ita ſit, ubi generat aliud ſubſtantia à ſe. At vero in finito hoc obtinet; in infinito minime.

Pergis: *Keckermannum affirmare: Filius dicitur, quia intellectus Divinus imaginem produxit perfectiſſimo conceptionis modo*, &c. *Et inquit, habes ſubſtantiam eſſe generatam*. pag. 78. *Reſp.* Legiſſes bene Keckermannum; Quærit ille; An Filius quoad ſubſtantiam generetur, An vero quoad modum ſubſiſtendi in ſubſtantia; Et porro quærit, *An poteſt eſſentia gigni in Divinis? Reſp.* Dum dicitur eſſentia gigni, dicitur ratione modi, non ratione ſui; alioquin Christus non futurus αὐτόθεος, neque Spiritus Sanctus.

CAP. III.

Doctrina de Trinitate deſtruit tria naturæ principia; Ergo non eſt vera. Quia principium omnium primum deſtruitur; Omne eſt, vel non eſt; Paternitas enim eſt idem realiter cum eſſentia; ſi non eſt idem realiter, eſt cum filiatione; & tamen non eſt idem realiter cum filiatione*. pag. 79. *Reſp.* Primo, ſi ratio adducatur hujus ſyllogiſmi, eſt in forma vitioſus. Nam ratio hæc in ſyllogiſmo includitur; Omnis eſſentia in Deo eſt realiter idem cum filiatione in Deo. Omnis Paternitas in Deo eſt realiter idem cum eſſentia in Deo. Ergo Paternitas in Deo eſt realiter idem cum filiatione. *Reſp.* Sunt quatuor actu termini; Nam Medium in Majore eſt *eſſentia*, in Minore *idem cum eſſentia*; Ibi vero quia abſolutum, hic vero reſpectivum dicit, quilibet intelligit, eum duplicatum, atque adeo vitioſum, eſſe. Secundo, alio modo poteſtate ſunt quatuor termini in eodem; eſt enim fallacia æquivocationis in voce *eſſentiæ*, quæ in Majore abſolute ſumitur, in Minore relate; unde ſimul in Majore committitur fallacia diviſionis; Nam omnis eſſentia Divina eſt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus; Incompleta ergo eſt: Omnis eſſentia Divina eſt Pater. Secundo reſpondetur ad Majorem; eſſe veriſſimam; Nam poſſunt aliqua eſſe eadem cum ente; quæ tamen inter ſe non ſunt eadem; Exemplum: In ente, unum, verum, bonum, ſunt unum cum ente, neque tamen unum inter ſe; Unum ſcilicet cum ente ſunt realiter; non tamen ſunt inter ſe unum modaliter. Ita & ſpecies diſtincti generis, unum ſunt cum genere formaliter, non tamen inter ſe ſunt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ſunt unum formaliter, cum realiter diſtinguantur.

Ad hæc reſpondens, negat, &c. Dicis: *Annotavit Zabarella*, &c. Addis: *Subjecto eadem ſunt, quæ ſola ratione differunt*; *Eſſentia, quorum numero eadem eſt*. ibid. *Reſp.* Omnia inepte. Nam anne, quæ ſubjecto unum ſunt, ratione differunt? Perpetuo es docendus; Dulcedo, albedo, poſſunt eſſe eadem ſubjecto, quia in eodem ſubjecto ſunt; Anne ratione differunt tantum? Paternitas & potentia generandi activa in eodem ſubjecto; anne ratione differunt? Diſce, priuſquam diſputes.

Eſſentiæ, inquis, *quorum numero eadem eſt*, &c. ibid. *Reſp.* Hoc primo contra veſtram doctrinam facit; quia dicitis, quod eadem corpora numero; & tamen ſtatuitis, corpora ſpiritualia fore poſt hanc vitam, jam eſſe corporea. Sed videnda ratio, cui ſuperſtruis totum ædificium. Hoc nempe præſupponis: *Quot modis unum oppoſitorum capitur, tot & alterum*, *Reſp.* Inepte; ex illis patet, quæ contradictorie opponuntur. Nam ſequetur, quot modis ens capitur, tot modis non ens; At vero ut ejus quod non eſt, nulla ſunt accidentia, ita nullæ diſtinctiones. 2. De diſparatis non omnibus valet hæc regula; nam accidentia, quæ ſunt oppoſita diſparate ad ſubſtantiam, pluribus modis diſtinguuntur, quam ſubſtantia. Ergo debebas determinate hoc axiomate uti.

Pergis: *Præmiſſarum hæc mens eſſe debet*, &c. *Paternitas eſt idem*. pag. 80. *Reſponſum* ante. Nam paternitas eſt idem quod eſſentia, non abſolute, ſed ratione certi modi ſubſiſtendi. *Neque ego abſque cauſa præmonui*, &c. *Et concedat hæc neceſſario*, &c. *Perſpicuum*, inquis, *ita filiatio eſt Deus*, &c. *Reſp.* Hæc tu. Diximus certe, quicquid eſt in Deo, Deum eſſe; Dicis, paternitatem, filiationem, eſſe in Deo. Quomodo capis illud *eſſe*? An per modum entis? an per modum modi ſubſiſtendi? Si poſterius, axioma non agit de hoc, ſed de priori; hoc eſt: Omne quod per modum entis concipitur in Deo, ens eſt.

Pergis, *Quæ enim eadem ſunt, convertibilia ſunt*, &c. *Reſp.* Inepte; non poſſunt eſſe eadem genere; ut, homo, brutum, poſſunt eſſe quovis termino Logico eadem, interim tamen diſtinctiſſima. Corrigendum ergo ita: Quæcunque eadem ſunt plane, quoad rem.

Secundo; *aiunt, deſtrui illud principium: quæ in uno tertio*, &c. Ad hæc ille; *Principium illud Mathematicum eſſe*, &c. *Reſpondetur*; Quod attinet ad id, in quo carpis Keckermannum; certum eſt, proprie principium hoc ad Matheſin pertinere; referri tamen poſſe, & debere, ad alia, ſed Analogice.

2. *Quæ ſunt eadem uni tertio*; Ut tu corrigis Keckermannum. *Reſp.* Quo ſenſu per myſterium Trinitatis non violatur; ſiquidem ex illo nil ſubſumi poteſt, cum ſtatuamus, perſonas Divinitatis eaſdem quidem eſſe uni tertio, ſcilicet eſſentiæ; non vero incommunicabili, ſed communicabili. Itaque hæc ratio ſemper & hoc fundamentum, quod tertium illud debeat eſſe incommunicabile, eſt ſubintelligendum; Quia vero res creatæ, ob formalitatem & determinationem ſive limitationem ſuam, ut ſingulæ ſunt ſuppoſitæ, ſic ſingulæ incommunicabilem, reſpectu multorum ſimul ſuppoſitorum, naturam habent; fit, ut limitatio illa non expreſſe detur: Axiomate enim illo utentes, plerumque creatis loquimur, ubi de rebus non eſt opus ex dictis illam addere. Exagitas hoc *in uno tertio*; de rebus ſcilicet dici *uni tertio*. *Reſp.* Inepte. Quid enim iſta differunt? nam quæ uni tertio conveniunt, illa in iſto uno tertio conveniunt. Omnia non tangimus, nam inepta, & ex uno ſolvi poſſunt omnia.

Refers Bellarmini reſponſionem, & illam iiſdem ineptiis fœdas. Inquis; *homo non eſt idem quod animal*. pag. 83. *Reſp.* Inepte. Eſt idem realiter, non formaliter. Nam certe homo eſt animal. Hæc tamen quia ignoras, ut Andabata in tenebris pugnas.

Reſtat unica reſponſio, &c. *Præterea etiam*, &c. *Ratio elumbis, quia non ex rei natura petita*, &c. *Reſp.* Certe facit hoc, quod hic Keckermannus dicit; nam hæc de entibus dicuntur, non de modis, &c. Pergis: *Validior hæc fortaſſis*, &c. *Sive numero à ſuis modis*, &c. *Reſp.* At, ſi nugæ, tum ſequetur, modum eſſe rem. At modus res non eſt, ut tibi antea oſtenſum. Pergis: *Si non differt modus ab eſſentia*, &c.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Quæ enim numero non differunt, &c. *Reſp.* Omnia inepta. Nam Keckermannus non dicit, eſſentiam non differre à modo; ſed dicit, non differre realiter. Illud vero cujus commatis eſt tuum? *Quæ numero non differunt*, &c. An vero tantum hæc eadem ſunt? An & illa non ſunt eadem, quæ ſpecie eadem, & quæ genere eadem? Dicendum ergo tibi erat, eadem ſunt, ſcilicet numero.

Pergis: *Illud nimirum eſt*, &c. pag. 84. *Reſp.* Certe realiter non diſtinguuntur. Non interim ſequitur non diſtingui; nec enim ſola realis eſt diſtinctio; ſunt & aliæ, ut modalis, quæ certe hic locum obtinet. Pergis: *Quaſi non magis illa numero diſtinguantur*, &c. *Quam quorum eadem eſt*, &c. pag. 84. *Reſp.* Iterum impingis. Poteſt certe definitio eadem non eſſe, nec tamen res numero differre; Genus & ſpecies definitione differunt, & tamen numero non differunt, ut tu abſurde vis.

Pergis: *Nec verum eſt*, &c. 1. *Quia modus addit.* 2. *Quia unum uni additum*, &c. *Reſp.* Inepte. Modus additus modo, componit compoſitum; Erit ens, erit ergo unum, verum, bonum. Viciſſim hæc component; unitas addita unitati, bonitas bonitati, iterum ens. Ita in infinitum proceſſus. Sed tu parum curas, quid garrias.

Pergis: *Quæ ſequuntur, videamus*; &c. *Dicunt, deſtrui principium ſyllogiſmi expoſitorii*, &c. *Reſpondet ad formam & materiam*, &c. *Reſp.* Quid dixerit Keckermannus, nos linquimus; dicimus, argumentum nihili eſſe; Diſtinguimus enim inter ſingulare, & ſingulare ut habet ingenium & modum univerſalis; Eſſentia quidem Divina ſingularis eſt, ingenium tamen, modum & rationem habet univerſalis, quatenus non eſt unius perſonæ eſſentia, ſed communis tribus. Unde colligitur, & certo infertur, quod ſyllogiſmus ille ſecundum verum intellectum non ſit ſingularis vel expoſitorius, ſed pure particularis, æquipollens huic: Quædam eſſentia eſt Pater; Quædam eſſentia eſt Filius, Ergo quidam Filius eſt Pater. Ut igitur ex puris particularibus nihil infertur ſyllogiſtice, ita & hic, quia conſtat medio termino communi, particulariter intellecto, falſam infert concluſionem.

Pergis: *Iam dico, prædicatum minoris integrum*, &c. pag. 89. *Reſp.* Ubi notetur, falſum eſſe aliquando, & quidem tunc, cum ſubjectum prædicato latius eſt, prædicatum Majoris inferunt in concluſionem tertiæ figuræ. Nam ſemper id debet concludi, quod probant præmiſſæ; Si ergo totum probant, totum eſt concludendum; ſi partem demonſtrant, pars quoque inferenda; ne ſit aliud ratione extremorum in præmiſſis, & aliud in concluſione.

Dicet Keckermannus, verba ſua hæc, &c. Ad ſecundam Reſponſionem, & mentem ejus, inquirit Goſlavius; ſed illam non aſſequitur. Quocirca ejus verba adſcribere nullius eſt utilitatis. Negat Keckermannus, ſyllogiſmum propoſitum eſſe expoſitorium, quia non ſubſumitur hic ſingulare ſub univerſali, ut debet fieri in ſyllogiſmo expoſitorio. Quid hoc ſit, non intelligit Goſlavius; intelligeret vero facile, ſi ex Logica didiciſſet, quod ſyllogiſmus expoſitorius non tam ſit ſyllogiſmus, quam probatio ſyllogiſmi tertiæ figuræ, qui conſtat medio univerſali; ſub quo ſumitur ſingulare, tanquam exemplum; & eadem extrema probantur, tanquam per ſingulare, ſenſibus expoſita. Verbi gratia; ſit probanda quæſtio; Quidam maritus eſt doctus; Probo eam in tertia figura, medio univerſali & communi Theologorum, ita: Omnis Theologus eſt doctus: Quidam Theologus eſt maritus; Ergo quidam maritus eſt doctus. Syllogiſmum hunc expoſitione probo, ſub termino communi terminum ſingularem, hoc modo: Petrus Martyr eſt doctus; Petrus Martyr eſt maritus. Ergo quidam maritus eſt doctus. Hoc eſt, Goſlavi, ſubſumi ſingulare ſub univerſali in ſyllogiſmo expoſitorio; Quod quia in Arrianorum ſyllogiſmo neque ſit, neque fieri poteſt; recte is à Keckermanno negatur eſſe expoſitorius.

Pergis: *Denique materia eſt vitioſa; non enim ſeparatim dicitur, eſſentia eſt Pater*, &c. *Reſp. Primum dixerat, eſſentiam eſſe ſingularem.* pag. 87. *Reſp.* Ineptis; Keckermannus dicit, eſſentia eſt Pater, non poſſe dici recte ſeparatim, hoc eſt, ut tibi explicem, non poteſt dici recte complete; nam alias æquipolleret

huic excluſivæ: Eſſentia Dei eſt tantum Pater. Quia igitur propoſitio incompleta eſt, non rationem ſingularis, ſed particularis ingenium habet, eique æquipollet; ut & totus ſyllogiſmus ſyllogiſmo particulari. Quæ attexis, in his, quæ diximus, diſſolvuntur.

CAP. IV.

PErſona in Deo, &c. *Vt hanc ſolvat*, &c. pag. 88. *Reſp.* Magnifice de te ſentis, & de tuis; cum tamen ineptus fueris & ſis. Reſponſum tibi antea; ſed & nunc. Apparet, te in Metaphyſicis puerum eſſe; imo nunquam eam deguſtaſſe. Nam quod de modis tantum ſecundum quid dicitur, id tu ἁπλῶς accipis & interpretaris. Cum ergo in Metaphyſica modi dicuntur entia, non intelligendum eſt, ac ſi plane nihil ſint, ſed quod nullam aliam in ſe contineant entitatem, quam eſſentiæ, ſcilicet entis, cujus modi eſſe dicuntur; quocirca, ſi abſtrahas illos modos ab eſſentia, tum non poteſt illis entitas tribui, niſi ficta, & talis, qualem non entibus fictis tribuere ſolemus. Atque ita per modum concipiendi noſtrum non entia fiunt, qui alias in entitate eſſentiæ ſuæ ſunt, & per illam entitatem in concreto recte entia dicuntur, modo non alia entitas tribuatur eſſentiæ, alia modis, ſed una ſit & eſſentiæ & modorum entitas. Ut igitur extra mentem ſunt concreti eſſentiæ, entia omnino dici poſſunt. Nempe quod unum ſit ens, verum ſit ens, bonum ſit ens, unum. Quomodo omnino concedimus, perſonam maxime ens eſſe, & magis etiam, quam ſecundas ſubſtantias, & accidens. Et ita omnino perſonam Divinam, quæ ſe in Deo proportionaliter habet, ut modus, incarnari potuiſſe, quia revera ens eſt, & revera exiſtit; & natura Dei ipſa, nempe perſonaliter limitata, incarnata eſt, & hominem aſſumſit; Non autem prima & tertia, quippe perſonæ modaliter oppoſitæ ſecundæ. Ergo inde non ſequitur, totam Trinitatem incarnatam eſſe, ſed ſolum Filium.

Pergis: *Quando ergo Adverſarius dicit, Perſona*, &c. *Etenim mediata hæc fingit eſſe*, &c. pag. 89. *Reſp.* Licet Perſonæ Divinæ non habeant in re ipſa realem aliquam diſtinctionem à Divinitate, habent tamen modalem, & fundamentum, ut nos poſſimus concipere illa duo ut diſtincta, proindeque Perſonis propter eſſentiam aliquid revera tribuere, quod πρώτως & immediate eſſentiæ competit. Sic, licet tale diſcrimen detur inter ipſas Perſonas Divinas, & eſſentiam, nihilominus recte tribuuntur perſonis, ut perſonis, & alia eſſentiæ, ut eſſentiæ. Concludis tamen: *Dubitari autem poteſt*, &c. ibid. *Reſp.* Totus diſcurſus nihil ad rem. Primum ergo dicimus, voluntatem dici infinitam, prout ſumitur, ut idem eſt cum eſſentia, quæ modo & perſona in concreto, infinita dici non negatur.

2. Voluntati competere magis non ens, quam perſonæ in concreto, negamus. Nam voluntas quoque idem eſt cum eſſentia. Itaque, ſi quis voluntatem ab eſſentia Divina abſtrahat, illi oportet tribuat novam eſſentiam; cum in Deo non ſit aliud, & aliud, ſed omnia conſiſtant in ſimplici identitate. Ergo æquali modo ejuſmodi abſtractione non ens tribuitur perſonæ atque voluntati; & è contrario.

3. Primum Voluntatis ſubjectum eſſe Perſonam: & illud negamus; eſt enim eſſentia, & propter hanc perſona: verbi gratia, in homine primum ſubjectum voluntatis eſt animal, & propter hoc toti tribuitur perſonæ.

4. *De Voluntate non prædicatur ens.* pag. 90. *Reſp.* Et hoc falſum. Sed probas: *Quia nemo ſanæ mentis hactenus dixit, Voluntatem eſſe Deum, eſſe hominem, eſſe Angelum. Reſp.* Eſtne Deus tantum, vel homo, vel Angelus, ens? Quæ ergo conſequentia? De voluntate non prædicatur Deus, neque homo, nec Angelus; Ergo de ipſa non prædicatur ens. Eſt enim & accidens, & proprium inhærens, ens certe. At voluntas eſt proprium accidens inhærens Angeli & hominis. Ergo ens eſt.

De Voluntate autem Divina, quis dubitabit aſſeverare, ipſam Deum eſſe? cum in Deo nil ſit, niſi ipſe Deus, ut ante oſtendimus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

CAP. V.

Eadem res, &c. *Reſpondet ad objectionem*, &c. *Eſt hoc argumentum, quod ego non probo; propoſitio namque falſa eſt, quanquam non ex hac ratione*, &c. *Eſt alia cauſa*, &c. *Cauſa una efficiens plurium*, &c. pag. 91. *Reſp.* Inepte. Quocunque te vertas, inſcitiæ tuæ & ruditatis ſumma veſtigia prodis; ſi enim ex hoc fundamento, ut tu dicis, ſequeretur, modos eſſe effecta; ſi effecta entia; quid ergo ad hanc rem quam tractas? Sed exemplum tuum hoc oſtendit, *Hinc homo pater multorum*, ibid. Anne tibi filii non ſunt entia?

Pergis: *Nec obſtat quod*, &c. *Supervacanea enim iſta*, ibid. *Reſp.* Sed cur ſupervacanea? Atqui agitur de eo, an in una re poſſint eſſe diverſi modi; ſcilicet intra rem. Nam modi non ſunt extra rem, ſed intra rem; quod, quia tu non intelligis, reprehendis. Ad Majorem tamen melius reſponderi videtur, eam non eſſe veram de tota latitudine entis, ſed tantum de ente increato, infinito. Quod enim in una re non poſſunt eſſe plures ſubſiſtentiæ ſive perſonæ, obſtat finitas; Illa autem quia in Dei eſſentia negatur, conſequens neceſſarium affirmari nequit.

CAP. VI.

Subſiſtentia, vel eſt intrinſeca, &c. Reſpondet: *Utrobique*, &c. *Nam non ſequitur; Si ſubſiſtentia eſt de eſſentia Dei*, &c. Dicimus, ſubſiſtentiam non poſſe dici de intrinſeca ratione eſſentiæ; quia iſta, quæ de eſſentia ſunt, cauſa ſunt: At vero in Deo nihil cauſa, nihil cauſatum. Ergo dicendum, pace Keckermanni, quod non ſit de eſſentia, ſed ſit conſubſtantialis, ut dici ſolet. Reſpondet Goſlavius: *Effectus qui participat*, &c. *Reſp.* Inepte, ſi de cauſa ſumas æquivoca; participat hæc naturam virtualiter, & tamen talis non eſt.

Pergis: *Subſiſtentia eſt effectus*. pag. 92. *Reſp.* Mira res! Erit ergo in Deo effectus & cauſa. Faceſſe, nugator. Adde, quod perſonæ in Deo ita proportionaliter ſeſe habeant, ut modi in rebus creatis. Atqui modi in rebus creatis ſuorum ſubjectorum effecta non recte dicuntur niſi ipſam cauſam, quæ &, juxta Metaphyſicam conſiderationem ac veritatem, modus entis eſt, effectum dicere & ſtatuere velis. Deinde, effectus non habet numero eandem eſſentiam cum ſua cauſa efficiente. At modi iſti numero eandem habent eſſentiam cum eo, cujus ſunt modi; ſiquidem, ut ſæpius diximus, præter illius eſſentiam, nullam habent, adeoque ab ea abſtracti, ad non entis naturam abeunt.

Abrahami exemplum: Inquiet aliquis; ſubſiſtentia hominis, &c. *Sicut Abrahami ſubſiſtentia*, &c. Reſpondes; *Eſſentia duplex: prima & ſecunda.* Reſp. *Amphora cœpit Inſtitui*, &c. Agitur de ſubſtantia; tu agis in concluſione de eſſentia; unde portentoſa eſt iſta Abrahami eſſentia? eſt de eſſentia Abrahami. *Quæ iſta portenta?* inquis. *Non in univerſum hominis, ſed hujus hominis, ſequitur*, *inquit Keckermannus, eſſentiam eſſe incommunicabilem inferioribus ſuis modis*, &c. pag. 93. Reſpondes: *Ergo quoque ſubſiſtentia tantum incommunicabilis*, &c. *Modis autem ſeu perſonis communicabilis*, &c. pag. 93. *Reſp.* Goſlavius committit ignorationem Elenchi, & ſe ipſum non intelligit. *Ergo*, inquit, *ſubſiſtentia quoque eſt incommunicabilis ſuis inferioribus.* Per ſubſtantiam Goſlavius intelligit ſubſiſtentiam, aut eſſentiam; quia inter hæc non datur medium. Si prius; tum illa idem dicitur quod perſona: Nam perſona & ſubſiſtentia in Deo ſunt ſynonyma; Atque adeo perperam à Goſlavio dicitur, quod perſonis ſit communicabilis cum ſubſiſtentiis; ut perſonis nempe iiſdem natura dicitur communicabilis. Si per ſubſtantiam intelligit eſſentiam, tum illa perperam ab hac diſtincta eſſe ſtatuitur.

Pergit: *Si modis etiam incommunicabilis; non video, quo jure*, &c. *Hoc admiſſo, quod pro conceſſo accipitur, ſubſiſtentiam eſſe ex ratione intrinſeca eſſentiæ*, ibid. Diſtinguis hic iterum inter ſubſtantiam, eſſentiam, & ſubſiſtentiam; & colligis, quod, ſi ſubſtantia eſt modis ſeu perſonis incommunicabilis, non video, quomodo eſſentia ſit communicabilis. Sed ratio illa nulla eſt, ut patet ex jam diſputatis; & porro arguitur talis ex ſubjecta ratione.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Admiſſo hoc, quod pro conceſſo accipitur, ſubſiſtentiam eſſe ex ratione intrinſeca eſſentiæ. Hæc ſola eſt ratio, quæ arguere videtur, eſſentiam non eſſe communicabilem modis incommunicabilibus, quippe qui cum illa in ratione intrinſeca idem ſunt. Sed diſtinguendum eſt inter identitatem realem, & incluſionem eſſentialem. Perſona quidem in Deo eſt idem cum eſſentiæ identitate reali, ſed non incluſione eſſentiali; ſi enim relationes hic ſecundum rationes proprias pertinent ad eſſentialem conſtitutionem, ut talem, Divinitatis, non poteſt intelligi integra Divinitas, & completa, eſſe in aliquo ita, ut identificetur cum illo, niſi quoque relationes in eo ſint, & cum eo identificentur. Et certe, ſi Deitas in ſuo conceptu eſſentiali includeret illas relationes, tum nullo modo dici poſſit, totam eſſentiam Divinam per identitatem realem eſſe in Filio; cum in illo per identitatem non ſit Pater, quippe qui non idem, ſed diverſus à Filio. Ad ſummum, nulla perſona per ſe ſumpta ſimpliciter eſſet Deus, ſi collectio relationum eſſet de eſſentia Dei. Falſo ergo ſumit, quod ſubſiſtentia ſit de intrinſeca ratione eſſentiæ, ſiquidem phraſis hæc, *ſubſiſtentiam eſſe de ratione intrinſeca eſſentiæ*, idem dicit, quod iſta: Eſſe identitatem relationum perſonalium & eſſentiæ Divinæ, in re, cum incluſione eſſentiali mutua. Hæc igitur non negatur, negatur altera.

Præterea pro conceſſo ſumitur, modos ſeu perſonas Divinitatis,&c.*Reſp.* Ne in Philoſophia quidem id obtinet; nam poteſt definitum locum ſubjecti habere, & tamen non eſſe inferius definitione. Ita enim poteſt proprium quarti modi dici de ſubjecto, nec tamen inferius eſſe. Infinita talia. Solum enim hoc obtinet in iis, quando genus prædicatur de ſpeciebus, vel ſpecies de individuis.

Exemplum à calore inutile, &c. Improbe. Gradus eſt accidens caloris, accidens ergo ex accidentibus componitur. Sed dicis: *Accidentia naturam ſubjecti ſui non ſequuntur. Reſp.* Senſus duplex eſſe poteſt, quod accidentia, convenientia cuique naturæ, non tribuantur, & hoc ſenſu falſum eſt quod dicis: Nam certe propria ſequuntur naturas rerum; Hinc riſibilitatem fruſtra quæras alibi, quam in homine. Si vero dicas, Accidentia non participant naturam ſui ſubjecti, id eſt, non fiunt ſubjectum; Id veriſſimum: ſed nil ad rem.

Alteram conſequentiam eludit vaniſſimo illo ſubterfugio, &c. *Fere univerſa ſchola Theologorum*, &c. *Reſp.* Imo vero nuſquam quiſquam, proprie & accurate loquendo, vocat exiſtentias, vel ſubſiſtentias: Nam in Deo eſſentia & exiſtentia non differunt. Si ergo vocarent exiſtentias, vocarent eſſentias. Inquis: *Atqui Pater eſt eſſentia Divina*, &c. *Reſp.* Pater non dicit modum ſubſiſtendi concretive, ſumptus abſolute, ſed modum ſubſiſtendi cum eſſentia. Itaque non mirum, ſi dicatur Pater eſſentia Divina, modo ſubintelligendum fuerit, cum modo certo ſubſiſtendi.

CAP. VII.

Quod ſequitur, non poteſt conſtituere: at relatio, &c. Reſpondet Keckermannus: *Illud ipſum quod ſequitur. Relatio Paternitatis ſequitur*, &c. pag. 94. *Reſp.* ad Minorem, falſam eſſe. Nam paternitas, generatio activa, ſunt unum & idem in Deo; Quæ ergo unum & idem ſunt, de iis non poteſt dici, quod ſequantur, vel præcedant. Sed pergit: *Mallem dictum fuiſſet facere*, &c. ibid. *Reſp.* Non dubito, quin malles dictum, ut haberes, cum quo depugnares, hoc eſt, cum tua umbra. Quæris, quare? Dicimus, quia non datur cauſa in Deo ad intra. Daretur enim in Deo effectus. Effectus autem omnis novitium quid eſt, & æterno repugnat. Accedit & hoc, quod relatio cauſam proprie dictam nullam habet.

Perſona Divinitatis facit ſeu producit. Reſp. Ineptum & hoc, ut patet ex præcedenti. *Probas, quia Pater genuit Filium*, pag. 95. *Reſp.* 1. Ignoratio Elenchi. Quia probare debebas, quod generatio faciat relationem in Patre. Tu vero jam infers, quod relatio Patris ſit cauſa Filii. 2. Utut ita ſit, concedimus, perſonam unam produxiſſe alteram; ſic, Patrem genuiſſe Filium; & utrumque, Spiritum Sanctum. Interim tamen nulla conſequentia. Nam generationem hanc veram quidem eſſe aſſerimus; non tamen per effectionem, nec per modum efficien-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

cientis fieri, ita ut Pater ſe habeat ceu cauſa efficiens, Filius ceu effectum; cum efficere, proprie non ſit veram perſonam, ſeu ſuppoſitum, producere, ſed novam & diſtinctam eſſentiam extra ſe: quod ut noſtræ hypotheſes, ex Scriptura deductæ, minime concedunt, ita Majorem iſtam, Perſona Divinitatis facit ſeu producit perſonam, noſtram non eſſe, facile conſtat. Aſſumptio probatur: *Quia relatio Filii non conſtituit*, &c. ibid. *Reſp.* Certe relatio non producit ſimpliciter, ſed relatio ſubſiſtens, ſive ſubſiſtentia relativa. Relatio enim, cum abſolute ſumitur, ab eſſentia diſtinguitur. At perſona includit eſſentiam, ſine qua productio eſſe nequit; Nam productio involvit communicationem eſſentiæ, quoad modum; Ideo non dicimus, quod paternitas producat filiationem, ſed quod Pater producat Filium in concreto.

Porro relationem Filii conſtituere, &c. *Probatur hoc argumento optime. Quod enim ſequitur; hoc eſt, ab aliquo producitur.* ibid. *Reſp.* Ne quidem in Philoſophia hoc valet. An neſcis, in Logicis relata ſibi eſſe invicem cauſas, tum in arguendo, tum in eſſendo? Itaque faceſſe cum hoc tuo principio.

2. Dicimus, Patrem genuiſſe Filium, & utrumque produxiſſe Spiritum Sanctum; ſed tamen non ſequitur, Filium eſſe effectum, vel Spiritum Sanctum eſſe effectum. Nam debes diſtinguere inter conſtitutionem externam & internam. Relata ſe mutuo conſtituunt, ſed extrinſecus, quatenus unum ad alterum terminatur: intrinſecus vero per ſubjectum, & fundamentum, & propriam relationem conſtituuntur. Sic Filius conſtituitur à Patre, ut ad Patrem terminatur, & Pater à Filio, & rurſus Filius ejus eſt terminus, ſed extrinſecus; intrinſecus vero Patrem conſtituit, quod & genuit Filium; & ideo paternitas in ipſo fundatur; hoc eſt, propria paternitate, propria relatione præditus eſt. Sic Filium conſtituit intrinſecus, quod genitus eſt, & eſſentiam à Patre in ſe accepit; ideoque filiatio in ipſo fundatur, propriaque præditus eſt. Cum vero relatio dicitur conſtituere perſonas Divinas, id de internis & propriis, non externis & oppoſitis, intelligendum. Cætera quæ adjicit, refutatione & examine indigna.

CAP. VIII.

QVando filius genitus eſt, &c. *Et aut filius gignitur*, &c. Dicis: *In priori argumento reponi, in locum veri reponi*, &c. *Reſp.* Portenta ſunt veri Dii, qui non ſunt natura veri Dii. Scriptura hoc refellit; Hæc, inquit, vita illa æterna eſt, ut te cognoſcant, *Illum ſolum verum Deum.* Audis? *Illum ſolum verum*; non ergo alii veri. Et quæ, quæſo, cauſa eſſet, cur *Ieremias* diceret, *Dii, qui non fecerunt cælum*, &c? Niſi hanc diſtinctionem ſubintelligas, Dii pro veris Diis haberi volunt.

Quid audio? Affirmationis & negationis eſt medium? &c. pag. 99. *Reſp.* Certe, per negationem utriuſque extremi; dixeris enim mihi, an lapis videat, vel non videat. Infinita talia diſcere debuiſſes.

Si eſſe, & gigni, Filio competunt, &c. *Reſp.* Ita eſt, quod dolendum, te abſurdum proſiliiſſe ad diſputationem de rebus captum tuum excedentibus. Dicas enim mihi, cum de Deo dicitur, Deus à ſe ipſo eſt; ſignificatne tempus? Ergo Deus in tempore cœpit. Prius ergo tempus ipſum. Faceſſe cum fanatica Theologia.

Pergit: *Keckermannus addit: in æternitate plus quam*, &c. *Quid ita?* inquis: *An æternitas tempus non eſt? At eſt duratio præſens, præterita*, &c. *Dixit, æternitatem eſſe infinitudinem temporis.* pag. 100. *Reſp.* In prima ſignificatione ἀκύρως loquitur Keckermannus, ut Scriptura, dum annos tribuit Deo, vel dies. In poſteriori quidem dicitur, durationem eſſe principio & fine carentem; ſed addere debebas, & ſucceſſione carentem. Quæſo, diſce, antequam ſcripſiſſes, quid interſit inter æternitatem, ævum, & tempus. *Si igitur æternitas eſt tempus*, &c. ibid. *Reſp.* Si. At non eſt tempus. Nam hoc pacto mutabilitas erit in Deo; fiet enim in dies ætate provectior, non idem. Ut alia infinita abſurda, quæ hinc ſequuntur, prætereamus.

Et generatio filii æterna. Involvitur, inquit, *contradictio. Generatio eſt à termino à quo & ad quem.* ibid. *Reſp.* Scilicet involvitur contradictio in tuo cerebro, ſed non in re; Nam, ut

ut diximus, æterna quæ ſunt, ſucceſſionem non admittunt, quia æternitas ſucceſſionem non admittit.

Quid abſurdi erit, ſi dicamus, æternitatem, &c. ibid. *Reſp.* Nihil, modo ita concipias durationem, ut ſucceſſionem omnem excludas, item prioritatem & poſterioritatem. Quæ ſubjicis, vana ſunt, & exſibilanda. Nam omnia ex modo noſtro concipiendi talia dicuntur, non ex rei natura. Quod te docere potuit, de quo antea ſæpius, quod quicquid eſt in Deo, Deus eſt. Æternitas eſt in Deo. At dices, Deum fuiſſe, eſſe, fore; an non dixeris mutationem inſignem? Atqui in Deo ne quidem umbra eſt mutationis. Præterea tempus finiet Deum. Nam quod extra tempus non eſt, comprehenditur tempore; Finitus ergo Deus à tempore. Tempus ergo, cum non habeat tempus, à quo finiatur, infinitum futurum.

Pergis: *Scribi, in Deo nullam eſſe diſtinctionem prioris,* &c. *Inde concludit, nullam eſſe diſtinctionem temporis. Falſum*, inquis, *antecedens; Deus, qua Deus, quam cauſa mundi*, pag. 10. *Reſp.* Anne, Deum eſſe cauſam mundi, eſt in Deo? Atqui ea quæ in tempore dicuntur de Deo, ita dicuntur, ut nil ponant in creatore, ſed in creatura; Hoc ergo diſcere debebas.

Aliam rationem affert: *Quoad perſonas & eſſentiam ab Adverſariis diſtinguuntur. At cauſa cauſato prior eſt.* ibid. *Reſp.* Ita tu abſurdus es ſemper. Eſtne perſona cauſatum? Retuſum hoc antea; ideo non immorabimur. Objicis tibi, *An tu tempus æternum ſtatuis? Tu dicis, quia ſi ratio contrarium non ſuadet*, ibid. *Reſp.* Non ſuadet, Goſlavi? Ratio docet, tempus eſſe duplex: Internum, quod eſt duratio rei; vel externum, menſura motus Solis, Lunæ. Res ergo tibi erunt æternæ, & cælum æternum. Inſanis non vulgariter. Quæ hic proponis: nugæ. Solvuntur omnia, ſi dicatur tempus rebus concreatum, ut omnia accidentia. *Nec eſt quod quiſquam dicat, ſine motu*, &c. *Has nugas amplectitur*, &c. pag. 102. *Reſp.* Sed quare nugæ? Anne Deus in momento non poteſt aliquid facere? Annon in momento ſanavit hos & illos morbos? Annon in momento convertit hominem peccatorem? Quod majus eſt, quam creatio, neque enim datur inter mortem ſpiritualem, & vitam, medium aliquod, nec inter viventem, & mortuum ſpiritualiter. *Dices:* Non dicitur hoc in Scripturis. Et, à poſſe non valet ad eſſe. *Reſp.* Inepte, An non dixit, & facta ſunt? quæ eadem verba accommodat ad regenerationem noſtram, quæ momentanea, 2 Cor. : *Qui dixit ut è tenebris lux ſplendeſceret*, &c. Itaque vana omnia, quæ hic affers. Objectionem formas non de nihilo, *ſolem eſſe conditum*; Annus, dies, menſis, non ſunt tempus, ſed menſura temporis. *Reſp.* Quid vero tibi tempus? motum putabis. *Reſp.* Stulte. Nam motus eſt vel in paſſione, tempus in relatione motus materiale; at formale ſemper prius materiali.

CAP. IX.

IN *Patre eſt tota Deitas. Ergo non eſt in Filio, aut Spiritu Sancto. Ait, conſequentiam valere in toto finito, non autem infinito.* Inquis, *imo & in toto infinito; & tanto magis, quomodo infinitum*, &c. *Reſp.* Non poteſt eſſe à ſeipſo diverſo realiter; at vero perſona non eſt à Deo diverſa, ut ante dictum, cum diceremus, quod perſona in Divinis non ſit alia res ab eſſentia, ſed eadem cum eſſentia Divina. Non ergo eſt eſſentia Divina in perſona Patris, in perſona Filii, in perſona Spiritus Sancti, tanquam in re alia & alia; ſed eſt in illis tanquam in ſuis determinationibus incommunicabilibus, quæ determinationes non dant limitationes finientes infinitum, ita ut ex infinito fiat finitum, ſed tantum efficiunt, ut eſſentia Divina incommunicabiliter exiſtat, adeoque, ratione illorum ſuppoſitorum, extra illarum eſſentiam ſit plane incommunicabilis. Videamus, an & in finito hoc valeat. Nego. Nam modorum ſingulorum tota eſt eſſentia entis; non ita tamen, ut non ſit tota ſimul in aliis; ut, totum ens eſt in uno vero bono, & tamen totum eſt & in vero & bono.

Quoad diſtinctionem tuam totius: *Totum eſt, cujus nil eſt extra*, &c. Hoc dicitur de toto, quod partes habet, ita vero tibi diſtinguendum fuerat. Totum capitur dupliciter, vel *relative ad partes*; & ſic proprie capitur pro to-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

toto; vel *abſolute*, pro eo quod perfectum eſt. Quæ attexis, inepta, & ex his ſolvuntur.

CAP. X.

D*Eus verus invocatur per Mediatorem*,&c. Reſpondet Keckermannus: *Diſtinguendo invocationem*, &c. Reſpondes 1. *Hypotheſin ſupponi, Deum accipi pro eſſentia tribus perſonis communi*. pag. 105, 106. *Reſp.* Non ſumitur hoc pro conceſſo, quod argumentis magnis evictum eſt. Et non eſt petere principium,cum quis inter diſputandum recurrit ad ſua principia; ut omnes docti norunt.

Poſtea opponis te invocationi, quod ſcilicet *alia abſoluta, alia relata. Omnis*, inquis, *invocatio eſt relata; & abſolutum eſt, quod* &c. ibid. Inepte dicis. Si enim omnis invocatio relativa, tum omnis actio relatio eſt, & quidem ſecundum eſſe; item paſſio, item omnia accidentia. Abſurdum poſterius. Ergo & prius. Et tamen hæc tibi ratio videtur inſolubilis. Et certe, ſi omnis invocatio proprie eſt in relatione, nihil erit in rerum natura quod non, propter adjunctum aliquem reſpectum, ad relationis prædicamentum pertinebit. Invocatio ergo per ſe manet actio, in ſe conſiderata, una & ſimplex; quia duplicem conſiderationem admittit, ratione objecti; relatam, & abſolutam. vel enim invocamus Deum abſolute in ſua eſſentia, vel ad certam perſonam Deitatis invocationem noſtram dirigimus. Ratione hujus objecti merito invocatio alia abſoluta, alia relata dici debet.

Objectum invocationis aliud eſſentia,&c. *Circa eſſentiam Dei invocatio non occupatur, ac proinde Deum abſolute in ſua eſſentia non poſſe invocari, quia eſſentia ſua non intelligit, nec vult. Si diſtincte à perſona conſideretur*. pag. 107. *Reſp.* Blaſphemum hoc eſt, Dei eſſentiam facere brutam, quæ nihil intelligat; præſertim cum ſciat Adverſarius, per eſſentiam hoc loco non intelligi illam eſſentiam, quæ quaſi conſtituit Deum, ut ἀνθρωποπαθῶς loquamur, quæ tamen & ipſa intelligens eſt natura, ſive abſtracte à perſonis conſideretur, ſive concrete; Sed per eſſentiam Dei, quæ invocari dicitur, nihil aliud intelligimus, quam omnes tres perſonas Deitatis ſimul ſumptas. Quando igitur hæ tres perſonæ ſimul invocantur, tunc dicitur invocatio abſoluta, quia ad Deum abſolute, non vero ad certam perſonam relate, dirigitur.

Pergis: *Reſtat unica objectio, quæ eſt*, &c. *Reſpondet Keckermannus, quatenus læſa*, &c. Quid tu contra? Nugas meras. *Ergo erit læſa & non læſa. Reſp.* Non hoc; Ergo erat læſa, & tamen reconciliari voluit; quid tibi videtur? Fuitne Deus læſus per nos, dum mitteret Filium? Negatis vos quidem, fuiſſe læſum; ſed imprudenter; cum Scriptura teſtetur. Et an tum non habuit voluntatem reconciliationis? Accommoda nugas tuas: Ergo fuit læſus,& non læſus.

Mediator nemo poteſt eſſe ſui ipſius, &c. *Reſp.* An non ille eſt Mediator inter ſe, & eum, à quo læſus eſt? de quo *Matth.* 18. Item: Annon ille (ut propius ad rem accedam)? de quo *Luc.* 20. 13, 14: & quidem hoc negotium tibi exprimit Scriptura in iſta parabola. Ideò quæ addis prolixe, ſunt puræ putæ nugæ. Nam oſtenſo hoc, quod poſſit quis Mediator eſſe inter ſe & alios, omnia everſa ſunt.

Sed diſtinguere videris: *Læſus uno modo dicitur, qui offenſus fuit, ſed ex animo offenſionem depoſuit; & hic non dicitur eſſe, ſed fuiſſe læſus. Altero modo*, &c. *Reſp.* Inſulſe. Eſtne hæc ſufficiens enumeratio? Quid, ſi ſit læſus, & tamen velit reconciliari? An talis non eſt? Vide *Iob.* 14. Hoc obſervato, quid ſupereſt ex tuis nugis, ad quod non ſit reſponſum?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

PARS TERTIA.

CAPUT PRIMUM.

NIhil reſpondemus ad hoc, quia ex ipſa tractatione apparebit, quam vere iſta præmittas.

CAP. II.

KEckermannus ait, *Boëthium*, &c. *Individuum incommunicabile*, &c. *Quæ definitio, ſi incommunicabile expungas*, pag. 116. *Reſp.* At cur expungi debet? cum quædam individua communicabilia ſint, ut, verbi gratia, partes individuæ communicabiles ſunt toti; Exempli gratia, anima rationalis homini. Ideo in limine primo impingis, & fatuum quid ſupponis: Inquis, *Reciproca, incommunicabile, & individuum.*

Loco ejus non pars alterius, &c. *Rectius dictum fuiſſet per ſe ſubſiſtens. Reſp.* Quare, quæſo? Tu, ut imperitus es omnium rerum, ita audax, quicquid in buccam venit, effutis; *negationes*, inquis, *in definitionibus fugiendæ*, &c. *Quia definitio explicat*, &c. *Reſp.* Abſolute hoc dicis; ſed inepte. Nam Deus ſe deſcribit per negativa attributa; ut, immortalis, immutabilis. Anne explicat quid res ſit? Item, cum præcepta tradit: Non furaberis, &c. Ediſcas, non dicere aliquid poſitivi negationes directe, ſed indirecte.

Pergis: *Ariſtoteles affirmat*, &c. *Reſp.* Nemo negat, perſonam in concreto ſubſiſtere; adeo ut fruſtra hic labores. Inquis: *Eſt individua*, ibid. *Reſp.* Certum & hoc; ſed non omne individuum perſona eſt. Interim vide, quid ex iſtis omnibus ſequitur, quæ ponis, dum incommunicabile excludis, & partem; quod anima rationalis ſecundum hanc tuam definitionem certe futura eſt perſona. Probo: Eſt per ſe ſubſiſtens, ut vis; eſt individua, intelligens, volens. Quid tu & tui gregales ad hoc dicitis? Craſin eſſe, non ſupereſſe à morte. Præclare ſcilicet!

CAP. III.

QVæ definitio, *intellige à Boëthio*, &c. Inquis: *Graviſſime errat.* pag. 117. *Reſp.* Non errat; neque enim Deus cum creatura quicquam commune habet præter nomen. Proinde tu tam inepte aptas perſonæ definitionem Deo, quam inepte quis aptaret definitionem ſideris cancri, cancro piſci.

Et, ut rem à fundamento ordiamur, duo nobis ſunt attendenda, &c. *Quæ ſolent impedire*, &c. *Quibus tribuitur*, &c. *Si definitio non ſit univerſalis*, ibid. *Reſp.* At definitio eſt de idea, quomodo ergo non univerſalis? 2. Definitio ex ſe æſtimatur, non ex definiente; nam definiens delirare poteſt. Non propterea, quia ille peccat, definitio non debet univerſalis.

Alterum, inquis, *ſi definitum ſit æquivocum.* Recte. *Atqui*, inquis, *Petrus, & Gabriel*, &c. *Reſp.* Hoc ipſo æquivocum vides, quod Petrus, Gabriel, ſunt perſonæ, quarum ſingulæ eſſentiam particularem inferant, quod hic non eſt. Nam Pater eſt eſſentia, ſed non tantum, nec ſolus; nam & Filius eſt eſſentia; Spiritus Sanctus eſt eſſentia, & quidem eadem cum Patre.

Objicis tibi, Perſonas Trinitatis non eſſe ſubſtantias. Reſp. ad hoc, certe non diſtinctas diverſas, quales ſunt Petri, Gabrielis. *At Keckermannus negavit, perſonas eſſe entia. Reſp.* Superius negavit Entia; non tamen ſtatuit nihil. Nam quid diſcriminis ſit inter nihil & non ens, ibidem docuimus. Præterea eſt ſubſtantia *concretive* ſumpta, non *abſtractive*, hoc eſt, Pater non Paternitas, Filius non Filiatio.

Primum, Perſona Trinitatis per ſe ſubſiſtit. pag. 118. *Reſp.* Ita quidem, ſed ſubſiſtit, concretive ſumpta, cum eſſentia. Semper tamen obſervare debes, ſubſiſtere per ſe, ſed ita, ut non diſtincta ſit hæc eſſentia Filii ab eſſen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ſentia Spiritus Sancti, ut ante oſtendimus.

Deinde omnia prædicata neceſſario cum ſuis ſubjectis, &c. *Hinc dicuntur eſſentialia*, &c. ibid. *Reſp.* Apage nugas. Anne putas, prædicata, quæ de Deo dicuntur, differre à Deo realiter? Putas certe, Deum habere genus; quo ipſo tolles infinitatem Dei; dabis Deo aliquid majus. Quæ de ente, & non ente, diſputas, nugæ ſunt, quas protrivimus.

Vniverſale vero duobus modis dicitur. pag. 119. *Reſp.* Minus neceſſario te fatigas. Nam nos damus definitionem iſtam, quod perſona Divinitatis per ſe ſubſiſtat. Quæ tu tractas, ita tractas, ut ſemper præſupponas, prædicata de Deo differre à Deo ex natura rei, non ex modo noſtro concipiendi: quod toties refutatum.

Cum igitur nihil impediat, quo minus, ibid. *Reſp.* Diximus, cur definitio hæc convenire non poſſit perſonæ Divinæ in concreto ſumtæ; Quia perſonarum ſingularum definitio ſingulas eſſentias infert, quod in eſſentia Dei infinita non eſt. *Nam quod aiunt, ſubſtantiam de Deo aliter dici atque de Angelis*, &c. *Adeo nugatorium eſt. Reſp.* Tu ipſe nugator. Dictum tibi, quod creatum cum increato, finitum cum infinito, nihil commune habent præter nomen. Nam hoc commune, quod habebit, aut erit finitum, aut infinitum. Si infinitum; Ergo creatura infinita: Si finitum, creator finitus. Quomodo ergo eadem definitio adaptari poterit perſonæ Dei, & creaturarum?

CAP. IV.

IN *Deo tres non eſſe perſonas*, &c. *Nam cum perſona Trinitatis*, &c. pag. 119. *Reſp.* Vera eſſent omnia, ſi eſſentia eſſet finita; quod hic non eſt. Dicis, *unum & idem, ſimul multa & idem*, &c. ibid. *Reſp.* Ita quidem; ſed noſti quæ requirantur ad legitimam oppoſitionem; Nempe ut ſit idem ſubjectum, idem prædicatum, idem reſpectus, idem tempus. Atqui hic reſpectus idem non eſt. Perinde dixeris, ens non poſſe eſſe unum, verum, bonum, ex tua iſta ratiuncula ridicula.

In rebus creatis fatentur rem ſe ſic habere, &c. ibid. *Reſp.* Miſer! non aliter ſcilicet judicas de Deo, quam de rebus creatis. Habetne Deus aliquid commune cum creatura? Sed de hoc antea.

CAP. V.

NVnc *fingunt Adverſarii*, &c. *Nunc perſonam unam duarum*, &c. *Individua intelligens natura*, &c. pag. 121. *Reſp.* Præclare! Anima hujus vel illius hominis eſt individua; intellige res natura. Ergo eſt perſona? Perſona ergo non erit ſuppoſitum.

Pergis: *Perſona eſt una in Chriſto natura, individua duplex.* ibid. *Reſp.* Inepte. An non tu ponis duas naturas individuas, & tamen unam perſonam? Nam tu ponis corpus præter animam, quam ſolam ſtatuis perſonam; & interim tamen nobis inſultas.

Pergis: *Eſſe hunc & non alium hominem, quid aliud*, &c. *Similiter eſſe*, &c. *Reſp.* Omnia inſulſe pro more tuo; Eſſe hunc & non alium hominem, ſubſiſtentem in ſua propria hypoſtaſi; tum hoc eſt perſonam eſſe. At Chriſtus, quia homo eſt hic, & non alius homo, & interim tamen non ſubſiſtit in ſua propria hypoſtaſi.

Dices, *peti hic principium*. *Reſp.* Nihil. Non petit principium, qui ad ſua principia recurrit. Experire, & diſputa, an Chriſtus habeat propriam hypoſtaſin.

Pergis: *Homo non poteſt eſſe ſine perſona, homo, inquam, in individuo*. *Reſp.* Dixiſſes, Homo non poteſt eſſe ſine hypoſtaſi; quod tibi libenter largimur, quod non poſſit eſſe ſine hypoſtaſi, vel propria, vel aliena, ſed ſibi communicata.

Veriſſime dicitur, diſparata eſſe oppoſita. *Reſp.* Recte dicis ſecundum idem. Quid videtur tibi? ſuntne diſparata, Chriſtum eſſe Dominum Davidis, & tamen Filium Davidis? & interim tamen dicuntur iſta de Chriſto, ſed non ſecundum idem.

Keckermannus, libro 3, *de Perſona Chriſti dicit, ejus eſſe duas partes*, &c. *Audio rem novam*, &c. *Reſp.* Puer es, ſi putes, à Theologis improbari; & perinde nobis te oſtentas, ac ſi omnes legeres Theologos: non negant eſſe partes, ſed analogice ſic dictas.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Vnum afferam abſurdum. Quod illud? *Chriſtum*, inquis, *non habuiſſe perſonam, natura humana non aſſumpta. Reſp.* Vere dixiſſes, ſi eſſent partes iſtæ proprie dictæ, & non analogice; Sola enim Divina natura eſt perſona (ut ſcias) quia aſſumpta eſt humana in perſonalitatem; non ergo cauſa eſt perſonalitatis; ideo accuratius Theologi eam vocant adjunctum ἐνυπόστατον.

Hominem de Chriſto non prædicari; ut nec Deum. Pars de toto non dicitur. Reſp. Certe in abſtracto; in concreto dicitur. Non dicitur, homo caput, ſed, homo capitatus; vel, homo manus, ſed, homo manibus præditus. Vana ergo ſunt quæ hic ponis.

CAP. VI.

S*Ic fuit pars*, &c. *Atqui non modo vitioſa eſt, tum ex ſequentibus, ſed & à perſona longe aliena*, &c. *Modus hic non eſt ſubſtantia ſive eſſentia, imo ab hac diſtinguitur*, &c. *Idem liquet*, &c. pag. 123. *Reſp.* Prima ratio tua inepta: Non continetur definitione perſonæ generali. Ergo non eſt perſona. Primo enim, cujus perſonæ generali definitione? Creatæne? Præclare! Sæpius dictum à nobis vere, non contineri. Nam Deus cum creatura nihil habet commune præter nomen. Secunda tua ratio: *Modus hic non eſt ſubſtantia. Reſp.* Certe non eſt. Eſt enim perſonalitas, ac proinde eſt etiam perſona in abſtracto; Eſſentia non eſt. Nam eſſentiæ modus eſt. Contrahit enim eſſentiam ad certum modum ſubſiſtendi.

Præterea in hac definitione pro conceſſo, &c. *Dubitari enim poteſt*, &c. *In Deo*, &c. *Reſp.* Ergo Deus tibi non erit ens? Non erit unus, verus, bonus? Hæc te puer docere potuit. *Et, ut conſtet, eſſe modum*, &c. *Modum exiſtentiæ Divinæ multis in locis Keckermannus*, &c. *Vt enim ens eſt, cujus eſt eſſe*, &c. *Quo igitur pacto id quod eſt*, &c. *Eſſe non ens*, &c. *Reſp.* Dici eſſe non ens, non ubique implicat contradictionem. Verbi gratia, cum dico, Chiragra eſt non ens; hoc eſt, nil eſt; Modus enim hic loquendi nihil aliud vult, quam hoc tale nihil habere entitatis. 2. Quod dicis, vocat non ens; id recte ita eſt, prout ſcilicet ens & modus ejus diſtinguuntur. Ad hæc, quod diviſio entis habeat quidem diviſionem generis in ſpecies, non vero ſit talis accurate ſumpta. Nam omnis diviſio eſt per differentias ſpecificas, quas hic habes nullas, ſed tantum modos exiſtendi diverſos, nempe exiſtendi per ſe, ſive ſubſtantiam, & exiſtendi in alio, ſive inhærentiam; Si igitur verum fateri velimus, ſubſtantia ab accidente non differt nova quadam entitate, ſed tantum diverſa eſt ab illa per modum diſtinctum. Non ergo propterea ſtatuendum eſt, ſubſtantiam ab accidente diſtingui non ente, ſed non diſtingui forma quadam, ab entitate ſubſtantiæ diſtincta. Modus ille in ſubſtantia porro limitatur aliter atque aliter, ut ſubſtantia illa ſeu modus ſubſiſtendi, propter ſubjectum, cujus modus eſt, in nonnullis dicitur perſonalitas, nempe in intelligentibus; in quibuſdam non; & etiam ſuppoſitum, nempe, etiam in non intelligentibus. *Quid autem hoc eſt, quod nec ſubſtantia eſt, nec accidens?* ibid. *Reſp.* Graviſſime hic erras. Notum eſt, accidens eſſe; itemque calorem & lumen nemo negat; ſed de iſtis quæſtio non eſt, ſed de tarditate & celeritate motus, de gradibus caloris & luminis; quæ ſi ſint accidentia, accidentis erit accidens; quod abſurdum.

Accidens poteſt abeſſe. pag. 124. *Reſp.* Stolide. Accidens definis in genere. Nam hæc eſt definitio tantum accidentis communis ſeparabilis.

Quomodo vero hæc definitio congruit, &c. ibid. *Reſp.* Multa inutiliter garris, quæ omnia ſolvuntur diſtinctione perſonæ in concreto ſumptæ, & abſtracto. Sed tibi non placet res. Et incurris in Zanchium & Urſinum; ſed immerito. Zanchius enim dicit, qui perſonam in concreto dicit, duo dicere, eſſentiam, & modum ſubſiſtendi certum. Tu hic Keckermannum ex eo reprehendis? Nam quorſum afferas, non dicis. Ineptus es. Quia Keckermannus definit perſonam in abſtracto; hic in concreto. *Vrſinus*, dicis, *tertium quid ponit, quia dicit, eſſentiam in ſingulis horum ſubſiſtere. Reſp.* Quid vero hoc aliud eſt, quam quod Zanchius dicit, quod eſſentia tribus perſonis Divinis ſit communis?

Exa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Examinas poſtea Urſini definitionem, *Eſſentiam, quæ in ſingulis horum ſubſiſtit: nec dicit quæ ſint illa tria.* *Reſp.* Abſurde mortalis, ſubjecta materia te docere potuit, quid ſunt; nam debebas videre, de qua re agat. *Definitio ingreditur definitum.* *Reſp.* Quomodo, quæſo, ingreditur? *Quia*, inquis, *eſſentia Dei eſt in ſingulis horum trium.* *Reſp.* Inepte. Quid? anne eſt proprie dicta definitio? Præterea accidens dicitur ſubſtantiæ ineſſe. Dicas tu malam definitionem, quia definitum ingreditur definitionem hic.

Cap. VII.

UT *intelligamus*, *ſitne*, &c. *Definitio modi*, &c. *Itaque modum exiſtendi*, &c. *Modus exiſtendi*, &c. pag. 125. *Reſp.* Ut reſpondeamus ordine ad ineptias tuas. Primo, nititur hypotheſi noſtra, modum eſſe relationem; ſic vero vult argumentari Adverſarius: Quicquid non eſt relatio, illud non eſt modus. Atqui perſona non eſt relatio, &c. *Reſp.* ad Majorem, quod univerſalis non ſit; Non enim omnis modus eſt relatio. Ergo non ſtatim quicquid non eſt relatio, id modus non eſt. 2. *Reſp.* ad Minoris ultimam probationem, in qua totus nervus hujus objectionis conſiſtit: Diſtinguendum inter relationem ſtricte ſic dictam, quæ certum genus κατηγορίας conſtituit, & inter relationem tranſcendentalem, quæ omnes κατηγορίας tranſcendit. Cum igitur perſonam ſeu modum in eſſentia Divina dicimus relationem, tum non intelligimus relationem prædicamentalem, & ſtricte ita dictam, ideoque certum genus conſtituentem; eo enim modo recte negatur relatio.

Alteræ ineptiæ, Goſlavi, tuæ hæ ſunt: *Sub eadem diviſione oportet eſſe genus & ſpeciem. Atqui relatio & perſona non ſunt ſub eadem diviſione. Eſt enim perſona ſub genere ſubſtantiæ; Relatio in genere accidentis. Ergo relatio & perſona non habent ſe ut genus & ſpecies.* pag. 126. *Reſp.* Sub eadem diviſione eſſe, & in eodem genere & Categoria eſſe, non eſt idem; concedo quidem, & in tranſcendentalibus dari diviſiones, quæ diverſa poſtmodum prædicamenta & genera continent, ut eſt diviſio entis, in ſubſtantiam, & accidens. Ubi nulla eſt conſequentia, ſi ſic argumentetur: Subſtantia, & accidentia, comprehenduntur ſub diverſis generibus; Ergo ens perperam ita dividitur. Sic bonum dividitur in tranſcendentale, naturale, & morale; quæ ſana quidem eſt diviſio, ſed talis cujus partes partim ſunt extra prædicamenta & genera, partim in diverſis generibus. Nam bonum tranſcendentale nullius eſt generis; Omnia enim genera tranſcendit, quippe æque late patens atque ens; Bonum naturale in ſubſtantiæ Categoria eſſe poteſt. Bonum morale eſt ſumptum in ſerie qualitatis & actionis. Perperam igitur à diviſionibus certorum generum ad generaliſſimæ diviſionis generaliſſimam conditionem argumentatur Goſlavius.

Tertium ejus delirium eſt hoc: *Relata ſunt, quæcunque hoc ipſum, quod ſunt, aliorum reſpectu ſunt; Perſona hoc ipſum, quod eſt, aliorum reſpectu non eſt. Ergo perſona non eſt relatio.* pag. 127. *Reſp.* Quis tam ſtupidus, qui non intelligat, eum confundere relationem cum relatis? Relata quidem hoc ipſum quod ſunt, aliorum ſunt, non relatio. Hæc enim eſt, per quam relata aliorum eſſe dicuntur; ut Filius licet dicatur Patris, tamen non Filiatio dicitur Patris, ſed Filii. Cum igitur perſonam in abſtracto relationem dicimus, argumento iſto nihil efficitur. Deinde, ſi vel maxime perſona in concreto accipiatur, ab hac tamen regula excipitur; quippe quæ in genere relatorum locum habeat, non vero in relatis tranſcendentibus. Sic bonum ſumitur in abſtracto, Græco more; ut, τὸ ἀγαθὸν ſumitur & in concreto. In abſtracto eſt perfectio, rei conveniens; in concreto eſt ipſa res. At in concreto ſumitur ut relatum; ad quid autem refertur? Certe ad nihil aliud, quam ad ſe ipſum; nempe quod ſibi ipſi ſuæque ſpeciei congruat.

Quartum argumentum ejus eſt: *Relata per ſua correlata definiuntur; At perſona non ita definitur; Ergo perſona non eſt relatum.* Majorem probat auctoritate Ariſtotelis. *Reſp.* Sed iterum confundit abſtractum cum concreto, rela-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

relationem cum correlato; De hoc, non de illo, loquitur Philoſophus. Adde, quod relatio definiatur non tantum per correlatum, ſed per ſubjectum, relatum & correlatum, itemque fundamentum & terminum; quæ omnia hic Adverſarius confundit; ſunt etiam hæc de relatis in ſpecie dictis, non de relatis tranſcendentalibus, intelligenda. Atque ſic ad omnia hujus capitis ſufficienter, ut putamus, reſponſum Adverſario.

CAP. VIII.

SI *demonſtratum fuerit*, &c. *Si ita ſit; Ergo eſſentia erit relatum*, &c. pag. 128. *Reſp.* Inepte. Quis te docuit hoc, niſi tui ſimillimus? Quis unquam audivit, fundamentum eſſe relatum? Nam fundamentum ponitur in relatione prædicamentali, pro cauſa, non vero pro relato. Impugnas ſomnium tuum, dicens, *quia eſſentia quævis prior eſt perſona; ac propterea*, &c. *Reſp.* Conceditur totum; neque tamen eſſentia Divina prior perſona; nam in æternitate nihil prius, nihil poſterius. Probatio tua, *quod ſublata perſona non tollitur eſſentia.* Sed contra. *Reſp.* Fatuum caput! poteſtne auferri ab homine, ut non ſit perſona, & tamen eſſentia? Objicis tibi: *Subſtantiis creaturarum conveniunt hæc, non Dei eſſentiæ*, &c. *Reſp.* Vere hoc tibi objici poteſt. Sed tu nihil reſpondes; Nam argumentum nititur iſto, quod Deus ac creatura nihil habent commune præter ſolum nomen; itaque quæ hucuſque diſputaſti, nihil ſunt.

Videamus quomodo probes, relationem non eſſe in eſſentia: *Ne ita quidem verum eſſe, in Deo, ſeu Dei eſſentiam eſſe relationem*, &c. *Qui*, inquis, *nunc eſſentiam, nunc perſonam format, fundamentum relationis.* pag. 129. *Reſp.* Inepte. Perſona non facit fundamentum. Nil tale. Vane garris.

Addam his iſta, quæ allata ſunt, &c. *Nam gignere*, &c. *Etenim*, &c. *Per illud eſſe dicitur*, &c. pag. 130. *Reſp.* At actio alicujus non eſt cauſa ejuſdem; gignere eſt Patris actio, non vero eſt ipſe Pater. Categoriis iſta differunt. Gignere enim eſt in actione, Patrem eſſe eſt in relatione. Quæ tibi objicis, ſtulta ſunt. *Veniamus ad illud, quod eſt caput diſputationis*, &c. *Reſp.* Quis hoc dicit, niſi fungus? Paternitas relatio eſt, ut ſcias, non fundamentum. Ideo ineptis: Nam relatio, & fundamentum relationis, diſtincta ſunt.

Si Deus gignit, & quidem ex eſſentia ſua, &c. *Aut denique*, &c. *Probatur aſſumptio*, &c. *Reſp.* Diſtinguit inter patrem, qui ex eſſentia ſua gignit, & patrem qui non ex eſſentia ſua gignit. Hoc quidem modo Deum Patrem poſſe dici affirmat, illo vero negat. Ad quod ut reſpondeamus, tenendum, ſolum illum proprie & vere dici, qui ex ſua eſſentia genuit filium alterum; ſi hoc non præſtitit, tantum κατ' ἀναλογίαν, & Metaphoram, denominari. Quæritur vero, dum in oratione Dominica dicitur, *Pater*, an ita dicatur λόγου Pater, hoc eſt, per Metaphoram: An vero priori modo? Hic niſi fundamentum ex Scriptura petatur, nemo reſpondere poteſt; Hæc igitur quia diſerte affirmat, Filium eſſe proprium Filium, hoc ipſo affirmat, Patrem eum proprie genuiſſe ex eſſentia ſua. *Excipis, ejuſmodi generationem in Dei eſſentia ἀδύνατον eſſe. Reſp.* diſtinguendo inter generationem, & modum generandi phyſicum. Ea impoſſibilis non eſt, alias Scriptura falleret. Vide *Pſal.* 2. *Hebr.* 1. & ubi vocatur λόγος χαρακτὴρ, &c. Sed modus generandi phyſicus in Deo nunquam datur, ſed ejuſmodi, ut de eo Scriptura teſtatur: Generationem ejus quis enarrabit? *Quis autem eſt iſte modus phyſicus? Reſp.* Eſt cauſatio ſeu effectio. In naturali enim generatione gignens ſemper ſe habet ut cauſa efficiens; genitum, ut effectum proprie dictum. Unde ſequitur & hoc, ut τὸ eſſe geniti ſemper ſit, & debeat eſſe, aliud ab eſſe generantis; quippe quod in cauſarum & effectuum natura ſemper eſt neceſſarium, quandoquidem cauſati illius effectus eſſe, ſemper pendere debet ab eſſe cauſæ, ita ut hujus eſſe ſeſe habeat, ut communicans & donans; illius vero, ut communicatum & datum. Ad argumentum quod affers, reſponſio eſt manifeſta; ſequitur enim ex dictis, quod Pater gignendo, non eſſentiam communicet, ſed modum

dum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

dum ſubſiſtendi in eſſentia, alioquin, ſi eſſentiam communicaret, duplex eſſet eſſentia. Ideo inſufficiens eſt enumeratio; aut inquis, totam eſſentiam communicat, aut, ejus partem, aut denique eſſentia Dei multiplicatur; adde, aut modum ſubſiſtendi in eſſentia.

Generatio eſt neceſſaria conſervanda, &c. pag. 131. Confundis iterum generationem pure phyſicam cum iſta tranſcendentali & myſtica. Generatio phyſica eſt propter ſpeciei conſervationem, non ſupernaturalis illa; Ut & Philoſophus de nulla alia generatione loquitur, quam de phyſica, quippe qui de Myſterio hoc Trinitatis ne gry quidem intellexit. Quæ hic attexuntur, illa ad diſtinctionem, quam dedimus, ruunt. Obj. *Quod eſt, non poteſt generari. Reſp.* Et hoc abſurde. Nam ſunt quædam, quæ ſunt, quæ tamen fiunt: verbi gratia, viſus fit, & tamen eſt: ſic radius oritur à Sole, nec oriri unquam deſiit; non enim in primo ſolum productionis ſuæ momento eſt à ſole, ſed &, quamdiu durat, à ſole eſt; & ſic oriri nunquam deſinit, ſimul tamen perfecte ortus eſt. Hæc igitur exempla te docere poterant, poſſe aliquid eſſe ex aliquo, & tamen non deſinere oriri; Quod ſi rebus creatis hoc non repugnat, neque Deo repugnare cenſendum.

Omnis actus præſupponit potentiam, &c. pag. 133. *Reſp.* Et hoc falſum; nam certe radius ſolaris, ſimul ac ſol eſt, fuit. Interim in potentia nunquam fuit. Nunquam enim fuit ſol; quin radios de ſe ſpargeret. Atque ſic ad hoc caput tibi reſponſum.

CAP. IX.

HIc omnia abſurda, & indigna reſponſione. Nam iſthoc fundamento nituntur, quod Deus Pater ſit cauſa Filii; quod nunquam quiſquam dederit. Et tu perinde loqueris de generatione æterna, ac de phyſica. Dictum tibi antea, quod quæ dicuntur de Deo & creaturis, nihil commune habeant præter nomen.

Poſtulant, tacite ſibi concedi, &c. pag. 136. *Reſp.* Certe ob rationes toties tibi datas. Non neſcimus, hic abſtrahere aliquos ab utroque commune aliquid; ſed quid his abſtraxeris, ubi nihil commune? Ideo Deus, cum de ſe agit, & creatura, non vult ſe alicui aſſimilari, eo quod infinitus eſt, & in comparatione creaturæ ad ſe, creaturam dixit eſſe nihil, aut nihilo quid minus; ita & in comparatione generationis habet ſe generatio æterna ad phyſicam.

CAP. X.

P*Ars definitionis perſonæ*, &c. *Eſt autem perſonam principio carere*, &c. pag. 137. *Reſp.* Vanum eſt quod dicit, relationem habere principium; nam relatio non habet principium, ſed fundamentum; cum omnis relationis principii & cauſæ ratio à relationis conſideratione, tanquam aliena, removetur. Et ratio certa eſt, quia relata ſunt ſimul; at non eſſent, ſi res ita haberet ut ille dicit. Altera ratio, quia relatio minime entitatis eſt, atque adeo tota ad fundamentum refertur; quare ſi hoc principium & cauſam habet, utique & ipſa relatio, propter fundamentum, tale quid habere dicitur: At oſtendimus vanum, quia fundamentum. Sed pergis: *Ubi eſt principium, ibi principiatum. Reſp.* Vanum. In Metaphyſicis habes eſſentiam, principia modorum, neque tamen recte modi poſſunt dici principiata. Nam ens ita diſtinguitur, in principium, & principiatum. Modus autem non eſt ens, quia entis dantur modi: modorum autem non dantur modi; alioquin proceſſus eſſet in infinitum. Hinc Pater dicitur principium originis Filii, & Spiritus Sancti, ſed non contra dicitur principiatum, vel cauſatum, Filius Patris; ratio, quia principium dicit perfectionem de Deo; at principiatum, & cauſatum, nullo modo; Hinc illa phraſis in Scriptura, *Filium non poſſe operari à ſe; Spiritum Sanctum non loqui à ſemetipſo, ſed quod audierit.* Quo principium notatur originis: interim tamen hæc dicuntur de Filio abſolute, ſicut de Patre; & tamen dicitur, *Initio terram feciſti*, &c. *Rom.* 11, *Quis fuit à conſiliis Spiritui?* Deinde cauſa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ſatum vel principiatum non eſt relatio, ſed ſubjectum relationis, vel ipſius fundamentum; verbi gratia: Iſaac non dicitur cauſatum vel principiatum Abrahami, ut ejus filius eſt, ſed ut homo ab Abrahamo productus eſt, cujus cauſatum dicitur. Ex qua productione & cauſatione deinde oritur relatio.

Et ita reſpondimus, ut putamus, directe & ſolide ad Sophiſticationes Goſlavii rudiſſimas; Nam & Sophiſticationes ſunt, vel quæ arguunt ingenium magnum, vel quæ arguunt ingenium rude; Quale ſi dixerim in te, Goſlavi, accuſato me, & oſtendam rem ita habere; ſin minus, diſce in poſterum monitus intelligere res, & poſt ſumere tibi aliquam facultatem in illis agendi.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

JOANNIS MACCOVII,
S. S. Theol. Doctoris & Profeſſoris,

CASUS CONSCIENTIÆ,

Ad normam Doctrinæ Socinianæ compoſiti, per modum dialogi.

LECTOR BENEVOLE,

Ne in lectione horum erres, in ipſo te limine præmonere libuit. Scito, eum, qui in hoc Dialogo interrogantis vicibus defungitur, ex ſententia Orthodoxa loqui, eumque jam ſe ſimulare diſcipulum à Sociniano informandum, & ita, argumento ad hominem ducto, propriis Socinianorum hypotheſibus Dialogiſtam hunc perſtringere; jam ſe apertum Adverſarium profiteri, cauſamque Socinianam firmis rationibus impugnare, convellere; jam lepidis, nervoſis tamen quæſtionibus, craſſos eorum exagitare errores. Vale, lector, & fave conatibus tui gratia ſuſceptis.

CAPUT I.

INterrog. *Quandoquidem doctrina veſtra plane diverſa eſt à doctrina Pontificiorum & Reformatorum, ut libri veſtri teſtantur; quæſo, doceas me, quomodo conſcientia noſtra dirigenda ſit in hac vita; hoc enim ſcire aveo, an habeatis aliquid ſolidi, quo conſcientias adverſus ea, quæ concutere ipſas poſſunt, erigere & conſolari poſſitis?*

Reſpond. Habemus vero; & quidem, ut hinc initium capiam, ut in dogmatibus ſumus ſingulares, ita etiam quoad informandas conſcientias plane peculiaria quædam habemus, quæ apud alios fruſtra quæras. Nam quoſcunque legis Pontificios, Reformatos, &c. illi hoc agunt, ut hominem ab impietate revocent, & ita, ut illi putant, ad Deum ducant;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

etiamſi variis & diverſis mediis utantur ad hoc ipſum; & hic labor ipſorum conſumitur. At nos habemus præter hæc & media peculiaria; hoc unum, quod etiam impium, in impietate ſua perſeverantem, conſolari poſſimus; tametſi non hoc effectu, quo alios, effectu tamen non ita malo.

Interrog. *Quomodo tandem, quæſo te? & videtur hoc mihi profecto valde peculiare, conſolari poſſe hominem peccatis dormientem; cum Scriptura videatur contrarium ubique agere.*

Reſpond. Quomodo, quæris! ipſe cogeris fateri, ubi te examinavero, rem ita habere. Quid enim minitantur ipſi, ſi perſeveraverint in peccatis ad ultimum vitæ terminum, annon mortem æternam?

Interrog. *Quid? annon videtur tibi hoc malum extremum eſſe?*

Reſpond. Non improbo eſſe malum, ſi comparetur ad hoc, quod carendum fuerit talibus felicitate æterna. At vero ſi comparetur iſta doctrina, cum aliorum doctrinis, næ illa plurimum ſolatii afferre poteſt mortalibus.

Interrog. *Quid vero doctrina veſtra habet aliud, quam aliorum, quod ſcilicet talibus morte æterna ſit pereundum?*

Reſpond. Plurimum. Nam illi neſcio quas fabulas hic recitant. Volunt enim, regnum cælorum eſſe vitam; & excluſionem à regno cælorum, cruciatus ineffabiles: hinc diſtinctio iſta apud ipſos mortis æternæ, in *pœnam damni*, & *ſenſus*. At nos per mortem æternam intelligimus privationem vitæ, & defectum vivendi, ita ut nobis mori æternum, ſit more pecudum mori, ſive non ſupereſſe amplius à morte.

Interrog. *Egregia iſta via eſt homines ita erigendi; Nam hoc mihi videris dicere ad tales: Eſtote bono animo, quia utut non habituri ſitis felicitatem eam, quam pii habituri, nihil tamen à morte paſſuri eſtis, quia non ſupereritis.* Habeo quædam contra hanc tuam opinionem, quæ poſt objiciam, ſed jam quæro, *quomodo probes iſtas tuas ſententias.*

Reſpond. Hoc facile probare poſſum; ſaltem attente conſidera, quæ dixero tibi. Et 1 quidem, 1 *Cor.* 15, iſthæc ſententia ſatis, probari videtur; ibi enim agens Spiritus Sanctus de reſurrectione mortuorum, de eorum tantum, ſcilicet fidelium, agit, qui in Chriſto moriuntur. Jam vero non gravate mihi hoc dabis, nullum impium in Chriſto mori, ac proinde nulli impio reſurrectionem eſſe expectandam. *Socinus tanti putat hoc argumentum eſſe, ut ſolum illud lectori ſatisfacere poſſit.*

Interrog. *Agi ibi de reſurrectione ad vitam; Nam quæ hic afferuntur, Chriſtum eſſe cauſam reſurrectionis noſtræ, decretum & potentiam Dei eſſe cauſam reſurrectionis, adeoque & reſurrectionis ejus, quæ eſt ad mortem, non excludunt.*

Reſpond. Debebat hoc probari, non ſimpliciter dici.

Interrog. *At probatur etiam* Dan. 12, *ubi agitur de reſurrectione mortuorum, quoſdam reſſuſcitandos ad vitam æternam, quoſdam ad opprobrium.*

Reſpond. Multa adduci poſſunt, quæ oſtendunt, locum hunc de reſurrectione non eſſe accipiendum. Et primo hoc, quod dicuntur multi reſurrecturi; Jam autem Adverſarii docent, omnes reſſuſcitandos. Non quadrabit ergo vel illorum ſententiæ hic locus ad reſurrectionem mortuorum. Præterea dicitur, ituros ad vitam æternam; Ubi oportet vita æterna aliud quid ſignificet, quam quod putatur. Nam vita æterna non fuit nota ſub Veteri Teſtamento, ut probet hoc vel unus locus, 2 *Tim.* 1. 10.

Interrog. *Quid vero reſponderes ad locum,* Joan. 5, *Ubi eadem dicuntur, quæ apud Danielem: Veniet tempus, cum illi qui ſunt in ſepulcris, &c.?*

Reſpond. Locus hic allegorice intelligi poteſt & debet, quia nuſquam ſcriptum eſt, corpora noſtra è pulveribus reſſuſcitanda, proditura, equidem me tale quid legiſſe non memini. Id ergo incertum cenſendum eſſet. Deinde, ſi ſcriptum tale, vel ſimile quid eſſet, ſobrius aliquis ſenſus adhibendus eſſet, cum certum eſt, nos habitationem noſtram, quæ ex cælo eſt, expectare, teſte Paulo.

Interrog. *Certe putabam, clarum locum eſſe iſtum; ſed hoc video, quod nihil dici poſſit, ad quod vos non poſſitis reſpondere.*

Re-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Reſpond. Non immerito hoc dicis : ſumus enim nos certi de doctrina noſtra.

Interrog. *Videtur tamen quaſi naturæ inſculptum hoc, & lex naturæ eſſe, judicium fore poſt hanc vitam. Nam cur, quæſo, ſe accuſant homines etiam infideles? Cur ſe excuſant in conſcientiis ſuis? Nam hoc agunt tota vita ſua; Cur autem hoc agerent, ſi nullum judicium à morte ſupereſſet, & ſi non reſſuſcitandi à mortuis?*

Reſpond. Eſt iſte error quorundam. Nam certum eſt, homines naturaliter Deum noſſe non poſſe: quod facile videre poteris ex gentibus quæ recenter repertæ, quæ nullum Deum colunt, vel norunt.

Interrog. *Ego vero arbitrabar, hanc doctrinam nimis clare propoſitam in Scriptura, quod detur aliqua cognitio Dei naturalis*, Rom. 1. verſ. 19, 20.

Reſpond. Loci ſenſum non es aſſequutus; quem ego explicabo.

Interrog. *Placet te audire.*

Reſpond. Ita ergo habe: *Inviſibilia enim ejus à creatione mundi, per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ipſaque æterna ejus virtus, & divinitas; ita ut ſint inexcuſabiles.* Sciendum, ergo verba, *à creatione mundi*, debere conjungi cum verbo, *inviſibilia*; eundemque ſenſum eſſe, qui eſt, *Matth.* 13. *v.* 35. Plerique interpretes ex propoſitione ἀπὸ fecerunt ἐκ, contra ipſorum Græcorum codicum fidem, quia non ἀπὸ κτίσεως, ſed ἐκ κτίσεως habent. Ait igitur eo loco Apoſtolus, *æternam divinitatem Dei*, id eſt, quod Deus perpetuo nos facere vult; divinitas enim hoc ſenſu alibi quoque apud ipſum enuntiatur, ut *Col.* 2. 9: *Nam in eo inhabitat*, &c. *æternamque potentiam*, id eſt, promiſſiones, quæ nunquam intercidunt, quo ſenſu Paulus dicit ſupra, Evangelium eſſe potentiam Dei; Hæc, inquam, quæ nunquam, poſtquam mundus creatus fuerat, auctoribus viſa fuerant, *non fuerunt ipſis cognita*, hoc eſt, per mirabiles Dei, præſertim vero Chriſti, & Apoſtolorum, operationes conſpecta. Quid jam tibi videtur de iſta explicatione?

Interrog. *Nil minus putavi, quam iſtis verbis hunc ſenſum fuiſſe; ſed, quæſo te, dicas mihi, de quibus dicitur*, Rom. 2. 14: Nam cum gentes, quæ legem non habent, *&c. Et quæ ibi leguntur, quod ſeſe excuſant, accuſant? mihi certe videtur, quod ſit Deus; quod ſi Deus eſt, quomodo iſta tua explicatio locum habere poteſt?* [Et certe decebat, hunc nodum expediviſſe Socinum, quod tamen ab ipſo factum non videmus, in eo ipſo loco, ubi tractat, quod homini nulla naturalis cognitio de Deo inſit. Unde apparet, Socinum vix fide bona agere.]

Reſpond. Quaſi vero ſit nobis difficile ad hoc reſpondere. Nam illi ſe intra conſcientias accuſant, quod metuant, ne tandem foras prorumpant eorum ſcelera; & ne à Magiſtratu deprehenſi, ſupplicio afficiantur. In hoc illi ſe excuſant, non tamen, ut tu putas, apud Deum, quem illi plane ignorant.

Interrog. *Omnino valde præclare. Neſcio tamen quid ſit, quod nondum mihi perſuadere nec tu potes, nec ego mihi ipſe perſuadere poſſum, reprobos, & in peccatis pereuntes, nunquam reſſuſcitatum iri.*

Reſpond. Hoc facit opinio inveterata; verſatus inter alia docentes fuiſti: ſed habeo ego telum inſuperabile, Eccl. 12, *Redeunte pulvere in terram*, &c. Vides hic manifeſte, quod dicat, omnium eorum, quorum ſuperſunt, animas redire ad Deum? Arbitrariſne tu, reproborum animas ad Deum reverti? tum vero omnes reprobi ſalvarentur; quod tamen iſti, quorum ſententiam hic defendis, minime concedent.

Interrog. *Scio ego, quid Adverſarii reſpondeant ad hunc locum; ſed hoc linquo, & hoc ex te ſcire volo, quomodo redeunt ad Deum ex veſtra ſententia, cum negetis animas ſupereſſe à morte? Docetis enim, animas eſſe inſeparabiles à corpore, cum ſint ex eo genere entium, ex quo indoles, memoria*, &c.

Reſpond. Et hunc nodum tibi expediam. Nam perinde animæ dicuntur redire ad Deum, quo, verbi gratia, *Luc.* 20, Abraham, Iſaac, & Jacob, Deo vivere. At poteſt Deo vivere, qui nunc nullus eſt, modo conſtet, eum olim iterum victurum in æternum; & certe hoc clariſſime liquet ex textu; Chriſto enim propoſitum fuit, non ut demonſtraret, Abrahamum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Iſaacum, nunc reipſa vivere, ſed illos ex mortuis reſurrecturos; de hoc enim, & non de illo, quæſtio erat inſtituta; &, ſi Abrahamus, Iſaacus, & Jacobus, ex mortuis ſunt reſſuſcitandi, quomodo nunc vivunt reipſa Deo, cum reſſuſcitatio nil aliud ſit, quam hominis, qui exiſtere deſierat, iterata exiſtentia?

Interrog. *Nil præter promiſſum? Sed quæro ex te, quomodo iſtud accipi debeat*, Matth. 10. Ne metuatis eos, qui occidere poſſunt corpus, *&c.*

Reſpond. Projectionem animæ in gehennam, non cruciatum, Chriſtus denuntiat, hoc eſt, ſi velis melius intelligere, Chriſtus dicit occidi corpus, animam non occidi, ſed perire. Et certe eſt diſcrimen inter hæc. Nam occiſo homine manet cadaver. At anima pereunte nihil remanet.

Interrog. *Non videris mihi adhuc ſatisfacere; Nam dicis, perire penitus animam, & interim antea fatebaris redire ad Deum, quacunque tandem applicatione adhibita.*

Reſpond. Tardior es in meis percipiendis; Nam non dico hoc de quavis anima, ſed de anima impii hominis, qui penitus abolendus eſt.

Interrog. *Ita quidem dixiſti; ſed, quæſo, quid reſpondebimus Adverſariis, qui, ubi intellexerint, nos dicere talia, procul dubio objicient nobis*, 1 Cor. 15: *Si nulla futura reſurrectio impiorum, ergo edamus, bibamus, cras moriemur.*

Reſpond. Hoc nobis illi objicere non poſſunt legitime; nam nos docemus, ſi tale quid fecerint, gloria æterna eos excidere: dum ergo dicimus, quod, qui peccaturi ſunt, & in peccatis moriuntur, privabuntur felicitate æterna, hoc ipſo docemus, non eſſe peccandum, nec eſſe hoc dicendum: *Edamus, bibamus*, &c.

Interrog. *Sed cum videamus, multos homines improbos, qui vitam æternam non curant; hi ipſi profecto applaudent ſibi, & dicturi ſunt ea, quia à morte nil ipſis metuendum, & victuri in improbitate ſua.*

Reſpond. Ita quidem, poſſunt hoc dicere: *Edamus*, &c. ſed non impunitum ipſis hoc futurum; nam plane annihilabuntur.

Interrog. *Etiamſi non videris reſpondere ad objectionem iſtam ex Paulo; tamen, quia mihi notum eſt, peſſimum eſſe, non eſſe, idcirco acquieſco. Nam notum illud eſt, aliquos docere: Melius eſt eſſe in inferno, & eſſe, quam omnino non eſſe. Vellem tamen & alia quædam ſententiæ tuæ repugnantia proferre*, Marc. 6: *Bonum eſt tibi introïre in vitam*, &c.

Reſpond. Inextinguibilis dici poteſt ignis infernalis, eo modo quo ignis, qui Sodomam exuſſit, æternus appellatur; cum hodie nullus ſit; quia ſcilicet æternum exitium attulit iſti civitati.

Interrog. *Et hic locus videtur contra te facere; nam ita legimus: Sicut Sodoma & Gomorrha, & his finitimæ civitates, conſimili modo & illæ, ſcortatæ ac ſequutæ carnem alienam, propoſitæ ſunt exemplo, ignis æterni pœnam ſuſtinentes. Vbi in præſenti dicitur ſuſtinere illos pœnam.*

Reſpond. Simplex valde es; nam, quæſo te, An proprie iſta dici poſſunt, quod Sodoma & Gomorrha ſuſtineant pœnam? Atqui ſunt exuſtæ iſtæ civitates. Dicuntur autem pœnam ſuſtinere, eo quod irrevocabiliter perditæ ſunt.

Interrog. *Non putem, te tam ſimplicem eſſe, ut intelligas per Sodomam & Gomorrham, civitates ipſas, & non homines.*

Reſpond. Imo vero intelligo civitates; Nam Scriptura refert. Proinde vero, ego inſiſto literæ, tu autem à litera diſcedis, nec rationem iſtius dare potes ullam.

Interrog. *Quia loca alia ſuperſunt, age, quæſo, videamus illa. Repugnare videtur etiam*, Matth. 23; *Quando Chriſtus accuſat Phariſæos, qui circuibant mare, & aridam, ut facerent unum proſelytum, quem tamen ipſum poſtea faciebant filium gehennæ, duplo magis quam ipſi erant.*

Reſpond. Filius gehennæ ibi eſt, qui dignus eſt gehenna, hoc eſt, ſupplicio gravi: duplicitas autem iſta manifeſte docere poteſt, ſermonem hunc eſſe figuratum, cum in cruciatibus æternis nulli dentur gradus.

Interrog. *Multa hic afferri poſſunt, quæ iſti ſententiæ videntur repugnare.* Matth. 8, *Quare veniſti torquere nos ante tempus; & quidem hoc de gradu intelligi debet, ut vulgo docetur. Nam*

Sa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Satan & nunc jam torquetur, cum conſcientiam circumferat ſcelerum infinitorum.

Reſpond. Vitioſe allegantur verba iſta. Nam non dicitur ſimpliciter, *Veniſti ante tempus torquere nos*; Unde patet, ibi non de afflictione aliqua futura in fine mundi, ſed de tali, quæ tunc Dæmonibus accidere poterat, ſermonem eſſe; quæ erat, quod Chriſtus eos ejiciebat ex hominibus, inter extraneas gentes, ad quas tunc Chriſtus miſſus non erat.

Interrog. *Intellexi jam mentem tuam; & ſcio, quomodo conſolari debebo homines tales. Sed, antequam venero ad fideles, velim inſtitui à te, quomodo docendi fuerint iſti, quos per carnifices ob ſcelera Magiſtratus exterminari è ſocietate hac curat.*

Reſpond. Bene quæris hoc; Nam ſunt iſtæ materiæ conjunctæ.

Interrog. *Age ergo, oſtende mihi, quomodo cum ipſis agendum? Num ipſis ſpes aliqua relicta veniæ?*

Reſpond. Nulla prorſus. Nam dicuntur mori in peccatis ſuis omnes iſti, qui propter flagitia tolluntur, primo vel morte cruenta, vel immatura, vel alio aliquo modo; ſic ut judicia Dei in illis fiant manifeſta; ut, quos terra abſorbet; quos ignis egreſſus à Domino devorat; & hi qui à carnifice ob ſcelera jugulantur. Quam enim vitam æternam promittemus iis, quos Deus iratus ob ſcelera perdit?

Interrog. *At vero negant hoc Adverſarii, qui dicunt, ſæpe homines affligi graviter, cum tamen hæ afflictiones pœnæ non ſint, ſed teſtimonia amoris Dei?*

Reſpond. Ego vero nunquam legi, pœnas infligi, quæ non ſunt iræ Dei & damnationis æternæ teſtimonia; his vero, qui pereunt & occiduntur ab irato Deo, nuſquam lego remiſſa eſſe peccata. Quia mors ejuſmodi in maledictionem proponitur, nuſquam in benedictionem.

Interrog. *Habent tamen illi ſua, quibus ſe defendunt. Vt:* Quacunq; hora peccator converſus fuerit, &c. *Item:* Nolo mortem peccatoris. Gaudium eſt in cælo ſuper uno peccatore pœnitente.

Reſpond. Eſt tempus quoddam gratiæ, in quo interdum Deus ejuſmodi peccatoribus, celeriter pœnitentiam agentibus, tribuat remiſſionem; Id autem tempus gratiæ primo indefinite & dubitanter à Scriptura proponitur; ut Joël. 2: *Quis ſcit ſi convertatur*, &c. Act. 5: *Si forte remittatur tibi cogitatio cordis tui.* Deinde illud ipſum tempus gratiæ non eſt quotidianum; quanquam interdum veniam offert, tamen non ſemper facit, ſed ob contemptum bonitatis ſuæ horribiliter ulciſcitur, adeo ut cum lacrymis quæſita pœnitentia nuſpiam reperiatur. Nam tum nil aliud incidere ſolet, quam dies Domini horribilis, dies luctus iræ, dolores parturientis; *Vos clamabitis, & non exaudiam*, Eſaï. 1. Jerem. 11: *Ne ores pro populo hoc*, &c.

Interrog. *Quid vero videtur tibi de illo*, Luc. 17: *An remittendum, ſi peccaverit ſepties? Imo ſeptuageſies ſepties.*

Reſpond. Unumquemque quidem peccare Chriſtianum interdum, ſed leviter, ex ignorantia; qualia peccata ſibi quotidie petit remitti in Oratione Dominica. Qualia etiam tamen fratri ſuo ſeptuageſies ſepties in die condonare tenetur. 2. Unumquemque Chriſtianum cane & angue pejus peccata gravia, ita ut nec unquam talia ſcienter committat, fugere debere, quam primum in aliqua concione admonetur; & inprimis qui talia peccata ſæpius iteravit, is, ſi per Magiſtratum jugulatur, in peccato ſuo moritur, & in æternum damnatur; quia hucuſque Deum contempſit, & verbum ejus deluſit; ſiquidem & princeps punit adverſus mandata ſua ſimiliter ſemel, ne dum quater, prævaricantes.

Interrog. *Quantum ergo ex te video, actum eſt de iſtis. Mirum tamen, quod Chriſtus dicat, meretrices (non Phariſæos, qui ſancti volebant haberi) in regnum æternum ingreſſas eſſe: & quod iſte peccator*, Luc. 16. *(qui, ne auſus quidem oculos in cælum tollere, percutiebat pectus dicens:* Eſto propitius mihi peccatori, *) juſtificatus diſceſſerit domum.*

Reſpond. Dico tibi, iſtos non tantos fuiſſe, ut referuntur; & meretrices, fuiſſe meretrices, antequam ipſis illuxiſſet doctrina pietatis, ſed poſtquam hujus cognitione imbutæ ſunt, amplius meretrices non fuerant. Pro peccatis enim

gra-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

gravibus & capitalibus nunquam legis inſtituta fuiſſe ſacrificii, quia expiari iſta non poterant. [Loquuntur ex mente noſtrorum Adverſariorum.]

Interrog. *Eſt quidem hoc argumentum magnum, ſed illi reſpondent, Ex eo quod miſericors & ſumme clementiſſimus eſt Deus, noluit imponere neceſſitatem ſe ipſum accuſandi, & in periculum vitæ conjiciendi; Interim, inquiunt, in ſacrificio anniverſario peccata aperta, & occulta, fuiſſe expiata.*

Reſpond. Falluntur. Nam neque Chriſtus eſt mortuus pro omnibus peccatis, ſed pro peccatis tantum, quæ committuntur ab ignorantibus, *Hebr.* 5. Peccata autem illa, quæ ſunt in Spiritum Sanctum, nec in hoc, nec in futuro ſeculo remittenda ſunt.

Interrog. *Sed, quæſo te, ſuntne omnia iſta peccata gravia in Spiritum Sanctum?*

Reſpond. Certe illa quæ à ſciente committuntur; quod te docere potuit lex illa, *Exod.* 21. Quod qui cædem unam, ne dum multiplicem, fecerit ſciens & volens, & fugerit ad civitatem refugii, quod ipſi Deus propitiari plane noluit, ſed ut ab altari ſuo abſtrahatur, & morte moriatur.

Interrog. *Eſt ergo tua ſententia, peccata gravia, quæ à ſciente & volente committuntur, eſſe peccata in Spiritum Sanctum?*

Reſpond. Certe. Nam peccatum ad mortem, quod idem eſt, quod in Spiritum Sanctum, ut ex 1 *Ioan.* 5 conſtat, eſt, cui lex ſine exceptione imponit mortem; ut ſunt, adulteria, cædes, idololatria, concubitus cum maſculis, veneficium; Huc etiam referas avaritiam, convitia, rapacitatem, furta, mollitiem, impuritatem, proterviam, inimicitias, litem, æmulationem, iras, contentiones, diſſidia, hæreſes, invidias, ebrietates, comeſſationes. quia Chriſtus in Novo Teſtamento ea conjungit, & ita Apoſtolus, 1 *Cor.* 6. *Gal.* 5, cum veteribus mortalibus, æque mortalia peccata conſtituunt: ſunt ergo hæc peccata, ut vides, ad mortem, & in Spiritum Sanctum, quæ non fiunt ex ignorantia, ſed ex deſtinato conſilio, & contra conſcientiam, ſcilicet præmeditate, ſtudioſe, data opera, ſcienter, volenter, præſertim non ſemel, ſed iterum iterumque, & repetitis multis actibus, ſine ceſſatione.

Interrog. *Iam teneo, quid ſit peccatum in Spiritum Sanctum. Quid verò tibi videtur de hoc, quod aliqui dicunt, de peccati natura eſſe, eſſe voluntarium? Annon hoc pacto omnia peccata erunt in Spiritum Sanctum?*

Reſpond. Omne quidem peccatum eſt voluntarium, quod ex ſcientia committitur. Nam quod ex ignorantia committitur, non poteſt dici voluntarium.

Interrog. *Intelligo & hoc; ſed quomodo poterunt iſta, quæ recenſuiſti, peccata in Spiritum Sanctum eſſe, cum talia peccata multis remittantur? Atqui peccatum in Spiritum Sanctum nulli remittitur, neque in hoc, neque in futuro ſeculo. David ſcienter peccavit, & aliquoties, ſine ceſſatione, cum Bethſeba commiſit adulterium, maritum ejus interfecit, & tandem illam totaliter ad ſe pertraxit; & tamen hoc peccatum ipſi eſt condonatum. De Manaſſe idem legimus, qui repleverat Hieroſolymam ſanguine Prophetarum,* 2 Reg. 21. 16. *Et tamen Deus ipſi propitius factus eſt*, 2 Chro. 33. 13.

Reſpond. Non capiunt Adverſarii, quomodo ſit irremiſſibile, neque in hoc ſeculo, neque in futuro. Nam hoc dicitur de eo quod ordinarie fit, non extraordinarie. Nam poteſt Deus extraordinarie condonare quid.

Interrog. *Ego putavi, quod remittere peccata ſit actus Dei extraordinarius; ſed video me erraſſe. Dic igitur, quæſo, quæ ſunt, quæ non ad mortem, peccata?*

Reſpond. Quæ fiunt ex ignorantia, deceptione, infirmitate; qualia David *occulta*, Moſes *pollutiones*, nominat; quæ à lege non puniuntur; pro qualibus tantum in lege inſtituta fuerunt ſacrificia; quæ invicem à Chriſto nobis remittere jubemur; pro quibus Joannes jubet orare.

Interrog. *Videris mihi quædam venialia peccata natura ſua ſtatuere; dicis enim, Quæ à lege non puniuntur. Nam quod à lege non punitur, hoc à Deo non punitur. Et tamen videtur hoc falſum. Nam,* Deut. 27: Maledictus qui non permanſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro legis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Reſpond. Loquitur ibi de peccatis, non de lapſibus.

Interrog. *Eſtne ergo diſcrimen aliquod etiam inter hæc duo?*

Reſpond. Utique eſt, ut docet noſter Socinus, *defenſ. diſput. de loco cap. 7 ad Rom. inſcripti, Adverſus reprehenſiones Miniſtr. Evangel. pag.* 87. *Peccatum* eſt, inquit, cum quis ſciens, prudens, à ſibi præſcripta via deflectit. *Lapſus* vero, cum id per ignorantiam vel incogitantiam fit; Non nego interim, omnem ejuſmodi lapſum, latiori vocis peccati ſignificatione, peccatum merito dici poſſe.

Interrog. *Audio, quod hic peccatum diſtinguatur in latiori ſignificatione, & ſtrictiori. Sed puto, omne peccatum definiri per tranſgreſſionem legis; & hoc peccatum eſt proprie dictum peccatum; ac proinde oſtendendum eſt, anne ſit alia definitio peccati in lata ſignificatione, & alia in ſtrictiori; & an definitio iſta detur utraque in Sacra Scriptura.*

Reſpond. Puto, ſatis Socinum iſta explicaſſe, ut non ſit neceſſe ulterius iſta ruſpari.

Interrog. *Omnibus ita expoſitis, quo tandem modo fuerint conſolandi iſti?*

Reſpond. Eo modo quo priores, niſi quod hic ſit aliquid aliud, quod in prioribus non ita eſt; quod ſcilicet cruciatus oporteat ipſos ferre, quos carnifex infert. Sed adverſus hæc Philoſophi bene obfirmant tales, quod iſta mala non diu durent, ſi magna ſint; Si vero durant, lenta, adeoque ferri poſſunt tanto melius. Nunc jam ulterius progrediamur, videlicet quomodo conſolandi ſint pii, qui ſancte & Chriſtiane vivunt.

CAP. II.

INterrog. *Informati ſumus, quomodo erigendi ſint impii, perſiſtentes in ſua impietate. Iam veniam ad alios; & primo quæro de Gentilibus iſtis, qui fuerunt ſub Veteri Teſtamento, ut Adam, Seth, Noë, Abraham.*

Reſpond. An tu habes iſtos pro Gentilibus?

Interrog. *Profecto neſcio, quid differant à reliquis Gentilibus & Ethnicis. Nam illi de vita æterna nihil ſciebant, nihil de Chriſto, nihil de Evangelio, imo nullas ſpirituales promiſſiones accipiebant, ſed terreſtres tantum promiſſiones; ut Socinus ubique docet, & omnes veſtri. Nullum ego puto eſſe diſcrimen inter iſtos Gentiles, & alios.*

Reſpond. Eſt tamen diſcrimen; Nam Gentiles iſti dici non poſſunt ideo, quia his Deus locutus eſt, & promiſit ipſis terram Canaan, imo ſequentibus dedit verbum ſuum, quo in vitam regenerentur.

Interrog. *Non video tamen magnum adhuc diſcrimen inter iſtos; ſed ſit hoc diſcrimen, cum aliud non afferas; quomodo vero, ſi jam Gentiles (Chriſtiani tamen certe non poterant vocari), quomodo, inquam, differunt ab hominibus irregenitis? Nam notorium eſt, quod regeneratio demum cœpit, cum Chriſtus veniſſet in mundum; quia per ipſum facta ſunt omnia; id eſt, nova creatura; Non fuit ergo ante Chriſtum nova creatura. Præterea expreſſa eſt Socini iſta doctrina, quod regeneratio non fuit ante NovumTeſtamentum; quid ergo ſtatuendum fuerit de ipſis; Anne iſti mortales ſunt ſalvati?*

Reſpond. Valde imperitus es doctrinæ noſtræ. Ne dicas ſalvari; Nam anima à corpore, ut jam ante audiſti, nulla ratione ſupereſt, nec quicquam ſentit. Ergo quærendum tibi: *An ſalvandi forte?*

Interrog. *Ita quidem; oblitus fui, quod etiam hæc doctrina veſtra ſit: Primum ergo quæro, quid reſpondebis (Dicis enim animam non ſupereſſe, non ſentire), de latrone illud objicientibus:* Hodie eris mecum, *&c.?*

Reſpond. Depravata admodum eſt verſio. Non enim Chriſtus dicit, *hodie eris*, ſed, *Amen, dico tibi hodie, eris mecum*, &c. Scilicet, extremo illo die.

Interrog. *Video me erraſſe, quia putabam, per illud* hodie *reſponderi à Chriſto ad* τὸ quando veneris. *Sed quid, quæſo, videtur tibi de anima Chriſti? fuitne etiam illa in cælo poſt mortem? Nam ſi fuit, oportet & latronis fuiſſe?*

Reſpond. Neque Chriſti fuit; ſed redierat ad Deum. Quid autem ſit redire ad Deum, jam ante à me audiviſti.

Interrog. *Non ergo jam miror, quod latro non potuerit eſſe in Paradiſo, cum ne Chriſtus iſto*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

iſto die fuerit. Sed quid de Paulo judicandum, dum eſſet in tertio cœlo, fueritne extra corpus, an in corpore? Nam dubitatio iſta Pauli videtur obeſſe doctrinæ veſtræ, ſi enim anima noſtra non ſupereſt à corpore, tum Paulus non potuit dubitare de eo, an fuerit in corpore. Nam extra corpus non ſubſiſtit anima.

Reſpond. Paulus nondum omnia tunc ſciverat, ideo etiam dicit, *Ex parte ſcimus*, &c. Cum Socinus noſter bene hoc urgeat, poſſe aliquem perfecte legem implere in hac vita, ac proinde non ex parte ſcire, ſed ſcire perfectiſſime: ac docere hoc Socinum, patet ex ejus *Epiſtola ad Ioann. Nemojevium, de cap. 7 ad Rom.* Non video, inquit, cur tantopere dicere aut cogitare exhorreſcamus, fieri poſſe, ut quis in hac vita, Spiritus Sancti ope, eo tandem aliquando perveniat, ut Dei præceptis perfecte obediat. Sed nolo in iſta materia progredi; tum dabitur occaſio de eo amplius conferendi. Et hoc ideo attuli, ut oſtendam, *Paulum non omnia noviſſe, quæ jam nobis revelata ſunt.*

Interrog. *Cum ergo ipſi fideles Veteris Teſtamenti fuerint irregeniti omnes; quæro, quomodo ſalvabuntur in extremo judicio, cum ipſis non ſit promiſſa niſi terra Canaan?*

Reſpond. Poſſunt utique ſalvari. Plus enim Deus dare poteſt, quam unquam promiſit.

Interrog. *Interim tamen dicitur, quod extra Chriſtum nemo ſervari poſſit*, Act. 4, *Non eſt nomen ſub cœlo datum*, &c. *Vnde videtur, cum ipſi nullam Chriſti cognitionem habuerint, aut ſaltem beneficium nullum Chriſti ad illos pertinuerit, illos ſalvari minime poſſe.*

Reſpond. Hoc quidem de fidelibus Novi Teſtamenti dicitur, non de hominibus Veteris Teſtamenti: quod vero addis, ſciviſſe de Chriſto; concedi poteſt, quod ſciverint: nimis clara ſunt quæ Adverſarii contra nos adferunt; ſed reſponſio in promptu, ex 1 *Petr.* 1. 12: *Quibus revelatum eſt, non ſibi, ſed nobis, ea adminiſtrare.*

Interrog. *Bona cum pace, non videtur ſolvi nodus; habent enim noſtri Adverſarii etiam alia, quæ ad hanc rem proferunt, & quæ videntur non parvi momenti eſſe. Nam David*, Pſ. 2, *dicit: Beati qui confidunt in eo; Meſſia ſcilicet; ut ibi clare liquet.* 3. *David vocat eum Dominum ſuum*, Pſalm. 110. *Quomodo autem erit ipſius Dominus, niſi ſit ipſius rex? & ſi rex, qua ratione non contulit in ipſum bonum aliquod?*

Reſpond. Facilis reſponſio ad iſta; nam, quoad primum, David prophetavit, & Prophetiæ ſunt de futuro, non de præſenti, utut in præſenti tempore efferantur; quoad ſecundum, vocat ipſum Dominum ſuum, propter excellentiam, non vero quod ſubjectus eſſet Meſſiæ; quemadmodum nos ſolemus dicere illis, qui præ nobis excellunt, Domine mi.

Interrog. *Solemus quidem, cum alloquimur aliquem; ſed non ſolemus, cum de aliquo ſermonem inſtituimus; itaque in ſcripturis multi honoris cauſa ita compellantur*, Domine mi, *etiam à non ſubjectis ſibi, niſi ratione excellentiæ; iidem tamen, quoties loquuntur de iis, quos vocarunt Dominos, aliter loquuntur.*

Reſpond. Dixi tibi, Prophetica hæc etiam, quæ in futuro, non in præſenti intelligenda.

Interrog. *Video quid tibi objici poſſit, te ſemper præſupponere, Chriſtum non fuiſſe, antequam naſceretur ex Virgine Maria; de quo ſtatim agemus. Proponam enim tibi adhuc, quod videntur ſalvandi per Chriſtum, ſi qui ſalvandi ſunt:* Joan. 17, *Hæc eſt vita æterna*, &c. *Hic videtur vita æterna in eo conſiſtere; nulli igitur dari poterit vita æterna, niſi qui noverit Chriſtum.*

Reſpond. Si omnibus daretur vita æterna, qui norunt, tum ſequeretur, neceſſario etiam Diabolo datam: id quod tamen non facile concedes. Ergo capiendum hoc de hominibus Novi Teſtamenti: non Veteris Teſtamenti.

Interrog. *Tu non mihi te opponis, ſed Scripturæ, quæ hoc dicit, quod ego dico; Et Adverſariis non facile hic erit reſpondere ad illud, ex Eſaï.* 53, de cognitione, qua juſtificat juſtus *Meſſias*, quorum iniquitates ipſe bajulavit, *verſ.* 11.

Reſpond. Jam video, te putare, juſtificatos eſſe veteres per fidem in Chriſtum. Quod cogitare non debes; præſupponis enim Chriſtum tum fuiſſe.

Interrog. *Ita quidem præſuppono; ſed ex mente*

mente Adverſariorum: ſed miſſa faciam iſta. Dicunt ergo, juſtificari fide in Chriſtum, & videntur maxime niti Rom. 5: Obedientia unius multi conſtituuntur juſti.

Reſpond. Simplices ſunt, & craſſi, qui non intelligunt, agi ibi de fidelibus Novi Teſtamenti: non vero de iſtis qui ſub Veteri Teſtamento vixerunt.

Interrog. *Imo vero habent ſpecioſa quædam loca, quæ huc afferunt. Dicunt enim, non fuiſſe mirum, quod illi juſtitia Chriſti ſervati ſunt; quia & expreſſe Scriptura videtur loqui, quod etiam Chriſtus pro ipſorum peccatis mortuus ſit:* Hebr. 9. 15, *Ad redemptionem earum transgreſſionum, quæ fuerunt ſub priori Teſtamento.*

Reſpond. Ita eſt; craſſe errant Adverſarii. Sic enim debent verba iſta intelligi: Non quod intelligantur peccata, quæ fuerunt ſub Veteri Teſtamento, ſed ut intelligantur peccata ejuſdem generis; hoc eſt, Chriſtum ejuſmodi peccata redemiſſe ſanguine ſuo, quæ ſacrificiis expiari non poterant.

Interrog. *Dicitur diſertis verbis, illa peccata quæ fuerunt ſub Veteri Teſtamento: ſed nolo inſiſtere, quia diſcere volo. De fide iſta agitur* Rom. 10; *Et dicitur Moſes iſtam fidem & juſtitiam deſcripſiſſe.*

Reſpond. Nil tale Moſes habet, quale ipſi affingit, ſed videtur Paulus alluſive hoc feciſſe, non proprie; ne & ita condemnemus Paulum.

Interrog. *At ſunt loca alia, quæ videntur hoc aſtruere; ut,* Act. 15, Credimus, nos per gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti ſervandos, *&c.* Et Hebr. 11. verſ. 26, *videtur talis fides deſcribi:* Majores ducens divitias, &c.

Reſpond. Ad primum dicunt Adverſarii, pronomen *illi* debere referri ad Patres, qui proxime fuerunt nominati; tum quia gentes, quarum mentio antea fuerat facta, in Græco habentur generis neutrius; Pronomen vero iſtud relativum generis maſculini. Verum non admodum raro & pronomina relativa, non ad proxime, ſed ad paulo longinquius nominata referri debent; & vocabulum Græcum, quod gentes ſignificat, neutrius licet generis, cum relativo maſculini generis inveniatur. Sentiendum omnino eſt, pronomen *illi*, non quidem ad Patres, qui obiter ſcilicet nominati ſunt, ſed ad gentes, referri, de quibus ex profeſſo agebatur, ad oſtendendum, quænam eſſet ſalutis via, à Deo per Chriſtum propoſita. Quoad ſecundum, ubi de paupertate agitur, eo modo reſponderi hic poteſt, quomodo & ſupra, ad *Hebr. 9,* quod hic intelligatur probrum, quod ſimile erat probro Chriſti, quo Chriſtus afficiendus erat.

Interrog. *Supereſt unum illud, ſcilicet* Act. 10. 43: *Huic omnes Prophetæ,* &c. *Si ergo non crediderunt veteres in Chriſtum, non obtinuerunt remiſſionem peccatorum, nec vitam æternam; niſi aut ſine peccato illi fuiſſe dicantur, quod falſum; aut alia via ipſis peccata remiſſa fuiſſe, quam per Chriſtum, oſtendatur.*

Reſpond. Non agitur hic, niſi de fide eorum, qui victuri erant ſub Novo Teſtamento; & his talibus remittuntur peccata, & non aliis.

Interrog. *Non ergo fuit eadem fides in Veteri Teſtamento, quæ in Novo Teſtamento?*

Reſpond. Dixi hoc jam ſuperius, & ſcire hoc debebas.

Interrog. *Sed locum,* Habac. 2. 4, *Iuſtus ſua fide vivet; Paulus,* Rom. 3. 17, *accommodat ad fidem Novi Teſtamenti.*

Reſpond. Conveniunt iſtæ fides in genere; ſed inde non ſequitur, quod & conveniant in ſpecie.

Interrog. *Quomodo ergo ſalvabantur veteres? nimirum propria juſtitia, neque juſtitia Chriſti.*

Reſpond. Iſta juſtitia Chriſti nullum habet fundamentum in Scriptura, eſtque commentum; ideo linquas jam de hoc dicere. Potuerunt non habere juſtitiam, & Deus tamen ipſis peccata condonare potuit, & ita illos ſalvare.

Interrog. *Putabam, loca iſta facere pro juſtitia Chriſti; ut Rom. 5:* Unius obedientia, &c. Phil. 3. 9. *Sed video, quod tu hæc negligenda eſſe dicas.*

Reſpond. Non negligenda. Nam obedientia ejus juſti ſumus, quatenus nobis exemplariter viam oſtendit ad ſalutem, eamque ſanguine ſuo obſignavit.

Interrog. *Bene habet: Dixiſti, quod remiſerit ipſis Deus peccata: atqui nulla promiſſa ſpiritualia acceperunt, ſecundum Socinum: & profecto,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

fecto, ſi accepiſſent, in Chriſto oporteret illas factas fuiſſe; 2 Cor. 1, Omnes promiſſiones in Chriſto, &c.

Reſpond. Poteſt Deus plura præſtare, quam promittit.

Interrog. *Iam quæram ex te de promiſſionibus iſtis; & poſt veniam ad propoſitum. Nam puto, inter iſta promiſſa reperiri aliquid tale, quod hic videatur favere Adverſariis, nempe, factas promiſſiones ſpirituales veteribus; ubi enim hæc oſtendero, videbitur ſequi, in Chriſto eſſe factas. 2. A promiſſionibus iſtis, quæ in Chriſto conferuntur, Chriſtum non eſſe excludendum. Promiſſiones eſſe factas vix negari poteſt. Nam doctrinam de juſtificatione promiſſam fuiſſe, docet inter alia Paulus: nec promiſſam ſolum, ſed etiam collatam,* Rom. 4. *Doctrinam vero de regeneratione promiſſam itidem fuiſſe, & ſimul præſtitam, liquet ex* Deut. 30. v. 9: *&* Ezech. 6. 24, 25, 26. *Alias plurimas promiſſiones coacervare nolo: has vero promiſſiones factas eſſe in Chriſto, vix & dubitari poteſt. Nam Spiritus Sanctus promittit apud Moſen Abrahamo:* Benedicentur in te omnes gentes. *Quomodo autem hoc accipiendum, explicat Paulus,* Gal. 3. 14: Ut in Gentibus benedictio Abrahami extet in Chriſto Jeſu: *Et conferatur Epiſt. ad* Eph. 1. v. 3: Benedixit nobis omni benedictione ſpirituali in cælis in Chriſto. *Hæc ergo ſi inter ſe comparentur, omnes promiſſiones factas eſſe in Chriſto, liquidiſſime conſtabit. Nam videntur iſta æquipollentia.*

Reſpond. Non dubium eſt, quin hoc dicatur de Gentibus Novi Teſtamenti, ſed non poteſt hoc capi de hominibus Veteris Teſtamenti; quemadmodum hoc clare promiſſiones iſtæ ſubindicare videntur.

Interrog. *At Abraham ipſe videtur benedictus in iſto ſemine, ut clariſſime liquet* Gal. 3. v. 9. *dicitur itaque:* Benedicuntur cum fideli illo Abrahamo. *Sicut ergo Gentes benedicuntur, ita & Abraham. At Gentes benedicuntur in Chriſto. Ergo & Abraham.*

Reſpond. Benedicuntur quidem, ſed non ſequitur, eadem benectione: nil in textu tale habetur: Poterant benedici, neque tamen in ſemine benedici.

Interrog. *Mirum tamen eſt, quid iſti Abrahamo in mentem venerit, cur tantopere expetiverit videre diem Chriſti, cum, quantum ego videre poſſum ex tuis reſponſis, nihil ad ipſum ex adventu ejus redundare potuerit; & tamen dicitur: Cupivit videre, & vidit, & gaviſus eſt; quod quidem Adverſarii noſtri ita probant:* Cupivit videre diem meum, & vidit, & gaviſus eſt; *hoc eſt, Abraham percepit aliquem fructum; alioquin in Abrahamo, cupere videre, & vidiſſe, ſejungi poſſent. Atqui hic conjunguntur: Cupivit, vidit, gaviſus eſt. Itaque fructum aliquem oportet hinc redundaſſe Abrahamo; quare ſequitur continuo:* Et gaviſus eſt. *Imo vero hoc ſignificat gaudium non vulgare, qua voce uſus eſt Evangeliſta,* ἠγαλλιάσατο, ἐχάρη.

Reſpond. Vidit diem Chriſti, quia prædictum erat de Chriſto, quod venturus eſſet; & nihil præterea.

Interrog. *Diſputavimus de multis hactenus, ſed quæ videntur quodammodo præſentiam Chriſti præſupponere. Vnde & Adverſarii tanquam ad ſacram anchoram confugiunt, Chriſtum fuiſſe ab ipſo initio mundi; imo ante initium: hinc illa ipſorum: fuiſſe ante Abrahamum, Ioan.* 8, Antequam Abraham eſſet. *Quid vero reſpondes ad hunc locum? Nam videtur clara iſta ratio.*

Reſpond. Fabulæ ſunt, quibus tu fidem habere non debes. Socinus noſter explicat hoc aliter, *antequam Abraham eſſet*, hoc eſt, eſſet Pater credentium, *jam ego ſum.*

Interrog. *Rident illi hanc explicationem. Nam primo regerunt hoc, quod Chriſtus nil reſpondiſſet ad quæſtionem, quia Iudæi quærunt de annis & ætate: Chriſtus vero reſpondit ipſis, quid contigerit poſtmodum Abrahamo. Præterea rident hoc gloſſema, quod ſic ſubjectum plane tollatur in iſta propoſitione:* Antequam Abraham eſſet, ego ſum. *Invertunt enim: antequam Abraham eſſet pater credentium, ego ſum; cum non dicatur, quis ille eſſet pater credentium: Denique dicunt, non unum iſtum locum eſſe, ſed complures tales, qui hoc ipſum doceant. Vnum quidem forte potuiſſe eludi, ſed non tot loca Scripturæ. Verbi gratia, ferunt & huc,* 1 Cor. 10,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Ne tentate Chriſtum, &c. *Dicunt ergo, jam tum etiam Chriſtum fuiſſe.*

Reſpond. Et ad hunc locum ſufficienter reſpondit Socinus; ſcriptum quidem à Paulo: Ne tentetis eum, ſicut nonnulli eorum tentarunt; ſcil. Deum, non Chriſtum. Non enim extat de Chriſto.

Interrog. *Hoc vero aiunt futile eſſe, nam ejuſmodi locutionis plurima extant exempla in Scriptura: verbi gratia,* Joan. 8, *de Abrahamo; Quod ſcilicet ille exultarit, cupiverit videre diem meum, & viderit; ubi non eſt repetitum, Et vidit diem meum; ſed id ſubintelligitur. Deinde quærunt ex Socino, cur non additum*, Sicut quidam tentarunt Deum; *ut Socinus vult. Certe dicunt, ſi ea eſt hujus vocis ſententia, quam ei affingit Socinus, non poteſt reddi ratio hujus ellipſeos; at ſi ea ſententia eſt, ut eſt, quam nos tradimus, poteſt reddi ratio ellipſeos. Multo enim inſolentior locutio fuiſſet, ſi repetitum fuiſſet nomen Chriſti. Addunt præterea, iſtam hiſtoriam non melius cognoſci poſſe, quam ex* Exod. 23; *Quo loco Dominus graviter interdicit Iſraëlitis, ne irritent, nec ſe rebelles præbeant* Angelo; Non enim, *inquit*, condonabit vobis: Nomen enim meum eſt in medio ejus. *Hinc, inquiunt illi, Angelus hic eſt increatus, quia ſcilicet,* 1, *Angelus creatus in Sacris non ſit ea dignitate, ut poſſit irritari vel tentari.* 2. *Nulli creaturæ Scriptura tribuit poteſtatem remittendi peccatum, niſi forte miniſtris Evangelii ob miniſterium; at in deſerto Moſis & Aaronis viſibile miniſterium fuit, non fuit Angeli. Itaque hic Angelus deſcribitur, qui remittit peccata, ut Chriſtus. Hæc certe plauſibiliter dicuntur ab ipſis.*

Reſpond. Socinus ad iſta dudum reſpondit. Et ad prius quidem: Non neceſſe etiam, ut ad Chriſtum referatur; Ne tentemus Chriſtum, ſicut illi tentarunt, ſcilicet Deum, *Exod.* 23. Reſpondemus, Angelum ibi intelligi. Nam vocatur & Angelus, quoad condonationem peccatorum: tribuitur in Veteri Teſtamento Angelis adoratio; quod non minus eſt, quam remiſſio peccatorum.

Interrog. *Hoc illud eſt, quod illi urgent, & dicunt, Angelum quendam increatum etiam, de quo dicunt agi* Gen. 22: *Qui expreſſe dicit, Iſaacum non eſſe ſubtractum à ſe*, verſ. 12. *Præterea hic ipſe Angelus jurat per ſe ipſum*, v. 19. *Item, ſe multiplicaturum ſemen Abrahæ. Quæ non cadunt niſi in ſolum Deum. Vide de eodem Angelo*, Exod. 32. *ubi vocatur Angelus Iehovæ; jam Iehova ipſe; Vocat ſe Deum Abraham, Iſaac & Iacob; & per totum caput vocatur Iehova. Infinita talia. Nam quod dicis, adoratum fuiſſe; hoc illi pro ſe adducunt. In Veteri enim Teſtamento prohibitum eſſe, ne quis adoraretur præter ſolum Deum*, Matth. 4.

Reſpond. Simplices valde ſunt; nam in Angelis adorabatur Deus, quandoquidem Angeli ſubſtinebant perſonam Dei in legatione; Imo vocant ſe nomine legantis.

Interrog. *Hoc quidem inauditum eſt, ut legatus ſibi aſſumat nomen Domini; imo ut fieri hoc poſſit ſine crimine læſæ Majeſtatis. Nam, quæſo, quomodo accipiendus eſſet legatus, qui ſe vocaret regem Hiſpaniæ, Galliæ, Imperatorem? Inaudita hæc ſunt. Quod vero de adoratione dicis, Deum ſcilicet in ipſis adoratum; Cur, quæſo, non eſt paſſus ſe ita adorari Angelus à Ioanne*, Apoc. 19?

Reſpond. Non capiunt iſta Adverſarii. Nam bene dixit Smalcius contra Smiglecium, quod etiamſi Deus juſſiſſet lapidem aut ſtatuam adorari, oportebat hoc fieri. Quid, ſi ergo Deus pro tempore voluiſſet hoc fieri, Angelum ſcilicet nomen ſuum aſſumere, & Angelum adorari; anne hoc eſſet piaculum?

Interrog. *Non tribui tantum illi Angelo iſta, ſed & plura. Nam dicunt, iſtum Angelum habere eundem ſpiritum, quem habet Deus, ut* Eſaï. 63. 10. *Vocari illum Angelum faciei Dei; & conferunt cum* Hebr. 9, *ubi Chriſtus dicitur comparere faciei Dei pro nobis, Tribui ipſi vere opera divina*, Eſaï. 63. 9; *Angelum iſtum eſſe Angelum fœderis*, Malach. 3; *eſſe Sacerdotem*, Apoc. 8. 3: *Dicitur enim thuribulum aureum habere; eſſe Angelum, qui offerat preces ſanctorum ſuper altare aureum. Hæc autem talia Angelum iſtum manifeſte oſtendunt eſſe Chriſtum.*

Reſpond. Omnia iſta in viſione dicuntur; nam in viſionibus plerumque Prophetæ videbant

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

bant omnia; manifeſte autem liquet hoc ex ultimo loco; nam dicitur preces obtuliſſe ſanctorum. Non enim eſt opus, ut quis offerat preces; Deus enim novit illas, utpote cum ſe in fide invocantes promittat exauditurum.

Interrog. *Dura eſt iſta reſponſio, & vix ſatisfaciens. Sed illi tamen regerunt ad hoc quod dixiſti de Angelo iſto, quod non ſit neceſſe ut offerret preces, quia Deus noſſet omnia; Dicunt ergo hoc: non opus quidem habere Deum, qui ipſi referat, quod quis precatur, ſed dicitur offerre, quod acceptas reddat preces noſtras; nec enim preces noſtræ ex ſe poſſunt eſſe gratæ, ſed ſunt acceptæ propter Chriſtum*, 1 Petr. 2. 5.

Reſpond. Iſta omnia ſunt fruſtra. Nam probandum hoc eſſet, quod Angelus iſte eſſet Chriſtus. Hoc enim à noſtris nunquam conceditur.

Interrog. *At habent illi multa, quæ urgent contra nos, ad probandum, quod Chriſtus fuerit, antequam natus eſſet. Nam dicitur de Chriſto*, Malach. 3: Ecce ego mittam nuntium meum, &c. *Atqui hic Chriſtus loquitur: Fuit ergo antequam natus eſſet; quia fuit ante Ioannem.*

Reſpond. Loquitur de eo quod futurum erat, & quidem Chriſtus natus erat poſt Joannem, ſed eum miſit, poſtquam opus fuit ad docendum; verba ergo iſta debent accipi de eo quod futurum erat.

Interrog. *Non patiuntur ſibi eripi locum hunc; ſed hic varia loca adducunt ejuſdem valoris, ad concludendum, Chriſtum fuiſſe antequam ex Maria natus eſſet. Et inter alia*, 2 Cor. 8. 9, *quod* cum dives eſſet, pauper factus eſt. *Nam à nativitate ſemper pauperrimus fuit. Concludunt ergo, divitem fuiſſe, antequam homo factus eſſet; fuiſſe enim cæli & terræ Dominum: & huc allegant illa, Phil.* 2, Cum eſſet in forma Dei.

Reſpond. Quoad locum iſtum, 2 *Corinth.* 8, Annon ad illud reſpondetur, fuiſſe divitem; quia habuit poteſtatem in cælo & in terra; ſed noluit uti iſtis divitiis? propterea ergo, quia non uſus erat iſtis divitiis, pauper dicitur; quod vero poteſtatem habuit, dives dicitur. Locus *Phil.* 2, nil probat. Nam in forma Dei eſſe, eſt poteſtatem à Deo habere ſibi conceſſam, quia etiam Deus propter poteſtatem vocatur dives.

Interrog. *Non videtur hoc uſquequaquam verum. Iam, quoad priorem locum, repugnat ſententiæ noſtræ, qui ſtatuimus, Chriſtum habuiſſe poteſtatem plene ante reſurrectionem. Hinc nobis Adverſarii objiciunt: qui nec fuit rex plene, nec Deus plene. Præterea poteſtas iſta, & regnum, non erat de hoc mundo; ideo allegant, ex Phil.* 2, Non duxit rapinam, &c. *Hinc argumentantur: Secundum quod dici poteſt æqualis Deo, hoc non poteſt dici poteſtas creata. At ſecundum formam iſtam dicitur æqualis eſſe Deo. Nam phraſis iſta*, Non rapinam duxit, *ſignificat, Non injuſte hoc ſibi attribuit, quod ſit æqualis Deo.*

Reſpond. Reſponſum eſt jam ad hoc; & eo pacto accipi debet forma Dei, quo forma ſervi. At forma ſervi non accipitur pro homine. Ergo nec forma Dei pro natura Dei.

Interrog. *Imo vero hoc Adverſarii noſtri putant ſe evincere ex ipſo textu; Nam hæc:* Similis factus hominibus; *&*, habitu inventus ut homo, *docent hominem eſſe.*

Reſpond. Dicitur ſimilis factus hominibus; Ergo non eſt homo: Item, habitu inventus ut homo; Ergo non eſt homo.

Interrog. *Non ita illi hoc accipiunt; admittunt enim illi, ſimilem homini; ſed non ita ut homo non ſit, ſed ſimilem homini peccatori, ut liquet*, Rom. 8. 3. *Cum lex deſtituta eſſet viribus, in carne Deus, ſuo ipſius Filio in forma conſimili carni peccato obnoxiæ*, &c. *Sed quia jam videris repuliſſe omnia, quæ mihi remoram injiciebant; verbi gratia, quod juſtitiâ Chriſti juſtificentur homines Veteris Teſtamenti; quod fidem eandem habuerint; quod promiſſiones ſpirituales in Chriſto acceperint; idcirco redeamus ad propoſitum. Nullo ergo pacto potuerunt ſalvari veteres per Chriſtum. Iam quæro, cum ſine Chriſto poterat obtingere ſalus, ad quid Chriſtus venit in mundum, & quid ipſo opus fuerat, quandoquidem extra ipſum Deus peccata condonare potuit, & vitam æternam dare?*

Reſpond. Abſolute quidem non erat opus Chriſto. Nam poterat extra ipſum condonare pec-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

peccata, & remittere quaſvis offenſas, & præterea ſalvare: ſed propter melius eſſe, voluit Chriſtum in mundum mittere, eumque pati, ut ſcilicet nos primum doceret de vita æterna, in quo illa conſiſteret; quoniam exemplo ſuo, quomodo illa acquirenda fuerit, demonſtraverit.

Interrog. *Hic me non expedis; Nam ſi ſine talibus fideles Veteris Teſtamenti ſalvabantur, ad quid opus erat iſtis? Sunt profecto hæc non neceſſaria, & inter adiaphora reponenda: nam ſi poſſum vitam æternam habere abſque Chriſto, quid opus Chriſto? Et ſi Deus ſervabat fideles Veteris Teſtamenti ſine Chriſto, etiam profecto in Novo Teſtamento poterant ſervari ſine Chriſto: nihil ergo dicis. Accedit & hoc, quod noſtri ſolent accuſare Adverſarios, quaſi Deum crudelitatis inſimularent, quod propter nocentes innocentem Filium puniverit; & afferimus illud, Ezech.* 18, Anima quæ peccavit morietur: *Et interim noſtri videntur ſtatuere deterius aliquid; Nam docent, Chriſtum percuſſum à Deo ſine cauſa, nec propter ſua, nec propter aliena peccata; Annon hoc eſt magis Deum incuſare crudelitatis, quam quod Adverſarii faciunt?*

Reſpond. Non certe. Nam dicimus, eum tantum morte temporaria eſſe mortuum; non ſtatuimus, ut illi ſtatuunt, mortem æternam ſuſtinuiſſe.

Interrog. *Atqui noſtri docent, quod,* Ezech. 18, *de morte temporaria agatur; Non poterat ergo Deus, ſine nota crudelitatis, propter nihil morte temporaria afficere; Hoc nobis objectant Adverſarii.*

Reſpond. Certe magno bono hoc factum.

Interrog. *Et illi hoc dicunt, magno hoc bono factum, quod Chriſtus vice peccatorum mortuus eſt.*

Reſpond. At ex Scriptura probari non poteſt; quod ſit juſtum, unum pro alterius delictis mori.

Interrog. *Nihil ad propoſitum reſpondes. Nam ſi hoc non eſt juſtum, nec hoc certe juſtum eſſe legimus, ut quis ſine gravi noxa ita crudeliter tractetur, ut Chriſtus; Sed habent illi loca, quibus volunt oſtendere, quod in Scriptura reperiantur exempla, ubi alter pro altero juſte mortuus eſt. Vnum ego afferam,* 1 Reg. 20. v. 39, 40, 41, 42.

Reſpond. Dicitur quidem hoc ita factum; ſed an juſte, quæritur?

Interrog. *Non diſputabo jam ſuper iſtis. Ad rem redeamus: Quomodo ergo, quæſo, ſolaberis in morte hominem non malum, de quo ante; ſed pium? Nam quantum videre poſſum, nihil afferri poteſt ad ipſum conſolandum à peccato.*

Reſpond. Valde falleris. Annon poſſum illum conſolari hoc pacto: Chriſtus venit in mundum, ut oſtenderet, quomodo ad vitam æternam ſit eundum exemplo ſuo, tum etiam ſanguine ſuo hoc ipſum confirmavit; Præterea, primus ſalutem iſtam adeptus eſt, reſurgendo à mortuis, & in cælum aſcendendo? Parvane tibi iſta videntur; non tantum docere viam ſalutis, ſed exemplo præire, ut ipſum imitari poſſimus, & confirmare eam ſanguine ſuo?

Interrog. *Refellet forte iſta omnia, & dicturus eſt, ſe in deſperationem per hanc doctrinam conjici; ſe enim, miſerum peccatorem, non poſſe ullo modo præſtare iſta, quæ Chriſtus præſtitit, ac proinde Chriſtum fruſtra in exemplum iſta feciſſe, fruſtra iſta confirmaſſe, cum nullo modo iſta præſtare poſſit.*

Reſpond. Facile ipſi obviam ibitur. Nam annon Chriſtus jubet, ut ſimus ipſius imitatores? Utique hoc non juberet, ſi id præſtare non poſſemus.

Interrog. *Reſpondebit tibi æger: Fideles quidem poſſunt Chriſtum imitari, ſed non perfecte, verum quoad initia, inchoative; propterea quotidie precandum ipſis:* Dimitte nobis debita noſtra. *Quomodo ergo vitam ſperare poterunt, cum Chriſtum perfecte imitari non poſſint?*

Reſpond. Pernicioſa eſt iſta doctrina, qua docetur, nos non poſſe perfecte imitari Chriſtum; quod inde oſtendit Socinus, quia futuri ſunt multi peccato indulgentes, dicturi, impoſſibile ſibi eſſe, Chriſtum in hac vita imitari. Et quæ tu affers, de talibus affers, qui nondum ſunt perfecti.

Interrog. *Anne mihi daturus eſſes quenquam perfectum in hac vita, qui perfecte legem impleat?*

Re-

Reſpond. Omnino. Quid enim tu dicturus es de illis, quibus Chriſtus dicit: *Quicquid petieritis in nomine meo*, &c. Et Marc. 9, *Credenti omnia poſſibilia?*

Interrog. *Facile eſt ipſis ad hæc reſpondere;* Quicquid in nomine meo petieritis. *In nomine Chriſti petere, eſt ex fide petere. At ex fide nemo poteſt petere, cujus contrarium extat in Scriptura. Nam* fides ex auditu, &c. *Iam autem ex Scriptura certum eſt, Deum nolle nos in hac vita perfecte regenerare; & hinc preces:* Dimitte nobis, &c.

Reſpond. Fabulæ ſunt iſta, ut liquet ex *Marci 9: Credenti omnia poſſibilia.*

Interrog. *At ibi de fide miraculorum agitur, non de juſtificante.*

Reſpond. Reſpondi ego ſufficienter; ſed dabo adhuc invicta: Phil. 4, *Omnia valeo per ipſum qui me corroborat.* Et 1 *Cor.* 4, ideo Paulus dicit, quod *nullius ſibi fuerit conſcius.* Si ille Chriſtum non perfecte imitatus fuiſſet, neutrum horum dixiſſe potuiſſet. Nam nec omnia poſſet, & conſcius ſibi eſſet multorum.

Interrog. *Nec iſta videntur poſſe tantam rem conficere. Nam illa, quæ ad* Rom. 7 *dicuntur, oſtendunt, alium ſenſum aliquem in his locis, quæ attuliſti, eſſe, quam tu putas. Nam ibi Paulus conſcius ſibi eſt multorum, adeo ut deſiderio perfectæ regenerationis circa finem exclamet*, quis me liberabit? *&c.*

Reſpond. Paulus ibi de ſe non loquitur ſub ſua perſona, ſed ſub perſona aliena.

Interrog. *Scio ita eos ſtatuere; ſed interim tamen, ut omittam quæ hic plurima afferri poſſent, hoc eſt quo vos urgent veſtri Adverſarii, quod Paulus non dicit*, alius, *ſed* ego; *non dicit* fui, *ſed* ſum, *in præſenti tempore*, Ego carnalis ſum, *&c.* Id facio quod nolo, *&c.* Non amplius ego perpetro; *& talia plurima.*

Reſpond. Noſter Socinus ſatis ad hæc reſpondit.

Interrog. *Ergo non poteſtis iſtos imperfectos ita ſolari, ut perfectos. Loquamur primo de perfectis, poſt de imperfectis. Ergo perfectum ita ſolaberis: Vide, tu perfecte imitatus es Chriſtum; Ergo tibi ſalus æterna obtinget. Annon hic manifeſte ad juſtitiam propriam convolaturus ſis in ipſo conſolando, quam tamen Scriptura penitiſſime rejicit? Hinc, Rom.* 5: Obedientia unius, *&c. Et, Phil.* 3. 9: Et comperiar in eo, non habens, *&c. Hæc profecto dura ſunt pro veſtris partibus. Nam Scriptura dicit, aliena juſtitia juſtos fieri, qui juſti fiunt: Tu vis perſuadere, quod propria juſtitia juſtus fiat; cum tamen hoc repugnet Scripturæ.*

Reſpond. Dicitur juſtitia, quia cauſa eſt juſtitiæ, ut tibi oſtendi. Nam Chriſtus primus ſalutis viam annuntiavit, primus eam ingreſſus, nobis in exemplum primus eam ſanguine confirmavit.

Interrog. *Etiamſi non videam, quomodo inde ſequatur, non poſſe dici conſtitui juſtos ejuſmodi juſtitia; nam ſic & Pauli juſtitia poſſemus dici eſſe juſti, cum & ille exemplo vitæ præierit*, Phil. 4; *Tamen ulterius dico: Scriptura negat, quenquam ex operibus juſtum fieri. Quapropter non tantum illi negant, ex operibus nos poſſe juſtificari, ſed rationem addunt, Quia opera noſtra imperfecta ſunt. Hinc, Eſaï.* 64. 10, Tanquam pannus menſtruatus. *Hinc, Iob.* 9, Si contendere velis cum ipſo, *&c. Nec immerito; quia & fides eſt imperfecta*, 1 Cor. 13. *Qualis autem cauſa, talis effectus.*

Reſpond. Iſta omnia nihil ſunt. Nam dum Scriptura ita loquitur, loquitur de operibus *Legis*, non *Evangelii*; Nos dicimus, nos *operibus Legis* non juſtificari, ſed *operibus Evangelii.* Præterea obſervandum eſt, quod veteres non habuerunt Spiritum Sanctum: nos vero habemus; ita ut plura facere poſſimus, quam veteres.

Interrog. *Qualia ergo erant opera Pauli; fueruntne Legis, vel Evangelii?*

Reſpond. Cum fuit Phariſæus, fuerunt legalia, ſed poſtea fuerunt Evangelica.

Interrog. *An ergo opera Evangelica ſemper vocantur gratia? Non videtur; nam gratia accipitur pro favore Dei, quoties opponitur operibus, ut Rom.* 11. 9, Quod ſi per gratiam, non ex operibus. *&, Tit.* 3. 5: Non ex operibus juſtis, ſed ex ſola miſericordia; *ubi oſtendit, quid illud ſit, quod opponat operibus iſtis, videlicet gratiam, miſericordiam. Præterea vellem ex te cognoſcere, qualia ſunt iſta opera, de* qui-

quibus toties Scriptura loquitur, ad quæ in Chriſto conditi ſumus, Eph. 2. *Suntne Evangelica, vel legis? Profecto non videntur eſſe legalia, vel ex tua ſententia; quia ſequuntur iſtam gratiam, per quam ſervati ſumus. Tum etiam in Chriſto ad bona opera condi, non eſt legale quid, ut tu putas.*

Reſpond. Iſta poſſe dici opera legalia. Nam etiam opera legalia facimus adjuti gratia Dei.

Interrog. *Iam intelligo mentem tuam; at opera Evangelii erunt, ut dicitis, fides, pœnitentia; quomodo juſtificabimur, quæſo, talibus? Nam ubi pœnitentia, ibi peccatum præceſſerit oportet, & pœnitentia Evangelica includit in ſe fidem; fides vero ſpecialis includitur de ſuorum peccatorum remiſſione. Vno verbo; quo te cunque verteris, non evades.*

Reſpond. Nimis audacter te inſers; certe iſta tanti momenti non videntur. Nam non fides & pœnitentia tantum ſunt opera Evangelii, ſed etiam illa quæ Chriſtus præcepit; comprehenduntur omnia in mandato de caritate, quod Chriſtus vocat novum apud Joannem.

Interrog. *Vocatur quidem novum; ſed & ſimul vetus. vide conciliationem*, 1 Joan. 2. 7, 8. *Sed velim ex te ſcire, anne iſta caritas ita habeat, ut diverſa ſit à caritate, quam Lex Moſis præcipit.*

Reſpond. Utique; an neſcis, quod Chriſtus Legem Moſis correxerit, *Matth.* 5?

Interrog. *Sed illi hoc non admittunt; ſed tantum agi ibi de corruptelis Phariſæorum. Non enim dicit*, Plus quam Moſes, *ſed* Plus quam Scribæ & Phariſæi.

Reſpond. Valde abſurdi ſunt, qui tibi hoc perſuadent. Nam Chriſtus verba Moſis citat, *Audiſtis; Scriptum*, &c. *Non mœchaberis.*

Interrog. *Ita quidem eſt; verba citat; ſed non cum eodem ſenſu, quo prolata à Moſe proprie; & Chriſtus non dicit*, Legiſtis, *ſed*, Audiviſtis; *cum tamen quotieſcunque Chriſtus Scripturam citat, utatur verbis*, Scriptum eſt. *Præterea citat ibidem Chriſtus, quod nunquam ſcriptum eſt, & cujus contrarium ſcriptum invenitur. Nam hoc nuſpiam in Lege Moſis reperitur:* Diliges proximum, & odio habebis inimicum.

Reſpond. Certe habetur. Annon Deus juſſit Cananæos exſcindere; neque cum ipſis fœdus aliquod paciſci, *Deut.* 7? Nonne hoc eſt odiſſe inimicos?

Interrog. *Quid tibi videtur, cum Magiſtratui injunctum eſt ſontes punire?* Rom. 13.

Reſpond. Confundis jam quæſtiones, & petis principium; vis enim per dubium fidem facere dubio; Noſti tu enim, quod nos dicamus, non licere Magiſtratui ſontes capitali ſupplicio afficere.

Interrog. *Memini ſententiæ veſtræ; ideo me reprimam; nam dicitis, Magiſtratum gerere gladium propter terrorem, non ſupplicium. Ideo Socinus ſcribit, poſſe quem in bellum proficiſci cum gladio & bombarda, non ad occidendum, ſed ad terrendum; item, iter facientem poſſe geſtare gladium, ſi habeat, non ad lædendum, ſed ad terrendum; quod ridiculum eſt. Nam oportet iſtam doctrinam veſtram celetis. Vbi enim eam homines intellexerint, hoc perpetuo acturi ſunt, ſi mali ſunt, ut vos ſpolient veſtris armis; ſcient enim, vos non geſtare ea propterea, ut vos ſerio defendatis, ſed ut terreatis tantum.*

Reſpond. Quicquid Socinus in Epiſtolis ſcribit, vere ſcribit, utut nos rideant Adverſarii. Interim certum hoc eſt, Chriſtum correxiſſe Legem Moſis. Annon enim manifeſte in divortium invehitur, *Matth.* 19? quod tamen Moſes permiſerat.

Interrog. *Putaſne, quod Moſes hoc fecerit ſua propria auctoritate, in permittenda divortii Lege; anne divinitus hanc Legem tulerit? Certe vix credibile eſt, quod hoc propria auctoritate egerit. Imo, cur non egerit hoc, hinc liquet, quod nihil ſtatuere voluerit, niſi conſulto Deo*, Levit. 24. verſ. 12, 13, 14. *Item* Numer. 15. v. 33, 34: *& certe, ſi Moſes aliquid ſtatuiſſet, quod Chriſtus poſt aboleviſſet, non fuiſſet fidelis ſervus in domo ejus, ſicut dicitur*, Hebr. 3. *Itaque, dum dicitis, Chriſtum Legem Moſis correxiſſe, potius hoc dicendum vobis, Legem Dei correxiſſe.*

Reſpond. Et hoc quo minus dici poſſit, nullam rationem video. Quaſi vero Chriſtus non aboleverit Leges quaſdam, ut cerimoniales, quaſdam forenſes, quarum tamen Deus auctor

erat; ſi ergo abolere potuit, cur non corrigere quædam?

Interrog. *Fecit hoc quoad cerimonialia, quia erant typi venturi Chriſti; juſta ergo ratio, cur aboleri debuerant. Præterea leges forenſes abolitæ, non omnes, ſed quæ proprie politiam Iudaïcam ſpectabant, & hoc non immerito. Quia, politia abolita, leges, quæ ortum ex ipſa peculiari ratione habebant, aboleri oportuit. At circa leges morales cauſa nulla, cur corrigi quædam, quædam vero aboleri, debeant; Imo cauſæ juſtæ, cur non ſunt abolitæ. Nam quoties de peccato agitur, quid peccatum ſit, Lex Moſis adducitur; quoties agitur de cognitione peccati, Lex Moſis citatur; quoties de liberatione à legis maledictione, per Chriſtum facta, nulla Lex præter Moſen appellatur. Quod utique fieri non potuiſſet, ſi perfectior aliqua fuiſſet futura, quam Lex Moſis; quia, ut Spiritus Sanctus teſtatur,* Cum advenit quod perfectum eſt, tum imperfectum, *ut inutile*, tollitur, 1 *Cor.* 13.10.

Reſpond. Multis me fatigas ſine cauſa, & abducis à propoſito; Itaque nolo tibi ad omnia jam reſpondere, cum reſponſiones noſtrorum habeantur in manibus, & in Adverſariorum. Ad rem accedo, & dico: Opera Evangelii illa eſſe, quibus juſtificamur, eo quod ſint perfectiora operibus legis, & eo quod operibus legis nobis jam non eſt ſtudendum, cum Lex Moſis ex parte ſit abolita, ex parte correcta.

Interrog. *Video quod hoc urgeas; ſed interim, quæſo, expedi me: Cum Scriptura dicat, fide nos juſtificari; utrumne opera iſta Evangelica per omnia ſint fides, an vero non omnia opera Evangelii juſtificent.*

Reſpond. Video quo tendas; ſed bene facis. Adverſarii diſtinguunt opera à fide; quod etiam facit Spiritus Sanctus, ſed ita, ut diſtinguat opera legis, non Evangelii: noſtra vero doctrina alia eſt, quia fides duas partes quaſi habet: fiduciam in Deum, & obedientiam mandatorum Dei: Hæc autem, tanquam duo, nonnunquam diſcernimus, quæ etſi re ipſa pro uno accipi poſſint, & una ſint, poſſunt tamen ratione diſtingui. Et Socinus: *non datur fiducia abſque propoſito certo Deo obediendi; quod propoſitum Deus pro facto accipit, quamdiu non eſt occaſio ipſi obediendi externe, quam primum autem offertur occaſio ipſi externe obediendi, jam, ſi homo obediat,* fidem ſuam perficit & complet.

Interrog. *At vero videtur diſtinguere Spiritus Sanctus fidem ab operibus; idque multis probari poteſt; ut, primo, quod fides & bona opera ſeparentur & ſeparari poſſint. Vt, verbi gratia, in vita futura nullus locus fidei: at vero futurus locus operum, quia ſpes, fides, deficiet; caritas autem futura. Secundo, vult ſibi Spiritus Sanctus oſtendi fidem ex operibus,* Jacob. 2, *Oſtende mihi fidem*, &c. *Quæ certe ſunt talia, ut non facile putem à quoquam ſolvi poſſe.*

Reſpond. Fides contradiſtinguitur operibus, ſed non contradiſtinguitur, niſi operibus perfectis, & toti conſervationi legis.

Interrog. *Parum intereſt; Nam expreſſe docetis, quod diſtinguantur tantum ratione bona opera, & fides; ſi autem ratione diſtinguuntur, non tantum diſtinguuntur ratione operum imperfectorum, ſed etiam perfectorum.*

Reſpond. Hoc ita volumus accipi, quod fides in ipſum Deum, qua juſtificans, obedientiam præceptorum, non quidem ut effectum ſuum, ſed ut ſuam ſubſtantiam & formam continet atque complectitur; Itaque hac ratione non opponitur, quia ſunt unum.

Interrog. *At ſaltem hoc debebat probari.*

Reſpond. Maxime vero. Nam Jacobus aperte docet hoc ipſum, cum opera, reſpectu fidei, ſpiritui corporis vitam dantis confert, ſunt ergo opera forma fidei.

Interrog. *Si ſunt forma fidei, ergo non erunt effecta fidei. Neque enim effectum fidei poteſt eſſe forma fidei. Præterea hoc eſt obſervandum, quod confert quidem Iacobus opera ſpiritui, ſed quæritur quali? Anne animæ rationali? Hoc tu putas; quod Adverſarii non dabunt. Nam ille confert ſpiritui animali, qui proficiſcitur à forma, ex quo cognoſcitur vita eſſe in homine; valetudo item quæ & qualis; quod deprehendere ſolent pulſus tangendo medici. Sed, omiſſo hoc, concludo, fidem iſtam, qua juſtificamur, ſi non differt ab operibus, niſi ratione, eſſe ipſum opus, juſtificamur ergo operibus.*

Reſpond. Utique conceſſimus hoc ante.

Interrog. *Ita quidem. Accedimus ergo jam*

ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ad eum conſolandum, qui fidem habet, qua ratione progrediendum erit? Anne ita inſtituenda conſolatio? Eſto bono animo, ſervaberis; habeſne fidem? Ille vero in promptu habebit, quid reſpondeat: Nam primo objectabit, ſe neſcire, utrum fidem habeat (prout in paroxyſmo tentationum hoc primum eſt, quod pio homini evenit). Secundo, dicturus eſt tibi, ſi fidem habeat, incertum ſe eſſe, an illam ad extremum halitum ſit conſervaturus, quandoquidem doctrina noſtra eſt, quod homo fidem plane amittere poſſit. Tertio, & hoc forte dicet: quid mihi promittitis vitam, cum fides hæc imperfecta eſt? Sed & hoc ipſum forte turbabit, quod legat in Scriptura, ut Phil. 3. 9, *juſtitia ſe non ſua, ſed qua Dei eſt, per fidem, velle juſtificari. Iam autem fides* noſtra *dicitur, ut illud,* Habac. 2; *quæ in* Epiſt. ad Rom. 1. 17, *adfertur,* Juſtus ſua fide vivit.

Reſpond. Multa objectas; propterea tibi ſingulatim ad omnia reſpondendum. Dicis ergo: *neſcit an fidem habeat.* Hoc eſt contra rationem; nam quilibet ſcit, confidatne Deo, nec ne.

Interrog. *Imo putat, non credere; vide quomodo,* Pſalm. 23, *dicit, & quomodo ſe ipſum torquet David. tum & Marci 9:* Credo, ſed ſuccurre incredulitati meæ; *& multa talia ſunt.*

Reſpond. Facile cognoſcitur hoc ex operibus: ibi enim quæram ex ipſo, Anne opera præſtitiſti bona? Fieri non poteſt, quin dicturus ſit, ſi fidem habeat, ſe habere opera; atqui dico, Forma fidei ſunt opera. tum etiam male Jacobus concluderet, *Oſtende mihi fidem ex operibus*, ſi non poſſet fides oſtendi.

Interrog. *Vlcus ubi hoc tetigeris, tanto majores cruciatus excitabis in ipſius conſcientia. Nam pingas, fingas, diſtinguas opera, ille ubi operum mentionem feceris, conſcius ſuæ miſeriæ, & peccatorum, ſi quid ſpei antea habuerat, omne hoc abjiciet. Ita enim ſecum ratiocinabitur: Abraham commendatur maxime in Scriptura, & David, quod fuerit vir ſecundum cor Dei. Atqui omnes iſti deprecantur, ne ex operibus judicentur. Item Iobus,* cap. 9, *de quovis homine aſſerit, quod ſcilicet,* ſi contendere velit cum ipſo Deus, non poſſit ipſi ad unum ex mille reſpondere. *Hic tu vide, quomodo perrexeris cum hoc miſero, & quomodo perſuaſeris, fidem in ipſo eſſe ex operibus.*

Reſpond. Oblivisceris eorum quæ diximus ante, agi hic de operibus legis, non fidei. Nam ante de hac re accurate diſſeruimus.

Interrog. *Diſtinguas ut velis, hoc minime pacabis conſcientiam. Nam ille tibi oggeret ſtatim, prout tales homines ingenioſi ſunt in mala ſua, dicens: Anne in Epheſiis non fuerunt opera Evangelii? Annon in ipſo Paulo, Tito? & tamen illi teſtantur, Ne ex operibus quis glorietur.* Sed gratia eſtis ſervati per fidem; *Et, ad Tit.* 3: Non ex operibus, ſed ex gratia, fecit nos ſalvos.

Reſpond. Audiviſti, quod dixerim ex Socino: Talis homo ſi habeat propoſitum bene agendi, hoc ipſi ſufficeret, etiamſi opera nulla edat, ſi occaſio nulla offeratur. hoc ipſi Adverſarii etiam dicunt, Deum ſcilicet exaudire deſideria juſtorum.

Interrog. *Longe alia ratione & ſenſu hoc illi proferunt, ita ut hic ſit locus iſti proverbio: Duo cum faciunt idem, non eſt idem. Hoc enim illi reponunt in pœnitentia vera, ſed præter hoc fiduciam remiſſionis peccatorum, nec, nos propoſito non peccandi aut juſtificari, aut ſalvari, docent; quandoquidem negant, nos ex operibus juſtificari & ſalvari. Quod ſi actui derogent hoc, multo minus propoſito. Sed venio ad alterum quod dixi: Vtut fateretur, de præſenti ſe habere fidem, interim dubitaturus eſt, utrumne retenturus eſſet fidem, quod doctrina noſtra doceat, amitti poſſe fidem.*

Reſpond. Debet ergo vigilare, & hoc agere, ut conſervet fidem. Nam quare nos ad hoc hortatur Spiritus Sanctus? *Eſto fidelis uſque ad mortem,* &c. Et, *Qui perſeveraverit uſque ad,* &c.

Interrog. *Hic ergo ipſum ducis, acſi in ipſius poteſtate ſit, fidem conſervare, vel non conſervare; unde iterum eo ipſum impellis, ut ſtatuat, à ſe pendere, quod ſalutem ſit conſecuturus. Propterea ipſum mihi videris ita conſolari: Eſto quieto & tranquillo animo; quia à te ſolo pendet hoc, ut ſalveris; in tua enim manu & poteſtate eſt; perſeverare, vel non perſeverare; Deus quidem te monet ad hoc, ſed tuum eſt, vel accipere, vel non accipere.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Reſpond. Certe hoc ita eſt; Deus offert, monet; neminem cogit, ut Adverſarii dicunt, neq; enim eſſet voluntarius iſte actus, perſeverare.

Interrog. *Miſera mihi hæc videtur conſolatio. Annon enim hoc pacto dicis, illum eſſe cauſam ſalutis ſuæ; non debere hic Deo quicquam, quod perſeveret, quia à ſe hoc pendeat; aut ſaltem non plus debere, quam iſti qui pereunt. Nam omnes hortatur ad perſeverantiam; quod ergo ille, qui non perſeverat, non paret, id ſibi debet; quod ergo pareo, id meum eſt. Præterea hoc tibi miſer iſte objiciet, ſecuturum ex hac tua conſolatione, ut gloriari in ſe ipſo poſſit; nam ab illo hoc pendet, quod perſeveret, non enim accepit hoc à Deo. Teſtatur vero tota Scriptura contrarium*, 1 Cor. 1, 31: *&* cap. 4. 7.

Reſpond. Imo in ſe ipſo gloriari licet, modo cum hac conditione agnoſcat hoc beneficium Dei, quod tibi oſtendat, quæ ſalutaria ſunt, & ad iſta te cohortetur. Annon enim hoc idem dicitur, 2 *Cor.* 11. 16, 17, 18. ubi manifeſte videtur gloriari, & gloria, ut ille dicit, ſecundum carnem.

Interrog. *Reſponſio videtur addi in Enſtaſi, quam attuliſti. Venio ad tertium; ubi miſer objectabit, ſe fruſtra conſolationem accipere, cum fides ipſius imperfecta ſit. Si ergo fides imperfecta, & Scriptura hortatur, ut ad opera perfecta, ita ad fidem; nec hoc implere poſſum; quomodo mihi ſalutem promittere potero, cum ſcriptum ſit,* Maledictus qui non, *&c. Deut.* 27?

Reſpond. Totus te moneo, ne confundas opera Legis & opera Evangelii: Lex ibi hoc loquitur, non Evangelium.

Interrog. *Cur vero Evangelio obtemperare tenemur, quæſo te? Annon eo quod Deus præcepit? Cur autem Deo præcipienti obedire debeamus? Annon propterea, quod Lex jubet, ut diligamus Deum ex toto corde, ex tota anima*, &c.

Reſpond. Diſtincta iſta ſunt, doctrina Evangelii & Lex: Et, ut Legi tenemur credere propter Legem; ita Evangelio propter Evangelium.

Interrog. *Dixi ego etiam, iſtam diſtinctionem eſſe nullam; ſed interim nodus non ſolvetur. Nam, conqueritur de imperfectione fidei; Hoc eſt ſolvendum. Dicet enim, non placere eam Deo, quia non congruit ad præceptum ejus; perfectum enim vult, non imperfectum.*

Reſpond. Annon Scriptura docet, quomodo ſit erigendus? Modo propoſitum habeas, Deus remittet.

Interrog. *Ergo per multas ambages tandem venis eo; remittet. At vero hoc nondum eſt ſatis ad illum miſerum conſolandum; Dicet enim: Audio quod dicis, Remittet tibi; Sed propter quid mihi remittet? Nam gratis non remittet; quia non vult remittere peccata. Non jam diſputabo de eo, num poſſit, vel non poſſit condonare peccata ſine ſatisfactione; ſed quod penitus nolit*, Exod. 34. v. 7. *Quod nullo pacto abſolvat ſontem*, Num. 14. 18. Deut. 29. 10. Nahum. 1. 2.

Reſpond. Facilis ad hæc reſponſio. Non vult condonare impœnitentibus, ſed pœnitentibus; hæc diſtinctio clara; ita ut mirum, quod eam Adverſarii non agnoſcant. Præterea, annon ſatis hoc oſtenditur, loca hæc non eo ſenſu accipi debere, quo Adverſarii accipiunt? quia dicitur, Deum remittere peccata; remiſſio autem & ſatisfactio pugnant.

Interrog. *Negant illi iſta pugnare, & afferunt locum ex Epiſtola ad Philemonem, ubi Paulus offert ſe ad ſatisfactionem, & interim tamen petit condonari Oneſimo: vide vero etiam clara in eam rem loca*, Rom. 3. 24, 25. Epheſ. 1. 7. *Quod vero ad diſtinctionem pœnitentis & impœnitentis attinet, hanc illi facile concedent; ſed hic cardo rei non verſatur, ſed an propter pœnitentiam condonet peccata, an vero propter quid aliud? Dicent tibi, non propter pœnitentiam peccata condonari, quia non juſtificamur propter opera in genere; ergo neque propter pœnitentiam. Oggerent ergo tibi, illud, propter quod nobis reconciliatur Deus, & condonat peccata noſtra, eſſe ſanguinem Chriſti*, Col. 1.

Reſpond. At poſtulant ſibi dari, reconciliationem eſſe idem quod remiſſionem peccatorum.

Interrog. *Imo vero hoc teſtatur Scriptura*, Eph. 1. 14. *ubi reconciliatio eſt proprie remiſſio peccati.*

Reſpond. Dicant illi quicquid velint; certum eſt, quod, cui remiſſa ſunt peccata, ille pro ipſis non ſatisfecit. Nam hæc pugnant.

Interrog. *Oſtendunt illi non pugnare; ut ante oſten-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

oſtenſum. Sed præterea diſtinguunt: Pugnaret hoc, inquiunt, cum remiſſione, ſi idem ſolveret, cui diceretur remitti. At hic alius eſt, qui ſatisfacit; alius, cui peccata remittuntur; & propterea iſtæ phraſes in Scriptura oriuntur, ut redemptio dicatur remiſſio, Rom. 3. *Vt qui juſtificetur gratis*, &c. *Quem præſtituit Deus placamentum per fidem. Et* Eph. 1. 17.

Reſpond. Abſurda juſtitia! Quis enim audivit unquam, remiſſionem cum ſatisfactione conſiſtere poſſe? Certe ita nobis Deus remittit peccata, ut nos noſtris peccatoribus. At nos non jubemur ita remittere, ut cupiamus nobis pro ipſis ſatisfieri. Ergo nec ſic nobis Deus remittit peccata; Præterea major certe eſt gratia, remittere nulla ſatisfactione accepta, quam condonare ſatisfactione accepta. Atqui de Deo ea quæ majora ſunt, non quæ minora, ſemper prædicanda.

Interrog. *Ad iſta omnia illi tibi nullo negotio reſpondebunt. Ad primum reſpondent; Hæc aliquatenus ſimilia ſunt, non tamen per omnia ſimilia fuerunt: hactenus autem remiſſio noſtra divinæ remiſſioni æquiparatur, quatenus illa minime ſimulata eſt, ſed ex ſincero ingenuoque animi affectu proficiſci debet, ut ex diſertis Chriſti verbis in apodoſi parabolæ*, Matt. 18. 35. *Item* Eph. 4. 32, *manifeſtum eſt. Quod ad ſecundum attinet, in conſequentia laborat totum argumentum, quia multa ſunt, ex quibus Dei potentia magis eluceſceret, quam quæ facit, non tamen ideo ipſi tribuenda. Verbi gratia, magis potentia Dei appáruiſſet, ſi omnia immediate creaviſſet, nihil mediate; & tamen Deo ita viſum fuit facere; proinde non debemus commenta cerebri noſtri ſequi, ſed perpetuo Scripturam adhibere. Secundo, dicis: Major miſericordia futura fuiſſet, ſi nulla ſatisfactione accepta peccata remiſiſſet. Hæc non videtur vera, imo non eſt vera. Annon tibi plus videtur eſſe, remittere peccata, & dare unicum Filium ſuum, ut hoc fieret? Duo hic bona, ibi unum. Tertio debuit Deus convenienter naturæ ſuæ remittere peccata; hoc eſt, ut miſericordiam exerceret, illæſa juſtitia: hoc tibi iſti reſpondebunt.*

Reſpond. Quicquid de aliis dicant, hoc eſt vanum, quod putent, juſtitiam Dei in Deo eſſe eſſentialem; & profecto ſatis hoc probavit Socinus; ipſius ſaltem libri huc conferri debent.

Interrog. *Scio quid voſtri doceant hac de re; ſed Adverſarii ſe hic non deſerunt. Sed nubem teſtimoniorum adferunt: Apoc.* 16. 5, & 7: Etiamſi, Domine Deus, &c. &, cap. 19, *in judicio ſuper meretricem:* Quia vera & juſta judicia ejus, & meretricem illam magnam damnavit, &c. 2 *Theſſ.* 1. *v.* 6, Juſtum eſt apud Deum, &c. *Rom.* 3. *verſ.* 5, 6: Non injuſtus eſt Deus, &c. 2 *Paralip.* 12. *verſ.* 6: Juſtus eſt Jehova, *dicunt ii, quod jam incipiunt ſentire pœnas ob prævaricationes ſuas.* Nehem. 9. v. 33: cap. 11. verſ. 7: *Thren.* 1. *verſ.* 18: Juſtus es, quia ori ejus, &c. *Daniel.* 9. v. 14: Feſtinavit Jehova ſuper malo, & adduxit illud ſuper nos, quia juſtus eſt Jehova Deus noſter, in omnibus operibus ſuis. *Hæc tibi illi offerunt, quæ quomodo diluere poteris, ipſe videris, & ſocii tui viderint.*

Reſpond. Facile ad hoc reſpondetur: Deus dicitur *iratus*, *placatus*, &c. Anne propterea cadunt iſta proprie in Deum?

Interrog. *Ad hoc tibi reſpondebunt, ſunt iſti affectus, qui certe locum in Deo non habent, quanquam noſtri, ut ipſe noſti, hoc aſſerunt. Vorſtius protraxit ſecreta noſtra in apertum; & tu tamen noſti, quid Vorſtius hac de re ſentiat; ſed habent interea argumentum, quod velim mihi diſſolvas: Si Deus ex mero beneplacito punit peccatores, cur ergo, quando punit, non ad beneplacitum recurrit, ſed ad juſtitiam? Nam, Apoc.* 16. *v.* 5, 6: Juſtus es Domine, &c. Quoniam enim ſanguinem ſanctorum & Prophetarum effuderunt, &c. *Dan.* 9. 14: Feſtinavit Jehova ſuper malum, &c.

Reſpond. Perinde eſt; quid abſurdi, ſi dicam, Juſtitia & beneplacitum ſunt unum & idem?

Interrog. *Non dubito; ſed interim reſpectus magnam differentiam facit. Vide ſis, quæſo, &, commuta iſta:* Juſtus es, Domine; Et ita tibi placuit, quia effuderunt ſanguinem, da ipſis bibendum ſanguinem. *At beneplaciti cauſa non allegatur in Scriptura. Alioquin non eſſet beneplacitum, ſi cauſa alicujus effecti allegaretur. At hic cauſa allegatur:* quia effuderunt. *Sed nolo hærere in his, ſaltem tibi oſtendo, in hoc opere redemptionis duo concurrere, juſtitiam &*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

& miſericordiam, ut diximus antea, *ex* Eph.1. 7. *Idem ex* Pſal.85 *appàret*, *v.* 11: Miſericordia & veritas obviarunt ſibi; juſtitia & pax ſe mutuo oſculatæ ſunt. *Sed jam progrediamur ad quartum, quod tibi objeceram, quod Scriptura revocet nos à propria juſtitia ad alienam. Vnde non poteſt non miſer dicere, cum ipſi propriam inculcas ipſius juſtitiam, te abducere ipſum à via, quam oſtendit Spiritus Sanctus; ac proinde ſe non poſſe acquieſcere tuis iſtis argumentis, quibus uteris in ipſo conſolando.*

Reſpond. At ego tibi hoc dixi jam de iſta juſtitia altera; ita ut non putem neceſſe eſſe, nos ſermonem ingredi de ipſa.

Interrog. *Obiter iſta attigimus, non excuſſimus omnia, itaque patieris, ſi quædam ex mente Adverſariorum noſtrorum tibi oppoſuero. Hoc illi urgent, quod lex non poteſt ſolvi*, Joan. 10. 35. *Si ergo lex ſolvi non poteſt, ut lex eſt primæva*, Hoc fac & vives; *oportet, ut impleretur vel à nobis, vel ab alio, loco noſtri. Atqui non poteſt hoc à nobis, ut dictum eſt, ex imperfecta juſtitia noſtra. Ergo ab alio.*

Reſpond. Annon poteſt Deus acceptare illud, quod imperfectum eſt, pro perfecto; quorſum enim iſtud, *Deſideria juſtorum exaudit Deus*, Pſal. 10?

Interrog. *Non capis me, ut video; Nam ſi Deus remittit de aliqua parte peccati, lex ex aliqua parte ſolvitur; cur non ex alia? cur non in totum? Nam quæ partis eſt ad totum ratio, ea totius eſt, ut quilibet ſanus videre poteſt; itaque argumentum Adverſariorum manet*

Reſpond. Attamen utuntur iſto dicto, *Pſal.* 10, *Deſideria juſtorum*, &c.

Interrog. *Ita quidem; ſed falleris in eo, quod putes ad eundem ſcopum uti. Nam illi utuntur hoc, ut oſtendant, opera juſtorum placere Deo, quamvis imperfecta, idque propter perſonam placentem; tu vero vis oſtendere, propter hoc placere perſonam ipſam. Illi habent loca pro ſe.* Reſpexit Deus ad Abel & ſacrificium ejus; *primo ad Abel, poſt ad ſacrificium; cum dicitur*, Hebr. 11, *Per fidem obtulit Abel*, &c. *Si per fidem reconciliatus Deo, placuit ergo antequam offerret.*

Reſpond. At nuſquam in Scriptura habetur, quod pro nobis quis legem impleverit.

Interrog. *Siſte pauliſper. Illi hoc tibi non permittent; nam primo dicent: Comminationem Legis Chriſtus pro nobis implevit; cur ergo non & Legem? Comminationem impleviſſe, liquet* Gal.3; *Vbi Chriſtus dicitur pro nobis factus eſſe execratio. Nec patet tibi effugium. Execratio ex Lege; ut ibidem citatur. Si ergo potuit pro nobis comminationem Legis implere, cur etiam non Legem? Sed nolo te iſta conſequentia urgere; ad rem veniamus. Ferunt ergo illi pro ſe, quod loco illorum Lex impleta à Chriſto inter alia, Rom.*8. 3: Nam quæ legis erat impotentia, cum viribus eſſet deſtituta in carne, Deus, ſuo Filio miſſo in forma ſimili, condemnavit peccatum in carne, *&c.* ut jus illud legis compleatur in nobis. *Habes hic, ubi expreſſe dicitur: jus illud compleri; quod illud jus? Certe aliud non potes dicere, niſi quod præſtitit, & ad* Gal. 4, *idem proponitur*, verſ. 4. Poſtquam venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum, factum ex muliere, *&c.* ut eos qui ſub Lege erant, *&c.*

Reſpond. Obſcuriora illa ſunt, quam ut ex illis eliciatur hoc quod vis; mihi videtur ſufficere, ſi Deus remittat peccata, & reliquum, quod eſſet præſtandum, habeat Juſtitia noſtra.

Interrog. *Diximus ante, Legem ſolvi non poſſe; ideo nullum effugium: Et Scriptura quidem teſtatur, peccata remitti, ſed non citra ſatisfactionem, ut oſtendimus ante: Et hoc Spiritus Sanctus etiam paſſim docet; inter alia*, 1 *Cor.*1, Factus eſt nobis Chriſtus juſtitia, redemptio, *&c. Si redemptio*, id eſt, *remiſſio peccatorum, ſufficit, cur additur juſtitia? & lege* Zach.3; *ubi res iſta per typum quendam exprimitur, ubi primo exuitur veſtibus ſordidis, & poſt, iis amotis, juſſu Angeli, imponitur cidaris munda capiti, & induitur veſtibus: quæ autem veſtes intelligendæ ſint, explicatur* Eſaï.64, *vocantur veſtes iſtæ pallium juſtitiæ. Hæc profecto claræ ſunt.*

Reſpond. Clarius quidem mihi aliquid velim proferri. Nam non convincunt hæc intellectum meum.

Interrog. *Mirum tamen hoc. Nam videntur clara eſſe. Sed age, pergam ego: Quid ergo tibi videtur de hoc; quod dicamur unius obedientiæ juſti conſtituti*, &c.? *Adde, quod iſta obedientiæ*

con-

conſtituimur ita juſti, quemadmodum injuſti conſtituimur inobedientia Adæ.

Reſpond. Genus peſſimum diſputandi, ubi quis uno loco deſerto, currit ad alium; & eſt hoc ſignum certe malæ cauſæ.

Interrog. *Rident nos, dum talia proferimus; & dicunt, hoc eſſe ſecretum ex noſtra Logica, quod Scriptura minime obſervavit. Nam annon legis, Chriſtum, dum iret Emaüntem, diſcipulis illis ex collatione multorum locorum oſtendiſſe, Chriſtum oportuiſſe omnia, quæ paſſus eſt, pati, & ſic intrare in regnum cælorum? Hic, ſi eſt iſte modus diſputandi legitimus, quem tu dicis, aut illi fuerunt nimis ſtupidi, & iſtius noſtræ Logicæ ignari, aut Chriſtus hoc ſophiſtice egit, ut probaret, hæc Chriſtum pati debuiſſe. Nam debebant dicere Chriſto: Tranſis ab uno loco ad alium. Sed & Paulus hoc genere diſputandi utebatur, Act. 9. 22:* Confundebat Judæos collatis teſtimoniis. *Attende ad hoc, quod dicit,* collatis. *Sed ad rem; Reſponde ad ea quæ dixi:* Obedientia unius; *quomodo obedientia unius juſti? hoc velim mihi explices.*

Reſpond. Imo vero tu ipſe explicuiſti, cum de Adamo cœpiſti loqui. Nam ſicut injuſti conſtituimur peccato Adæ; ita juſtitia Chriſti. Atqui peccato Adæ conſtituimur injuſti per imitationem. Ergo & Chriſti. Et, quæſo, vide quam difficulter hæc materia tractatur ab Adverſariis. Hic ergo oportet, ut utantur voce *imputationis*, quod nobis imputetur juſtitia Chriſti; quod quidem nec ipſi Pontificii aſtruunt. Nam primo dicunt, iſtam putativam juſtitiam; quæ vera non eſt. Secundo inquiunt, juſtitiam Dei non eſſe ſecundum veritatem. Nam quod unus fecit, alterius cenſetur. Tertio, & hoc Pontificii inferunt, quod eſſemus ita juſti, ſicut Chriſtus ipſe, ſi ejus juſtitia juſtificaremur. Quæ omnia quam ſunt abſurda? Noſti autem ſapientis eſſe, etiamſi non poſſit ſemper ad contraria argumenta reſpondere, ubi tamen videt abſurditatum maximum cumulum, ibi non eſt ejus propterea deſerere ſententiam ſuam.

Interrog. *Ad omnia argumenta Adverſarii reſpondent. Ad primum, quod dicis de imitatione; ineptum eſt. Nam Rom.* 5. 14: Quod regnavit mors in eos, qui non peccaverunt ad ſimilitudinem Adæ. *Vnde* 1. *Quod mors urgeat etiam illos, qui Adamum imitari non poterant; Infantes ſcilicet peccatores conſtitui inobedientia Adæ; tum & hoc, quod dicitur peccaſſe, ſed non ad ſimilitudinem, quia non actualiter; Præter hoc, iſtam imitationem tuam elidunt loca, quæ impios ab utero matris averſos nominant,* Pſal. 51. 4. Eſai. 48. 8. *Hic enim mos Spiritus Sancti, ut qui peccatorum delicta non recenſet, ſine mentione corruptæ naturæ in ipſis, quam habent ex utero matris, in quo jam tunc fuerunt peccato infecti: Et Iobus dicit,* cap. 14, *ex immundo non naſci mundum. An & illud ſit per imitationem? Et, Pſalm.* 51: In peccato conceptus ſum; *an hic etiam imitationem notat? Quoad ſecundum, ridiculum eſt, quod dicis. Annon vox imputationis habetur in Scriptura in hac ipſa natura? Vide hac de re,* Rom. 4. 5, 6, 7, 8. *& paſſim.*

Reſpond. Expecta pauliſper. Legimus quidem imputatam fidem, ſed non imputatam juſtitiam; & de eo ante aliqua mentio injecta. Itaque, utut vox iſta habeatur, non obtines tamen, quod vis. Nam aliud eſt fides; aliud eſt juſtitia.

Interrog. *Hoc ſaltem primum efficio, quod aliud eſt putare; aliud, imputare: & aliud eſt, eſſe juſtitiam imputatam; aliud, putativam; Nam putativa eſt, quæ non eſt; imputata, quæ imputatur, & pro ejus, cui imputatur, habetur. Eſt autem impropria locutio, imputare fidem; nam ponitur hic ſubjectum occupans, & intelligitur objectum, hoc eſt, juſtitia Chriſti; quod quidem antehac ſatis probatum, ſed & nunc paucis ex parte Adverſariorum hoc probabo. Primo ergo, nulla ratio dari poteſt, cur dicatur imputari fides, & tamen fides non ſit juſtitia; utrumque autem proponitur in Scriptura;* Rom. 4 *enim ponitur hoc,* Imputatur fides: *Phil.* 3, *dicitur,* Ut comperiar in eo, non habens meam juſtitiam, *&c.* ſed eam quæ eſt per fidem Chriſti. *Hic vide, anne juſtitia ſit fides? Certe hoc, quod per fidem eſt, non eſt fides. At juſtitia hæc, qua juſti ſumus, eſt per fidem; Ergo non eſt ipſa fides. Accedit & hoc, quod dicamur obedientia unius juſti conſtituti. At hoc nulla ratione fieri po-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

poteſt, niſi obedientia iſta noſtra evadat; Quomodo autem evadere poteſt, niſi imputetur? Iſtud vero, quod in Pontificiorum perſona objicis, fore nos æque juſtos ac Chriſtum, nullo modo tolerari poteſt. Nam Chriſtus non eſt juſtus iſta juſtitia, neque enim eam ſibi quæſivit, ſed nobis: nec propter ſe legem implevit, ſed pro nobis; itaque non magis convenienter hoc poteſt objicere Adverſarius, quam ſi diceret, Chriſtum ſe redemiſſe, quia redemptionem quærebat peccatoribus; & pro ſe ſatisfeciſſe, λύτρον *ſolvendo, quia pro nobis hoc expendit. Itaque, quicquid agas, huc tandem tibi redeundum, juſtitia propria unumquemque juſtificari. Iam ergo quomodo repelles iſtum arietem, quem contorquebit juſte miſer peccator & conſolatione indigens, dicens: Iuſtitiam propriam non commendari in Scriptura, ſed alienam; quam tamen neque tu, neque noſtri, ulla ratione admittere volunt.*

Reſpond. Debebas reſpondiſſe tamen ad objectionem Pontificiorum, quod juſtitia Dei ſecundum veritatem ſit.

Interrog. *Et ad hoc illi facillime reſpondent; Dicunt enim, juſtitiam duplicem eſſe; quæ ſit ex Lege, & quæ ſit ex fide. Veritatem quidem prioris eſſe talem, ut propria juſtitia juſtificetur quilibet; Evangelicam non item, & fidei. Nam fidei juſtitia eſt non propria, ſed aliena, & veritas ejus in eo etiam conſiſtit, ut habeamus alienam juſtitiam, non noſtram, Phil.*3: Non habens eam, quæ ex Lege, *&c.*

Reſpond. Periculoſa eſt iſta deceptio, per quam animæ inſtabiles peccato denuo ineſcantur, quando dicimus, aliena nos juſtitia juſtificari, ſecundum id, quod 2 *Petr.* 2, de ultimorum temporum corruptura prædicitur.

Interrog. *Videtur tibi jam ſatis ad hoc reſponſum; & vel locus unicus tollit,* 1 Joan. 1. Si dixerimus, nos peccata non habere, nos mentiri.

Reſpond. Imo vero locus iſte truncatur ab illis, dum partem ejus, quam ex *cap.* 3. *v.* 8, *ep.* 1, adducunt, varie diſſimulant.

Interrog. *Vix hoc credibile, cum uterque iſtorum locorum ab ipſis diligenter urgeatur; & quid diſſimularent, cum neuter iſtorum locorum alteri contrarius ſit, ſed unus potius per alterum eleganter illuſtretur? Quod enim in priori loco Apoſtolus dicit, nos, ſi dicamus, quod peccata non habeamus, mentiri, non pugnat cum eo, quod in ſequentibus dicit:* Eos, qui operantur peccatum, ex Diabolo eſſe. *Aliud enim eſt, peccatum habere, id eſt, corruptæ carnis infirmitate laborare, & ab eodem tentari; aliud, peccata operari, id eſt, carnis concupiſcentiis frena contra conſcientias laxare. Illud omnes pii & Sancti ſentiunt; in hoc impii & hypocritæ ſponte ruunt, in eodemque pereunt. Quod vero noſtri illis objiciunt, quod per hanc vagam doctrinam inſtabiles animas ineſcant; dicunt, atrocem calumniam eſſe, neque proinde eam ipſos curare. Aiunt enim, ſe noſſe, doctrinæ de gratuita remiſſione peccatorum hanc perpetuam fortunam in mundo fuiſſe, & adhuc eſſe, ut hinc ab impiis in impietatis licentiam traducatur, illinc ab hypocritis invidioſe inſimuletur, quod carnis cupiditatibus per eam frena laxentur. Aiunt, expertum hoc eſſe Paulum, ſuo tempore, ſicut* Rom. 8. 3: & 6. 1, *videre licet; quibus tamen calumniatoribus ipſe juſtum judicium inſtare teſtatur. Addunt, ſe non inficiari, inveniri apud ipſos interdum doctores qui materiam in publico ſatis dilute tractant, nec deeſſe & inter illos ullo tempore, qui gratia, per Evangelium annuntiata, ad nequitiæ prætextum abutantur; ſed negant, hoc protinus doctrinæ ipſorum imputandum eſſe.*

Reſpond. Video te ad unguem tenere, quid illi reſpondere ſoleant. Ego quidem ulterius tecum non progrediar, quod videam tibi nunquam defore, quod pro ipſis reſpondeas. Hoc te ſaltem moneo, ne ipſorum doctrinam ita imbibas, ut tuam faſtidias, ut videris.

Interrog. *Ego vero video, & miſerum iſtum afflictum, quem ſuſcepiſti erigendum, fruſtra ex doctrina noſtra quærere ullam conſolationem, & me quoque fruſtra à te reſponſionem ad argumenta Adverſariorum expectare.*

FINIS.

JOAN-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

JOANNIS MACCOVII,
S. S. Theol. Doctoris & Profeſſoris,

THEOLOGICÆ LECTIONES;

Quibus refutantur quædam ex

CATECHESI SOCINI.

LECTORI S.

Prælectiones JOAN. MACCOVII, *contra Catecheſin Socini, in præfatione Locorum Communium promiſſas, jam communico. Fragmenta tantum ſunt, non perfectum opus. Titulus manuſcriptorum, obiter inſpectus, me fefellerat. Statui tamen & hoc opuſculum tale, quale eſt, edere, ut fidem liberarem, & ſuſpicionem ſuppreſſi operis à me amolirer. Scio quid muſſitent tenebriones & lucifugæ, qui ipſi nihil præſtare poſſunt, vel audent. Legant hæc, eaque cum noſtris conferant, ac pudefiant linguæ mendaces.*

HEbr. 10. v. 5: *Quapropter, ingrediens mundum, dicit, Sacrificium & oblationem noluiſti*, &c.

Ex hoc loco nos probamus, Chriſtum fuiſſe, antequam humanam naturam aſſumeret. Sed dicunt Sociniani: Animam hic loqui; animam, inquam, Chriſti. Sed hoc eſſe abſurdum, probabo.

Zach. 12, Spiritus Sanctus teſtatur, Jehovam, qui cælos extendit, & terram fundavit, formare ſpiritum hominis in medio ejus. Hinc manifeſte jam conſtat, non fuiſſe animam Chriſti hic locutam; Nam ita fuiſſet anima longe ante corpus, id eſt, ante naturam humanam aſſumtam.

Deum autem formare Spiritum, probabo inſuper

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

ſuper aliis Scripturæ locis, Hebr. 12. 9: *Annon multo magis ſubjiciemur patri ſpirituum?* Hinc jam conſtat, Deum creare animas.

Paulus, *Rom.* 1. *v.* 3, Chriſtum fuiſſe antequam aſſumeret carnem, dicit: &, 1 *Tim.* 3. 16, *Deus conſpicuus factus eſt in carne*; & hic, *cap.* 10 ad Hebr., *Vt faciam tuam voluntatem*; qua voluntate ſanctificati ſumus per oblationem Corporis Jeſu Chriſti. Ex hoc colligitur, ipſum fuiſſe Deum.

Obiter, quia hic mentio fit oblationis Chriſti pro hominibus, hic notabimus diſtinctionem infiniti. Infinitum eſt duplex: vel *natura*, vel *valore*. Infinitum natura triplex: vel ratione *termini & gradus*, ut Deus; vel ratione *termini ad quem*, ſed non ratione gradus, ut pœnæ reproborum, & gaudia electorum, quæ ratione termini ad quem infinita ſunt, ſed non ratione gradus; quia gradus cruciatus unius, major erit gradu cruciatu alterius; & gaudia non erunt æque magna. Nam *Dan.* 12, (quod expreſſe Paulus videtur habere, 1 *Cor.* 15. 41,) dicitur: *Stella à ſtella differt decore.* Vel infinitum eſt non ratione *termini & gradus*, ſed ratione *eſſentiæ*, vel *naturæ*; ut mors Chriſti. Exemplis illuſtrabo: Lazarus ſenſit in cælo *natura* æternam felicitatem, ſed non *duratione*, quia ad tempus revocatus fuit à Chriſto ad vitam hanc temporalem. Et Chriſtus moriens commendabat animam ſuam Patri cæleſti; quæ cum per tres dies in cælo fuiſſet, rediit ad corpus Chriſti, ſenſitque æternum *natura* & *eſſentia* gaudium, ſed non *duratione*.

Dicunt Adverſarii, ut oppugnent hunc locum, Chriſtum non in terra obtuliſſe, ſed in cælo offerre. 2. Chriſti corpus abolitum eſſe, & adaptatum ipſi novum.

Conabor itaque probare, Chriſti Corpus quod in utero Mariæ conceptum, reſurrexiſſe, ex comparatis: Quod ſi hæc corpora noſtra ſuſcitabuntur, multo magis igitur Corpus Chriſti. Quod noſtra corpora ſint reſurrectura, probo ex tribus fundamentis.

I. Mutatio duplex: *ſubſtantialis*, vel *accidentalis*. Corpora ergo noſtra mutantur, vel ſubſtantialiter, vel accidentaliter. At non ſubſtantialiter; quod probo: Quia ſi ſubſtantialiter mutarentur, morerentur; at non moriuntur omnia, quod patet 1 Cor. 15. 51: *Non omnes quidem moriemur, ſed omnes mutabimur momento & jactu oculi.* Et, Hebr. 11, *per fidem Enochus fuit tranſlatus, ne videret mortem.*

II. Quod exprimat Scriptura, in quo ſita ſit hæc mutatio, 1 Cor. 15. 53, *Oportet enim iſtud corruptibile induere incorruptibilitatem, & mortale iſtud induere immortalitatem.* Phil 3. 21, *Qui transfigurabit corpora noſtra humilia*, &c. Transfiguratio iſta non efficit, ut corpus non maneat idem ratione ſubſtantiæ: ſed facit, ut mutetur ratione accidentium.

III. Scriptura reddit rationem, cur oporteat eos in hoc eodem corpore reſurgere, 2 *Cor.* 5. 10, *Omnes comparere oportet coram tribunali Chriſti*, &c. Nec eſt quod dicant, Non in corpore hoc, ſed quod erit. *Reſp.* Refellit hoc Scriptura, Job. 19. 26: *Ego novi me*, &c. Deinde oſtendit hoc improborum reſurrectio, quorum corpora reſurrectura, in quibus peccaverunt. Et tandem Paulus, 1 *Cor.* 15, clare ſatis oſtendit, inquiens, verſ. 15: *Si non eſt reſurrectio; cur nos in dies*, &c.

Obj Caro & ſanguis non poſſidebunt regnum cælorum, 1 *Cor.* 15. 50. *Reſp.* Quæro ex Adverſariis, an per carnem, & ſanguinem, intelligant ſubſtantiam corporis? Quod non intelligatur, probo: Si in hac vita reperiuntur tales, qui non ex ſanguine & libidine viri, ſed ex Deo geniti ſunt; & tamen nullus eſt, qui non ex ſubſtantia parentum natus; ergo ſanguis & caro pro eodem hoc loco non accipiuntur. Prius probatur, *Ioan.* 1. 13. Deinde probo hac ratione: Joan. 3. v. 5: *Niſi quis genitus fuerit ex aqua & ſpiritu*, &c. Et, *Apoc.* 21. 27, *Non intrabit ibi quicquam inquinatum*; Ergo qui eſt regenitus, intrabit. Atqui anima & corpus regenerantur; Ergo anima & corpus introibunt in regnum Dei. Quod corpus hoc regeneretur, probo, *Eph.* 5. 23. 2 *Theſſ.* 3. 13: *Vt corda veſtra*, &c. 3. Pro quibus Chriſtus eſt mortuus, illa reſurgent. At pro anima & corpore Chriſtus eſt mortuus. Ergo illa, &, per conſequens, totus homo, reſurget.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Chriſtus ſacrificium in terra obtulit.

Quod probo ex eo, quod mortem in terra ſuſtinuit; morti autem Chriſti tribuitur expiatio peccatorum. Reſpondet igitur ſacrificiis in Veteri Teſtamento, quæ ad hoc erant inſtituta, ut expiarent peccata populi. Jam illud eſt ſacrificium, quod reſpondet ſacrificiis in Veteri Teſtamento. At mors Chriſti reſpondet; quia expiat etiam peccata, ut videre eſt 1 *Ioan.* 1.7. *Apoc.* 7.14. Ergo mors Chriſti eſt ſacrificium; & per conſequens, cum mors Chriſti non peragatur in cælo, ſequitur, quod ſacrificium ejus non peractum fuerit in cælo, ſed in terra.

Obj. *Omnis Pontifex ad offerenda dona & victimas conſtituitur*, Hebr. 8. verſ. 3. Si igitur Chriſtus Sacerdos, debet habere quod offerat. *Reſp.* Oblatio duplex: *Mactationis*, & *oſtenſionis* vel *repræſentationis*. Illa proprie oblatio; hæc metaphorice ſic dicitur. Illa ſemel tantum opus fuit, ut docetur, *Hebr.* 9. *v.* 11. Adveniens Chriſtus Pontifex futurorum bonorum, per majus & perfectius tabernaculum, non manu factum, id eſt, non hujus ſtructuræ, neque per ſanguinem hircorum & vitulorum, ſed per proprium ſanguinem, &c. Et 25 *verſ.* ut ſæpe offerat ſemet ipſum, non opus erat. Oſtenſionis ſive repræſentationis oblatio in cælis. Nam Chriſtus in cælis comparet faciei Dei pro nobis.

Socinus dicit, illationem ſanguinis eſſe ſacrificia; & nihil aliud eſſe ſacrificia, quam illationem ſanguinis in Sanctum Sanctorum: quod falſum. Non enim omnis ſacrificii ſanguis inferebatur in Sancta Sanctorum, ut videre eſt *Levit.* 4; Et ſanguis ſacrificii, quod pro leproſis, qui à lepra ſanati, recipiebantur in cœtum, non inferebatur. Vide etiam *cap.* 16. Illatio ſanguinis in Sanctum Sanctorum, fuit tantum aliquis actus ſacrificii. Nam erant plures actus, qui etiam requirebantur ad ſacrificium bene offerendum, ut videre eſt *Levitic.* 16.

Ioan. 10. 27, 28, 29, 30, 31. Ex hoc loco evincitur, Chriſtum eſſe verum Deum. Nam qui eſt unius potentiæ cum Deo, eſt æternus Deus. At Chriſtus. Ergo.

Probatur Minor, 1, generalibus argumentis ex creatione, conſervatione, & gubernatione rerum omnium. Creatio tribuitur Chriſto, tanquam principali, non inſtrumentali cauſæ: Joan. 1: *Per ipſum facta ſunt omnia*; Col. 1. v. 15. Præpoſitio autem *per* non denotat in hiſce locis cauſam inſtrumentalem; quia ſi per eum, tanquam per inſtrumentum, condita ſeu facta eſſent omnia, tum ipſe per ſe eſt factus; Atqui hoc eſt abſurdum. Si vero non per ſe, ſed per alium, eſſet factus; tum omnia non eſſent facta per ipſum abſolute. Creatio ſine præpoſitione *per*, tribuitur ei, *Hebr.* 1. 10.

Ex conſervatione idem clare patet; *Col.* 1. *v.* 17. *Hebr.* 1. 3. Ex gubernatione clariſſime. Nam in gubernatione ſpectatur poteſtas ejus, ſeu imperium, & poteſtatis uſus. Poteſtas ejus in corpora inanimata, ut mare & ventos, *Matt.* 8. *v.* 26, 27; vegetativa, *Matt.* 21. 19: *Marc.* 11. 13; in voluntates humanas, *Ierem.* 10. 23: *Prov.* 21. 1. Et non tantum Regis animus eſt in manu ejus, ſed etiam cujuſvis hominis, ut videre licet in Ægyptiis, *Exod.* 12, 36. In vocatione Apoſtolorum hoc etiam obſervare licet, quorum cor ita flexit Chriſtus, ut ſtatim, relictis omnibus, ipſum ſequerentur, *Matth.* 21. 3. Inclinavit animum iſtius hominis, qui aſinam habebat, ut eam Apoſtolis petentibus daret.

Chriſtus novit cogitationes hominum, *Luc.* 5. *v.* 22. & 6. 8, in ſpiritus habet poteſtatem, *Matt.* 8. 31, Diaboli non poſſunt abire in gregem porcorum, niſi permiſſu ejus. Sic, *Iob.* 2, non poteſt ire vexatum Jobum, niſi Deo permittente. Uſus poteſtatis: Oportet omnia in manibus ipſius ſint, qui debeat invocari ab iis qui in ſummo periculo conſtituti; ut, iſti tres juvenes apud Danielem invocant Deum, qui eos ſervavit illæſos. Miracula non poſſunt patrari, niſi à ſolo Deo, ut Nicodemus oſtendit, *Ioan.* 3. 2. *Ioan.* 9. 3. Cæcus natus eſt, ut opera Dei manifeſta fierent in ipſo. Sed quæritur: Utrumne Chriſtus ſua virtute fecerit miracula? *Reſp.* Quod ſic. Nam Apoſtoli, quoties miracula patrabant, dicebant: In nomine Domini Jeſu Chriſti, ſanet te Chriſtus, *Act.* 9. 34. 2. Speciale argumentum eſt, quod Deus aperiat corda hominum, ut, *Act.* 16, cor Ly-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Lydiæ; & Chriſtus facit nos credentes, *Marc.* 9.24, *Credo, Domine, ſuccurre, &c.*

An Chriſtus tantum ſub Veteri Teſtamento munus Propheticum exercuerit?

Reſp. Spiritus Sanctus manifeſte oſtendit, eum exercuiſſe etiam in Veteri Teſtamento, tempore Prophetarum, 1 Petr. 1. 10, *de qua inquiſiverunt*, &c. 2 *Petr.* 1. 21. Spiritus autem Dei, & Spiritus Chriſti, eſt unus & idem Spiritus, *Rom.* 8. 9. Hinc ſequitur, quod ſi Spiritus Sanctus ſit ab utroque, & ſi acti à Spiritu Sancto locuti ſint, per Spiritum Chriſti locuti ſint; & per conſequens, quod Chriſtus ipſos docuerit per Spiritum ſuum. Tempore Moſis, Hebr. 11. 26, *Majores arbitratus divitias probrum Chriſti*, &c. Chriſti autem, non futuri, ſed ejus qui erat, ut oſtenditur 1 *Cor.* 10. *v.* 9. *Neque tentemus Chriſtum*, &c. *Hebr.* 3. 5. Et Moſes quidem fidus fuit in tota domo ipſius, &c. At Chriſtus, ut filius, domui ſuæ præeſt: domus autem Dei eſt Eccleſia, ut docet Paulus, 1 *Tim.* 3. 15. Quia autem ex fidelibus componitur, ideo ſinguli nominantur vivi lapides, 1 *Petr.* 2. 5. Cujus architectus eſt Deus: Deus vero in Chriſto habitat, & Chriſtus in Deo, *Ioan.* 14. Ita ut in eum competat, quicquid de Deo prædicatur; ſequitur ergo, quod Chriſtus in Veteri Teſtamento docuerit per Spiritum ſuum Eccleſiam.

Tempore Noachi; 1 *Petr.* 3. 19, 20. Deinde Spiritus Sanctus multa dat, ex quibus clare poteſt deduci & probari, Chriſtum in Veteri Teſtamento etiam docuiſſe. Non enim iſti, qui mortui ſunt à prima creatione mundi, omnes condemnabuntur; quod oſtenditur, *Hebr.* 12. 22, 23. Per primogenitos non intelligit quoſvis Dei filios, ut aliquando Scriptura ſolet, ſed peculiariter Patriarchas, & reliquos Eccleſiæ patres, qui fuerunt ab initio mundi, *Apoc.* 21. *v.* 2: *Ego Ioannes vidi*, &c. Quod ſi civitas Dei, populus Dei, hi ſunt; tum ſequitur, Chriſtum eſſe Regem iſtius populi; nam relata ſunt, Rex, & Populus. At Rex populo Leges dat; ſi Leges dedit, docuit & exercuit munus Propheticum. Deinde, ſi Filii Dei, ſunt geniti ex Deo, *Ioan.* 1. *v.* 12, 13. Ad regenerationem autem duo requiruntur; Spiritus efficacia, & Verbi prædicatio, *Ioan.* 3. *v.* 5. *Rom.* 8. 9. 1 *Petr.* 1. *v.* 23.

Obj. Deut. 18. v. 15, *Prophetam excitabo è medio tui è fratribus tuis*: ſi ſuſcitabit; ergo erat futurus: ſi futurus, ergo non fuit: &, Hebr. 1. v. 1: *Multis modis olim locutus Deus; nunc autem per Filium ſuum*, &c. *Reſp.* diſtinguendo inter λόγον in carnem non exhibitum, & λόγον exhibitum: hæc loca autem loquuntur de λόγῳ in carne exhibito, 1 Timoth. 3. v. 16; Ioan. 1. v. 14: *Sermo ille factus eſt caro, & commoratus inter nos.*

Vtrumne præcipuum munus Chriſti ſit docere interne, vel externe?

Reſp. Præcipuum eſt docere interne. Nam externum Verbum ſine efficacia Spiritus Sancti nihil poteſt. In utroque Teſtamento Chriſtus docuit interne. In Novo Teſtamento res clara eſt, *Act.* 16. *v.* 14. *Luc.* 17. 5. *Marc.* 9. 24. Chriſtus ergo docet nos interne, & facit nos credentes. In Veteri Teſtamento, *Ierem.* 31. *v.* 10. Modus autem iſte convertendi non eſt ex prædicatione Verbi tantum, ſed ex efficacia Spiritus Sancti, corda hominum moventis, Jer. 31. 33, *Indam legem meam menti eorum;* 1 *Cor.* 5. 3.

Vtrum vita æterna promiſſa fuerit in Veteri Teſtamento? Vide pag. 921.

Reſpondeo, quod ſic. Et probo, 1. ex eo, quod nota fuerit ibi reſurrectio, *Act.* 23. *v.* 6. Ubi Paulus clamavit in conſeſſu: *Viri Fratres, ego Phariſæus*, &c. Act. 24. 14, 15: *Hoc tibi fateor, me ſecundum*, &c. Act. 26. 6, 7: *Nunc vero ob ſpem*, &c. *Matt.* 22. 31, Chriſtus dicit Sadducæis negantibus reſurrectionem, *De reſurrectione vero mortuorum non legiſtis?* &c. Lucas clarius hoc dicit, *cap.* 20. 37. Job inquit, cap. 19. 16, *Ego novi, poſtquam evigilavero*, &c. Dan. 12. 2: *Tandem multi ex dormientibus*, &c.

2. Probo ex eo, quod ſciverint in Veteri Teſtamento, futurum extremum judicium; Rom. 14. 10, *Omnes ſiſtemur*, &c. Et allegat locum *Eſai.* 45. 23. *Iudas verſ.* 14. 15. Dan. 12. 2: *Multi*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Multi ſurgent ad opprobria. Non autem poſſunt condemnari, priuſquam judicentur.

3. Probo ex eo, quod vita æterna promittatur, 1 Cor. 2. 9, *Sed prædicamus, ſicut ſcriptum eſt*, &c. Hæc autem verba ſumpta ſunt ex *Eſaï.64.v.8. 1 Cor.15.v.55;* confer cum *Hoſ.* 13. 14, qui locus conferatur cum *Iob.* 19. 25, *Vltimus in pulvere ſtabit*; quo intelligitur victoria; nam qui ultimus in pulvere athletico ſtat, victoriam obtinet; omnes enim vicit. Ex his ergo locis apparet, vitam æternam fuiſſe promiſſam in Veteri Teſtamento. Joan. 5. v. 39: *Scrutamini Scripturas*, &c. Ex Lege autem hoc citabat, Deut. 30. v. 16, *Ego præcipio tibi hodie, ut diligas Iehovam Deum tuum, ambulando in viis ejus*, &c. *Vt vivas.* Quod autem vita temporalis hic non promittatur, ſed æterna, patet ex *Marc.* 10. 17. Et, *Luc.* 10. 27. Cui deinde Chriſtus dicit: *recte reſpondiſti, hoc fac, & vives.* Lex autem non poteſt præſtari ab homine, *Galat.* 3. *v.* 10. Ergo vita non poteſt obtineri, quia per Legem nullus juſtificatur apud Deum, *Gal.* 3. *v.* 11. Diſtinguendum igitur inter juſtitiam, quæ eſt ex Lege; & juſtitiam, quæ eſt ex fide. Rom. 10. 5, *Moſes deſcribit juſtitiam*, &c. *Gal.* 3. 11, quæ verba ad *Hebr.* 2. 4.

4. Probatur ex clariſſimis exemplis; quorum unum nobis proponitur, *Hebr.* 11. *v.* 8: *Per fidem vocatus Abraham auſcultavit Deo*, &c. Et, verſ. 10: *Exſpectabat enim civitatem*, &c. Et, verſ. 16: *Atqui meliorem patriam*, id eſt, *cæleſtem, exſpectabat.* Ex hoc loco ſic concludo: Si hæc exſpectatio orta ex fide, tum ſequitur, ipſis promiſſionem factam fuiſſe vitæ æternæ. Ratio conſequentiæ eſt hæc, quia *fides eſt ex auditu*, Rom. 10. 17.

Vtrum Chriſtus aliquid adjecerit ad Legem, & Legem perfectiorem reddiderit?

Quod Chriſtus nihil addiderit ad Legem, oſtenditur, I. Ex fine Legis. Finis Legis duplex eſt: vel ratione integrorum, vel ratione lapſorum. Ratione integrorum finis Legis eſt, præſtare & implere Legem, eaque præſtita & impleta vitam æternam obtinere; ſecundum edictum: *Hoc fac, & vives*; ſcilicet non tantum temporalem, ſed etiam æternam vitam. Ratione lapſorum finis Legis eſt, ut ex ea agnoſcant peccatum: *Per Legem enim agnitio peccati*, Rom. 3. 20. & 7. 7. *Gal.* 3. Et hæc cognitio eſt aliquis finis Legis; ſunt enim plures fines Legis. Si autem Lex non fuit perfecta, tum ſequitur, peccata omnia perfecte non potuiſſe cognoſci ex Lege: atqui hoc abſurdum.

II. Ex natura peccati. Si quædam prohibita non fuerunt in Veteri Teſtamento, quæ Chriſtus prohibuit in Novo Teſtamento ſequitur quædam peccata non fuiſſe peccata in Veteri Teſtamento. *Vbi enim non eſt Lex, ibi nec transgreſſio*, Rom. 4. 15. Joan. 1. Eſaï. 1. 16. Peccatum eſt Legis tranſgreſſio.

III. Spiritus Sanctus oſtendit, talem modum juberi, ad quem nihil potuit addi, *Deut.* 6. 5. *Marc.* 12. 3. Matth. 22. 39: *Diliges Dominum Deum tuum*, &c. Ratione igitur modi nihil potuit addi. Nam omnes res jubet fieri, quæ debent fieri; & prohibet quæ non debent fieri. Vult enim Deus, ut ſimus ſancti & integri, *Lev.* 11. 44. *Lev.* 19. 2. *Lev.* 20. 26. 2 Petr. 1. 15, 16: *Qui vocavit vos, Sanctus eſt.*

Adverſarii, ut probent, Chriſtum adjeciſſe aliquid ad Legem, proferunt *cap.* 5 *Matthæi.* Quæritur autem, utrum Chriſtus hic intelligat Moſis doctrinam, an Phariſæorum; & utrum aliquid adjiciat ad Legem Moſis? vel an potius eam repurget & vindicet à Phariſæorum corruptelis, & falſis interpretationibus? Nos autem affirmamus, Phariſæorum hic Chriſtum intelligere doctrinam, & Chriſtum non adjicere aliquid ad Legem, ſed eam purgare & vindicare à corruptelis eorum. Nam *v.* 19 hujus capitis dicitur: *Quisquis ſolverit unum ex mandatis hiſce minimis, & ita docuerit homines, minimus vocabitur in regno cælorum.* Ex his patet, Chriſtum non loqui de Lege Moſis, ſed de Lege Phariſæorum, à qua diſcipulos dehortatur, & contra hortatur ad ſtudium juſtitiæ majoris, ſcilicet juſtitiæ veræ, qualem Lex præſcripſit. Erant enim hypocritæ Phariſæi, & externe tantum implere Legem ſe ſimulabant; quam hypocriſin ſæpiſſime illis objicit apud Evangeliſtas; *Matth.* 23. Chriſtus deſcribit Phariſæos, Matt. 15. 7: *Hypocritæ*, inquit, *bene*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

bene de vobis prophetavit, &c. Tertio ex eo, quod Chriſtus dicat, verſ.21: *Audiſtis, dictum fuiſſe veteribus*, per quos Veteres non intelligit Moſen, ſed eos Magiſtros, ſeu Doctores, ætatis paulo ſuperioris, qui docuerunt: *Dimittes uxorem tuam, dato illi libello repudii. Odio habebis inimicum tuum*, &c. Quæ in Lege Moſis non habentur.

IV. Conferatur hoc caput cum 6 *Lucæ*, ex quorum collatione patebit, Chriſtum proponere ea, quæ ſunt in Lege. Ea enim quæ *Luc.*6 dicuntur à Chriſto, ut ſententia hæc, *quod tibi vis fieri, alteri feceris*, ex hoc fonte fluit, *Diliges proximum tuum*, &c.

V. Ex connexione *cap.* 5 cum 6. *Verſ.* 1 dicit Chriſtus ad diſcipulos: *Attendite, ne juſtitiam veſtram exerceatis coram hominibus, ſicut hypocritæ Phariſæi faciunt.* Apparet igitur, Chriſtum hic loqui de doctrina Phariſæorum, non autem Moſis. Moſes enim talia nunquam docuit. Ex his jam dictis patet, de illo quid ſentiendum, quod Paulus, *Rom.*7.9, de ſe dicit, quod fuerit aliquando ſine Lege; quod Adverſarii maxime urgent, dicentes: quomodo potuit eſſe ſine Lege, cum teſtetur, ſe diſcipulum Gamalielis fuiſſe? *Reſp.* Sine Lege Paulus fuit, quia corruptam Legis doctrinam habuit; deinde, quia finem Legis ignoravit; prout Phariſæi, qui putaban t, ſe operibus Legis poſſe juſtificari.

Dicunt Adverſarii, ad ſingula præcepta eſſe adjecta quædam à Chriſto; & dicunt, ad primum adjectam eſſe formulam Orationis Dominicæ, & præceptum invocandi Chriſtum.

Antequam ad hoc reſpondeam, de modo orandi pauca quædam dicam. Modus orandi eſt vel ratione *medii*, vel ratione *objecti*. Ratione *medii*: Medium eſt Chriſtus, per quem preces noſtras fundimus, & propter quem exaudimur. Deus enim nobis propitius eſt in Chriſto, in quo omnes Dei promiſſiones ſtabiliuntur, ut Paulus docet, 2 Cor. 1. v. 20: *In Chriſto ſunt, etiam, & amen.* Quæcunque igitur ab initio mundi promiſſiones datæ ſunt fidelibus, in Chriſto fuerunt fundatæ. *Rom.*4. 10, proponitur juſtitia Legis, & juſtitia fidei. Regenerationis initium promittitur in Veteri Teſtamento, *Deut.*30.6, *Circumcidet Iehova animum tuum*, &c. *Ierem.* 31.*v.*33. Hic autem promiſſionem videmus, quæ in Chriſto firmatur, ut dictum. Regenerationis progreſſus, Jerem.31.18: *Converte me, & convertar.* Benedixit igitur Deus, ut Paulus docet, *Eph.*1.3, in Chriſto. *Col.* 2. 13, Paulus ait, nos mortuos in peccatis. Omnia igitur beneficia nobis obveniunt propter Chriſtum, ejuſque mortem pro nobis præſtitam. Modus orandi ratione *objecti*, eſt hic: Quædam objecta quæ petimus, ſunt *ſpiritualia*, *quædam temporalia. Spiritualia* petimus, vel pro nobis, vel pro aliis. Pro nobis petimus ſine conditione. At hic modus orandi fuit in Veteri Teſtamento; David enim ſæpiſſime in Pſalmis ſine conditione precatur Deum: *Condona mihi peccata mea.* Pro aliis autem petimus cum conditione, quia neſcimus utrum ſint Domini, vel utrum ſint electi. Petimus ergo cum conditione: *Domine, ſi eſt ex his, miſerere ejus.* Cognitio enim eſt triplex: Cognitio *Dei de nobis*; & hæc eſt certiſſima, 2 *Tim.*2.19. Cognitio *noſtri de nobis*; & hæc eſt ex parte certa. Cognitio *noſtri de aliis*; quæ incertiſſima eſt. Et hic modus orandi cum conditione fuit ſub Veteri Teſtamento. Moſes enim Deum precatur pro populo, *Exod.*32. Et 1 *Sam.*16.2, luxit Samuel de Saüle. Jeremias, *cap.* 7, orat pro populo, ut Deus, ſi placeat, avertat pœnam. 1 *Ioan.* 5: *Ne orate pro eo, qui committit peccatum ad mortem.* Non igitur orandum abſolute pro aliis. *Temporalium* objectorum genus duplex: Unum, in quo non reſpicitur ad conditionem, *Proverb.* 30.*v.* 8. *Gen.* 28.20. *Gen.* 32. cum Eſau ipſi obviam procederet. Alterum, in quo ad conditionem reſpicitur; quod genus precationis in Veteri Teſtamento etiam fuit; 2 Sam. 16.12: *Fortaſſe reſpiciet Iehova ad afflictionem meam*, &c. 1 Sam. 3.v.18, *Iehova eſt; quod bonum videbitur*, &c.

Probant Adverſarii, adjectam eſſe formulam Orationis Dominicæ, ex eo, quod petamus in ea Oratione, *Remitte nobis debita noſtra*, &c. Quod in Veteri Teſtamento non fuit petitum. Nam lex erat lata, *Exod.*21.24, ut redderetur vita pro vita, oculus pro oculo, &c. *Reſp.*

Quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Quod hæc doctrina propoſita fuerit in Veteri Teſtamento, oſtendam ex Sacra Scriptura, Exod. 23. v. 4, 15: *Si offenderis bovem inimici tui*, &c. Hinc jam manifeſte apparet, propoſitam fuiſſe hanc doctrinam, *Levit.* 19, *v.* 18: *Ne ulciſcitor, neque iram aſſervato in populares*, &c.

Sed quærunt Adverſarii, quomodo hæc loca ſint concilianda: *Exod.* 23, & *Deuteron.* 19. *Reſp.* Diſtinguitur inter peccata: quorum quædam ſunt ex *petulantia*, quæ Deus vult puniri; quædam autem ex *ignorantia*, quæ quibuſdam vult condonari.

Deinde dicunt Adverſarii, quod licuerit in Veteri Teſtamento imprecari; in Novo Teſtamento non. *Reſp.* Oſtendam, quod etiam in Novo Teſtamento quidam homines ſint corrigibiles circa hoc judicium, vel ex generali cauſa, vel ex ſpeciali. Ex generali cauſa imprecatur Paulus, Gal. 5. 12, *Vtinam abſcindantur*, &c. 1 Tim. 1. v. 20: *Ex quibus Hymenæus & Alexander, quos tradidi Satanæ.* Sic in oratione Dominica precamur; *libera nos à malo*; non autem tantum à malo, ſed etiam hujus mali adminiſtris, quibus ita tacite imprecamur; nam volumus eos tolli. Ex ſpeciali cauſa, quando Sancti Dei homines norunt ex revelatione Spiritus Sancti, homines plane eſſe incorrigibiles; ut Paulus, Act. 13: *O plene omni dolo, & ad quodvis ſcelus propenſe*, &c.

Quod ad præceptum invocandi Chriſtum, quod dicunt eſſe additum; oſtendam, Chriſtum etiam invocatum fuiſſe in Veteri Teſtamento.

1. Ex hoc fundamento: In Eſſentia Divina ſunt plures Perſonæ, quam una; quod patet, *Gen.* 1. 26. *Gen.* 3. 22. *Eſaï.* 48. 63. Hæ tres Perſonæ vocantur Jehova Exercituum; ſequitur ergo, Chriſtum invocatum fuiſſe in Veteri Teſtamento.

2. Ex hoc, quod eadem quæ Spiritus Sanctus in Veteri Teſtamento tribuit Deo, tribuat in Novo Teſtamento Filio, & Spiritui Sancto indiſcriminatim; ut, *Eſaï.* 6, ait Eſaïas, *Vidi Dominum inſidentem ſolio celſo & elato*; quod applicatur Chriſto, *Ioan.* 12. 41. *Eſaï.* 45. 23, dicit Jehova: *Per me juravi*, &c. Quod transfertur ad Chriſtum, *Rom.* 14. *Daniel.* 9. 17: *propter Dominum.*

Heic nonnulla deſiderantur.

Si pecuniam mutuo dederis populo meo, pauperi ipſi, qui eſt tecum, ne eſto ei tanquam fœnerator, ne imponito ei uſuram ullius rei, Deut. 23. v. 19.

Secundum medium extraordinarium erat annus iſte quinquageſimus, quo promulgabatur libertas in ipſa terra omnibus habitatoribus ejus, *Levit.* 25. 10, 11.

Tertium medium extraordinarium erat annus Sabbaticus, quo non licebat agrum ſeminare, neque vineam putare, *Deut.* 25. 4, 5.

Quartum medium extraordinarium erat annus tertius, Deut. 14. v. 28, 29: *A fine trium annorum depromito omnes decimas*, &c. De hoc anno tertio vide etiam *Deut.* 26. 12. & ſeq.

Quintum medium extraordinarium erat ſpicilegium, ut videre eſt, *Levit.* 19. 9, 10. *Cum metitis meſſem terræ veſtræ, ne prorſus demetito*, &c. *Deut.* 24. 19.

Modus quo improbantur divitiæ, tum quoad *acquiſitionem*, tum quoad *uſum*. Modus malus acquirendi duplex nobis proponitur: *Rapina*, & *Avaritia*. Rapina eſt, vel *Occulta*, vel *Aperta*. Occulta iterum, vel *Doloſa* mercatura, vel *Munerum captatio*, vel *uſura*. Quoad doloſam mercaturam, illa improbatur, *Amos* 8. 5, 6, 7. Munerum captatio, *Zach.* 7. 10, 11. Uſura triplex eſt: *Lucratoria*, *Compenſatoria*, & *Punitoria*. Duæ poſteriores non ſunt illicitæ. In lucratoriam Spiritus Sanctus detonat, *Exod.* 22. 25. *Deut.* 23. 19. *Pſalm.* 15. 5, excluditur è regno Dei. Vide ſimilem locum, *Ezech.* 18. 8. Sequitur rapina aperta; qui hac utuntur, illis minatur Deus *Hebr.* 2. 8. *Deut.* 25. Alter modus eſt avaritia. In avaros autem detonat Deus, Eſaï. 3. 8. *Væ conjungentibus domum domui.*

Uſus ſequitur, vel potius abuſus, qui oritur ex defectu, ſcilicet ex avaritia vel diffidentia; vel ex exceſſu, ſcilicet ex ſuperbia & luxuria. De avaritia jam actum. De diffidentia, quomodo improbetur, vide *Matth.* 6. De ſuperbia, *Dan.* 4, ubi Nabuchodonoſor punitur à Deo.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

à Deo. De Luxuria, *Luc.* 12. *v.* 16, 17. Vide legem latam à Deo de comeſſatoribus & ebrioſis, *Deut.* 21. 18.

Objiciunt Adverſarii locum, qui eſt 1 *Tim.* 6. 8, *Habentes alimenta, & quibus tegimur, hæc nobis ſatis erunt.* Ergo non licet quærere divitias. *Reſp.* Conſequentia vana, & tollitur enſtaſibus, 1 Cor. 7. 21: *Servus vocatus es? ne ſit tibi curæ*; Ergo libertas mala erit? Verùm diſtinguo. Nam Spiritus Sanctus oſtendit, quæri divitias, vel ſtudio ſummo, & amore divitiarum; & hoc illicitum: vel acquiri divitias non ſtudio earum, ſed cum laboribus manuum noſtrarum benedicit Deus, ut apparet in praxi Sanctorum Patrum & Patriarcharum, quorum laborem conſecutæ ſunt divitiæ; & hoc eſt licitum.

Pontificii & Sociniani diſtinguunt inter Præcepta Legis & Evangelii. Dicunt enim, Evangelii præcepta eſſe nova & peculiaria ad mores. 1. Quia Chriſtus negationem ſui præcipiebat, quæ non erat mandata in Veteri Teſtamento. *Reſp.* Probandum, Deum etiam ſui abnegationem præcepiſſe in Veteri Teſtamento, 1 *Sam.* 24. Saül Davidem perſequens in manus Davidis incidit; ibi abnegatio laudatur, quia David poterat manus Saüli inferre, & tamen inhibet ſe, quod eſt ſe ipſum abnegare. 2. Dicunt Adverſarii, in Veteri Teſtamento non fuiſſe crucem. *Reſp.* Falſum hoc. Duplex enim ſpecies eſt crucis: Animæ, & Corporis. Crux animæ, eſt conſcientiæ afflictio, quæ non tantum in reprobos, ſed etiam in electos cadit, *Pſal.* 52. 23, *Exciſus ſum à conſpectu oculorum tuorum.* Pſal. 42. 6, *Quid dejicis te, anima mea?* Diſtinguendum eſt inter ipſam crucem, & moram crucis. Crucem ipſam non jubemur ferre, ſed jubemur ferre moram crucis; id eſt, exſpectare jubemur, ſi Deus auxilium differat. Exemplum in Davide, *Pſal.* 73; ubi jubetur, ut patienter omnia ferat. Crux corporis oritur vel ex jactura bonorum, vel ex aliis; & hæc hominibus erat præcepta.

Jam tertio & ultimo, de imitatione Chriſti dicunt Sociniani, non præceptum fuiſſe in Veteri Teſtamento, Chriſtum imitari; Ergo dicunt, præcepta Evangelii eſſe nova. *Reſp.* limitando, ſi ea, in quibus jubemur eum imitari, tantum in Novo Teſtamento proponantur & præcipiantur: jam hoc falſum eſt. 2. *Reſp.* Si nec in genere, nec in ſpecie, in Veteri Teſtamento jubemur. Licet in Veteri Teſtamento non jubeamur in ſpecie, ut in Novo; jubemur tamen in genere. Deus enim in Veteri Teſtamento laudat filios, qui ſequuntur veſtigia patrum ſuorum. Si ergo in Veteri Teſtamento jubemur imitari bonos, ergo debemus maxime imitari optimum.

Obj. 1 Joan. 3. 16: *Per hoc novimus caritatem Dei*, &c. Et, Joan. 13. 34: *Mandatum novum do vobis.* Ex his locis volunt Sociniani & Pontificii probare, quædam adjecta eſſe ad præcepta Evangelii. *Reſp.* ad primum: Deus non dat ibi novum mandatum, cum dicit, nos debere animas ponere pro fratribus, ſicut Chriſtus fecit. Quod probo, quia David voluit ponere pro toto exercitu, cum pugnaret cum Goliath; Abraham pro Loth. *Reſp.* ad ſecundum: Novum vocatur reſpectu vindicationis ejus mandati à corruptelis.

Timor Dei & preces, contra Socinianos, etiam fuerunt in Veteri Teſtamento. *Daniel.* 9. *Eſther.* 8. Nec Cœna Domini in Veteri Teſtamento fuit nuda cerimonia, quia nuda cerimonia poteſt mutari; 1 Cor. 11, *Retine, donec venerit:* Ergo Cœna Domini non eſt nuda cerimonia.

Quædam jubentur in Lege abſolute, & obligamur ad ea abſolute; ut, *Diliges Deum, & proximum*: quædam vero ſunt in Lege, ad quæ obligamur, cum actu jubentur; ut, ad Cœnam Domini, & ad doctrinam Evangelii, nos etiam obligamur per Legem.

An fiamus participes in Cœna Domini Corporis Chriſti?

Affirmativa ſententia probatur ex tribus hiſce fundamentis.

Primum eſt, quod participes fiamus Corporis Chriſti, non tantum in Cœna Domini, verum etiam extra uſum Cœnæ Domini: ut colligi poteſt, *Ioan.* 6. *v.* 35; dixit Jeſus, *Ego ſum panis ille vitæ.* Et hoc extra uſum Cœnæ in Verbo, ut ex ipſis colligi poteſt.

Secundum ex analogia ſigni cum ſignato; quam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

quam nobis dat Spiritus Sanctus; ponit enim os corporeum, quo ſumitur panis & vinum, & ponit os ſpirituale, quo fides denotatur. Nam fides recipit Chriſtum, poſtquam homo ſumpſit panem ore, tum facultas nutriens concoquit, mutat in ſubſtantiam. Huic facultati opponitur Spiritus Sancti operatio, quâ eſt efficax in cordibus noſtris.

Tertium ex effectis; quæ ſunt duplicis generis, ut & cauſæ. Quædam enim ſunt cauſæ, quarum effectus extra ipſas jubeor credere, quod peccata mihi remiſſa ſint; & hic effectus talis eſt, qui non poteſt eſſe extra Chriſtum.

Sed *objicitur:* Quomodo corpus ſpiritualiter percipi poteſt, cum Spiritus Sanctus ſpiritualiter accipiatur? *Reſp.* Iſta phraſis, Corpus debet corporaliter percipi, dupliciter accipi debet; vel enim percipitur ut eſt; & hunc ſenſum nos probamus: vel quod eſt corpus, debet ſemper corporeo inſtrumento percipi; quod falſum eſſe ſic oſtendo: Nobis communio cum ſanctis Dei hominibus, & tamen corporeo inſtrumento non eſt opus. Sic & cum Chriſto, qui verè homo eſt, & caput noſtrum, *Hebr.* 12. 22: *Acceſſiſtis ad montem Sion, & Civitatem Dei vivi*, &c.

Hic aliquot pagellarum hiatus eſt.

Notam fuiſſe veteribus & Prophetis in Veteri Teſtamento vitam æternam, probo, 1. Ex Nativitate Chriſti, quam notam ipſis fuiſſe, patet ex *Matt.* 17. 22: *Totum hoc factum eſt, ut impleretur, quod ait Dominus per Prophetam Eſaiam, Ecce virgo.* 2. Ex fine nativitatis Chriſti, quem ipſos ſciviſſe, patet ex Simeonis verbis, *Luc.* 2. 30, 31, 32: *Viderunt oculi mei ſalutem tuam.* Prophetæ maximè deſiderârunt videre Jeſum Salvatorem, ut videre licet, *Eſa.* 64. 6: *Vtinam lacerares* &c. 3. Ex morte Chriſti, quam ipſis notam fuiſſe liquet: & cui bono mors iſta Chriſti futura fuerit, patet ex *Daniel.* 9. 24, & ſeqq. Ex Eſai. 53. 5: *Ipſe doloribus jam afficitur ex noſtris defectibus*, &c. 1 *Petri* 1. 9, 10: *Reportantes mercedem fidei veſtræ*, &c. 4. Patet ex Reſurrectione Chriſti; quam ipſos non ignoraſſe, patet ex *Act.* 2. *Ex Pſal.* 16: *Non ſines ſanctum tuum. Ioh.* 2. 22, dicitur de Apoſtolis, quod nondum crediderant Scripturis, videlicet, quòd oporteret eum à mortuis reſurgere. Scriptura autem iſta fuit Vetus Teſtamentum; quia Novum Teſtamentum nondum erat; & *Luc.* 24. 25. dicit Jeſus diſcipulis euntibus Emaüs: *O amentes & tardi!* &c. 5. Ex aſcenſione in cælos, quam Paulus, *Eph.* 4. 8, probat ex *Pſal.* 68, 19: *Cum aſcendiſſet in ſublime*, &c. Hæc manifeſtè oſtendunt, veteribus & Prophetis in Veteri Teſtamento notam fuiſſe vitam æternam. 6 Argumentum duco ex morte Chriſti æterna; quid autem æterna mors ad confirmandam doctrinam? Proinde Chriſtus paſſus fuiſſet fruſtra mortem æternam, ſi ideo tantùm eſſet redemptor, &c.

Sed negant Sociniani, Chriſtum paſſum eſſe mortem æternam. Probo autem hoc:

I. Ex cauſa, quam Chriſtus in ſe attraxit. Theologi hanc Regulam habent: Si conditio impletur, illud etiam impleri oportet, quod Deus vel minatur, vel promittit. Jam autem Deus minatus eſt primis parentibus: *ſi comedatis, morte moriemini.* Oportet ergo aut hominem hanc mortem ferre, aut alium aliquem. Homo autem ferre non poteſt; oportuit igitur alium vice hominis ſuſtinere hanc mortem æternam; qui eſt Chriſtus Jeſus. Quod autem Chriſtus cauſam noſtram in ſe attraxerit, patet ex *Eſai.* 53. 5: *Ille atteritur iniquitatibus noſtris*, &, verſ. 10: *exponit ſeipſum ſacrificium pro reatu.* 2 Cor. 5. 21: *fecit, ut qui non novit peccatum, pro nobis eſſet peccatum.* Gal. 3. 13: *Chriſtus nos redemit ab execratione legis, dum pro nobis factus eſt execratio.* Objicere poteſt aliquis, Quòd conditione impletâ, etiam minæ, ſive promiſſiones, impleantur, quare igitur non ſtatim mortuus eſt Adamus? *Reſp.* Mors erat quadruplex: *Corporea, ſpiritualis, afflictionum*, & *æterna.* Morte corporea, & afflictionum, & æternâ, non mortuus eſt initialiter; ſpirituali autem ſtatim omninò mortuus eſt.

II. Probo ex comparatione eorum, quæ Adam, & quæ Chriſtus, dicitur feciſſe. Si Adam nos involvit æterno exitio, Chriſtus autem tantùm mortem temporariam paſſus eſt, tum hæc comparatio nulla eſt.

III. Ex ipſa natura Chriſti, quæ ſe exeruit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Legimus enim apud Evangeliſtas, quod ſudorem ſanguineum emiſerit præ nimia anxietate, adeò ut Angelus de cœlo deſcenderit ad conſolandum ipſum. Et legimus, quòd in cruce clamârit: *Deus mi, Deus mi, quare me deſeruiſti!* Hæc certè oſtendunt, ipſum mortem non tantùm temporalem, ſed æternam etiam paſſum eſſe.

Objicit Socinus: Si mortem æternam paſſus eſt, quomodo potuit eluctari? *Reſp.* Paſſus eſt mortem æternam *naturâ & eſſentiâ*, non *duratione.*

IV Argumentum eſt: Si vera ſententia hæc Socini, tum ſequetur neceſſariò, quod magis dicemur doctrinâ Chriſti redemti, quam Sanguine ejus. Illud autem falſum; quod patet ex Sacra Scriptura. Nam, 1 *Ioan.* 1. 7, legitur, quòd *Sanguis Ieſu Chriſti purget nos ab omni peccato.* Et *Apoc.* 1, dicitur Chriſtus nos *laviſſe à peccatis noſtris per Sanguinem ſuum.* 1 *Petr.* 18. 19: *Non caducis rebus, ſed Sanguine ejus*, &c.

VII. A miraculis. Si ſanguis & mors Jeſu Chriſti dicuntur redemiſſe ideo, quia confirmant doctrinam; tum multò magis miracula poſſunt dici redimere, quia magis confirmant. Videmus enim, quòd mors & ſanguis Chriſti nihil poſſunt apud irregenitos, nec apud regenitos nondum benè confirmatos, ut *Luc.* 24. 21. Diſcipuli iſti euntes Emaüs dicunt: *Nos ſperabamus illum eſſe, qui redempturus erat Iſraëlem*; Sed miracula plurimum poſſunt apud irregenitos, ut videre licet, *Ioan.* 9, ex cæco, cujus oculos Chriſtus aperuit, quem irregenitum fuiſſe patet ex textu; qui, cum diu contra Phariſæos diſputaſſet, tandem inquit, v. 33: *Niſi eſſet hic à Deo, non poſſet tale quidquam facere.* Sic *Daniel.* 3, cum tres iſti juvenes in fornace ſervarentur, Rex Nabuchodonoſor Deo gloriam reddit, verſ. 28: *Benedictus ſit* &c. & *Daniel.* 5: Cum Daniel, à proceribus violationis mandati Regii accuſatus, in foveam leonis detruderetur, & à Deo ſervaretur, ſcripſit Rex omnibus populis: *A me proponitur decretum* &c. Sic Centurio, & qui cum eo erant, *Matt.* 27. 34. Ex his jam manifeſtum eſt, quod irregeniti magis confirmentur miraculis, quàm morte & Sanguine Chriſti.

VIII Argumentum eſt hoc: Si ſacrificia & pecudes in ſacrificiis, offerebantur vice noſtri, tum conſequitur neceſſariò, Chriſtum etiam vice noſtri mortuum eſſe; quia hæc ſacrificia fuerunt typi Chriſti.

Negant autem Adverſarii, quod ſacrificia fuerint typi; ſed quod fuerint, oſtenditur, *Levit.* 17. 11: *Ego deſtinavi ſanguinem pro vobis in altari*, &c. Deinde negant, quod ſacrificia præfigurârint mortem Chriſti; ſed ego probo:

1. Ex eo, quod cultus iſte corporeus, ſive macellarius, & per ſe ſordidus, non placuerit ex ſe & per ſe Deo, ſed propter hoc, quod præfiguravit cultus iſte mortem Chriſti futuram. 2. Probatur ex eo, quod attribuatur ſacrificiis iſtis expiatio peccatorum, *Levit.* 19. 11. *Hebr.* 10. 11. Paulus autem dicit: *Omnis Sacerdos adſtat quotidie*, &c. Hic videtur eſſe contrarietas aliqua in locis citatis; Scriptura autem nunquam ſibi contrariatur. Negat ergo Spiritus Sanctus expiare peccata proprie; typice enim expiant, ut patet ex Scriptura. 3. Oſtenditur ex ceſſatione Sacerdotii, ſacrificiorum & aliarum cerimoniarum ex adventu Chriſti. Ex quo ſequitur, quod illa ſacrificia, & aliæ cerimoniæ, præfigurârint Chriſtum, & quod Chriſtus fuerit hoc, quod præfigurabatur.

Objiciunt I Adverſarii: Si Deo ſatisfieri oportuit morte Chriſti, ſequitur, quod Deus Pater magis ſit juſtus, quàm Chriſtus; & quod Chriſtus magis ſit miſericors, quàm Pater. At hoc ineptum eſt ſtatuere. *Reſp.* Si nos oſtendamus, infinitam eſſe utriuſque miſericordiam, tum patebit, argumentum hoc nullius eſſe momenti; quod enim infinitum eſt, gradus non admittit. Infinitam autem eſſe miſericordiam Patris, oſtenditur ex eo, quod velle condonare peccata demerito infinita, ſit eſſe infinitum miſericordiâ, & non tantum velle condonare, ſed etiam velle ſubminiſtrare tale medium, per quod peccata commodè tolli poſſint. Infinitam eſſe etiam miſericordiam Filii, patet ex eo, quod ſemet ipſum obtulit ſacrificium pro peccatis noſtris. Iuſtitia Patris & Filii etiam infinita eſt. Pater noluit condonare peccata ſine ſatisfactione à Chriſto præſtanda Chriſtus noluit condonare peccata ſine ſatisfactione à ſe præſtita.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Obj. II: Poteſt Deus remittere ſine ulla ſatisfactione. Nam quilibet privatus poteſt de jure ſuo, ſi offenſus ſit, remittere. Ergo multò magis judex univerſi orbis. *Reſp.* Conſequentia nulla; quod ex diſtinctione juris patet. Diſtinguitur enim in jus Poteſtatis, & Dominii. vide Colleg. Maccov. Diſp. ult. pag. 4.

Obj. III: Si, antequam Chriſtus naſceretur & mortuus eſſet, Deus erat placatus; tum ſequitur, Deum non morte Chriſti placatum: quòd autem placatus fuerit, patet *Ioh.* 3. 16. Antequam reſpondeam ad argumentum, oſtendam quod Deus fuerit iratus generi humano; 1, Argumento generali, quod eſt hoc: Spiritus Sanctus teſtatur, *Rom.* 5. 6, Quod Chriſtus, cum nullis adhuc viribus eſſemus, pro nobis mortuus ſit. Quid autem ſit, nullis eſſe viribus, oſtenditur, *Gen.* 6. 5: & 8. 21: *Omne figmentum* &c. Jam verò qui nunquam non malum cogitant, illos odit Deus; & quos odit, illis iraſcitur. Vel ſic argumentari poſſum: Omnia quæcunque irregenitus facit, vel ſunt natura peccatum, vel per accidens; quia nihil facit ex fide, & quod ex fide non eſt, peccatum eſt, *Rom.* 14. 23. & *Heb.* 11. Specialia argumenta, quorum primum ſumo ex *Rom.* 4. 48; *Commendat ſuam erga nos caritatem Deus*, &c. Hinc tale argumentum: Si Chriſtus pro nobis mortuus eſt, cum adhuc peccatores eſſemus, tum ſequitur, quod Deus nobis fuerit iratus; quia Deus peccatores non audit, ſicut *Ioh.* 9. 31, cæcus ille teſtatur. & *Eſai.* 59. 1, 2: *Non eſt brevior manus Iehovæ*, &c. Alterum ſpeciale argumentum, ex *Rom.* 15. 10: *Si, cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo*, &c. Jam qui ſunt inimici Deo, illos Deus odit; at homines irregeniti ſunt inimici Deo. E. Inimicitia autem hæc ex carne, *Rom.* 8. 7: *Quod ſapit caro, inimicitia eſt adverſus Deum; legi enim Dei non ſubjicitur.* Tertium Argumentum ſpeciale, eſt *Ioh.* 3. 36: *Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui vero non obtemperat Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum.* Atqui multi irregeniti non credebant, pro quibus tamen Chriſtus eſt mortuus. Ira autem tollitur non niſi per Chriſtum; *Rom.* 8: *Nulla condemnatio iis, qui ſunt in Chriſto Ieſu.* His ita præmiſſis, reſpondeo ad argumentum: Deus erat placatus, antequam naſceretur Chriſtus. Placari eſt affectus: at affectus nullus in Deum cadit. Proinde placatum eſſe, nihil aliud eſt, quàm juſtitiæ Dei ſatisfactum eſſe; Iratum eſſe, Juſtitiæ Dei nondum ſatisfactum eſſe. Reducendæ igitur ſunt impropriæ locutiones ad proprias.

Obj. IV. *Ezech.* 18. 4, & 20: *Anima quæ peccavit, ipſa morietur.* *Reſp.* diſtinguendo: Deus judicia ſua aliquando exercet ex eo, quod poſſit, ſecundùm abſolutam ſuam poteſtatem; aliquando ex eo, quòd velit, etiamſi plura poſſit. Reſponſionem hanc claram eſſe patet ex eo, quod aliquando liberi puniantur, etiamſi in peccatum parentum non conſenſerint: ut *Ioſ.* 9. 11, Iſraëlitæ propter ſcelus Achanis ceduntur. Sic filii Saulis, 2 *Sam.* 21, ſuſpenduntur innoxii. Sic etiam peccatum communis noſtri parentis nobis omnibus imputatur, & plurimi propter hoc æterna morte puniuntur; ut infantes iſtorum, qui à fœdere Dei alieni ſunt. Sic quoque poſteri propter peccata parentum aliquando puniuntur, ut, *Apoc.* 2, Spiritus dicit Epheſinæ Eccleſiæ: *memor eſto, unde excideris, & reſpice*, &c.

Vtrum Chriſtus ſit vere & proprie Sacerdos, an metaphorice.

Quòd Chriſtus verè & propriè ſit ſacerdos, probatur, I. Ex definitione veri Pontificis & veri Sacerdotis, quæ eſt *Hebr.* 5. 1: *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur, in iis, quæ apud Deum agenda ſunt, ut offerat donaria & victimas pro peccatis.* Sub hanc ipſam definitionem trahit Paulus ſacerdotem noſtrum Jeſum Chriſtum; conſequitur ergo neceſſario, eum eſſe vere & proprie Sacerdotem.

II. Probo ex genere, à quo Spiritus Sanctus argumentatur eodem *cap.* 5 ad Hebr.: *Omnis Pontifex debet habere quod offerat.* Chriſtus autem habuit quod obtulit; ergo fuit verè & propriè Sacerdos & Pontifex.

III. Ex ipſa ſpecie, quæ datur *Hebr.* 7: Chriſtus eſt Sacerdos ſecundùm ordinem Melchizedeci. Hinc tale argumentum formari poteſt:

Qui eſt alicujus certi ordinis, ita ut ordo iſte ſit propriè dictorum Sacerdotum, ille eſt verè & propriè Sacerdos. At Chriſtus. Ergo.

Huic tertio fundamento argumenta duo ſubtexam: 1. Si Chriſtus eſt ſacerdos metaphoricè, tum nulla ratio dari poteſt, quare non æquè ordinis Aharonis ac Melchizedeci eſſe dicatur. 2. Quando impropriè aliquis ſacerdos dicitur, tum nulli ordini adſcribitur.

IV. Probo ex comparatione inter ſacerdotium Aaronicum & Melchizedechiacum, *Hebr.* 7, ad c. 10. Metaphorica autem non comparantur cum propriè dictis.

Obj. Chriſtus non fuit propriè dictus ſacerdos, quia ſacerdos legalis in terris erat, & ingrediebatur in Sancta Sanctorum, offerens ſacrificia. Chriſtus autem in terris ſacerdos non fuit, quia ingreſſus in Sancta Sanctorum, id eſt, in cælum, & obtulit ſemet ipſum in cælo. *Reſp.* Antequam ad argumentum reſpondeatur, ſciendum eſt, quid fuerit Sanctum Sanctorum, quod ex Epiſt. ad *Hebr.* 9, facilè cognoſci poteſt. Quod autem ad illationem attinet, non omnis ſacrificii ſanguis inferebatur in Sancta Sanctorum, ut videre eſt, *Levit.* 16. quorundam enim inferebatur, quorundam nec in Sancta Sanctorum, nec in Sancta inferebatur. Quædam enim ſacrificia fiebant pro toto populo, & horum ſanguis inferebatur in Sancta Sanctorum; quædam autem pro Principe & privato & vulgo; & horum ſanguis nec in Sancta Sanctorum, nec in Sancta inferebatur, ut *Levit.* 4 videre licet.

Probabo autem, quod oblatio in terris à Chriſto facta ſit, *Eph.* 5. 2: *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum,* &c. Dicunt Sociniani, quod illa verba, *oblationem & victimam Deo,* non debeant conjungi cum verbo *tradidit*, ſed quod ſic intelligi debeant: Iſtud tradere Chriſti eſt oblatio & victima Deo in odorem bonæ fragrantiæ.

Sed inepti ſunt. Nam verba illa ſunt accuſativi caſus, debent ergo neceſſariò conjungi cum verbo aliquo. 2. Dicunt quod verbum *tradidit* non ad mortem referri debeat, ſed ad cultum; verùm falſum hoc eſſe patet ex eo, quod verbum iſtud, *Tradidit*, quoties tribuitur Chriſto, ſemper referri debeat ad mortem, ut *Rom.* 4. verſ. ult. *Chriſtus traditus in mortem propter lapſus noſtros*, Gal. 2. 20.

II Locus ad probandum, eſt Heb. 1. 3: *Chriſtus purgatione peccatorum noſtrorum per ſe ipſum factâ, ſedet ad dextram majeſtatis illius.* In Græco textu habetur participium præteritum ποιησάμενος. ſequitur ergo, quod oblatio facta ſit non in cælo, ſed in terra. Huic loco ſimilis invenitur in eadem Epiſtola ad Heb. 9. 12: *Per proprium ſanguinem ingreſſus*, &c. Redemtio & purgatio facta per illationem; ſequitur ergo, oblationem factam eſſe in terris.

Sed urgent Adverſarii ad hunc locum, quod nulla mentio hic fiat iſtius, an in cælo, vel in terra, hæc purgatio facta ſit. *Reſp.* Vanum hoc eſſe; dicitur enim, quod *purgatione factâ* ingreſſus ſit.

III Argumentum ex cap. 7. 71: *Hoc enim fecit ſemel, cùm* &c. & 9. 12. & 11. 14, *unicâ oblatione.* Cumque hiſce junguntur ea, quæ leguntur in c. 9 ad *Hebr.* à v. 22, ad finem uſque, nempè quod oblatio fuerit cruenta, & plurima alia, quæ legi poſſunt, ubi manifeſtè oblatio conjungitur cum morte.

IV Argumentum ſumi poteſt ex agno Paſchali, qui typus erat Chriſti. Chriſtus enim vocatur Agnus, & confertur cum Agno, *Ioh.* 1. 26. Johannes intuitus Jeſum ambulantem, dixit: *Ecce Agnus Dei.* 1 *Cor.* 5. 7. Paſcha autem, ſive Agnus Paſchalis, mactabatur & immolabatur; mactari enim nihil aliud quam immolari. *Et mactabatur agnus Paſchalis, inter duas veſperas*; ut videre licet *Exod.* 12. 6.

Sed dicunt Adverſarii, Quòd mactatio fuerit præparatio ad ſacrificium, ſed non ſacrificium ipſum. *Reſp.* Petunt principium. Contrarium enim jam probavimus. 2. Negant adverſarii, quòd omnia ſacrificia repræſentaverint Chriſtum, & quòd fuerint typus venturi Chriſti.

Generalium argumentorum primum affertur ex cultu, qui certè natura ſua & per ſe non fuit gratus Deo, quia ipſe cultus fœdiſſimus fuit: igitur gratus Deo propter Chriſtum, quem repræſentabat.

2 Sumitur ex illis quæ de pecude, & quæ de Chriſto, dicuntur. De pecude legitur,

Levit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Levit. 16, 21. 22, Quod hircus portaverit in ſe omnes iniquitates, & quod fuerit mactatus. Sic legitur de Chriſto, *Eſai.* 53, 6: *Iehova fecit ut incurrat in eum iniquitas*, &c. & *Daniel.* 9. 26: *Exſcindetur Chriſtus.* Videndum autem an non tribuantur hæc eodem modo utrique? Quòd non eodem modo, patet ex *Hebr.* 10. 4: *Non poteſt ſanguis taurorum aut hircorum auferre peccata.* Spiritus autem Sanctus ſibi non contradicit: Sequitur ergò, quod uni tribuatur ut typo; alteriut, antitypo.

3. Ex ceſſatione; poſtquam enim Chriſtus eſſet paſſus, Apoſtoli non utebantur ſacrificiis; & oſtendebant, quod jam non eſſet opus ſacrificiis, ut videre licet *Act.* 2. 38. Ubi Petrus ad eos, qui quærebant, *Quid faciemus?* ait, *Reſipiſcite, & baptizetur unuſquisque*, &c. *Act.* 6. 7. *Sermo Dei creſcebat. Act.* 15, Quæſtio de Circumciſione propoſita deciditur ab Apoſtolis. Et Paulus, *Gal.* 4. 19, dicit: *Nunc, cum cognoſcatis Deum, imò potius cogniti ſitis à Deo, quomodo convertetis vos retrorſum*, &c. Sic, 1 Ioh. 1. 7: *Sanguis Jeſu Chriſti* &c. 1: *Petr.* 1. 18, 19: *Vt qui ſciatis, nos non caducis rebus*, &c.

Speciale argumentum ſumitur ex agno Paſchali, quem fuiſſe typum Chriſti, probo ex *Ioh.* 19. 33: *Non fregerunt oſſa ejus, ut impleretur quod ſcriptum eſt, Exod.* 12. 46. *Num* 9. 12. Et ſicut Angelus pepercit eis, quorum domus ſanguine aſperſæ; Sic ira Dei non manet in ipſo, qui Sanguine Chriſti purgatus.

Objiciunt Adverſarii locum, *Hebr.* 9. 24: *Non in manu factum ſacrarium*, &c. *Reſp.* Diſtinguendo illationem, quæ eſt vel *mactationis*, vel *repræſentationis*.

Sequitur Officium Regium Chriſti. Antequam de illo aliquid monet, præmittit hanc quæſtionem:

Vtrum Chriſtus propriâ Virtute reſurrexerit?

Adverſarii negant; Nos affirmamus, & ſententiam noſtram probamus,

I. Ex patratione miraculorum, quæ ipſum propriâ virtute patraſſe, patet ex *Ioh.* 10. 36, 37, 38: *Vos dicitis me blaſphemare, quia dixi, Filius Dei ſum. Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi: ſi vero* &c. & illa poteſtate edebat miracula, ex quibus cognoſcebatur Filius Dei. Modus operandi oſtenditur, *Ioan.* 5. 18, 19: *Volebant eum trucidare Iudæi, quia Deum dixerat Patrem ſuum* &c. quibus reſpondit, *Amen*, &c.

II. Probatur ex eo, quod dicatur ſecundum quid mortuus, ſecundum quid autem vivere, ut videre eſt 1 *Petr.* 3. 18: *Chriſtus ſemel pro peccatis paſſus fuit, juſtus pro injuſtis, ut nos ad Deum adduceret*, &c. *Factus ex ſemine Davidis ſecundum carnem*, Rom. 1. 3.

III. Probatur ex effectis. Legimus enim *Ioan.* 2. 15, *& ſeqq.*, quod Chriſtus, cum omnes venditores è templo ejeciſſet, dixerit: *Deſtruite Templum hoc*, &c. Ex hoc loco manifeſtiſſime apparet, quod propria virtute reſurrexerit. Omnium autem manifeſtiſſime ex loco iſto, qui eſt *Rom.* 1. 4.

Obj. Act. 2. 14: *Chriſtum Deus ſuſcitavit.* Ergo non propria virtute. *Reſp.* Vanum hoc eſt. Nam dicitur Deus Chriſtum ita ſuſcitaſſe, ut ſimul ſe ipſum ſuſcitaſſe dicatur. Sed contra rurſus hoc objici poteſt. Si Chriſtus ſe ipſum excitavit, tunc nec Deus Pater, nec Spiritus Sanctus, eum ſuſcitarunt. *Reſp.* Opera vel ſunt λόγȣ ad humanam naturam, vel λόγȣ abſolute.

An Chriſtus Rex fuerit ante paſſionem?

Præmittenda diſtinctio Regni; Chriſtus enim obtinet Regnum vel jure creationis, vel jure redemptionis. *Matth.* 2. 2, dicunt Magi: *ubi eſt ille Rex Iudæorum?* verſ. 5, 6: *Scriptum eſt per Prophetam*, (Mich. 5. 2:) *Et tu Bethlehem* &c. Fuit igitur Rex cum naſceretur; *Pſal.* 26.

Sed dicunt Adverſarii, quod non habuerit imperium in Angelos. Quod autem habuerit, probatur ex eo, quod Creator ſit Angelorum, *Col.* 1. 16. Regerunt Adverſarii, quod facere Chriſtus poſſit, ut res talis fiat. *Reſp.* Ubicunque tale quid eſt, ſubjectum abſolute ponitur; ut, cum Deus Chriſtum feciſſet Dominum; hic ſubjectum additur.

Secundo, ex eo probatur, quod habuit imperium in malos Angelos; ut paſſim in Evangelio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

videre licet; ut *Marc.* 5. 12, petunt à Chriſto, ut ipſis permittat in porcos introire, *Marc.* 9. 26. *Matth.* 15. 26. Mulieris Græcæ Syrophœniſſæ filia liberatur à dæmonio, à quo tamen Chriſtus longe remotius abſuit, *Marc.* 9. 18. Cum pater, adducto filio ſuo, qui ſpiritum malum haberet, peteret à Jeſu, ut ipſum ſanaret, dixit ſpiritui: *Ego tibi impero, exi ab eo*, &c.

Obj. Si ſpiritus impuri, ſive Diaboli, ſubjecti fuerunt Chriſto ante ipſius paſſionem, qua ratione potuit fieri, ut ipſum tentarent? *Reſp.* Ineptum hoc argumentum. Nam ſi ex eo Chriſtus debeat ſubtrahi imperio, quod tentaverint ipſum Diaboli, tum etiam ſubtrahendus eſſet imperio hominum, quod ipſum tentaſſe leguntur, 1 *Cor.* 11. 9: *Ne tentemus Chriſtum.* 2. Reſpondeo limitando, ſi ille qui tentabatur, ſcilicet Chriſtus, non permitteret Diabolo tentare. Reſponſio hæc probatur ex eo: Si ſine permiſſu Chriſti Diaboli non potuerunt ingredi in porcos, tum ſequitur, quod non potuerunt Chriſtum tentare, niſi ipſo Chriſto permittente. 3. Ita Chriſtum tentavit Satan, ut & imperium coërcendi Chriſtus obtinuerit; quod patet ex textu. Nam dicit Satanæ, *Abi Satana.*

Obj. 2; Hebr. 2. 14: *Vt per mortem aboleret eum qui mortis imperium habet*, id eſt, *Diabolum.* Ex hoc loco ſic argumentantur: Si per mortem abolevit eum qui mortis imperium habet, tum ſequitur, quod ante mortem & paſſionem non habuerit imperium. *Reſp.* 1. Quod abolere ſit tantum unus actus poteſtatis. Jam, ſi velis argumentari ab uno actu, non excludendi erunt alii actus. Legimus *Ioan.* 5. 22: *Nec Pater judicat quenquam, ſed omne judicium dedit Filio.* Homines autem non tantum judicat, ſed etiam Satanam, ut videre licet in Epiſt. *Iudæ*, *verſ.* 6: *Angelos, qui non ſervarunt ſuam originem*, &c. *vinculis æternis reſervavit.* Ante mortem autem & paſſionem Chriſto data hæc poteſtas; ſequitur ergo, quod imperium habuit in Diabolum ante mortem. 2. Satan conſideratur vel abſolute in ſe, vel ratione operum ſuorum, propter quæ punitur: abſolute, ut poteſtas ipſi conceſſa, tanquam carceratio; & hoc modo conſideratus etiam ſubjectus fuit Chriſto. 3. Etiamſi actu nondum mortuus erat Chriſtus, tamen vi mortis futuræ abolevit Satanam, & homines à poteſtate ejus liberavit.

Obj. 3. Nullibi Scriptura hoc dicit, quod Diaboli fuerint Chriſto ſubjecti ante paſſionem ejus. *Reſp.* Loca quædam ſunt, ex quibus certe & manifeſto colligi poteſt, quod Diaboli Chriſto fuerint ſubjecti ante paſſionem ejus. Quod etiam inter alia manifeſte apparet ex judicio, quod Chriſto datum, ut ſupra oſtendimus, ante paſſionem ejus. Si itaque Judex Diabolorum eſt, tum certe eos ipſi ſubjectos eſſe neceſſe eſt. 2. Apparet ex imperio, quo Diabolos ejecit ex hominibus. 3. Ex regno. Nam eum Regem fuiſſe ab eo tempore, quo natus eſt, docetur Matth. 21. 5: *Impletum eſt, quod dictum per Prophetam.* & Joan. 18. 33, dixit Pilatus: *Tune iſte Rex Iudæorum?* &c. Si ergo Rex fuit Chriſtus, debuit defendere ſuos & repellere rebelles, qui ſunt Diaboli. Quod autem Chriſtus defendat ſuos, patet ex Joan. 10. 28: *Ego vitam æternam do ovibus meis*, &c. *Ioan.* 17. 12: *Cum eſſem cum eis in mundo, ego ſervabam eos*, &c. Si nemo poteſt oves ejus eripere è manu Chriſti, tum certe nec Diabolus eripiet, imo Chriſtus armat ſua membra contra Diabolos, ut videre licet Eph. 6. 13, 14, 15: *Inſuper aſſumpto ſcuto fidei, quo poſſitis omnia jacula mali illius ignita extinguere.* Fidem autem hanc Chriſtus dat, ut videre eſt Marc. 9. 24: *Credo, Domine, adauge mihi fidem*, Luc. 17. 5. Ex his manifeſte patet, Chriſtum habuiſſe poteſtatem in Diabolos ante paſſionem ſuam.

Tertium, quo probatur hæc ſententia, quod Chriſtus fuerit Rex ante paſſionem ſuam, deſumitur ex *Hebr.* 1. 6: *Adorent eum omnes Angeli Dei.* Sed dicunt Adverſarii, quod hæc verba allegata non debeant intelligi de adventu primo Chriſti, ſed de ſecundo, quando veniet judicatum vivos & mortuos; quod conantur probare ex iſtis verbis: *Rurſum autem cum inducit*, &c. Et ex eo, quod cap. 2. 5, mentio fiat mundi illius futuri. *Reſp.* Obſervandus eſt ſenſus loci iſtius, ex quo verba hæc Paulus citavit. Locus autem eſt Pſal. 97. 7: *Pudore ſuffundantur omnes colentes ſculptile, qui ſe jactant de idolis: Incurvate vos ei omnes Dii.* In hoc Pſalmo deſcri-

deſcribitur dies ille terribilis, dies ille acceptus. Duo vero tales ſunt dies, quorum primus eſt dies adventus primi, ſecundus eſt adventus ſecundi, quo judicabit. Breviter hic obſervandum, Pontificios negare, quod dies adventus ſecundi vocetur in Scriptura *lætus* & *acceptus*. Sed vanum hoc. Nam certe acceptus eſt hic dies piis; ut, *Luc.* 21. 28, dicit Chriſtus Diſcipulis ſuis: *cum hæc incipient fieri, ſuſpicite, & attollite capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra.* Apoc. cap. ult. dicit Joannes: *Veni, Domine Ieſu, veni cito.* Et quod dies primi adventus Domini vocetur *terribilis*, negat Bellarm.; ſed probo ego ex Malach. 3. 2, *Ecce ego miſſurus* &c. Vide etiam *Act.* 2. Confer cum *Ioël.* 2. 10, 11. Sic legimus *Matth.* 2, quod Herodes, audito eo, quod natus eſſet Rex Judæorum, turbatus fuerit, & tota Jeruſalem cum eo. Jam quæri poteſt, de quo die agatur in Pſalmo allegato. Non de die ſecundi adventus, quia ille nondum venit, & ſic nondum adorandus eſſet Chriſtus. ſequitur ergo, quod de die primi adventus.

Obj. Atqui dicitur in textu: *rurſum cum inducit*, &c. *Reſp.* Particulam iſtam *rurſum*, non jungendam eſſe cum verbo *inducitur*, ſed cum verbo *dicit*, quod ſequitur, ut ex textu clare patet.

Quartum fundamentum ſumitur ex officiis Angelorum, quæ præſtita ſunt Chriſto ab Angelis. Sunt autem hæc officia duplicia: Vel enim ipſi Chriſto præſtabantur in propria perſona; vel juſſu Chriſti præſtabantur Eccleſiæ. Ratione primariorum officiorum, quæ ipſi exhibebantur in propria perſona, eſt Dominus, ſive Rex; ut patet *Matth.* 4. 11, cum Satanas Chriſtum tentaſſet: *Ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei*, Luc. 22. 43. Cum conſtitutus in agone precaretur Patrem, *conſpectus ei eſt Angelus è cœlo, corroborans eum.* Ratione officiorum, quæ juſſu Chriſti præſtabantur Eccleſiæ, Chriſtus fuit Dominus ſive Rex Angelorum. Nam, ut *Hebr.* 1. 14, oſtenditur: *Omnes ſunt miniſtratores ſpiritus, qui miniſterii cauſa emittuntur propter eos, qui heredes erunt ſalutis.* Chriſtus autem eſt Rex Eccleſiæ; Angeli vero miniſtri ſunt Eccleſiæ. Ergo Angeli ſubjecti fuerunt Chriſto ante paſſionem ejus.

Objicit Socinus: Si Chriſtus fuit Rex ante paſſionem, tum certe habuit corpus immortale ante paſſionem. Atqui hoc falſum. Ergo & illud. Statuunt ergo Sociniani, Chriſtum corpus, quod aſſumpſerat in utero Mariæ Virginis, non retinuiſſe. *Reſp.* quod Chriſtus corpus, quod aſſumpſerat, retinuerit, patet ex eo, quod legitur Joan. 21. 27: *Infer digitum tuum huc*, &c. *Apoc.* 1. 7: *Ecce veniet cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, etiam qui eum transfixerunt; & plangent coram eo omnes tribus terræ.* Joan. 19. 37: *Rurſus, Videbunt, quem transfixere.* 2. Quod Chriſtus corpus aſſumptum retinuerit, probatur ex loquendi formulis, *Rom.* 1. 3: & 9. 5. Hæc enim epiſtola fuit ſcripta poſt aſcenſionem Chriſti; ſequitur ergo, Chriſtum retinuiſſe corpus, quod aſſumpſerat. Hinc, Hebr. 2. 11: *Et qui ſanctificat, & qui ſanctificantur, ex uno ſunt omnes, quam ob cauſam non erubeſcit eos vocare fratres.* 3. Probatur ex comparatione Levitici ſacerdotis & Chriſti. Nam ſi Antitypus debet reſpondere Typo, tum certe Chriſtus eodem corpore, quod aſſumpſerat, aſcendit ad cœlum. Agnus, qui fuit Typus, mactabatur, & ſanguis ejus inferebatur in Sancta Sanctorum. Ex his omnibus jam manifeſte patet, quod Chriſtus corpus aſſumptum retinuerit. Dicunt Sociniani, mortem eſſe naturale quid. ſed ego oſtendam, non eſſe naturale quid, ſed eſſe pœnam, *Rom.* 6. 23: *Stipendium peccati mors eſt.* Mors autem non tantum æterna, verum etiam ſpiritualis; quod negant Sociniani. Nam dicunt, mortem temporalem non eſſe ſtipendium peccati. Probo, I. ex judiciis Dei, quæ mediate per Magiſtratum exercentur. Nam ſi reus alicujus cædis, aut facinoris, morte afficiatur, tum certe ſtipendium peccati mors temporalis. Non enim omnes qui morte violenta afficiuntur, æternam mortem ſuſtinebunt; multi enim ex iis ſe ad Deum convertunt, cum jam morte afficiendi. Horum itaque mors temporalis eſt ſtipendium peccati. II. Probo ex judiciis Dei, quæ immediate Deus exercet vel circa peccata particularia, ut legimus *Exod.* 20, minari Deum, ſe abbreviaturum vitam eorum, qui parentes non honorant; peccati ergo

iſtius,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

iſtius, nempe irreverentiæ, ſtipendium erit mors temporalis. Sic *Num.* 14, cum populus, mala exploratorum relatione territus, reditum in Ægyptum moliretur, dixit Jehova ad Moſen: *Quouſque provocabit me populus iſte; & quouſque non credent mihi ad omnia illa ſigna, quæ feci in medio ejus?* quare dicit, verſ. 29: *Ne vivam ego, niſi in deſerto hoc ceciderint*, &c. Iſtius igitur peccati, nempe incredulitatis, ſtipendium fuit mors temporalis. Sic, *Num.* 20, cum populus aquarum penuria in duces ſuos exurgeret, mandat Deus Moſi & Aharoni, ut alloquerentur petram ante oculos murmurantium, & dabit aquam; Et cum ex diffidentia non plane mandata Dei exequerentur, dixit Aharoni & Moſi, verſ. 24: *Aggregandus eſt Aharon* &c. Ubi ſtipendium peccati fuit mors temporalis.

Jam oſtendam ex Judiciis divinis. In genere de peccatis omnibus, *Deut.* 32. 46, 47. In quo loco agitur de tota lege, quam ſi ſervaverint, vita ipſis erit; ſequitur ergo, quod cujuſvis peccati ſtipendium ſit mors, non tantum æterna, ſed etiam temporalis.

Objicitur, quod peccati ſtipendium ſit quidem mors violenta & immatura, cujus utriuſque exempla allata ſunt: ſed quod peccati ſtipendium ſit mors naturalis, hoc probandum reſtat.

Solent diſtinguere Sociniani inter mortem naturalem, & inter neceſſitatem quandam moriendi. Mortem naturalem etiam in ſtatu integro futuram fuiſſe, ſed neceſſitatem iſtam moriendi non futuram fuiſſe. *Reſp.* Si peccati ſtipendium ſunt mors violenta & immatura, tum ſequitur, peccati ſtipendium fuiſſe mortem Chriſti; peccati, inquam, non proprii, ſed noſtri. Mors autem Chriſti & violenta & immatura. Hanc conſequentiam nos quidem concedimus, ſed Sociniani negant: videntur itaque ſibi contraria ſtatuere. Quod dicunt de morte naturali, quam in ſtatu integro fuiſſe futuram docent, hoc probare conantur ex eo, quia corpus, quod conſtat ex quatuor elementis, naturaliter morti obnoxium. Sed falſum hoc. Nam corpora noſtra in vita futura eadem erunt, quæ jam ſunt, quoad ſubſtantiam, & tamen morti obnoxia non erunt. Quod autem ita ſe res habeat, probo ex Epiſtola 2 *Cor.* 5. 10: *Omnes nos comparere oportet* &c. Annon in eodem corpore? Abſurdum eſſet, aliud corpus peccare, & aliud luere. Mutabuntur quidem corpora noſtra quoad *qualitates*, ſed non quoad *ſubſtantiam*, ut docetur, 1 *Cor.* 15. 51, 52: *Oportet iſtud mortale* &c.

Smalcius ait: Si Deus dedit Chriſtum, qui eſt pretium redemptionis; quomodo ipſum accipere potuit, & non potius retinere apud ſe, & nunquam dare? Sed non advertit Smalcius, Chriſtum non eſſe pretium redemptionis ut à Deo datus eſt, ſed ut ſe ipſum & ſanguinem ſuum per mortem Deo obtulit, ita ut etiamſi Chriſtus miſſus eſſet in mundum, ſi tamen mortuus non fuiſſet pro nobis, non fuiſſet redemptus mundus. Quia igitur non Deus Pater mortuus eſt pro nobis, ſed Chriſtus, neque ſanguis Chriſti fuit redemptionis pretium, niſi quatenus fuſus pro nobis in paſſione; ipſaque effuſio erat pretii pro nobis oblatio. *Dilexit enim nos, & tradidit ſemet ipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo, in odorem ſuavitatis*, Eph. 5. 2. Vide Smiglecium, *lib.* 2. *de Satisf. Ch. c.* 2.

Quod Smalcius ait, nuſquam legi in Scriptura, hoc pretium eſſe datum; id falſum eſt. Si enim legitur, nos eſſe emptos pretio magno, legitur quoque, pretium pro nobis datum eſſe; quid enim eſt emptio, quam pretii datio? Smiglecius eodem loco: Smalcius ait, Chriſtum, quantuſquantus fuit, Dei fuiſſe, ideoque nihil Deo dare potuiſſe, quod Dei non fuit. Reſpondere non eſt difficile. Nam ab orbe condito innumera dona & ſacrificia oblata fuiſſe Deo, Scriptura commemorat. Et vero res ita habet. Omnia quidem Dei ſunt jure creationis, quia ipſe creavit univerſa; ipſius tamen Dei voluntate fit, ut ea ita donentur nobis, ut liberum nobis ſit, ea tanquam noſtra offerre Deo & donare. Smiglecius, *lib.* 2 *de ſatisfactione, cap.* 2.

Exiſtimat Smalcius, impoſſibile eſſe, ſanguinem Chriſti dari Deo; ſed ſciat, quod non unus ſaltem dandi modus & ratio ſit; quædam enim *materialiter* dantur, quæ manu accipiuntur, & conduntur in arca; ut pecuniæ: quædam dari dicuntur, quia conſtituuntur in alterius poteſtate & jure; ut domus, & alia bona immobilia;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

bilia: quædam vero, quia in alterius gratiam impenduntur & conſumuntur; ut, cum quis vitam ſuam periculo exponit, ut voluntati alterius ſatisfaciat. Hoc vero modo Chriſtus Deo Sanguinem ſuum pro nobis dedit: quia, ut nos redimeret, Deo ita volente, ſanguinem ſuum fudit. Vide Smiglecium.

Futilis eſt iſta Smalcii & Socini expoſitio, quod pro peccato mori, ſit cauſa peccati, vel occaſione peccati mori. Nam in ſubjecta materia, dum agitur de afflictione pro peccatis, nunquam ſignificat cauſam finalem, ſed efficientem; ſcilicet præpoſitio *pro*; quia peccata ſunt cauſa efficiens afflictionum, & hæc acceptio eſt omnibus uſitatiſſima. Neque Smalcius probare poteſt ullo Scripturæ exemplo, pati pro peccato, eſſe quid aliud, quam pro peccato pœnam ſubire; cujus rationem paulò ante indicavimus, quod peccatum, reſpectu afflictionis, ex ſe habeat rationem cauſæ efficientis. Quare cum indicatur per particulam *pro*, eſſe cauſam afflictionis, indicatur cauſa efficiens. Vide Smigl. *lib.* 2, *cap.* 7.

Socinus dicit: Condonare, & ſatisfactionem accipere, ſunt oppoſita. Cum enim Scriptura dicat, Deum nobis condonare peccata; conſequens eſt, quod nullam ſatisfactionem accipiat. Condonatio enim ad liberalitatem, ſatisfactio ad juſtitiam pertinet. *Reſp.* Diverſo reſpectu dici condonationem & ſatisfactionem. Reſpectu noſtri dicitur condonatio, quia ſine ullis meritis noſtris & ſatisfactione noſtra: ſatisfactio, reſpectu Chriſti, qui nos redemit. Vide Smigl.

Obj. Nemo ſibi ipſi ſolvit aut ſatisfacit. Si autem Chriſtus Deo ſatisfeciſſe dicitur; conſequitur, aut Chriſtum non eſſe Deum, aut, ſi Deus ſit, ſibi ſatisfeciſſe; quod abſurdum. *Reſp.* Hoc argumentum nihil concludit. Etenim ubi diverſæ naturæ & voluntates in unam perſonam coëunt, ibi diverſarum naturarum reſpectu idem ſibi ipſi ſatisfacere poſſe, vel ipſum hominis exemplum docet, in quo ſicut cernitur duarum naturarum inter ſe pugna, carnis, inquam, & ſpiritus, ob duos appetitus ſibi repugnantes; ita & ſatisfactio. Etenim quia caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem, idcirco Paulus ait: *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo.* Quemadmodum igitur in homine, propter diverſitatem naturarum & appetituum inter ſe pugnantium, id accidit pro inobedientia: ita & in Chriſto quid ſimile contingere, nullum eſt abſurdum. Vide Smigl. *lib.* 2, *cap.* 12, *de Satisfactione Chriſti.*

Finis Lectionum contra Socinum.

Hæc ſunt, quæ inter Manuſcripta Auctoris deprehendi contra Catecheſin Socini ſcripta; quam ego, ſuperficialiter olim titulo inſpecto, judicavi eſſe Racovianam. De quo Lectorem monendum cenſui, ne putet, Maccovium unquam ex profeſſo contra Racovianam Catecheſin ſcripſiſſe, idque ſtudio præmii. Provoco ad omnes Maccovii Diſcipulos, quotquot unquam fuerunt.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

APPENDIX, DE ATHEIS.

CAPUT PRIMUM.

De Atheis practicis, non theoreticis.

INprimis ſciendum eſt, Atheos non dari *Theoreticos*; ſed, ſi qui ſint, *Practici* ſunt; hoc eſt, ita vivunt, ut videantur nullo ſtudio ferri ad cultum Divinum.

Diſputari poſſet, *An etiam practice Athei dici poſſint?* Nam dicitur, leges eſſe inſculptas cordibus, & cogitationes ſe accuſare & excuſare. Quod quidem videtur ita innui, ut in omnibus hominibus hoc reperiatur; etiamſi in quibuſdam magis, in quibuſdam minus. Siquidem, ſi res ita ſe habet, fieri non poteſt, quin tales propendeant magis ad ſtudia legum iſtarum. Nam quilibet fertur in hoc, quod melius. Jam autem melior ſtatus iſte, in quo ſe excuſant, quam in quo ſe accuſant. *Reſp.* 1. Eſſe tamen quoſdam in quibus tollitur hoc ipſum maxima ex parte; ita, ut, quod per naturam videatur inſculptum, in judiciis Divinis obliteretur. Neque enim illæ phraſes Scripturæ, quæ docent, irregenitos occæcari, indurari; hoc volunt, cæcitatem iſtam & duritiem opponi vitæ ſpirituali, ſed opponi reliquiis legis naturæ relictis. *Reſp.* 2. Poſſe fieri, ut cognoſcatur aliquid, interim in effectum non deducatur. Hinc apud Theologos & Philoſophos ſcientia *convincens*, & *perſuadens*. Et quidem nullus eſt reproborum, quin in eo ſuperſit aliquid reliquiarum legis, etiam in his ipſis qui occæcantur. Interim ita inſunt, ut ſit in ipſis cognitio *convincens*, non vero *perſuadens*. Et hoc illud eſt, quod Spiritus Sanctus ibidem ait: *Cognitum in ipſis ad hoc, ut ſint inexcuſabiles.*

II. Eſt quidem conatus in Atheis extinguendi hanc anticipationem naturalem, Deum eſſe; nunquam tamen extinguitur in ipſis. Conatum eſſe, liquet ex Pſal. 14. 1: *Dicit ſtultus in corde ſuo, Non eſt Deus.* Quod quidem aliter accipi non poteſt, quam quod ita dicat, ut conetur omnem notitiam extirpare Dei; nunquam tamen poſſe extirpare, inde liquet, quod nulla ſit tam barbara gens, quæ non Deum eſſe hoc ipſo teſtetur, quod potius viliſſimas res habeat pro Deo, quam ut Deum non cognoſcat. Hinc lapides, beſtias, &c. pro Deo colunt. Referunt de Indis Occidentalibus, ipſos per excavatum ovum traducere bacillum, & hoc pro Deo habere. At vero quod cuique hominum commune eſt, id non poteſt niſi à natura proficiſci. Hinc etiam Cicero: *Quod omnibus gentibus innatum eſt, hoc naturale eſt.* Ariſtoteles vero duplicem ſermonem innuit: *Internum*, qui eſt dictamen conſcientiæ; & *externum*, qui eſt dictamen *oris*; & dicit, quædam negari à quibuſdam *dictamine oris*, ut quod Heraclitus negaverit, nivem eſſe albam; quod tamen non poſſet negari ab ipſis *dictamine cordis.* Dictamine vero *oris* negant, ſed non poſſunt dictamine *cordis.*

III. Cum vero Atheorum varia ſunt genera: Nam quidam nulla principia videntur admittere; quidam vero quædam admittunt; & illi qui admittunt, ejuſdem generis non ſunt. Hinc diſtincte agendum eſt contra eos; & quidem primo agemus contra eos, qui in ſummo gradu Athei ſunt.

CAP.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

CAP. II.

Argumenta contra eos, à cauſa efficiente.

I. VIdentur duo argumenta efficaciſſima contra iſtos: 1. A cauſa efficiente. 2. A Fine. A cauſa efficiente; Quod unum pendeat ab altero; & quidem dependentia hæc duplex: Prima, in ſpecie unaquaque. Secunda, inter omnia agentia ſimul ſumpta. Quoad dependentiam in ſpecie: In iſtis non datur proceſſus in infinitum. Ratio; quia ſi daretur, nulla eſſet generatio. Ratio, quia infinita tranſiri non poſſunt. At generatio fit. Non ergo proceſſus in infinitum datur. Datur ergo primum in unaquaque ſpecie. Hoc vero primum, quod datur in ſpecie unaquaque, aut eſt à ſe ipſo, aut ab alio. A ſe ipſo eſſe non poteſt, quia nihil eſt ſui ipſius cauſa. Ab alio ergo. Hoc aliud ergo primum in unaquaque ſpecie fecit. At primo fecit vel ex aliquo, vel ex nullo. Si ex aliquo, illud ex quo fecit, aut factum itidem ex aliquo, & ſic proceſſus in infinitum; Aut ex nullo. Jam ſi datur proceſſus in infinitum, nihil factum ex illo. Ratio, quia quæ infinita ſunt, pertranſiri non poſſunt. Si enim pertranſeuntur, & venitur ad aliquod ultimum, quod eſt ſpeciei proxima materia, tamen non ſunt infinita; Nam pertranſeuntur. Si ex nihilo: Ergo hoc quod ex nihilo fecit, oportet ſit infinitæ potentiæ. At vero infinitæ potentiæ nil eſſe poteſt, niſi quod ſit infinitæ eſſentiæ; Neque enim attributum poteſt excedere ſuum ſubjectum. Sive dicas infinitæ eſſentiæ aliquid, ſive Deum, perinde eſt.

II. Sed agendum eſt de aliis particularibus, quæ jam non materiata ſunt, ſed ſimplicia & aliena à materia. Dixeris: Atheus non concedet, tale quid eſſe. Paucis ergo evincendum, aliquid tale eſſe. Nam anima rationalis talis eſt. Oſtenditur: quia non pendet in operando ab inſtrumentis. Nam in ecſtaſi, ut experientia teſtatur, plurimum operatur; nullis tamen inſtrumentis corporeis utitur; ut, cum homo jacet mortui inſtar, ita ut quandoque non diſcernatur à mortuo. Id quod in Scoto, ſubtili Doctore, evenit, qui in ecſtaſi poſitus vivus ſepultus eſt. Secundo, non pendet ab inſtrumentis; Quia ſenes, in quibus inſtrumenta maximam partem detrita, prudentiſſimi. Quod ſecus eveniret, ſi anima rationalis dependeret ab inſtrumentis inter operandum. Si autem non dependet in operando, non dependebit in eſſendo. Ut enim quid eſt in operando, ita in eſſe; & ut in eſſendo, ita in operando. Si ergo non dependet inter operandum ab inſtrumentis corporeis, corporeum non eſt, ſed alienum ab omni materia. Nam nullum corpus agit ita, ut non dependeat in agendo ab inſtrumentis corporeis. Jam porro ſpiritus erit. Ergo vel à ſe, vel ab alio, hoc eſt, vel erit ſui cauſa, vel aliud aliquid ipſius. Non ſui ipſius; quia nil ſui ipſius cauſa eſſe poteſt: Ergo aliud quid. Hoc aliud fecit animam aut ex nihilo, aut ex materia. Non ex materia, nam alienam à materia oſtenſum eſt. Ergo ex nihilo. Infinitæ ergo potentiæ hoc ipſum erit. Quia nihil, & aliquid, infinitum differunt. Reducere autem unum in alterum, quæ à ſe infinitum differunt, potentiæ eſt infinitæ; ergo & eſſentiæ, ex diſcurſu ſuperiore.

III. Veniamus jam ad omnia agentia. In omni ordine cauſarum datur cauſa prima. Ratio ſuperior; Quia non datur progreſſus in infinitum. Alioquin tranſiri nunquam poſſet, neque perveniri ad cauſas proximas. Quod autem tranſiri poteſt, infinitum non eſt. Erit ergo aliqua cauſa prima, à qua reliquæ dependebunt, ipſa à nulla. Hinc jam primum argumentum contra Atheos: A quo pendent omnia, ille eſt potentiæ infinitæ. A cauſa prima dependent omnia. Ergo. Reſponderi poteſt: Omnia iſta ſunt finita. Proinde ex illis non poteſt educi hoc, quod qui illa produxit, infinitus ſit, cum ex effectis finitis nullo modo poſſit deduci infinitum. *Reſp.* Deduci poteſt ex effectis, non ratione effectorum, ſed ratione modi operandi. Nam hic ſtatim argumentari licebit; ut in priori diſcurſu patet: Aut fecit omnia ex nihilo, aut ex aliquo. Si ex aliquo; Ergo non ſola cauſa prima fuit. Nam fuit ipſi aliquid coævum. Illud ergo, quod fuit ipſi coævum, aut fuit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

fuit factum, aut non. Si factum; Ergo ab ipſo. Si non fuit factum; Ergo duo prima, duo infinita; Ratio, quia quod non dependet in eſſe ab aliquo, illius eſſe eſt illimitatum; eſſe illimitatum eſt eſſe infinitum. Atqui eſſe infinitum Dei eſt, & dum dicimus infinitum, dicimus Deum. Reſponderi poteſt: Forte poſſunt eſſe duo infinita; atque ita diſcurſus evaneſcit. *Reſp.* Non poſſunt eſſe duo infinita. 1. Quia unum infinitum, aut poteſt deſtruere aliud, aut non. Si non, non eſt infinitum, quia eſt potentiæ finitæ, ut quod omnia non poteſt. Si poteſt, tum hoc aliud non eſt infinitum. 2. Aut hoc infinitum, quod eſt materia, incluſum eſt rebus creatis, aut non: Si eſt incluſum, tum non eſt infinitum, quia omnia finita. Si non eſt incluſum, aut totum non eſt incluſum, aut ſecundum partem. Si poſterius, tum eſt finitum; quia quod partes habet, finitum eſt. Hoc ergo, ex quo facta ſtatuerentur omnia, quia partim includeretur rebus creatis, partim non, finitum eſſet. Atque ita duo infinita dari non poſſunt.

IV. Deinde ex eo concluditur, quia agens primum datur. Agit ergo tantum, neque patitur ab ullo. Hinc ſi à nullo patitur, mutatio in ipſo nulla. Et, ſi nulla, tum perfectio eſt ſumma. Hinc ſi mutatio nulla, immutabilitas eſt. Nec immutabilitas ex hypotheſi, quæ pendet ab alio; ſed abſoluta. Atqui hoc nos Deum vocamus, quod agit, nunquam patitur; & quod immutabile eſt abſolute, & quod perfectiſſimum eſt abſolute, quale eſt, quod immutabile eſt. Si ergo Atheus hoc dederit, etiamſi noluerit fateri Deum, aut hoc vocare Deum; hoc tamen eſt, quod vocamus Deum.

CAP. III.

Argumenta à fine.

IAm veniamus ad Finem. Unaquæque res ad finem ſuum tendit. Et unaquæque res in ſpecie ad finem pervenit, non tantum rationalis, ſed etiam illa, quæ omni ratione deſtituitur. Non tantum illa quæ ſenſibus prædita, ſed etiam illa quæ ſenſu omni deſtituitur. Quomodo vero tendit in hoc quod ignorat? Oportet dirigatur ab aliquo, qui finem novit, & cujus regnum efficaciſſimum. Atqui hoc ipſum quid erit? Nam hoc ipſum aut erit unum, quod omnia ad fines ſuos dirigit, aut erunt plura. Non plura, alioquin ſe ipſos impedirent. Præterea; Aut illud quod unum eſt, ſufficit omnibus; aut non. Si non ſufficit omnibus, quis diſtribuit inter iſta, ut hoc iſtis rebus præſit, non aliis in ſpecie vel individuo? Talene fingi poteſt? Unum ergo hic erit. At ſi unum, cum res ſint infinitæ, præſertim individua, immenſum oportet hoc eſſe: Hoc vero quod immenſum eſt, aut clauditur terminis eſſentiæ, aut non. Si prius, vis finita. At ſi vis finita, quomodo regimen tale, ut contra illud nemo contravenire poſſit? Dicimus enim, unumquodque ad finem ſuum certo pervenire.

Objicitur à Philoſophis, In ſpecie quidem pervenire omnia ad fines ſuos, ſed non in individuo; ſive ut dicamus, pervenire ſpecies, non individua omnia. At contra: Aut hoc fit volente iſto qui dirigit omnia ad fines ſuos, aut nolente. Non nolente, quia ſi ſpeciem ita regere poteſt, ut ad finem ſuum perveniat; cur, ſi velit, non poſſit, individuum, cum circa individuum minor labor requiratur, quam circa ſpeciem? Volens ergo hoc ipſum facit. Hinc etiam Philoſophi diſtinguunt inter eſſe per accidens ratione operis, ſed non ratione operantis. Et merito quidem: Nam ſi aberratur à ſcopo, nolente eo qui dirigit, tum primo capi non poſſet à quo moveretur. Nam nihil à ſe ipſo movetur, ſed ab alio; & in moventibus non datur proceſſus in infinitum; Oportet ad primum aliquod devenire. Secundo, ſi eſſet per accidens ratione operantis ſive moventis, tum movens hoc inſcium influeret in effectum. At quomodo inſcium, cum ſpeciei fines ſuos deſtinaverit?

II. Secundum argumentum maxime elucet ex partibus maximis mundi. Verbi gratia, Cælo, Sole, Sideribus. Nam illa ſunt inanimata. Quid ergo eſt quod movet, ut tam ordinate curſum ſuum peragant? Ipſa non poſſunt. Nam, ut dictum, quod movetur, movetur ab alio; & in motu progreſſus non datur in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

in infinitum. Oportet ergo pervenire ad tale quid, quod quidem movet, ſed non movetur. Oportet ergo in cælo etiam hoc fieri. Movet ergo aliquid, quod ipſum non movetur. At hoc, quod movet, oportet potentiſſimum eſſe, & perenne eſſe; Oportet omnia movere. Ratio iſtius, quia motus iſte cæli diuturnus & perpetuo ſibi ſimilis eſt, eſtque corporis maximi. Unde oportet majus hoc eſſe quod movet, & viribus & eſſentiâ: Unde ſequitur, quod maximum movet, etiam omnia reliqua minora movere. Unde ſequitur, Cauſam omnium eſſe. Unde porro ſequitur, totum univerſum ab hoc pendere. Hoc vero illud eſt, quod Deum vocamus. Athei rem negare non poſſunt. Oportet ergo de voce diſputent.

Obj. Excipere poteſt Atheus: Unum idemque poteſt ſe movere ſecundum diverſas partes, & ſecundum diverſas non moveri, ut anima in corpore movet corpus, ſed ipſa non movetur, non ergo ſtringit argumentum. *Reſp.* Quæritur: *An anima moveatur?* Negare quis poſſet hoc ipſo, quod motus localis ſit corporum, non ſpirituum. *Reſp.* Falſum. Nam ſi homo movetur de loco in locum, omnia ipſius moventur, & omnes ejus partes. Ergo & anima. Nam certum eſt hoc, quod toti competit, qua totum, etiam omnibus partibus competit.

Sed veniamus ad alteram partem potiorem mundi, terram. Illa fert fructus certos certis temporibus. Facit hoc terra aut ſciens, aut ignorans; Sciens non poteſt, quia nullus intellectus cadit in eam, utpote inanimatam. Ignorans, ignorantia privativa non poteſt, quia, inquam, non cadit intellectus in illam, neque ignorantia; habitus enim & privatio circa idem ſubjectum verſantur. Ergo ignorans per ignorantiam negativam. Atqui hæc talia non poſſunt proficiſci niſi ab intelligente; oportet ergo ſit aliquid quod regat terram, ut hæc & talia certis temporibus proferat. At oportet hoc aut unum eſſe, aut multa. Multa eſſe non poſſunt, nam ſe impedire poſſent. Atqui hæc ſemper fiunt & ubique, ſtatis & certis temporibus. Ergo oportet unum eſſe. At ſi unum eſt, potentiſſimum oportet eſſe, & ubique, & immenſum. Nam uno & eodem tempore efficit, ut hic hyems, alibi ver, alibi æſtas, alibi autumnus. Hoc ergo unum, quod hæc efficit uno eodemque tempore, vocamus nos Deum. Si intelligat Atheus hoc tale eſſe, non diſputabimus de vocabulo; hoc enim nos Deum vocamus.

CAP. IV.

De Atheis, qui aliquam præviſionem ex *ſomniis*, & aliis, admittunt.

SUnt Athei, qui admittunt aliqua principia, ex quibus convinci facile poſſunt, Deum eſſe; & quidem qui admittunt prædictiones de futuris eventibus. Occurrit ergo imprimis ſomnium, quod de multis futuris nos certos facit. Apud Gentiles multa talia ſomnia numerantur, tum eventus ſomniorum. Hinc jam argumentum efficax contra Atheos, Deum eſſe. Nam unde, quæſo, iſta ſomnia quæ nos docent de rebus eventuris, niſi à tali natura quæ futuras res ſcit? & quomodo poteſt ſcire res futuras, niſi res ſint in ejus poteſtate? Certum enim eſt; Contingentium futurorum non eſſe determinatam veritatem; Si ergo hoc contingens eſt in ipſius poteſtate, quod ſignificat & quod notum facit per ſomnium; cur non aliud? cur non ſecundum? cur non tertium? cur non omnia? hoc ipſo ergo aſtruitur ipſius gubernatio & regimen omnium rerum; & hoc ipſum eſt, quod nos Deum vocamus. Ita ergo, ſi Athei hoc ipſum admiſſuri ſint, oportet admittant & hoc, Deum eſſe. 2. Probat hoc notio inſculpta etiam barbariſſimis hominibus, prædictiones futurorum non proficiſci niſi à Deo. Hinc apud Gentiles uſitatum fuit mittere ad oracula ſciſcitatum de futuris eventibus. Oracula autem apud ipſos habita fuerunt pro Diis, aut pro Deorum reſponſis. Hinc Crœſus mittit ſciſcitatum Oraculum, Anne victor futurus contra Cyrum, necne. Hinc Pyrrhus mittit ſciſcitatum Oraculum. Anne contra Romanos eſſet aliquid obtenturus, nec ne.

Obj. Videtur non procedere argumentum; 1. Quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

1. Quod iſta oracula ſæpius non reſponderint eventibus, neque eventus oraculis: quod à Deo alienum.

2. Quod ambigua ſæpe fuerint, quaſi ſtudio, ad ambiguos ſenſus præſentandos; ut difficile fuerit cognoſcere, utri proſperos eventus prædixerint.

Ad 1 *reſp.* Communes notiones non fallunt; hoc eſt, in eo non fallebantur Gentiles, quod futurorum cognitio dependet à Deo; ſed quod hic, vel ille, Deus fuerit, in eo Gentes fallebantur; fuerunt enim oracula iſta pleraque Diabolica, atque proinde ſcire non poterant omnia; quia tamen affectabant Divinitatem, & auctoritatem Divinam ſibi conciliare apud Gentes, idcirco aſſumebant hoc, quod in ipſos non cadebat.

Ad 2 *reſp.* Hoc ex eodem fonte proficiſcebatur. Nam cum certi nihil poſſint ſcire, niſi in quantum Deus ipſis revelat; nec volunt exiſtimationem ſui amittere apud Gentes, confitendo ſe non omnia ſcire; ambigue ludunt, ut, utrumlibet eveniat, videantur vera prædixiſſe. Et quidem hoc argumentum maximi momenti eſt contra Atheos, quod oſtendit, inſitum eſſe humano generi, credere Deum, ſcire futura, & prædicere illa. Hoc autem admiſſo, neceſſario detruduntur ad hoc principium, Deum omnia regere, & in manu ipſius eſſe, ut eventus rerum ſic, aut aliter, cadant.

Veniendum jam ad alia argumenta ex hoc loco ducta; hoc eſt, ad *Auguria*. Apud Gentes notiſſimum hoc eſt, Auguria ex variis rebus captata fuiſſe de eventibus futuris. Verbi gratia, Auguria ex avibus, & aliis: & ſæpiſſime eveniebat quod prædicebatur. Unde notiones appellamus, (*communes*, non *ſingulares*). Inſitum hominibus, Deum regere & volatus avium, & exta iſta animalium. Cur regat hæc, & non alia? Omnia ergo regit. Athei hic non poſſunt reſpondere, Non ſemper eventum reſpondiſſe. Nam certe ſæpe reſpondit. Et urgemus hoc axioma: Anticipationes communes eſſe veriſſimas; etiamſi aliquando circa objecta particularia fallantur.

Item Sibyllæ, & prædictiones earum, quæ quidem oracula non erant ſtata, videbantur tamen oracula particularia, & quæ prædicebant etiam non conſulta. Sic Romani, quotieſcunque de Republica agi videbatur, ad oracula accurrerunt, ſive ad libros Sibyllarum, & repererunt dictum hoc, vel illud, quo & eventus prædicebatur, & ſimul docebatur, quid faciendum in hoc, vel illo, periculo. Conſulendus hic Peucerus, de Divinationibus. Itemque Agrippa, de vanitate ſcientiarum.

CAP. V.

De iis, qui admittunt, juſtitiam quandam exercitam in homines improbos, qui videbantur eo loco collocati, ut à mortali nemine potuerint ulla pœna affici, cum viderentur omnibus eſſe majores.

Eſt hoc ingens argumentum contra Atheos, etiamſi rarum, & rarius contingere videtur; quod, verbi gratia, homines ſceleratos ſemper pœna conſequitur, aut frequenter ſaltem. Hinc Poëta:

Raro antecedentem ſceleſtum, &c.

Exempla hic ſunt, 1. in genere ſcelerum. 2. in ſpecie. Infinita ſunt, quæ apud Hiſtoricos ſacros & prophanos occurrunt. In lib. Judicum Adonibezek amputans pollices Regibus captis, eo modo tractatus ipſe, coactus eſt fateri judicia Dei: *Sicut*, inquit, *faciebam aliis*, &c. Apud Tacitum, Sejani exemplum, *&c.* Vide & alia alibi exempla apud Auctores.

In ſpecie exempla perſecutorum, qui ſcilicet Eccleſiam perſequuntur. Duo autem hic ſunt ſtupenda, quæ, niſi quis penitus nuntium remittat omni judicio, animadvertet. Primum, Judæos, in quibus hoc judicium Deus exercuit, poſtquam non ſolum Prophetas, ſed & Chriſtum Prophetarum caput, & Apoſtolos, trucidaſſent, ut non unus aliquis, ſed omnes, nullo excepto, in ſervitutem, & exilium ejecti. Hoc vero miraculi loco eſt, quod, dum inhabitarent terram omnibus rebus abundantem & fer-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

fertiliſſimam, iſta fertilitas in extremam ſterilitatem commutata ſit. Legi poſſunt Tacitus, & alii, qui fertilitatem terræ iſtius ſummam deprædicant. At vero in ſummam ſterilitatem commutata eſt nunc. Nec dicitur ſterilis, quod inculta. Nam etiam inculta, quæ fertilis eſt, habet notas ſuæ fertilitatis. At hæc videtur obnoxia caloribus, æſtibus, ut vere infrugifera & arenoſa ſit. Hoc certe ſignum judicii Divini eſſe, manifeſto liquet. Alterum genus eſt eorum Imperatorum, qui perſecuti ſunt Chriſtianos pios. De illis enim verum eſt,

Ad generum Cereris ſine cæde & ſanguine pauci
Deſcendunt Reges, &c.

Ita ut videatur, nullum miſerabilius genus hominum fuiſſe, quam iſti, cum quibus Eccleſia ſola patientia depugnabat. Devoluto vero Imperio ad Chriſtianos, ubi ſuperſtitio eos occupare cœpit, & ipſi à religione primæva & ſincera paulatim deflecterent, imperium ſciſſum adeo, ut vix aliquid ejus ſupereſſe videatur. Hæc ſi quis expenderit, fieri non poterit, quin commoveatur, & cogitet, fuiſſe judicia Divina.

CAP. VI.

De iis qui concedunt Veneficia, & Spiritus malos.

AB eo, quod concedant aliqui veneficia, item ſpiritus malos, probatur contra eoſdem Deum eſſe.

Argumentum hoc practicum eſt. 1. Ex hoc, quod ſpiritus iſti immundi, cum in communionem fœderis adſciſcunt hominem, imprimis hoc ſtipulantur, ut renuntiet Deo. Quod ſi nullus Deus eſſet, ad quid impellerent homines ad renuntiandum Deo? 2. Quod ſtipulantur, ut ne quicquam eorum agant, quæ Deus in Verbo ſuo præcepit. Immo obligant ad omnia contraria. Nam quorſum labores iſti, & quorſum odium tantum, ſi nec Deus eſt, nec curam hominum gerit? Profecto ſpiritus iſti vaferrimi non videntur quicquam fruſtra agere. 3. Et hoc expendendum eſt, certas veneficas & veneficos ſpeciale aliquod fœdus cum Satana inire, ubi, tempore certo elapſo, ab eodem Satana trucidantur horribiliter, ut factum in Fauſto, Scoto, & aliis Necromanticis. Hæc præterea ſpectanda ſunt in molimine ſpirituum iſtorum malorum, quod homines ad deſperationem adigere ſoleant, ita, ut, cum ad ſummum faſtigium perveniatur, auctores exiſtant iiſdem hominibus, ut mortem ſibi conſciſcant. Nam quid, quæſo, quærunt hoc ipſo, quam æternum exitium miſerorum? Quid autem commodi ad ipſos vel apparentis redundare poteſt, niſi ſint perſuaſi, ad æternos cruciatus ipſos præcipites dari? Quo ipſo oſtendunt, eſſe pœnas ſcelerum, eſſe Judicem omnium & univerſorum. Quis autem Judex, alius, quam Deus? Hæc & talia, ut paucis concludamus, hominem, qui non plane extra ſe raptus, & qui non oblitus eſt, ſe eſſe hominem, convincere in conſcientia poſſunt, eſſe aliquem, qui omnia curat, Deum.

COROLLARIUM.

ADmiranda eſt ſtoliditas iſtorum Atheorum, qui etiam exuri ſe propter Atheïſmum patiuntur (qualis fuit Luciolus in Gallia). Nam, ſi & Deus, juxta illos, nullus eſt, & poſt mortem Iudex nullus, quomodocunque credas, vel confitearis, ſive Deum, ſive non eſſe; nec pœnæ ullæ poſt deceſſum ex hac vita: quis furor obſtinatus & præfracta ſtupiditas eſt, pro Atheiſmo, tanquam re bona, mori? Iuxta Atheos enim, quomodocunque credas, vel opineris, perinde eſt; ut ſtultus merito Atheus ſit, qui mortem propter Atheïſmum oppetere velit.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
33 D 3